
Andrea

BIBLIA SACRA
VULGATÆ EDITIONIS,
SIXTI V. & CLEMENTIS VIII.
PONTIF. MAX. Auctoritate recognita:
ANNOTATIONIBUS, PROLEGOMENIS,
Tabulis Chronologicis, Historicis, & Geographicis illustrata,

A JO. BAPTISTA DU HAMEL
PRESBYTERO, EXPROFESSORE REGIO, &c.

ACCEDUNT LIBELLI DUO
FRANCISCI LUCÆ BRUGENSIS de ROMANIS CORRECTIONIBUS factis, & quæ fieri possent,


ET

JOSEPHI BLANCHINI
Congregationis Oratorii Presbyteri tres Dissertationes Biblicæ.

EDITIO NOVISSIMA.
PARS PRIMA.



VENETIIS, MDCCLXXIX.
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.
Superiorum Permissu.



PRÆFATIO.



JAM hic septimus annus est, cum breves & selectæ ex optimis quibusque Scripturæ Sacræ Interpretibus Annotationes in Pentateuchum una cum Institutionibus Biblicis, seu Prolegomenis in lucem prodiere; eo quidem consilio, uti in Præfatione iis præfixa testatus sum, ut eruditorum in Sacris Litteris experirer judicia; ac si forte hoc speciminis illis probaretur, susceptum opus prosequerer, secus ab incepto desisterem, aut certe ad privatam utilitatem meam hunc laborem converterem. Id enim perutile mihi futurum judicabam, si cælesti hoc pabulo animum reficerem: simul & operæ pretium me facturum arbitrabar, si formam aliquam operis, quod Clericis in primis utile foret, in hoc velut specimine designarem. Quod si, (inquiebam) id gratum piis & eruditis viris sensero, non despero me in Scripturam universam lucubrationes meas jam majore ex parte præparatas publici juris facturum. Id vero tum præfatus sum, incertus quis primi hujus operis futurus esset exitus.

Quantum autem postea intelligere potui, viri cum doctrina, tum pietate conspicui, prima hæc tentamina benigne exceperunt, meque vehementer hortati sunt, ut quod reliquum erat vitæ huic studio, quo nullum aliud est vel sanctius, vel utilius, consecrarem: simul & admonuerunt, ut quæ in his Annotationibus desiderari possent, vel adjicerem, vel emendarem. Nonnullis quippe breviores visæ sunt, quam par esset: quædam sacri textus loca, eaque subobscura, vel penitus omissa, vel non satis explicata censuerunt. Complures alii id non immerito requirebant, ut textus integer cum notis jungeretur. His quidem incommodis in hac Sacrorum Codicum editione magna ex parte mederi conatus sum. Primum enim plures & auctiores textui notas subjeci, quæ sensum ipsum efficiunt planiorem: sic tamen ut in longas & ex præparato quæsitas dissertationes non excurrerem. Nam hæ quidem, ut doctorum exercent ingenia, plerumque curiosæ sunt magis quam utiles; quamvis dissertationes ubi erant plane necessariæ, eas penitus omittere mihi religio fuerit, præsertim in Libris Historicis, qui Libros Mosis sunt consecuti. In Psalmis vero & in Libris Sapientiæ crebriores notas & paullo uberiores ob textus obscuritatem attexere oportuit, non item disceptationes, nisi forte in Præfationibus, cum res ipsa id postulabat.

In priori quidem editione duo prima volumina Annotationes solas, non sacrum textum continebant, ne in nimiam excrescerent molem: sed in Psalmis & Libris Salomonis, qui Clericorum manibus teruntur frequentius, quosque maxime ad præclarum illud Sacrarum Litterarum Studium excitare in animo erat, illud omnino faciendum judicaveram, ut textus una cum Annotationibus ederetur.

Cum autem nunc temporis de universa Sacrorum Librorum editione agatur; in qua textus ipse juxta vulgatam lectionem purus sit & integer, in versiculos distinctus, atque ex decretis summorum Pontificum Sixti V. & Clementis VIII. expurgatus a nævis, qui exscriptorum & librariorum culpa irrepserant, probe intelligo, quam difficile sit in Annotationibus, quæ sacro textui subjiciuntur, eum adhibere modum, ut neque sint plus æquo prolixæ, neque adeo concisæ & breves, ut obscuritatem magis, quam lucem afferant, atque ut alio in loco dictum est, non tam variam & multiplicem eruditionem, quam meram locorum difficilium explicationem complectantur; denique ut non exsangues sint & jejunæ prorsus, sed succum habeant & nervos.

Hunc delectum habere majus esse viribus meis in eadem Præfatione aperte sum professus. Sed cavendum mihi semper censui ab inconsulta temeritate, & nimia asseverandi pertinacia, præsertim ubi Interpretes, iique probati, in diversas abeunt sententias: idque mihi potissimum curæ fuit, ut in quæstiones magis curiosas, quam utiles non excurrerem. Nam ut bene advertit superioris sæculi Scriptor magni nominis, sobria & pia investigatio rerum divinarum est permittenda, præsertim earum, quæ vitam reddunt meliorem.

Mediam inter scholia plus satis contracta, & commentarios paullo longiores viam insistere volui; ita ut non incipientibus modo, sed etiam iis qui aliquos in hac divina scientia progressus fecere, utilis esse possim, ac difficiliora quæque loca pro viribus exponam, iis omissis, quæ nulla fere egent explicatione.

Quo autem doctis juxta & indoctis fieret satis, ubi textus Hebraicus, qualis ad nos usque pervenit, a Vulgata Editione videtur dissentire, aut quiddam aliud exprimere, ex consensu Interpretum qui omnium pene judicio sacræ hujus linguæ habentur peritiores hoc ipsum annotatum oportuit. Voces quidem Hebraicas in textum ipsum conjicere minime necessarium judicabam, ac subinde verebar, ne id vanæ ostentationi tribueretur. Sed inter alios vir doctus & amicus meus D. Barat, isque in lectione Scripturarum valde tritus, atque in Critica sacra exercitatus, qui etiam in hujus operis editione plurimum me juvit, auctor mihi fuit, ut cum textus Vulgatæ Editionis est obscurior, ac de illius intellectu dissentiunt Interpretes, voces Hebraicæ saltem adscriberentur. In ejus consilio ultro acquievi, simul & rogatum eum volui, ut has voces ab ipso delineatas apponeret. Quod non solum præstitit pro mutuæ inter nos & veteris amicitiæ jure, sed variis quoque in locis quædam subjecit additamenta, quibus textus obscuritas non mediocriter illustraretur.

In limine cujusque Libri, quis sit illius auctor, qua ætate conscriptus fuerit, quod illius sit argumentum, paucis exponitur. Cum autem duo sint quæ Historiæ Sacræ non mediocrem lucem afferunt, Chronologia nimirum & Geographia, seu temporum & locorum, in quibus res quæ narrantur gestæ sunt, notitia; de iis quæ ad Chronologiam spectant, tum in Prolegomenis universim, tum in cujusque Libri Præfatione singillatim actum fuit; urbium vero & locorum situs, ubi sese dedit occasio, ita sunt designati, ut quæ certa sunt ab incertis & controversis, sed minime necessariis, secreta fuerit. In calce operis duæ sunt adjectæ tabulæ, una quæ Chronologiam, altera quæ Geographiam Sacram complectitur.

Postremo illud in hac Præfatione testatum velim me in Ecclesia Catholica Apostolica & Romana natum & educatum per octoginta, & quod excurrit, annos vixisse, ejus auctoritati me non has annotationes modo, sed etiam omnia quæ per quinquaginta annos exegi opera, tum Philosophica, tum Theologica, & si quæ forte sum editurus, omnino subjicere, ac si quid mihi imprudenti exciderit Catholicæ Fidei & Romanæ Ecclesiæ alienum, id omne damnare & revocare.

HIE-

HIERONYMI
PROLOGUS GALEATUS.



VIGINTI & duas litteras esse apud Hebræos, Syrorum quoque lingua & Chaldæorum testatur, quæ Hebrææ magna ex parte confinis est: nam & ipsi vigintiduo elementa habent eodem sono, sed diversis characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Moysi totidem litteris scriptitant, figuris tantum & apicibus discrepantes. Certumque est Esdram scribam, legisque doctorem, post captam Jerosolymam, & instaurationem templi sub Zorobabel, alias litteras reperisse, quibus nunc utimur: cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint. In libro quoque Numerorum hæc eadem supputatio, sub Levitarum ac Sacerdotum censu, mystice ostenditur. Et nomen Domini tetragrammaton, in quibusdam Græcis voluminibus, usque hodie antiquis expressum litteris invenimus. Sed & Psalmi trigesimus sextus, & centesimus decimus, & centesimus undecimus, & centesimus decimus octavus, & centesimus quadragesimus quartus, quamquam diverso scribantur metro, tamen ejusdem numeri texuntur alphabeto. Et Jeremiæ Lamentationes, & Oratio ejus, Salomonis quoque in fine Proverbia, ab eo loco, in quo ait, *Mulierem fortem quis inveniet?* iisdem alphabetis, vel incisionibus supputantur. Porro quinque litteræ duplices apud Hebræos sunt, Caph, Mem, Nun, Pe, Sade: aliter enim scribuntur per has principia, medietatesque verborum, aliter fines. Unde & quinque a plerisque libri, duplices æstimantur, Samuel, Melachim, Dibre hajamin, Esdras, Jeremias, cum Cinoth, id est, Lamentationibus suis. Quomodo igitur vigintiduo elementa sunt, per quæ scribimus Hebraice omne quod loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur: ita vigintiduo volumina supputantur, quibus quasi litteris & exordiis, in Dei doctrina, tenera adhuc & lactens viri justi eruditur infantia.

Primus apud eos liber vocatur בראשית Beresith: quem nos Genesim dicimus.

Secundus, ואלה שמות Veelle semoth: qui Exodus appellatur.

Tertius, ויקרא Vaiicra: id est Leviticus.

Quartus, וידבר Vajeddaber: quem Numeros vocamus.

Quintus, אלה הדברים Elle haddebarim: qui Deuteronomium prænotatur.

Hi sunt quinque libri Moysi, quos proprie תודה, Thora, id est, Legem appellant.

Secundum Prophetarum ordinem faciunt; & incipiunt ab Jesu filio Nave: qui apud eos יהושע בן נון Josue ben Nun dicitur.

Deinde subtexunt שפטים Sophetim, id est, Judicum librum. Et in eumdem compingunt Ruth: quia in diebus Judicum facta ejus narratur historia.

Tertius sequitur שמואל Samuel, quem nos Regum primum & secundum dicimus.

Quartus, מלכים Melachim, id est, Regum, qui tertio & quarto Regum volumine continetur.

Meliusque multo est מלכים Melachim, id est, Regum, quam ממלכות Mamlachot, id est, Regnorum dicere. Non enim multarum gentium describit regna, sed unius Israelitici populi, qui tribubus duodecim continetur.

Quintus, est ישעיה Isaias.

Sextus, ירמיה Jeremias.

Septimus, יחזקאל Ezechiel.

Octavus, liber duodecim Prophetarum: qui apud illos vocatur תרי-עשר There asir.

Tertius ordo Hagiographa possidet:

Et primus liber incipit a איוב Job.

Secundus a דוד David: quem quinque incisionibus & uno Psalmorum volumine comprehendunt.

Tertius est שלמה Salomon, tres libros habens: Proverbia, quæ illi משלי Misle, id est, Parabolas appellant.

Quartus, Ecclesiasten, id est, קהלת Coheleth.

Quintus, Canticum canticorum, quem titulo שיר השירים Sir hassirim prænotant.

Sextus, est דניאל Daniel.

Septimus, דברי הימים Dibre hajamim, id est, Verba dierum: quod significantius, Chronicon totius divinæ historiæ possumus appellare: qui liber apud nos Paralipomenon primus & secundus inscribitur.

Octavus, עזרא Esdras: qui & ipse similiter apud Græcos & Latinos in duos libros divisus est

Nonus, אסתר Esther.

Atque ita fiunt pariter Veteris Legis libri vigintiduo: id est, Moysi quinque, & Prophetarum octo, Hagiographorum novem. Quamquam nonnulli רות וקינות Ruth & Cinoth, inter Hagiographa scri- 1.

ptitent, & hos libros in suo putent numero supputandos: ac per hoc esse priscæ legis libros vigintiquatuor: quos sub numero vigintiquatuor seniorum Apocalypsis Joannis inducit adorantes Agnum, & coronas suas prostratis vultibus offerentes: stantibus coram quatuor animalibus, oculatis ante & retro, id est, in præteritum & in futurum respicientibus, & indefessa voce clamantibus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Hic prologus, Scripturarum quasi galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest: ut scire valeamus, quidquid extra hos est, inter apocrypha esse ponendum. Igi ur Sapientia, quæ vulgo Salomonis inscribitur, & Jesu filii Sirach liber, & Judith, & Tobias, & Pastor, non sunt in canone. Machabæorum primum librum Hebraicum reperi. Secundus, Græcus est: quod ex ipsa quoque phrasi probari potest. Quæ cum ita se habeant, obsecro te, Lector, ne laborem meum, reprehensionem existimes antiquorum. In templo Dei offert unusquisque quod potest: alii aurum, argentum, & lapides pretiosos: alii byssum & purpuram & coccum offerunt, & hyacinthum: nobiscum bene agitur, si obtulerimus pelles & caprarum pilos. Et tamen Apostolus contemptibiliora nostra magis necessaria judicat. Unde & tota illa tabernaculi pulchritudo, & per singulas species, Ecclesiæ præsentis futuræque distinctio, pellibus tegitur & ciliciis, ardoremque solis & injuriam imbrium ea quæ viliora sunt prohibent. Lege ergo primum, Samuel, & Melachim meum: meum, inquam, meum. Quidquid enim crebrius vertendo, & emendando solicitius & didicimus, & tenemus, nostrum est. Et cum intellexeris quod antea nesciebas, vel interpretem me æstimato, si gratus es; vel paraphrasten, si ingratus; quamquam mihi omnino conscius non sim mutasse me quippiam de Hebraica veritate. Certe si incredulus es, lege Græcos codices, & Latinos, & confer cum iis opusculis quæ nuper emendavimus: & ubicumque discrepare inter se videris, interroga quemlibet Hebræorum cui magis accommodare debeas fidem: & si nostra firmaverit, puto quod eum non æstimes conjectorem, ut in eodem loco mecum similiter divinarit. Sed & vos famulas Christi rogo (quæ Domini discumbentis pretiosissima fidei myrrha ungitis caput, quæ nequaquam Salvatorem quæritis in sepulcro, quia jam ad Patrem Christus ascendit) ut contra latrantes canes, qui adversum me rabido ore deseviunt, & circumeunt civitatem, atque in eo se doctos arbitrantur, si aliis detrahant, orationum vestrarum clypeos opponatis. Ego sciens humilitatem meam, illius semper sententiæ recordabor: *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me. Obmutui, & humiliatus sum, & silui a bonis.* Psalm. 38.

HIERONYMUS PAULINO.

FRater Ambrosius tua mihi munuscula præferens, detulit simul & suavissimas litteras, quæ a principio amicitiarum, fidem probatæ jam fidei, & veteris amicitiæ præferebant. Vera enim illa necessitudo est, & Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non præsentia tantum corporum, non subdola & palpans adulatio, sed Dei timor, & Divinarum Scripturarum studia conciliant. Legimus in veteribus historiis quosdam lustrasse provincias, novos adiisse populos, maria transisse: ut eos, quos ex libris noverant, coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphiticos vates, sic Plato Ægyptum & Architam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laboriosissime peragravit: ut qui Athenis magister erat, & potens, cujusque doctrinam Academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus atque discipulus: malens aliena verecunde discere, quam sua impudenter ingerere. Denique dum litteras quasi toto fugientes orbe persequitur, captus a piratis & venundatus, etiam tyranno crudelissimo paruit, captivus, vinctus, & servus: tamen quia philosophus, major emente se fuit. Ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hispaniæ Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus, & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus sæculis, celebrandumque miraculum, ut urbem tantam ingressi, aliud extra urbem quærerent. Apollonius, sive ille magus, ut vulgus loquitur, sive philosophus, ut Pythagorici tradunt, intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetravit: & ad extremum, latissimo Phison amne transmisso, pervenit ad Brachmanas, ut Hiarcham in throno sedentem aureo, & de Tantali fonte potantem, inter paucos discipulos, de natura, de motibus siderum, ac dierum cursu audiret docentem. Inde per Ælamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæstinos reversus Alexandriam, perrexit Æthiopiam, ut Gymnosophistas, & famosissimam Solis mensam videret in sabulo. Invenit ille vir ubique quod disceret; & semper proficiens, sem-

semper se melior fieret. Scripsit super hoc plenissime octo voluminibus Philostratus.

II. Quid loquar de sæculi hominibus, cum Act. 9. Apostolus Paulus, vas electionis & magister Gentium, qui de conscientia tanti in 2. Cor. 13. Gal. 1. se hospitis loquebatur, *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* post Damascum Arabiamque lustratam, ascenderit Jerosolymam, ut videret Petrum, & manserit apud eum diebus quindecim? Hoc enim mysterio hebdomadis & ogdoadis, futurus Gentium prædi- Gal. 2. cator instruendus erat. Rursumque post annos quatuordecim, assumpto Barnaba & Tito, exposuerit Apostolis Evangelium, ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset. Habet enim nescio quid latentis ἐνεργείας viva vox, & in aures discipuli de auctoris ore transfusa, fortius sonat. Unde & Æschines cum Rhodi exularet, & legeretur illa Demosthenis oratio, quam adversus eum habuerat, mirantibus cunctis atque laudantibus, suspirans ait: Quid si ipsam audissetis bestiam, sua verba resonantem? Hæc non dico, quod sit in me aliquid tale, quod vel possis a me audire, vel velis discere: sed quod ardor tuus & discendi studium etiam absque nobis per se probari debeat. Ingenium docile,

III. & sine doctore laudabile est. Non quid invenias, sed quid quæras consideramus. Mollis cera, & ad formandum facilis, etiam si artificis & plastæ cessent manus: tamen virtute totum est quidquid esse po- Act. 22. test. Paulus Apostolus ad pedes Gamalielis legem Moysi, & Prophetas didicisse se gloriatur, ut armatus spiritalibus telis, 2. Cor. 10. postea diceret confidenter: *Arma militiæ nostræ, non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei*, & captivantes omnem intellectum ad obediendum Christo, & parati subjugare omnem 2. Tim. 3. 2. Tim. 4. inobedientiam. Ad Timotheum scribit ab infantia sacris litteris eruditum, & hortatur ad studium lectionis, ne negligat gratiam, quæ data sit ei per impositionem manus Presbyterii. Tito præcipit, ut inter ceteras virtutes Episcopi, quem brevi sermone depinxit, scientiam quoque in eo Tit. 1. 9. eligat Scripturarum: *Obtinentem*, inquit, *eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana*, & contradicentes revincere.

IV. Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest: & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet si destruentibus non resistat. Malachias Propheta, im- Malac. 2. 7. Agg. 2. 12. mo per Aggæum Dominus, *Interroga*, ait, *Sacerdotes legem:* in tantum Sacerdotis officium est interrogatum respondere de Le- Deut. 32. 7. ge. Et in Deuteronomio legimus: *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: seniores tuos, & dicent tibi*. In Psalmo quoque centesimo decimo octavo: *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ*. Et in descriptione justi viri, cum eum David arbori vitæ, quæ est in Paradiso, compararet, inter ceteras virtutes & hoc intulit: *In lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte*. Psalm. 1. Daniel in fine sacratissimæ visionis, ait, *justos fulgere sicut stellas, & intelligentes, id est, doctos quasi firmamentum*. Dan. 12. Vides quantum inter se distent justa rusticitas, & docta justitia? Alii stellis, alii cælo comparantur. Quamquam juxta Hebraicam veritatem utrumque de eruditis possit intelligi. Ita enim apud eos legimus: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates*. Cur dicitur Paulus Apostolus *Vas electionis?* Nempe Act. 9. quia Legis & Scripturarum sanctarum erat armarium. Pharisæi stupent in doctrina Domini: & mirantur in Petro & Joanne quomodo legem sciant, cum litteras non didicerint. Quidquid enim aliis exercitatio, & quotidiana in Lege meditatio Isa. 54. Joann. 6. Luc. 2. tribuere solet, illis hoc Spiritus sanctus suggerebat, & erant juxta quod scriptum est, θεοδίδακτοι. Duodecim annos Salvator impleverat, & in templo senes de quæstionibus Legis interrogans, magis docet, dum prudenter interrogat. Nisi forte rusticum Petrum, rusticum dicimus Joannem; quorum uterque dicere poterat: Etsi imperitus sermone, non tamen scientia. Joannes rusticus, piscator, indo- 2. Cor. 11. ctus? & unde illa vox, obsecro, *In principio erat verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum?* Joann. 1. Λόγος enim Græce multa significat: nam & verbum est, & ratio, & supputatio, & caussa uniuscujusque rei, per quam sunt singula quæ subsistunt: quæ universa recte intelligimus in Christo. Hoc doctus Pla- V. to nescivit, hoc Demosthenes eloquens ignoravit. *Perdam*, inquit, *sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*. Abd. 1. Isa. 29. 1. Cor. 1. 1. Cor. 2. Vera sapientia perdet falsam sapientiam; & quamquam stultitia prædicationis in cruce sit, tamen Paulus sapientiam loquitur inter perfectos: sapientiam autem non sæculi hujus, nec principum sæculi istius, quæ destruitur; sed loquitur Dei sapientiam in mysterio absconditam, quam prædestinavit Deus ante sæcula. Dei sapientia, Christus est. Christus enim, Dei virtus & Dei sapientia. Hæc sapientia in mysterio abscondita est: de qua & noni Psalmi titulus prænotatur, *Pro occultis filii, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi*. Coloss. 2. Et qui in mysterio absconditus erat, prædestinatus est ante sæcula: prædestinatus autem

autem & præfiguratus in Lege & Prophetis. Unde & Prophetæ appellabantur Videntes: quia videbant eum, quem ceteri non videbant. Abraham vidit diem ejus,
Joann. 8. & lætatus est. Aperiebantur cæli Ezechie-
Ezech. 1. li, qui populo peccatori clausi erant. *Re-*
Psal. 118. Roman. 7. *vela*, inquit David, *oculos meos, & con-*
2. Cor. 3. *siderabo mirabilia de lege tua. Lex enim*
Apocal. 5. Isa. 29. *spiritualis est, & revelatione opus est, ut intelligatur, ac revelata facie Dei gloriam contemplemur.* Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur: *quem si dederis homini scienti litteras ut legat, respondebit tibi, Non possum: signatus est enim.* Quanti hodie putant se nosse litteras, & tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille reseraverit qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit;
Apoc. 3. claudit, & nemo aperit? In Actibus Apostolorum sanctus Eunuchus, immo vir (sic enim eum Scriptura cognominat) cum legeret Isaiam Prophetam, interrogatus a
Actor. 8. Philippo, *Putasne intelligis quæ legis?* Respondit, *Quomodo possum, nisi aliquis me docuerit?* Ego (ut de me loquar interim) nec sanctior sum hoc Eunucho, nec studiosior, qui de Æthiopia, id est, de extremis mundi finibus, venit ad templum, reliquit aulam regiam: & tantus amator Legis, divinæque scientiæ fuit, ut etiam in vehiculo legeret Litteras sacras. Et tamen cum librum teneret, verba Domini cogitatione conciperet, lingua volveret, labiis personaret, ignorabat eum, quem in libro nesciens venerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Jesum, qui clausus latebat in littera. O mira doctoris virtus! eadem hora credit Eunuchus, baptizatur, & fidelis & sanctus factus est; ac magister de discipulo, plus in deserto fonte Ecclesiæ, quam in aurato Synagogæ templo reperit. Hæc a me perstricta sunt breviter (neque enim epistolaris angustia evagari longius patiebatur) ut intelligeres te in Scripturis sacris sine prævio, & monstran-
VI. te semitam non posse ingredi. Taceo de grammaticis, rhetoribus, philosophis, geometris, dialecticis, musicis, astronomis, astrologis, medicis, quorum scientia mortalibus vel utilissima est, & in tres partes scinditur, τὸ δόγμα τὴν μέθοδον, τὴν ἐμπειρίαν. Ad minores artes veniam, & quæ non tam lingua quam manu administrantur, Agricolæ, cæmentarii, fabri metallorum, lignorumque cæsores, lanarii quoque & fullones, & ceteri qui variam supellectilem, & vilia opuscula fabricantur, absque doctore non possunt esse quod cupiunt. Quod medicorum est, promittunt medici: tractant fabrilia fabri: sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant. Scribimus indocti doctique poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequam discant. Alii adducto supercilio grandia verba trutinantes, inter muliercuIas de sacris Litteris philosophantur. Alii discunt, proh pudor! a feminis, quod viros doceant: & ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, immo audacia edisserunt alii quod ipsi non intelligunt. Taceo de mei similibus, qui si forte ad Scripturas sanctas post sæculares litteras venerint, & sermone composito aures populi mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant: nec scire dignantur quid Prophetæ, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia: quasi grande sit, & non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam, Scripturam trahere repugnantem. Quasi non legerimus Homerocentonas, & Virgiliocentonas: ac non sic etiam Maronem sine Christo possimus dicere Christianum, quia scripserit: Jam redit & virgo, redeunt Saturnia regna: Jam nova progenies cælo demittitur alto. Et Patrem loquentem ad Filium: Nate, meæ vires, mea magna potentia solus. Et post verba Salvatoris in cruce: Talia perstabat memorans, fixusque manebat. Puerilia sunt hæc, & circulatorum ludo similia, docere quod ignores: immo, ut cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire quod nescias.

Videlicet manifestissima est Genesis, in VII. Genesis.
qua de creatura mundi, de exordio generis humani, de divisione terræ, de confusione linguarum & gentium, usque ad exitum scribitur Hebræorum.

Patet Exodus cum decem plagis, cum Exodus.
decalogo, cum mysticis divinisque præceptis.

In promptu est Leviticus liber, in quo Leviticus.
singula sacrificia, immo singulæ pene syllabæ, & vestes Aaron, & totus ordo Leviticus spirant cælestia sacramenta.

Numeri vero, nonne totius arithmeti- Numeri.
cæ, & prophetiæ Balaam, & quadraginta duarum per eremum mansionum mysteria continent?

Deuteronomium quoque secunda lex, Deuteronomium.
& Evangelicæ legis præfiguratio, nonne sic ea habet quæ priora sunt, ut tamen nova sint omnia de veteribus? Hucusque Moyses, hucusque Pentateuchus: quibus quinque verbis loqui se velle Apostolus 1. Cor. 14.
in Ecclesia gloriatur.

Job exemplar patientiæ, quæ non my- Job.
steria suo sermone complectitur? Prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur, omnesque leges Dialecticæ, propositione, assumptione, confirmatione, conclusione determinat. Singula in eo verba, plena sunt sensibus. Et (ut de ceteris sileam) resurrectionem corporum sic prophetat, ut nullus de ea vel manifestius, vel cau-

cautius scripserit. *Scio*, inquit, *quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hae spes mea in sinu meo.*

Iosue, sive Iesus Nave. Veniam ad Jesum Nave, qui typum Domini non solum gestis, verum etiam nomine praefert, transit Jordanem, hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, & per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes, atque confinia, Ecclesiae caelestisque Jerusalem spiritualia regna describit.

Lib. Judicum. In Judicum libro quot principes populi, tot figurae sunt.

Ruth. Isai. 16. Ruth Moabitis, Isaiae explet vaticinium, dicentis: *Emitte agnum Domine Dominatorem terrae, de petra deserti ad montem filiae Sion.*

Reg. 1. & 2. Samuel in Heli mortuo, & occiso Saul, veterem legem abolitam monstrat. Porro in Sadoc atque David, novi sacerdotii, novique imperii sacramenta testatur.

Reg. 3. & 4. Melachim, id est tertius & quartus Regum liber, a Salomone usque ad Jechoniam, & a Jeroboam filio Nabat usque ad Osee qui ductus est in Assyrios, regnum Juda & regnum describit Israel. Si historiam respicias, verba simplicia sunt: si in litteris sensum latentem inspexetis, Ecclesiae paucitas, & haereticorum contra Ecclesiam bella narrantur.

Duodecim Prophetae in unius voluminis angustias coarctati multo aliud, quam sonet in littera, praefigurant.

Osee. Osee crebro nominat Ephraim, Samariam, Joseph, Jezrahel, & uxorem fornicariam, & fornicationis filios, & adulteram cubiculo clausam mariti, multo tempore sedere viduam, & sub veste lugubri, viri ad se reditum praestolari.

Joel. Joel filius Phatuel describit terram duodecim tribuum, eruca, brucho, locusta, rubigine vastante consumptam: & post eversionem prioris populi, effusum iri Spiritum sanctum super servos Dei, & ancillas, id est, super centum viginti credentium nomina, & effusum iri in coenaculo

Act. 2. Sion. Qui centum viginti, ab uno usque ad quindecim paullatim & per incrementa surgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in Psalterio mystice continentur.

Amos. Amos pastor & rusticus, & ruborum more distringens, paucis verbis explicari non potest. Quis enim digne exprimat tria, aut quatuor scelera Damasci, & Gazae, & Tyri, & Idumaeae, & filiorum Ammon & Moab, & in septimo & octavo gradu Judae & Israel? Hic loquitur ad vaccas pingues, quae sunt in Samariae monte, & ruituram domum majorem minoremque testatur. Ipse cernit fictorem locustae, & stantem Dominum super murum litum, vel adamantinum, & uncinum pomorum, attrahentem supplicia peccatoribus, & famem in terram; non famem panis, nec sitim aquae, sed audiendi verbum Dei.

Abdias, qui interpretatur Servus Dei, personat contra Edom sanguineum terre. numque hominem: fratris quoque Jacob semper aemulum, hasta percutit spiritali. Abdias.

Jonas columba pulcherrima, naufragio suo passionem Domini praefigurans mundum ad poenitentiam revocat: & sub nomine Ninive, Gentibus salutem nuntiat. Jonas.

Michaeas de Morasthi cohaeres Christi, vastationem annuntiat filiae latronis, & obsidionem ponit contra eam; quia maxillam percusserit judicis Israel. Michaeas.

Nahum consolator orbis increpat civitatem sanguinum, & post eversionem illius loquitur: *Ecce super montes pedes evangelizantis & annuntiantis pacem.* Nahum.

Habacuc luctator fortis & rigidus stat super custodiam suam, & figit gradum super munitionem, ut Christum in cruce contempletur, & dicat: *Operuit caelos gloria ejus; & laudis ejus plena est terra. Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus: ibi abscondita est fortitudo ejus.* Habacuc.

Sophonias speculator, & arcanorum Dei cognitor, audit clamorem a Porta Piscium, & ejulatum a Secunda, & contritionem a collibus. Indicit quoque ululatum habitatoribus Pilae, quia conticuit omnis populus Chanaan, dispierunt universi qui involuti erant argento. Sophonias.

Aggaeus festivus & laetus, qui seminavit in lacrymis, ut in gaudio meteret; destructum templum aedificat, Deumque Patrem inducit loquentem: *Adhuc unum modicum, & ego commovebo caelum, & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus.* Aggaeus.

Zacharias memor Domini sui, multiplex in prophetia, Jesum vestibus sordidis indutum, & lapidem oculorum septem, candelabrumque aureum cum totidem lucernis quot oculis, duas quoque olivas a sinistris lampadis cernit, & dextris: ut post equos nigros, rufos, albos, & varios, & dissipatas quadrigas ex Ephraim, & equum de Jerusalem, pauperem regem vaticinetur & praedicet, sedentem super pullum filium asinae subjugalis. Zacharias.

Malachias aperte, & in fine omnium Prophetarum, de abjectione Israel, & vocatione Gentium, *Non est mihi*, ait, *voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in* Malachias

omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.

Isaias. Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, & Danielem, quis potest vel intelligere, vel exponere? Quorum primus non prophetiam mihi videtur texere, sed Evangelium.

Jeremias. Secundus virgam nuceam, & ollam succensam a facie Aquilonis, & pardum spoliatum suis coloribus, & quadruplex diversis metris nectit alphabetum.

Ezechiel. Tertius Principia & finem tantis habet obscuritatibus involuta, ut apud Hebræos istæ partes cum exordio Geneseos ante annos triginta non legantur.

Daniel. Quartus vero, qui & extremus inter quatuor Prophetas, temporum conscius, & totius mundi φιλίστωρ, lapidem præcisum de monte sine manibus, & regna omnia subvertentem, claro sermone pronuntiat.

David. David, Simonides noster, Pindarus, & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus Christum lyra personat, & in decachordo psalterio ab inferis excitat resurgentem.

Proverbia. Ecclesiastes. Canticum. Salomon pacificus & amabilis Domini, mores corrigit, naturam docet, Ecclesiam jungit & Christum, sanctarumque nuptiarum dulce canit epithalamium.

Esther. Esther in Ecclesiæ typo, populum liberat de periculo; & interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivii, & diem celebrem mittit in posteros.

Paralipomenon. Paralipomenon Liber, id est instrumenti veteris ἐπιτομὴ, tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, seipsum irrideat. Per singula quippe nomina juncturasque verborum, & prætermissæ in Regum libris tanguntur historiæ, & innumerabiles explicantur Evangelii quæstiones.

Esdras. Nehemias. Esdras & Nehemias, adjutor videlicet, & consolator a Domino, in unum volumen coarctantur, instaurant templum, muros extruunt civitatis: omnisque illa turba populi redeuntis in patriam, & descriptio sacerdotum, Levitarum Israelis, proselytorum, ac per singulas familias murorum ac turrium opera divisa; aliud in cortice præferunt, aliud retinent in medulla. Cernis me Scripturarum amore raptum, excessisse modum epistolæ, & tamen non implesse quod volui. Audivimus tantum, quid nosse, quid cupere debeamus, ut

Psalm. 118. & nos quoque possimus dicere: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore*. Ceterum illud Socraticum impletur in nobis. Hoc tantum scio, quod nescio.

Tangam & novum breviter Testamentum.

Matthæus. Marcus. Lucas. Joannes. Ezech. 1. Matthæus, Marcus, Lucas, & Joannes, quadrigas Domini, & verum Cherubim, quod interpretatur scientiæ multitudo, per totum corpus oculati sunt, scintillæ emicant, discurrunt fulgura, pedes habent rectos, & in sublime tendentes, terga pennata, & ubique volitantia, tenent se mutuo, sibique perplexi sunt, & quasi rota in rota volvuntur, & pergunt quocumque eos flatus Spiritus sancti perduxerit.

Paulus Apostolus. Paulus Apostolus ad septem scribit Ecclesias: octava enim ad Hebræos, a plerisque extra numerum ponitur. Timotheum instruit ac Titum, & Philemonem pro fugitivo famulo deprecatur. Super quo melius tacere puto, quam pauca scribere.

Actus Apostolorum. 2. Cor. 8. Actus Apostolorum nudam quidem sonare videntur historiam, & nascentis Ecclesiæ infantiam texere: sed si noverimus scriptorem eorum Lucam esse medicum, cujus laus est in Evangelio, animadvertemus pariter omnia verba illius, animæ languentis esse medicinam.

Jacobus. Petrus. Joannes. Judas. Jacobus, Petrus, Joannes, & Judas, septem Epistolas ediderunt, tam mysticas, quam succinctas, & breves pariter ac longas: breves in verbis, longas in sententiis: ut rarus sit, qui non in earum lectione cæcutiat.

Apocalypsis. Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi, & pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ. Oro te, frater charissime, inter hæc vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quærere. Nonne tibi videtur jam hic in terris regni cælestis habitaculum? Nolo offendaris in Scripturis sanctis simplicitate, & quasi vilitate verborum, quæ vel vitio interpretum, vel de industria sic prolata sunt, ut rusticam concionem facilius instruerent, & in una eademque sententia aliter doctus, aliter audiret indoctus. Non sum tam petulans & hebes, ut hæc me nosse pollicear, & eorum fructus capere, quorum radices in cælo fixæ sunt: sed velle fateor. Sedenti me præfero, magistrum renuens, comitem spondeo. Petenti datur, pulsanti aperitur, quærens invenit. Discamus in terris, quorum scientia nobis perseveret in cælo. *Matth. 7. Luc. 11.* Obviis te manibus excipiam, & (ut inepte aliquid, ac de Hermagoræ tumiditate effutiam) quidquid quæsieris, tecum scire conabor. Habes hic amantissimum tui fratrem Eusebium, qui litterarum tuarum mihi gratiam duplicavit, referens honestatem morum tuorum, contemptum sæculi, fidem amicitiæ, amorem Christi. Nam prudentiam & eloquii venustatem etiam absque illo ipsa epistola præferebat. Festina, quæso te, & hærentis in salo naviculæ funem magis præcide, quam solve. Nemo renuntiaturus sæculo bene potest vendere, quæ contempsit ut venderet. Quidquid in sumptus de tuo tule- *VIII. Prov. 17.*

tuleris, pro lucro computa. Antiquum dictum est, Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet. Credenti totus mundus divitiarum est: infidelis autem
2. Cor. 6. etiam obolo indiget. Sic vivamus, tamquam nihil habentes, & omnia possidentes. Victus & vestitus divitiæ Christianorum sunt. Si habes in potestate rem tuam,
Matth. 5. vende: si non habes, projice. Tollenti tunicam, & pallium relinquendum est. Scilicet nisi tu, semper recrastinans, & diem de die trahens, caute & pedetentim tuas possessiunculas vendideris, non habet Christus unde alat pauperes suos. Totum Deo dedit, qui seipsum obtulit. Apostoli navem tantum & retia reliquerunt. Matth. 4. Marc. 12.
Vidua duo æra misit in gazophylacium, & præfertur Crœsi divitiis. Facile contemnit omnia qui se semper cogitat esse moriturum. Luc. 21.



CLE-

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.



UM ſacrorum Bibliorum vulgatæ Editionis Textus ſummis laboribus ac vigiliis reſtitutus, & quam accuratiſſime mendis expurgatus, benedicente Domino, ex noſtra Typographia Vaticana in lucem prodeat: Nos, ut in poſterum idem Textus incorruptus, ut decet, conſervetur, opportune providere volentes, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium diſtrictius inhibemus, ne intra decem annos, a data præſentium numerandos, tam citra, quam ultra montes, alibi quam in noſtra Vaticana Typographia, a quoquam imprimatur. Elapſo autem præfato decennio, eam cautionem adhiberi præcipimus, ut nemo hanc ſanctarum Scripturarum editionem typis mandare præſumat, niſi habito prius exemplari in Typographia Vaticana excuſo: cujus exemplaris forma, ne minima quidem particula de Textu mutata, addita, vel ab eo detracta, niſi aliquid occurrat, quod Typographicæ incuriæ manifeſte adſcribendum ſit, inviolabiliter obſervetur. Si quis vero Typographus in quibuſcumque Regnis, Civitatibus, Provinciis, & locis tam noſtræ S. R. E. ditioni in temporalibus ſubjectis, quam non ſubjectis, hanc eamdem Sacrarum Scripturarum editionem intra decennium prædictum quoquo modo, elapſo autem decennio, aliter quam juxta hujuſmodi exemplar, ut præfertur, imprimere, vendere, venales habere, aut alias edere, vel evulgare; aut ſi quis Bibliopola a ſe, vel ab aliis quibuſvis poſt datam præſentium, hujus editionis impreſſos libros, ſeu imprimendos a præfato reſtituto & correcto Textu in aliquo diſcrepantes, ſeu ab alio, quam a Typographico Vaticano, intra decennium excuſos, pariter vendere, venales proponere, vel evulgare præſumpſerit, ultra amiſſionem omnium librorum, & alias arbitrio noſtro infligendas pœnas temporales, etiam majoris excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrat: a qua niſi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo conſtitutus, abſolvi non poſſit. Mandamus itaque univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ceteriſque Eccleſiarum & locorum etiam regularium Prælatis, ut præſentes litteras in ſuis quiſque Eccleſiis & Juriſdictionibus ab omnibus inviolate perpetuo obſervari curent ac faciant. Contradictores per Cenſuras Eccleſiaſticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Generalibus, Provincialibus, vel Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus, ac quarumcumque Eccleſiarum, Ordinum, Congregationum, Collegiorum, atque Univerſitatum, etiam ſtudiorum generalium juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitatis alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ac privilegiis, indultis, ac litteris Apoſtolicis in contrarium quomodocumque emanatis, & emendatis: quibus omnibus ad hunc effectum latiſſime derogamus, ac derogatum eſſe decernimus. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis etiam in ipſis voluminibus impreſſis eadem, in judicio & extra, fides ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die IX. Novembris, M. D. XCII. Pontificatus noſtri anno I.

M. Veſtrius Barbianus.

DE CANONICIS SCRIPTURIS

DECRETUM,

EX CONCILIO TRIDENTINO,

SESSIONE QUARTA.



ACROSANCTA, Œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis, hoc ſibi perpetuo ante oculos proponens, ut ſublatis erroribus, puritas ipſa Evangelii in Eccleſia conſervetur.

Et infra.

Sacrorum vero librorum Indicem huic Decreto adſcribendum cenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, qui ab ipſa Synodo ſuſcipiuntur. Sunt vero infraſcripti: Teſtamenti veteris: Quinque Moyſi, id eſt, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Joſue, Judicum, Ruth: Quatuor Regum: Duo Paralipomenon: Eſdræ primus, & ſecundus, qui dicitur Nehemias: Tobias, Judith, Eſther, Job, Pſalterium Davidicum centum quinquaginta Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel: Duodecim Prophetæ minores, id eſt, Oſea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: Duo Machabæorum, primus, & ſecundus. Teſtamenti novi: Quatuor Evangelia, ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem: Actus Apoſtolorum a Luca Evangeliſta conſcripti: Quatuordecim Epiſtolæ Pauli Apoſtoli: ad Romanos: duæ ad Corinthios, ad Gala-

Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri Apostoli duæ: Joannis Apostoli tres: Jacobi Apostoli una: Judæ Apostoli una: & Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.

A P P R O B A T I O.

Obtemperans speciali mandato Reverendissimi Patris Fr. Gregorii Selleri Magistri Sacri Palatii Apostolici, perlegi Librum in duas partes divisum, & Parisiis apud Dionysium Mariete impressum, inscriptumque Biblia Sacra Vulgatæ Editionis Sixti V. & Clementis VIII. Pont. Max. auctoritate recognita, Versiculis distincta, una cum selectis Annotationibus, ex optimis quibusque Interpretibus excerptis, Prolegomenis, novis Tabulis Chronologicis, Historicis, & Geographicis illustrata; indiceque Epistolarum, & Evangeliorum aucta: Auctore J. B. du Hamel Presbytero, & Exprofessore Regio. In quo quidem Volumine pervolvendo nihil offendi, quod Catholicæ Fidei Dogmatibus, sive Christianæ disciplinæ regulis adversetur. Textum quippe Sacræ Scripturæ, quod attinet, inveni adamussim respondentem aliis approbatis impressionibus sacrorum Bibliorum Vulgatæ Editionis. In Prolegomenis vero Sacræ Scripturæ, seu Biblicis institutionibus magna cum laude, & summa Reipublicæ litterariæ utilitate, præfatus Auctor versatus est. In his enim Institutionibus elucubrandis ea selegit, quæ ad Sacrarum Scripturarum intellectum faciliorem viam sternunt, & quantum fieri potest, brevitatem una cum perspicuitate, sanamque doctrinam cum sacra eruditione conjunxit. Annotationes denique, quas in plures Sacræ Scripturæ libros, & ad eorum difficiliora quæque loca enodanda exhibuit; fatetur se ex sacris Ecclesiæ Patribus, & ex nostræ hujus ætatis eximiis Interpretibus collegisse. Sicque has breves, ac selectissimas notas contexuit, ut litteralis potissimum sensus rationem habuerit, nec moralem tamen, aut allegoricum, cum res postulavit penitus omiserit. Quapropter cum hoc Opus, & sacra eruditione refertum, & sana doctrina illustratum repererim, ideo censeo posse iterum Typis tradi, iterumque in lucem emitti; ut ex hoc Opere Christiana Respublica ejus utilitatis accessionem percipiat, quam ex aliis elucubrationibus a celeberrimo, & commendatissimo Auctore exornatis, & editis hucusque percepit, Romæ ex Ædibus S. Silvestri Montis Quirinalis, die 12. Augusti, anni 1725.

D. Cajetanus Maria Merati Cleric. Regularis
Sac. Congregationis Rituum Consultor.

INDEX

INDEX ARGUMENTORUM

Quæ in hisce Prolegomenis continentur.

INSTI-

INSTITUTIONES BIBLICÆ,

SEU

SCRIPTURÆ SACRÆ

PROLEGOMENA.



UOD Institutionum nomine signamus, hoc ipsum ab aliis Introductio ad sacræ Scripturæ intelligentiam, seu Manuductio, seu denique Apparatus solet appellari. Quin & Exercitationes, vel Disquisitiones Biblicæ, a nonnullis inscripta sunt hæc Prolegomena, in quibus viri docti cum nostra, tum superiori ætate, magna cum laude, & summa Reipublicæ Christianæ utilitate versati sunt. Et quidem in senectute mea, vel mihi ipsi, vel aliis fortasse, ac præsertim Clericis, non inutile facturum me existimavi, si ex multis & magnis voluminibus, quæ hac de re in lucem prodiere, ea seligerem, quæ ad Scripturarum intellectum viam sternunt faciliorem, & quantum fieri posset, brevitatem una cum perspicuitate conjungerem. Id quidem efficere volui; utrum perfecerim, aliorum erit judicium.

Quo autem certa ratione ac methodo, id quod mihi propositum fuit argumentum pertractarem, has institutiones quatuor dissertationibus complexus sum. In prima quæ ad Scripturas in seipsis spectatas attinent, exponuntur, illarum in primis authoritas, & integritas.

In secunda & tertia dissertatione de textus Hebraici antiquitate & auctoritate, de versionibus cum Græcis, ac potissimum de LXX. seniorum editione, tum Latinis, ac de Vulgata in primis differitur.

Quæ ad multiplicem Scripturarum sensum, & varias exponendi rationes spectant, quarta dissertatio continebit. Hæc meo quidem judicio erit utilitatis præcipuæ, licet forte minus jucunda videatur. Hæc utique sic tractare conabimur, ut vanas concertationes, & quæstiones inutiles, omnino fugiamus.



DISSERTATIO PRIMA.

De Scriptura secundum se spectata.

DUO nobis in hac dissertatione præstanda sunt, primo Scripturæ divinæ auctoritas est asserenda, atque ab infidelium calumniis vindicanda; tum qui sint libri canonici, definiendum.

CAPUT PRIMUM.

Scripturæ divinitas contra incredulos asseritur.

I. ANte omnia, Scripturarum divina auctoritas adversus impiorum calumnias est adstruenda, easque ad nos usque incorruptas pervenisse demonstrandum. De utroque dicam breviter: ut enim pluribus opus minime sit, id veterum & recentiorum variæ elucubrationes fecerunt, in quibus hoc argumentum contra infideles & impios tractatum est uberrime.

II. Scripturæ sacræ duæ sunt partes, vetus & novum Testamentum: illud veteris fœderis, quod Deus cum Hebræis olim pepigerat, & eorum omnium quæ illis acciderunt ante Messiæ adventum, historiam, uti & Prophetias, quæ Christi adventum prænuntiabant, simul & ea quæ ad morum informationem sunt necessaria, complectitur. Novum Testamentum ab Incarnatione Christi initium ducit, idque quatuor Evangeliis, Actis Apostolorum, & eorum scriptis continetur. De veteris Testamenti Scripturis nunc potissimum agimus; de novo fœdere, idoneo loco dicturi. Vox Testamenti hoc in loco non voluntatem eorum qui vita functi sunt, sed pactum viventium significat, ut docet Hieronymus scribens in cap. 2. Malachiæ: est quippe voluntatis divinæ testimonium instrumento publico declaratum; Græce διαθήκη, dicitur: idque solemnem divinæ voluntatis testificationem, fœdus cum hominibus sancitum, leges & promissa Dei complectitur.

III. Hoc itaque primum nobis est demonstrandum, Scripturas veteris Testamenti vere sacras esse, ac divinitus inspiratas; idque ex eo maxime, quod omnes in se habeant veræ & divinæ revelationis characteres. Hi sunt prima veræ religionis fundamenta, ut unius Dei existentia, illius providentia, animarum immortalitas, libertas arbitrii, & alia hujus generis, quæ morum doctrinam sanam & incorruptam ad naturæ leges nobis congenitas exactam spectant. Miracula coram innumerabili hominum multitudine facta, quæ nulla cavillatione eludi possunt: cum Moses populum ipsum tot prodigiorum testem appellet; ut nihil dicam de iis, quæ a Josue & Prophetis patrata sunt. Illo-

Illorum quibus revelationes factæ sunt, sanctimonia, vitæ integritas, morum candor, a quibus fraudis, aut doli, cupiditatis, aut inanis gloriæ omnis abest suspicio: in iis contra insunt dotes omnes ad faciendam fidem idoneæ. De quibus singillatim dicemus, cum per singulos veteris Testamenti libros ibimus, eosque genuinos esse, & Deum habere auctorem ostendemus: hæc enim summatim attingimus, ne eadem sæpius & cum tædio repetere cogamur.

IV. Scripturæ Sacræ sunt velut epistolæ quædam missæ a Deo per manus Prophetarum & Apostolorum, quæ suum auctorem manifeste produnt. Atque eo fere sensu Scriptura divina dicitur, quo litteræ regiæ haberi solent; seu Regis manu scriptæ sint, seu ab eo dictatæ, aut saltem ab eo approbatæ, & sigillo regio munitæ: sic divinæ illæ litteræ, ut pulcre Aug. Conc. 2. in Ps. 90. *De illa civitate unde peregrinamur, ad nos usque venerunt*. Sigillo divino sunt consignatæ, innumeris nempe miraculis, & futurorum prædictione. Hinc idem S. Doctor, Lib. 12. de Civ. Dei: *Scriptura fides mirabilem auctoritatem non immerito habet in orbe terrarum, atque in omnibus gentibus quas sibi esse credituras, inter cetera qua dixit, vera divinitate prædixit*. Fidem ipsæ sibi conciliant rerum majestate; stylus est omnino Deo dignus; simplex est, doctorum & indoctorum captui accommodatus; fucum omnem fugiunt; malum omne vitant; quæ bona sunt, præcipiunt; ac demum mirabilis est in tanta varietate, ac rerum altitudine, tot Scriptorum consensio. Scripturæ Apostolicæ Prophetias confirmant, & vicissim: utrasque Deus multiplici ratione ut suas agnovit, miraculis & eventis illustribus confirmavit.

V. Quis enim non miretur orbem terrarum ignorantia & superstitionis caligine involutum, cum in uno terræ angulo, eoque obscuro, populus extet aliis omnibus invisus, qui unum Deum pie colit, ac de illo sublimia prorsus sapit, & ab omni errore pura; qui veræ virtutis ideam animis informatam habet; cuncta bona Deo refert accepta: ejus legi sese submittit, eum ducem sequitur? Unde hanc Dei cognitionem hauserunt Israelitæ, quave ratione per tot ætates eam conservarunt; adeo ut vicinæ nationes, & principes quibus identidem paruere, non potuerint unius & veri Dei cultum delere penitus ex eorum animis? An non hæc magno sunt argumento, divinam illam quam quærimus revelationem huic uni populo creditam fuisse? Unde hi libri divinitatem quamdam spirant: non hominum libidines fovent, non eorum ambitioni & superbiæ, non vanæ curiositati serviunt; sed potius voluptates omnes illicitas, superbiam, cupiditates eliminant. De Deo semper, ut par est, loquuntur, ejus gloriam quærunt ubique; æquabilem & puram ab omni dolo vitæ rationem ubique commendant, pietatem, justitiam, modestiam, & alias virtutes; amabilis ubique simplicitas viget, non affectata, aut exquisita, aut calida loquendi ratio in certo verborum delectu, aut in apta eorum collocatione posita. Scriptores qui diversis adeo temporibus hos libros ediderunt, eodem spiritu afflati, eodem pene stylo, eoque simplici, non fucato, magna cum auctoritate ad pietatem & virtutem adhortantur, a vitiis deterrent; non timide & quasi fluctuantes, sed constantes, & fidei suæ securi loquuntur, ut S. Spiritus organa & ministri. Ista quidem & alia quamplurima Scripturarum divinitatem sic evincunt, ut humanam simul & divinam, ac persuadendis infidelibus idoneam vim habeant.

VI. His rationibus usi sunt veteres Ecclesiastici scriptores, & probarunt Scripturas fidem sibi ipsis adstruere, & libros Prophetarum divinitus esse inspiratos: cum plurima in Scripturis extent prophetica testimonia, quæ aliunde quam a Deo ipso prodire non potuerunt, quæque eventus ipsi confirmarunt. Interim illud admonere satis fuerit, Judæos a quibus illos libros accepimus, quique tot retro sæculis eorum fidei custodes extiterunt, Christiani nominis esse inimicos; quorum denique id maxime intererat Prophetarum libros, quibus adeo premuntur, penitus obducere, eos tamen libros ut genuinos agnoscere, toto orbe circumferre, & religiose venerari.

CAPUT II.

Quod Scriptura ad nos usque pervenerit incorrupta.

I. CUM increduli negare non possint in sacris Litteris divinæ revelationis notas omnes & characteres elucere, eo se recipiunt, ut dicant longa temporum serie corruptas illas fuisse, & fœdatas; Pentateuchum, & libros Prophetarum nominibus insignitos, eos non esse, qui a Mose, aut Prophetis scripti fuerunt, quique in captivitate Babylonica una cum templo & urbe sunt incendio consumpti: sed eos ab Esdra non restitutos modo, ut vulgo creditur, & in certum digestos ordinem, verum etiam ab eodem compositos esse in eam formam, quæ nunc extat: atque adeo Esdram eorum esse auctorem, non Mosem, non Josuam, aut Davidem, aut Prophetas. Addunt illud quoque, Josiæ temporibus nulla extitisse legis Mosaicæ exemplaria præter unum in templo repertum ab Helcia Pontifice, quod publice lectum fuit, & forte ab eodem sacerdote confictum.

II. Quærunt illud etiam, qui fieri possit, ut hi libri per tot ætates integri & incorrupti perstiterint, præsertim postquam lingua Hebraica in usu esse desiit, non apud vulgum modo, sed etiam apud eruditos? Quædam, inquiunt, quasi

quasi laciniæ & fragmenta Scripturarum remanserunt: sed integras non esse Scripturas, ex styli diversitate, ex multis repetitionibus, ex narrationibus loco suo emotis & transpositis facile conjicitur. Accedunt parentheses plurimæ, quæ sensum ipsum obscurant, hyperbata, & alia hujus generis plurima, quæ a diversis scriptoribus addita, aut inserta textum ipsum primigenium infecerunt.

III. Hæc sunt præcipua adversariorum tela, quibus Scripturis sacris auctoritatem divinam detrahere moliuntur. Sed ea toties a viris doctis & piis sunt retusa, ut minus operæ in eis refellendis ponendum sit. Primum enim quod longa temporum serie corrumpi Scripturas necessarium putant, providentiæ divinæ magnam faciunt injuriam, quasi ei curæ non fuerit revelationem tueri hominum saluti necessariam, in qua religionis summa consistit. Non id timemus, ne divina benignitas constituto naturæ ordini desit; nec subinde veremur, ne sacri codices quibus Dei cultus & morum informatio continentur, perniciosis fœdentur erroribus, aut eos corrumpi divina sapientia siverit, sicque per eos ipsos qui veritatem nos docuerunt, decipi nos patiatur: nec magis licet novis de ejus bonitate ac sapientia, quam de ejus veritate dubitare. An codices sacri in perniciosos errores nos inducunt, quos Deus veritatem & vitæ viam docere voluerat? Non enim hoc loco agimus de levioribus mendis & minutiis, quæ nec fidem, nec mores lædunt. Continuata miraculorum serie opus esset, ut leviusculi errores ex Scriptorum incuria, aut e variis lectionibus, aut aliis de caussis orti omnino vitarentur. Quamobrem si parentheses, si annotationes e margine in textum commearunt; si ordo temporum identidem perturbatus videatur, seu anticipatione, seu recapitulatione sacri auctores utantur; si ejusdem facti narratio sit interdum repetita, hæc nihil de integritate ac puritate sacrorum codicum detrahunt.

IV. Quamquam & rationes harum mutationum, si mutationes dicendæ sint, non desunt. Nam quæ magnum afferunt ad salutem momentum, altius mentibus infigi debent, ne eorum veritati vis inferatur, neve homines inscitiam suam obtendant. Unde & repetitione persæpe opus est. Parentheses, hyperbata, res ipsæ aut voces transpositæ, quæque a politiori litteratura videntur aliena, inaffectatum dicendi genus omnium mentibus accommodatum, & simplicitatem quæ veritati amica est, maxime ostendunt. Si quæ sit, aut potius si quæ videatur esse in temporum serie, aut in locis designandis varietas, id ipsum probat auctores sacros, quæ scriptis tradiderunt, ab aliis non esse mutuatos; istorum autem varietatem interpretes non ægre conciliant.

V. Frustra igitur & molestius quærunt, qua ratione potuerint hi libri integri & incorrupti ad nos usque pervenire, cum Deo constet sua ratio suum opus tuendi, eaque multiplex esse potest. Primum enim codices sinceri in templo sunt depositi, & diligenter asservati. Levitis id muneris incumbebat, ut populum legem edocerent, eamque conservarent; summa cura & fide sunt exscripti; nefas erat, & a lege ipsa vetitum quidquam ipsis addere, aut detrahere, nisi forte explicationis gratia ab auctoribus Hagiographis interdum id factum fuerit Deo ipso auctore. Si quis de industria eos libros adulterare ausus esset, statim omnes in hunc impetum fecissent, eumque ut impostorem & falsarium habuissent. Cum post regnum Salomonis Israelitæ in duas partes essent divisi, si quid ab una parte tentatum fuisset, ab aliis statim esset reclamatum. Majori studio & veneratione erga sacros codices affecti erant Judæi, quam ut eos contra Dei præceptum depravare auderent; tot volumina ubique sparsa, omnium oculis exposita, & manibus trita, ne vix quidem depravari potuissent nemine reclamante.

VI. Quod autem afferunt de Esdra, & fingunt codices omnes in templi & urbis excidio consumptos igne fuisse, omnino futile est, nullo fundamento, nulla ratione subnixum, An Jeremias, Ezechiel, Daniel, tres pueri codices sacros non legebant? An Zorobabel qui captivos reduxit, & altare juxta legem Mosis erexit, legis ipsius codice caruit? Quid, cum Esdras librum Deuteronomii coram populo legit, an tunc temporis hunc ipse composuit? Unde ergo stylus tam varius in Scripturis, si unus & idem librorum omnium auctor existit? Est igitur ridicula, & stuporis plena cavillatio, Esdram omnium librorum, qui veteri Testamento continentur, aut Helciam Pontificem, aut quemvis alium auctorem comminisci. Quod etiam si iis daretur, quid tandem ii promoverent? Cum characteres divinæ revelationis in iis eluceant, quemcumque habeant auctorem. Sed Mosem esse Pentateuchi auctorem, Davidem Psalmorum, saltem eorum qui ejus nomine inscribuntur; Prophetas quoque librorum, qui eorum nomina præferunt, res est & Synagogæ & Ecclesiæ consensu ac traditione testata & consignata; idque fusius postea a nobis probabitur, cum libros sacros singillatim expendemus.

VII. Et certe non aliunde profanos quosque libros esse genuinos, & eos habere auctores, quorum nominibus inscribuntur, nobis persuasum est, quam ex consensu hominum, qui iis temporibus, aut proxime subsequentibus vixerunt. Sic libros Aristotelis & Platonis esse constat, quod proxime consequentes ætates eos genuinos agnoverint, ut docet Aug. Lib. 31. contra Faustum, cap. 4. *Non aliunde nos auctores in libris etiam ethnicis habemus exploratos, quam in communi consensu & testimonio eorum qui fuerunt ante nos. Unde noverunt homines libros esse Platonis, Aristotelis, Ciceronis,*

nisi ex eadem temporum sibimet succedentium contestatione perpetua?

VIII. Verum hoc loco cum Novatoribus nobis est permagna contentio. Hi quippe ad intrinsecum Spiritus Sancti testimonium, & ad Scripturas ipsas provocant, ut nobis constet librum esse revera sacrum. Sed numquam divinitatem Scripturarum iis persuadebunt, qui de illa dubitant, quandiu ad traditionem ipsam, & Ecclesiæ auctoritatem non se recipiunt. Nemo enim ex Scriptura sola, postquam invocavit Spiritum Sanctum, quinam essent libri Canonici umquam judicavit. Fatemur utrumque testimonium, internum videlicet a Spiritu Sancto profectum, & externum, Ecclesiæ nempe consensum & traditionem una jungi oportere; necessarium esse Sancti Spiritus afflatum, sed de illo nobis non constat, nisi cum externo Ecclesiæ testimonio consentiat. Unum non destruit alterum, sed confirmat; ut lumen naturale, quo verum a falso secernimus, exteriorem instructionem & disciplinam non respuit, sed exigit potius.

IX. Ergo, inquiunt, inferior de superiore judicat, ac fides nostra de libris Canonicis in Ecclesiæ testimonium tandem resolvitur, atque adeo fides nostra de Scripturis humana erit, non divina.

Id vero negamus, & temere concluditur: nam uni veritati divinæ, ut ab Ecclesia propositæ credimus: atque eamdem habemus credendi regulam, quam Prophetæ & Apostoli, qui fidem suam in veritatem divinam sibi revelatam resolvebant. Cum de libro aliquo, an sit canonicus, necne, movetur controversia, certum de illo argumentum ex Ecclesiæ consensu & auctoritate desumitur. Hæc fidelis est custos utriusque Testamenti, aut divini fœderis, quod illi instar depositi traditum est. Hinc præclare Aug. Lib. 18. de Civitate, cap. 4. *Auctores nostri, in quibus sacrarum litterarum finitur & terminatur canon, cum illa scriberent, eis Deum, vel per eos locutum, non pauci in scholis atque in gymnasiis, litigiosis disputationibus garruli, sed in agris & in urbibus cum doctis atque indoctis tot tantique populi crediderunt.*

X. Verum id rursus quærunt, qua ratione hoc ipsum Ecclesiæ potuit innotescere, librum aliquem sacrum esse, & canonicum? Nam quæ in veteri Testamento continentur, tam remota sunt a nostris temporibus, ut liquere non possit, an illa per tot ætates integra & sincera ad nos usque manaverint.

R. Per doctores & Pastores quibus fidelium instructio credita est, hoc ipsum innotuisse. Etsi Ecclesiæ non fiunt novæ revelationes, de libri tamen auctoritate, & ut ita loquar, genuinitate, temporum lapsu certior esse potest, quam antea fuerit, postquam res ab ea diligenter fuit examinata; atque ex continuata traditione potuit judicare libros Deutero-canonicos esse authenticos. Tametsi enim hi libri jam a primis Ecclesiæ temporibus inter canonicos non fuerint ubique adscripti, hi tamen a Judæis ad nos usque pervenerunt, iique a Christianis ut ab omni hæresi & errore immunes sunt recepti, & utiles judicati qui ad fidelium instructionem & ædificationem publice legerentur in Ecclesiis quamplurimis. Deinde jam a primis Ecclesiæ sæculis ut sacri a plerisque SS. Patribus citati sunt, ut liquet ex variis S. Cypriani & aliorum testimoniis: unde Ecclesia Africana hos libros habuit canonicos exeunte quarto sæculo, ea cautione adhibita, ut Ecclesiæ trasmarinæ ea de re consulerentur, cum Africana etiam Romana sensit Ecclesia: hanc Latinæ omnes secutæ sunt, licet de quibusdam libris pauci dubitaverint. Sed Concilium Tridentinum sectione v. idoneis subnixum fundamentis nullum dubitationi reliquit locum.

Libri veteris Testamenti vel ab iis scripti sunt, qui testes fuerunt eorum quæ referuntur, ut libri Mosis, Josue, Esdræ; aut proximi fuerunt iis temporibus, quibus res ipsæ quæ narrantur, gestæ sunt, ut alii omnes historici libri. Nec aliud potuit illustrius extare divinæ revelationis testimonium, quam tot stupenda miracula in conspectu populi Hebraici a Mose, Josue, Samuele, & Prophetis perpetrata. Libri quidem veteris Testamenti variis sunt scripti temporibus, ut longa temporum serie populi pervicacis, & in res sensibiles omnino demersi, domaretur incredulitas per crebra miracula, & Prophetias, quibus veritates revelatas, & eas maxime quæ de Messiæ adventu erant, munitas oportuit. Sed illud semper cavit Deus, ut res iis ipsis temporibus scriberentur, quibus gestæ fuerant, aut certe cum recens erat earum memoria. Quamobrem ab iis scriptæ sunt, & receptæ, qui eas probe noverant, iique ad posteros velut pretiosam transmiserunt hæreditatem. Vetus Testamentum populi Judaici, ut novum populi Christiani continuata traditione fuit conservatum. Nam ut præclare advertit Illustrif. Episcopus Meldensis in dissertatione sua de Historia universali, rerum tam insignium memoria non potuit alia ratione magis idonea conservari, & ad posteros transmitti, quam acta ipsa suis temporibus consignando. Libri sunt omnium quotquot extant vetustissimi; ii soli sunt ex omni antiquitate, in quibus veri Dei cognitionem, & verum ejus cultum discimus. Hos libros populus integer magna semper cum veneratione coluit, quod in iis suæ gentis gloriam & felicitatem esse positam persuasum habuerit. Is populus unus fuit, qui a prima sui origine Deum cœli & terræ conditorem agnovit. Qui ab Ægyptiis, Chaldæis, Græcis, Gallis divini habebantur libri, temporum lapsu perie-

tierunt: soli Judæi primæva suæ religionis fundamenta, vel usu ipso, immo & status sui regimine conservarunt: nunc etiam in omnes pene orbis partes dispersi hos libros, & Prophetarum vaticinia circumferunt, tametsi Christianis apertissime favent. Sed de Scripturæ divinitate hactenus: nunc qui sint libri canonici videamus.

CAPUT III.

Qui sint libri canonici veteris Testamenti, & de eorum auctoribus.

I. QUi sint libri canonici post Concilii Tridentini definitionem, Catholicis omnibus notius est, quam ut ulla disquisitione indigeat. Id unum meminisse oportet, Ecclesiam suum habere canonem, & quosdam libros auctoritate sua muniisse, quos Judæi in canonem suum non admiserant. Hoc quippe ad unam pertinet Ecclesiam, verum & nativum Dei verbum a spurio & falso internoscere, ejusque divinitatem declarare. Cum enim id in contentionem venit, utrum liber aliquis sit divino afflatu conscriptus, an is sit canonicus, ut liber Job, aut quivis alius, hoc non potest ex solis Scripturis dijudicari, nedum ex privati alicujus auctoritate. Quot enim primis Ecclesiæ sæculis Evangelia prodierunt, Bartholomæi, Nicodemi, & aliorum? Quibus illa Scripturis refelli potuere? Ecclesiæ unius auctoritas & consensus spuria a genuinis discrevit.

Quod si in Ecclesia nulli essent Judices vivi a Deo constituti, qui de libris canonicis, ac de iis omnibus quæ ad fidem spectant, judicarent, nullus esset litigandi finis, neque Ecclesiæ fidei & perpetuitati satis esset consultum. Nulla est Respublica tam male constituta, in qua hæc judicandi forma ex solis Scripturis servetur: Scriptura enim judex est mortuus, nec litigantes audit, nec controversias sola dirimit.

At, inquies, Scripturæ ipsæ divinitatis characteres omnes præ se ferunt, ut superiori capite ostensum est: ergo ex iis solis, quæ sint canonicæ, quæ secus, facile decernimus.

Contra, ubi inter Christianos res agitur, atque utrum liber aliquis inter canonicos sit habendus sane controvertitur, tum ad traditionem & Ecclesiæ auctoritatem omnino est confugiendum.

Adde illud quoque ab Illustr. Huetio observatum, ubi nobis res est cum infidelibus, atque ex libris Propheticis veritas Christianæ Religionis, & divinitas Scripturarum demonstratur, quod eventus ipse vaticinia confirmarit, ante omnia probari oportere libros sacros & Propheticos maxime iis temporibus scriptos esse, quibus feruntur esse scripti. Nam si quis infidelis eos scriptos esse contenderit post rerum prædictarum eventum, quod de libro Danielis ausus est temere pronuntiare Porphyrius, ipsa Prophetiarum evidentia coactus, idem negabit veras esse Prophetias. Quare ex ipsa traditione & sequentis ævi testificatione hoc ipsum probandum est. Unde ut optime concludit, singularis illa laus est Scripturæ sacræ, quod divinitas ejus & dignitas cognoscitur per fidem, etiam sine Scriptura, & per rationem ex ipsa Scriptura, ac consentiente omnium ætatum testimonio: per rationem enim aspirante Dei gratia intelligimus divinum illud esse opus. Accedit admirabilis tot Scripturarum consensio, immensa doctrinæ ubertas. Quæ quidem omnia si minus separata, certe in unum conjuncta, revincendis infidelibus sunt aptissima, eosque præparant & disponunt gratia divina comitante, ut ad fidem amplectendam sint dociliores. Verum de Scripturarum divinitate, de traditionis universæ & Ecclesiæ auctoritate in definiendis libris canonicis superius egimus: nunc qui sint libri canonici veteris Testamenti, breviter strictimque dicendum, de libris novi Testamenti idoneo loco agemus.

Sixti Senensis Lib. I. Bibliothecæ sacræ partitio librorum in duas classes, eruditorum omnium judicio probata est. In priori classe eos reponit, quos proto-canonicos, seu primi ordinis appellat, quique ex consensu Judæorum & Christianorum in Canonem recepti sunt; in classe altera deutero-canonicos, aut secundi ordinis libros collocat, qui, ut loquitur Tertull. Lib. de habitu virginum, *in armarium Judæorum non admittuntur*. Sed ab Ecclesia tamen ut canonici & sacri recepti sunt: non quod ea divinos efficiat libros, sed eos esse ejusmodi declarat.

II. De canonicis prioris generis nulla fuit umquam dubitatio, sed statim ab initio nascentis Ecclesiæ recepti sunt: posterioris ordinis canonici ita vocitantur, quod posteriores sint cognitione & tempore, non dignitate, aut veritate. Neque enim Apostolorum temporibus ubique habiti sunt canonici, sed postea ad notitiam totius Ecclesiæ venerunt, ut libri Tobiæ, Judith, Machabæorum. Unde & Ecclesiastici olim dicebantur, quod publice in Ecclesia legerentur ad populorum instructionem & ædificationem.

III. Veteris Testamenti libros 22. quot sunt litteræ Hebraicæ, Judæi recensent, eosque in tres classes tribuunt. In prima Pentateuchum, seu Legis libros, in secundo Prophetarum libros octo reponunt. Hoc quidem nomine Historicos & Prophetas proprie dictos designant. Primus ex iis est liber Josue, secundus Lib. Judicum cum Lib. Ruth conjunctus: nam hæc historia Judicum temporibus contigit; tertius Samuel inscribitur, qui duos Regum primos conti-

net libros, ut quartus duos postremos; quintus, sextus, septimus, Isaiam, Jeremiam, & Ezechielem, ut octavus duodecim minores Prophetas complectitur. Hos omnes libros a Prophetis scriptos esse existimant, ac propterea eos Prophetarum libros appellant. In tertio ordine sunt Hagiographi, ut Lib. Job, 2. liber Psalmorum, 3. Salomonis proverbia, 4. Ecclesiastes, 5. Canticum canticorum, 6. Danielis liber, quem inter Prophetas non referunt, sed inter Hagiographos, quod in aula regum vixerit, non ut alii Prophetæ vitam privatam & duram egerit; ejus tamen Prophetias agnoscunt: septimus est Paralipomenon, octavus Esdræ, nonus est liber qui Esther inscribitur.

His libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Prophetiam Baruch, duos Machabæorum libros adjecit Ecclesia, quos quidem, ut verisimillimum est, a Judæis Hellenistis ex certa & indubitata traditione accepit ut Spiritu sancto aspirante conscriptos. Judæi quidem Palæstinæ libros tantummodo Hebraice scriptos agnoscebant ut canonicos, quod Scripturam ea lingua exaratam in Synagogis legerunt: sed Hellenistæ ubique diffusi eadem Scriptura a septuaginta senioribus translata utebantur, neque auctores sacros post Esdræ tempora omnino desiisse existimabant.

IV. Quandiu stetit Judæorum Respublica, Deum ut summum ejus principem & caput agnoverunt, ac regimen eorum fuit Theocraticum; nec forte Prophetæ licet multo rariores iis defuerunt. Apostoli autem & viri Apostolici hanc veteris Testamenti collectionem Græcam Ecclesiis tradidere.

Jam utique a primis sæculis vetustissimæ & principes occidentis Ecclesiæ eum Scripturarum Canonem amplexæ sunt, uti ex Cypriano, Innocentio Primo, ex Concilio Carthaginensi tertio sub finem quarti sæculi coacto, ex Augustino, & ex aliis antiquis scriptoribus discimus. Inter eos Augustinus Lib. 2. de doctrina Christiana, c. 7. hanc proponit regulam, quæ in Decr. dist. 19. habetur: *In canonicis autem Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem sequatur: inter quas sane illæ sunt, quæ apostolicas sedes habere, & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis quas quædam non recipiunt. In eis vero quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent.* Tunc Scripturarum Canonem nostro omni ex parte consimilem proponit. Primum recenset historicos sacros, de quibus sic ait: *Hæc est historia quæ sibimet annexa tempora continet, atque ordinem rerum: sunt aliæ tamquam ex diverso ordine, quæ neque huic ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Job, & Tobias, & Esther, & Judith, & Machabæorum libri duo, & Esdræ duo qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam usque ad Regum, vel Paralipomenon terminatam.* Deinde Prophetas recenset, inter quos Davidem & Salomonem numerat, cujus tres libros recenset, Proverbiorum, Cantica canticorum, & Ecclesiastes: *Nam illi duo libri, unus qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur. Nam Jesus filius Sirach scripsisse constantissime perhibetur; qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt.* Postremo libros qui proprie prophetici appellantur, enumerat. Tum veteris Testamenti Canonem his verbis concludit. *His quadraginta quatuor libris veteris Testamenti terminatur auctoritas.*

V. Hieronymus visus est Judæorum tantummodo probare Canonem: sed is non tam quid ipse sentiret, quam quid Judæis videretur, plerumque exponit. Unde in præfatione in librum Tobiæ eum inter Hagiographos reponit. *Librum*, inquit, *Tobiæ, quem Judæi e catalogo divinarum Scripturarum secantes, his quæ Hagiographa memorant, manciparunt.* Existimat tamen vir doctissimus R. Simonius in opusculis Criticis adversus Vossium, legendum esse *inter apocrypha*: non enim Judæi Hagiographa de albo Scripturarum expunxerunt unquam. Sic in præfatione in L. Judith: *Apud Judæos liber Judith inter Hagiographa legitur, cujus auctoritas ad roboranda illa, quæ in contentionem veniunt, minus idonea.* Si idonea non est: Ergo hic liber non erit Hagiographus apud Judæos: unde legendum videtur *inter apocrypha*. Id vero planum est, Hieronymum nihil de horum librorum auctoritate detrahere; sed id unum admonere, hos libros contra Judæos minus habere auctoritatis.

VI. Jam qui sint auctores librorum, qui Canonici appellantur, major est difficultas: quamquam de his universim id licet nobis usurpare, quod Gregorius de libro Jobi in præfatione scripsit: *Quis hæc scripserit, valde supervacaneum quæritur: cum tamen auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur.*

VII. Libri sacri a senatu Judæorum & a Prophetis recogniti auctoritate idonea muniti erant. Supremus ille Judæorum senatus Num. 11. fuit a Deo institutus: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel.* Eumdem ii Spiritum acceperunt, qui Mosen afflabat: *Cumque requievisset in eis Spiritus, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt.* Eos Josue convocavit cap. 24. Josephus Lib. 5. cap. 1. ait Josuam una cum Eleazaro pontifice, senatu, & tribuum principibus regionem divisisse. Ezechiel

chiel hujus senatus mentionem facit cap. 8. *Et septuaginta viri de senioribus &c.* Grotius in hæc verba: id est, illi LXX. qui inter judices omnes eminebant summa cum potestate. Atque hunc regiminis formam datam esse Moysi, ut esset stabilis, vix negari potest.

Neque enim dubium est, quin apud Judæos publica essent rerum gestarum monimenta. Sic Exodi 17. jubet Deus, ut Moses victoriam de Amalecitis reportatam in perpetuam rei memoriam litteris consignet: *Scribe ob monimentum in libro*. Et cap. 31. Deuteron. *Nunc itaque scribite vobis canticum istud, & docete filios Israel, ut memoriter teneant*. Hæc igitur in acta publica redigi jubet Deus.

VIII. Publicos Annalium scriptores agnoscunt illustres Scripturarum interpretes, Masius, Pererius, Sanctius, qui Prolegom. 4. in Paralipomena hæc habet: *Sentio fuisse in superioribus sæculis verba dierum, commentarios, ephemerides, & curam diligentem & sedulam, ne obscuraretur temporum oblivione, quos quisque natales, & posteros haberet: quod a tempore Moysis mihi videtur certum. Communis quoque est eruditorum sententia, libros sacros ab Esdra fuisse recensitos & recognitos*.

Non negaverim quædam addita fuisse ab iis, qui divino Spiritu inspirati eos libros recensuerunt, & in ordinem, qualis nunc extat, digesserunt. Sed nihil propterea de eorum auctoritate, aut temporum, quæ apposita sunt, vetustate decedit. Sic Ezechiæ temporibus quædam Salomonis sententiæ sunt collectæ, quæ ad Salomonem ipsum pertinent, & antiquitatem suam servant integram. Neque id mihi est verosimile quidquam ab Esdra libris Prophetarum additum fuisse: nisi forte quædam exscriptorum diligentiam effugerint. Nam maxime intererat dies iis appositos & tempora conservare.

At de libris canonicis, & sacris scriptoribus generatim diximus; hoc argumentum sæpius revolvemus, cum singulos libros decurremus.

IX. Nec necesse est diutius in ea divisione Scripturarum, quam Sixtus Senensis in præfatione libri secundi proponit, immorari. Scripturas omnes dividit in transcriptas, & abbreviatas, & allegatas. Transcriptæ sunt, quæ ex aliis vetustioribus sunt descriptæ, & e sacris litteris de verbo ad verbum insertæ. Cujus generis sunt Epistolæ Regum, aut Principum Assyriorum, Persarum, Ægyptiorum, Græcorum, & Romanorum, quæ ad complementum sacræ historiæ divinis voluminibus sunt permistæ.

Abbreviatæ dicuntur, quæ cum prius essent ab auctoribus suis profusa orationis copia conscriptæ, a divinis postea scriptoribus in compendium sunt contractæ, & inter sanctos libros cooptatæ. In hunc sensum refert Psalmos, Canticum Salomonis & Parabolas, historiarum volumina a Samuele, Nathan & Gad conscripta, libros dierum Juda & Israel, descriptiones Jeremiæ, & alia complura volumina, ex quorum, inquit, fontibus maxima pars eorum, quæ nunc sacris litteris habentur, hausta creditur.

DISSERTATIO SECUNDA.

De textus Hebraici & versionum auctoritate.

POstquam de Scriptura sacra in se spectata, ac potissimum de Veteris Testamenti libris diximus, ordo ipse postulat, ut de textus originalis auctoritate, & variis ejus versionibus disseramus.

CAPUT PRIMUM.

De textus Hebraici antiquitate.

I. CUM Vetus Testamentum, quale est in Judæorum Canone, pene totum Hebraice scriptum fuerit, de hujus linguæ origine, ac textus primigenii auctoritate, pauca nobis dicenda sunt. Ac primum quidem quod viri docti tradiderunt de illius linguæ origine, admodum probabile videtur, eam sic dictam esse non ab Heber Semi pronepote, sed quod esset Hebræis usitata, & vernacula: qui ita sunt appellati a Chananæis, quod e Chaldæa profecti Euphraten transiissent. Quo quidem modo Ultramontanos appellamus, qui ultra Alpes positi sunt. Nam Abraham sextus ab Hebero fuit, ac nullus ex iis, qui ante Abrahamum e stirpe Heberi sunt prognati, eo donatur nomine. Nec ipse quidem Abraham Hebræus vocatus est, priusquam e Chaldæa in Chananæam pervenisset, ac fœdus cum hujus regionis incolis pepigisset: vox autem, *Heber*, trans, seu ultra significat. Hanc vero linguam in Chananæa fuisse usurpatam, omnes fere consentiunt. Unde Isaiæ 49. 18. lingua Hebraica eadem Chananæa appellatur, quæ Phœnicum, seu Philisthinorum lingua fuit.

II. Utrum vero Chaldaica fuerit lingua illa primigenia ante insanam turris Babelicæ substructionem, an Hebraica, non est cur anxie inquiramus, cum una & eadem pene sit lingua, atque una sit alterius velut quædam dialectus. Sed longe probabilius mihi videtur linguam Hebraicam esse omnium matricem, eamque puram in sacris codicibus esse conservatam. Nam prisca nomina, eaque propria, ut Adam, Heva,

Cain, Seth, Henoch, Noe, Phaleg, Babel, & alia innumera cum personarum tum locorum in Hebraica lingua suas agnoscunt origines, non in Chaldaica, nisi quando ambæ inter se consentiunt. Neque id verisimile videtur quod respondet Grotius, Moysen in sacra historia Chaldaicis Hebraica nomina substituisse. Nam Auctores Græci & Romani ea non usi sunt licentia, ut propria rerum vocabula sic immutarent: sed nomina cuique regioni propria, etiam barbara religiose servarunt, immutata dumtaxat vocum terminatione. Linguæ pene omnes, ne Chaldaica quidem excepta, voces plurimas ab Hebræa mutuatæ sunt, hæc a nulla. Orientales quidem linguæ adeo sunt sibi mutuo affines & cognatæ, ut ex una & eadem matrice prodiisse videantur, quæ alia esse nequit ab Hebraica, cum ea simplicissima sit, & voces magna ex parte sint totidem radices, in quas pleraque vocabula linguarum, & maxime Orientalium, resolvuntur.

III. Et quidem cum lingua Hebraica magna ex parte exciderit, & perpauca ejus vocabula in sacris codicibus supersint, mirum est tot ejus radices non in Chaldaica modo, aut in Syriaca, aut in Ægyptiaca, aut in Arabica, quæ totidem sunt quasi dialecti Hebraicæ; sed etiam in Græca, Latina, immo & in vetere Gallica, seu Celtica, Danica, & in aliis linguis reperiri, ut fuse probat Thomassinus in Præfatione Glossarii; uti & Abbas Pezronius L. de Antiquitate & origine linguæ Celticæ.

Idipsum præter ceteros docuit Augustinus Lib. 16. de Civitat. Dei cap. 12. & sequenti, ubi linguam Hebraicam ante confusionem linguarum, & gentium dispersionem, omnibus communem fuisse, & in familia Heber, Phaleg, & Abrahami integram mansisse tradit; idque hinc probat, quod diversorum populorum nomina, qui suis coloniis orbem terrarum impleverunt, ea ipsa sint, quæ in sacris litteris sunt consignata. *Illarum autem*, inquit, *gentium vocabula partim manserunt, adeo ut etiam hodie appareat, unde sint vocabula derivata, sicut ex Assur Assyrii, ex Heber Hebræi; partim temporis vetustate mutata sunt, ita ut vix homines doctissimi antiquissimas historias perscrutantes, nec omnium, sed aliquarum ex istis origines potuerint reperire.*

Verum Hieronymus concentum linguæ Hebraicæ cum aliis linguis, multis in locis observat, adeo ut ex ea pleræque aliæ prodierint. Scribens in cap. 3. Sophoniæ notat hanc vocem, *nugæ*, esse Hebraicam: *Id quod diximus, nugas, sciamus in Hebræo ipsum Latinum esse sermonem nugæ, & propterea a nobis, ita ut in Hebræo erat, positum; ut scire possimus linguam Hebraicam omnium linguarum esse matricem*. Idem in cap. 7. Isaiæ vocem, *Alma*, *Punice & Hebraice pro virgine usurpari, non ob id solum, quia lingua Punica de Hebræorum fontibus manare dicitur, sed quia omnium pene linguarum verbis utuntur Hebræi*. Atque has linguas habere suæ originis notas subinde admonet.

Theodoretus Q. 60. in Genesim quærit quæ lingua sit antiquissima, ac subinde ita respondet: *Nomina ipsa declarant: Adam enim, & Cain, & Abel, & Noe propria sunt linguæ Syriacæ*, seu Hebraicæ, (utramque enim confundit) cum una sit alterius dialectus, ob eam quæ facta est temporum lapsu mutationem, uti in Gallica, Italica, & Hispanica, quæ Romanæ sunt veluti dialecti quædam, & propagines.

IV. Artes etiam in hominum societate positæ originem suam Hebraicam propriis nominibus referunt: sic Musicæ *Jubal* auctor dicitur Genes. 4. 21. unde *Jubilo*, & *Jubilatio*. Instrumenta quoque musica, ut *Cithara*, *Cistra*, *Sambuca*, eamdem habent originem. Mensuræ, ex Hebr. *Cane*, קנה. calamus, Lat. *Canna*, Gall. *Canne*, ex חבל, *Chebel:* funis, Gall. *Cable*: ex *Pasach*, פסח, transire, Lat. *Passus*, Gall. *Pas*, *passer: Hemina* Græc. & Lat. ex Hebræo *Hin*, הין *Lagena*, ex Hebr. *Log*, לוג. *Beatus*, ex *Beth*, בת. *Cadus*, hydria, aut amphora, ex *Cad*, כד. Mitto siderum & deorum nomina apud Ethnicos, quæ ex Hebræo ducuntur. Sic *Belam*, *Belenus*, *Abellio*, *Belus*, ab Hebr. *Baal*, בעל, ut *Sol*, & ἥλιος, ab *Jahel*, יהל. Luna quæ in Scripturis *Astarte*, vel *Astarot*, ab *Asat*, עשת, candescere. *Mars*, a *Mahars*, מעוץ, Fortis. *Mercurius*, a *Machar*, מכר, *Mercari*.

V. Quin legendi & scribendi artes hinc profectas docent etiam Auctores exteri, qui ab Assyriis aut Phœnicibus has artes deducunt. Nam Phœnicia lingua ipsissima est Hebræa: Assyriaca aut eadem fuit, aut huic affinis maxime. Antiquissimum Sciptorum ex sacris Scripturis habemus Henoch, adeo ut ante diluvium litterarum origo sit repetenda ipso Adamo adhuc superstite. Adamus itaque hujus artis inventor habendus est: atque hanc artem Noemus transmisit ad posteros. Unde & litteras origine Assyrias fuisse, profani etiam auctores tradunt. Hanc utique terræ regionem coluerunt Noemus & ejus posteri.

Plinius Lib. 7. cap. 56. *Litteras*, inquit, *semper arbitror Assyrias fuisse: sed alii apud Ægyptios a Mercurio, ut Gellius, alii apud Syros repertas volunt: utique in Græciam intulisse Cadmum sedecim numero, quibus Trojano bello Palamedem adjecisse, ξ, θ, φ, χ, totidem post eum Simonidem ζ, η, ψ, ω.* Addit: *Quamcumque sibi antiquitatem tribuerint Ægyptii, Epigenem gravem auctorem in primis apud Babylonios septingentis viginti annis observa-*

tiones

tiones siderum coctilibus laterculis inscriptas docere.

Idque facile concedi potest Mercurium Trismegistum litteras Ægyptiis tradidisse, sed eas esse a Babyloniis mutuatum; Syrii vero cum Assyriis sæpe confunduntur, aut certe Syrorum nomine Phœnices comprehenduntur. Qui initio ad mare rubrum ac prope Babylonem siti, ubi litterarum usum didicerant, tum ad mare Mediterraneum easdem una cum coloniis in diversas hujus maris partes contulere. Hinc Q. Curtius Lib. 4. cap. 4. *Si fama licet credere, hæc gens litteras prima aut docuit, aut didicit: Coloniæ certe ejus pene toto orbe diffusæ sunt.* Litteræ vero quæ a Palamede & Simonide Græcis adjectæ sunt, non omnino fuere necessariæ; sunt enim duplices loco simplicium, quæ antea duplicabantur, & vocales longæ brevium loco positæ: sic θ erat TH; ξ erat κσ: ψ, πσ Z, δς at H & ω, duæ vocales longæ loco duplicis ε, & duplicis ο; in scribendo tantum utiles, non in pronuntiando.

VI. Et quidem Græcarum litterarum nomina cum Phœniciis sunt synonyma, Alpha, Betha, Gamma, Deltha, cum Aleph, Beth, Ghimel, Daleth. Unde Phœnices proprias, non Ægyptias litteras Græciam docuerunt. Nam Græci non litteras tantum, sed etiam earum nomina a Phœnicibus acceperunt, quæ in Græco Alphabeto nihil significant, sed in Phœnicio, seu in Hebræo suas habent significationes. Nam *Aleph* bovem, *Beth* domum &c. significant: magno quidem argumento characteres Hebræos, seu Phœnicios esse primævos, atque ex iis Græcos & Latinos prodiisse. Hebræi, Chaldæi, Syri, Arabes, & Orientales pene omnes a dextra in sinistram manum ferentes scribunt; ac Pausanias Lib. 5. usum similem Græcis olim fuisse probat ex quadam inscriptione Olympiaca: *Agamemnonis*, inquit, *statuæ adscriptum est nomen; id autem scriptum est a dextra in lævam.*

VII. Illud autem admodum probabile est quod jam innuimus, linguam Hebraicam non ab Heber nomen suum habuisse, sed ab Abrahamo, qui primus Hebræus vocatus est a Chananæis, quod Euphraten transiisset. Lingua porro Hebraica pura a populo Dei culta est, cum in aliis regionibus, in Chaldæa, Syria, Ægypto, varias subierit mutationes, easque ut fit in aliis linguis sensibiles. In terra Chananæa vix illibata permansit: idque vel ex eo liquet, quod nomina populorum, urbium, montium, fluminum, regionum, quæ reperit Josue, Hebraice tantum aliquid significent. Quin & aliæ urbes & regiones numquam Hebræis subditæ nomina habuerunt Hebraica, *Tsur*, seu *Tyrus*, *Tsido*, *Sido*. Quamdiu Israelitæ fuerunt in Ægypto, arctis finibus circumscripti propriam linguam servarunt; multo id magis in terram Chanaan translati, ubi Ethnicis omnibus erant exosi. Unde Lib. 4. Regum cap. 18. ministri Ezechiæ Regis rogaverunt Rabsacem, ut Syriace loqueretur, non Judaice, quod eam dialectum populus non facile intelligeret: sic Jeremiæ 5. *Ecce ego adducam super vos gentem antiquam, cujus ignorabis linguam.* Hæc erat Chaldaica, parum ab Hebraica discrepans: sed huic assuescere ægre coactus est rudis populus.

VIII. Usque ad captivitatem Babylonicam integra fuit lingua Hebraica, & pura, quæ in solis Scripturis conservata, a sacerdotibus, prophetis & senioribus culta postmodum fuit. In captivitate, non ut in Ægypto olim fuerant in eadem regione collecti, sed dispersi per domos & agros servorum instar: unde linguam sensim, & ipsos characteres exuerunt Chaldaico usi sermone. Ante illam captivitatem Judæi & Samaritani communi Mosis Pentateucho iisdem characteribus exarato utebantur: post reditum Esdras se exulibus attemperavit, & sacros codices litteris Chaldaicis conscripsit, cum Samaritani veteres seu Chananæos aut Phœnicios retinuerint, ut docet Hieronymus in præfatione ad libros Regum. Verum res pene omnis videtur in conjecturis posita, ac fieri subinde potuit, ut lingua primigenia post confusionem Babylonicam pura & separata ab aliis omnibus non permanserit, atque ut Chaldaica, quam Abraham didicerat, varias postea subierit mutationes, adeo ut temporum lapsu hanc linguam Judæi non intellexerint: cum tamen Abrahæ temporibus eadem pene fuerit cum Chananæa, seu Hebraica. Non enim legimus Abrahamum usum esse interprete, cum in Chananæam venit; nec dubium est, quin Chananæa, aut Phœnicia eadem sit cum Hebraica.

CAPUT II.

Idem continuatur argumentum.

I. HOc ipsum probat Thomassinus in tertia suæ præfationis parte, ex variis coloniis, quæ in omnes fere orbis partes ex Oriente, ac potissimum e Chaldæa, tamquam e centro sunt deductæ: adeo ut in remotissimis nationibus expressa illius communis & primævæ linguæ maneant vestigia. Cum in ipso dispersionis initio variæ linguæ essent tantummodo linguæ illius primariæ dialecti, quæ etiam in barbaris linguis, ubi minor facta est temporum lapsu mutatio, cernuntur. Hinc voces Hebraicas, aut iis proximas in lingua Danica, Saxonica, in veteri Gallica, seu Celtica, quæ in Armorica & in regno Galliciæ adhuc viget, plurimas notat in Lexico suo universali. Sæpe id enim evenit, ut linguæ mortuæ in suis dialectis reviviscant, ut lingua Græca in vulgari quæ nunc usurpatur.

II. Quod

II. Quod si, inquit P. Thomassinus, post multas ætates nulla esset amplius memoria Americanas regiones ab Hispanis fuisse occupatas, quæ locis imposuerunt nomina, linguam Hispanicam ibi præfuisse magno essent argumento. Sic pleræque e gentibus ortus sui oblitæ quidem sunt, sed imposita populis & locis nomina earum produnt originem & narrationem Mosis omnino confirmant. Non enim, ut sæpe innuimus, lingua communis penitus extincta est, cum dictum fuit a Deo: *Confundamus linguam eorum, ut non audiat unusquisque linguam proximi sui*. Huic rei sufficiebat ejusdem linguæ variatio, & illa confusio idem effecit, quod ipsa dispersio temporum lapsu effecisset; in varias enim dialectos abiisset lingua primigenia.

Unde linguæ Chaldæorum, Syrorum, Arabum, Chananæorum, Æthiopum facilius discuntur ab iis qui Hebraice sciunt. Quod enim Hieronymus in præfatione ad Danielem conqueritur de Chaldaicæ linguæ difficultate, hoc magis ad pronuntiandi modum, quam ad intellectum ipsius linguæ pertinet. Diutius quidem Hebraica lingua in Chaldæa viguit, quam in aliis regionibus; sed propter amplitudinem imperii & concursum populorum sensim in dialectum abiit.

III. Prædictæ quidem linguæ majorem habent cum Hebraica cognationem; proximum gradum tenuere populi Mediterranei maris accolæ, quo Phœnices ut magni negotiatores appellabant, eoque linguam suam una cum mercibus intulerunt. Quin & colonias in Africam & Græciam deduxerunt. Carthaginenses quidem Tyrios ut fundatores suos coluerunt, ac nulla in Occidente linguæ Hebraicæ vicinior fuit, quam Punica. Jam ipsa Carthago magnam Hispaniæ partem domuit, & linguam Punicam in plerasque ejus Provincias intulit. Coloniæ maritimæ longe facilius trajiciuntur, quam terrestres.

Hoc argumentum vir antiquitatis sacræ & profanæ scientissimus Pezronius in libro nuper edito de Antiquitate nationis & linguæ Celtarum, seu veterum Gallorum, fuse & docte est prosecutus.

IV. Post insanam turris Babylonicæ substructionem, & linguarum confusionem, in varias orbis partes dispersi homines diversas nationes & populos procrearunt. Filii Sem, Elam, Assur, Arphaxad, & Aram insignes, & in Scriptura memoratas gentes, Ælamitas, Assyrios, Chaldæos & Aramæos, seu Syros propagarunt.

Inter filios Japheth, Gomer fuit natu maximus, de quo Josephus Lib. 1. Antiquit. *Gomarus*, inquit, *populos condidit dictos Gomaritas, qui nunc a Græcis Galli, seu Galatæ appellantur*. Unde Veteres Geographi in superiori Asia Comaros, seu Gomaros posuerunt. Hinc Scythæ, Sacæ, Celtæ, & Cymbri, vel Cymmerii per consequentes ætates prodiere, postquam ad Septentrionem Mediæ, Tauri montis situs occuparunt Gomeriani: hi omnes Scythæ dicti sunt.

Hinc Strabo Lib. 11. *Veteres Græcorum scriptores universas Gentes ad Septentrionem vergentes Scytharum, & Celto-Scytharum nomine affecerunt: trans vero mare Caspium alios Sacas, alios Massagetas appellabant*.

Vox illa *Saca*, aut *Scaca* in lingua Celtica noxios, aut latrones significat. Hinc voces illæ apud nos usitatæ, *Sac*, *Saccager*, a lingua Celtica, quæ in Armorica inferiori adhuc viget, omnino ductæ videntur. Plinius Lib. 6. c. 17. *Ultra sunt*, inquit, *Scitharum populi; Persæ illos Sacas in universum appellavere*. In finibus Margianæ a Ptolæmeo collocantur, iique in varias regiones, Strabone teste Lib. 11. se se effuderunt. *Sacæ*, inquit, *optimam Armeniæ regionem occuparunt, quam vocaverunt Sacasenam, alii Sacastenam seu Sacarum patriam dixere*. In lingua Celtica, *Stan*, vel *Tan* Regio est. Sic *Britannia*, *Aquitania*, *Lusitania*, Britonum, Aquarum, Lusionum regiones significant. Inde etiam voces illæ *Cusitan*, *Indostan*, & aliæ Persis & Parthis usitatæ.

Sacæ seu Gomeriani intra Armeniam non constitere, sed in Cappadociam usque & in Pontum excurrerunt, ut ait Strabo libro citato. Alii erant politiores, qui Bactrianam & vicinas incolebant regiones; alii agrestes magis, qui & *Nomades*, seu pastores dicti, non procul a monte, qui Imaus est appellatus. Incursiones hi fecerunt in plagas Asiæ & Europæ boreales, ad ponti Euxini septentrionalem plagam, & ad paludes Mæotidis, ubi *Cimbri*, qui lingua Celtica viri bellicosi, & a Græcis molliori flexu *Cimmerii* dicti. Quæ quidem fusius prosequitur Auctor laudatus.

Jam, ut redeamus ad Gomeri posteros, & ad varias hinc prognatas nationes, in ea est opinione idem Auctor Sacas duce Acmone in Phrygiam penetrasse, atque ibi urbem ejus nominis conditam, cujus meminit Cicero in oratione pro Flacco, eaque in tabulis Ptolomæi Lib. 5. cap. 2. occurrit. Postquam in Phrygiam superiorem venerunt, quasi prioris nominis obliti, aut pertæsi, Titanum nomen sumpserunt; cumque ii mole corporum & robore alios homines superarent, instar gigantum visi sunt: unde Judith cap. 16. *Gigantes & filii Titan* iidem sunt.

Callimachus, qui regnante Ptolomæo Philadelpho scribebat, in hymno quem de insula Delo composuit, Celtas vocat Titanum feram posteritatem. Plena est lingua Celtica, qualis nunc in Britannia minori viget, & in majoris Britanniæ provincia, quæ Gallia vocitatur, Hebræis vocabulis.

Græci veteres Celtarum nomine magnam Asiæ & Europæ partem donavere. Hinc Strabo Lib. 1. *Celtæ & Iberi*, *aut mixto nomi-*

nomine Celtiberi, *aut Celto-Scythæ sunt appellati*. Lingua igitur Gomeriana primum in Asia orta, in Europam Celticæ aut Gallicæ nomine manavit. Gomeriani primum, tum Sacæ dicti: ex quibus Parthi & Persæ prodiere. Hinc Carmani, qui & Germani a nonnullis vocitantur. Daci Getis permisti ex Asia in Germaniam sunt effusi; ac gens Teutonica partim e Phrygiis, qui ab Ascenes Gomeri primogenito, ut videtur recentioribus Hebræis, orta, partim e Dacis prognata: unde Celtarum, ac Teutonum mores in multis conveniunt, atque hi Germani, seu fratres Gallorum a Romanis dicti sunt.

Græci a Javan, seu Jaon Gomeri fratre, teste Josepho Lib. 1. cap. 7. orti. *Ab Javan*, inquit, *Jones & Græci omnes prognati sunt*. Primogenitum ejus *Elisan* in Peloponneso sedem posuisse satis est verisimile. Unde huic Peninsulæ *Elidis* nomen inditum, & *Elissa* Fluvius, ac Peloponnenses primum *Elisæi*, tum *Æoli* dicti sunt ex Josepho: quod Hieronymus confirmat in Traditionibus Hebraicis. Plura omitto quæ Auctor citatus & diligens & doctus fuse prosequitur.

Ex variis Glossariis id conficit Thomassinus, linguam communem, eamque Hebraicam, in regionibus ab omni commercio dissitis fuisse conservatam: quod utique cernimus in Celtica lingua, quæ in extremis Galliæ & Angliæ regionibus viget. Runicum & Malaycam Glossarium præ cæteris expendit, idque in primis miratur tantam Runicæ, seu Danicæ linguæ cum Hebraica affinitatem, ut sæpe Hebraicum cum Danico veteri legere se crediderit. Unde Olaus Wormius Glossarii Runici seu Danici auctor, *Lingua*, inquit, *Danica vetus est Hebreæ dialectus*. Idem in antiquitatibus Danicis Lysandri Historici testimonium affert, quo id ipsum probat: *Antiquissima*, inquit, *Ducum & Regum nomina Hebraica sunt*. Et sub finem: *Quod si quando sermo Gothicus, Cimmeriusve a generali Teutonico idiomate manifeste dissentire videatur, tum vocem illam extemplo Hebraicam fieri, Hebræorum illico sapere antiquitatem*.

Malayca lingua latissime per Orientem fusa ex Arabica magna ex parte profluxit, ac minor est ejus cum Hebraica consensio, quam Runicæ.

Lingua Sinensis vocibus ut Hebraica est sterilis, quas penes accentus diversos multiplicat. Voces ejus pleræque sunt monosyllabæ, & indeclinabiles; verborum conjugationes multo breviores; plura in iis vocibus vetera Hebraicæ vestigia observavit Semedo.

Arabica Hebrææ similis in magna Orientis parte dominatur, vel cum aliis linguis, ut Armena, & Persica, est permista. Arabia ob aridas solitudines exteris impervia linguam pariter cum Imperio illæsam servavit, ac profana religio hinc profecta per centum circiter annos armis grassata hanc linguam latissime diffudit. In Alcorano integra per mille annos perstat; semper Arabice id publice legitur, neque illius versiones ullas permittunt: in eo plura sunt Hebraicæ linguæ vestigia: quin & complures voces Hebraicæ auxilio earum vocum Arabicarum facilius intelliguntur; quod se expertum testatur Hieronymus in præfatione ad librum Job.

CAPUT III.

De textus Hebraici integritate.

I. VErum ista viderint, qui de linguarum origine curiosius inquirunt: illud magis est instituti nostri diligenter expendere, an textus originalis Scripturarum ad nos integer & incorruptus pervenerit. Nam ea de re acrior est, & paullo justior controversia, dum alii textui Hebraico fortasse plus tribuunt, quam ratio & veritas postulent; alii e diverso plus satis eum deprimunt, & quem habemus in multis esse de industria corruptum volunt: cum tamen tutior sit & probabilior media inter utrosque sententia, magnam esse hujus textus, qualis nunc extat, & utilitatem, & auctoritatem; sed cum non esse ejusmodi, ut textus tum ex versione LXX. Seniorum, tum ex Vulgata & ex aliis persæpe non sit corrigendus, aut certe exponendus.

II. Primum illud tenendum videtur, Hebræos codices ante Christum natum, immo ante excidium Jerosolymæ non fuisse a Judæis de industria corruptos. Majore quidem Judæi erga libros sacros ardebant zelo, quam ut vel unum apicem textus adulterare vellent: neque eo nomine Christus ipse & Apostoli Pharisæos & Scribas accusarunt, sed quod perversas adhiberent Scripturarum interpretationes; tametsi nihil obstat, quominus temporum injuria quædam errata leviora irrepserint. Et quidem illud est verisimillimum, Ecclesiam Jerosolymitanam omnium primævam usam esse textu Hebraico.

III. Post Christianæ Religionis prædicationem illud negare non possumus, quin Judæi Christiano nomini infensi, cum duplex esset lectio, atque una magis faveret Christianis, alteram elegerint: quod sæpe ab iis factum esse, idoneis locis ostendemus. Utrum vero post templi & urbis excidium multa Scripturæ loca in odium Christianorum corruperint, magna est inter eruditos contentio, eaque est hujusmodi, ut liberum sit unicuique ea de re judicium. Hieronymus ipse, qui plurimum tribuit textui Hebraico, qualis tunc extabat, de fide Judæorum hac de re plerumque dubitat,

tat, ut in Epistol. ad Marcellam: *Jam pridem*, inquit, *cum voluminibus Hebræorum editionem Aquilæ confero, ne quid forsitan propter odium Christi Synagogam mutaverit*. Id tamen factum non esse, immo permulta in versione Aquilæ ad promovendam fidem Christianam inveniri argumenta insinuat. Idem scribens in tertium caput Epistolæ ad Galatas, & pertractans illa verba Deuteron. 27. *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea*: mox subdit: *Frustra illud tulerunt Judæi, ne viderentur esse sub maledicto, si non possent omnia complere, quæ scripta sunt*. Sic Apostolus hunc citat locum Deuteronom. 21. *Maledictus omnis qui pendet in ligno*. In Hebræo, immo & in versione LXX. legimus: *Maledictus a Deo*. Hæc autem verba addita esse a Judæis existimat Hieronymus. *Aut quod*, inquit, *magis est æstimandum, post passionem Christi, & in Hebræo, & in nostris codicibus ab aliquo Dei nomen appositum, ut infamiam nobis inureret, qui in Christum maledictum a Deo credimus*. Sed ab aliquo Judæo id fieri potuisse, non a Judæis de industria factum ait. Moyses autem ait. Maledictum esse omnem qui pendet in ligno; nempe ob scelera sua; ac subinde vetat, ne post mortem sit populis spectaculo. Nam fontes vel lapidibus obrui solebant, vel stantes strangulari.

Justinus Martyr, Irenæus, & alii ex SS. Patribus videntur cum Judæis identidem expostulare, quod sacrum textum dedita opera corruperint: quod tamen vir doctus Richardus Simo sic interpretatur, ut rationem habuerint versionis LXX. Seniorum, non textus Hebraici. Nam versionem illam antiquam fideles habebant ut omnium disputationum normam. Huic Judæi alias opponebant versiones, quæ ex Hebræo recens factæ prodierant, SS. Patres merito Judæos eo nomine insimulabant, quod versionem a priscis doctoribus factam rejicerent, ut novas sequerentur in odium Christianorum conflatas.

Quod si interdum Origenes & Hieronymus id videntur asserere, textum Hebraicum a Judæis esse depravatum, aliorum forsitam opinionem sequuntur. Unde Hieronymus procemio in Genesim docet, Origenem in suis Homiliis LXX. versioni adhærescere; in tomis, seu in suis disceptationibus ad textum Hebræum sæpe provocare. Cum autem Hieronymus ipse a Rufino inconstantiæ identidem accusaretur (objiciebat enim quod diversa ipse sentiret) Origenis & aliorum exemplo se tuetur: *Quia interdum coguntur loqui non quod sentiunt; sed quod necesse est dicunt*. Et sane si Judæi malo animo textum ipsum corrupissent, multa Prophetarum vaticinia, quæ ipsis molesta sunt, intacta non reliquissent.

IV. In ea quidem sunt sententia viri pereruditi, Abbas Pezronius in antiquitate temporum propugnata, cap. 4. Vossius, L. de LXX. Interpretibus post Morinum & alios bene multos, complura a Judæis in textu Hebraico mutata esse, sive negligentia exscriptorum, quod concedi facile potest, sive odio in Christianam Religionem. Garcias in præfatione propugnaculi, *Judæi*, inquit, *Scripturam sacram cum novis expositionibus, commentariis fictitiis, multiplici dictionum interruptione, varia punctorum & litterarum mutatione, multitudine librorum Thalmudicorum, sic fœdarunt, adulterarunt, & corruperunt, ut jam vix aliquod signum illius pristini splendoris, & incorruptæ veritatis in ea appareat*.

Franciscus Sylvius, L. 1. controv. q. 2. art. 4. rem ipsam in varias deducit conclusiones, quarum tertia hæc est: *Textus Hebræus Bibliorum, qui nunc extat, non est canonicus, neque ejus auctoritas irrefragabilis*. Quod probat duplici ratione: *Partim quia continet defectus quosdam, & errores etiam notabiles; partim quia Ecclesia non tribuit ei auctoritatem canonicam, neque vel usu, vel decreto aliquo eum approbavit ut authenticum*.

In eamdem sententiam citatur Salmeron, proleg. 4. *Si integra*, inquit, *sunt volumina Hebræorum, & sincera, necessario confitendum est editiones tum Græcorum, tum Hieronymi latinam, quæ cum illis non conveniunt, falsas esse ac depravatas. Et hoc quid aliud esset, quam dicere populum reprobatum & excæcatum puras habere & germanas Scripturas, populo vero electo & sanctificato tribuere falsas ac vitiosas interpretationes?*

Id tamen vix negari potest magnam fuisse Ecclesiæ tum Orientalis, tum Occidentalis erga textum Hebraicum reverentiam. Nam uti observat P. Martianæus, Ecclesiæ omnes Græcæ in id maxime incumbebant, ut versionem LXX. ad textum Hebræum reformatam & emendatam haberent, ac Latinæ Ecclesiæ editionem LXX. ad textum primigenium correctam communi prætulerunt. Quin & Ecclesia Occidentis post Hieronymum Vulgata utitur ad Hebræum textum reformata. Adeo ut jam a secundo sæculo textus Hebraicus de industria corruptus esse non videatur.

V. Id negare vix possumus, quin temporum lapsu in codicibus Hebræorum variæ acciderint mutationes; quin & Judæi interpretes non raro versiones suas ad anticipatas opiniones suas exegerunt. Hanc ipsis licentiam videtur tribuisse linguæ genius. Hæc enim abundat vocibus homonymiis, ita ut librarii, aut scribæ quasdam litteras, quæ vice vocalium erant ante punctorum inventionem, pro arbitrio suo detraxerint: hinc tot diversæ prodierunt lectiones, & variæ interpretationes. Quæ in-

inter doctores Judæos ortæ sunt controversiæ circa multarum vocum intellectum, magno sunt argumento linguam Hebraicam non omni ex parte esse conservatam, neque adeo certam fuisse iis de rebus traditionem ante punctorum inventionem: quæ quidem puncta lectionem ex usu illius temporis firmarunt. Quin etiam juxta locorum & temporum varietatem magnæ mutationes acciderunt.

VI. Non ex alio magis, quam ex Psalmorum libro colligunt viri pereruditi textum Hebraicum multis in locis fuisse a Judæis recentioribus depravatum. Nam Psalmi, ut citantur ab Apostolis, & in Ecclesia per ætates consequentes lecti sunt, plurimum discrepant ab iis, qui multis retro sæculis apud Hebræos habentur, etiam in rebus magni momenti. Jam Hieronymi temporibus Judæi Christianos insimulabant, quod genuinis Psalmis carerent. Hieronymus præfatione in Psalmos: *Non hoc dico, quo predecessores meos mordeam, aut quidquam iis arbitrer detrahendum: sed quod aliud sit in Ecclesiis Christi credentium Psalmos legere, aliud Judæis singula verba calumniantibus respondere*. Neque his Judæorum calumniis pondus addendum est, sieorum codices puros esse, authenticos, & integros pertendimus.

VII. Multa in hanc rem profert exempla Pezronius loco citato: *Quis*, inquit, *textum Psalm. 8. ut in Hebræo legitur: Ex ore infantium & lactentium fundasti fortitudinem, anteponat textui, qualis a Domino nostro profertur: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Eadem est ratio Psalmi 15. Non dabis sanctos tuos ad videndum foveam. Ea sane lectio præferri non debet lectioni ab Apostolorum Principe Act. 2. usurpata. Sic Psalm. 18. textus ille, qualem Apostolus, & universa legit Ecclesia, In omnem terram exivit sonus eorum, plus auctoritatis habere debet, quam qui apud Hebræos legitur: In omnem terram exivit linea eorum*.

VIII. Id unum tenendum videtur, solas Scripturas, quas ab Apostolis accepimus, quæque in Ecclesiis receptæ sunt, integras & authenticas haberi oportere: de reliquis hæc Apostoli servanda est regula: *Omnia probate, quod bonum est, tenete*.

Scripturæ sic proferuntur ab Apostolis, ut in Synagogis tum legebantur: paucis post annis Christianos falso incusarunt Judæi, quod veris & genuinis Scripturis essent destituti; atque ob graves cum Christianis contentiones, LXX. versionem primum suspectam, tum exosam habuere.

IX. Quibus autem temporibus Judæi versionem antiquam abjecerint, & alias induxerint, non facile est decernere. Suspicatur Auctor a nobis identidem laudatus id cœptum esse circa annum ab excidio templi quinquagesimum, cum scholæ Tiberiadis præesset Akibas magnæ apud suos auctoritatis. Hujus discipulus fuit Aquila, qui e Christiano factus fuerat Judæus, quod ab Ecclesia ejectus fuisset; linguam Hebraicam didicit teste Epiphanio, Lib. de ponderibus & mensuris, eo quidem animo ut Scripturas Græce verteret: *Quam linguam Hebraicam*, ait Epiphanius, *cum egregie percepisset, Scripturas interpretatus est, non recto usus consilio, sed ut quædam Scripturæ loca perverteret, adversus LXXII. interpretes impetum omnem dirigens, atque ut expressa de Christo testimonia aliter ederet*. Illustre hujus rei affert exemplum ex cap. 7. Isaiæ, *Ecce virgo concipiet*. Aquila vocabulum, *Alma*, quod virginem reconditam significat, vertit adolescentulam; & loco, *concipiet*, ut apud LXX. & Matth. legimus, vertit per tempus præsens, *concipit*, & *parit*; ut Judæis, qui hunc locum de matre Ezechiæ interpretantur, faveret. Sic ubi legimus apud Isaiam, cap. 9. *Factus est principatus ejus super humerum ejus*, Aquila sic transtulit: *Facta est mensura in humero ejus*; vocem, *Deus*, sustulit, ubi habemus, *Deus, Fortis*, ut Christo divinitatem eriperet.

Verum ut Akibas & alii versionem LXX. seniorum abjecerint, non propterea in odium Christianorum textum Hebraicum corruperunt: nam ut præter alios Helias Dupin in suis prolegomenis, cap. 4. advertit, interjecto tempore ab excidio Jerosolymæ ad Akibam & Aquilam usque, complures erant Christiani in Palæstina, origine Judæi, qui & Hebraice sciebant, & Scripturas in ea lingua legebant. Multi post excidium Jerosolymæ Pellam se recepere, unde secta Nazaræorum duxit initium, iique Hebraica servabant exemplaria; nec tantum Tiberiade, sed ubique terrarum extabant Hebraica exemplaria, quæ Akibas non potuit corrumpere.

Et quidem invictum Christianæ Religionis argumentum e vaticiniis Prophetarum ducitur, quæ a Judæis magno in honore habentur. Hinc Augustinus: *Capsarii nostri sunt, librarii nostri facti sunt*. Idque videtur e divina providentia fuisse, ut libri illi Hebraice scripti manerent incorrupti, in rebus maxime quæ ad Messiam pertinent.

CAPUT IV.

Quid ea de re sentiendum videatur?

I. Quæ attulimus SS. Patrum & Doctorum recentiorum testimonia, id videntur evincere, textum Hebræum qualem

lem nunc habemus, suis nævis non carere, & a prima sui origine non mediocriter degeneraſſe. Quamquam forte SS. Patres non tam ipſius textus Hebraici, quam verſionum fidem habent ſuſpectam; nec ſatis aperte pronuntiant eum in odium Chriſtianorum fuiſſe depravatum. Ac major quidem, ut diximus, Judæorum ſemper fuit in ſacrum textum reverentia, quam ut dedita opera eum corrumpere voluerint, aut potuerint id efficere. Nam ut pulcre Auguſt. Lib. 13. de civit. cap. 13. *Anne*, inquit, *credibile eſt, ipſos codicibus ſuis voluiſſe eripere veritatem, ut nobis eriperent auctoritatem; vel per totum orbem diſperſos potuiſſe in hoc conſpirare, nullo contradicente?* Hinc ſummo ſtudio incorrupta ſervare Biblia ſemper conati ſunt, & artem illam, qua in hanc rem uſi fuere, Maſſoram dixere, ſeu doctrinam traditione acceptam: adeo ut verſus, voces & litteras ipſas recenſere illos non piguerit, ne quid forte alieni irreperet.

II. Neque id videtur credibile, textum primigenium, ex quo tot verſiones prodierunt, in fonte ſuo, & dedita opera fuiſſe corruptum, vel in rebus permagni momenti. Unde enim verſionum integritas probari poterit infidelibus, ſi nullus ſit amplius textus primævus?

III. Juſtinus Martyr in dialogis cum Tryphone, Judæis exprobrat, verſionem LXX. ab iis fuiſſe in odium Chriſtianorum depravatam: *Ac quod illi Magiſtri veſtri multos & integros prorſus locos ex translatione eorum, qui cum Ptolemæo fuerunt, ſeniorum ſuſtulerint, in quibus clare crucifixum Deum & hominem eſſe, eumque in cruce pendere, & mori prænuntiatum eſſe oſtenditur, ſcire vos volo.* Sed non ait, textum Hebraicum ab iis de induſtria fuiſſe depravatum.

Itaque Juſtinum Martyrem, Irenæum, Lib. 3. cap. 24. Tert. L. de Habitu Virginum, cap. 3. Chryſoſt. Hom. 5. in Matth. & alios veteres, non de textu Hebraico, nec contra Judæos ſcripſiſſe, ſed contra Aquilam & Symmachum, qui Scripturas contaminarunt, exiſtimat Bellarminus, L. 2. de verbo Dei, cap. 2. Id vero repugnare providentiæ Dei, qui libros ſacros ad ſalutem generis humani ſcribi voluit, eoſque ad finem uſque Mundi permanere, ut ex iis fontibus aquas ſalutares omnes gentes haurirent, docet Mariana in lib. de Vulgata latina: cum ad Eccleſiæ curam eorum librorum conſervatio pertineat. *Nec defuerunt*, inquit, *in Eccleſia viri docti, quorum ſtudio conſervati ſunt Hebrai codices*. Quin & Judæi per omnes gentes ſunt diſperſi, ut hos libros circumferrent, ut docet Auguſt. in Pſal. 56.

IV. His itaque in utramque partem perpenſis, illud ſtatuendum videtur, magnam eſſe textus Hebraici auctoritatem; non eam tamen huic tribuendam, quæ illum ab omni vitio & ambiguitate eximat: ex antiquis & novis verſionibus non illuſtrari modo, ſed etiam emendari interdum debet. Magna huic accidit a diverſis Scriptoribus varietas, magna ſæpe eſt in vocibus ambiguitas; diverſæ occurrunt lectiones; non raro vox una alterius loco ponitur, cum rem eamdem ſignificat. Lingua Chaldaica poſt captivitatem uſurpata potuit in vocibus ipſis non contemnenda afferre diſcrimina; eædem voces aliquando productæ, aliquando contractæ in diverſis libris occurrunt, idque in ſynonymis ſæpe evenit, ut voces immutentur. Qui v. g. 1. Reg. *Isboſeth*, in Paralip. *Isbaal* appellatur, quod *Boſeth* & *Baal* ſint ſynonyma: unde Gedeon *Jerobaal*, & *Jeroboſeth* vocitatur. Sæpius tamen ratio hujus mutationis nos latet.

Iſta quidem & alia hujus generis plurima perſuadent, textum Hebræum, qualis nunc extat, ſuis non vacare nævis, magna ſæpe obſcuritate involvi; eum ſolum non ſufficere, ut verus Scripturæ ſenſus habeatur, niſi cum verſionibus antiquis conferatur, quæ ſibi mutuo & textui primigenio lucem afferunt. Non igitur textus ille quantumvis venerabilis una fidei noſtræ norma haberi debet, tanquam purum Dei verbum, ut plerique Proteſtantes pertendunt. Cum enim prima exemplaria jamdiu perierint, quæ ſcripta ſunt, eadem pene ſubierunt diſcrimina, quæ libri cæteri: cum hominibus inſtar depoſiti crediti fuerint, & variis mutationibus ſint obnoxii. Tametſi Judæi eos ut monumenta ſuæ Religionis & Reipublicæ magno ſtudio cuſtodierint, ac divina providentia caverit, ne in factis prodigioſis quæ referuntur, & in Prophetarum prædictionibus, aut in his, quæ ad fidem & mores pertinent, ullum paterentur diſpendium.

V. Quocirca rationibus omnibus ſubductis, eo ſemper redeundum eſt, Scripturam cum traditione perpetua conjungi, neutram ab altera ſejungi oportere. Illa enim, ut optime Auctor identidem laudatus Simonius, eſt velut juris, hæc facti regula, eaque una eſt omnium Eccleſiarum, aut certe præcipuarum, & omnium temporum fides. Non quod ad facta quæque traditio pertineat; ſunt enim plurima quæ ad meram referuntur hiſtoriam: verum ad illa ſe extendit, quæ fidem noſtram conſtituunt, de quibus per traditionem nobis conſtat. Ex utraque ſimul juncta hac Regula, Scriptura nempe, & traditione, illius in qua nati ſumus ſocietatis, ſeu Catholicæ Religionis fides comprobatur. Cum autem ſine ratione nihil expendi debeat, ea quoque ad hanc rem eſt adhibenda.

VI. Non aliud quidem eſt fidei noſtræ fundamentum præter verbum Dei: ſed ut mihi conſtet hoc eſſe verbum Dei, ratione utor tanquam adminiſtra, aut inſtrumento, quo mihi innoteſcit illud eſſe verbum Dei.

Nam,

Nam, ut alibi ex viro perillustri Huetio diximus, triplex nobis ad rerum comparandam notitiam instrumentum largitus est Deus, sensus, rationem & fidem; sensus rationi, rationem fidei prætexuit, ut sensuum infirmitati opem ferret ratio, rationis errores fides emendaret; atque ut prius utimur sensibus, quam ratione; ita prius ratione, quam fide: gratiam enim præcedit natura, & cognitio naturalis præcedit fidem, quæ est rationis ipsius emendatrix.

Quod si traditionem a Scriptura divellas, nunquam tibi certo constabit, an illa sit verbum Dei, cum sæpe textus sit obscurus & ambiguus, neque adeo is fidei norma una esse possit. Quantumvis Protestantes quasi novi Esdræ Scripturam a se restitui integram jactitent, & versiones suas tanquam purum Dei verbum nobis obtrudant, cum neque inter se, neque cum aliis totius orbis Ecclesiis consentiant, & traditionem ipsam aspernentur; nihil est causæ cur iis fidem habeamus. Hinc merito Sancti Patres docent in sola Ecclesia Catholica veras esse Scripturas. Nam in ea præter Scripturas viget traditio, ad eam fidem suam exigit, cum Ecclesiarum consensu est comprobata; ad Ecclesiam solam vera Scripturarum interpretatio, ex traditione perpetua, & fidei analogia pertinet. Hæc vivam servat Scripturam, ut pulcre Tertull. Lib. de præscript. cap. 19. *Ubi apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ, illic veritas erit Scripturarum*. In eo libro totus est, ut ex traditione & consensu præcipuarum Ecclesiarum, fidei veritatem in Catholica esse demonstret Ecclesia.

CAPUT V.

De variis mutationibus quæ textui Hebraico acciderunt.

I. QUi negant, textum Hebraicum, qualis nunc extat, purum esse & integrum, ii varias solent afferre mutationes, quibus is fuit obnoxius. Ac primum secundi templi temporibus vix effugere potuit, quin is non mediocriter luxatus fuerit. Cum enim Hebraicæ linguæ usus aut omnino, aut majori ex parte defiisset, scribæ non potuerunt exemplaria tam accurate exscribere, quin multa irreperent menda. Tum enim, inquit Simonius, Lib. 2. Historiæ Criticæ V. T. cap. 16. Judæi in explicationem textus magis intenti erant, quam in ejus emendationem, humanas potius Patrum traditiones, quam textum ipsum sectantes. Magna quoque in orthographia diversitas ab ipsis librariis profecta est: nam vocales sæpe, & non raro consonantes ob characterum similitudines permiscebant: non litteras solum, aut syllabas, sed dictiones plerumque omisere, immo & integras periodos, si forte consimiles voces occurrerent. Hinc forsan generationum series interpolatæ & contractæ interdum referuntur. Sic cap. 7. Esdræ sex generationes sunt prætermissæ, quæ ex cap. 6. Lib. 1. Paralipomenon restitui facile possunt. Idem evenire potuit In Chronologia, cum vox eadem repetita scribam ipsum sæpe confunderet.

Verum ista & alia hujusmodi leviora fuisse probabilius videtur, neque in iis quæ ad fidem & mores spectant, immo ne in iis quidem, quæ ut facta præcipua, aut Prophetarum vaticinia memorant, insignes extitisse errores saltem ante Christi adventum crediderim. Quod si enim quædam erant exemplaria vitiata, alia non deerant integra, ad quæ LXX. seniores suam translationem exegerunt. *Nec desunt*, inquit Waltonus, Prolegom. 6. *certa media, quibus vera lectio, cum codices discrepant, stabiliri potest, scilicet analogia fidei, Antiquorum scripta & commentaria, antiquæ versiones, codicum antiquorum collatio, maxime vero ipsa Scriptura, in qua antecedentium & consequentium consideratio, & locorum parallelorum & similium observatio multum ad veram lectionem confert. Nam illa lectio, quæ cum antecedentibus & consequentibus, & cum locis parallelis consentit, & analogiæ fidei consona est, vel cum aliis bona fidei codicibus concordat, & ex antiquis Patrum Ecclesiæ scriptis corroboratur, procul dubio pro vera & genuina habenda est*.

II. Hebræum codicem vocalibus truncum esse contendit Vossius, eumque adeo diversæ lectioni esse obnoxium. Illud quidem non inficiamur, hanc esse Orientalium scribendi rationem, ut quantum possunt, verborum & litterarum sectentur compendia. Certa erat legendi ratio usu ipso confirmata, præsertim apud Magistros. Sed apud Judæos nullas extitisse vocales credibile non est, eæque a punctis postea inventis plurimum distant. Vocales *Aleph*, *He*, *Vau*, *Jod*, hac voce exprimunt, *Ehevi*, has lectiones matres appellant. Non igitur puncta, nec apices quidam litterarum vocalium loco fuerunt. Josephus, Lib. 6. de bello Judaico, cap. 6. nomen Dei tetragrammaton per quatuor elementa vocalia scriptum fuisse in tiara summi Pontificis docet. Hieron. Epist. 143. ait, in vocabulo *Hosanna*, mediam vocalem Jod elidi; idem in explicatione vocum Deuteronomii habet de voce Gaza: *Sciendum, quod apud Hebræos non habeat in principio consonantem: verum incipiat a vocali Ain, & dicatur Aza*. *Scriba*, inquit Aben-Ezra Præfat. in Pentateuchum, *interdum scribendo exprimit dictionem plenam, interdum vero deficientem, idque causa compendii*. Verum quidem est, hac in re non inter se consentire magistros in textu legendo, & vertendo: sed hoc est com-

commune linguarum Orientalium vitium, cui nonnihil remedii attulerunt Massoretæ, dum lectioni textus in posterum consuluerunt: si tamen hoc ipsum ab iis perfectum est. Nam hi quoque errare potuerunt, ac pro diversis ætatibus & regionibus variavit lectio: quin & scribæ vocales illas sæpe omiserunt, hinc tanta inter Hebraicos codices orta est varietas. Accessit eo quoque diversa pro locis & temporibus pronuntiatio. Nam aliter Hispani, aliter Germani Hebraicam linguam pronuntiant. Unde & diversitas quædam in scribendo contigit ob vitium ex vulgari sermone ortum. Quod autem nonnulli illud Matthæi afferunt, *Jota unum aut unus apex non transibit a lege*, ut probent puncta Christi temporibus apud Judæos fuisse usitata; id facile solvitur, cum vox illa, *apex*, pro extremo litteræ fastigio, non pro vocali littera sumatur. Hinc illud pervulgatum, de apicibus juris disputare. *Apices litterarum*, ait Agellius, *sunt ductus, aut partes litterarum*.

III. Puncta autem vocalia novum esse inventum, omnes pene eruditi consentiunt. Iis carent codices Samaritani, atque trium litterarum ope, quas matres lectionis vocant, quæque pro vocalibus antiquitus sunt habitæ, libros sacros legunt. 2. in Thalmude nulla fit punctorum mentio: necessaria tamen erat, ubi controversia erat de vocabuli alicujus lectione, quod punctis destitutum varie legi poterat. 3. Antiquæ versiones, Græca, Chaldaica, Syriaca &c. plerasque voces aliter interpretantur, quam hodie legimus. Quod si tum puncta vocalia extitissent, ambiguitas nulla fuisset, Exempla passim occurrunt; ut Genes. 47. 31. vox Hebræa מטה verti potest aut *lectulus*, aut *virga*; LXX. vertunt *ῥάβδον*; *virgam*, nunc ob puncta *lectulum* significat. Sic *Mensura* משרה ab Aquila *μέτρον*, *mensura*, a LXX. & Hieronymo *principatus* vertitur, ac deceptum Aquilam ait Hieronymus ob verbi ambiguitatem, quæ nulla extitisset, si dictio fuisset punctata. Multa in hanc rem profert argumenta Waltonus Prolegomen. 3. illud in primis, quod in antiquis Patribus, ut in Origene, & Hieronymo, nullum occurrat horum punctorum vestigium. Hieronymus docet vocales in medio apud Hebræos non haberi, sed pro consequentia & legentis arbitrio varie legi posse: agit de voce דבר *Deber*, aut *Davar*. Ista fuse prosequitur Ludovicus Cappellus in libro, cui titulus *Arcanum punctationis revelatum*. Et quidem Doctores Thalmudistæ sæpe id quærunt diligentius, quomodo legendæ sint certæ voces, ac nullam punctorum faciant mentionem; quod ab iis omissum non fuisset, si eorum temporibus punctationes essent usitatæ. Variæ lectiones marginibus adscriptæ, quas vocant *Keri*, & *Ketib*, circa consonantes versantur omnes, nullæ circa punctationes, seu vocales. Quod magno est argumento, nondum puncta fuisse excogitata. Antiquæ versiones ad textum punctis destitutum fuerunt elaboratæ, ut versio LXX. Unde aliter sæpe legerunt textum, quam si punctis fuisset distinctus: eadem est aliarum versionum ratio, ac præcipua inter textum & versiones discrimina hinc oriuntur. Nullum apud Origenem & Hieronymum est hujus punctationis vestigium. Quod si interdum Hieronymus accentus & apices litterarum commemorat, per accentus sonos, & pronuntiationem diversam pro regionum varietate, per apices extrema litterarum intelligit, ut scribens in cap. 12. 3. Zachar. & loquens de litteris *Dalet* & *Resc*, similes eas esse dicit, & differre parvo apice, seu extremo litteræ.

IV. Ex his & aliis, quæ fusius commemorat Abbas Pezronius, concludi potest:

1. Judæos toto orbe dispersos a Doctoribus Tiberiadis libros sacros accepisse, uti & usum punctorum, quæ Massoretæ excogitarunt. Id præter cæteros docet R. Ezra: *Sic est*, inquit, *consuetudo sapientum Tiberiadis, qui sunt nobis pro fundamento & norma. Ex illis enim fuerunt viri Massoreta, & nos ab illis accepimus totam punctationem*.

2. A Doctoribus Tiberiadis sic pendebant Judæi, ut exemplaria in suis Synagogis asservata punctis illis distinguere non auderent, quod ipsa primitiva, ut ipsis videbatur, referrent exemplaria. Unde Judæi in suis Synagogis etiamnum utuntur Legis volumine, quod punctis illis caret. Et quidem versiones Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, tum inter se, tum a Græcis plurimum dissident. Eædem litteræ sublatis punctis tam hodiernæ lectioni, quam LXX. versioni sæpe aptari possunt. Recentiores interpretes, qui codicibus utuntur, in quibus distincti sunt versus ac dictiones suis punctis, vocalibus instructæ sunt, sæpe aliter vertunt, ac veteres, quorum codices litteris & distinctionibus constabant citra ullam fere distinctionem una conjunctis; ac linguæ omnes Orientales punctis carent. Arabes tria habent puncta, quæ post publicatum Alcoranum ad illius faciliorem intelligentiam sunt excogitata. Massoretæ 14. vocales adjecere, quinque longas, breves quinque, & quatuor brevissimas. Quæ nimia diligentia, inquit Thomassinus, novitatem prodit suam, sapitque Massoretas, seu Doctores scholæ Tiberiadis solos hujusmodi rebus novandis exercitari solitos, cum omnes antiquitus linguæ quinque dumtaxat vocalibus abunde constent, nec longas secernant a brevibus, nec recentiores linguæ, nec ipsa hactenus Latina. Immo in veteri Græco has litteras *Etha*, & *Epsilon*, *Omicron*, & *Omega* nullatenus inter se discrepare animadvertit Thomassin. P. 2. Præfationis.

3. Hæc quidem ut suadeant textum Hebræum

bræum certo consilio & odio in Christianos aliquot in locis adnlterari potuisse a Judæis ipsis: utrum id revera factum fuerit, non penitus evincunt. Immo id non potuisse, etiamsi voluissent, longe videtur probabilius. Non enim in eum furorem omnes conspirare potuerunt, neque id in eorum fuit potestate, cum plures Judæi ad fidem conversi de hoc facinore non tacuissent. Textus Hebræus, quem Origenes Hexaplis suis attexuit, ab hodierno textu fere non discrepat. Matthæus sæpius loca Scripturæ citat juxta textum Hebraicum, ut cap. 2. 15. Osee locum profert, *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, non *filios meos* juxta LXX. Item eodem in loco, *Nazaraeus vocabitur;* ex Isaiæ c. 11. *Nezer de ejus radice ascendet*, juxta Hebræum textum.

V. Vir magnæ eruditionis Ludovicus Cappellus in opere suo de Critica sacra linguam Hebraicam restitui non posse existimat citra opem versionis LXX. neque eam statim repudiandam, etiamsi ab hodierno textu persæpe dissideat: nam scribæ textui suos addiderunt errores. Textus Hebraici varias lectiones in illo opere recenset, quod suæ sectæ homines valde offendit. Unde Buxtorfius filius stylum adversus eum strinxit, quod suæ religionis principia apud Protestantes recepta, ea ratione convellere videretur, dum assereret textum Hebraicum dubium esse & incertum: neque enim apud eos ullus est traditioni locus. Atque utut Cappellus diversas lectiones plus satis ampliaverit, ut videtur Simonio; id tamen quod asserit in Critica, minime contemnendum videtur. *Aliquando*, inquit, *littera, vox, periodus integra omittitur, additur, permutatur*. Tum exemplis prolatis sic concludit: *infinitum esset recensere, & in unum congerere omnia hujus additionis, vel omissionis exempla, quæ colligi undique possent ex locis parallelis, quæ habentur in libris Chronicorum, Esdræ & Nehemiæ, in his quæ habent cum aliis libris communia*.

VI. Quod autem ita respondet Buxtorfio objicienti principia Protestantium ea ratione in discrimen vocari, *Non semel*, inquit, *monui salutarem fidem, & morum dogmata vel ex vitiosissimo codice, & corruptissima quaque versione a pio vere studioso lectore ad fidem ingerendam & alendam, atque fovendam & augendam hauriri posse:* Vereor, ut sibi & suæ sectæ hominibus satisfaciat. Nam ex codicibus hodiernis vix ea quæ ad Christi Nativitatem & Mortem, Isai. cap. 7. 9. & 53. item Psalm. 21. quæ ad ejus Divinitatem, Isaiæ 9. Psalm. 2. & 109. ut alia omittam plurima, quæ ad fidem salutarem Incarnationis spectant, exculpes. Atque ut optime animadvertit vir in Critica sacra admodum exercitatus, cum ipse Cappellus liberam cuique puncta vocalia a Massoretis inducta expungendi facultatem tribuat, ac veteres vocales אהוי sæpius in textu: saltem in mediis vocibus desint, lectio semper incerta futura est, ac solæ in mediis vocibus supererunt consonentes, quarum quædam ita sunt aliis consimiles, ut in iis describendis magna acciderit confusio. Addit LXX. Interpretes a recentioribus non sine ratione plerumque discrepare. Nam Rabbini linguam Hebraicam admodum coarctarunt; neque eorum legibus antiqui interpretes sunt subjiciendi. Ex quo enim puncta sunt inventa, quæ vices antiquarum vocalium obirent, & pronuntiationi servirent, veræ vocales sunt magna ex parte resectæ; nec satis fuit expensum, quando ad corpus ipsum vocis pertineant, aut mutæ sint, nec pronuntiandæ; quod non potuit magnam textui non afferre confusionem. *Aleph*, v. gr. in quibusdam vocibus est littera inutilis, at sæpius incertum est, quando talis habenda sit: littera *Jod* modo *i*, modo *e*, locum tenet; unde inter textum ipsum & versionem LXX. varia oriuntur discrimina, cum alii aliter legant: neque enim, ut ostendimus, Hebræi vocalibus carere potuerunt, quæ sunt dictionum quasi anima. Origenes integra volumina Hebraica Græcis characteribus descripsit, nec novas commentus est, ut absentes vocales in Hebraicis dictionibus exprimeret. Hinc Gerardus Vossius de arte Grammat. Lib. 1. cap. 31. *Verum est quidem hodie vocales in iis quiescere: at olim pro vocalibus fuisse testatur Hieronymus, qui eas vocales appellat*. Locum Hieronymi ex Epistola 145. profert, ubi docet pro *Hosianna* dici, *Hosanna*, media vocali elisa, quæ ab *Aleph* excluditur.

VII. Hieronymus tamen in cap. 6. Isaiæ negat, textum Hebræum a Judæis de industria esse depravatum, cum Christus Dominus & Apostoli numquam id Scribis & Pharisæis exprobrent. Immo & pleraque loca eodem modo ex textu Hebraico citant, quo Hieronymi temporibus legebatur. Cum ipse Libros sacros juxta textum Hebræum verterit, perspectum illi fuit, saltem in iis quæ ad Religionem spectant, eum non fuisse corruptum. Atque eo fere modo nunc legitur, quo ab Hieronymo: magno quidem indicio textum originalem ab Hieronymi temporibus non fuisse depravatum, nisi forte in rebus minoris momenti, idque exscriptorum vitio.

VIII. Sua est cuique linguæ proprietas: unde Hebraismi frequentes in Græcas & Latinas versiones transierunt, qui magnam interdum afferunt obscuritatem. Judæi autem Interpretes dum Hebraicas phrases ad litteram volunt exprimere, a communi hominum sermone plerumque desciscunt. Unde Hieronymus Aquilam vocat contentiosum interpretem, quod Hebraicis lectionibus pressius adhæreat, & verba potius quam sensum

reddat: quo nomine pravæ affectationis interdum illum accusat. Non igitur satis tutum est Novatorum effatum, quod ut principium indubitatum proponit Illyricus in opere, quod ab eo *Clavis Scripturæ* inscribitur: Religionem non alio quam Scripturæ e textu originali depromptæ fundamento niti pertendit, atque in Doctores Catholicos vehementer excandescit, qui Scripturæ & textui Hebraico traditionem adjiciunt. *Horrendum*, inquit, *in modum blasphemant vociferantes Scripturam esse obscuram, ambiguam, non etiam sufficientem ad plenam institutionem hominis Christiani*. Idem tamen in tractatu de ratione cognoscendi sacras Scripturas, hoc evidentiæ principium diruit, ac subinde docet, linguas omnes mutationi esse obnoxias, difficillimum esse veteris linguæ expressiones intellectu consequi, suum esse cuique linguæ proprium stylum, linguæ Hebraicæ figuratos & singulares esse loquendi modos; eam linguam hoc esse intellectu difficiliorem, quod perpauci libri in ea conscripti supersunt, dimidiati & suspensi plerumque sensus insint verbis sine temporum, personarum, numerorum mutatione, qui difficultatem augent. Quæ omnia cum tanta evidentia non cohærent.

IX. Sectæ quidem omnes Protestantium in eo communi principio conveniunt, planam esse & evidentem Scripturam: & tamen diversa prorsus dogmata ex ea deducunt. Sociniani cuncta tribuunt rationi, nihil auctoritati: utrique & Protestantes & Sociniani religionem habent non divinam, sed humanam, dum consecutiones a ratione tantum excogitatas, non Dei verbum, non traditionem, non fidei analogiam sequuntur. Hæc fere Auctor sæpe a nobis laudatus.

Multis rationibus probat Waltonus, prolegom. 7. textum Hebræum per se esse authenticum, & supremam habere auctoritatem, ut a Spiritu sancto dictatum, etsi nonnulli errores scribarum negligentia in eum irrepserint: sed ii cum leviores sint, neque fidem, aut mores contaminent, iique ex aliis codicibus, immo & ex antiquis versionibus emendari possint, nihil obstat, quominus textus Hebræus integer habeatur. Cum olim codices Hebræi integri fuerint, ac nostra versio ex iis ducta fuerit, si nunc in rebus ad fidem spectantibus sunt corrupti, tempus illud quo fuerunt depravati, assignandum erit. Et quidem Deus tradidit Ecclesiæ textus primævos, eosque purissimos, neque hoc sacrum depositum corrumpi, nec thesaurum istum sibi quorumdam hominum perfidia extorqueri e manibus sivit; ad Ecclesiam enim pertinet divinæ Scripturæ depositum, tamquam communem fidelium possessionem, incolume conservare. Hæc & alia in eamdem sententiam profert Samuel de Muis in Epist. 1. adversus editionem Parisiensem. Negat Bellarminus loco citato fontes esse turbatos in rebus fidei vel morum, atque errores, si qui sint, contendit esse fortuitos. Verum ea de re recurret identidem sermo. De textu Samaritano commodius dicetur in præfatione ad Libros Mosis.



DISSERTATIO TERTIA.

De variis editionibus.

INter editiones ac versiones, quæ dicitur LXX. Interpretum est longe vetustissima, & in Ecclesia Orientali præcipuæ auctoritatis; de qua nobis primo loco dicendum.

CAPUT PRIMUM.

De editione LXX. Interpretum.

I. CUm jam, inquit Eusebius, Lib. 8. de Præparatione Evangel. Salvatoris nostri tempora viderentur propius advenire; conduceretque maxime saluti omnium gentium, quæcumque a Prophetis scripta fuerant, intelligere, per linguam Græcam quam fere omnes gentes intelligerent Judaicas Scripturas universis proposuit. Aut enim eas post Salvatoris nostri tempora non haberemus, aut corruptiores dedissent, aut si recte haberi potuissent, in suspicionem translatores venirent. Tum vero lingua Græca vulgaris erat, & nota in magna orbis terrarum parte, eaque translatio Apostolorum prædicationi viam sternebat. Quod si nulla ante Christi adventum fuisset sacrorum codicum versio ab ipsis Judæis suscepta, Christiani apud Gentes non tantam habuissent fidem, & Judæi alias omnes translationes suspectas habuissent, tamquam a Christianis ipsis profectas. Quæ LXX. Seniorum dici solet versio, omnium quæ extant, est antiquissima: & quicumque sint illius auctores, ut authentica & textui consona semper habita fuit, cum apud Judæos ante Aquilæ translationem, tum apud Christianos, & præsertim apud Orientales.

II. Neque hoc loco excutiendum puto, an versio illa Ptolemæi Lagi, an Ptolemæi Philadelphi jussu facta fuerit: an sub Ptolemæo Lago quinque tantummodo Mosis libri, sub Ptolemæo Philadelpho reliqui translati fuerint; utrum Aristæi, seu Aristææ nomine inscriptus liber, quo historia hujus versionis continetur, sit genuinus; quæque in eo referuntur, atque a Philone & Josepho confirmantur, sint indubitate vera; an Judæus aliquis Hellenista, ut majorem suæ narrationi fidem adstrueret, Aristæi gentilis nomine hunc libellum conscripserit.

Ex utraque parte non desunt rationum momenta: miracula, quæ in Theopompo Historico, & in Theodecte Poeta facta narrat Aristæus, utrumque a Deo punitum, quod

quod ille suæ historiæ quamdam legis Mosaicæ partem, hic tragœdiæ nonnulla inseruisset, ingenium Judæorum omnino sapiunt, qui portenta amant. Unde Aristæus ipse, ne fides sibi habeatur, subinde metuit. Judæum fuisse Hellenistam, multa suadent. Ubique ut Judæus, & in rebus Judaicis probe instructus sic loquitur. Quid causæ fuit, cur sex ex unaquaque tribu interpretes postulatos a Demetrio scribat, nisi ut Sanedrii apud Judæos formam imitari videretur? Templum & sacerdotium mysticas interpretationes mandatorum non alius quam Judæus bene institutus tam rite exponeret; eodem stylo dicta aut facta ab eo referuntur. Lex divina aureis litteris descripta fingitur; cuncta sunt ad miraculum composita. Centum millia Judæorum regiis sumptibus a servitute liberata, Interpretes in insulam translati, versio intra LXXII. dies absoluta, & alia bene multa videntur a Judæo conficta. Ejusdem generis librum Aristobuli esse putant viri docti, eumque Judæum fuisse, ab Aristæo, seu vero, seu falso, quæ ea de re scripsit, mutuata suspicantur. Elias Dupin in Prolegomenis suis existimat, Aristæum uno aut altero post Ptolemæum Philadelphum sæculo hanc historiam texuisse. Nam Alexander Polyhistor, quem citat Eusebius Lib. 9. præparat. cap. 25. historiæ Judæorum ab Aristæo compositæ mentionem facit. Auctor hujus historiæ LXX. Interpretum opus ea de re a se compositum commemorat, adeo ut idem prorsus videatur qui ab Alexandro citatur. Aristobulus quoque Judæus fuit Hellenista, & recentior eo cujus fit mentio Lib. 2. Mach. Ex eodem fonte scripsit, studio & cura Demetrii factam Legis in Græcam linguam versionem. Ac minime dubium est, quin Hellenistæ, qui templum Alexandriæ extruxerunt, libros sacros in Græcam linguam translatos habuerint, iisque usi fuerint in suis Synagogis.

Et quidem ea de re nemo pene ante hanc ætatem per quindecim sæcula dubitavit vel e Judæis, vel e Christianis. Josephus Scaliger in Annotationibus in Chronicon Eusebii, & Epist. 14. Aristæi historiam & LXXII. interpretes a Ptolemæo arcessitos, fabulam a Judæis confictam esse dicit contra veterum omnium testimonium. Ea tamen miracula quæ de hac versione plerique veteres referunt, quod LXXII. Interpretes divino Spiritu afflati fuerint, quod in diversis cellulis fuerint a Rege conclusi; hæc, inquam, neque ab Aristæo, qui eos inter se contulisse ait, donec omnes inter se convenerint, neque a Philone & Josepho referuntur. Justinus Martyr primus de cellulis separatis scripsit, ut a Judæis in Ægypto audierat, qui quasdam reliquias, aut rudera cellularum ei ostenderunt. Justini testimonium plerique Patres amplexi sunt, Epiphanius in primis. quem Bellarm. Lib. 2. de Verbo Dei, cap. 10. putat non legisse Aristæum.

III. Hanc editionem in Judæa ipsa fuisse usurpatam ante Machabæorum ætatem, multis argumentis probat Pezronius cap. 4. Antiquitatis temporum propugnatæ. Primum enim cap. 3. Lib. 1. Machab. v. 48. legimus in persecutione Antiochi Gentiles Scripturas evolvere solitos, quo scilicet deorum qui adhuc in Syria colebantur, cultum ex iis confirmarent: ***Expanderunt libros legis, de quibus scrutabantur Gentes similitudines deorum suorum.*** Non alibi sane legebant, quam in versione LXX. Sic in cap. 7. vers. 17. ejusdem libri verba Psalm. 78. leguntur juxta LXX. editionem: ***Carnes sanctorum tuorum, & sanguinem ipsorum effuderunt in circuitu Jerusalem, & non erat qui sepeliret.*** Lib. 2. cap. 7. vers. 6. Martyres Machabæi sic proferunt verba Cantici Mosis Deuteronom. 32. uti apud LXX. habentur: ***Dominus Deus aspiciet veritatem, & consolabitur in nobis; quemadmodum in protestatione cantici declaravit Moyses: Et in servis suis consolabitur:*** in Hebræo paullo aliter legunt: ***Et super sanctos suos pœnitebit eum.***

IV. Auctor Lib. Sapientiæ, cap. 2. v. 12. ***Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis***, quod ex cap. 10. Isaiæ sumptum est juxta LXX. ***Vinciamus justum, quoniam inutilis est nobis.*** Vox Græca verti potest, ***Gravis est nobis.*** Textus Hebr. multum ab ea lectione videtur discrepare.

Quin etiam Christus Dominus & Apostoli verba Scripturæ citant juxta versionem LXX. quod multis exemplis probat idem Auctor. Matth. 4. ***Non in solo pane vivit homo***, aut ***vivet***, ex Græco; locus ille ex Deut. 6. desumptus est, uti a LXX. translatus fuit. Item Matth. 13. ***Auditu audietis***, ex Isaiæ cap. 6. ad verbum hæc sumpta sunt, juxta LXX. in Hebræo: ***Audite audientes, & ne intelligatis.*** Eadem verba citat Paulus Act. 28. uti a Christo Domino prolata sunt. Sic Matth. 15. ***Frustra autem colunt me***, ad verbum sumpta sunt ex Isaiæ cap. 28. cum in Hebræo sensus sit obscurior. Matth. 21. verba Psalmi 8. citantur a Domino, ut habentur apud LXX. non ut jacent in Hebræo, ubi nullus pene est verborum sensus: ***Ex ore infantium & lactentium fundasti fortitudinem.*** Matthæus scripsit Hebraice Evangelium, ut ea lingua erat in usu apud Judæos. Temporibus Apostolorum Græce translatum est: tum igitur textus Græcus cum Hebræo conveniebat: utraque lingua tum erat in Judæa usitata.

Locus Isaiæ cap. 61. lectus est a Domino in Synagoga Nazarena, ut habebatur apud Judæos: hæc verba, ***Dimittere confractos in remissionem***, ex Isaiæ 58. juxta LXX. Interpretes sunt desumpta: Hebræus textus, qualem nunc habemus, multum ab iis dissidet in sensu, & in verbis.

V. Hanc versionem Apostoli comprobarunt, ut testatur Hieronymus in præfatione

quam Evangeliis præfixit: *Sit illa vera interpretatio, quam Apostoli probaverunt.* Hinc S. Irenæus Lib. 3. cap. 35. *Apostoli cum sint his omnibus vetustiores, consonant prædictæ interpretationes, & interpretatio consonat Apostolorum traditioni.* Tum subdit: *Nam Petrus & Joannes, & Matthæus, & Paulus, & reliqui deinceps, & horum sectatores prophetica omnia ita nuntiarunt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet.*

Lucas c. 3. Joannis Baptistæ verba, quæ ex cap. 4. Isaiæ deprompta sunt, ita prorsus refert, ut apud LXX. leguntur: *Vox clamantis .... & videbit omnis caro salutare Dei.* Quæ postrema verba in textu Hebræo desunt; ea tamen sunt permagni ponderis. Verba illa Actor. 8. quæ legebat Eunuchus ex cap. 53. Isaiæ: *Tamquam ovis ad occisionem ductus est*, in versione LXX. habentur; in Hebræo vix ullum habent intellectum. Sic verba Jacobi Act. 15. apud LXX. quidem leguntur: postrema verba quibus vis argumenti tota continetur, *Ut requirant ceteri hominum*, in Hebræo textu id tantum insinuant, fore ut Judæi Idumæos & alias gentes sibi subjiciant.

VI. Hæc fuit constans veterum sententia: Græci ea semper usi sunt LXX. translatione ad hunc usque diem, neque Ecclesia Occidentis cum Orientali umquam id expostulavit, quod corruptas haberet Scripturas, & adulteratas. Quin & in Occidente sex primis sæculis antiqua versio Latina e LXX. versione ducta vim & auctoritatem habuit in divinis Officiis. Id multis in locis testatur Augustinus, ut Lib. 18. de Civitate, cap. 43. *Hanc tamen, quæ LXX. est, tamquam si sola esset, recipit Ecclesia, eaque utuntur Græci populi Christiani, quorum plerique utrum alia sit aliqua, ignorant. Ex LXX. interpretatione etiam in Latinam linguam interpretatum est, quod Ecclesiæ Latinæ tenent. Quamvis non defuerit temporibus nostris presbyter Hieronymus, homo doctissimus & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum eloquium easdem Scripturas converterit. Sed ejus tam litteratum laborem, quamvis Judæi fateantur esse veracem, LXX. vero in multis errasse contendant; tamen Ecclesia Christi tot hominum auctoritati ab Eleazaro tunc Pontifice ad hoc tantum opus electorum neminem judicat præferendum.* Num igitur Augustinus Hieronymi versionem ut legendam in Ecclesia censuit umquam, tametsi utilissimam esse judicavit, cum obscuriora loca occurrant in versione LXX. ut ipse docet Lib. 4. de doctrina Christiana, cap. 7.

VII. Neque aliud fuit Hieronymo propositum, quam ut iis prodesset, qui Scripturas penitus nosse vellent, non ut LXX. versionem aliqua ex parte detereret, uti ex locis allatis manifestum est, idque aperte scribens Augustino profitetur: *Ego enim non tam vetera abolere conatus sum, quæ linguæ mea hominibus emendata de Græco in Latinum transtuli, quam ea testimonia, quæ a Judæis prætermissa sunt, vel corrupta, proferre in medium, ut sciant nostri quid Hebraica veritas contineret:* sed de Hieronymi versione, & aliis cum Græcis, tum Latinis, mox dicemus.

VIII. Non me fugit Hieronymum multis in locis versionem LXX. reprehendere: sed illam jam exscriptorum vitio depravatam fuisse suspicatur. Hinc Comment. in cap. 30. Isaiæ, *Datur*, inquit, *mihi suspicio non eos errasse a principio, sed paullatim scriptorum vitio depravatos:* & in c. 5. Ezech. *Nec hoc dicimus ab illis factum, quibus vetustas auctoritatem dedit: sed per multa secula scriptorum atque lectorum vitio depravatum.* Idem in cap. 40. ejusdem Prophetæ omnia pene verba Hebraica, & nomina, quæ in Græca & Latina translatione sunt posita, nimia vetustate ait corrupta, & exscriptorum vitio depravata: *Et dum de inemendatis scribuntur inemendatior, de verbis Hebraicis facta esse Sarmatica, immo nullius gentis, dum & Hebræa esse desierint, & altera esse non cœperint.* Atque ut fictitia sit Aristæi historia, quod Demetrius Phaleræus ex coævis historicis jam a primis Philadelphi annis vel diem suum obierit, vel in carcerem detrusus fuerit, certo tamen & firmo id nititur fundamento, quinque saltem Legis libros Philadelphi temporibus Græce esse translatos. Numquam enim hæc in mentem cujusquam venissent, nisi id Ptolemæus postulasset, ut Legis libri Græce ederentur: tametsi plures circumstantiæ sunt admodum incertæ: quod v. g. ex unaquaque tribu sex viri, iique docti ad hoc opus selecti fuerint. Ac numerus ille ab Aristæo vero, aut spurio traditus postea obtinuit, Philonis & Josephi auctoritate munitus.

IX. Non ignoro multa adversus eam LXX. editionem opponi a Sectariis, qui nullas probant translationes præter eas quas ipsi texuerunt. Illud in primis obtrudunt pleraque ab iis omissa, quæ in textu Hebraico continentur, uti Hieronymus præfat. in Pentateuchum observat: *Multa*, inquit, *de veteri Testamento legimus, quæ in nostris, hoc est, in LXX. Interpretum codicibus non habentur.* Exempla in hanc rem adducit plurima. Sic in L. Hebraic. quæstionum, & in Epistol. ad Suniam & Fretelam testatur, LXX. multa de suo addidisse, quæ in Hebræis codicibus non habentur, ut Psalmo 21. post illa verba, *Deus, Deus meus*, interposuerunt has voces, *Respice in me.* Nonnulla in alium sensum ab iis traducta, quorum exempla profert Hieronymus locis cit. Addunt complura Prophetarum testimonia de Christi Divinitate, & S. Trinitate ab iis silentio fuisse prætermissa.

His

His partim ex ipso Hieronymo respondimus, qui in libro de optimo genere interpretandi docet, verba a LXX. addita interdum fuisse, quibus idem subest sensus: idque ab iis factum, ut efficacius quædam exprimerent, quæ pari verborum numero exprimi cum eadem emphasi non poterant. Sic verba illa, *Respice in me*, supplicantis, & quodammodo expostulantis mentem fortius exprimunt.

Quod autem plura tacuerint, id prudenti pioque consilio fecerunt, vel quod venturi Christi quædam mysteria nondum iis, Deo ita disponente, essent perspecta, ac de incognitis maluerunt tacere, quam de his loquendo male prænuntiare futura mysteria; vel etiam quod de Filio Dei & ejus adventu clare & aperte loqui non ausi fuerint, ne gentes offenderent, quæ duos deos cum Platonicis statim animo concepissent, unum & ens, Deum & mentem; vel denique ne præcipua fidei mysteria Ethnicis proderent, & darent Sanctum canibus. Sed nescio, an ista satis firmo nitantur fundamento. Nam bonæ fidei interpretes a textu ipso ultro non discedunt. Id sane minime esset excusandum, & malæ fidei non suspectos modo, sed & reos peraget.

X. Quod denique Septuaginta in quorumdam locorum versione inscitiæ accusant, mirum si in lingua Hebraica sint peritiores quam Judæi, cum inter suos primariæ auctoritatis fuerint, atque hunc inscitiæ defectum nusquam iis tribuit Hieronymus. Quanto probabilius est errores, si qui sint, in scribas, aut librarios conferre, quam in vetustissimos interpretes! Editionem LXX. in nonnullis locis vitiatam existimavit Hieronymus, eamque emendavit, ac subinde fieri potest, ut inciderit in codices depravatos: nam quædam reprehendit, quæ in editione Græca quam habemus, non occurrunt: verum hoc est omnium fere librorum commune fatum, ut ab iis qui eos exscribunt, depraventur.

XI. Longe diversam a suæ sectæ doctoribus sententiam amplectitur Vossius. Nam versionem LXX. divinitus inspiratam putat; quod ex antiquis Patribus probare nititur. Verum ea res magis ad historiam & criticam, quam ad fidei dogmata videtur pertinere. Leviora quædam menda potuerunt irrepere, sed nihil de historiæ veritate detrahunt: verbum Dei est, quacumque lingua exprimatur.

Aristæi quidem historia potuit nonnullos e SS. Patribus in eam sententiam adducere, Prophetas eos fuisse & divinitus inspiratos: sed & hoc si minus fictitium, incertæ admodum est fidei. Istud enim eum historia Aristæi minus convenit. Ait quippe, *Interpretes inter se contulisse, disputantes & conferentes inter se de re qualibet, dum tandem in unum convenerunt omnes*. Sacri Scriptores, & Prophetæ in ptimis, ut a Spiritu Sancto erant edocti, sine ulla disputatione scriptis omnia mandarunt. Hinc Morinus Exercit. Biblic. 7. cap. 4. *Auctoritatem itaque aliam non adscribendam censemus huic versioni, quam aliis industria humana factis*.

Apostoli quidem ea usi sunt versione, quod purior esset iis temporibus; deinde lingua Græca tum nota erat majori parti populorum, quibus prædicatum fuit Evangelium; Hebraica vero paucis admodum erat cognita: nec SS. Patres alia consulere potuerunt, aut debuerunt exemplaria, quam quæ Apostoli prodiderant.

XII. In his ut in aliis plerisque disceptationibus extremæ, ut diximus, opiniones vitandæ sunt, nec textus Hebraici auctoritas deterenda, ut LXX. versionem divino afflatu factam agnoscamus; nec illa Seniorum editio ab Apostolis & omnibus pene Ecclesiis longo usu recepta, ut passim vitiata & corrupta habenda est. Illud Morini Exercit. 1. cap. 1. ultro amplectimur: *Quaramus ergo*, inquit, *divina oracula in Ecclesia, & ab Ecclesia, eaque non de alienigenarum, nedum hostium manibus, sed de Ecclesiæ pastophoriis & archiviis proferamus*.

Immo nihil obstat, quominus quid boni & utilis ex Protestantium versionibus excerpi queat: tametsi admodum suspectæ sunt, quod sæpe præjudicatis suis opinionibus textum accommodent. Sic Hieronymus Aquilæ, Symmachi & Theodotionis versiones sæpe adhibet; tametsi ii hostes essent Christiani nominis. Unde & Catholici scriptores Rabbinorum versiones passim usurpant. Ubi variæ occurrunt lectiones, & textus a versione LXX. dissidet, intuendum illud est, an forte ex negligentia scriptorum hæc diversitas prodierit. Hæc demum adhibenda est Critices regula, quam Ambrosiaster in cap. 5. Epist. ad Roman. proponit: *Hoc verum arbitror, quando & ratio, & historia, & auctoritas observatur*.

XIII. Ex iis, quæ circa versionem LXX. moveri solent quæstionibus, quæque a Waltono Proleg. 9. fusius agitantur, præcipuas delibare non erit alienum. Primum quidem Aristæus, Josephus, & alii pene omnes veteres scribunt intra 72. dies hoc opus absolutum fuisse; quod penitus videtur incredibile. Id minime erit incredibile, si antequam e patria discederent inter se constituerint, quo ii modo hoc opus perficerent, idque inter se partiti statis horis, vel diebus una convenerint, ut quæ fuerant a singulis elucubrata, discuterent. Atque hinc oriri potuit ea styli diversitas, quam Hieronymus observat in Pentateucho: adeo ut interdum minus ab Hebræo, interdum magis dissentiant.

XIV. 1. Quæritur an LXX. Interpretes solum Pentateuchum, an universam Scripturam a Judæis receptam ut canonicam,

verterint. Priori sententiæ adstipulari videtur Hieronymus in præf. quæst. in Genesim & passim alibi; quamquam Judæorum tantummodo refert opinionem: posteriorem sententiam veteres pene omnes tuentur. Et quidem mira Dei providentia, cujus supra meminimus, ut hæc versio Gentes ad Christi Evangelium præpararet, (unde & a Chrysostomo ostium ad Christum appellatur) id exigere videbatur, ut non solum Libros Mosis, sed etiam Prophetarum oracula in Græcam linguam transferrentur. Deinde, ut Masius præfat. in Josue argumentatur: Quæ potuisset causa Ptolemæum movere, (qui studio incredibili tenebatur omnia antiquitatis monumenta comparandi, quæ litteris erant consignata) ut Mosis leges a Pontifice postularet, cæteras gentis nobilissimæ historias admirandas, & Prophetica oracula prætermitteret? Quod autem Aristæus & Josephus de lege tantum per LXX. versa loquantur, responderi solet per Legem totam Scripturam sæpe intelligi. Sic Joann. 15. 25. Dominus dicit: *Scriptum esse in Lege: quia odio habuerunt me gratis;* quod in Psalm. 24. Item Joann. 10. 34. *Nonne scriptum est in Lege vestra: Ego dixi, dii estis?* quod Psalm. 81. habetur. Deinde Josepho Aristobulus multo antiquior opponitur, cujus Epist. ad Ptolemæum citatur ab Eusebio: is vero testatur universas Scripturas a LXX. Interpretibus Græce esse translatas. Quamquam, si fides illi sit adhibenda, jam libri Legis Alexandri temporibus ex parte translati fuerant, atque integri sub Philadelpho Græce prodierunt. Id quidem Hieronymo persuasum fuit, solum Pentateuchum a LXX. fuisse translatum, ob styli diversitatem in aliis Scripturæ libris. Nam Pentateuchi translatio multo accuratior et videtur, & ad textum propius accedere; ac plerumque verba aliter in Pentateucho, aliter in aliis Scripturæ libris vertuntur: omnes tamen multo ante Christi adventum Græce editi sunt. Nam iisdem prorsus verbis citantur ab Apostolis. Et quidem nihil de auctoritate hujus versionis Græcæ decedit: seu temporibus LXX. Seniorum facta fuerit, seu centum post annis circa Ptolemæi, qui Philometor dictus est, tempora, suscepta fuerit, ut nonnullis placet: nam a Judæis recepta est & usurpata aliquot ante Christum sæculis, eaque a Christo, & ab Apostolis ubique citatur, atque ab universa approbata est Ecclesia.

XV. At, inquiunt, quæ nunc habetur versio, non ea est cujus Philo & alii veteres mentionem faciunt: nam septuaginta Senes ad verbum omnia transtulisse docent; cum ea, quæ nunc habetur translatio, ab Hebræo multum discrepet.

Resp. LXX. Interpretes non verba verbis, sed sententias sententiis sæpius reddidisse, neque aliud quidquam a Philone insinuatur. Unde Hieronymus in Lib. de optimo genere interpretandi, *In iis*, inquit; *quæ addita sunt, non verba consideranda, sed sensus, ad quem LXX. de suo nihil addiderunt, licet verba quædam, quæ in Hebræo non sunt, adjunxerint.* Itaque non aliud voluit Philo, nisi Interpretes ita vertisse, ut rebus significatis verba optime congruerent, non ut omnia Hebræa Græcis quasi numerato responderent: unde Philo ipse hanc versionem ubique sequitur; qui etiam suo more hyperbolice loqui potuit.

XVI. Restat quæstio maximi momenti, an quæ extat versio, genuina sit & sincera LXX. Interpretum, quæ scilicet apud Judæos ante Christum, quæque ab Apostolis & Ecclesia Christiana fuit usurpata.

Resp. rem ita esse; quod præter cæteros multis probat argumentis Valtonus proleg. 9. Hæc autem magna ex parte jam attigimus. Primum ex testimonio Judæorum, apud quos publice in Synagogis, & privatim a plerisque recepta fuit tribus fere sæculis ante Christum natum. Eamdem vero esse cum nostra hodierna, eamque a primis Christianis ad nostra usque tempora continuata annorum serie perductam ostendimus. Idque ex Judæis magni nominis Philone & Josepho manifestum est, qui Scripturæ testimonia juxta hodiernam versionem ubique fere proferunt. Hoc videre est in Lib. Alleg. Philonis, ubi loca citata cum hodierna versione Græca conveniunt, si forte ab Hebræo dissident.

2. Id probatum jam a nobis fuit ex locis veteris Testamenti, quæ a Christo & ab Apostolis citantur juxta hodiernam versionem, raro juxta Hebræum. Profert quidem Hieronymus quinque loca ab Apostolis citata, quæ in versione LXX. non extant, quæque in Hebræo inveniuntur. Respondet Valtonus, tria ex iis locis, nempe 2. 4. 5. neque in Græco, neque in Hebræo reperiri: in primo, *Ex Ægypto vocavi filium meum*, cum legerint LXX. *Filios meos*, unius tantum litteræ esse differentiam: in tertio ex cap. 12. Zachariæ, *Videbunt quem confixerunt*, Græcam LXX. variare lectionem, cum alii codices habeant *saltaverunt*, alii *confixerunt*; ut in eum locum Zachariæ annotavit Flaminius Nobilius.

3. Post Apostolorum tempora, Ecclesia Christiana hac usa est versione, uti superius probatum fuit. Eamdem fuisse cum nostra, unicuique constabit, qui LXX. editionem, quæque ex ea expressæ sunt, Romanam scilicet e vetustissimo codice Vaticano, Venetam Aldi Manutii, Parisiensem Doctiss. Morini cura, & Anglicanam e codice Alexandrino decerptam, cum veterum Scriptis contulerit. Patrum Commentarii in omnes fere libros Veteris Testamenti extant, qui cum hodierno Græco pene ubique consentiunt. Immo qui ab iis citantur textus ab Ignatio, Justino, Irenæo, & a Clemente Romano Petri & Pauli discipulo, raro ab

eadem

eadem versione discrepant. Mitto alias probationes ex antiquis MSS. & ex usu Ecclesiæ Græcæ numquam interrupto ductas, quæ aliam versionem jam ab initio nascentis Ecclesiæ non agnovit: Nam quæ jam allatæ sunt, invictæ prorsus videri debent ab iis omnibus, qui anticipatæ opinionis præjudicio non laborant.

XVII. Opponunt hodiernam versionem Græcam innumeris in locis a textu Hebræo discrepare. Jam responsum fuit, in rebus tantum parvi momenti, non in iis quæ ad fidem, aut mores spectant, dissidere. 2. Interpretes LXX. magis ad sensum quam ad verba plerumque textum vertisse diximus, quædam addendo explicationis gratia, ac sensu non mutato verba aliquando mutarunt, adeo ut rebus verba congruant. 3. Vox Hebræa sæpe varios habet significatus, quorum unum secuti sunt Rabbini, alium LXX. 4. Discrepantiæ complures ortæ sunt ex scribarum incuria & festinatione, vel ex temeritate quorumdam, qui specie correctionis textum corruperunt; potuerunt etiam interpretes interdum labi. Deinde in codicibus Hebræis erant variæ lectiones ex defectu punctorum; voces quædam & sententiæ erant ambiguæ; litterarum quoque mutatio & transpositio nonnihil discriminis in libris sacris ut in profanis afferre potuit. Quin etiam notæ e margine in textum nonnumquam translatæ varias efficiunt lectiones. Interdum loca a Patribus citata ab hodierna versione dissident, quod Patres magis ad sensum quam ad verba respicerent, & memoriter sæpe referrent verba, aut forte in vitiatos codices inciderint, idque in rebus non magni momenti.

Plura non addo: ex his enim facile colligitur, magnam semper in Ecclesia extitisse hujus versionis auctoritatem, quæ dici solet τῶν ό, seu LXX. cum sit antiquissima: atque ut nævos aliquos contraxerit, quod sæpius exscripta fuerit, id utique citra continuata miracula vitari non potuit: hanc Apostoli in scriptis suis consecrarunt; per illam Gentiles formati in fide & enutriti fuerunt: Ecclesia Græca & Latina per sexcentos annos hanc ut Vulgatam habuit.

CAPUT II.

De aliis versionibus Græcis.

I. Septuaginta Interpretum versionem apud Judæos & Christianos solam fuisse authenticam ante Adriani Imperatoris tempora jam diximus. Tum vero ab Aquila alia ex Hebræo versio suscepta fuit. Quin LXX. versionem a Judæis corruptam fuisse in odium Christianorum, ipsis Judæis exprobrat Justinus Martyr. Hinc multæ prodierunt Hebraici textus translationes a Judæis, aut a Semi-Judæis factæ, quarum prima fuit ipsius Aquilæ, eaque apud Judæos magnam habuit auctoritatem. Is proselytus erat e Ponti provincia, ut probabile est, Akibæ discipulus. Secundam versionem aggressus est Theodotion Ebionita editioni LXX. non multum dissentaneam. Hæc sub initium Imperii Commodi circa annum 180. prodiit. Quarto post anno Symmachus Cappadox aliam elaboravit. Has omnes versiones Origenes in variis columnis digessit, quas Hexapla vocitavit. Textus Hebræus Hebraicis & Græcis litteris exaratus in duabus primis descriptus fuit columnis. Huic proxima erat Aquilæ versio, tum LXX. translatio, quam Theodotionis, tum Symmachi, versiones ex ordine excipiebant: LXX. interpretatio, ut aliarum norma, medium tenebat locum. Illud verisimile est Origenem ex Alexandrina Bibliotheca Ptolemæi versionem LXX. descripsisse. Unde hæc editio a veteribus ut pura & sincera semper habita est. Bibliotheca quidem Alexandrina in priori bello Alexandrino Julii Cæsaris magna ex parte, non tamen penitus absumpta est, eamque instauraverat Cleopatra: locus Bibliothecæ erat Serapidis templum. Tertull. Apol. cap. 18. & Chrysost. orat. contra Judaizantes, Tom. 6. affirmant, autographon editionis Græcæ suis temporibus in Serapio fuisse; saltem optima exemplaria in ea Bibliotheca cum Hebraica, tum Græca extitisse, valde probabile est, quæ Origenes summa diligentia inter se contulit, ut ipse testatur in Epist. ad Julium Africanum, & tractatu 8. in Matthæum.

II. Hoc ordine dispositas versiones circa annum 213. in lucem edidit Origenes anno tertio Caracallæ. Asteriscis, seu stellulis, & obelis, sive lineis transversis usus est. Si quid erat in LXX. quod Theodotioni deesset, stellula adjecta designabat; si quid abundabat, obelo, seu veru notabatur: versioni LXX. ut communi & receptæ præcipuus habebatur honos. Sed cum persuasum esset Origeni septuaginta interpretum editionem accuratissimam esse, hanc medio loco posuit, ut ad eam cæteræ utrimque dispositæ expenderentur: ita Epiphanius Lib. de ponderibus & mensuris. Nec ea fuit mens Origenis, ut LXX. editionem emendaret, sed tantum ut Judæorum calumnias repelleret. Nam si quid erat in versionibus discriminis, statim apparebat, ut ipse in Epist. ad Julium Africanum docet: *Exercemus etiam nos, ne ignoremus Scripturas, quæ apud illos habentur; ut si quando cum Judæis disseramus, proferamus ipsis ea quæ extant in exemplaribus illorum, neque iis utamur quæ apud ipsos habentur, etsi in nostris sacris non extent libris.* Idque Hieronymus in Epistola ad Augustinum testatur, non id fuisse Origeni propositum, ut LXX. versionem ad textum Hebraicum exigeret, & emendaret. Hoc ipsum Rufinus

Lib. 2. adversus Hier. affirmat: *Nec unum locum ex Scripturis divinis de Hebrais invenio translatum: Judæi frequenter, si disputatio accidisset, vel immutata esse aliqua, vel deesse, vel abundare in nostris Scripturis mentiebantur*. Ex Aquilæ versione nihil voluit depromere, quæ Hebræum textum magis exprimebat; sed ex Theodotione, qui propius ad LXX. accedebat, ut ipse testatur Origenes in Epistola ad Julium Africanum: *Quæ extant apud septuaginta, & Theodotionem, sunt inter se convenientia*. Unde & Hieronymus l. co mox citato: *In editione septuaginta Theodotionis editionem miscuit asteris, scilicet designans quæ minus fuerant*.

III. Ex quibus viri docti colligunt, Origenem textus Hebraici, quem forte a Judæis non mediocriter corruptum existimabat, non ita magnam habuisse rationem; editionem vero LXX. omnibus aliis anteposuisse, uti aperte declarat in ea quam citavimus Epistola: *Caveas igitur talia aspernari exemplaria, quæ in Ecclesiis circumferuntur, & fratribus legem dare tum rejiciendi sacros libros, qui apud illos sunt, tum Judæis blandiendi & suadendi, ut nobis tradant libros puros, & nullum figmentum habentes*. Neque obelos adhibuit, ut quædam ex LXX. editione delenda existimaret, aut asteriscos, ut addenda essent LXX. versioni, quæ erant in Hebræo; sed ut illa quæcumque essent, omnibus innotescerent, quemadmodum eodem in loco ipse declarat.

IV. Petavius ex Epiphanio, Origenis Tetrapla, Hexapla, & Octapla sic digesta exhibet.

TETRAPLA,

Aquila, Symmachus, Septuaginta, Theodotio.

HEXAPLA,

Hebraica litteris Hebraicis.
Hebraica litteris Græcis.
Aquila, Symmachus, Septuaginta, Theodotio.

OCTAPLA,

Hebraica litteris Hebraicis.
Hebraica litteris Græcis.
Aquila, Symmachus, Septuaginta, Theodotio.
Quinta editio Nicopoli inventa ignoti auctoris.
Sexta editio, seu Hiericuntina.

Quælibet columna, seu pagina unam editionem continebat, ex Ruffino. Prima columna Hebraica dicta ab eo fuit Fundamentum.

V. Antequam Origenes Hexapla ederet, in quibus textus Hebræus erat descriptus, vix ulla designari potest Ecclesia, quæ textum Hebræum conservarit. Christiani omnes LXX. versione utebantur. Sic Justini ætate Judæi (saltem Hellenistæ) in Synagogis Scripturas non Hebraice, sed Græce legebant, seu LXX. seu Aquilæ translationem adhiberent. Cum Davidis, Isaiæ, & Malachiæ vaticinia protulisset Justinus ex versione LXX. mox subjicit: *In vestris reposita sunt litteris, immo in nostris potius quam in vestris. Nos illis credimus; vos autem dum legitis, sensum non assequimini*. Sic in Apologia, cum de translatione LXX. verba fecisset, sub Ptolemæo suscepta, *Hoc*, inquit, *sic facto, libri usque nunc permanserunt apud Ægyptios, & sunt ubique terrarum apud Judæos, qui eos legentes non intelligunt*. Ab Antiochi enim illustris temporibus linguæ Hebraicæ usus omnino defierat, nisi apud eruditos; Syriaca & Græca lingua in Judæa erant usitatæ. Post excidium Jerosolymæ Syriaca penitus exolevit: versionem LXX. tantummodo profert Justinus adversus Tryphonem. Tertullianus, Cyprianus, Origenes & alii contra Judæos ubique sere Scripturas ex translatione LXX. citant.

VI. Itaque Judæi Hellenistæ, quique in Romano imperio dispersi erant, Scripturas ex versione LXX. publice legebant. In ea sunt opinione viri docti, Judæos ineunte sexto sæculo Hebræum textum ante versionem LXX. aut Aquilæ in Synagogis Palæstinæ legere cœpisse: cum autem inter Judæos Galilææ, & alios qui in Palæstina erant, ea de re orta esset contentio, atque illi Scripturam Hebraice legi vellent, reliqui primum Hebraice, tum Græce recitari oportere pertenderent, Justinianus in Novella 146. ita pronuntiavit: *Nos igitur his auditis potiores judicavimus eos, qui Græcam quoque versionem in librorum sacrorum lectione volunt assumere*. Ante hanc constitutionem negat vir perdoctus ullo posse probari monumento, Hebraicum textum a nemine intellectum publice lectum in Synagogis fuisse. Alii aliter sentiunt, nempe jam ab Esdræ temporibus & deinceps sacros libros primum Hebraice lectos, tum Syriace, aut Græce in diversis regionibus expositos.

VII. Ineunte sexto sæculo R. Juda Accados *Misenam*, seu ipsum Thalmudis textum Hebraice composuit; tum Hebræi Tiberiadis versionem LXX. prohibuerunt, ut textui Hebraico, qualis tum erat, majorem auctoritatem tribuerent. Justiniani constitutio ad finem usque septimi sæculi vim habuit; ex eo tempore textum tantummodo Hebræum in Synagogis legunt.

Et quidem cum Apostoli ubique fere LXX. versione utantur, nulli dubium esse potest in publicis cœtibus saltem Hellenistarum eam legi solitam: non enim est verisimile, alia

ratio-

ratione ab iis proferri Scripturas, nisi ea ipsa qua in Ecclesiis legebantur lingua: alioqui magna hinc orta esset confusio. Hinc Origenes in cap. 15. ad Rom. *Sciendum est*, inquit, *quod in omnibus pene Apostolus editionem septuaginta tenet*. Hieronymus quoque cum alibi, tum in quæstionibus Hebraicis in Genesim idem testatur: *Hoc autem generaliter observandum est, quod ubicumque sancti Apostoli, aut Apostolici viri loquuntur ad populos, his plerumque testimoniis abutuntur*, seu utuntur, *quæ jam fuerant in Gentibus divulgata*. Cyrillus Jerosolymitanus nusquam docet textum Hebræum in illa Ecclesia fuisse usurpatum, seu juxta LXX. translationem: *Has tantum*, inquit, *meditare Scripturas, quas in Ecclesiis confidenter legimus. Multo prudentiores te & religiosiores fuerunt Apostoli, & primi Episcopi veritatis duces, qui nobis eas tradiderunt: non transgrediaris ejus terminos.*

VIII. Apostoli Petrus & Paulus eas Scripturas Romanæ Ecclesiæ tradiderunt, quibus ipsi utebantur. Lucas, qui teste Hieronymo Acta Apostolorum Romæ conscripsit, easdem adhibuit, quas Apostoli fidelibus tradiderant. Clemens Romanus eadem LXX. versione utitur. Justinus Martyr natione Samaritanus numquam citat textum Hebræum, aut Samaritanorum, sed LXX. translationem. Hinc August. Lib. 15. de Civ. c. 14. *Septuaginta Interpretes in plurimis, quæ diversa diverse videntur, ex Hebræis codicibus emendare ausus est nemo*. Quædam inseruit Origenes ex translatione Theodotionis desumpta; sed ea sunt perparvi momenti, & asteriscis fuerunt notata.

Hieronymus in Epistol. ad Chromatium tres fuisse LXX. editiones docet. Quæ Pamphyli Martyris & Eusebii nomine vulgata est, hæc sola cum Theodotionis versione permista fuit, asteriscis & obelis notata. Quæ fuit in usu ab urbe Constantinopoli Antiochiam usque, a S. Luciano Martyre emendata his notis caruit, uti & tertia Hesychii, quæ in Ægypto legebatur. Hexapla Origenis in quibusdam Bibliothecis ad eruditionem tantummodo servabantur. Ecclesiæ Occidentales versione LXX. in Latinam linguam conversa utebantur. Quæ a Semi-Judæis factæ sunt, ut multis Scripturæ locis illustrandis utiles habitæ sunt, fere ut apud nos Biblia polyglotta. Publicus Ecclesiæ usus auctoritatem tribuit editioni LXX. & vulgatæ Latinæ.

Editio Eusebii & Pamphyli Martyris ipsa fuit versio LXX. ab Origene edita, & a mendis quæ irrepserant, expurgata, teste Hier. Præfat. 1. in Paralip. cum Hexapla nonnisi magnis sumptibus describi possent.

De Luciani Martyris & Hesychii editione idem sentiendum: nam veterem & communem LXX. editionem tantummodo recensuerunt, non novam cuderunt. Ex antiquis MSS. aliquot prodierunt editiones versionis LXX. Prima quidem fuit Complutensis anno 1515. studio & sumptibus Cardinalis Ximenes; quæque polyglottis cum Philippi II. anno 1571. tum Parisiensi inserta fuit. Secunda Aldi Manutii anno 1518. typis mandata Venetiis. Tertia est Romana e vetustissimo codice Bibliothecæ Vaticanæ Græcis typis excusa cum Scholiis anno 1587. Flam. Nobilius anno proxime insequenti Latinam versionem ex variis veterum locis collectam edidit in lucem. Anno 1628. J. Morinus vir impense doctus, Congregationis Oratorii presbyter, LXX. versionem cum Græce, tum Latine, una cum notis Nobilii publici juris fecit: Hæc genuina & LXX. versioni magis consentanea videtur.

CAPUT III.

De versione Syriaca, & Chaldaica paraphrasi.

I. Secutæ sunt duæ versiones Syriacæ, quarum prior ad Hebræum textum penitus est elaborata, hanc simplicem vocant, altera ad LXX. interpretationem contexta fuit; Syros Orientales priori, utraque uti Occidentales testatur Abulpharagius in Dynast. Versio Syriaca in polyglottis tum Gallica, tum Anglicana edita ad Hebræum textum exacta fuit, atque ad LXX. versionem plerisque in locis reformata. Quæ Christi temporibus erat in usu Syriaca lingua, in multis discrepat ab ea, quæ nunc eo donatur nomine, quæque in Syria erat usurpata, antequam Omarus tertius e Calyphis has regiones invasisset. Hæc in varias divisa est dialectos: Nestoriani, qui Babylone & in Indiis sunt dispersi, libros Syriace scriptos nitidiores habent, quam Jacobitæ & Maronitæ, qui Patriarchæ Antiocheno subditi erant. Plerisque vocabulis Græcis horum lingua permixta est, ob magnum cum Græcis commercium; ab his Syri magnam rerum partem, quæ ad religionem pertinent, mutuati sunt; puncta quoque vocalia excogitarunt Syri, ut lectio certa esset & determinata.

II. Neque hoc loco excutiendum puto, quando lingua Hebraica in usu esse desierit apud Judæos, & lingua Chaldaica, aut Syriaca vulgaris esse cœperit. An statim post reditum e captivitate, an ex utraque lingua alia, ut fieri solet, permixta prodierit; an lingua Hebraica Esdræ temporibus a plebe non amplius intelligi potuit, ut videtur Rabbinis, adeo ut singuli versus cum Hebraice legerentur, statim ab Interprete exponerentur: An potius tres postremi prophetæ, Esdras ipse, Nehemias, & Auctor libri Esther lingua nondum plane exoleta, aut plebi prorsus ignota, ea scripserunt, quæ populus intelligeret.

III. Quod

III. Quod spectat ad paraphrases Chaldaicas, nihil fere certi de earum origine statui potest. Illud observat Simonius, Syriacas quasdam versiones a Syris elaboratas, tamquam paraphrases Chaldaicas prodiisse, easque a Judæis multis in locis mutatas, nec Syros a Judæis, sed Judæos a Syris eas esse mutuatos.

Judæi paraphrases Chaldaicas *Targum* תרגום, vocant: vox Chaldaica interpretationem & paraphrasim significat, quæ sensum ex una lingua in aliam magis, quam verbum de verbo exprimit. Pentateuchi paraphrasis auctorem habet *Onkelos*: Sic paraphrases in Prophetas Jonathan tribuunt: de earum antiquitate ex styli puritate judicatur; de reliquis non magna Judæis est adhibenda fides. Harum nullam mentionem facit Hieronymus, adeo ut vel nullæ tum fuerint ejusmodi Chaldaicæ paraphrases, vel in unum corpus redactæ nondum essent Hieronymi temporibus. Hoc habent commodi hæ paraphrases, quod textus Hebraici, cui concinunt, sinceritatem probent, & voces ambiguas ad certam significationem determinent, loca denique difficiliora textus explanent: sæpe tamen sensum litteralem deserunt, ut moralem insinuent.

Syri cum Jacobitæ tum Nestoriani lingua Syriaca sacros legebant libros: sed ubi lingua Arabica post Saracenorum incursionem his in locis obtinuit, Scripturæ e Syriaca in Arabicam linguam sunt conversæ, & Syriaca ab eruditis tantummodo intellecta. Unde versiones Arabicæ non sunt admodum antiquæ, exque adeo non magnæ sunt utilitatis: præterquam illæ mendis scatent. Eadem iis insunt vitia quæ Syris, & alia quamplurima, exque magna ex parte paraphrases magis quam versiones dici debent; magna est earum in commutandis propriis nominibus licentia.

IV. Post captivitatem Babylonicam Judæi Chaldaice loqui cœperunt, sic tamen ut Hebræa cum Chaldaica misceretur. Qui in Babylonica degebant regione, Chaldaice loquebantur, & purius, quam qui in Palæstina, & in finitimis provinciis. Tres in lingua Chaldaica dialectos principes distinguit Thomassinus in secunda parte præfationis identidem laudatæ. Prima erat Babylonica, eaque pura Chaldaica, qua utebantur Aulici & Primates, qualis nunc extat in libris Danielis & Esdræ. Secunda erat Jerosolymitana, Judæis post captivitatem usitata, quæ cum Hebraica erat permista, eamque Judæi diutius retinuerunt. Quosdam memorat Nehemias, qui ex alienigenis mulieribus genuerant filios, quique ex media parte loquebantur Azotice, & nesciebant loqui Judaice, *& loquebantur juxta linguam populi*, secundum diversa ex Hebræo corrupta idiomata. Azotii quippe & alii Philisthæi Phœnicia lingua loquebantur; sed Syriaca Antiochiæ apud Maronitas, & aliis in locis Syriæ erat usurpata. Linguam Chaldaicam ab Hebraica fere sola dialecto differre multis persuasum est: tametsi utraque habet pleraque vocabula sibi propria, atque in iis verborum & nominum inflexio non eadem est. Unde Genes. 31. 47. eumdem locum Laban Syrus appellavit Chaldaice *acervum testimonii*, Jacob *acervum testis*. Jerem. 5. minatur Deus se adducturum contra Judæos gentem, cujus linguam non intelligerent. Id ipsum ex Lib. 4. Regum cap. 18. 26. & ex Danielis cap. 1. colligitur. Philo quidem Hebraicam linguam Chaldaicam vocat, dum ait LXX. Interpretes Scripturam e Chaldaico sermone in Græcum transtulisse. Verum ut optime respondet Bellarminus Lib. 2. de verbo Dei cap. 6. sic locutus est Philo, *eo quod eæ linguæ sint affines, & notior tunc esset Chaldæa propter Imperium Assyriorum, quam Hebræa*.

V. Chaldaica postea dicta quoque fuit Syriaca, Aramæa, Assyriaca, atque illius vestigia in toto pene Oriente manent. In Scripturis sæpe verba Hebraica Chaldaice formantur, & vice versa.

Hinc prodierunt paraphrases Chaldaicæ, de quibus diximus. Harum originem Judæi repetunt ex captivitate Babylonica, cum Hebræi post longam servitutem propriæ linguæ obliti Chaldaicam ediscere coacti sunt. Seniores quidem, Sacerdotes, & Scribæ Hebraicam linguam tenebant; sed magna pars plebis, cui erat consulendum, jam pene oblita fuerat linguæ patriæ; cum legerentur Scripturæ, explicationes, seu *Targumin*, inductæ sunt. Id vero probant ex cap. 8. Lib. 2. Esdræ: de quo jam diximus. Diversæ paraphrases a diversis scriptæ sunt, ex quibus duæ tantum supersunt, magnæ apud Judæos, & paris fere cum textu Hebræo auctoritatis, Onkeli nimirum & Jonathan, qui circa tempora Herodis, ut vulgo creditum est, vixerunt. Onkeli Targum primas deferunt, quod stylus sit simplicior, & magis litteralis, isque ad puritatem Danielis & Esdræ propius accedat. Jonatha in Prophetas, excepto Daniele, Targum conscripsit.

VI. Hæ paraphrases textus Hebraici integritatem confirmant, idque maxime cum versionibus antiquis concinunt: multis quoque in locis Christianæ Religionis dogmata stabiliunt. Sic Deut. 32. 39. Jonathan dicit: *Quando manifestabitur Verbum Domini, ut redimat populum suum*. Celebre illud vaticinium Genes. 49. 10. *Donec veniat Siloh*, reddunt, *Donec veniat Messiach*. Cum hæc relegerem, prodiit nova expositio illius Prophetiæ Jacob in diariis Trevolii hujus anni 1705. a P. Tournemine tradita, quæ cum Vulgata & textu Hebraico videtur omnino consentire.

Non auferetur Sceptrum; vox eadem virgam pastoralem etiam significat. *De Juda*, e tribu Juda; vel regnum Dei, seu regimen

men Theocraticum apud Judæos non deficiet. *Et dux de femore ejus*, seu de femoribus, de familia Judæ; *dux*, seu Legislator. *Donec veniat, qui mittendus est*, Hebr. *Siloh*, Messias nimirum, quem ex variis signis designat, 1. ex tempore adventus, antequam tribus Juda e terra sancta ejiciatur, & instar aliarum tribuum dissipetur: *Ipse erit expectatio Gentium:* Nationes omnes in unam adducet Ecclesiam. Quo quidem signo admodum memorabili ab omni alio homine dignoscetur. Hujus populus est Juda, huic *promissiones sunt reservatæ*; nascetur e Virgine, pacem hominibus, & felicitatem afferet. *Ligans ad vineam pullum suum:* Promissiones factas adimplebit.

In captivitate Babylonica plebs ipsa in Judæa perstitit: sed sub Adriano Imperatore Judæi omnes expulsi sunt e patria sua, ac tribus Juda cum aliis tribubus ita confusa est, ut ipsis fatentibus dignosci amplius non possit. Magno Messiæ constabit salus hominum: *Lavabit in vino stolam suam. In asina & pullo ejus;* his utetur, cum triumphans intrabit Jerosolymam.

Juxta hanc expositionem nihil necesse est seriem Regum Juda non interruptam persequi, aut probare tribum Juda semper sui juris fuisse, & peculiarem populum ad Christi usque adventum. Reliqua videri possunt loco citato, ubi Prophetiæ Zachariæ cap. 9. & 11. pulchre exponuntur: sed ad institutum nostrum redeamus. Isaiæ 7. 14. textum, *Ecce Virgo concipiet*, non depravat Jonathan, ut posteriores Rabbini. Sic Isaiæ 9. vaticinium illud Messiæ applicat Jonathan: *Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, & vir permanens in sæculum Messias.* In locis obscuris, & in vocabulis inusitatis multum lucis afferunt, ut in ritibus & consuetudinibus.

Chaldaica seu Aramæa eadem fuit olim cum Syriaca: hinc Dan. 2. 4. Chaldæi dicuntur Regem allocuti Aramice, seu Syriace. Judæi post captivitatem reduces linguam, ut diximus, ex Hebræa & Chaldaica permixtam intulerunt, quæ est Syriaca Jerosolymitana: sed Antiochena parum a Chaldaica dissidebat, in vocum tantummodo terminatione & flexione. Quæ Antiochiæ & in vicinis regionibus erat usitata, proprie Syriaca dicitur, & versiones Scripturæ apud Christianos Antiochenos Syriacæ vocitantur.

VII. Utrum Syriaca versio eadem sit lingua, quæ Christo Domino Salvatori fuit vernacula, inter doctos controvertitur. Grotius in Matth. 27. 46. & Marc. 15. 34. de verbis a Christo in cruce pronuntiatis: *Et hinc*, inquit, *aliunde colligitur, Christum neque veteri usum Hebræorum sermone, neque Syriaco, sed mixta dialecto Antiochena, quæ Syriacæ nomen proprie obtinet, & in qua scripta est versio Syriaca.* Ut Judæi suas habent paraphrases Chaldaicas, sic Christiani suas quoque habent versiones Syriacas. Antiqua, ut diximus, simplex & sine fuco Hebræum veteris, & Græcum novi Testamenti textum ubique fere sequitur. Illa quidem cum Hebræo consentit, etiam ubi aliæ versiones ab eo dissentiunt. Atque hinc probant nonnulli textus Hebraici integritatem: etsi forte cum factæ sunt versiones LXX. & Targum, auctores versionum aliter in codicibus suis legerint.

Quando ab Hebræo dissentit Syrus, cum aliis fere versionibus convenit; linguam Hebraicam magis emphatice exprimit, quod ad eam propius accedat. Novi Testamenti textus Syriacum omnino sapit. Nam sacri Auctores Syriace conceperunt, quæ Græce scripserunt: ita Waltonus proleg. 13. Jam a primis Ecclesiæ temporibus earum regionum incolæ Christiani utrumque Testamentum in suam linguam verterant, cum ii populi Græce nescirent. Idque est verisimillimum, primam versionem ad LXX. editionem exactam fuisse. Maronitæ integra veteris Testamenti translatione ex textu Hebraico utuntur. Hanc publici juris fecit Gabriel Sionita, eaque in Polyglottis Parisiensibus fuit edita. Interdum ea cum textu Samaritano & editione LXX. magis quam cum textu Hebræo consentit: sæpe Hebraici textus sensum melius exprimit.

VIII. De Arabica versione nihil est causæ, cur plura subjiciamus: atque ut ut ea lingua sit vetustissima, (siquidem ea gens cum aliis nullo fere commercio juncta fuit) multis tamen sæculis intra Arabiæ fines delituit: sed post annum a Christo nato 600. una cum Religione & Imperio Mahumetis longe lateque fusa est, & magnam orbis partem invasit. Primus inter Judæos R. Saadias circa annum 900. vetus Testamentum Arabice ex Hebræo vertit. Is erat scholæ Babylonicæ rector. Hujus versionis Pentateuchus tantummodo typis mandatus est: versiones variæ a Christianis deinceps factæ sunt.

CAPUT IV.

De Latinis versionibus, ac de Vulgata in primis.

I. Jam a primis Ecclesiæ sæculis in Occidente sacri codices in Latinam linguam sunt conversi: atque illud valde probabile est unam fuisse omnibus pene Occidentis Ecclesiis communem versionem, quam *Italam* vocat Augustinus, Hieronymus *Vulgatam*, Gregorius *Veterem*. Psalmi adhuc leguntur ex illa communi versione, qua utitur Augustinus. Hanc emendavit Hieronymus, & ad Græcam, quæ in Hexaplis erat sincera, castigavit. Multi adhuc in Bibliothecis extant codices antiquæ illius translationis.

Hie-

Hieronymus quidem, ut diximus, ex Hebræo versionem aggressus est, non ut publice legeretur in Ecclesia veteris editionis loco, sed ut Christianos adversus Judæorum calumnias ea ratione muniret, & privatorum eruditioni consuleret. Huic novæ translationi undique fere initio reclamatum est: sed ea tamen paullatim obtinuit, & in publicum Ecclesiæ usum recepta est. Hanc S. Leo identidem usurpat, & S. Gregorius multum ei tribuit auctoritatis; pleraque enim menda, quæ in veterem editionem irrepserant, emendata continet, quæ utut magni momenti non fuerint, nonnihil tamen codices sacros vitiabant.

II. Quæ *Vulgata* dicitur, partim ex antiqua versione ab Hieronymo emendata, partim ex ejus versione nova majori ex parte coaluit, eaque ab Hebræo textu, qualem nunc habemus, sæpe discrepat. Nonnulla ex Aquilæ, Theodotionis & Symmachi editionibus sunt desumpta.

De Hieronymo loquens Cassiodorus libro de institutione divinarum Scripturarum hæc habet cap. 21. *Qui nobis in translatione divinæ Scripturæ textum præstitit, ut ad Hebræum fontem pene non egeamus accedere*. Qui Latinam versionem ex Hebræis, quæ extat inter Hieronymi opera, cum Vulgata contulerit, unam cum altera pene ubique convenire deprehendet, & eumdem habere auctorem. Deinde Vulgata non ex LXX. versione, sed ex Hebræo est expressa: nemo autem e Latinis post Hieronymum usque ad Pagninum Scripturas ex Hebræo in Latinum transtulit. Pleraque ex iis, quæ Hieronymus in versione LXX. deesse scripsit, hæc in Vulgata supplentur ex Hebræo. Jam utique in Ecclesia Latina ea translatio usurpari cœperat, ac brevi post tempore ubique recepta est. Antiqua enim versio ex LXX. editione profecta suis non vacabat nævis. Sed Ecclesia, quæ Religionem illæsam conservat, versiones ipsas ad hanc veritatem refert, non ad solam Interpretum diligentiam. Antiqua versio Latina ex LXX. editione sic ducta fuit, ut verbum ex verbo redderet: Vulgata, quæ Hieronymum majore ex parte habet auctorem, ad textum Hebræum pene universa fuit expressa. Hæc etiam veteri fuit antepolita, quod plana esset & accurata magis. Non adeo verbis est illigata, sed sensum ipsum magis exprimit quam vetus Latina.

Hæc ab annis mille in Ecclesia Latina obtinuit, ac sola e Latinis versionibus a Concilio Tridentino ut authentica fuit declarata: non quod alias versiones, aut Græcam LXX. aut Syriacam rejecerit, sed inter Latinas hanc unam agnovit, quæ in disputationibus Theologicis, in concionibus publicis citari debet ut instrumentum fide dignum, quodque in rebus quæ ad substantiam Religionis pertinent, non fallit, sed suo archetypo apte convenit. Idque, ut alias innuimus, adversus Novatores sapienter decretum, qui novas quotidie versiones cudebant. Sic antiqua versio ab iis erroribus, qui Religionem aut mores lædunt, immunis erat, eaque fuit authentica: non enim necesse est unicam esse versionem, quæ ejusmodi errorum sit expers. Hinc Cardinalis Palavicinus, cum hoc argumentum Lib. 6. cap. 17. pertractat, id sapienter advertit antiquam versionem ea ratione authenticam fuisse, etiamsi quoad sensum ipsum in multis ab originali textu dissentiret: ad hoc enim Scriptura fuit hominibus data, ut eos erudiret in iis quæ ad religionem & fidem spectant. Eadem manet Scripturæ substantia apud omnes nationes; nulla propius accedit ad textum primævum, quam Vulgata, sed non omni caret nævo: Scriptura omnis divino Spiritu afflata est; sed non id contendimus nihil esse in versione authentica, quod non fuerit inspiratum.

Instrumentum omne, ut identidem diximus, quod in publico judicio fidem facit, & cujus publica est authoritas, authenticum dici solet, Autographum in primis. Quo quidem modo testamentum manu testatoris scriptum & obsignatum dicitur authenticum. Quin & ipsa exemplaria & acta quæ a Notariis publicis sunt excepta, aut a magistratibus obsignata, habentur pro authenticis. Immo & versiones primævo exemplari consonæ eo nomine censentur. Qua quidem ratione Vulgata utriusque Testamenti versio est authentica, tametsi ab omni nævo aut levi errore non sit prorsus immunis. Neque ea fuit mens sacri Concilii, ut Vulgatam omni ex parte textui originali consonam, & omnis erroris vel levioris expertem decerneret. Illud non fugiebat Patres Concilii, Psalmorum versionem ab Hieronymo factam magis cum Hebræo consentire, quam Vulgatam. Non enim tamen declaravit authenticam, quod Vulgata esset in Ecclesia usitata, non item versio Hieronymi. Nec sane vulgata editio ante Concilium Tridentinum omni omnino errore vacare est judicata a claris auctoribus, cum post Concilium a Sixto V. & Clemente VIII. multis in locis reformata fuerit, ut Clemens VIII. testatur in præfatione editioni suæ præfixa.

III. Id præter cæteros Mariana in libro, quem pro editione vulgata conscripsit c. 21. diserte testatur. *Contendimus*, inquit, *Hebraica Græcaque haudquaquam a Tridentinis Patribus rejecta esse: Latina quidem probari, neque ita tamen ut loca quædam apertius, aut etiam magis proprie verti posse negent*. Morinus duplicem affert modum, quo publicum instrumentum authenticum dici potest: *Aliud*, inquit, *authenticum est natura sua, aliud per accidens*. Tum id subjicit: *Ubi duæ lectiones diversæ occurrunt textui conformes, & utraque vera, tum unam tantummodo esse natura sua authen-*

thenticam, *alteram per accidens*. Sic Paulus auctoritate sua quasdam Judæorum traditiones, aut Poetarum sententias efficere potuit authenticas: quæ ita dici possunt per accidens. Hanc igitur prærogativam præ cæteris habet vulgata editio, ut sola inter Latinas authentica fuerit a Concilio generali declarata. Vox illa authentica non in stricta & primæva significatione accipitur, pro originali & archetypo instrumento: secus nulla esset Biblia authentica; sed quod Vulgata & vetustate sua & auctoritate aliis sit præponenda, quod ante omnes quæ circa Religionem ortæ sunt controversias, fuerit in Ecclesia comprobata; in his maxime quæ ad fidem & mores spectant, a primævo exemplari non dissideat: cum novæ editiones neque longo usu, neque ullo Ecclesiæ decreto sint approbatæ. Aliud est authenticum, aliud canonicum & divinum esse; Deus solus auctoritatem divinam Scripturæ, vel instrumento dare potest; sed Concilium potuit editionem tot retro sæculis probatam, eamque solam ad Ecclesiæ Latinæ usum authenticam declarare.

IV. Et quidem recte docet Augustinus Lib. 3. de doctrina Christiana, eumdem Scripturæ locum varios sensus habere posse. Nihil enim prohibet Spiritum Dei multa simul iisdem verbis designare, præsentia & futura, quæ tum acta sunt, referre, simul & quæ ad Christum & Ecclesiam spectant, prænuntiare. Sed cavendum est, ne cum veteribus Judæis hoc principium ultra quam par sit, extendamus: ii quippe docent Scripturam septuaginta habere facies, & infinitis prope modis explicari posse. Unus præcipuus est sensus, qui cum obscurior est in uno loco, persæpe in aliis locis fit apertior. Quæ ad fidem & mores spectant, fere sunt ubique clariora; una interdum versio alteram exponit. Unde August. Lib. 2. de doctr. Christ. capit. 11. & 13. linguarum notitiam ad Scripturarum intelligentiam commendat.

V. Quod vocum & punctorum distinctionem spectat, si ad religionem nihil afferant momenti, *Tales*, inquit Augustinus Lib. 3. cap. 2. *distinctionum ambiguitates in potestate legentis sunt. Sed ubi de sensu orthodoxo agitur*, *consulat*, inquit, *regulam fidei*, *quam de Scripturarum planioribus locis*, *& Ecclesiæ auctoritate percepit*: ac præter cætera series ipsa contextus est observanda. Id quoque monet, *ne figuratam locutionem ad litteram accipias*. Sæpe evenit, ut Interpretes textum primævum non eodem modo legerint, idque interdum ex varia punctatione: tumque sensus apertior, quique cum antecedentibus & insequentibus magis consentiat, erit eligendus. Nonnumquam hoc ipsum ex transpositione litterarum oritur; sæpe in veteribus codicibus diversæ sunt lectiones, aut voces ambiguæ, aut incerta est significatio; tumque versiones antiquæ sunt consulendæ.

Quæ quidem regulæ multo sunt tutiores, quam quæ a Novatoribus proponi solent. Nam si ad textum tantummodo originalem, qualem nunc habemus, omnes de Religione controversiæ revocentur, quæ inter Protestantes v. gr. & Socinianos agitantur circa Scripturæ loca, nullus erit controversiarum finis. Cedo enim unde iis constet exemplaria ipsa Hebræa nulla in parte fuisse vitiata, idque ex certo Judæorum consilio?

VI. Sed, inquiunt, si versio LXX. ex Hebræo in Græcum, aut Itala & communis e Græco in Latinum fuerunt authenticæ, & textui ipsi consonæ, quid necesse erat, ut Hieronymus aliam versionem omnino diversam proponeret?

Ruffino id ipsum objicienti Hieronymus respondet primum, *Nihil se contra LXX. Interpretum auctoritatem scripsisse*, *quos*, inquit, *ante annos plurimos diligentissime emendatos meæ linguæ studiosis dedi*. Causas vero, quæ ad novam editionem illum impulerint, affert in præfatione ad Paralipomena: *Si LXX. Interpretum pura, & ut ab eis in Græcum versa est editio permaneret, superflue me Chromati Episcoporum sanctissime atque doctissime impelleres, ut Hebræa volumina Latino sermone transferrem. Quod enim semel aures hominum occupaverat, & nascentis Ecclesiæ roboraverat fidem, justum erat nostro silentio comprobari. Nunc vero cum pro varietate regionum diversa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque translatio corrupta sit atque violata, nostri arbitrii putas, aut e pluribus indicare quod verum sit, aut novum opus in veteri cudere*. Aliam subinde rationem innuit in præfat. ad Lib. Job, nimirum ut quæ a LXX. fuerant omissa, aut obscure translata, restitueret, & illustraret. Adde novam ab eo factam esse versionem, ut Judæorum calumnias retunderet, & eorum subterfugia occluderet: cum indesinenter clamarent textum Hebræum plane diversum esse a versione LXX. qua utebatur Ecclesia. Deinde ne Christianis opus esset, ut doctores Judæos consulerent, aut ingentes facerent sumptus in conferendis exemplaribus; atque occasionem erroris præscinderet iis, qui Hebraici sermonis ignari perperam judicabant, quis interpres verius dixisset; ac demum ut dissidium inter Ecclesias circa editionem LXX. tolleret, quæ diversa & inter se pugnantia haberent exemplaria, novam & perutilem, uti jam supra diximus, translationem aggressus est.

VII. At, inquiunt, in vulgata editione multa sunt relicta, quæ Hieronymus ipse emendaverat; multa parum commode translata, & minus Latine expressa, obscure & ambigue posita.

Respondet Sixtus Senensis hæc non obstare, quominus Ecclesia usque in hanc diem habue-

habuerit veram & integram Scripturarum translationem; nihil enim in vulgata veteris & novi Testamenti versione occurrit a veritate Christianæ fidei devium, nihil falsum, aut regulis morum contrarium; nihil contra veritatem additum, aut omissum, ut occasionem perniciose errandi præbuerit; nihil ita ambigue versum, ut fidei mysteria occultentur, aut non sufficienter explicentur. Quos errores Hieronymus in veteri editione notaverat, & ipse consulto reliquerat, justis de causis judicavit Ecclesia relinquendos, quod nihil periculi in fide ac moribus ex levibus illis erratis & mendis immineret; ac subinde cavendum erat, ne fideles intempestivæ correctionis novitate offenderentur. Apostoli quidem noverant editionem LXX. in multis redundare, & in multis deficere: ea tamen pene semper usi sunt, atque ex illa, prima fidei fundamenta jecerunt, quod communis esset editio, & in rebus alicujus momenti non erraret. Neque editio vulgata solum Hieronymum habet auctorem, sed, ut dictum est, ex aliis quoque versionibus est permixta. Nam in Prologo Galeato, & in præfat. in Esther testatur se nihil mutasse ex Hebraica veritate, & ubique testatur, quod Hebræum textum accurate expresserit. Ac sæpe Vulgata relicto Hebræo sequitur LXX. ut multis exemplis probat Waltonus proleg. 10. Quædam Vulgata addit quæ non sunt in Hebræo, quædam transponit aliter atque sunt in Hebræo. Ex quibus sequitur Vulgatam maxima quidem, sed non omni ex parte esse Hieronymi, eamque ex aliis, & præsertim ex veteri esse conflatam.

Illud plane est temerarium, propter errata quædam leviora, quæ in vulgata editione occurrunt citra ullum fidei, aut morum detrimentum, eam abjicere, atque in ejus locum novas & profanas inducere. Quid enim est aliud, uti optime loco citato Sixtus Senensis, quam novos quotidie tumultus in Ecclesia Dei excitare? & si rejectis vetustis editionibus recentiores quotidie in Ecclesiam inducere volumus, quis erit finis aut modus interpretandi sacros libros, restituendi, emendandi, dum novi Interpretes summa inter se dissensione certantes alter alterum rejicit & damnat? Sic Lutherus Œcolampadium & Zuinglium, Lutherum Munsterus, hunc Pellicanus accusat. Castalio omnes ante se Interpretes ut Latini sermonis ignaros contemnit. Hic mollis & delicatus non se Latine loqui putat, nisi quam effeminatissime contra divinæ Scripturæ majestatem meretricum more loquatur, quem Beza egregie imitatur. Munsterus contra ubique horridus & agrestis, in affectandis Hebræorum idiotismis durus & barbarus, ut plane Judæus videatur, quemadmodum Castalio Gentilis plane & profanus.

VIII. Sed nobis opponunt: *Si versio Hieronymi, aut Vulgata sola est authentica, uti a Concilio Tridentino videtur definitum, eaque textum Hebraicum tam perfecte exprimit, nihil est causæ, cur textus ipse Hebraicus idem non habeat auctoritatis pondus: cur enim plus versioni Latinæ, quam textui originali tribuimus? cur illius non divina erit auctoritas?*

Responsum jam fuit, eo decreto Concilii Latinas dumtaxat versiones inter se conferri, nihil de textus Hebraici, aut LXX. editionis auctoritate decedere. Id manifeste declarat Summus Pontifex Clemens VIII. in Præfatione, quæ Bibliis præfigitur. Vulgatam Latinis omnibus præpositam docet, tum ob antiquitatis reverentiam, tum ob novas Hæreticorum, quæ quotidie emergebant, versiones, quæ ad hæreses hujus temporis confirmandas latenter detortæ videbantur, tum demum ob confusionem, quæ ex tot editionibus necessario dimanat: *Ipsa certe tanta versionum varietas atque diversitas magnam in Ecclesia Dei confusionem parere potuisset, cum unusquisque pro arbitrio suo adderet, vel detraheret.* Quæ rationes nihil de auctoritate primitivi Textus detrahunt. Id ipsum Concilium in decreti sui initio declarat: ***Ex omnibus editionibus Latinis, quæ circumferuntur.***

IX. Hoc ipsum docet Salmeron Proleg. 3. in Evangelia, idque ex Andrea Vega, quem citat Palavicinus cum Melchiore Cano, & confirmat ex aliis Auctoribus, qui post Concilium floruerunt, ex Bellarmino in primis, Bonfrerio, Serrario, qui unanimi consensu docent vulgatam editionem Latinis omnibus prælatam a Concilio, eamque esse ab omni errore in fide & moribus tutam; non eam cum textu originali Hebræo, aut Græco sic comparatam fuisse, ut sola haberet auctoritatem; ac quotiescumque textus Hebræus aut Græcus ab ea dissentit, culpam in textu originali hærere, aut in Versione LXX. Neque enim homini cordato illud probari potest, Ecclesiam Græcam, immo & Latinam primis sæculis caruisse Scriptura, vel translatione authentica. Una & eadem est Ecclesia per ætates omnes & regiones diffusa. Nunc editio LXX. in Occidente non est in usu publico, nisi in Psalmis: sed Orientales Ecclesiæ ea utuntur; nec Latina Ecclesia id umquam Græcis opposuit, quod Scripturis authenticis essent destituti.

Vulgata quidem editio persæpe a Textu Hebraico dissidet, sed cum antiquis translationibus tum magis convenit: adeo ut e pluribus versionibus hæc permixta videatur, ut præter cæteros docet Bellarminus Lib. 2. de Verbo Dei, cap. 9. Tamen cap. 10. inter Calvini mendacia & illud refert, quod asserat Concilium Vulgatam fontibus præposuisse; ac subinde docet Concilium de fontibus nullam fecisse mentionem, neque iis quicquam derogasse, sed tantum reliquis Latinis versionibus, quæ hodie circumferuntur,

tur, Vulgatam antepofuiffe. Idem teftatur Salmeron qui Concilio interfuit, Serrarius in Proleg. cap. 19. & alii pene omnes. Id unum ftatuit Concilium, Vulgatam in publicis concionibus, lectionibus, & difputationibus citari oportere. Sed textus originalis auctoritati, aut Canoni, *Ut veterum*, diftinct. 19. non derogat: *Ut veterem librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eft, ita novorum veritas Græci fermonis normam defiderat.*

DISSERTATIO QUARTA.

De Expofitione facræ Scripturæ.

SCripturæ fanctæ non omnibus funt obviæ & apertæ, ut plerique Novatores fingunt; fed expofitione egent, cum ob linguarum diverfitatem, tum maxime ob reconditos fenfus. *Quod totum*, inquit August. Lib 2. de Doctrina Chrift. cap. 6. *provifum divinitus effe non dubito ad edomandam labore fuperbiam, & intellectum a faftidio removendum, cui facile inveftigata plerumque vilefcunt.*

Senfus autem Scripturæ duplex eft, litteralis, feu hiftoricus, & fpiritalis, feu myfticus: ille eft quem voces menti fubjiciunt: fpiritalis autem is dicitur, quem res vocibus expreffæ fignificant: Litteralis duplex eft, proprius, & figuratus: *Propria dicuntur figna*, ait Auguft. Lib. 2. cap. 10. *cum his rebus fignificandis adhibentur, propter quas funt inftituta.* Senfus eft figuratus, cum verba ufurpantur a propria fignificatione ad aliam tranflata; ut cum Chriftus dicitur Agnus, Leo, Vitis, &c. De fenfu litterali primum, cum proprio, tum figurato, paullo uberius eft differendum: fed de ftylo & charactere Scripturæ facræ, tum de arte expofitoria Scripturarum ex Sixto Senenfi Lib. 3. Bibliothecæ fanctæ nonnulla ante funt præmittenda, quæ ad facrarum Litterarum intelligentiam non mediocrem lucem afferre poffunt.

CAPUT PRIMUM.

De Stylo & Charactere Scripturæ facræ.

I. ANtequam de expofitione Scripturarum verba faciamus, non erit alienum perpauca de illius ftylo & charactere præmittere: id enim in primis utile eft ad facrarum Litterarum intelligentiam. Hoc argumentum inter Proteftantes Nobilis D. Boyle magna cum laude pertractat, tametfi nonnulla ex fuæ Religionis præjudiciis admifceat, fed modefte tamen; erat enim ingenio miti, ad omnem difciplinam & honeftatem compofito, nec infenfo & hoftili animo in Catholicos, ut plerique alii.

Primum quidem illud recte admonet, librum omnem in alienam linguam tranflatum multum gratiæ & elegantiæ perdere, præfertim cum e verbo ad verbum tranflatus eft; quod in verfione facrorum Codicum ob eorum majeftatem & reverentiam factum oportuit, ne humani ingenii fœtus cum Sancti Spiritus effatis perperam mifcerentur, ut fieri folet in paraphrafi, & in libera verfione. Primum enim figuræ dictionis, quæque ex decenti verborum fono, & apta eorum collatione pendent, omnino pereunt in his verfionibus. Deinde Hebræus fermo, ut alii pene omnes, fua habet velut lumina fibi propria, emphafim in quibufdam loquendi formulis fibi peculiarem, quam fruftra apud Interpretes quæfieris.

II. Quare vetus illa & rancida non impiorum modo, fed complurium, qui ingeniofi videri volunt, querela hinc compreffa manet, rudem effe & inelegantem Scripturæ fermonem. Quod etiamfi daremus, nihil propterea de Scripturæ majeftate decederet. Nam facri libri magna ex parte ftylo familiari & facili fcribi debuerunt, ut rudioribus & indoctis utiles effent. At præpoftere quidam perverfi homines id Scriptoribus facris vitio vertunt, quod in iis eft in primis laudandum. Idem videtur a Spiritu Sancto factum, quod olim a Propheta in fufcitando a morte puero; qui fefe ad illius formam accommodans, os fuum infantis ori, ulnas fuas infantis ulnis, pedes pedibus aptavit: fic Deus ad noftram infirmitatem fe demittens, pro inftituti operis ratione inftrumenta fua attemperat, atque hominum varietati confulit, dum cæleftem fuam doctrinam innumeris modis variat, eamque in promiffiones, comminationes, exempla, myfteria tribuit. Interim vulgari & perfpicua utitur oratione, interim fublimi & obfcura, pro argumenti fui dignitate & natura.

III. Contra, inquiunt alii, major eft in Scripturis obfcuritas, quam ut ab hominibus intelligi poffit. Quibus refpondemus, in iis quæ ad morum informationem fpectant, eas plerumque minime effe obfcuras; & fi quæ occurrunt circa credenda difficultates, has diluit Ecclefiæ traditio & confenfus, ut identidem monuimus. Obfcuritatem interdum efficit linguæ primævæ ignoratio, & genuina vocum fignificatio, quarum vim temporum delevit injuria. Et quidem longe difficilius videtur Hebraicum textum rite interpretari, quam libros aliis linguis confcriptos: cum in aliis fere omnibus etiam Orientalibus linguis copia librorum fuppetat, e quibus diverfæ vocum acceptiones peti poffunt: fed purum Hebræorum idioma a tot retro fæculis fic periit, ut in folis Veteris Teftamenti libris fuperfit.

sit. Hujus linguæ vocabula non sunt in magno numero, & pleraque sunt ambigua, eaque vim habent diversam. Hinc fit, ut antiquæ versiones recentioribus anteponendæ videantur, eæque voces & phrases Hebraicas longe alio sensu plerumque reddant, quam novæ editiones.

IV. Et quidem complures loci nobis aridi, duri, male cohærentes videntur, quod locutiones quæ iis temporibus notæ erant & usitatæ, non intelligamus; permulta etiam nos fugiunt, quæ ad Topographiam, Historiam Judaicam, consuetudines, & sectas pertinent. Sic novo Testamento Josephi Historia non parum lucis affert. Quæ revera obscura sunt, hæc sæpius ex materiæ ipsius sublimitate sunt ejusmodi: sed pie & attente legentibus minuitur sæpe ac tollitur difficultas, ut evenit Eunucho Reginæ Æthiopiæ, Act. 8. Lectorum industriam exercet obscuritas, quæ instar nebulæ, aut caliginis eminus spectantibus obscurior videtur, quam per illam iter facientibus. Scripturæ enim id proprium est, *illuminare oculos, & intellectum dare parvulis:* atque utut caligine obductus sacer textus appareat, is tamen plus luminis pio lectori suppeditat, quam luculenta aliorum Auctorum scripta. Obscura quæque hunc saltem fructum nobis afferunt, ut tenuitatis nostræ nos admoneant, quo de verbo Dei magnifice & reverenter, ut par est, sentiamus; vel ob id maxime, quod Deum habeat Auctorem. Unde Christus Dominus id cum semine comparat, quod in terra jacens, & quasi emortuum, postea germinat, & in messem uberem succrescit.

V. At enim, urgent alii quidam fastidiosi: Jejunus est iste liber, & aridus, pleraque leviuscula, nullius pene momenti, & propositæ rei aliena continet. Hinc tautologiæ in eo frequentes, uti & crebræ repetitiones.

Respondeo nihil mirum esse, si Scripturæ stylus his displiceat, qui quamvis alium docendi rationem criminarentur. Atque immerito prorsus sacrum illud volumen jejunum & aridum iis videtur, cum quædam eximiæ in Libris Ethnicorum sententiæ & veritates eo nomine censeantur, quod sint qualiacumque earum quæ in sacra Scriptura extant vestigia. Atque illud palam est, nullius Philosophi, aut Oratoris lectione, vel paucos homines in viros probos evasisse, cum novi Testamenti lectio, divina aspirante gratia, tot viros frugi, tot Sanctos, tot generosos Martyres effecerit: in profanis Scriptoribus plerumque materia sermonis copiæ cedit, in sacris contra vincit orationem materiæ dignitas.

Quæ leviora imperitis videntur, hæc plerumque sunt gravioris momenti, atque illæ rerum gestarum circumstantiæ sunt instar plumarum, quæ sagittis aptari solent; eæ quidem non feriunt instar cuspidis, sed sagittæ in scopum perducendæ serviunt, atque ejus motum regunt.

Consimili ratione, quæ iis videntur tautologiæ, magnam persæpe habent emphasim, dum inculcant, & altius animis imprimunt, quæ nosse permagni interest. Unde præcipua dogmata, quæ ad fidem, vel ad mores spectant, multis in locis iterantur, ut cum clavus repetitis ictibus altius infigitur. Idque factum oportuit, ut Hæretici quos futuros præviderat Deus, nulla habeant suffugia. Neque ut aliena a re proposita habenda sunt, quæ scrupulos aut objectiones prævertunt, vel errandi occasionem amovent.

VI. Quo expostulare solent, Scripturam aridam esse, & omni elegantia sermonis destitutam, contrarium infra demonstrabimus. Atque ut res ita se haberet, cum id vitio vertunt, si sacrosancta Mysteria, quæque ad Religionem pertinent, proprio & theologico stylo exprimuntur? An non licet orationis formam proposito fini congruentem seligere? Verum id quoque eos fallit, quod Scripturas non in ipsis primitivis linguis, sed in versionibus tantum legimus, quæ dum singula ad litteram exprimunt, Hebraicos & Græcos idiotismos non assequimur: sed Scripturæ orationis concinnitate facile carent, rerum dignitate subnixæ.

VII. Deinde quæ apud Orientales viget plurimum, discrepat ab ea, quæ in Europa usurpatur, sermonis elegantia. Illorum oratio tropica est & figurata, parabolis abundat; abruptum plerumque est eorum dicendi genus, & suspensum; quod deest sermoni, conjecturis aliquot interdum supplendum est. Transitiones, & nexus orationis negligunt Orientales: hinc ordo plerumque minus perspicitur: adeo ut diversa prorsus in utrisque populis sit eloquentia. Neque id nos morari debet: nam eloquentia, quæ conceptus nostros instar vestis tegit & ornat, pro diversitate regionum & temporum variatur, ut vestes ipsæ, quibus teguntur corpora. Unde Seneca, Epistol. 114. in ea est opinione, ut putet nonnullis temporibus vitiosum orationis genus, vel cultioribus ingeniis placuisse: *Sic Sallustio*, inquit, *vigente, amputatæ sententiæ, & verba ante expectatum cadentia, & obscura brevitas fuere pro cultu*. Ac nescio an Senecæ ipsius sermo iisdem vitiis, quæ in Sallustio reprehendit, non laboret: verum illa ab instituto nostro sunt prorsus aliena. Id unum volumus, sermonis elegantiam in sacra Scriptura non deesse, ubi opus est.

Cum Deus Leges præscribit, ut in quatuor posterioribus libris Pentateuchi, tum sermonis nitorem frustra quærimus, ubi perspicuitas tantum, & Leges dantis majestas requiruntur: quæ duo in Legibus scribendis plurimum valent. Ast ubi permovendi sunt animi, & persuadendi, tum elegantiam non fucatam, sed veram & divinam

nam prorsus, ut in Prophetis videre est, & in Isaia in primis, in Psalmis, & in Pauli Epistolis cælestis quædam viget eloquentia.

VIII. Illud quoque opponunt, in Scripturis perturbatam esse & luxatam tractandi rationem, non exquisitam & ordinatam, ut in plerisque Scriptoribus profanis. Immo, inquiunt, nulla pene argumenta, nullæ in iis afferri solent rationes, aut siquæ afferuntur, ex iis plerumque nihil concluditur, ut ratio ipsa postulat.

Respondetur non fuisse divinæ majestatis ad certæ cujusdam methodi leges, vel in dicendo, vel in ratiocinando se illigare, quas plerumque angusti hominum conceptus exigunt. Quam Scriptura sequitur methodus, ea non est scholastica, sed apta rebus quas tractat, huic cum Auctoris fine proposito optime convenit, nec constituti ordinis leges immutantur, nisi id utile sit legentibus. Scriptura quidem sæpe non utitur argumentis ad fidem faciendam, & abruptum argumentandi genus Orientalibus usitatum non raro usurpat.

CAPUT II.

Præcipua expositionum methodi perstringuntur.

I. ARtem exponendi Scripturas Sixtus Senensis eam definit, quæ præceptiones & regulas docet ad elucidationem divinæ Scripturæ necessarias: tum duplex expositionum genus historicum, seu litterale, & mysticum, seu spiritale distinguit, & utriusque utilitatem prosequitur. De spiritali postea dicemus: de historico, quem rei gestæ narratio, ac verborum series sub usitata vocum significatione, seu propria, seu metaphorica exprimit, nunc agimus:

Quo quidem genere expositionis Christus Dominus passim utitur: ut Matth. 19. cum legem Deuter. 24. de libello repudii interpretatur, & perversum Pharisæorum sensum rejicit. Hoc quidem expositionis genus ad intelligentiam eorum, quæ & credenda & facienda sunt, & ad eos refellendos, qui veritati resistunt, est omnino necessarium, idque est velut fundamentum spiritalis sensus: eo quippe si destituatur, vix ullum ad probationem alicujus dogmatis robur obtinebit. Hinc August. in Epist. ad Vincentium Donatistam: *Quis autem non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se interpretari, nisi habeat & manifestatissima testimonia, quorum lumine illustrantur obscura?* Ex spiritali sensu firma ducuntur argumenta, cum aliunde constat vel ex aliis Scripturæ locis, vel ex Ecclesiæ interpretatione, vel demum ex unanimi Patrum consensione eum esse genuinum Scripturæ sensum, quem Spiritus sanctus intellectum voluit. Atque hanc regulam in Scripturæ interpretatione sapienter præscribit Synodus Tridentina, sessione 4. *Ut nemo contra sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum sanctorum Patrum ipsam Scripturam sacram audeat interpretari*. Quæ regula necessaria fuit, ut ipsa loquitur Synodus, *ad coercenda petulantia ingenia* Novatorum, qui nova quotidie dogmata sub specie exponendæ Scripturæ proseminabant, non quod interpretibus obscura Scripturæ loca exponendi facultatem interdicat, cum Concilium ipsum prohibitionem hanc ad ea, quæ ad fidem, aut bonos mores pertinent, coarctet.

Sed ubi interpretatio doctrinam fidei aut morum non lædit, ac novam affert lucem obscurioribus locis, id nullo vetat modo sacrum Concilium; idque apud Catholicos Interpretes semper fuit usitatum. Unde Hieron. Epist. 138. *Hæc nos de intimo Hebræorum fonte libavimus, non opinionum rivulos persequentes, neque errorum, quibus mundus repletus est, varietate perterriti, sed cupientes & scire & docere quæ vera sunt*. Inter expositiones primo loco ponitur translatio, qua Scriptura ex una lingua in aliam vertitur, & verbum de verbo fideliter redditur. Ac de translatione quidem Scripturarum superius fuse fuit disputatum: ubi etiam de punctatione, quæ propria est Hebræis, quæque ad expositionem Scripturarum pertinet, diximus. Nec credibile est has notas quæ essent loco vocalium, in odium Christianæ Religionis a Judæis fuisse excogitatas, ut veritatem ex Hebræo fonte haustam obducerent, uti existimat Jacobus Christopolitanus Episcopus in Præfatione in Psalmos. Nam Hieronymi translatio, quæ punctis est antiquior, præcipuis in locis cum hac punctuaria expositione consentit, in rebus tantum levioribus ab ea dissentiens. Idque a Rabbinis propter defectum vocalium inventum est, ne lingua sancta penitus extingueretur. Non id tamen negaverim ob illam punctationem sæpe novas translationes a vetustissima LXX. dissidere.

II. Alia est ratio punctationis, qua voces & sententias distinguimus, quæque ad rectam textus intelligentiam omnino est necessaria: de hac August. L. 3. de doctrina Christiana, cap. 2.

Id quidem solemne est Hæreticis, & Socinianis maxime, ut punctorum & commatum mutatione errores suos tegant, ut P. Martianæus aliquot docet exemplis: quorum istud insigne est in ipso Evangelii Joannis exordio: ubi sic legunt Sociniani: *In principio erat Verbum, & Verbum*

bum erat apud Deum, & Deus erat: adeo ut quæ sequuntur alium inchoent sensum: *Verbum hoc erat in principio apud Deum.* Idque ut verbo divinitatem eripiant, cum ex regula fidei & ex usu Ecclesiæ legendum sit, *Et Deus erat Verbum:* tum, *Hoc erat in principio apud Deum.* Hieronymus distinctionem vocum sæpe ex contextu ipso, & ex iis quæ præcedunt, & sequuntur, colligit, ut in iis verbis Christi Domini apud Matthæum, cap. 24. *Volo, Mundare*, non *Volo Mundare*, ut legebant Latini.

III. Paraphrasis tum pressior, quæ non aliud quiddam est quam liberior quædam translatio; tum paullo fusior, quæ magis sensum quam verba sectatur, permagni est usus in exponendis sacris voluminibus. Hujus est, ut docet Themistius in Præfatione ad Analytica posteriora Aristotelis, servata semper ejusdem sensus integritate, prolixa & in longum effusa substringere, pressa & concisa libere dilatare, omissa supplere, hiantia explere, involuta & obscura apertis verbis illustrare, & decora sermonis elegantia exornare; quæ nullo ordine videntur disposita, connectere. Hoc tamen habet incommodi paraphrasis, quod sensum textus determinet, nulla adhibita ratione: nisi forte huic adjungatur commentarius, aut scholium, ut interpretationis afferatur ratio.

IV. Optimam exponendi Scripturas rationem ex præcedentibus & sequentibus duci testatur Hieronymus; atque hinc probat sermonem Domini in monte habitum esse in monte Thabor, non in monte Olivarum. Hinc etiam colligit hæc verba Psalm. 38. 4. *Et in meditatione mea exardescet ignis*, de *ira*, aut justa indignatione contra impios, non de fervore meditationis, aut orationis intelligi oportere.

V. Magno quoque usui sunt vocabularia, quæ vocum Grammaticam significationem declarant. Huræus ex Notis in novum Testamentum, & Regulis, seu Canonibus clarus, amplum Dictionarium Biblicum a multis annis elaboratum prælo destinat, atque haud scio, an quidquam utilius exponendis sacrorum voluminum Latinis vocabulis hactenus prodierit. Nam quis sit sensus cujusque dictionis in variis Scripturæ locis, & qua ratione sit intelligenda, distincte & aperte explicabit. Mitto de aliis exponendi methodis, de annotationibus, glossematis, seu ad marginem, seu intra linearum septa positis, de Commentariis, de Homiliis, aut familiaribus colloquiis dicere: hæc enim sunt vulgo notissima. Origenes, teste Hieronymo, Scholia, seu Notas breves in universam Scripturam texuerat, in quibus ea quæ sibi obscuriora videbantur breviter exponebat. Atque hæc Scripturæ exponendæ ratio admodum utilis, posterioribus his temporibus fuit renovata.

VI. His proxima sunt *Postilla*, (sic barbara voce dicta, quasi *post illa*, nempe post verba textus,) quæ in Commentarii cujusque initio ponebantur, & designabant loca, ad quæ expositio ipsa erat referenda. Duodecimo, & decimo tertio sæculo hæ notæ erant valde usitatæ, eæque sunt perutiles, si modo non adeo sint breves & contractæ, ut Scholia, sed medio quodam loco inter Commentarios & Scholia interjectæ.

VII. Postremo loco ponamus Methodum exponendi Scholasticam, quæ duplex est, vetus & nova: illa usi sunt Patres in enarrandis Scripturis, qui non docere modo, sed & movere voluerunt. In hoc genere excelluerunt Gregorius Nazianzenus, Basilius, Chrysostomus; & e Latinis Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, qui enarrationes suas ornamentis Rhetoricis, quæ secum attulerant ad audientium affectus concitandos, decorarunt.

Sed recentiores Theologi explanationis genus subtilius, & certo ordine digestum, ad docendum potius quam ad movendos affectus idoneum elegerunt. Hinc prodierunt *Concordantiæ*, quibus dictiones sacris voluminibus comprehensas in ordinem alphabeticum digesserunt; *Postillæ*, quibus divinæ Scripturæ, omissa disputationum subtilitate, simplici & brevissimo stylo elucidantur; *Lectiones*, in quibus multiplices Scripturæ sensus fusius quam in postillis, sed strictius quam in quæstionibus agitari solent, iique analytica methodo plerumque explanantur. Idem fere omnibus est loquendi modus simplex & absque ullis ornamentis: nam docere tantum volunt, non delectare, non flectere animos: sermo est demissus juxta vulgi consuetudinem. Methodo utuntur quæ ipsa divisione constat, qua brevem Scripturæ periodum in partes secant; aut distinctione, qua ejusdem vocis significata notant, ac singulas pene voces definiunt, numerosam testium & testimoniorum multitudinem proferunt in medium.

VIII. Ista quidem e Sixto Senensi pene excerpta a nobis fuerunt, & quam brevissime fieri potuit, magnam Libri tertii partem complexi sumus, omissis quæ nobis minus necessaria visa sunt. Sed quod maximi est momenti ad intelligentiam sensus litteralis, videtur omisisse, locutiones nempe sacris scriptoribus usitatas, de quibus septem libros Augustinus conscripsit, de locutionibus quinque librorum Mosis, libri Josue & Judicum. Lib. 2. Retract. cap. 54. quam utilitatem afferat earum locutionum notitia, paucis verbis complectitur: *Multa autem in Scripturis sanctis obscura, cognito locutionis genere dilucescunt: propter quod cognoscenda sunt eadem genera locutionum, ubi sententia patent, ut etiam ubi latent, cognitio ipsa succurrat, easque intentioni legentis aperiat.*

IX. Vi-

IX. Videtur etiam Sixtus Senensis præteriisse, aut levius quam par esset attigisse præclaram Scripturas exponendi rationem per *Analysim*, quam præter ceteros coluit Sanctus Thomas. Hanc Auctor Analyseos Gallicæ novi Testamenti commentariis, & aliis expositionibus anteponit. Hæc enim neglectis omnibus ornamentis, & vanis concertationibus, auctoris mentem & propositum assequi nititur, non affectatam eruditionem, aut digressiones ex præparato quæsitas consectatur. Sermonis partes Auctoris proposito aptatas, non separatim, & a suo velut corpore avulsas considerat; sed ut sunt inter se connexæ & colligatæ, fere ut in corporis humani anatomica dissectione, quæ sit singularum partium structura, quis earum usus, spectari solet. Sic Analysis rite instituta, quod sit auctoris propositum, qui nexus principiorum, quæ denique ex iis consequantur, diligentius intuetur.

Qua quidem methodo difficultates pene omnes eliduntur, dum res suo quæque loco dispositæ ad scopum auctoris diriguntur. Sic enim quo tendat auctoris intentio, quam insistat viam & methodum, Analysis manifestum facit, & ad rerum intellectum lectorem perducit. Genuinus cujusque loci sensus ex ipsa connexione cum præcipuo auctoris scopo, & aliis ejusdem velut corporis membris facilius eruitur, ac nullum fere ambiguitati locum relinquit. Sententias non seorsum, sed cum aliis conjunctas expendit; quæ ab instituto sunt aliena removet, expositiones inutiles & commentitias rejicit, brevitatem amat dilucidam, non obscuram. Quis fuerit auctori finis propositus, qua occasione scripserit, quos errores refellere voluerit, quibus utatur argumentis, menti subjicit.

Et quidem non difficile admodum videtur in alienum detorquere sensum voces aut sententias ab aliis divulsas, sed institutum auctoris, & opus ipsum integrum in perversum sensum trahere, difficillimum est & periculosum. Siquidem operis integri sensus est inconcussus; quæ in controversiam veniunt loca, ex ipso nexu cum suo corpore fiunt apertiora; partes quæque sibi mutuas præstant operas, atque in id omnes conspirant, ut voces suis locis positæ propriam habeant significationem. Sic lectoris animum in veras & solidas notiones intentum falsæ interpretationes minime afficiunt, neque de aliorum erroribus est solicitus, dummodo genuinum & verum sensum assequatur, qui ubique sibi constat instar ædificii rite constructi, cui firmitatem præbent partes omnes inter se connexæ.

Hæc & alia in eam sententiam plurima auctor Analyseos Gallicæ novi Testamenti diserte & late prosequitur in præfatione ad Sancti Pauli Epistolas: quæ tamen sic accipienda existimat, ut commentariis & scholiis in Scripturas suus habeatur honos.

Sed tamen Analysi sua non desunt incommoda, nisi magna adhibeatur cautio. Illud in primis, ne partium distributio, & accurata nimis divisio, accersita potius & quæsita videatur, quam inventa; ne ordo ipse ab interpretis ingenio proficisci magis videatur, quam ab auctoris proposito. Sic in libris Sapientiæ, in Psalmis, in libris Propheticis, ubi Spiritus sancti afflatus, & quasi impetus Scriptorem rapit potius, quam ducit, frustra sæpe ordinem & methodum inquirimus. In libris historicis ipsa rerum series & temporum non adeo exacta eget Analysi. S. Thomas in suis lectionibus Scripturæ sensum dilucide & distincte per Analysim explanat: vereor tamen ne divisio nimia, & partium velut tritura, fastidium quandoque pariat, & confusionem potius quam lucem interdum afferat.

CAPUT III.

De locutionibus Scripturæ sacræ, seu de Idiotismis linguæ Hebraicæ & Græcæ.

I. Nihil utique ad intelligentiam Scripturæ sacræ utilius est, ac nosse veteres loquendi modos Hebræis & Græcis, qui Hellenistæ dici solent, usitatos; seu Hebraismi & Hellenismi, seu phrases & idiotismi vocitentur.

Hos quidem Hebraismos interpretes sparsim, atque ut ferebat occasio, tradiderunt. Sed longe est utilius Hebraicas illas phrases, aut locutiones ad certas regulas revocare. Quod luculenter non ita pridem præstitit vir perdoctus, & in Scripturis valde tritus Huræus in opere nuper edito, cui hunc titulum inscripsit: *Novum Testamentum regulis illustratum, seu Canones Scripturæ sacræ certa methodo digesti*. Ac revera non minus veteris quam novi Testamenti idiotismi eo in libro exponuntur, unde perpauca instar speciminis decerpemus, tamquam prima Scripturæ sacræ rudimenta: nam ad syntaxim & structuram orationis ea, magna ex parte, pertinent. De iis itaque breviter agendum est, ac primum de nomine, tum de verbo, postremo de particulis quæ sunt indeclinabiles. His perpauca subjiciemus ex tractatu P. Martianæi de triplici syntaxi, qui perutiles ad intelligentiam Scripturæ sacræ observationes complectitur.

De Nomine.

Præcipuæ orationis partes, ut notissimum est, sunt nomen & verbum: nomen apud Hebræos duplicis tantum est generis,

masculinum & femininum; neutrum aliquando per masculinum, sæpius per femininum exprimunt: *ut Ps.* 26. *Unam petii a Domino*, id est unum, vel unam rem.

II. Nomina apud illos non declinantur, ut fit apud Græcos & Latinos; neque ex terminatione, sed ex voculis, aut litteris præfixis casus flectuntur. Unde Interpretes sæpe casum pro casu per Antiptosim ponunt. In iis nulli sunt gradus comparativi & superlativi: sed ii gradus per voces, *magis* & *maxime*, plerumque designantur, quæ tamen sæpe reticentur. Non raro pro comparativo & superlativo utuntur positivo, *ut Ps.* 117. *Bonum est confidere in Domino quam confidere in homine*.

2. Nomen, ut in aliis linguis, vel est proprium, vel appellativum; illud uni soli, hoc pluribus convenit. Nomina propria multiplici mutationi sunt obnoxia. Quin etiam in aliam translata linguam vix interdum internosci possunt, cujus rei multa exempla apud præfatum Auctorem videre licet. Sæpe evenit, ut nomina appellativa tamquam propria accipiantur, ut Matth. 2. *Vox in Rama audita est*, id est, in excelso; ut interpretatur Hieronymus in Jerem. cap. 31. Sic vicissim interpres pro nomine proprio, ejus interpretationem interdum ponit, quasi nomen esset appellativum. Hujus rei passim occurrunt exempla, quæ suis locis afferentur.

3. Nomen est substantivum, vel adjectivum. Apud Hebræos adjectiva sunt rariora: unde persæpe duo ponuntur substantiva, quorum alterum est in genitivo casu, alterum adjectivi tenet locum: ut *abominatio desolationis* est abominanda desolatio; *In regnum filii dilectionis suæ*, id est, In regnum filii dilecti. Interdum substantivum geminatur, tumque diversitatem quandoque significat, ut Psalmo 11. *Corde & corde*, id est, duplici corde; aut multitudinem, ut Psal. 86. *Homo & homo natus est in ea*.

Addam cum Auctore mox laudato P. Martianæo, interdum adjectiva exprimi per particulas substantivis nominibus adjectas. Sic Psalm. 79. in textu Hebræo legitur, *porcus de silva*, seu aper; item *libamina de sanguinibus*, seu cruenta. Sæpe vocem Dei subjiciunt Hebræi, cum rem exaggerant, ut Jonæ cap. 3. *Et erat Ninive civitas magna Dei*, in Hebræo, id est, amplissima. Item Lucæ cap. 6. vers. 12. *Et erat pernoctans in oratione Dei*, id est, in oratione intentissima. Interdum duo junguntur synonyma loco superlativi, ut Ps. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei*, portio mea amplissima, sors mea integra. Et alibi, *Eduxit me de luto fæcis*, Hebr. *de cœno luti*, id est, e profundissimo luto.

4. In nomine solent hæc accidentia spectari, genus, numerus, casus, & status regiminis. *Solet*, inquit August. quæst. 49. in Lib. Judic. *Scriptura masculinum genus in quolibet sexu ponere*. Cujus rei multa extant exempla. Latinus interpres aliquando retinet eorum nominum genera, quæ habent in ea lingua, unde transferuntur. Sic Sap. 1. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet*, id est, hic spiritus: vox enim Græca πνεῦμα est neutrius generis. 2. Non raro mutatur singularis numerus in pluralem, & vice versa, ut Matth. 27. *Id ipsum & latrones*, id est, alter e latronibus.

De Verbis.

Verborum diversa significatio ex conjugationum varietate orta, & temporum frequens permutatio largam idiomatum & Hebraismorum segetem suppeditat.

1. Tempora sunt finita, aut infinita: duo tantum tempora, præteritum & futurum habent: unum est præteritum, quod alias species includit imperfecti, & plusquam perfecti: quod autem ex iis exprimi debeat, ex contextu intelligitur.

2. Ex præterito oritur participium duplex, præsens & præteritum. Futurum item duplex, primum quod nobis est imperativus modus, & futurum simpliciter dictum. Præsens tempus per utrumque participium exprimunt, aut etiam per præteritum, interdum per futurum in generalibus sententiis effertur.

Infinitum tempus illud est, in quo nullum certum definitur tempus. Hebræi *fontem* vocant, unde rivi definitæ significationis in reliqua tempora finita deducuntur.

3. Verbum, quod actionem, vel effectum significat, sæpe de facultate aut potestate agendi intelligendum est: Matth. 12. *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus*, id est, remitti poterit. Job 9. *Qui præcipit Soli, & non oritur*, id est, potest Soli præcipere, ne oriatur. Quandoque non actum, sed officium, aut debitum designant: *Nec quisquam sumit sibi honorem*, id est, debet assumere. Aliquando voluntatem, aut agendi votum significant, ut Matth. 13. *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident*, id est, nolunt videre. Consuetudinem agendi, vel occasionem quandoque significant, ut Matth. 11. *Venit Joannes neque manducans, neque bibens*, id est, more solito: Act. 1. 18. *Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis*, id est, occasio fuit agri acquirendi: Rom. 14. *Noli cibo tuo perdere*, id est, ne occasionem præbeas perditionis.

4. Frequens est in verbis permutatio in temporibus & modis. Hebræi solent a præteritis transire ad futura, & vicissim. Exemplum habemus Isaiæ 9. quod refertur a Matth. cap. 4. *Primo tempore alleviata est, &c.* Tempus præsens pro futuro non raro usurpatur. Hinc promissiones & vati-

& vaticinia, quod certo futura sint, aliquando per præsens tempus efferuntur: Joann. 6. *Qui manducat meam carnem*, id est, qui manducabit. Præsens pro imperfecto: *Ipse est Elias qui venturus est*, id est, venturus erat. Præteritum pro præsenti: Joann. 1. *Medius vestrum stat*, pro stetit; idque frequens est in Psalmis. Præteritum perfectum pro plusquam perfecto, quo carent Hebræi: Matth. 28. *Quidam autem dubitaverunt*, pro dubitaverant: nam sine cunctatione eum adoraverunt: tametsi quidam ex eis ante dubitaverint. Sic Marci 16. *Emerunt aromata*, pro emerant. Præteritum sæpe pro futuro: Exod. 15. *Sanctuarium, Domine, quod firmaverunt manus tuæ*, pro firmabunt, aut ædificabunt. Cuncta fere in Hebræo ponuntur in futuro; ac futurum apud Hebræos pro omni tempore ponitur. Imperativus pro futuro sæpe usurpatur, idque maxime apud Prophetas: Isa. 47. *Descende, sede in pulvere*, id est, descendes & sedebis; Babylonem evertendam prædicit: sic cap. 6. *Audite audientes, & nolite intelligere*, id est, audietis, & videbitis, & non intelligetis: Genes. 47. *Fiat Dan coluber in via*, id est, erit.

5. Infinitivum quidem Hebræi præ cæteris modis usurpant, tametsi Interpretes plerumque finitis modis reddiderint: Lucæ 1. *Illuminare his qui in tenebris*, id est, ut illucesceret iis, qui in tenebris jacebant. Ephes. 5. *Christum habitare*, id est, ut Christus habitet.

Participium Hebræis duplex, præsens & præteritum; illud vocant *Benoni*, id est, intermedium, quod cum præsentis temporis vicem obeat, inter præteritum & futurum ab iis collocatur.

Triplex quidem est persona in verbis, quorum flexio incipit a tertia persona præteriti, quæ simplex est, atque ex ea reliquæ formantur. Personæ sæpe permutantur, ut 1. Thessal. 4. *Nos qui vivimus, qui residui sumus*, id est, quicumque tum vivent, sive ex nobis, sive ex posteris: atque hic Hebraismus frequens est in Ecclesiaste; ac sæpe ab una persona in aliam sermo convertitur, ut Psalm. 3. *Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua*. Tertia persona singularis aliquando usurpatur impersonaliter, ut *Numquid Sion dicet?* dicetur.

Pleraque verba apud Hebræos peculiarem habent significationem, & diversam fere ab aliis linguis, ut variis probat exemplis Martianæus; sic *Prophetare*, præter communem intellectum, seu futurorum prædictionem, interdum insanire, sæpius Deum laudare, aliquando patrare miracula, immo & Scripturas interpretari significat. Lib. 1. Regum cap. 18. de Saule loquens Scriptura, *Et prophetabat in medio domus suæ*, id est, ut mente emotus loquebatur: Eccli. 48. 14. de Eliseo, *Et mortuum prophetavit corpus ejus*; cum scilicet corpus Elisei projectum in sepulcrum ubi & homo sepultus fuerat, eum excitavit a mortuis. Eodem in loco de ossibus Joseph verba faciens, eodem utitur verbo, quod Prophetiam Joseph confirmaverint. Mitto alia multa, ut *peccatum portare*, pœnam peccati luere, aut ignoscere; *animam in manu ponere*, vitæ adire discrimen. Sic Ps. 118. vers. 109. *Anima mea in manibus meis semper*, Hieronymus: „ Quotidie periclitor, & quasi in manibus meis sanguinem meum porto: & tamen legem tuam non sum oblitus. „ *Sic loqui ad cor*, frequens est in Scripturis, id est consolari, mollem & tenerum adhibere sermonem: ex Hieronymo in cap. 2. Osee *implere manum*, est consecrare.

Particulæ dicuntur voces, quæ genere & numero non flectuntur.

1. Adverbia temporis determinati quandoque indefinite sumuntur, ut *Heri* pro quolibet tempore præterito, Hebr. 13. *Jesus Christus heri & hodie; & cras*, pro futuro tempore; *Semper*, pro sæpe: Lucæ 24. *Erant semper in templo*, frequentes.

2. Adverbia temporis, *antequam*, *donec*, *usque*, non semper affirmationem significant post tempus quod notatur, si negatio præcesserit; nec semper negationem, cum præcesserit affirmatio: Matth. 1. *Et non cognoscebat eam, donec peperit*, non significatur postea cognovisse: Genes. 8. dicitur corvus non reversus, *donec siccarentur aquæ*: qui tamen juxta communiorem sententiam non est reversus.

3. Hebræi sæpe omittunt adverbia similitudinis, quæ tamen sunt subaudienda: Psalm. 67. *Pennæ columbæ deargentatæ*, id est, eritis sicut pennæ columbæ: nam verbum substantivum deest non raro: Lucæ 2. *Gloria in excelsis Deo*, sit: sed de adverbiorum ellipsi nunc agimus: Psalm. 138. *Et substantia mea in inferioribus terræ*, id est, corpus meum in sinu materno erat reconditum tamquam in terræ visceribus. Eadem ratione particulæ, *sic*, *ita*, interdum omittuntur, & a Joanne frequenter, qui earum loco ponit conjunctionem, *&*: *Sicut misit me vivens Pater ...... Et qui manducat me*, id est, sic qui manducat me.

4. Adverbia negandi verbis addita contrarium plerumque indicant: Act. 8. *Cor tuum non est rectum coram Domino*, id est, pravum est & perversum. Interdum unam ponunt negationem loco duarum: Psalm. 43. *Et non recessit cor nostrum, & declinasti*, id est, & non declinasti; prior negatio alterius omissæ vicem supplet. Nam Hebræis littera *Vau* post negationem non affirmat, sed negat, ac priorem negationem repetit: duplex negatio validius negat. Cum volunt Hebræi unam alteri præferre, id quod

quod anteponunt, affirmant, negant alterum: Matth. 9. *Misericordiam volo, & non sacrificium*, id est, Sacrificio misericordiam antepono. Interdum idem valet ea negatio, ac *non solum*: Joann. 7. *Mea doctrina non est mea*: id est, non solum est mea: sic capit. 12. *Qui credit in me, non credit in me*, id est solum. *Non omnis*, idem est sæpe apud Hebræos, ac nullus: Matth. 24. *Non fieret salva omnis caro*, id est nullus homo salvus fieret. Negatio extra locum suum posita interdum sensum efficit obscuriorem: Joann. 6. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam*, id est, Non descendi de cælo, ut faciam voluntatem meam.

5. Per adverbii repetitionem superlativum designatur: Ezechiel. 16. *Decora facta est vehementer nimis*. Duo adverbia synonyma ad emphasim adhibentur: Joel. 3. *Cito, velociter*.

Præpositiones sæpe aliæ pro aliis usurpantur; sed ex contextu ipso facile intelliguntur.

Præpositio *Ad*, idem aliquando quod præpositio *De*, significat: Hebr. 4. *Ad quem nobis sermo*, pro, de quo nobis sermo. Lib. 3. Reg. 3. *Quoniam Dominus locutus est ad David*, id est de David. Interdum comparationem indicat, cujus rei multa extant exempla: Psalm. 13. *Et non potero ad eam*, præ illa, ut illam assequar.

Apud, sæpe a Latino interprete loco præpositionis *A*, vel, *Ab*, ponitur: Psal. 36. *Apud Dominum gressus hominis dirigentur*, id est, a Domino: Psalm. 38. *Apud te laus mea*, Hebr. a te, seu a te est, quod laudibus te celebrem.

Contra, pro *ad*, aut *versus*: Psalm. 76. *Manibus meis contra eum*, id est, ad eum sublatis.

Per, loco *in*, interdum ponitur: 2. Petri 3. *Terra per aquam consistens*, id est, in aqua; & vers. 12. *Per quem cæli ardentes solventur*, id est, in quo die.

Propter, loco *per*: Joann. 6. 58. *Et ego vivo propter Patrem*, id est, per Patrem: agit enim de causa efficiente, non de finali. Sic vice versa præpositio *per*, loco *propter*, ponitur: 2. Corinth. 4. *Nos autem servos vestros per Jesum*, id est, propter Jesum. Interdum vice præpositionis *præ*, tumque excellentiam quamdam denotat: 2. Corinth. 3. *Nec glorificatum est quod claruit ex hac parte propter excellentem gloriam*, id est, gloria, quæ ad veterem legem attinet, nulla est præ novæ legis excellentia.

Trans, & *Ultra*, non solum ulteriorem partem, sed etiam citeriorem & loca proxima in Hebræo designant: Matthæi 4. *Via maris trans Jordanem Galilææ gentium*, habita ratione Judææ, Galilæa utraque est cis Jordanem. Sic Josue 1. *Trans Jordanem*, idem videtur ac cis Jordanem: nam Moses numquam Jordanem transiit. De præpositionibus, quæ accusativo præfiguntur, hactenus.

Præpositio, *A*, sæpe comparationem indicat: Eccli. 24. *A mari enim abundavit cogitatio ejus, & consilium ejus ab abysso magna*, id est, consilia ejus altiora sunt mari & abysso.

Præpositiones *De*, *Ex*, principium, a quo aliquid est, aut locum, vel tempus unde aliquid processit, significant: Isa. 53. *De angustia & de judicio sublatus est*, id est, post vexationem & damnationem.

Inter conjunctiones primum tenet locum copulativa, *Et*, quæ in ipsis versuum initiis sæpe, in librorum principio aliquando usurpatur: interdum singulare quiddam designat, ut Marc. 16. *Ite, dicite Discipulis & Petro*. Act. 1. *Cum mulieribus & Maria matre Jesu*: tumque idem significat ac *præsertim*.

Particula Hebræa *Vau*, interdum pro copulativa *Et*. interdum pro disjunctiva *Aut*, vel pro causali *Enim*, vel adversativa *Sed*, uti & particulæ *Tamen*, *Autem*, varie sumi solent; unde & argumentationis partes ob promiscuum usum harum vocularum sæpe confundi videntur, & logicas afferre difficultates: nisi acceptionum varietas ex contextu ipso, & ex subjecta materia accipiatur.

Conditionalis, *Si*, in juramentis frequens, aut in gravi asseveratione, cum reticetur membrum orationis, quæ imprecationem continet, si jurans fallat, tum negativa est: Marci 8. *Amen dico vobis: si dabitur generationi isti signum*, id est, non dabitur: at cum negativa additur, tum oratio fit affirmans: sumitur interdum pro quando: Joann. 6. *Si ergo videritis*, id est, cum videritis. Particula, *Si*, apud nos semper est conditionalis, apud Hebræos sæpe est negans, ut Psalm. 94. *Si introibunt*.

Enuntiatio absoluta, aliquando pro conditionali, *Si*, ponitur: Prov. 24. *Septies cadet justus*, id est, si justus septies ceciderit, resurget.

Conjunctio disjunctiva vim habet copulativæ in iis quæ sunt ejusdem naturæ & conditionis: Matth. 5. *Nolite putare, quod veni solvere Legem, aut Prophetas*: non separatur Lex a Prophetis.

Conjunctiones ratiocinativæ, *Quod, Quia, Quoniam*, sæpius causam notant, non raro eventum. Interdum voces illæ sunt explicativæ: Matth. 16. *Quia sic oportet fieri*, nempe sic oportet fieri. Eadem est ratio particulæ, *Enim*, quæ causam sæpe, interdum effectum designat, & aliquando est otiosa.

Causales, *Quia*, *Quoniam*, interdum pro *Tamen*, *Etenim*, sumuntur: ut Psalmus 138. 4. *Quia non est sermo in lingua*

gua mea; cum ne verbum quidem proferret. Vox illa causalis non raro sumitur pro *Quamvis*, *etiamsi*, ut Isa. *Quoniam iratus est mihi*.

Conjunctio causalis, *Ut*, Græc. *ἵνα*, aliquando causam finalem, Matth. 6. *Ut videamini ab eis*, non raro eventum significat, Rom. 5. *Lex subintravit, ut abundaret delictum*: occasione Legis homines facti sunt deteriores.

Quo utique modo ea sunt intelligenda loca, in quibus dicitur aliquid contigisse, *Ut sermo Prophetæ impleretur*, id est, sic evenit, quod Propheta prædixit. Tametsi ea conjunctio sic posita causam quoque finalem significat, non præcipuam, sed accessoriam, & concurrentem, ut Matth. 21. de introitu Christi Jerosolymam.

Particula, *Ergo*, seu rationalis, interdum redundat, & ornatus caussa ponitur.

CAPUT IV.

De Locutionibus figuratis, ac primum de Tropis Grammaticis.

HActenus de Hebraismis, qui ad sensum litteralem & proprium pertinent, ex viro pererudito diximus; plura omisimus quæ ipse & Waltonus in Apparatu suo Biblico, necnon Martianæus loco identidem citato fusius persequuntur, cum in decursu hujus operis sint exponendi. Et quidem pleraque sunt in Scripturis nomina, quæ apud Hebræos varia significant, & plane diversa. Exemplum adhibeamus, quo Auctor mox laudatus utitur, vocem nimirum *filii*: Genes. 12. v. 4. ubi habemus in Vulgata, *Septuaginta quinque annorum erat Abraham*, in Hebræo legitur *filius septuaginta quinque annorum*; atque ita vox *filius* ætatem significat. Interdum pro amico sumitur, ut Matthæi 9. *filii sponsi*; sæpe meritum, ut *filii iræ*, *filius perditionis*, *filius gehennæ*, Matth. 23. Sic *filii diffidentia*, Ephes. 2. pro incredulis. Apud Isaiam 15. 1. *filius olei*, pro pingui & fertili solo. Vox illa, *Verbum*, passim pro re, vel actione, aut negotio sumitur. Sic *cornu*, pro robore, potentia, gloria: *Et exaltatum est cornu meum*, 1. Reg. 2. Sic Lucæ 1. *Et erexit cornu salutis nobis*. Vox *Panis* pro omni cibo accipi solet. Hieronymus in Epistol. ad Dardanum id observat, *habitatores terræ*, sæpius in Scripturis pro peccatoribus sumi, ut Apoc. 8. 13. Nunc quæ ad sensum figuratum pertinent, eadem brevitate decurramus.

Cum autem figuræ sint duplicis generis, aliæ sint Grammaticæ, quæ ad verborum structuram, aliæ Rhetoricæ, quæ ad sermonis ornatum referuntur, de illis primo loco dicendum nobis est. De his agit Augustinus Lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 29. ubi docet Scripturas abundare tropis, *quorum cognitio propterea Scripturarum ambiguitatibus dissolvendis est necessaria, quia cum sensus ad proprietatem verborum si accipiatur, absurdus est, quarendum est utique, ne forte illo, vel illo tropo dictum sit, quod non intelligimus; & sic pleraque inventa sunt qua latebant*.

Hoc autem est discriminis inter tropum & figuram, quod tropus ipsum verborum sensum afficiat, dum propria verborum significatio in aliam cognatam, aut contrariam transfertur: quod utique nominis etymon indicat; figura autem sermoni tantummodo ornatum affert. Oratio enim & translatis, & propriis verbis figuratur: sed verba translata proprie ad tropum, non ad figuram pertinent: quamquam hæc duo sæpe confunduntur. Unde August. eodem in loco: *Sciant autem litterati, modis omnibus locutionis, quos Grammatici Graco nomine tropos vocant, Auctores nostros usos fuisse multiplicius atque copiosius, quam possunt existimare, vel credere, qui nesciunt eos, & in aliis ista didicerunt*.

Scriptura autem figuratas locutiones non utilitatis tantum, sed & necessitatis caussa adhibet: nulla enim oratio sine figuris constare potest, nulla scientia tradi, nedum sacræ Litteræ, quæ res spiritales, quæque propriis verbis explicari vix possunt, homines docet.

Præcipui & in Scripturis magis usitati tropi sunt, Hyperbaton, quod est in Scripturis frequens. Est autem hyperbaton, ut definit Quinctilianus, *verbi transgressio*. Hæc figura, aut tropus in Pauli Epistolis passim occurrit. Hujus exemplum profert Irenæus Lib. 3. cap. 7. qui hæc verba Apostoli, *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium*, sic contexit: Deus excæcavit mentes infidelium hujus sæculi: non quod alius sit Deus hujus sæculi a vero Deo, ut fingebat Marcion. Ellipsis, pleonasmus, enallage, hypallage, anticipatio, recapitulatio, ut alios omittam tropos, qui ab Auctore laudato copiose & dilucide exponuntur, & variis exemplis illustrantur: nos summatim ex iis aliquot decurremus, tametsi ad Scripturæ sacræ lectionem accedentibus perutiles nobis videntur.

Breviloquentia est Hebræis admodum familiaris; atque ingenita huic linguæ brevitas obscuritatem parit. Hinc ellipsis, seu defectus, frequens in Scripturis: ut passim in proverbiis.

Interdum pars altera comparationis non redditur, facile supplenda: Rom. 5. *propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc Mundum intravit*: adde, sic per unum hominem Christum justitia in Mundum venit.

Sæpe ex præcedenti & sequenti orationis membro aliquid est repetendum, Joann. 1. 18. *Deum nemo vidit umquam*, *Unigenitus qui est in sinu Patris*, supple, vidit, & enarravit.

Figura qua aliquid in sermone superfluum adjicitur, quæque pleonasmus appellatur, non est penitus otiosa, sed rem vel planius exponit, vel emphasim addit. Hujus generis est illud Præcursoris, *Confessus est*, *&* *non negavit*, *&* *confessus est*. Repetitio autem fit quoad verba, vel quoad sensum. Repetitio verborum aut nominum vehementiam affectus indicat, Matth. 26. *Deus meus*, *Deus meus*. Exemplum repetitionis quoad sensum habemus illustre, Roman. 6. *Hoc scientes*, *quia vetus homo noster crucifixus est*, *&c.* Ubi tria illa, vetus homo, corpus peccati, & peccatum, idem sunt, sed non sine emphasi repetuntur. Sic Jer. 48. *Audivimus superbiam Moab*, *superbus est valde*, *&c.*

Personarum in verbis, vel numerorum in verbis & nominibus, vel casuum aut temporum & modorum mutatio frequens est in Scripturis. Apud Prophetas personarum fit crebra mutatio, ut videre est in Psalm. 2. ubi Ecclesia, hostes illius, Deus Pater, Deus Filius, Psaltes demum ipse loquentes introducuntur. Isai. 51. alternis Deus & Propheta sermonem texunt. Hæc figura Enallage dicitur, quæ sæpe est in numeris; cum pluralis numerus pro singulari, aut vicissim usurpatur. Sic 1. Reg. cap. 18. vers. 21. *In duabus gener meus eris hodie*, id est, in alterutra duarum, ut exponit Martianæus. Sic Matth. 27. 44. *Et latrones improperabant ei*, unus e latronibus.

Hypallage, seu commutatio fit, cum uni tribuitur quod alteri commune est: Rom. 9. *Israel sectando legem justitiæ*, *in legem justitiæ non pervenit*, id est, ad justitiam legis: ibi enim est manifesta antithesis inter Legis & Evangelii justitiam. Psalm. 18. *In sole posuit tabernaculum suum*, id est, Solem posuit tabernaculum suum, ut est in Hebræo.

Est etiam Synchysis, seu confusio quædam verborum, ubi constructionis ordo invertitur: Joann. 17. *Claritate quam habui*, *priusquam Mundus esset apud te*, id est, quam habui apud te priusquam Mundus esset. Interdum non voces, sed & membra orationis invertuntur: Cantic. 1. *Nigra sum*, *sed formosa*, *&c.* Hæc vocum metathesis, seu transpositio, sic videtur ordinanda: *Nigra sum sicut tabernacula Cedar*: & tamen *formosa sicut pelles*, seu aulæa *Salomonis*. Cum cœpta oratio non absolvitur, tum hunc sermonis neglectum anacolythum vocant.

Cum res ante suum tempus narratur, tum est anticipatio, seu prolepsis; quando posterius quam res gesta est, tum dicitur recapitulatio; quæ duæ figuræ ad conciliandos plures Scripturæ locos sunt admodum necessariæ. Idque fieri solet ob materiæ connexionem, atque ut omnia quæ ejusdem sunt narrationis, eodem orationis filo pertexantur, quæque si minus tempore, saltem aliqua insigni circumstantia sunt finitima, in eamdem orationem includantur. In factis historicis, recapitulationis, qua lector ad superius dicta, quorum series omissa fuit, revocatur, magna est habenda ratio: secus, ut docet Augustinus, in magnos errores incurremus. Illustria hujus recapitulationis habemus exempla Genes. 2. 8. & cap. 11. in stirpis Noemi descriptione. Postquam enim cap. 10. vers. 31. dixit, *Isti filii Sem secundum cognationes &* *linguas*, *&* *regiones*: mox cap. 11. *Erat autem terra labii unius*: hoc dicitur per recapitulationem.

Cum sensus aliter concipitur, quam verba præ se ferunt, tum est syllepsis: exemplum afferri solet, Genes. 3. vers. 15. *Inter semen tuum*, *&* *semen illius*, *ipsa conteret caput tuum*. Syllepsis est juxta LXX. & Hieronymi versionem, *ipse conteret*: illud censet P. Martianæus, vocem *ipse*, referri per syllepsim ad semen, quod filium significat. Sic Livius, *duo millia crucibus affixi*, quod per syllepsim ad homines referatur, idque multis probari potest exemplis. Sic in Epistola ad Galat. cap. 3. *Et semini tuo qui est Christus*; & in versione Italica Epistola S. Jacobi cap. 1. *Per clementiam excipit verbum*, *qui potest salvare animas vestras*.

Hactenus de tropis, seu locutionibus Scripturæ figuratis & Grammaticis diximus, nunc de Rhetoricis pauca subjiciemus: neque enim hi minus sunt in sacris litteris usitati, quam Grammatici, cum sponte quadam nascantur: *Istorum autem troporum*, inquit Augustinus cap. 29. Lib. 3. de doctr. Christ. *non solum exempla omnium*, *sed quorumdam etiam nomina in divinis libris leguntur*, *sicut allegoria*, *ænigma*, *parabola*.

Horum troporum species præcipuæ sunt, Metonymia, Metaphora, Synecdoche; horum affectiones sunt Catachresis, Hyperbole, & Allegoria.

Metonymia, ex Quinctiliano, est nominis pro nomine positio; cum caussa pro effectu, & vice versa; continens pro contento, subjectum pro adjuncto, & cætera hujusmodi ponuntur. Horum exempla in Scripturis passim occurrunt. Signum interdum pro re significata sumitur: ut Psalmus 22. *Virga tua*, *&* *baculus tuus*, id est, studium tuum, & amor tuus erga me: nam virga & pedum curæ, & studii pastoralis signa sunt.

Nomen quoque pro ipsa persona, vel re ponitur: nomen Dei pro ipso Deo: Ps. 19. *Protegat te nomen Dei Jacob*, id est, Deus Jacob.

Tem-

Tempus pro rebus factis in tempore aliquando sumitur: Joann. 12. *Pater salvifica me ex hac ora*, ex hac anxietate, quam passionis tempore sustinebo. Marci 13. *Orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora*, passio nempe acerbissima. Sic *templum*, pro sacerdotibus; *peccatum*, pro pœna peccati, vel effectu, vel pro hostia pro peccato.

Ironia tropus est, quo aliud verbis significamus, aliud re ipsa: Genes. 3. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*.

Synecdoche latine comprehensio dicitur, qua ex parte totum, ex uno plura, universale pro particulari, genus pro specie accipitur; aut ex minus nobili partem præcipuam intelligimus, vel e converso. Sic Christus passim se filium hominis insinuat: contra ex parte nobiliori eum Petrus designat, cum ait, *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Gregorius Nazianzenus orat. 51. illud merito observat, non ex alio magis hæreticos in errorem induci, quam quod synecdochem nimium coarctent, & partem, quæ exprimitur, ut totum accipiant. Sic Apollinaristæ verba, Joann. 1. *Et Verbum caro factum est*, quasi Verbum divinum carnem anima destitutam assumpserit; ut Ariani ea verba, *Pater major me est*, perperam intellexerunt. Sic *omnes*, pro multis interdum sumuntur: Act. 2. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem*, id est, super omnis generis homines. Unde universales sententiæ sæpe sunt restringendæ, & ad quamdam æquitatis rationem revocandæ: ut Joann. 16. *Docebit vos omnem veritatem, & quæcumque audiet, loquetur*, id est, quæcumque audiet dicenda. Eamdem ob rationem negativa quandoque sunt restringenda: Matth. 10. *Nihil est opertum quod non revelabitur*, nihil cœlestis doctrinæ. Sic nomen commune proprii loco per excellentiam usurpatur, quæ est antonomasia.

Alia est synecdoche, qua species pro genere accipitur: Isa. 53. *Ipse peccata multorum tulit*, id est, omnium, ut habetur v. 6. *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum*. Rom. 5. *Si unius delicto multi mortui sunt*, id est, omnes, ut exponitur v. 18. Species pro genere accipitur, cum *panis* pro omni cibo, *aurum* pro omni munere ponitur. Species item numeri certa pro multitudine incerta: 1. Cor. 14. *In Ecclesia volo quinque verba*, id est, perpauca. His opponuntur decem millia verborum pro multis.

Interdum aliquid de multis conjunctim dicitur, quod tamen ad singulos non spectat: ut Matth. 19. *Sedebitis super sedes duodecim*; quod tamen Judæ proditori non convenit: sed numerus ille duodenarius erat Apostolorum collegio destinatus. Sic 1. Corinth. 15. *Et post undecim*, Græc. duodecim: cum tamen proditor deesset. Marcus & Lucas scribunt Christum eo die quo resurrexit, undecim Apostolis apparuisse, cum tamen abesset Thomas, quia major numerus, isque consuetus usurpari solet pro minore non solito. August. Epist. 59. ad Paulinum: *Scripturæ*, inquit, *mos est ita loqui de parte tamquam de toto, sicut Corinthios in primis suæ Epistolæ partibus ita laudat Paulus, tamquam omnes tales sint; cum essent laudabiles quidam eorum: & postea ita reprehendit tamquam omnes culpabiles sint, propter quosdam qui tales erant. Istam divinarum consuetudinem per omne corpus litterarum ejus creberrime sparsam quisquis diligenter advertit, multa dissolvit, quæ inter se videntur esse contraria.*

Allegoria sententiam reconditam continet, aliud verbis, aliud sensu indicat: eaque est duplex, verborum nempe, & rerum. Illa vel est simplex, ut illud, *Jam securis ad radicem posita est*; vel alludit ad aliud quiddam, ut 2. Cor. 6. v. 17. *Exite de medio eorum, & immundum ne tetigeritis*: alludit ad legem Moysi de prohibito immundorum contactu, & insinuat sanctimoniæ studium ea lege significatum.

Rerum allegoria Scripturis propria est, cum res aliqua mystico sensu per aliam in Scripturis narratam repræsentatur: uti 1. Cor. 9. *Non alligabis os bovi trituranti*; eam legem, quæ est Deut. 25. allegorice exponit Apostolus de ministris Ecclesiæ alendis.

CAPUT V.

De figuris cum dictionis tum sententiæ in sacris litteris usitatis.

I. QUæ verborum sensum per se non immutant, ut tropi, sed sermoni tantummodo ornatum afferunt, eæ sunt figuræ, vel dictionis, vel sententiæ, quæ ad eloquentiam plurimum momenti afferunt. Etsi Scriptores sacri sapientes magis sunt, quam eloquentes; ii tamen a vera & sibi propria eloquentia non deseruntur, uti probat Augustin. Lib. 4. de doctr. Christ. cap. 6.

In hoc præsertim positam esse veram eloquentiam ostendit: *Sicut est enim quædam eloquentia, quæ magis ætatem juvenilem decet, est quæ senilem; nec jam dicenda est eloquentia, si personæ non congruat eloquenti: ita est quædam quæ viros summa auctoritate dignissimos planeque divinos decet. Hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa: ipsis enim congruit; aliis autem quanto videtur humilior, tanto altius non ventositate, sed soliditate transcendit. Ipsa quoque obscuritas*

ritas divinorum salubriumque dicterum tali eloquentiæ miscenda fuerat, in qua proficere noster intellectus non solum inventione, verum etiam exercitatione deberet.

II. Pergit Augustinus variis exemplis ex Apostolo & Prophetis in medium prolatis Scripturæ eloquentiam demonstrare.

Exempli loco profert illud Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus, &c.* ubi figuram quæ climax, seu gradatio dici solet, agnoscit, *& ambitum verborum, seu periodum suis membris absolutam, quæque in elocutionis arte traduntur. Sicut ergo Apostolum præcepta eloquentiæ secutum fuisse non dicimus, ita quod ejus sapientiam secuta sit eloquentia, non negamus.* Quod autem Apostolus se imperitum sermone, non scientia, ait 2. Cor. 11. vers. 6. de elegantia Græci sermonis, non de vera eloquentia loquitur; ac fortius quiddam omni humana sapientia, aut eloquentia opus fuisse insinuat, ut Religionis mysteria tot gentibus possent persuaderi. Is nempe 1. Cor. 2. 4. *in ostensione spiritus & virtutis*, non profana eloquentia, aut vanis ejus ornamentis usus est; sed proposito suo accomodate nativam eloquentiam & simplicitatem cum rerum majestate conjunctam adhibet, ac nusquam fere genuina & vera eloquentia magis utitur, quam eo ipso in loco, ubi se imperitum sermone confitetur.

III. Metaphora intet figuras dictionis præcipuum tenet locum, fitque cum dictio a loco, in quo propria est, transfertur in eam cui propria non est.

Aliæ sunt minus tritæ quam metaphora, ut relatio, subjunctio, reduplicatio, gradatio, conversio, ampliatio, resumptio, regressio, casuum varietas, paronomasia, retractio; eæque omnes in veteri & in novo testamento observantur. Harum exempla, quæ in Scripturis occurrunt, apud Auctorem sæpius laudatum videri possunt: hæc enim leviter attingimus.

Cum eadem vox iteratur in principiis commatum, seu membrorum, tum dicitur anaphora, seu relatio, ut 1. Cor. 13. *Charitas patiens est, &c.*

Conversio, seu epistrophe, cum eadem vox, aut phrasis in fine sententiarum repetitur, 2. Cor. 11. *Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego.* Cum autem eadem phrasis in principio & in fine clausularum repetitur, tum est complicatio, Græce συμπλοκὴ ut 1. Cor. 12. 4. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, &c.* Ubi eadem vox in principio & in fine cujusque sententiæ iteratur, tum resumptio, seu ἐπανάληψις appellatur: Rom. 8. *Spes autem quæ videtur, non est spes.*

Regressio autem, seu ἐπάνοδος, appellatur, cum eædem voces sic repetuntur, ut earum fiat inversio, ut Isaiæ 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.*

De figuris sententiæ.

I. Figuræ sententiæ, aliæ in ratiocinatione, aut in continua oratione, aliæ in dialogismo versantur. Inter illas sunt exclamatio, optatio, correctio, reticentia. Frequens est exclamatio, quæ fit per varias interjectiones, tamquam affectuum notas, qualis est illa Rom. 11. *O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei!* 2. Votum, aut optatio non minus est frequens: Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit?* 3. Correctio, Græc. ἐπανόρθωσις qua corrigitur, quod ante dictum fuerat. Sic Joann. 12. *Pater salvifica me ex hac hora:* mox Christus quasi illam deprecationem corrigens subjicit: *Sed propterea veni in hanc horam.* Sic 1. Cor. 15. *Abundantius his omnibus laboravi; non ego, sed gratia Dei mecum.* 4. Reticentia, seu ἀποσιώπησις, ea est, qua oratio ita abrumpitur, ut pars ejus fere præcipua reticeatur, ut Lucæ 19. *Quia si cognovisses, &c.*

II. Inter figuras in dialogismo positas sunt addubitatio, cum ipsi nobiscum de rebus aut dicendis aut faciendis dubitamus: Luc. 16. 3. *Quid faciam, &c.* 2. Communicatio, quæ est deliberatio cum iis ipsis, apud quos, vel contra quos dicimus: Actor. 4. *Si justum est vos potius audire quam Deum, judicate.* 3. Interdum objectione dissimulata, sola ponitur responsio: Rom. 9. *Non autem quod exciderit verbum Dei. &c.* occupat id quod poterat objici: si Israel rejectus fuit, ergo excidit verbum Dei. 4. Permissio, cum rei alicujus potestas, vel laus alteri conceditur, aut simpliciter, aut ironice: Matth. 23. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum.*

CAPUT ULTIMUM.

De spiritali Scripturæ sensu.

I. PRæter historicum & litterale Scripturas exponendi genus, aliud est spiritale, aut mysticum, de quo in hujus dissertationis initio diximus. Litteralis sensus ex verborum significatione pendet, mysticus ex rerum significatione; verba res ipsas significantia sensum habent litteralem, res verbis significatæ dum alias res significant, sensus efficiunt mysticos. Transitus maris rubri, ut in Exodo narratur, significatum habet litteralem; res in novo Testamento gerenda per illum transitum expressa, qualis est Baptismus, sensum efficit spiritalem.

Historicum expositionis genus ad fidei confirmationem, & eos qui veritati resistunt refellendos, in primis necessarium esse ostendimus: ac spiritalis sensus historico

tam-

tamquam fundamento innititur; secus cavendum est, ne humani ingenii fœtus sit potius, quam Spiritus Sancti afflatus. Unde Hieronymus in Commentariis super Matthæum exponens parabolam de fermento abscondito in tribus farinæ satis, postquam attulit quorumdam expositionem, qui hanc parabolam ad Trinitatem Personarum, & Unitatem Essentiæ applicabant, mox subjicit: *Pius quidem sensus, sed numquam parabolæ & dubia ænigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere.*

II. Sed tamen ad fidei integritatem, & morum informationem, spiritalis sensus omnino est necessarius; secus si solam litteram sectemur, cavendum est, ne ultra Judæorum mensuram non sapiamus, & Doctrinæ Evangelicæ injuriam faciamus. Nihil fere sublime, nihil Deo dignum, nihil quod mentem humanam pascat in ritibus solis, aut in sacrificiis veteris Legis occurrit: perpauca moribus informandis utilia inveniemus, si ad novum Testamentum non referantur. Vetus Testamentum est novi typus, tametsi alia aliis sunt clariora, aut obscuriora. Ac duplex est eorum sensus, unus litteralis, & figuræ ipsius, alter rei figuratæ; figura ad eam rem quam repræsentat, omnino refertur. Prior sensus figuræ, seu immediata vocum significatio dicitur litteralis: sed remotior, & tamen necessaria vocum significatio sensum efficit spiritalem. Cum Judæorum more in figura sistimus: neque ad rem figuratam attendimus, tum littera occidit.

III. Id tamen prudenter Sixtus Senensis Scripturæ expositores admonet, ut extrema, quæ semper sunt vitiosa, fugiant. Nam sicut minime probandi sunt qui spretis mysticis sensibus tamquam fortuitis cogitationibus, & ad arbitrium excogitatis, uni litteræ, & mortuis dictionibus incumbunt, frigidi sine spiritu, & exangues prorsus; Ita, inquit, graviter damnandi sunt inepti quidam nostrorum temporum expositores, qui rejecta prorsus litterali expositione, tamquam re levissimi momenti, & Grammaticis, ut ajunt, potius quam Theologis digna, in singulis Scripturæ locis coactas quasdam & insulsas allegorias protrahunt, vim inferentes divinæ Scripturæ, & destructa historiæ veritate ridiculas cogitationes suas venditant, tamquam magna & arcana Ecclesiæ Sacramenta. Tum subinde id probat ex Hieronymo in Præfatione in Abdiam Prophetam, litteralem expositionem non esse rem adeo vulgarem & protritam, ut quidam jactitant; sed esse expositionem omnium difficillimam propter insufitatas linguæ sanctæ proprietates, & copiam rerum difficillimarum, artium & disciplinarum pene omnium, quæ sub historico Scripturæ sensu comprehenduntur.

IV. Jam ut ad mysticum, seu spiritale expositionis genus veniamus, illud dividi solet in Tropologicum, Allegoricum, & Anagogicum. Triplex ille sensus ex Evangelio & Apostolorum scriptis facile colligitur. Tropologica expositione usus est Redemptor noster Matth. 14. cum Ninivitarum pœnitentiam, & adventum Reginæ Austri ad audiendum Salomonem Judæis commemorans, eorum incredulitatem & perditissimos mores iis exprobravit: *Ninivitæ surgent in judicio, &c.* Sic Apost. 1. Corinth. 10. Hebræorum qui in deserto perierunt, historiam ad morum emendationem accommodat: *Patres nostri omnes mare transierunt, &c.* Sic cap. 9. illud Deuter. 25. *Non alligabis os bovi trituranti*, ministris Evangelii aptat.

Allegoricam expositionem docuit Salvator Matth. 17. 12. loquens de Præcursore: *Elias jam venit, & non cognoverunt eum.* Paulus eam cum multis in locis insinuat, tum maxime in Epistol. ad Galat. cap. 4. *Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, &c.* Cum enim res gestæ in veteri Testamento ad novum referuntur, tum est sensus allegoricus: *Omnia*, inquit Apostolus 1. Cor. 10. *in figuris contingebant illis.*

V. Res autem, quæ est alterius rei figura, triplici modo considerari potest, 1. ut res est tantummodo: sic quædam conveniunt Salomoni, non Christo. 2. ut est signum: sicut nonnulla in Scripturis dicuntur de Salomone, quæ de Christo tantummodo etiam in sensu litterali exponi debent, ut illud Psalm. 71. *Et dominabitur a mari usque ad mare, &c.* 3. Alia dicuntur de Salomone secundum se spectato, atque ut fuit Christi figura: cujusmodi sunt pleraque, quæ perfectius sunt impleta in Christo, quam in Salomone: ut quæ 2. Reg. 7. & 1. Paral. 22. scripta sunt: *Ipse erit mihi in Patrem, &c.* Quæ quidem de Filio Dei verius dicuntur, quam de Salomone; sicque hunc locum intelligit Paulus Hebr. 1.

VI. Quod de figura ad litteram dictum est, interdum tribuitur veritati per figuram adumbratæ, propter quam potissimum dictum fuit; ut Joann. 19. *Os non comminuetis ex eo*: illud enim erat quod significabatur, ut Serpens æneus Num. 21. de Christo intelligitur.

2. Quod de aliquo proprie & sine figura dictum fuit, alicui accommodatur, in quem illud recte quadrat, ut illud Jerem. 32. *Vox in Rama audita est.* Sic illud Matth. 15. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, &c.* non minus de Pharisæis dici potuit, quam de iis ipsis, ad quos Propheta sermones suos referebat. Eamdem ob rationem illud Osee 11. ad litteram populo Israelitico dictum fuit, sed multo perfectius Christo ipsi convenit: *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* In his & aliis Scripturæ locis duplex est sensus, & uterque vetus, historicus

ricus nimirum & propheticus, ambo ex Spiritus Sancti intentione: *In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ*, ait Hieron. in Epistol. ad Pammachium.

VII. Sensus anagogicus is est, qui nos sursum ducit, cum scilicet ea, quæ in hac vita gesta sunt, ad æterna referuntur. Sic Prophetæ cum omnium rerum copiam Judæis promittunt, æternæ vitæ possessionem piis omnibus futuram sæpe prænuntiant. Apost. Hebr. 11. Terram sanctam Patribus promissam futuræ gloriæ promissioni aptat.

VIII. Sixtus Senensis lib. 3. quadripartitam, & vulgo receptam expositionum divisionem, S. Eucherio tribuit in Lib. spiritualium formularum. Hieronymus in Epist. ad Hedibiam paullo aliter partitur expositionum genera, in historicum, tropologicum, & spiritale, quod duplex est, allegoricum & anagogicum. *Triplex*, inquit, *in corde nostro descriptio & regula Scripturarum est, prima ut intelligamus eas juxta historiam; secunda juxta tropologiam; tertia juxta intelligentiam spiritalem*.

Divisio sensus mystici usitata triplici temporum differentiæ aptissime respondet. Allegorica expositio præteritarum in veteri Lege umbrarum ac figurarum prænotiones manifestat: tropologica, quæ in Scripturis gesta dictaque sunt, ad præsentis vitæ institutionem convertit; anagogica, ad cælestis gloriæ sublimiora mysteria animum tollit. In litterali expositione Hieronymus excellit: in allegoricis & anagogicis Origenem & Ambrosium commendat Sixtus Senensis, ut Chrysostomum & Gregorium in tropologicis: in dubiis & obscuris Augustinum.

Philo Judæus Lib. de Vita Contemplat. Essæos in spiritali & allegorico sensu exercitatos esse testatur. Quatuor hos Scripturæ exponendæ modos duplici hoc versiculo Nicolaus de Lyra complexus est:

Littera gesta docet, quid credas Allegoria;
Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.

IX. Quamobrem non audiendi sunt Novatores, qui unum esse tantummodo litteralem sensum contra Apostoli auctoritatem contendunt, & hunc sensum omnibus apertum esse volunt, adeo ut vel ipsi pateat plebeculæ. Catholici in iis locis explicandis, quæ spiritali sensu sunt intelligenda, non laborant. Ii quippe norunt Scripturam cum genuino sensu ad Ecclesiam pervenisse: habent Concilia, SS. Patrum consensum, Traditionem. Cum sensus mysticus est naturalis & necessarius, tum ex eo duci possunt argumenta ad fidei dogmata stabilienda; non item si fuerit ad arbitrium excogitatus; nisi in aliis Scripturæ locis aperte contineatur. Unde ejusdem loci multiplex sensus esse potest, vocis & rei figuratæ: ut in metaphoris, & in parabolis præcipuus sensus est rei figuratæ, ut videre est in prophetico sensu, ubi cum historico comparatur.

X. Qua autem ratione proferendæ sint expositiones sacrarum Litterarum, quæ adhibendæ sint cautiones, docet Augustinus Lib. 4. de Doctrina Christiana, ex quo jam nonnulla deprompsimus. Atque illud in primis monet cap. 2. eloquentiam ipsam in exponendis sacris Litteris non esse contemnendam. *Nam cum per artem Rhetoricam & vera suadeantur, & falsa, quis audeat dicere adversus mendacium in defensoribus suis inermem debere consistere veritatem: ut videlicet illi, qui res falsas persuadere conantur, noverint auditorem vel benevolum, vel intentum, vel docilem proœmio facere, isti artem non noverint? Illi falsa breviter, aperte, verisimiliter; & isti vera sic narrent, ut audire tædeat, intelligere non pateat, credere postremo non libeat. Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, afferant falsitatem; isti nec vera defendere, nec falsa valeant refutare*. Ac demum ita concludit: *Cum ergo sit in medio posita facultas eloquii, quæ ad persuadenda seu prava, seu recta valeat, cur non bonorum studio comparatur, ut militet veritati, si eam mali ad obtinendas perversas, vanasque causas in usus iniquitatis & erroris usurpant?* Hæc quidem cap. 2. sed cap. 3. idem docet eloquentiam illam non tam præceptis, quam lectione & exercitatione scribendi & dicendi comparari: *Quoniam si acutum & fervens adsit ingenium, facilius adhæret eloquentia legentibus & audientibus eloquentes, quam eloquentiæ præcepta sectantibus*.

Appendix prima de Chronologia Sacra.

I. Cum anno 1698. Prolegomena in Scripturas Sacras edidimus, his dissertationem de Chronologia & Geographia sacra inseruimus eo titulo: *De iis quæ ad Scripturarum intelligentiam sunt magis necessaria*. Id enim divinæ hujus scientiæ studiosis perutile, & pene necessarium videbatur, temporum seriem, & situs locorum, in quibus res generi humano adeo salutares sunt gestæ, non penitus ignorare. Cum autem a multis retro annis, hæc temporum & locorum notitia in tabulas certo ordine digestas conferri soleat, & Sacris Bibliis subjici, commodius id visum est ab eo jam recepto & probato more non recedere.

Qui hujus operis editionem susceperunt, certiores facti præstantem ingenio & doctrina virum R. P. D. T. S. J. in eo labore versari, & circa Chronologiam occupari, cujus specimina in Diariis eruditorum Trevoliensibus doctis admodum probata sunt: hunc

hunc adire voluerunt, simul & ab eo postulare, ut ex opere, quod de Chronologia edere in lucem meditatur, dissertationem in tabulas digestam excerpere, & huic Bibliorum novæ editioni inserere non gravaretur: quod utique benigne & amice præstitit.

Inter ea quæ Historiæ sacræ, immo & totius Scripturæ notitiam in primis juvant, non postremum tenet locum temporum & locorum, si minus accurata, quam vix consequi nobis licet, rudis saltem & generalis quædam cognitio. Non enim subtiles quidem & infinitas prope de Chronologia, aut Geographia sacra quæstiones, quæ eruditorum exercent ingenia, hujus divinæ scientiæ studiosis necessarias putem: sed eos ignorare penitus non decet temporum seriem, aut situs locorum, in quibus res tam magnæ, tamque humano generi utiles gestæ sunt, in uno duntaxat terræ angulo, ubi Deus ipse colebatur: cum densa caligine & tenebris orbis pene totus terrarum esset involutus. Quamobrem his omissis, quæ a nobis in Prolegomenis scripta fuerunt, non indiligenter tamen, sed brevius forsan quam par esset, lectorem ad subjectas huic operi tabulas mittendum duximus, in quibus utrumque hoc argumentum fusius & accuratius pertractatur, simul & ejus fastidio occurritur, quod eadem sæpius repetita crearent.

Cum autem annorum numerus ab exordio mundi ad diluvium, & a diluvio ad Abrahamum usque non eodem plane modo in textu Hebraico, qualem nunc habemus, & in editione LXX. Interpretum referatur, vetus est & multum agitata quæstio, utri potius editioni fides sit habenda, an textui Hebraico qui primigenius censetur, & ex quo vulgata Editio ducta est; an LXX. Interpretibus, quorum editio est vetustissima, & iis facta temporibus, cum textus primævus ab omnibus mendis purior esset, & intellectu facilior?

Hæc disputatio paucis ab hinc annis inter viros eruditissimos multum fuit agitata; neque eam dirimere præsumimus: quæ ex utraque parte afferuntur, summatim attingere contenti, quid verisimilius nobis videretur, in priori editione leviter attigimus.

II. Prima mundi ætas ab Adamo ad diluvium usque porrigitur, quæ juxta textum Hebræum 1656. annos complectitur: cum juxta Josephum L. 1. cap. 4. sit 2256. annorum: adeo ut exemplar Hebræum, ad quod Josephus Antiquitatum libros exegit, ut ipse testatur in præfatione, cum LXX. Interpretum versione pene conveniret.

III. Cum in supputatione primæ ætatis ab Adamo ad Noemum usque versio LXX. ab Hebraico & Samaritano textu dissentiat, non immerito colligit P. D. T. S. J. in Diariis Trevolii editis anno 1703. mense Martio, majorem utrique textui Hebraico & Samaritano, quam versioni soli LXX. cap. 5. Geneseos habendam esse fidem.

Cum etiam Samaritanus textus in supputandis annis a diluvio ad Abrahamum usque ab editione LXX. fere non dissentiat, merito existimat idem Auctor loco allato huic fidem haberi oportere potius quam Hebraico, qualis nunc extat. Nam illius antiquitas a Roboami temporibus ducta, cum nulla adhuc facta esset textui Hebraico mutatio, magnam illi tribuit auctoritatem. Additio porro illa cuique generationi 100. annorum facta est a vetustissimis Interpretibus Judæis, eaque convenit cum textu Samaritano. Quæ si desit, vix Chronologiæ series a diluvio usque ad Abrahamum sibi constare potest. Ac si res ipsa diligentius expendatur, textui Hebraico non dissonat, si communem loquendi usum spectemus. Cum enim numerum rotundum aut centum, aut mille in communi sermonis, aut scribendi usu expressimus, tum eumdem repetere superfluum judicamus.

IV. Reliqua non prosequimur: ea quippe in tabulis accurate descripta videri possunt. In versione LXX. hodierna error irrepsit circa annos Mathusalem: nam inito calculo juxta versionem LXX. vixisset post diluvium 14. annos.

Augustinus quidem hac in re textui originali potius, quam versioni LXX. fidem habendam esse docet. L. 15. de Civ. c. 13. cum illa manifeste adversetur Scripturæ: *Quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque non potest esse verum, lingua potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio*. Regula illa facti non est generalis, sed in hoc casu locum obtinet. Id vero factum putat illius culpa, qui primus versionem LXX. exscripsit ex primitivo exemplari; nec textum Hebræum anteponit versioni LXX. nisi error sit manifestus. Cap. 14. idem repetit: *Quandoquidem verum esse utrumque non potest, non tamen vacat, quod septuaginta Interpretes in plurimis, quæ diversa dicere videntur, ex Hebræis codicibus emendare ausus est nemo. Non est enim illa diversitas putata mendositas, nec ego ullo modo putandum existimo*. Quin Augustinus ipse quæst. 2. in Genesim testatur juxta melioris notæ exemplaria LXX. Interpretum, Mathusalem obiisse sexto ante diluvium anno. Nec hæc quæstio de annis Mathusalem ante quartum sæculum a Patribus, aut Judæis agitata occurrit. Errorem post Origenis Hexapla irrepsisse probabile est. Hinc Waltonus in prolegom. *Merus*, inquit, *calumniandi pruritus recentiores adegit, ut hæc contra LXX. objicerent: cum inter eos doctiores optime norint, in antiquissimis Græcis codicibus aliter legi*. Error autem hinc ortus videtur, quod Mathusala genuerit Lamech annos natus 187. ex Africano, quem citat Georgius Syncellus apud Scaligerum in notis ad Eusebium: adeo ut

annos

annos 20. plures quam Eusebius numeret Africanus ab Adamo usque ad diluvium, nempe 2262. Eusebius vero 2242. qui Mathusalam anno ætatis 167. genuisse Lamech scribit; adeo ut Mathusala obierit sex annis ante diluvium. Ex paucis exemplaribus quæ testantur Mathusalam anno ætatis 167. genuisse Lamechum, corrigi debuerunt alia, quæ annum 187. designant, ut probat Ludovicus Capellus in Chronologia sacra.

III. In hodierno textu Hebræo 100. anni uniuscujusque Patriarchæ generationi subducti videntur. Samaritani codices annos tantummodo numerant 1037. adeo ut is textus videatur manifeste hac in re vitiatus. Error quoque circa generationem Lamech apud 70. irrepsit: Josephus ait Lamech anno ætatis 182. genuisse Noe: apud 70. numerus 188. errore scriptorum occurrit.

Secunda mundi ætas a diluvio usque ad Abrahami vocationem ex Josepho annos 1267. continet. Hic anno duodecimo post diluvium Arphaxad genitum a Semo testatur, qui cum tertius fuerit ex Semi filiis, probabilius est eum natum fuisse anno 12. post diluvium, quam anno secundo juxta hodiernam lectionem LXX. & textus Hebraici. Quare inter diluvium & nativitatem Abrahæ anni 1192. intercedent, cum textus Hebræus, qualis nunc extat, annos dumtaxat 292. ponat, & 367. cum terram Chanaan ingressus est: LXX. Interpretes numerant annos 1257. Ista supputationis annorum diversitas hinc orta est, quod unicuique Patriarchæ in textu Hebraico 100. anni detracti fuerint, qui in textu Samaritanorum reperiuntur: magno quidem indicio, ut opinatur Pezronius, hanc textus Hebraici depravationem post excidium Jerosolymæ, & de industria factam esse. Unde Augustinus de hac annorum differentia loquens L. 15. de Civit. cap. 13. eam non temere, sed certo consilio accidisse docet: *Constantia erroris nec casum redolet, sed industriam.* Uniuscujusque Patriarchæ generationi 100. anni subducti, & Cainan filius Arphaxad ex LXX. & Luca Evangelista itidem deletus, hæc tantum errorem, uti videtur, induxerunt. Verum ex altera parte id justa suspicione non vacat, quod in supputatione LXX. singulæ generationes sint 130. annorum, uti & in sex primis generationibus ante diluvium, utrobique Cainan quarto loco inferatur, ut præter ceteros advertit Ludov. Capellus, qui suspicatur hoc nomen in Genealogiam Christi apud Lucam cap. 3. irrepsisse, non a Luca Evangelista insertum, sed e variis LXX. codicibus extractum.

Addit Capellus in tabula tertia suæ Chronologiæ, Julium Africanum, & Eusebium, qui calculum LXX. sequuntur, Cainanum omittere, adeo ut LXX. Interpretum nullam rationem habuisse videantur. Africanus a diluvio ad nativitatem Abrahæ 915. annos per decem generationes ponit. Quod si numeretur Cainan, anni erunt 1072. & undecim generationes. Respondet Usserius, antiquissima exemplaria ante Christi tempora habuisse nomen Cainan, quod probat ex Demetrii Chronologia, qui ante Christum scripsit ex Eusebio L. 9. de præpar. & annos a diluvio ad ingressum Jacobi in Ægyptum numerat 1360. adeo ut anni 130. Cainan necessario requirantur; idque est probabile codices Græcos Eusebii temporibus nonnihil variasse.

IV. Et quidem præter alia incommoda, quæ supputationem textus Hebraici consequuntur, illud insigne est, turris Babelicæ substructio octogesimo post diluvium anno suscepta; centesimo itidem anno post diluvium gentium statuenda erit dispersio, sic tamen ut multitudo hominum sub Nemrod satis magna superfuerit, quæ primum mundi imperium efficeret. Sic historiæ Chaldæorum, Ægyptiorum, Assyriorum, Phœnicum pro fabulis erunt habendæ. Josephus tamen contra Appionem Judæorum antiquitatem ex historia Ægyptiorum probat. Tatianus in Orat. contra Gentes: *Extant*, inquit, *Ægyptiorum Annales diligentissime conscripti*. Patres docent Abrahamum Ægyptum intrasse regnante Ramesses Meros, qui secundus & vicesimus erat Pharaonis nomine. Hi Principes 600. & amplius annos regnaverunt.

V. Ætas quarta ab exitu ex Ægypto usque ad templi Salomonis constructionem protenditur, quam Pezron. 962. annorum esse existimat: sed fors est ut majorem efficiat summam annorum, quam revera fit. Nam Scriptura numerat tantum 480. annos. Atque ut tempora, quibus Judæi servierunt exteris, aut sine Principe extiterunt, ad calculum revocentur, eo usque summam annorum vix assurget. Paulus Apostolus in Actis cap. 13. vers. 20. annos Judicum servitutis temporibus non omissis, recenset 450. quibus si addas 26. annos, quibus Josue ex Josepho præfuit Judæis, summam habebis 476. annorum, uti a Josepho definitur. Ludovicus Capellus 40. annos Samuelis & Saulis regimini tribuit: postquam enim Paulus Act. 13. dixit Deum dedisse Judices ad Samuelem usque per annos 450. mox addit dedisse postea regem Saulem per annos 40. omisso Samuele: adeo ut tempus Judicaturæ Samuelis includatur in annis illis 40. Certum est enim Saulem non regnasse solum per 40. annos. Nam Samuel obiit paullo ante Saulis mortem. Samuelem vero solum post mortem Heli judicasse colligitur ex L. 1. Reg. 1. 7. ubi dicitur annos viginti octo post Heli mortem & captam Arcam usque ad historiam illic relatam de victoria contra Philisthæos reportata: hæc diu non antevertit postulationem regis, quæ refertur cap. 8.

adeo

adeo ut Samuel videatur judicasse populum per 20. annos a morte Heli.

VI. Templi fundamenta jacta fuisse a Salomone, quæ erit quinta mundi ætas, post annum 591. ab exitu populi Hebraici ex Ægypto, tradit Josephus, anno 1021. post ingressum Abrahæ in terram Chananæam. Quod si 40. annis regiminis Mosis adjeceris 476. Judicum; 32. itidem annos, quibus Samuel & Saul præfuerunt, 40. annos regni Davidis, tres demum annos Salomonis, prodibunt 591. anni: quod cum Scripturis satis cohæret, si tempora quibus servierunt Hebræi 111. annorum subduxeris; tum enim restabunt 480. anni; quæ itidem conveniunt cum numero 450. annorum, quod Paulus a morte Josue ad Samuelis regimen definit. Josephus a prioris templi fundatione ad secundi destructionem numerat 1165. annos, qui cum 591. juncti efficiunt summam 1754. & tamen 2000. annos a Mose ad excidium usque Urbis enumerat, quod tempora tantummodo in Scripturis designata attenderit, cum ea singillatim recensuit: sed cum bis mille annos Legi tribuit, feriem omnium temporum ex aliis monumentis sibi cognitis forte complectitur. Ludovicus Capellus ad tabulam 6. suæ Chronologiæ sacræ existimat in textu Hebræo librarii lapsu errorem irrepsisse; cum legatur cap. 6. vers. 11. lib. 3. Reg. num. 480. legendum esse 580. contra Jacobi fratris sententiam existimat; ac subinde negat solicitari oportere lectionem Actor. 13. cum in alterutro sit vitium, & uterque numerus verus esse non possit; nec gravius sit facinus mendum agnoscere in hodierno textu Hebræo, quam in Græco novi Testamenti.

VII. Quod autem Josephus, Lib. 8. Salomoni 80. annos regni, 94. vitæ assignat, vereor ut satis ipse cum Scriptura sacra conveniat. Addit Lib. 10. templum post 470. annos a sua fundatione incensum. Inter excidium Jerosolymæ, & annum 7. Cyri, 49. anni interjacent: sed anno 3. Joachin Regis, nempe 20. ante annis Nabuchodonosor Judæam subegerat. Quæ ad Chronologiam Regum Juda & Israel spectant, idoneis locis excutientur.

VIII. Illud tacere non possum circa Cyclum 600. annorum a Judæis observatum, forsitan in prima mundi ætate cognitum ex Josepho, quod vir clariss. Cassinus in Tractatu de Origine & Progressu Astronomiæ inter alia Academiæ Regiæ opera & Typis Regiis edita anno 1694. annotavit.

Nusquam alibi illius periodi 600. annorum vestigium repetitur, cum sit unum e præstantissimis hactenus inventis: posito lunari mense synodico 29. dierum 12. hor. 44. min. 3. secund. dies 219146. cum semisse efficiunt 7421. menses lunares; ac numerus prædictus dierum 600. annos solares continet, quorum singuli sunt 365. dierum hor. 5. 49. minut. & 36. secund. Quod si in prima Mundi ætate annus ille in usu jam fuit, fatendum est siderum motus antiquis Patriarchis admodum perspectos fuisse. Nam mensis lunaris cum eo, qui a recentioribus Astronomis fuit definitus, adeo præcise convenit, ut vix unius secundi minuti discrimen inter utrumque occurrat: atque hic annus solaris accuratior est eo, qui ab Hipparco, & Ptolemæo est definitus 365. dierum, hor. 5. minut. 55. & 13. secund.

IX. Verum ut eo redeamus, unde sumus egressi, difficile admodum est calculos & supputationes Scripturæ inter se conciliare ob varias scribarum omissiones. Quod Hieronymus in Epist. ad Vitalem sapienter observat: *Relege*, inquit, *omnes & veteris & novi Testamenti libros, & tantam annorum reperies dissonantiam, & numerum inter Judam & Israel, id est, inter regnum utrumque confusum, ut ejusmodi hærere quæstionibus non tam studiosi, quam otiosi hominis esse videatur:* Idque ex verbis Apost. 2. Timoth. 2. confirmat, ubi prohibuit: *Ne fideles intenderent fabulis & genealogiis, quæ quæstiones præstant magis, quam ædificationem Dei.*

Appendix secunda de Terræ Sanctæ descriptione.

I. HOc si quid aliud ad Scripturæ sacræ lectionem & intelligentiam necessarium videtur, ut levem saltem notitiam locorum habeamus, in quibus reparationis nostræ opus fuit absolutum, & peracta sunt omnia, quæ in sacris codicibus continentur. Qui accuratam Terræ sanctæ descriptionem & Tabulam desiderat, iis consulere potest præter alios Indicem Geographicum, & Tabulas a doctissimo nostræ ætatis Geographo Nicolao Samson concinnatas. Quin & Tabulæ Bibliis a J. Gordonio S. J. præfixæ, amplæ sunt & accuratæ. Nam Geographiam Scriptores recentiores plerumque magis emendatam tradunt, quod disciplinis pene omnibus, quæ usu & observationibus constant, commune est. Et quidem Judæa, ut auctor laudatus, quem potissimum hoc in loco sequar, in prima terrarum divisione Semo & illius posteris cum Asia & Oriente toto contigit, ut Chamo Africa, seu pars Australis terræ, Japhetho Europa & Occidens. Cum autem Chanaan, aut potius ejus filii terram illam invasissent, ex iis terra Chanaan dicta est. Hi tandem ab Israelitis Semi posteris ejecti sunt: cum Abrahamo, Isaac & Jacob sæpe promissa a Deo fuisset, hinc terra promissionis fuit appellata.

Hoc argumentum Pezronius Abbas nuper in dissertatione pereruditа Commentariis eruditorum Trevolii editis inserta copiose & docte pertractavit: ex veterum monumentis

mentis ostendit Chananæos Palæstinam invasisse. Quod quidem Epiphanius hæresi 66. quæ est Manichæorum, Num. 83. ut certum ponit & confessum: ubi Manichæos, post impiæ sectæ auctorem Manes, sic inducit loquentes contra Deum veteris Testamenti. Præclarum vero, inquiebant, Legis Deum, qui & Ægyptiorum opes prædatus est, & Amorrhæis, & Gergesæis aliisque gentibus ejectis, terram eorum Israelitis attribuit. Qui hoc mandatum dedit, *Non concupisces*, quomodo aliis aliena largitus est? Hos ita refellit Epiphanius: *At nescit homo rudis & idiotes, quod Israelitæ terram suam recuperaverint: quam alii per vim eripuerant!*

Rem vero omnem ab altiori ducit principio. Noemum scilicet tribus liberis Semo, Chamo, & Japhetho, atque eorum posteris varias orbis terrarum partes aut sorte, aut alia quavis ratione partitum; Chanaan filium Cham, aut quemvis alium e suis posteris Palæstinorum terram invasisse. Unde & nomen Chanaan traxit ea regio, quod minus commodam, & Solis ardoribus exustam prope mare rubrum antea incoleret regionem. Hinc plures orti sunt populi, Amorrhæi, Jebusæi, Pherezæi, & alii, sed post multas ætates Semi posteros in legitimas possessiones quasi postliminii jure fuisse restitutos: *Propriam*, inquit, *terram receperunt*, *Israelitæ nimirum*, *non modo nulla cujusquam injuria*, *sed justo etiam Dei judicio*. Sic Nemrod regionem Sennaar, seu Babyloniam usurpavit, ejecto Assur, qui erat legitimus hujus provinciæ possessor. Atque ut post multas ætates posteritas Assur proprias sedes recuperavit, teste Augustino: sic Israelitis e Semo prognatis antiqua Patrum possessio fuit restituta ex veteri traditione in Ægypto recepta, inquit Abbas Serapio apud Cassianum, Collatione quinta, cap. 24. Chananæi vero, qui Palæstinam invaserant, iidem fuere Phœnices, qui prope mare rubrum siti erant, in confinio Ægypti & Arabiæ. Hoc ipsum variis Auctorum testimoniis confirmat Pezronius. Herodoti in primis, qui Lib. 1. Histor. hæc habet: *Hi enim a mari*, *quod rubrum vocatur*, *in hoc nostrum profecti sunt*: & clarius L. 7. *Phœnices*, *ut ipsi fatentur*, *antiquitus mare rubrum accolebant*: *illinc vero transgressi oras Syriæ maritimas habitant*; & paullo post: *Is autem Syriæ tractus*, *& quidquid Ægypto tenus est*, *Palæstina vocatur*.

Urbes ejus & oppida variis mutationibus fuerunt obnoxia; unde Terræ Sanctæ, aut Palæstinæ non una & eadem erat descriptio Josue temporibus, quæ fuit postea sub Persarum, Græcorum, & Romanorum Imperio. Urbes aliæ sunt dirutæ, aliæ extructæ, ac nova plerumque earum vocabula magnam afferunt confusionem, nisi temporum habeatur ratio: decem Tribubus in captivitatem abductis, novi incolæ partem Terræ Sanctæ occuparunt.

II. Cum duæ tantum Tribus essent superstites, Tribus Juda nomen regioni, & populo residuo dedit. Reges Syriæ aliquot regiones regno suo adjecerunt; neque ea terra in varias Tribus amplius divisa est: verum de Terræ Sanctæ divisione qualis erat Christi temporibus, postea dicemus: nunc pauca de illius descriptione a Josue facta, dicenda sunt.

Terra sancta ut duodecim suis Tribubus continetur, a Septentrione, Libano monte, aut potius Antilibano, qui Libano pene est parallelus, terminatur, quo quidem a Phœnicia & Syria dividitur; a Meridie, montibus Seir, qui illam ab Idumæa; ab Oriente, montibus Galaad, qui ab Arabia eam disterminant; Mare magnum, seu Mediterraneum ab Occidente claudit Terram Sanctam.

Longitudo ejus a Septentrione ad Meridiem, nempe a civitate Dan, quæ postea Paneas, tum Cæsarea Philippi dicta est, prope Jordanis fontes, Bersabee usque ad 80. fere leucas protenditur; latitudo interdum 50. aliquando 40. immo & 30. tantum leucas continet, singulis leucis 2500. passus Geometricos tribuendo: ita ut circuitus totius regionis sit fere 240. leucarum, ac regio tota Occitaniam æquet magnitudine.

III. Montes in Scripturis celebrati, quibus undique fere cingitur, sunt ad Septentrionem Libanus, aut potius Antilibanus, ut ubique vertunt LXX. Interpretes; ad Orientem mons Hermon, & montes Galaad; ad Austrum montes Judææ; ad Occasum montes Galilææ, & Philisthinorum, qui in mare excurrent; ut taceam de montibus, qui in media sunt regione collocati, quales sunt mons Thabor, Judææ montana, &c. ....

IV. Præcipuus Terræ Sanctæ fluvius, & pene unicus est Jordanis, nam alii potius ut torrentes habendi sunt, quam ut fluvii. *Jordanis* dicitur, quasi Fluvius Dan, quod inde suam ducat originem; atque a Septentrione in Austrum manat, Palæstinam pene totam decurrit. Lacum Meron primum, tum mare Galilææ, seu Tiberiadis prætergressus in mare Mortuum sese exonerat; alii minores fluvii, ut Arnon, qui e monte cognomine in mare Mortuum delabitur, alii, qui e montibus Galaad in Jordanem desinunt.

V. Tribus Ruben, Gad, & dimidia pars Manasse sortem suam habuerunt trans Jordanem ad Orientem; reliquæ cis Jordanem, a mari magno ad Jordanem usque, & a Libano monte, qui est ad Septentrionem, ad torrentem usque Ægypti versus meridiem protenduntur. Tribus Juda & Benjamin, Simeon & Dan meridionalem terræ promissæ partem tenuerunt. Tribus Aser & Nephthali, Zabulon & Issachar Septentrionalem; dimidia Tribus Manasses

& Ephraim,

& Ephraim, partem inter illas interjectam. Ex Tribubus trans Jordanem sitis Ruben Australem plagam, Manasse Borealem, Gad mediam insederunt.

VI. Jam difficillimum esset urbes omnes, quas in singulis Tribubus designat Josue, hoc loco recensere. Nam qui in hoc genere eruditionis majori cum laude versati sunt, inter se non conveniunt. Adrichomius, qui omnium diligentissime Terram Sanctam descripsit, ex quo qui secuti sunt Geographi Tabulas suas magna ex parte mutuati sunt, ex singulis urbium nominibus sæpe plura fecit, uti a Nicolao Sanson fuit observatum. Ac si quando urbium nomina in sacris codicibus sunt repetita, & nonnihil immutata, diversas urbes variis in locis posuit. Urbes Leviticas 48. ad 72. multiplicavit. In Simeonis Tribu libri Josue & Paralip. L. 1. urbes 17. recensent, quæ apud Adrichomium ad 50. excurrunt. Jam eruditæ Bonfrerii Annotationes in ejus descriptionem Terræ Sanctæ consuli possunt; illud inter cetera observat Bonfrerius, Arnon in regione trans-Jordana terminum fuisse Moabitarum, & Moabitas divisisse ab Amorrhæis; Amorrhæorum vero regiones trans Arnon occupasse Tribus Ruben & Gad.

VII. Accedit etiam magna in diversis Bibliorum editionibus diversitas. Atque ea de re consulendæ sunt animadversiones prædicti Auctoris. Illam in primis regulam præscribit Sansonius, ubi certus datur a Josue urbium numerus, eum retineri, non immutari oportere. Sic c. 19. urbium, quæ in Tribu Simeonis sunt, & nomina, & numerum describit; eædem cap. 15. inter urbes Juda numerantur, unde postea in Tribum Simeon fuerunt translatæ; eædem Lib. 1. Paral. c. 4. repetitæ 77. numerantur. In antiquis Bibliis, Josue in prima Tribus Simeonis parte urbes 13. esse affirmat; is numerus est retinendus, etiamsi 14. proferre videatur: delendam Sabee existimat Auctor prædictus, quod in Tribu Juda, ex qua Tribus Simeonis tota excerpta est, nulla sit urbs ejus nominis & vocis. Bersabee pars ultima ex facili est repetita; unde nulla ejus fit mentio in Lib. 1. Paral. Sic Lim & Esem in Tribu Juda ad unam vocem revocari oportere demonstrat.

Consimili ratione Josue in prima parte Tribus Juda 29. urbes computat; ad 37. usque exurgunt, nisi duæ in unam revocentur. Sic pro Cades, Asor, legendum existimat, Cades-Asor. Tribus Juda in partes undecim dividitur, in quibus 115. urbes numerantur, in Tribu Aser 22. Tribu Zabulon 12. tametsi 18. singillatim recensentur, quarum nonnullæ in confiniis Zabulon & Issachar positæ, nunc huic, nunc illi tribuuntur; aliæ sunt Levitis concessæ.

VIII. Difficile quoque est 48. urbium, quæ Levitis assignantur, nomina conciliare. Quatuor erant familiæ, una Aaronis Sacerdotis, tres Levitarum, Caath, Gerson & Merari. Josue cap. 21. urbes 9. ex Tribubus Juda & Simeonis desumptas, quatuor ex Tribu Benjamin iis concedit. Urbes itaque Aaronitarum sunt 13. Caathitarum 10. Gersonitarum 13. Meraritarum 12. Summa est 48. urbium, quæ a Josue exacte enumerantur. Lib. 1. cap. 6. Paralip. aliquæ desiderantur: sex nimirum desunt, quæ ex cap. 21. Josue facile colligi possunt; ac diversa earum nomina sæpe ad eamdem urbem pertinent, cum in variis Bibliorum libris describuntur: ut Jebus, quæ est Jerusalem, Carjath-Arbe, quæ est Hebron, ut alias omittam plurimas. Sunt & alia nomina multo difficillima; nam Libri sacri diversis temporibus sunt compositi. Judæi alienigenis identidem subjecti, & longinquas transmigrationes passi, linguam sæpe suam mutaverunt, & urbium vocabula sunt immutata. In primo capite Judicum aliqua sunt urbium nomina, quæ dissimilia sunt iis, quæ apud Josue reperiuntur. Nam c. 1. Judicum castigantur Aseritæ, quod non deleverint quasdam urbes, ut Accho, Achasib, Helbe, quæ in Lib. Josue non occurrunt, nisi immutata jam essent earum vocabula, cum liber Judicum descriptus fuit; forte Accho est Asaph, Achazib est Acziba, & ita de ceteris.

IX. Locorum distantiæ & positiones in Scripturis nullæ fere designantur. Itaque ordo ipse in Scripturis positus, in Tabulis delineandis sequendus videtur. Itineraria Romana, littorum & urbium distantias aliqua ex parte demonstrant. Philisthinorum urbes, aut Satrapiæ magis celebres ad maris littora sunt positæ: Geth ad Septentrionem præ omnibus sita, Ascalon & Gaza ad Austrum, Accaron & Azot inter Geth & Ascalon positis. Hunc ordinem ponit Bonfrerius ab Austro ad Boream progredienti, Gaza, Ascalon, Azotus, Geth, & Accaron.

X. Id quoque observandum putant Pezron. & alii, Josue cap. 15. inter alias urbes Ephratan, seu Bethlehem numerare, ac decem alias urbes, quæ in Hebræo textu desunt. Unde Hieronym. scribens in cap. 5. Michææ: *Legimus*, inquit, *juxta LXX. dumtaxat Interpretes in Jesu Nave, ubi Tribus Juda urbes & oppida describuntur, civitates undecim, & viculos earum: quod nec in Hebraica, nec apud alium invenitur Interpretem: & sive de veteribus libris erasum sit malitia Judæorum, ne Christus de Tribu Juda ortus videretur, sive a LXX. additum, nequaquam liquido cognoscentes certum quid novimus*. Verum hæc oppida in aliis Scripturæ locis nominantur, nec credibile est hæc a LXX. Senioribus efficta esse: ac proinde tum erant in textu originali ante Origenis Hexapla, nec Hebræi vete-

res, nec SS. Patres LXX. Seniores eo nomine infimularunt, quod textui facro quicquam addiderint: fed ifta funt alterius loci.

Defcriptio Paleftinæ Chrifti temporibus.

I. NOs inftitutum noftrum profequamur, quifve fuerit Palæftinæ ftatus Chrifti Domini temporibus, quæ regionum & urbium difpofitio, paucis attingamus, tabulam a viro pereruditto P. Bernardo Lamy Congregationis Oratorii Presbytero in Apparatu fuo Biblico, vel alteram ab Abbate Pezronio in Hiftoriæ Evangelicæ calce delineatam, oculis & animo luftrantes. In utraque hac tabula illuftriora tantum Palæftinæ loca in duodecim Tribubus defignata, & tractus quales fuerunt Chrifti temporibus exhibentur. Præcipuæ illius partes erant Judæa, Samaria, & Galilæa, quibus Hircanus Pontifex addiderat Idumeam.

II. Judææ Metropolis erat Jerufalem, quæ unius diei itinere a mari eft diftita, quafi in medio noti orbis pofita, in confinio Afiæ, Africæ & Europæ. Hinc adeo verbum Dei in totum orbem facilius fparfum eft.

Sanctæ hujus Urbis, in qua reparationis noftræ opus perfectum fuit, defcriptio ex aliis repetenda, ut ex Villalpando, & ex eo potiffimum a nobis mox laudato Apparatu.

Quatuor hæc Montes complectitur. Primus & celeberrimus eft Mons Sion, feu civitas David, mons undique præruptus, & ad Septentrionem fitus.

Verfus occafum mons alius eft, a Jofepho dictus Arca, urbs inferior, aut Salem.

Mons tertius Moria ad Orientem fitus, quo Abraham Ifaac immolaturus venit, & in quo David oblato facrificio Deum placavit, cum Angelus fæviret in populum, & gravior peftis graffaretur, hoc in loco Salomon Templum ædificavit. Cum autem montis apex effet anguftior, nec aream fatis patentem haberet, ingentes erigendi fuerunt aggeres: adeo ut multis gradibus ad folum Templi confcenderetur. Aggerum muri ad 400. cubitos ex Jofepho affurgebant: fubftructiones Templi ingentibus faxis compactæ erant. Divifa erat Jerufalem inter Tribum Juda & Benjamin, producta linea dividente per atrium Templi, ita ut omnia ædificia Templi ab Oriente ufque ab Altare forent in portione Judæ, Altare & exinde ad Occidentem in portione Benjamin. Ita Joann. Lighfoot in fuis Animadverfionibus in Tabulas Terræ Sanctæ apud Waltonum.

III. Quæ autem fuerit Templi Salomonis ftructura, fuo loco dicemus. Sanctum Sanctorum viginti cubitos in longitudine, totidem habebat in latitudine: pars altera Sanctum dicebatur, ubi erant Candelabrum aureum, feptem lucernis diftinctum; altare æneum, in quo odores, feu thymiamata incendebantur: menfa panum, qui panes propofitionis dicti funt, quod ante arcam ponerentur.

Ante fores Templi velum expanfum erat, circa Templum erat atrium Sacerdotum; ante faciem Templi patebat Area fub dio, eaque quadrata, in cujus medio extabat ingens altare itidem quadratum, in quo quidem non mactabantur victimæ, fed confumebantur: altum erat decem cubitis, latum viginti: ad fummam aream non per gradus, fed per devexum collem afcendebant Sacerdotes. Mare itidem æneum in hoc atrio erat propius veftibulum, duodecim bobus æneis fuftentatum. Sacerdotum atrium majori altero cingebatur, in quod foli Ifraelitæ, iique mundi introibant; porticus, gazophylacia, conclavia, cellulæ hæc cingebant atria. In portis atriorum erant ampla veftibula. Hæc fufe & dilucide defcribuntur in Apparatu Biblico.

IV. Nunc ad quartam urbis partem redeamus, quæ Bezetha, aut Cœnopolis, feu urbs nova dicta eft, per montem interjectum urbi adjuncta, crefcente incolarum multitudine. Sic dictam volunt, quafi domum gregis: nam ibi erat forum pecuarium, ibi pifcina illa, quæ apud Joannem *probatica* appellatur. Hæc pars civitatis inter Orientem & Septentrionem erat pofita.

Montem Olivarum a monte Moria profundior vallis feparabat, quam Torrens Cedron præterfluebat. Multi opinantur Bethaniam fuiffe pofitam in montis vertice, 15. ftadiis ab urbe diffitam; Bethphage urbi erat vicina, horto Gethfemani interjecto.

V. Verfus occafum mons erat Golgotha, fic dictus a calvariis eorum, qui ibi extremo fupplicio fuerant affecti. Inter Orientem & Meridiem vallis porrigebatur, quam alluebat Torrens Cedron: hæc dicta eft Gehennom, feu vallis Hennom, ubi olim immolabant pueros Idolo Moloch; unde locus cruciatus & comburii in Evangelio dicitur *gehenna*.

VI. Jam ut e femita in viam redeamus, Judæa Herodis temporibus eum tractum terræ Ifraeliticæ continebat, quæ olim Tribubus Juda, Benjamin, Dan & Simeonis forti obtigerat: ejus latitudo a Joppe urbe maritima ad Jordanem ufque patebat. Tres in partes dividebatur, in montanam, planitiem & convallem. Montanum Judææ, olim mons Amorrhæus, quod a Cades ad Hebron ufque excurrebat, Pfalm. 76. Montanum defertum appellatur. Urbs præcipua erat Hebron.

Samaria ad Septentrionem Judææ fita inter Judæam & Galilæam, atque inter mare Mediterraneum & Jordanem, ubi olim erant Tribus Ephraim, & dimidia Tribus Manaf-

Manasse: hanc regionem Cuthæi olim occuparunt; Metropolis ejus Sichem, vel Sichar, ex Josepho Lib. 6. cap. 1. Latitudo tribus Benjamin terminatur Jerosolymis & Bethel: limes Judææ & Samariæ Bethel. Samaria sub Templo primo erat urbis nomen, sub secundo regionis, cujus Metropolis Sichem, Sichar a Judæis per opprobrium dicta, eaque tandem appellata est Neapolis. Sichem vero erat juxta vallem illustrem, non procul a Jordane, ex cap. 12. Genes. 5. *Cumque venissent in eam, pertransivit Abram terram, usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem*, seu *Elon*.

VII. Galilæa duplex ex Josepho, superior & inferior: Syrophœnices ab Occasu & Septentrione, a Meridie Samaria, ab Oriente Bathanæa, seu Gaulonitis. In ea regione olim fuerunt Tribus Issachar, Zabulon, Aser & Nephthali, saltem ex parte.

VIII. Ultra Galilæam proprie dictam circa radices Libani fuit regio Paneadis, ab urbe Paneade sic dicta. Quæ quidem urbs primum Dan, tum Paneas, tandem Cæsarea Philippi dicta est.

Quæ ultra Jordanem obtigerat regio Tribubus Ruben & Gad dicta fuit Peræa, a Machæronte prope Jordanem ad Pellam versus Septentrionem porrecta in longum: latitudo a Philadelphia; ubi olim Moabitæ, usque ad Jordanem, Arabiæ desertis versus Orientem contermina. Versus Septentrionem olim sita erat dimidia Tribus Manasse, quæ Libano versus Septentrionem, monte Hermon ad ortum versus Aquilonem declinante terminatur. Mons Hermon est mons Nivis; in eo tractu est regio Gaulonitis ex Josepho ab urbe Gaulon. Huic vicina erat Bathanæa, ubi olim regnum Basan, cui finitima Trachonitis, sic dicta ob asperitatem montium; pars Septentrionalis dicta est Auranitis, ab urbe Auram, inter Cæsaream Philippi & Damascum; prope est Ituræa ultra Libanum. Ituræ Tetrarcha erat Philippus, Peræ Herodes Antipas.

In terra Israel olim erat Decapolis, tractus nimirum sic dictus a decem civitatibus, quæ Græci erant instituti, nec Judæorum legibus utebantur. Pleræque ejusmodi urbes erant in Galilæa, quæ idcirco in Evangelio Galilæa Gentium appellatur: inter eas fuerunt Scythopolis, Gadara, Hippos. Gadara fuit Metropolis Peræ: huic vicina erat urbs nomine Gergesa, cujus meminit Josephus. Cum hæ urbes essent vicinæ, quæ regio a Marco & Luca dicitur Gadarenorum, a Matthæo Gerasenorum nominatur; unde incolæ porcos alebant, cum essent Gentiles.

Lacus his proximus Genesareth, non a Gergesa, sed ab urbe Cenereth, quam Josue in Tribu Nephthalim collocat. Unde Num. 34. vers. 11. & Josue 12. v. 3. Cenereth lacus ille appellatur: mare Tiberiadis postea dictus est lacus ille.

Pars Cœle-Syriæ dicta est Abilina ab urbe Abila, quæ fuerat regno Herodis senioris adjuncta.

Appendix tertia, de mensuris, ponderibus & nummis apud Hebræos.

Etsi quæ ad mensuras, pondera, & nummos Hebræorum spectant, cum se dabit occasio, exposituri simus: non erit tamen alienum perpauca in antecessum de his differere, quæ ex libro Edovardi Brerevvodd Angli apud Waltonum in Apparatu Biblico excerpemus: hinc enim bene multa in Scripturis satis obscura illustrari possunt.

Atque ut nihil dicamus de mensuris Romanorum, & Græcorum, sed de Hebræis tantummodo, libra ubique constabat 12. unciis. Cabus Hebræorum erat victus diurnus hominis parci, & tenuiter viventis; capiebat 4. libras fere cum semisse. Gomor, quem quotidie ex manna colligebant Hebræi ex cap. 16. Exodi, erat decima pars Ephi, seu libræ 8. non mannæ, sed aquæ eo vase contentæ: nam aqua longe gravior fuisset quam manna.

Congius erat octava pars Ephi, nempe 10. librarum. Hujus pars sexta erat sextarius.

Hin continebat Hebræos sextarios 12. seu libras 13. $\frac{1}{3}$

Satum æquale erat modio Romano, tertia pars Ephi, continens 320. uncias, seu libras 26. & paullo amplius: siquidem Ephi, seu Batus communis, aut Metreta, amphora Romana, pes cubicus Romanus, ejusdem pene erant capacitatis, is erat pars Cori, Ezechielis 45. 11. continebat congios octo, sive tria sata, ex cap. 2. Ruth 17. seu 72. sextarios Hebræos, aut urnas duas, libras 80. Medimnus continebat sata sex, seu libras 160.

Homer Hebræum, seu Corus Græcorum continet 10. Ephi, seu libras 800.

Batus quidem communis idem est cum Ephi, sed sacer major erat tertia parte. Unde Lib. 2. Paralip. c. 4. 5. mare æneum Salomonis dicitur continere 3000. metretas, seu batos; cum Lib. 3. Reg. 7. dicatur tantum capere 2000. batos, nimirum sacros, & tertia parte majores.

Proximum est, ut de nummis Hebræorum nonnulla subjiciamus. Ad siclum & ejus partes ii omnes referuntur: sicli in una facie vasculum, quo manna servabatur in sanctuario, altera virgam efflorescentem exhibebant, cum illa inscriptione, *Jerusalem sancta*, characteribus antiquis, seu Samaritanis expressa, post captivitatem characteribus Chaldaicis.


Pondus sicli erat semiuncia, seu 4. drachmarum, ex Josepho, Hieronymo, & aliis.

Drachma autem Hebræa erat dupla drachmæ Atticæ. Unde ſiclus Iſraelitarum, Athenienſium ſtaterem æquabat pondere.

Obolus eſt pars ſexta drachmæ.

Argenteus Matth. 26. ex uſu Judæorum idem eſt cum ſiclo. Denarius Matth. 18. & 22. Romanus erat, cum Cæſaris imaginem haberet inſcriptam. Aurei ſicli erant ejuſdem ponderis cum argenteis. L. 3. Reg. 10. tres auri minæ dicuntur, quæ Lib. 2. Paral. 9. trecenti aurei exprimuntur. Mina autem 100. drachmas continet. Drachma Hebræa erat drachma Attica: unde mina Hebræa 200. drachmas Atticas æquabat pondere. Argenti mina vetus apud Hebræos, 60. ſiclos, ſeu 240. drachmas complectitur, ſeu libras argenti duas cum dimidia, ex Joſepho Lib. 14. cap. 12. Argenti talentum Hebræorum videtur continere 3000. ſiclos. Nam Exodi 25. 26. pro 600000. hominibus dimidii ſicli oblati in ſtructuram tabernaculi centum talenta confeciſſe dicuntur: adeo ut 3000. ſicli uno talento æquentur, idque adeo drachmas Atticas 12000. continet. Quamquam id advertit vir doctus, vocem Hebræam, quæ talenti nomine in Exodo ſignatur, aliam forte quam talenti habere ſignificationem. Vix enim credibile putat tam immenſum auri & argenti ſummam a Davide Salomoni relictam in templi ſtructuram, quantam nullus umquam Principum, aut Romanorum, aut Græcorum, aut Perſarum umquam coacervaſſe memoratur. Unde exiſtimat vocem Hebræam Lib. 1. Paral. 22. 14. aliud quiddam quam talentum deſignare, nempe maſſam aliquam planam, & preſſam inſtar placentæ, qua forma aurum & argentum in Principum theſauris ſervari ſolet. Quin etiam apud antiquos varia eſt talenti notio, & interdum exiguam auri, vel argenti ſummam deſignat. Quod probat ex Polluce Lib. de rerum vocabulis, ex Homero Lib. 23. Iliad. ubi inter res varias non magni pretii duo auri talenta a Patroclo proponuntur in præmium.

Hinc quædam numerorum ſummæ, de quibus in Scripturis fit mentio, colligi facile poſſunt, & ad noſtrum uſum revocari. David ex. gr. ab Ornan Jebuſæo aream emit altari conſtituendo 50. ſiclis, ſeu paullo amplius quam 72. libris Turon. Lib. 2. Reg. cap. 24. In Lib. Paralip. c. 21. dicitur aream emiſſe 600. ſiclis aureis: ſiclus didrachma erat. Cum autem auri pretium eſſet fere in ratione duodecupla cum argento, hinc prodeunt 450. libræ Anglicanæ, ſeu 5400. libræ Turon. Neque locus 2. Reg. pugnat cum Libri 2. Paral. loco: nam in priori fit tantum mentio areæ altari conſtituendo deſtinatæ, quæ 50. ſiclis æſtimatur; ſed in lib. Paralip. de area, quæ extruendo templo & atrio erat deſtinata, agebatur.



ACCE-

ACCESSIONES NOVÆ

AD

PROLEGOMENA

H. E.

JOSEPHI BLANCHINII Congreg. Orat. Rom. Presbyt.

DISSERTATIO PRIMA.

De Divisione Sacrorum Librorum; deque Libris Autographis & Apographis Legis & Prophetarum, eorumque Historia.

§. I.

IN tres Classes Hebræi summam Librorum Sacrorum digerebant, teste Sancto Hieronymo in Præfatione in lib. Regum, quæ Vulgatis Bibliis præfigitur sub Titul. Prologi Galeati: „ Viginti & duas „ litteras esse apud Hebræos, Syrorum quoque „ que & Chaldæorum lingua testatur &c. „ Quomodo igitur vigintiduo elementa „ sunt &c. ita vigintiduo volumina sup„ putantur, quibus &c. Atque ita fiunt „ pariter Veteris Legis libri viginti duo: „ idest:

I.	II.	III.
Moysi quinque, seu thora.	& Prophetarum octo.	Hagiographorum novem.
1. Genesis.	1. Josue.	1. Job.
	2. Sophetim, seu Judicum, & Ruth.	2. David, seu Psalmi 150.
2. Exodus.	3. Samuel, seu Regum I. & II.	3. Salomon, seu Proverbia, & Parabolæ.
3. Leviticus.	4. Malachim, seu Regum III. & IV.	4. Ecclesiastes.
		5. Canticum Canticorum.
4. Numeri.	5. Isaias.	6. Daniel.
	6. Jeremias.	7. Paralipom. I. & II.
5. Deuteronomium.	7. Ezechiel.	8. Esdras I. & II.
	8. XII. Prophetæ.	9. Esther.

Et Præfat. in Danielem, quæ ibidem imprimitur: „ Illud (inquit) admoneo, non „ haberi Danielem apud Hebræos inter Pro„ phetas, sed inter eos, qui Hagiographa „ scripserunt. In tres siquidem partes om„ nis ab eis Scriptura dividitur, in Le„ gem, in Prophetas, & in Hagiogra„ pha. „ Ejusdem Divisionis meminit Cassiodorus de Institutione Divinarum Litterarum, cap. 12. de qua Divisione pluribus disserit Cl. Martianeus in Ill. Prolegom. in Divinam Bibliothecam S. Hieronymi num. IV. Beda Venerabilis lib. 3. Comment. in Genesim arbitratur, ad eamdem Divisionem respexisse Spiritum Sanctum apud Genesim: *Tria canistra super caput ejus &c. quid aliud* (inquit) *significant, nisi tripartita, ipsi Populo concessa, Divinæ Legis eloquia, Legem videlicet, & Prophetas, & Hagiographa*. Rationem vero reddit *in More Nevochim lib. 2. Cap. 45.* Maimonides, quare Kethubhim, quæ græce dicunt Hagiographa, sic nuncupantur? nempe quia Kethubhim, hoc est, scripta sunt per Spiritum Sanctum. Et ante ipsum B. Epiphanius, adversus Hæreses lib. 1. Hæresi 29. cap. 7. „ Leguntur (inquit) apud „ illos (subaudi Nazaræos) universa Lex, „ & Prophetæ, & Hagiographa, hoc est „ Libri illi, qui versibus distincti sunt, & „ Regina, & Paralipomena, Esther, cete„ raque omnia. „ Aquilæ temporibus, & ab ipso forte Aquila excogitatam fuisse hanc divisionem Librorum sacrorum in *Legem, Prophetas, & Hagiographa*, cum antea obtinuerat partitio in *Legem, Prophetas, & Hymnos*, conjecturis indulgens ait Vossius de Orac. Sybil. *cap.* 12. Ἁγιόγραφα ineptum dicit vocabulum; & contra naturam linguæ Græcæ formatum, ab Aquila suspicatur confictum. Vocem quoque γραφεῖα, qua Hagiographa interdum designantur, ab eoden fuisse excogitatam, scribit in Resp. ad iteratas Simonii objectiones. Sed nos, Vossii quæstione de nomine in medio relicta, constanter asseruimus.

Hanc divisionem in tres Classes Christum Dominum innuisse, quando cum Discipulis post Resurrectionem in Cœnaculo loquebatur, *Lucæ* 24. *verf.* 44. dicens; *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt.*

I.	II.	III.
in Lege Moysi ,	*& Prophetis*	*& in Psalmis de me.*

Ita enim exponit etiam Maldonatus, & Natalis ab Alexandro hunc locum „ Quæ scri- „ pta sunt in Lege, Prophetis, & libris Ha- „ giographis, in quibus Hebræi Psalmos in „ primis numerabant. „ Lightfootus quoque Miscell. *cap.* 44. & P. Lamy in Apparatu Biblico, ex communi sententia *Lib.* 2. *Cap.* 2. ad illam divisionem dicunt Christum respexisse, Lucæ 24. verf. allegato.

Hinc itaque videtur colligi; etiam ætate Christi Domini obtinuisse apud Hebræos eam divisionem Sacrorum Librorum in tres classes, quæ vigebat ætate Hieronymi: præsertim cum Philo Judæorum doctissimus, & Christo Domino coævus, in Lib. de Vita contemplativa pag. 893. B. C. indicat non obscure tres illas Classes Librorum, Legis, Prophetarum, & Hagiographorum, quæ sua ætate in Ægypto distinguebantur, dicens, „ Legem tantum, & Prophetarum „ Oracula, divinitus prodita, Hymnosque, „ & quædam alia, pietati scientiæque pro- „ movendæ utilia. „ Et passim apud Talmudicos reperitur eadem Librorum Sacrorum divisio. Consulantur Gemaristæ in Sanedrin *Cap.* 11. §. 2. iidem in Macchot *Cap.* 2. §. 4. & alibi, ubi de Jonathanis Paraphrasi sermonem habent. Liber quoque Schiltæ, ap. Append. libri Cosri pag. 430. Haggaborim inscriptus, eamdem agnoscit Veteris Testamenti in tres Classes partitionem. Prætcrea ex variis locis Novi Testamenti constat, eadem ætate in Synagoga lectitatos fuisse, præter Libros legales Moysi, etiam reliquos ex duabus Classibus Prophetarum, & Hagiographorum, quas duas posteriores S. Paulus *Ep. ad Roman.* 3. 21. complectitur solo nomine Prophetarum: „ Justitia „ Dei manifestata est, testificata a Lege, & „ Prophetis. „ Quemadmodum & in Evangelio Lucæ cap. 16. „ Lex & Prophetæ „ usque ad Joannem. *Verf.* 29. *&* 31. „ *ejusdem cap.* Habent Moysen & Pro- „ phetas: si Moysen & Prophetas non au- „ diunt &c. „ ita & Actorum 24. Paulus fidei professionem emittens coram Felice Præside, *verf.* 14. „ Sic deservio Patri, & „ Deo meo, credens omnibus, quæ in Le- „ ge & Prophetis scripta sunt. „ Et c. 26. *verf.* 22. coram Agrippa Rege, „ Usque in „ hodiernum diem sto, testificans minori at- „ que majori, nihil extra dicens quam ea, „ quæ Prophetæ locuti sunt, futura esse, „ & Moyses. „ Et *cap.* 28. Romæ agens, & interrogatus a Judæis de Christianæ Ecclesiæ Confessione, *verf.* 23. „ Exponebat, „ testificans Regnum Dei, suadensque eis „ de Jesu, ex Lege Moysi & Prophetis a „ mane usque ad vesperam.

Siquidem & in Synagoga, præter legales Libros, perlegebantur Prophetæ die Sabbati. *Actor.* 13. *verf.* 14. „ Venerunt Antiochiam „ Pisidiæ: & ingressi Synagogam die Sab- „ batorum sederunt. Post lectionem autem „ Legis, & Prophetarum &c. Et Christo „ Domino in Nazareth Synagogam ingres- „ so, juxta consuetudinem suam, die Sab- „ bati, & ad legendum surgenti, *Cap.* 4. „ *verf.* 17. Traditus est illi liber Isaiæ Pro- „ phetæ. „ Elias Levita in Thisbi apud Voisin de Lege Divina, *cap.* 36. ait, Antiochi Regis ætate inductam fuisse consuetudinem legendi Haphtaras ex Prophetis, respondentes singulis Paraschis Legis, cum impius ille Rex publicam Legis lectionem vetuisset.

Cum itaque constet ex locis supra allatis, aliisque plurimis, præter Moysi Pentatheucum, alios quoque libros in Synagoga Judæorum ante Evangelii publicationem asservatos fuisse tamquam propheticos, & divinitus inspiratos, ex quibus testimonia licebat petere ad caussas Fidei dijudicandas, etiam in Conciliis seu Synhedriis magnis, quemadmodum Herodi perquirenti ubi Christus nasceretur, Matth. 2. respondet Concilium legitimum Principum, Sacerdotum omnium, & Scribarum, ex Michææ Prophetia, *In Bethlehem Judæ*; necessario consequitur, Indicem seu Catalogum ejusmodi Librorum jam extitisse, quem nos appellamus Canonem Scripturarum in Ecclesia Hebræa ante Christum natum.

Quin ex hoc ipso Matthæi testimonio inferre possumus, Prophetæ nomine aliquando enuntiari secundam illam Classem Librorum, qui appellantur Prophetici, in unum corpus compactam, quem librum appellarent *Prophetam*: non secus ac observatum est, a compluribus in Ecclesia Christiana prioribus etiam sæculis appellatum fuisse *Apostolum* Codicem illum, qui complectebatur Canonicas Litteras Novi Testamenti, sive Apostolorum, unico libro comprehensas, ut a Subdiacono perlegerentur in Missa; vel etiam suspicari possumus, secundam ac tertiam Classem, Prophetarum scilicet, atque Hagiographorum, in unum volumen redactam, dici Prophetam seu Prophetas, a potiori parte ita denominatam, sive a nomine & re, communi Prophetis & Hagiographis, Christum pariter annuntiantibus.

Quemad-

Quemadmodum enim ex libro secundæ Classis, seu Prophetarum, licebat caussas de Fide certo definire, ita etiam ex tertia Classe Hagiographorum, eadem vi prædita, petebantur argumenta in caussis Fidei. Christus enim Dominus Matth. 22. *v.* 44. congregatis Pharisæis, & interrogatis, quid ipsis videretur de Christo, & cujus esset filius, ac respondentibus, David: testimonium Divinitatis suæ a Psalmis Davidis illico produxit. „ Quomodo ergo David vocat eum „ Dominum, dicens: Dixit Dominus Do„ mino meo? & non poterant respondere „ verbum, neque ausus fuit quisquam ex ea „ die eum amplius interrogare. „ Ad Machab. I. *cap.* 1. *vers.* 57. & ad Daniel. 9. *vers.* 27. & 28. videtur alludere Christus, Matthæi 24. *vers.* 15. Marci 13. *vers.* 14. Lucæ 21. *vers.* 12. Item locus Machab. I. *cap.* 2. *vers.* 54. refertur ad Ecclesiastici 45. 28. & 30. Et Machab. 2. *vers.* 56. refertur ad Ecclesiastici 46. 9. 10. & 11.

Concludimus igitur, in Ecclesia Hebræa etiam ante Christum natum extitisse Canonem Scripturarum, ex Lege, & Prophetis; sive ex libris Legalibus, Propheticis, & Hagiographis certo numero constitutum, unde licebat testimonia proferre in caussis Fidei, tanquam ex Libris divinitus inspiratis.

§. II.

VOlumen Legis autographum Pentateuchi scriptum fuisse a Moyse, divinitus revelatum est Exodi *cap.* 17. *v.* 14. & 4. 7. „ Scripsit autem Moyses universos sermo„ nes Domini, *vers.* 4. *&c.* Assumensque „ Volumen fœderis legit audiente populo „ *vers.* 7. Traditum ab ipso Moyse Sacer„ dotibus, filiis Levi, & Senioribus, Deu„ ter. 31. *vers.* 9. 10. 11. 25. 26. Scripsit „ itaque Moyses legem hanc, & tradidit „ eam Sacerdotibus filiis Levi, qui porta„ bant Arcam fœderis Domini, & cunctis „ Senioribus Israel, *vers.* 9. Et septimo quo„ que anno legi præcepit coram Populo, „ ibi *vers.* 11. 12. Et recondi per Levitas „ in latere Arcæ, ibi *vers.* 24. 25. 26. Post„ quam ergo scripsit Moyses verba Legis „ hujus in volumine, atque complevit: „ præcepit Levitis, qui portabant Arcam „ fœderis Domini, dicens: Tollite librum „ istum, & ponite eum in latere Arcæ fœ„ deris Domini Dei vestri &c.

In Musivo Sixti III. Liberianam Basilicam adornante, ab eruditissimo Ciampino typis edito, *Fig. II. Tab. LX.* & a Francisco Blanchino Patruo meo *Tom.* 3. *p.* 136. Anast. Bibl. relato, Moyses Levitis volumen tradit, in quo Deuteronomium descripserat, jussitque in Arca Fœderis Domini custodiri, ut ex Deut. *cap.* 31. ubi etiam visuntur Levitæ, Arcam deferentes.

Aliud Autographum, sive potius primum Apographum Deuteronomii, proxime post obitum Moysi a Josue scriptum legimus in lapidibus Altaris, ab ipso erecti in Monte Hebal, Josue *cap.* 8. *vers.* 30. §. 1. & 32. „ Tunc ædificavit Josue altare Domino &c. „ de lapidibus impolitis &c. & scripsit su„ per lapides Deuteronomium Legis Moy„ si, quod ille digesserat coram filiis Is„ rael.

Singuli deinde Reges jubentur Deuteronomii Librum sibi describere, & accepto Exemplari a Sacerdotibus, ex eo legere cunctis diebus vitæ suæ. Deut. 17. 18. Vide Voisin de Lege Divina in fine capitis 31.

Redeo ad Autographum Mosis, Levitis traditum, ut in Arcæ latere conditum servaretur. Doctissimus Huetius Demonstrat. Evangelicæ, Prop. 4. pag. 41. num. 2. expensis rationibus Tostati, Alsabanelis, & Levi Ben-Gerson, propendet ut credat, ad latus Arcæ asservatum fuisse, non modo Deuteronium, sed universum Pentateuchum.

Quin observat, in Debarim Rabba affirmari XIII. exemplaria Legis descripta fuisse Mosis jussu ante ejus obitum, ut singulis Tribuum Principibus singula contraderentur, & unum in Arca custodiretur.

S. Epiphanius in lib. de Pond. & Mens. cap. 4. credidit non Legem solummodo, sed & Libros omnes Canonicos intra Arcam fuisse reclusos. At refellitur ex testimonio lib. III. Regum *cap.* 8. *v.* 9. ubi diserte dicitur: *In Arca autem non erat aliud nisi duæ Tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb*. Et II. Paralip. *cap.* 5. *v.* 10. „ Nihilque erat aliud in Arca, nisi „ duæ Tabulæ, quas posuerat Moyses in „ Horeb. „ Et ex Gentium Apostolo, qui ep. ad Hebræos *cap.* 9. *vers.* 4. ait: „ In qua (scilicet Arca) urna aurea, ha„ bens Manna, & Virga Aaron, quæ fron„ duerat, & Tabulæ Testamenti. „ Prosequitur Huetius: „ Lex autem fuit ad latus Arcæ exterius: quo & Urna aurea, Mannæ plena, & Aaronis Virga (ad Hebr. *cap.* 9. *vers.* 4.) hoc est, si Jonathanem paraphrastem Chaldæum audimus, in capsa ad latus dextrum Arcæ: vel, si Gemaram Thalmudici libri &c., in Scrinio. „ Simillima habentur I. Regum *cap.* 6. Philistini enim ponunt in capsellam ad latus ejus icunculas aureas, quas finxere, ad latus nempe Tabularum, quibus capsula componebatur. „ Eadem ergo ratione, inquit etiam Calmet in Commentario litterali SS. Scripturarum *c.* 31. Deuter. *vers.* 26. collocatus est liber Legis, de quo agimus. Cum ille, nonnisi aliquis tabellarum numerus esset, (ego autem cum Vulgata, & Musivo, Volumen fuisse puto) hæ commode intus in Arca circum illius parietes secus lapideas tabulas collocari potuere. Cum autem post Templi ædificationem, Tabernaculum, plurimaque Tabernaculi vasa, & supellectilem in Templi ipsius

††††† 4 gazo-

gazophylaciis fuisse reposita verisimile sit; illuc quoque illatam fuisse capsulam Legis, Volumini recondendo destinatam, credere par est; Quæ, postquam diu illic neglecta & ignorata jacuit, tandem ab Helcia Pontifice reperta est, IV. Reg. 22. *v.* 8. „ Dixit autem Helcias Pontifex ad Saphan Scribam: *Librum Legis reperi in domo Domini.* „ Librum autem hunc fuisse autographum Moysi, Joseph. Antiq. *Lib. X. cap.* 5. testatur. Qua in re si quid dubii esse videretur, illud subduceret Textus II. Paralipomenon 34. *vers.* 14. „ Cum efferrent pecuniam, quæ „ illata fuerat in Templum Domini, reperit Helcias Sacerdos librum legis Domi„ ni per manum Moysi. „ Quamobrem, non in Arca Domini, sed in Domo Domini repertum a se librum Legis prædicat Helcias, non fimeto in fossum, ut conjectavit Chrysost. *in Matth. cap.* 2. *hom.* 9. Et *in I. ad Cor.* 2. *hom.* 7. sed in capsula illa reconditum, quæ, stante Tabernaculo, fuerat ad dextrum latus Arcæ.

Gesta sunt hæc anno XVIII. Regis Josiæ, *IV. Regum* 22. hoc est annis circiter 624. ante æram Christi communem, ut Chronologi supputant. Post annos vero 28. ex Chronico Eusebii, Nabuchodonosor Templum incendit. An Levitæ in captivitatem abducti Volumen Legis Autographum ab incendio præservaverint, quemadmodum & Sacerdotes in Persidem abducendi, *II. Machab.* 1. 19. acceptum ignem de Altari occulte absconderunt in Valle, ubi erat puteus altus & siccus, & in eo contutati sunt eum, ita ut omnibus ignotus esset locus, nemo quidem, quod sciam, diserte id enuntiat; sed probabile admodum est, Godoliam nepotem Saphan, qui a Chaldæis constitutus fuerat Princeps populi in Palæstina relicti: vel Levitas in Terra superstites, & mox in Ægyptum profectos, occiso ipso Godolia: vel potius Joachimum Regem in Babylonem abductum hæc sacra Pignora custodisse: aut Nehemiam filium Helciæ: aut Esdram Scribam; præsertim cum post annos LXX. captivitatis, Cyrus Persarum Rex protulerit Vasa Templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Jerusalem, & posuerat ea in Templo Dei sui, *I. Esdræ c. p.* 1. *v.* 8. eademque vasa numerata contradiderit Sassabasar Principi Juda, eademque vasa & argentum in Templum secundum illata sint, *I. Esdræ* 8. 30. „ Susce„ perunt autem Sacerdotes & Levitæ &c. „ Die autem quarta appensum est argen„ tum, & aurum, & vasa in Domo Do„ mini &c. (*v.* 33.) Propterea *II. Esdr.* „ *cap.* 8. post Templi instaurationem (*v.* 1.) „ dixerunt Esdræ Scribæ, ut afferret Librum „ Legis Moysi, quam præceperat Dominus „ Israeli. Attulit ergo Esdras Sacerdos Le„ gem coram multitudine virorum & mu„ lierum &c. & legit in eo aperte &c. Ste„ tit autem Esdras Scriba super gradum li„ gneum, quem fecerat ad loquendum &c. „ & legerunt in libro Legis Dei distincte „ & aperte ad intelligendum, & intellexe„ runt cum legeretur &c. Et *cap.* 13. *v.* 1. „ In die autem illo lectum est in Volumi„ ne Moysi, audiente Populo: & inventum „ est scriptum in eo, quod non debeant in„ troire Ammonites & Moabites in Eccle„ siam Dei usque in æternum &c. Factum „ est autem, cum audissent Legem, separa„ verunt omnem alienigenam ab Israel &c. „ Quæ omnia indicant in Autographo potius quam in Apographis hæc observata; præsertim cum ipse Esdras Chaldaicis characteribus imposterum exprimenda curaverit ea, quæ ex primitivis Moysi Litteris populo, in LXX. annorum captivitate eas ignoranti, & Chaldæorum stylo assuescenti, sua interpretatione noverat esse aperienda.

Post ejusmodi instaurationem Templi & Legis, quæ Autographum Moysi superfuisse indicat non obscure, cum Templum secundum subsititerit usque ad Titum, licet ab Antiocho profanatum, & expurgatum a Juda Machabæo, *II. Machabaeor. cap.* 10. & interea temporis translata sit Sacra Biblia in Græcum idioma per LXX. Interpretes; probabile admodum fit, Mosis Autographum numquam fuisse deperditum usque ad Christi Domini adventum. Et profecto luculentum habemus Philonis testimonium in lib. II. de Vita Mosis sub initium, ubi de Pentateucho: „ Res certe non caret miraculo, „ per tot sæcula mansisse Leges easdem in„ columes. „ Et S. Epiphanius in lib. de Mens. & Pond., binorum Interpretum triginta sex; a Ptolomæo Philadelpho advocatorum historiam narrans, Autographum Scripturarum Sacrarum ipsi Regi tunc temporis allatum fuisse innuit, cum inquit: „ Igitur septem & viginti illi Libri, qui „ vigintiduo numerantur cum Psalterio, ac „ ceteris, qui Jeremiæ accensentur, hoc „ est Lamentationibus, & Epistolis Baruchi; „ quamvis apud Hebræos Epistolæ istæ non „ reperiantur, sed Lamentationes dumtaxat, „ ad Jeremiæ Prophetiam attextæ; eo, „ quem dixi, modo per orbem in unum„ quodque par Interpretum distributæ sunt, „ puta a primo pari ad secundum, ab hoc „ ad tertium pervenerunt, donec sexies ac „ trigesies singuli græce conversi fuut, ut „ fama vulgari perhibetur .... Postremo, „ absolutis omnibus, Rex in sublimi solio „ consedit, ad quem triginta sex Lectores „ cum totidem Exemplaribus adducti sunt, „ cum altero, qui hebraicum *Archetypum* „ tenebat. „ En qua de caussa Lectores Legis delecti fuerint ex florentissimis Ordinibus, & a Ptolomæo Rege tot commodis, honoribus, & præmiis prosequuti: Scilicet Archetypum deferebant, ut quisque facillime potest ex illa Regis ablegatione, ac Hebræorum studio, sollicitudine, curaque tam pretiosi Depositi, judicare.

Auto-

Autographum Josue, in ipso Legis Volumine propria Auctoris manu conscriptum fuisse, docent nos Sacræ paginæ, *Jos. cap. ultim. vers.* 25. 26. „ Percussit ergo in die „ illo fœdus, & proposuit præcepta atque „ judicia in Sichem. Scripsit quoque omnia „ verba hæc in Volumine Legis Domini: „ & tulit lapidem prægrandem, posuitque „ eum subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini, & dixit ad omnem Populum: En lapis iste erit vobis in testimonium &c. „ Eadem igitur præservatio contigisse dicenda est Autographo libro Josue, quam adscripsimus Autographo Pentateuchi. Non secus ac Samuel I. Reg. *c.* 10. „ Locutus est ad populum Legem Regni „ (*vers.* 25.) & scripsit in Libro, & reposuit coram Domino.

Quod pertinet ad libros reliquos Veteris Testamenti, breviter perstringemus.

Primo. Observandum est, Prophetas consuevisse libros suos mittere ad Sacerdotes & Prophetas, necnon ad Seniores, & ad omnem Populum; ut Jeremias misit, *cap.* 29. „ Et hæc sunt verba Libri, quem misit Jeremias Propheta de Jerusalem ad reliquias „ Seniorum transmigrationis, & ad Sacerdotes, & ad Prophetas, & ad omnem „ Populum, quem traduxerat Nabuchodonosor de Jerusalem in Babylonem &c. „ Necesse autem erat in scriptum redigere, aut publico testimonio ea consignare, quæ prophetico nomine aliquis proloquebatur, aut ex eventu judicarent Rectores Populi de veritate aut mendacio ejusdem asserti Prophetæ juxta mandatum Domini, a Moyse traditum Deuteronomii *cap.* 18. Inter cetera vero, quæ falsis Prophetis minatur Dominus Ezechielis *cap.* 13. hæc legimus *v.* 9. „ Et erit manus mea super Prophetas, qui „ vident vana, & divinant mendacium: „ in Consilio populi mei non erunt, & in „ Scriptura Domus Israel non scribentur. „

Secundo. Hæc indicant, post eventum prædictionis impletæ, inter Scripturas Domus Israel, hoc est in Canonem Scripturarum redactos fuisse ejusmodi Commentarios propheticos, sive Auctoris manu, sive alterius ministri Synagogæ conscriptos; quos ita vindicaverat & approbaverat Auctoritas Dei loquentis, & verbum suum perficientis: quemadmodum & Samuel ea, quæ scripsit, reposuisse dicitur coram Domino, I. Regum *cap.* 10. *vers.* 25.

Tertio. Denique Libri ita vindicati, & Canoni adscripti, in Synagoga publice legebantur post Legem die Sabbati: ut autem legerentur in Synagoga, asservabantur, quemadmodum hodieque fit, a Judæis in armario seu scrinio. Ritu non dissimili primitiva etiam Christianorum Ecclesia suum habuit Armarium, in quo sacros Libros reconderet, quod expressum videmus in Musivo Ravennati apud Cl. Ciampinum *Tom. I. fol.* 217. *Tab.* 67. *Fig. II.*

Confirmantur hæc ex Versionibus Bibliorum, quæ non Legales modo Libros, verum & Propheticos, & Hagiographos etiam antiquitus sunt complexæ.

DISSERTATIO SECUNDA.

De vetustissimis, quæ hodie supersint Exemplaribus autographis, vel apographis Veteris Testamenti.

QUæstionem de vetustissimis Exemplaribus Sacræ Scripturæ, quæ hodie asservantur, non inutilem fore confido. Siquidem Augustinus admonuit *Lib. II. de Doct. Christiana, cap. XI.* ut ad Exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas: quod præstitum in Editione Vulgata Bibliorum Clementis VIII. auctor Præfationis eisdem præfixæ commemorat: eaque de caussa Pium IV. mandasse, ait, Viris doctissimis, & peritissimis linguarum, ad opus hujusmodi a se delectis, ut adhibitis antiquissimis Codicibus manuscriptis, inspectis quoque hebraicis græcisque Bibliorum fontibus, consultis denique veterum Patrum commentariis, lectionem antiquæ Versionis Italæ accuratissime castigarent. Tanti enim intererat antiquissimos inspicere Codices, quanti æstimabatur Bibliorum editionem purgatissimam exhibere. Eamdem regulam, quam proposuit Augustinus loco indicato, antea Origenem tenuisse, dum Exemplaria Sacræ Scripturæ undique conquisita conferret, & potiora in Hexaplis ac Tetraplis exprimenda curaret, compertum est. Quin & Concilia Œcumenica ex Veteri Ecclesiæ consuetudine antiquissimos atque emendatissimos Codices e Chartophylacio Ecclesiarum, dignitate ac doctrina præstantium, in medium protulisse, in eorumdem Actis diserte legimus. S. Gregorius *Lib. V. epist.* 14. admonuit Narsen Comitem, ut *vetustos Codices ejusdem Synodi* (Ephesinæ) *requirat, & illic videat, si quid tale invenitur*, scilicet, si inveniret Adelphium, Savam, ceterosque in illa damnatos. Et Marcus Ephesinus fuit in Concilio Florentino convictus, qui sententiam quamdam S. Basilii in Codices fuisse illatam & intrusam, asserebat; quomodo legitur in Actis ejusdem Concilii editionis Romanæ *pag.* 213. „ Adductus fuit liber antiquissimus, ita ut secundum judicium plurimorum qui viderunt, visa antiquitate, videretur scriptus „ ultra annos 600. „ Hincmarus quoque deprehendit falsitatem in Codice Sancti Augustini, Regi oblato, ex collatione quamplurimorum Codicum, ex variis Civitatibus ac Monasteriis collectorum. Idem præstitum ad Falsarios præsertim revincendos, qui ab ipsa ætate apostolica corrumpere

Scripturas tentabant, ut in Epistola prima *cap. ult. v. 16.* Petrus de Paulinarum depravatoribus conqueritur: „ Indocti & instabiles depravant, sicut & ceteras Scripturas &c. „ sive apochripha cum genuinis conabantur obtrudere; inenarrabilem enim multitudinem apocryphorum a sui temporis hæreticis confictam, non semel objurgat Irenæus proxime post Apostolicum fæculum *Lib. I. c. 17. & Lib. III. cap. 11.* Et S. Augustinus *Lib. II.* contra Faustum *cap. 16.* & in Epistola 82. alias 19. *num. 6.* disputans contra Manichæos, qui plurimis locis affirmabant Scripturas esse vitiatas a Catholicis, illos arguit *vetustiorum Exemplarium veritate; multorum Codicum vetustiorum collatione*. Tertullianus quoque, Augustino longe antiquior, hoc eodem argumento compellavit Marcionem fæculo III. ut legitur *Lib. IV.* adversus eumdem Marcionem *cap. 2. pag. 503.* „ Ego (inquit) meum Testamentum dico verum; Marcion suum: „ ego Marcionis adfirmo adulteratum; Marcion meum. Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei præscribens „ auctoritatem, quod antiquius reperietur; „ & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur?

Aliam vero regulam proponit Hieronymus, ad Suniam & Fretellam scribens Epistol. 135. „ Sicut autem in Novo Testamento si quando apud Latinos quæstio „ exoritur, & est inter Exemplaria varietas, recurrimus ad Fontem Græci sermonis, quo Novum scriptum est Instrumentum; ita in Veteri Testamento si quando „ inter Græcos Latinosque diversitas est, „ ad Hebraicam recurrimus veritatem: ut „ quidquid de Fonte proficiscitur, hoc quæramus in Rivulis.

Tanta igitur cum sit Ecclesia, tanta cum fuerit veterum Patrum diligentia & studium in antiquissimis Exemplaribus perquirendis Sacrorum Codicum, ad nostram quoque curam pertinere ducimus indicare, quinam præstantissimi ætatis merito Codices hodie habeantur Veteris Testamenti Autographi, sive Apographi.

Ac primum, Veteris Testamenti Librum, nullum hodie superesse novimus, qui Mosis vel Prophetarum Autographus dici possit; sed tantummodo Apographos superesse, omnes eruditi fatentur. Nam quod attinet ad Hebræorum Codices, manuscriptum nullum annis quingentis vetustiorem apud eos reperiri censet Morinus *Exercit. I. in Bibl. cap. 1. pag. 4. col. 2.* Simonius in Crit. Vet. Testam. verius censet ad novem circiter fæcula extendi illorum antiquitatem; quod ex consequentibus ita probatur.

Volumen Sacrorum Bibliorum, hebraicis characteribus præscriptum, Bononiæ ostenditur in Ecclesia RR. PP. Prædicatorum, quod Autographum Esdræ nonnullis videri potuisse mirantur qui hebraicas litteras probe norunt, & insigniores Europæ Bibliothecas inviserunt. Hunc tamen Codicem antiquissimum, habitum fuisse anno Christi 1308. quando a Judæis dono datus eidem Monasterio fuit, Ordinis totius Magisterium gerente Aymerico, docet Inscriptio assuta in medio Volumine, quam exscripsit V. C. Montfauconius, & in Diario Italico edidit *pag. 399.* hisce verbis & charactere fæculi XIV. ita expressa: *Hic rotulus Legis est, quem scripsit Esdras manu sua, quando sub Cyro Rege redierunt Filii Captivitatis in Jerusalem, & edificaverunt secundum Templum, quod fuit consummatum in quadraginta duobus annis, & duravit CCCCXX. annis, scilicet usque ad XLII. annos post Passionem Christi. Quod autem sit ille idem numero, habitum est per crebram famam Judeorum: antiquorum, qui fuerunt confessi in diversis Synagogis, ubi etiam conservabatur. Ab antiquo pro tali habebatur inter Judeos de generatione in generationem; & pro tali recepit eum Reverendus Magister Ordinis Frater Aymericus. Talem etiam probaverunt ipsum Judei litterati, habitis certis experimentis litteralibus in præsentia mei Fratris P. Marsilii, & Lectoris Perpyniani, & F. Lobii &c.*

Præter Inscriptionem latinam superius expressam (subdit Montfauconius) adest Hebraica, a perita manu exarata, quæ pene erasa est; eam hic pariter proferimus.

והספר &c.

Idest: *Hic est liber Legis Moysi, quem scripsit Esdras Scriba, & legit eum in conspectu multitudinis a Viro usque ad Mulierem, & stabat in Turri lignea*, idest in Suggestu ligneo.

Hæc Inscriptio eodem edita tempore putatur, quo Latina superius allata: nimirum Hebræi, cum munus istud Aymerico offerrent, tale commentitiæ Antiquitatis testimonium una protulerunt.

Huic vero Criterio præmisit idem R. P. Montfauconius, tum linguarum Orientalium peritia clarus, tum Vetustatis Codicum peritissimus judex, si quisquam alius, hanc illationem. „ Hinc palam fit, a vero aberrare eos, qui æstimant, Hebraica Biblia nulla occurrere ab annis plusquam quadringentis exarata. Nam anni quadringenti sunt, postquam hic Codex dono oblatus Aymerico fuit, qui tunc perantiquus habebatur. Ac licet fabulam sapiat, quod ajunt Esdræ ipsius manu exaratum; negari sane posse non videtur, aliqualis saltem Vetustatis tunc fuisse, cum traditus Aymerico fuit.

Huic autem Volumini palmam Antiquitatis attribuit etiam Benedictus Arias Montanus, observante Valthono in Prolegom. Biblicis; dum ait, usum se fuisse Codicibus scriptis

scriptis annis ante se 400. & in Complutensi Academia esse antiquiores; at Mediolani & Bononiæ antiquissimos.

Paris ita, & majoris Vetustatis Volumen Bononiæ pariter inspexit idem Auctor Diarii Italici, descriptum *pag.* 406. in Bibliotheca Can. Regularium S. Salvatoris.

Megillat Esther Volumen, ex pelle Vituli subacta vetustissimum, & usu tritum, quale supra depinximus Volumen Pentateuchi, ab ipso Esdra, ut æstimant, exaratum; & videtur sane ipso Pentateuchi Volumine antiquius.

Ibidem memorat Biblia Sacra tribus tomis membranaceis: in postremi fine legitur hebraice consignatum: ⧋ Ego Isaac, filius Jacobi, scripsi Rabbi Manachemo filio Jehosedech, Pentateuchum cum Interpretatione, & Prophetas, & Hagiographa cum signis & paragraphis suis, in tertia Sabbati, sive hebdomadis feria, 26. mensis Adar, anno 953. (hoc est Christi 1187.) &c.

Codex Bibliorum hebraice ingentis molis, asservatus in Vaticana Bibliotheca, & in Diario recensitus *pag.* 277. recentior est plusquam integro sæculo, ut ex testimonio in fine Libri cognoscitur ⧋ Anno Mundi 5055. die 15. Mensis Casleu, idest, Christi ann. 1294.

Antiquitas igitur maxima, quæ Voluminibus hebraice conscriptis, tribui tuto possit, licet, Morino judice, ad annos sexcentos non extendatur; Codicum tamen Vetustiorum documentis ad octingentos, vel nongentos circiter annos pertingere putanda est.

In eadem sententia esse video Hebraicarum litterarum consultissimum auctorem Simonium *Lib. III. Cap.* 34. Histor. Christ. Veter. Testam. *pag.* 125. ubi ait de Bibliis hebraicis: „ Vix reperire est Codices manuscriptos, nongentis annis vetustiores; & omnes juxta Massoram reformati, plurimis puncta vocalia adjecta fuere.

Rabbi Mose apud Voisin de lege divina in fine *Cap.* 31. ait: „ Rex quoque jubetur sibi, quatenus Rex est, librum Legis scribere, præter eum, quem privatus habebat, juxta illud Deuter. XVII. *vers.* 18. „ Et erit, quando sederit super solium Regni sui, scribet sibi Exemplar hujus legis &c. Corrigitur autem iste Liber juxta Exemplar Esdræ apud Consistorium magnum &c. „ Quæ postrema, si vera sunt, indicant apud Synhedrion magnum custoditum fuisse antiquitus Exemplar Esdræ. Ex quo vero Synhedria gentis Judæorum sunt dissoluta, quonam cesserit Esdræ autographum Volumen, nemo hactenus demonstravit.

Antiquitatem Voluminum hebræorum longe superant certis ætatum indiciis vetusti Codices Versionis LXX. Interpretum græce conscripti; duo præsertim, quorum unum Romæ custodit Bibliotheca Vaticana, alterum in Anglia Oxoniensis, nuper illustratum, & in publicam lucem productum annis 1707. & 1709. ab Joanne Ernesto Grabbe. Characterum forma est in utroque simillima. Oxoniensis Bibliothecæ Codex scriptus ostenditur quarto sæculo Æræ Christianæ paullo post Concilium Nicænum; Codicem vocant Alexandrinum (ut diximus) ex testimonio Cyrilli Lucaris, qui ex eadem Sede Patriarchali translatus ad Constantinopolitanam, Spolium hoc præstantissimum inde cum asportasset, Anglico Oratori, apud Turcarum Dominum residenti, dono dedit transmittendum ad Carolum I. Magnæ Britann. Regem, commemorans ex antiqua traditione constare, eumdem Codicem ad Theclam Ægyptiam olim pertinuisse. „ Liber iste Scripturæ Sacræ Novi „ & Veteris Testamenti, prout ex traditio„ ne habemus, est scriptus manu Theclæ „ nobilis feminæ Ægyptiæ ante mille & „ trecentos annos circiter, paullo post Con„ cilium Nicænum. Nomen Theclæ in fi„ ne Libri erat exaratum; sed extincto Chri„ stianismo in Ægypto a Mahometanis, „ & libri una Christianorum in similem „ sunt reducti conditionem. Extinctum er„ go & Theclæ nomen, & laceratum; sed „ memoria & traditio recens observat. „ Sic se habet Notatiuncula Codici apposita. Complectitur Testamentum Vetus & Novum. Cum vero Evangelium ibi legitur distinctum in Capita juxta Canonem Eusebianum, & Paulinæ Epistolæ nulla distinctione simili dividantur, quam constat adhibitam circa annum Christi 395. ex præfatione Euthalii, a Cl. Viro Zaccagnio in lucem edita, merito colligitur Codicem scriptum fuisse ante divisas in Capita Epistolas Pauli, hoc est ante annum Christi 395. & post Eusebii Canonem additum Sectionibus Evangelii. Hanc vero in ætatem incidit Thecla Ægyptia, ad quam pertinuisse Codicem, traditio constans ejus Ecclesiæ ferebat.

Vaticanum pariter Exemplar ejusdem circiter ætatis habendum esse cum Codice Alexandrino, sive Oxoniensi, testatur forma similis litterarum, quam alibi dedimus, ex qua unice judicari posse de vetustate Codicum, ante sextum Christi sæculum conscriptorum, nisi certæ notæ sint temporis, prudenter admodum statuit R. P. Montfauconius in sua Palæographia *Lib. III. Cap.* 1. *pag.* 185. ubi agens de Antiquitate Codicis Dioscoridis in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, & de aliis XX. Codicibus ejusdem circiter ætatis, hanc Regulam proponit. „ Dioscoridis, inquit, Codex Cæsareus, cujus specimen dedit Petrus Lambecius, & nos dabimus capite sequenti, ineunte sæculo sexto descriptus est; ut ex nota & indicio non dubio liquet. Alios autem hujusmodi Codices, ejusdem circiter ævi, nec multum ætate dispares opinamur. Non desunt tamen qui exemplaria quædam tertii vel quarti sæculi esse arbitrentur; sed

licet

licet fateamur nihil repugnare, ut tantæ vetustatis Codices ad nos usque devenerint; nullam tamen vel certam vel admodum probabilem Notam proferri posse arbitramur, qua commonstretur, alios quosvis hujusmodi Libros manuscriptos Cæsareum Julianæ Augustæ ætate longe superare, tanta scilicet interest inter omnes similitudo. Si qua vero remotioris ævi indicia in hujusmodi Codicibus occurrunt, ea maxime petuntur ex similitudine litterarum cum characteribus Inscriptionum, quæ sub Imperio Romano ad quartum usque Christi sæculum positæ sunt: quæ caussa est, ut Codicem Colbertinum, de quo mox agetur, paullo antiquiorem Cæsareo Julianæ Augustæ opinemur; quia magis accedit ad Inscriptionum veterum characteres, ita tamen, ut ea in re nos non certo, aut admodum verisimili argumento eam conjecturam niti fateamur; quod item de reliquis ejusdem supramemoratæ formæ Codicibus dicatur.

Huic regulæ, definienti satis proxime Criteria Codicum ante sextum Christi sæculum conscriptorum, addendæ sunt una & altera ibidem relatæ, quæ judicium insinuant de Codicibus Græcis recentioribus sæculo sexto, ubi accentus & spiritus consignantur, & ubi nexus litterarum occurrunt.

Scimus quidem, ait, septimo circiter sæculo accentus & spiritus adscribi cœpisse: deinde paullatim priscam litterarum formam non nihil mutatam fuisse, itaut tamen litteræ distinctæ & separatæ manerent, donec sæculo circiter octavo vel nono litteras in libris colligandi, multasque uno calami ductu exarandi consuetudo inveheretur.

Ope igitur trium ejusmodi Regularum: quarum Prima de libris judicat, ante sæculum quintum scriptis, ex forma litterarum ad antiquos lapidum characteres accedentium: Secunda de Codicibus a sexto sæculo ornatis adjectione spirituum & accentuum: Tertia de iis, qui post octavum sæculum nexus litterarum assumunt (ubi alia temporis indicia certiora non suppetant) ope, inquam, trium ejusmodi Regularum ad examen revocatis Codicibus Bibliorum, qui antiquitate reliquis præstant, & hactenus innotuerint, colligimus facile ea, quæ sequuntur.

Codices Græcæ Versionis Bibliorum antiquissimi, sunt Vaticanus, Oxoniensis, Colbertinus, Levitici, & Libri Judicum partem complectens cum obelis & asteriscis: Cod. Bibliorum Em. Card. de Coislin ex Bibliotheca olim Sequeriana: Codex RR. PP. Jesuitarum in Collegio Ludovici Magni; Isti omnes (inquit Montfauconius Diar. Ital. *pag.* 277.) charactere unciali sine accentibus sunt. Eosdem ante quintum sæculum exaratos ostendit similitudo cum Oxoniensi, quem ex Paulinis Epistolis non distributis in Capita addiscimus ante annum 335. scriptum fuisse.

Proximi ab his antiquitate censentur Codex Græcus, Bibliorum partem complexus, in Biblioth. Ambrosiana accentibus insignitus, Opus septimi circiter sæculi, de quo in Diario Italico P. Montfauconius *pag.* 11. necnon alii, obelis & asteriscis Origenianis, quemadmodum Bombicinus Romæ in Chisiana, de quo Mabillonius *pag.* 237.

Antiquitas demum illorum Codicum, qui Veteris Testamenti libros latine redditos continent, ætatem Scriptorum Græcæ Versionis minime assequitur. Ex Hispania ad S. Hieronymum misit Lucinius Bœticus ad impetrandam Versionem ejus Bibliorum ex Hebræo factam. Sanctus Doctor Epistola ad ipsum 28. „ Canonem Hebraicæ Verita-„ tis, excepto Octateucho, quem nunc in „ manibus habeo, pueris tuis & notariis „ dedi describendum. Septuaginta Interpre-„ tum Editionem & te habere non dubito, „ & ante annos plurimos diligentissime „ emendatam studiosis tradidi; Novam, „ Græcæ reddidi auctoritati: Ut enim ve-„ terum librorum fides de Hebræis Volumi-„ nibus examinanda est, ita novorum Græ-„ ci sermonis normam desiderat. „ Insigne Hieronymianæ Translationis apographum Toleti asservatur; cujus Variantes Lectiones damus post generalem hanc Præfationem. Unicum in Diario memorat Montfauconius inter latinos, qui octavum sæculum vetustate præcedat (*pag.* 17.) in Bibliotheca Ambrosiana. Ad octavum, aut nonum sæculum æræ Christianæ referendus est Liber membranaceus, Pentateuchum integrum, & partem libri Josue complectens, a Dominico Presbytero conscriptus, & in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Otthoboni Romæ asservatus. Litteris enim plane similibus constant, tum figura, tum magnitudine, ac illæ sunt, quas in Codice membranaceo Bibliothecæ San-germanensis, Paulinas Epistolas exhibente, descripsit Clarissimus Mabillonius *Tom. I.* de Re Diplomatica, ubi specimen earumdem litterarum ære incidi curavit. Ad eadem pariter tempora referuntur Latinæ Versionis Codices tres: Horum primus, in Monasterio Basilicæ S. Pauli via Ostiensi a RR. PP. Benedictinis asservatus, ex pictura iisdem in membranis elaborata ostenditur, Carolo Magno) non Carolo Calvo, ut contra Cl. Archiepiscopum de Nuce putavit Mabillonius in Mus. Italic. *pag.* 70.) a Monachis dono datus.

Nicolaus Alemannus in Libro de Parietinis Lateranensibus hujus Codicis Regiam effigiem retulit, uti & Cornelius Margarinus in Collectione Inscriptionum, quæ apud Templum S. Pauli extant, eamque Caroli Magni esse optimo jure existimant; qua de re mox laudatus Præsul de Nuce, Archiepiscopus Rossanensis, Dissertationem edidit singularem, mecum perhumaniter communicatam ab Eminentissimo atque Exc. Reverendiss. Domino Alexandro Albano, Sanctæ

Rom.

Romanæ Ecclesiæ Cardinali Amplissimo, qui mea studia meosque labores favore suo semper prosecutus est, egitque ut Venerabilis Cardinalis Thomasii adversaria rerum Liturgicarum in meas manus venirent, quas prope diem in medium adseram. Præcipua argumenta sunt, quod habitus depicti Regis optime conveniat cum illa vestium & corporis descriptione, quam Eginhardus de Carolo Magno tulit, dicens: „ Corpore „ fuit amplo atque robusto, statura eminen- „ ti, quæ tamen justam non excederet: „ nam septem suorum pedum proceritatem „ ejus constat habuisse figuram. „ Huic concinit Poeta Saxonicus libro V.

Egregie procerus, & hoc moderamine justo;
Septem namque suis longus erat pedibus.

Prosequitur Eginhardus: „ Apice capitis ro- „ tundo, oculis prægrandibus ac vegetis, „ naso paulum mediocritatem excedente, „ canitie pulcra, facie læta & hilari; unde „ formæ auctoritas ac dignitas tam stanti „ quam sedenti plurima inerat. Vestitu pa- „ trio, hoc est Francico, utebatur. Ad cor- „ pus camisiam lineam; & fœmoralibus lo- „ reis induebatur. Deinde tunicam, quæ „ limbo serico ambiebatur, & tibialia cum „ fasciolis cincta, & pedes calceamentis „ constringebat, sago veneto amictus. „ Quæ omnia picturæ Codicis Basilicæ Sancti Pauli adamussim respondere, novo argumentorum genere ostendam in voluminibus hujus Operis proxime secuturis. Præterea Ingobertus Referens & Scriba, de quo fit mentio in versibus post effigiem descriptis,

Ingobertus eram Referens, & Scriba fidelis &c.

ille est Ingobertus Comes, qui tempore Caroli Magni, & Ludovici Augusti vixit, ut ex vita Ludovici Pii, & ex aliis discimus. Sed de hac controversia alibi fusius agam, cum publici juris faciam ejusdem Codicis Variantes Lectiones, quas mecum pro eo quo facram eruditionem colit studio, perhumaniter communicavit sapientissimus vir Dominus Athanasius Perilliani Ord. S. Benedicti, faventibus ejus labori Amplissimo Domno Abbate Philippo Maria de Pace, doctrina ac pietate insigni, atque Domno Augustino Maggi Priore, qui flagrantissimis votis ab eodem Reverendiss. Abbate S. Pauli impetravit, ut tantæ opes, a laudato Domno Athanasio facta collatione in unum collectæ, meas in manus venirent. Secundus Codex, Caroli Magni æqualis, est Vallicellanus in nostra Bibliotheca asservatus, de quo Eminentissimus noster Annalium Parens Baronius ad annum 778. *num.* 22. scribit, „ Carolo Magno debemus ingens Opus illud, ab Alcuino sive Albino elaboratum, quo totius Divinæ Scripturæ tam Veteris quam Novi Testamenti Vulgata Editio emendata est. Acciderat enim ut ipsa, multiplicium librariorum exscribentium vitio mendis obsita, jam vilesceret, quod periniquo animo ferens Carolus, ut quam emendatissima ederetur, in pristinamque vindicaretur integritatem atque splendorem, studio propensiori curavit; cujus rei fidem facit ejus in Capitularibus (*Lib. VI. cap.* 227.) intextum elogium istis verbis: „ Volumus (& ita Missis nostris „ mandavimus, & præcepimus) ut in Ec- „ clesiis Libri Canonici veraces habeantur, „ sicut jam in alio Capitulari sæpe manda- „ vimus. „ Hæc ipse, qui, ut quod omnes refugerent ob nimiam difficultatem, omnino perficeretur, Opus delegavit Albino, ut absolveret. Qui, in idipsum viribus totis invigilans, universam Divinam Scripturam, e vetustioribus ac verioribus fontibus descriptam, recognitam & emendatam, eidem Carolo Magno obtulit; ad cujus calcem hos, quos his descriptos leges, versus appofuit per epigrammata diversa distinctos. Extat hujusmodi vetus Bibliorum Codex, Alcuini labor, in Vallicellana nostra Bibliotheca, ubi velut ingens thesaurus asservatur, utpote quod viri eruditi, qui in emendatione Vulgatæ iterum nostro tempore laborarunt, eo ut antiquiori sunt usi, cui & plurimum detulerunt. Porro primum Alcuini epigramma sic se habet:

Nomine Pandecten proprio vocitare memento
Hoc corpus sacrum, Lector, in ore tuo.
Quod nunc a multis constat Bibliotheca dicta:
Nomine non proprio, ut lingua Pelasga docet.
In hoc dicta Dei conduntur mystica summi,
De quibus egregius Vates in ore canit.
Est mihi lex Domini dulcis super omnia mella;
Carior atque auri millia multa super.
Strenuus hanc Domini famulus custodiet arcem,
Cui merces Cæli perpes in arce manet.
Codicis istius quot sint in corpore sancto,
Depictæ formis litterula variis;
Mercedes habeat, Christo donante, per avum
Tot Carolus Rex, qui scribere jussit eum.

A L I U D.

Hæc divina Dei placeat Scriptura, precamur,
Sensibus, atque oculis, Lector honeste, tuis:
Spiritus hanc cæli Sanctus dictavit ab arce,
In qua vera fides fulget, & alma salus.

ALIUD

A L I U D.

PRO ME, QUISQUE LEGAS VERSUS, ORARE MEMENTO: ALCUINE DICOR EGO; TU SINE FINE VALE.

A L I U D.

Magni magna Dei portantes munera templo,
Quos laudavit ovans ore pio populus:
Parvula sed viduæ Dominus duo nummula præfert
Nobilium donis famine veridico.
Non ego parva tuis, Rector, munuscula gazis
Infero, persona sit meâ parva licet.
Munera sed Domini cælestibus inclyta regnis
Porto tibi plenis, optime Rex, manibus.
Nempe novæ ac veteris pariter pia famina Legis
In hoc conduntur Corpore quippe sacro.
Hæc ego porto libens ad sancta Sacraria templi,
Quod tua mens noviter condidit alma Deo.
Laudibus ut præsto Christi sit semper in illo
Iste liber, resonans verba superna Dei.

A L I U D.

Nauta rudis pelagi, ut sævis ereptus ab undis
In portum veniens, pectora læta tenet.
Sic Scriptor fessus calamum sub calce laboris
Deponens, habeat pectora læta satis.
Ille Deo dicat grates pro sospite vita,
Proque laboris agat fructibus, & requie.

A L I U D.

Perge Libelle sacer cunctis præclarior oris
Prospere, pacifice nunc, miserante Deo.
Et pete præclari præclara palatia Regis,
Ut maneas Christi semper in æde sacra.
Atque Dei famulis pacis fer munera cunctis,
Dextera quos Domini protegat, atque regat.
Quos colo corde, fide, sancto quoque semper amore,
Cum lacrymis optans, ut vigeant, valeant.

F I N I T.

Huc usque Alcuini versus ex dicto Codice, cujus cum ob nimiam vetustatem pagina esset excesa, consumpta, & characteres oblitterati, describi vix potuerunt. Baronio pauca addamus scitu dignissima. Alcuinus, Bedæ auditor, & Caroli Magni magister, ætate sua omnigena eruditione nulli secundus, linguam Hebraicam & Græcam calluit. In libris Commentariorum Hieronymianam Versionem quandoque Codicis Hebræi ope restituit: nonnumquam comparat cum LXX. Comment. in Gen. XXV. 8. *Quomodo convenit Abrahæ, tam sancto viro, quod dicitur*: Et deficiens mortuus est? *Resp. in Hebræo non habetur*, deficiens; *sed a LXX. additum est*. In Ecclesiasten Cap. IX. *Notandum est, quod per totum librum ubicumque dicitur*, Filii hominum, *in Hebræo habetur*, filii hominis, *hoc est, filii Adam: & omnis pene Scriptura hoc idiomate plena est, universum genus humanum, Adam filios vocans*. Capite XII. Obmutescere, *sive ut melius habetur in Hebræo*, surdescere. „ Hæc Alcuinus, qui senex jam circa annum 802. in Cœnobio, cui præerat apud Gallos Turonenses, totum Biblicum Volumen, Testamentum scilicet Vetus ac Novum, Caroli Magni Imperatoris rogatu, ut diximus, recognovit, atque veterum Codicum linguarumque ope correxit.

In Epistola ad Gislam, quæ præfigitur libro VI. Commentariorum in Sanctum Joannem, scribit Alcuinus, *occupasse se Domini Regis præceptum in emendatione Veteris Novique Testamenti*. Extat etiam ejusdem Alcuini Epistola, quæ est numero XX. qua cum Exemplar Vallicellanum ex Cœnobio suo sancti Martini ad ipsum Carolum transmittit: *quos in unius clarissimi Corporis sanctitatem connexos, atque diligenter emendatos vestræ clarissimæ Auctoritati dirigere curavi*. Ad hanc Alcuini correctionem alludit ipse Carolus Imperator Præfatione in Homiliarium Pauli Diaconi his verbis: *Cura nobis est, ut Ecclesiarum nostrarum ad meliora semper proficiat status, oblitteratam pene majorum nostrorum desidia reparare vigilanti studio litterarum satagimus officinam, & ad pernoscenda sacrorum Librorum studia nostro etiam, quos possumus, invitamus exemplo. Inter quæ jam pridem universos Veteris ac Novi Testamenti libros, librariorum imperitia depravatos, Deo nos in omnibus adjuvante, examussim correximus*. Porro *correxisse Alcuinum Divinam Historiam jussu ipsius Regis* (Caroli) scribit etiam Sigibertus in Gembl. in Chron. ad ann. 790. Et in libro de Scriptur. Eccl. ait: *jussu Imperatoris correxissem illam Divinam Bibliothecam*. Sed hæc satis.

Tertius vero Codex, in Colbertina Bibliotheca superstes, demonstratur anno 869. a Monachis Metensibus S. Martini oblatus ipsimet Carolo Calvo ibidem picto: quem deinde Librum litteratorum Mœcenati Colberto donavit Capitulum Metense ann. 1675. Historiam utriusque donationis, & picturam Codicis vulgavit Balusius in Capit. Reg. Franc.

Franc. *Tom. II. pag.* 1275. ubi etiam indicat aliud præclarum Exemplar Bibliorum ætatis ejusdem, quod olim a Carolo Calvo oblatum Ecclesiæ Sancti Dionysii, nunc in Bibliotheca Regia custoditur.

Hæc dicenda nobis fuerant de Vetustis Exemplaribus Divinorum Librorum Veteris Testamenti, quæ hodie supersunt insigniora tum Hebraicæ, tum Græcæ, tum Latinæ lectionis. De Paraphrasi Chaldæa, ceterisque Versionibus, cum antiquis linguarum Orientalium, Coptica scilicet, Æthiopica, Armena, Arabica, & Persica; tum etiam recentibus & vernaculis Occidentalium Nationum, nihil attinet commemorare; cum hisce linguis expressa Biblia ad fontium puritatem, Veteris & Vulgatæ scilicet Versionis Latinæ, Græcæ LXX. & Hebraici Textus, sint exigenda, quorum Interpretationes seu Versiones esse noscuntur Italica illa veteri recentiores.

De Samaritano autem Pentateucho, licet videatur idem judicium proferri debere ac de Hebraico Textu, præcipue cum Eruditorum communior sententia sit, Samaritanis litteris fuisse a Mose conscriptum, quæ ante Babylonicam Populi captivitatem erant Judæis vernaculæ, ac Hieronymus testetur in Prologo Galeato, *Samaritani etiam Pentateuchum Mosis totidem litteris scriptitant, figuris tantum & apicibus discrepantem;* attamen, cum numeri annorum ætatis in Patriarchis neutri ex illis Textibus omnino respondeant, quos tamquam fontes Vulgatæ Versionis veneratur Ecclesia, Hebræo, inquam, & Græco LXX. Interpretum aliæque sint varietates; hinc etiam a percensendis Samaritani characteris Codicibus, qui hodie supersint vetustiores, eorumque ætate dijudicanda abstinemus. Satis explicata reperies apud Simonium *Lib. I. Cap. X. & XI.* & *Diss.* 4. Petitdidier in Sacram Scripturam, quæ de Samaritani Textus, & Samaritanæ Versionis historia post Morinum, & Valthonum uterque collegit. Satis enim fit monuisse, Morinum ipsum, qui primus editionem Textus Samaritani adornavit, & in publicam lucem protulit, usum fuisse duplici Codice non admodum Vetusto, quem a Clarissimo Harlæo Damasci comparatum, & in Europam allatum, Bibliotheca Oratorii Parisiensis hodie custodit: tres vero Codices Peirescianos post editionem suam contrectasse, quorum antiquissimus descriptus est anno Christi 1227. Summa igitur sit hujus Capitis, Hebræorum Codicum Veteris Testamenti antiquissimos, hodie superstites, nongentis circiter ante nos annis fuisse conscriptos: Vetustissima vero Exemplaria Versionis Græcæ LXX. Interpretum haberi exarata sæculo quarto; Latina demum antiquæ & vulgatæ Editionis, quam Italam quoque nuncuparet olim Sanctus Augustinus, ad octavum circiter sæculum referri oportere.

DISSERTATIO TERTIA.

Historia Textus Biblici, ac Versionum comprobata ex Antiquis Christianorum Monumentis, præsertim Romanis.

INter Exemplaria Bibliorum antiquitate præstantia non retulimus Codices, qui continent Opera Sanctorum Patrum, aliquando complexa partem non modicam Divini Textus, suis in Commentariis expositam; hos, inquam, Codices non recensuimus inter Biblicos, quemadmodum nec Rituales libros Ecclesiarum, ubi lectiones & versiculi ex Veteri Testamento assumpti maximam partem precum constituunt: cum neutra classis pertineat ad argumentum nobis propositum capite præcedenti. Inde tamen accessit plurimum adjumenti ad restituendam felicius suæ pristinæ integritati ac puritati, & vindicandam ab amanuensium ac librariorum erratis Vulgatam Versionem, quemadmodum ex Præfatione jussu Clementis VIII. Bibliis præfixa intelligimus. Et merito quidem advocabantur ejusmodi Codices inter præsidia Biblicæ restitutionis; cum testimonia antiquæ Lectionis, olim Eccl. fiis traditæ, ibidem plurima invenirentur, apographis superstitibus Divini Textus persæpe vetustiora.

Verum præter hæc adjumenta Patrum, quibus præservatur germana Lectio, ac mirifice comprobatur Traditio Ecclesiæ, cui acceptas ferimus Divinas Litteras (ut optime observant Patres & Theologi cum Veteres tum recentes apud Bellarminum *Lib. IV. cap.* 4.) genus est aliud Testimoniorum in primis utile ad confirmandam historiam traditæ Sanctis Fidei, & Lectionis antiquæ divinorum Voluminum, in Catholica Ecclesia custoditæ. Ea vero sunt Anaglypha, veterum Christianorum sepulcris & lucernis incisa: picturæ cryptis Cœmeteriorum inductæ, vitreis orbiculis & calicibus commendatæ, & una cum Corporibus Sanctorum Martyrum primis Ecclesiæ sæculis conditæ subterraneis illis recessibus, ut in apertam lucem educerentur post pacem Ecclesiæ restitutam; & renovarentur atque augerentur in Musivis Operibus Basilicarum, ac Tricliniorum Pontificalium; & in Generalibus Conciliis producerentur tamquam luculenta Veteris & Apostolicæ Doctrinæ, Consuetudinis, ac Traditionis testimonia.

Eorumdem Conciliorum suffragio didicimus, hæc ipsa Christianorum Cimelia considerare, tamquam apertos libros, & ipsis rudibus ingeniis, ac litterarum expertibus propositos ad perlegenda nostræ Religionis mysteria; quemadmodum Gregorius Magnus in epist. ad Serenum Episcopum Massiliensem una cum Hadriani I. litteris in Synodo Nicæna II. perlectis, disserte docet. „ Nam „ quod legentibus (inquit) Scriptura, hoc „ idiotis

„ idiotis præstat Pictura cernentibus: quia „ in ipsa etiam ignorantes vident quod „ sequi debeant; in ipsa legunt, qui litteras nesciunt. Unde præcipue Gentibus „ pro lectione Pictura est; quod magnopere a te, qui inter Gentes habitas, attendi debuerat.

Hoc igitur adjumenti præstant Monumenta illa Cœmeteriorum atque Ecclesiarum, primis Ecclesiæ sæculis constituta; ut sicuti, cum ponerentur una cum Voluminibus autographis Apostolorum, actisque Martyrum, atque Exemplaribus primigeniis, etiam rudibus in Plebe Dei atque expertibus litterarum supplebant librorum vices; ita postquam Codices autographi vel apographi vetustiores interciderunt; præservent nobis mutam quamdam historiam, sed coævam libris Apostolicorum Virorum & Confessorum Christi, quos Persecutorum rabies, Decii præsertim, Diocletiani, & Juliani, feralibus edictis ac flammis absumpsit. Neque enim dubium relinquunt, quin ad illa pertineant sæcula, quæ Martyrum sanguine sacra Oracula consignabant; quemadmodum de plerisque Codicibus dubitatur, an tantundem antiquitatis præseferant, ut ad tempora tam remota referri possint.

Si Divini Textus historiam ex autographis hisce Documentis Ecclesiæ repetimus, quæ produci meruerunt in Œcumenicis Synodis, offeret se primo tum in Martyrum Cœmeteriis picta & insculpta, tum in Basilicæ Liberianæ Musivis colorata Mosaicæ legis perceptio ab Auctore Deo, in tabulis lapideis ab ipso traditæ: tum ejusdem promulgatio in Volumine, Mosis manu conscripto, & Levitis commendato, ut in latere Arcæ depositum custodiretur. Auctorem pariter aliorum Voluminum Propheticorum testantur Deum sacra illa Christianorum Cimelia, quæ ab Ezechielis *Cap.* 2. desumptam visionem revelati cælitus verbi exprimunt symbolo Manus librum Prophetæ porrigentis, aut quatuor Animalium Spiritu Dei actorum, quæ rursum occurrunt in Apocalypsi.

Quemadmodum vero de Auctore divinæ Revelationis nos admonent, ita etiam de numero Sacrorum Librorum sæpe testantur, Nam & Tobiam cum piscis indicio noscendum præbent una cum reliquis Bibliorum historiis, & Susannam a Senioribus circumventam orationi intendentem cum ostendunt, & Habacuc prophetam prandium Danieli ministrantem inter leones dum exprimunt, quid sentiendum sit de auctoritate libri Tobiæ, ac utriusque Capitis XIII. & XIV. Danielis, aperte docent; & Jonæ, a cete absorpti, & in aridam evomiti, & septem Fratrum Machabæorum, Tobiæ iterum, & Susannæ, & Danielis historias luculenter exprimunt vetustissima vitrea Fragmenta, & Sarcophagus olim in ædibus Carpineis, nunc in atrio Basilicæ Sanctæ Mariæ trans Tyberim conspiciendus, & Lamina ænea, quæ produxit & illustravit Philippus Bonarroti in libro *De Antiquis Vitreis Fragmentis*, quem italico sermone edidit anno 1716. & habentur *pagg.* 1. 2. 5. 14. 18. *&* 141.

Quin etiam Versionis utriusque vestigia, Græcæ scilicet LXX. & Latinæ, ipsosque Fontes hebræos licet in his deprehendere; in Jonæ præsertim umbraculo, ex Augustini & Hieronymi epistolis admodum celebrato. Siquidem in Cœmeterio Callisti Tab. III. depingitur, & in Lamina ænea, quam profert Philippus Bonarotti Figura I. *pag.* 1. & in Sarcophago Vaticano sculpitur Jonas sub Cucurbita dormiens; & in alio Sarcophago Vaticano *fol.* 103. necnon in altero, apud Callixti Cœmeterium effosso, nitide exprimitur supra Jonam Frutex peramplis foliis præditus, nulli fulcro subnixus, qualem Hieronymus ex fonte hebræo, Cicaion, hederæ similem in sua correctione, & post Hieronymum hodierna Vulgata restituit. Qua de re videndus est noster Aringhius Romæ subterraneæ *Tom. II. Lib. V. Cap. XXII. num.* 10. *&* 11. Productis enim litteris utriusque Doctoris, Hieronymi scilicet atque Augustini, ita loquitur de Jonæ umbraculo sub Cucurbita.

Porro Jonan haud sub Hederæ, sed sub „ Cucurbitæ umbraculo quiescentem ob eam „ potissimum rationem in cœmeterialibus „ Tabulis olim a Christianis repræsentatum „ fuisse arbitramur, quia videlicet antiqui „ Fideles, acceptissimæ Septuaginta Interpretum sententiæ mordicus adhærentes, „ quidquid conceptis apud eosdem verbis „ Scripturarum Textui insertum legebatur, „ ac si Vulgata earumdem Scripturarum foret Editio, constanti animo retinuere &c. Hæc Aringhius, additurus profecto post Hieronymum, lectionem Hederæ cum Vulgata loco Fruticis, ipsi persimilis, Ecclesiam jam tum recepisse, si diligentius attendisset Sarcophagis postremo loco per nos indicatis apud Vaticanum, & ad Callixti Cœmeterium, ab ipso etiam Aringhio expressis; ubi Frutex ille Cicaion hebræi Textus, sive virgultum, ad Hederæ formam accedens exhibetur.

His vero Picturis & Anaglyphis propositis, ætate Martyrum in Cœmeteriis, & proximo sæculo in præcipuis Romanæ Ecclesiæ Basilicis ac Titulis, si conjungantur Liturgiæ veteres, ac Rituales libri, & Sacramentales Græcorum ac Latinorum, ac testimonia Patrum & Conciliorum, quibus Mysteria Novi Testamenti deteguntur adumbrata in antiqui Fœderis historia, & oraculis Prophetarum, resultat inde evidentior nexus ille non interruptus Apostolicæ Traditionis, a Christi sæculo ad nos perductæ; & legitimus Scripturæ usus & lectio germana ipsis in persecutionibus præservata non modo in privatis Codicibus, quos industria Christianorum subduxit prædæ atque incendio;

dio; verum & consignata publicis hisce Monumentis autographis eorumdem sæculorum, quibus debetur Ecclesiæ Catholicæ Rituum præcipuorum institutio & augmentum.

Præmissis itaque animadversionibus in historiam Canonis Scripturarum, textusque Autographi & Apographi, necnon Versionum, quas tamquam ab erroribus Fidei ac morum immunes adhibuit olim Ecclesia Catholica, hodieque adhibet in solemni Conventu, rebusque Sacris, in Catechesi & Doctrina sua Fidelibus proponenda, & infidelibus prædicanda, breviterque indicatis authoramentis, quæ hujusmodi historiæ ac traditioni accedunt ab autographis Monumentis veterum Christianorum; ad ipsa Monumenta singillatim consideranda in Prolegomenis reliquorum Voluminum operis mei, seu mearum Vindiciarum gradum facere decrevi, servato ordine Scripturarum, ut a primo Geneseos Capite ad postremum Apocalypseos ostendatur non deesse Divinis Litteris hæc sive præsidia sive ornamenta, quæ vicem suppleant Autographorum. Interim, ut nonnulla alia Monumenta pertingam, quæ Canonis Biblici seriem traditionemque respiciunt, atque Romanæ Ecclesiæ Fidem exhibent Imaginibus referendis ad prototypum Librorum per eas expressis, colligam pro coronide ex Patrui mei amantissimi Francisci Blanchini notis ad Anastasium Bibliothecarium quæ ad rem propositam pertinent: nempe ut ostendam ex antiquissimis hisce Picturis, Musivis, Anaglyphis clarius adhuc cognosci posse, delectum talem a Summis Pontificibus aliisque Romanæ Ecclesiæ filiis habitum in Cœmeteriis, Basilicis, ac Titulis ita decorandis, ut Imagines sacræ, quas, ibi exprimendas curarunt, a solo Sacrarum Scripturarum censu petitæ, & memoriam rerum gestarum in utroque Testamento excitarent, & Christianæ Fidei dogmata oculis subjecta proponerent, ex Libris authenticis derivata. Præstet vero, ex laudati Viri notis ad Sanctum Gelasium Papam Tom. III. Anastasii Bibl. *pag.* 197. *col.* 1. nonnulla exscribere, quæ nobis suggerunt præcipuas Sacrarum Scripturarum historias, parietibus, tabulis æneis, atque marmoribus commendatas; quæque huic historicæ Præfationi de veteris Testamenti libris supremam manum imponunt. „ Locus (inquit) a me requirit, ut indicem brevissime selectum quidpiam e singulis utriusque Testamenti libris, & dedicatum vel in sanctorum Martyrum Cœmeteriis vel in sacris Ædibus primorum Titulorum ac Basilicarum ab ipsa ætate Apostolica ante Pontificatum Gelasii: itaut cupienti tradere Canonem Sacrorum Bibliorum satis sit intendere digitum in hæc pretiosa Monumenta quinque priorum sæculorum æræ Christianæ, quæ Romana Ecclesia præservat.

Unica Liberii Basilica in Xysti III. Musivis ostendit seriem gestorum tum in Pentateucho Moysi, tum in libris Josue ac Judicum enarratorum. Unus Sarcophagus Junii B.ssi, signatus Consulatu Eusebii & Hipatii, nempe anno æræ Christianæ 359. in Basilicæ Vaticanæ cryptis constitutus ante Confessionem Sanctorum Apostolorum, ostendit nobis ex Genesi lapsum primorum Parentum, & Abrahami sacrificium; ex Jobo, ex Daniele, aliisque Divinæ Scripturæ libris selecta documenta. In Basilica S. Pauli Via Ostiensi, a S. Leone Magno Musivis, Picturis, & Historiis decorata, explicantur Oracula Sacrorum Bibliorum a Genesi ad Apocalypsim; Prophetæ enumerantur in supremo parietum fastigio, eorumque nomina Osee &c. pedalibus litteris sub ipsorum Imaginibus exprimuntur. Quare & in Valvis æneis sæculo XI. pro eadem Basilica constructis, tam Majores quos vocant, quam Minores recensentur, uti constat ex litteris superstitibus compluribus ex utroque numero ibidem adhuc spectandis, nemp. ΒΑΡΟΥΧ Baruch, qui adjungitur Jeremiæ; ΙΕΖΕΧΙΗΛ Jezechiel; ΔΑΝΙΗΛ Daniel; ΙΩΗΛ Joel, ΑΒΔΙΑΣ Abdias: ΙΩΝΑC Jonas; ΝΑΟΥΜ Naum; ΑΒΒΑΚΟΥΜ Abacum (ubi advertendum est, nomen Habacuc scriptum esse uti in Exemplaribus græcis Abbacum) ΣΟΦΟΝΙΑC Sophonias: ΖΑΧΑΦΙΑC Zacharias. Reliquorum Imagines ac Nomina exciderunt. Inde autem mos propagatus, & retentus per sequentes ætates, eorumdem Prophetarum Imagines, Nomina, aliquando etiam Sententias depingendi & insculpendi, tum in Basilicarum portis, tum in Titulorum, Diaconiarum, & Baptisteriorum absidibus ac parietibus, vasis & ornamentis. In æneis Valvis Basilicæ ejusdem Paulinæ, Constantinopoli elaboratis undecimo sæculo æræ Christianæ, quas edidit sæpe laudatus Præsul Jo: Ciampinus Vet. Monim. *Tom. I. Cap.* 4. alii quoque Prophetæ incisi sunt, quorum gesta in libris Regum & Paralipomenon recensentur; nempe Elias n. XXXV. & Eliseus num. XLIV. aliorum vero etiam oracula in Voluminibus exprimuntur: ut in Volumine Prophetæ David n. XXXIII. versiculus ex Psalm. 44. *Audi Filia, & vide, & inclina aurem tuam*: In pugillari Jeremiæ vers. 36. *Hic Deus noster, & non imputabitur alius*, ex cap. 3. Baruch: In volumine Habacuc, cujus nomen legitur græcis litteris incisum ΑΒΒΑΚΟΥΜ, insculptus est versiculus 3. Capitis III. *Deus de Libano veniet, & Sanctus de Monte*. In manibus Isaiæ vers. 14. Capitis VII. *Ecce Virgo &c*. Præfert Sophonias expectationem Resurrectionis ex commate 8. Capitis II. Jonas spem cælestis auxilii, ex vers. 3. Cap. II. & hujusmodi methodus observatur in ceteris. In Diac. omnium principe Sanctæ Mariæ in Via lata, ubi vetus traditio est, Paulum Apostolum cum

Luca

Luca Evangelista Catbechesim habuisse, & Lucam scripsisse Acta Apostolorum, conspiciuntur Prophetarum Imagines cum suis picturis antiquissimis coloratæ; quemadmodum & in hypogeo sub Presbyterio Diaconiæ S. Nicolai in Carcere Tulliano. Alias complures Cœmeteriorum Picturas prætermitto, videndas apud Aringhium in Roma subterranea, unde integer Scripturarum Sacrarum Canon colligi potest, ab ipsis Martyribus; & Confessoribus Christi, necnon a Decessoribus Gelasii adornatus.

Nec minori studio proximæ post sæculum Gelasii ætates in Romanis Titulis sacram hæreditatem divinarum Litterarum per suos Presbyteros diligenter curarunt. Unus sit instar omnium Titulus S. Clementis: cujus Aram principem, dum hæc scribimus, cum instauraret magnificentius Emin. & Rever. D. Annibal Card. Albanus S. R. E. Camerarius, relegens Magni Patrui sui Clementis XI. vestigia in eadem Æde sacra excolenda. Marmor illud omni auro atque argento pretiosius invenit, antiquitus conversum in frontem Altaris: in quo legitur studium Gregorii ejusdem Tituli Presbyteri Card. sub sancto Pontifice Zacharia in utriusque Testamenti Libris, intra Bibliothecam aut Sacrarium sui Tituli dedicandis, hac Epigraphe comprobatum.

ISRAELITICVS D̄O OFFEREBAT POPVLVS RVRI
ALIVS QVIDEM AVRVM ALIVS NAMQVE ARGENTVM
QVIDAM COQVE ÆS QVIDAM VERO PILOS CAPRARVM
INFELIX AVTEM EGO GREGORIVS PRIMVS P̄ER ALMÆ
SEDIS APOSTOLICÆ HVIVSQVE TITVLI GERENS
CVRAM AC BEATI SVPREMVS CLIENS CLEMENTIS
OFFERO DE TVIS HEC TIBI XR̄E THESAVRIS
TEMPORIBVS SCIS̄S ZACCHARIÆ PRÆSVLIS SVMMI
PER MARTYREM ET SC̄M PARVA MVNVSCVLA TVVM
CLEMENTEM CVIVS MERITIS MEREAR DELICTIS CARER
ATQVE AD BEATAM ÆTÆRNAM INGREDI VITAM
AISTI QVANTVM HABES REGNVM VALET CELORVM
SVSCIPE HOS DOMINE VELVTI MINVTA VIDVE QVÆSO
VETERIS NOVIQUE TESTAMENTORVM DENIQUE LIBROS
OCTATEVM REGVM PSALTERIVM AC PROPHETARVM
SALOMONEM ESDRAM STORIARVM ILICO PLENOS
REQVIRE SYLLABARVM LECTOR SEQVENTIAM HARVM

Postremus Versus hujusce Inscriptionis indicat aliam Tabulam Marmoream a Gregorio Presbytero non longe ab hac priori dissitam fuisse collocatam, in qua incidi curaverat Versus, qui consequebantur. Vix enim aliter possumus interpretari postrema illa verba, quæ minutiori charactere insculpta sunt in calce illius Tabulæ, ubi Lector jubetur inquirere consecutionem sententiæ præcedentis: LECTOR REQUIRE SEQUENTIAM HARUM SYLLABARUM. Dolendum est, fuisse deperditam consequentem illam partem donationis, ubi Gregorius enumerasse credendus est post libros Veteris Testamenti, omnes, qui pertinent ad Novum, adeoque integrum Canonem Sacræ Scripturæ! si utriusque Testamenti complexum exemplar Titulo suo largitus est, ut in penultimo Versu significat; vel alia donaria cum superius enumeratis libris oblata.

Mox paucis interjectis, Superest (inquit) nobis spicilegium non negligendum, quod colligamus ex enumeratione Sacrorum Codicum in hac Epigraphe enunciatorum &c. Exprimitur ibi Series librorum Veteris Testamenti, Hebraico Canoni respondens, dum enumerat primo Octateuchum, deinde libros Regum, tertio Psalterium, quarto Prophetas, postmodum Salomonem, tum Esdram, denique libros Historiarum. Venerabilis memoriæ Card. Thomasius, non minus pietatis quam eruditionis Ecclesiasticæ merito Romanæ Ecclesiæ adhibendus ad pretiosa sua monumenta decoranda, ex Cassiodori libro Divinarum Institutionum docet, ad quintum Sæculum (nempe Gelasium de quo nunc agimus) esse hunc Ecclesiæ Christianæ morem potissime referendum, qui pertinet ad Sacrorum Bibliorum editionem juxta Interpretes LXX. & S. Hieronymi Veteris Titulos. Ita vero orditur ab Octateucho Card. Thomasius, non secus ac ille Gregorius S. Clementis Presbyter in sua Epigraphe.

„ De Octateuchi (inquit) idest octo Voluminum Geneseos, Exodi, Levitici, Numerorum, Deuteronomii, Josue, Judicum, atque Ruth Titulis ita scribit Cassiodorus *Lib. de Instit. Div. Litt. Cap. I.* „ ut Textus memorati Octateuchi quodam „ nobis compendio panderetur, in principio „ libro-

„ librorum de universa serie lectionis Titulos ei credidimus imprimendos, a Majoribus nostris ordine currente descriptio „ &c. „ Tum sequitur.

„ De Titulis librorum Regum & Paralipomenon ita loquitur idem Cassiodorus, ut Regum quidem veteres habuisse „ Titulos videantur, dum libris Paralipomenon novos se addidisse dicat &c.

Tertium Codicem Prophetarum. Quartum Psalterii recenset Cassiodorus. Gregorius vero noster, eadem divisione in Titulis Codicum retenta, praefert in Serie Psalterium Prophetis, juxta ordinem scilicet temporis quem servat Graeca Editio LXX. in vetustissimo Codice Vaticanae Sixtinae editionis; licet Hebraeorum Biblia Psalmos & Agiographos, quos dicunt, libros postponant Prophetis. Quintum Codicem Cassiodorus habet Salomonem, perinde ac Gregorius iste Presbyter S. Clementis: in quo complectitur (ut observat Card. Thomasius) quinque Libros proverbiorum scilicet, Ecclesiastis, Cantici Canticorum, Sapientiae & Ecclesiastici. In Sextum Codicem congerit Libros octo, Agiographorum nomine & Historicorum mixtum expressos, nempe Job, Tobiae, Esther, Judith, Esdrae duos, & totidem Machabaeorum: qui respondent numero & ordini vetustissimi Codicis Alexandrini, quem vocant Theclae, si primum excipias, nempe Job, quem Codex ille Alexandrinus Psalmis adjungit, & praeponit libris Salomonis, addito etiam ante Psalterium tertio & quarto Machabaeorum. Gregorius Presbyter Esdram, & Storiarum vocabulo compendiosius enunciat Historicos illos simul & Agiographos cum Esdrae Canonicis copulatos; nam Job cum Psalterio, utpote ad Classem metricorum librorum pertinentem, una cum Proverbiis, Ecclesiaste, & Canticis ponunt S. Cyrillus Hierosolymitanus, & S. Gregorius Nazianzenus, ut observant Ferrandus Summ. Bibl. *Lib. I. Cap. ult.* aliique agentes de Canone Scripturarum. Machabaeorum denique Libri duo claudunt censum Historicorum, adeoque nomine Generis seu Classis istius, seu Storiarum vocabulo significatae: in qua propterea Tabula videmus collectum Canonem Veteris Testamenti, pro more LXX. Interpretum editionis in easdem Classes & Seriem distributum. Per haec igitur illustria documenta, in Romanae Ecclesiae Titulis, Basilicis, Coemeteriis passim dedicata, ex antiquissimis saeculis viget in nostris Altaribus, Musivis, Marmoribus, non secus ac in Bibliothecis & Archivis, genuinus Canon Sacrarum Scripturarum ab Apostolica aetate collectus (ut supra vidimus in notis ad Clementem Tom. II. istius editionis *fol.* 50.) & per manus traditus continenti cura Pontificum Romanorum, qualem in Gelasio probat Concilium Romanum sub ipso celebratum, & Constitutum illud de Ecclesia, quod enunciat Bibliothecarius.

Si quis vero, & in Clementis Papae ac Martyris epistola saeculo I. & in Marmoribus Tituli S. Clementis Saeculo VIII. Canonem Sacrorum Bibliorum recognoscens, adhuc desiderat in aliis Romanae Ecclesiae monimentis ejusdem antiquitatis singulos Scripturae Divinae libros cognoscere, videbit expressum Heptateuchum in Musivis Basilicae Liberianae a S. Xisto III. constructis; Libros Regum, & Paralipomenon recognoscet in historiis Davidem exhibentibus funditorem in pictura Cubiculi tertii Coemet. Callixti *Tab. I. num.* 3. Eliae atque Elisei insculptis Sarcophago Coemeterii Vaticani *pag.* 305. apud Aringhium Romae Subterr. *Lib.* 2. *Cap. X.* Jobi historiam in Sarcophago Junii Bassi, in Cryptis Vaticanis reperto, & ibidem ad Confessionem SS. Apostolorum constituto, aliisque pluribus in Aringhio occurrentibus monumentis; Prophetas Majores, ac Minores recognoscet depictos in Basilica S. Pauli, aliisque Titulis, Diaconiis, ac Coemeteriis supra indicatis; Tobiae historiam & piscem in pictura Coemeterii Callixti, Tabula scilicet tertia Cubiculi tertii *num.* 11. ubi & Jonas Propheta sub Cucurbita dormiens depictus est, sculptus vero in pluribus Sarcophagis passim occurrit, & voratus a Ceto, & ad littus rejectus & redivivus; Ezechielis Concio ad resurgentes pariter observatur in Anaglypho Vaticano apud Aringhium *Tom. I. pag.* 327. Daniel orans inter leones frequens occurrit, ut in Sarcophago Junii Bassi in Cryptis Vaticanis; tres Pueri in fornace illaesi: Susanna casta a Seniorum injuria & calumniis vindicata, in pluribus pariter Coemeteriorum Picturis & Anaglyphis apud eumdem Aringhium, nempe in Vaticano, in Callixti, in S. Agnetis; denique Saphan, Volumen Legis ab Helcia repertum offerens Josiae, sculptus est in Anaglypho veteris Sarcophagi, reperti in Coemeterio Lucinae, & inde translato cum Reliquiis SS. Innocentium a Sisto V. in Sacellum intra Basilicam Liberianam a se magnificenter constructum ad Altare S. Luciae, cujus Imaginem excudit Aringhius Romae Subterr. *Tom. I. pag.* 423. cum pluribus utriusque Testamenti historiis ibidem expressis.

ORDO

ORDO LIBRORUM
VETERIS TESTAMENTI.

LIBRI PRIMÆ PARTIS.

LIBRI SECUNDÆ PARTIS.

ORDO LIBRORUM
NOVI TESTAMENTI.

C A-

IN PENTATEUCHUM
PRÆFATIO.



Onstans est & perpetua Synagogæ & Ecclesiæ traditio, hos quinque Legis libros genuinos esse, & a Mose scriptos: nam continuata serie per ætates omnes Mosi adscripti fuere, & ad nos usque pervenerunt. Hoc testimoniis cum intrinsecis, tum extrinsecis, post illustrissimum Huetium Abrincensem Episcopum, in tractatu de Scriptura sacra jam edito ante aliquot annos a nobis probatum fuit; neque proposita nobis hoc loco brevitas sinit nos ea repetere, quæ ex cap. 17. & 24. Exodi, ex cap. 5. & 31. Deuteronomii, ex Libris Josue, Judicum, Regum, Psalmis, immo ex illustri Salvatoris testimonio Joann. 5. *De me enim ille scripsit*, allata sunt argumenta, quibus innumera addi possunt ex Epistolis S. Pauli, & ex omnibus pene Scripturæ libris. Cujusmodi sunt illa Deut. 31. ℣. 9. *Scripsit itaque Moyses legem hanc, & tradidit eam sacerdotibus filiis Levi*; item ℣. 24. *Postquam ergo scripsit Moyses verba legis hujus in volumine*; sic cap. 17. ℣. 18. *Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus*. Deuteronomium lex est iterata, aut secunda lex, quæ eadem est cum lege præcedentibus libris comprehensa, quæque eumdem habet auctorem. Idem præcipitur Josue 1. ℣. 7. *Confortare igitur, & esto robustus valde, ut custodias & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus*.

II. Genuinos esse Mosis libros, atque ab eo ipsos scriptos, ex antiquitate Pentateuchi Samaritani firmum duci argumentum eodem in loco diximus. Implacabile odium inter Judæos & Samaritanos jam a Jeroboami temporibus extitisse constat: quod magis exarsit post captivitatem Babylonicam, cum ex invidia & odio Samaritani urbis Jerosolymæ instaurationem impedirent: sed ex quo Templum in monte Garizim Alexandri temporibus Manasses frater Jaddi Pontificis construxit, inter hos populos dissidium illud auctum ad hanc usque diem acrius perseverat. Et tamen gens utraque suum habet Pentateuchum: Samaritani antiquis Hebræorum characteribus, Judæi litteris Babylonicis, seu Chaldaicis exaratum legunt. Tam dissidentes & sibi mutuo infensi populi hos libros non a se mutuo, sed e communi fonte, qualis erat Davidis & Salomonis temporibus, acceperunt.

III. Neque accedere possum sententiæ viri cetera doctissimi, qui Samaritanum codicem post Templi Garizim extructionem e Judæorum codice exscriptum putat, quod eædem fere additiones & mutationes in utroque extent. Sed mihi non fit verisimile Samaritanos, qui magna ex parte Israelitæ erant, quique Esdræ temporibus se eumdem colere Deum, & iisdem uti ritibus professi sunt, ac proinde in ejusdem Templi societatem admitti volebant, nulla habuisse Scripturarum exemplaria. Nec video cur illi Chananæorum, seu Phœnicum litteris suum Pentateuchum ex inimicorum codicibus exscripsissent. Apud decem Tribus post earum secessionem multi Prophetæ extiterunt, qui Scripturas servabant, ac Legis præsertim libros. Quæ autem in Pentateucho factæ sunt mutationes, a Josue, aut ab aliis ante Jeroboam tempora easdem factas fuisse nihil prohibet. Quin etiam multa in Samaritano Pentateucho ab Hæbræo diversa persuadent unum ex alio non fuisse descriptum. Sic 2. Geneseos in Hebræo legimus Deum cessasse ab opere creationis die septimo, cum in Samaritano & in Septuaginta Interpretum editione, die sexto non minori probabilitate scriptum sit. Sic cap. 4. ℣. 8. hæc verba, *Egrediamur foras*, in Samaritano & in Septuaginta leguntur, non item in Hebræo: Exodi 12. ℣. 40. in Hebræo & in Vulgata habemus Israelitas in Ægypto habitasse 430. annis; in Sa-

in Samaritano & in Sept. aperta est lectio, *Habitatio filiorum Israel & Patrum eorum*; unde illi codices sibi mutuam præstant operam, & sese interdum illustrant.

IV. Hieronymus in Prologo Galeato testatur *Samaritanos etiam Pentateuchum Mosis totidem litteris scriptitare, figuris tantum & apicibus distantes*. Per apices non puncta vocalia, quibus nunc utuntur Judæi, intelligi debent: his enim semper caruerunt Samaritani: sed sunt quædam litterarum inflexiones & curvaturæ; iidem & voces & periodos certis punctis sejungunt. Quin & Hieronymus eodem in loco docet Judæorum characteres mutatos esse ab Esdra, qui Chaldaicos induxit, quod his assueti essent Judæi; Samaritani vero antiquos conservarunt. Vetera numismata profert Postellus in Lib. de Originibus, cum his verbis *Jerusalem sancta*, quæ litteris Samaritanis sunt inscripta: his vero idem accidit quod omnibus pene linguis, quarum characteres temporum lapsu mutantur. Sic apud Romanos characteres ipsi alias induerunt formas sub Gothis & Longobardis. Græcæ & Latinæ litteræ a Samaritanis aut a Phœnicibus desumptæ sunt, ut idem Postellus popularis noster observavit.

V. Hieronymus in cap. 9. Ezechielis testatur litteram *Tau* Samaritanorum figuram crucis præ se ferre: quæ tamen in Alphabeto Samaritano non occurrit. Fors est ut eam postea mutaverint. R. Azariam citat Ricardus Simo, qui litteræ *Tau* duas apud Samaritanos figuras profert, quarum una Crucem S. Andreæ, aut *X* exhibet; addit solum Theodotionem transtulisse *signo Tau*, cum Sept. *signum* tantummodo verterint. Quæ adversus communem omnium ætatum consensum opponit Spinosa, ab illustrissimo Huetio, & ab eruditissimo Auctore tractatus de Veritate Religionis funditus subruta, morari nos non debent. Atque ut vera essent quæ contra afferunt, non aliud ex iis concludi posset, quam voces quasdam aut mutatas, aut additas fuisse, ut historia esset apertior; quædam etiam urbium aut regionum nomina in alia quæ sequentibus sæculis in usu fuerunt, commutata, quo facilius dignosci possent; breves explicationes insertas ab Auctoribus Hagiographis, quæ sensum planiorem efficiunt; ac demum quædam suppleta esse ad intelligentiam necessaria. Hoc ipsum in vetustioribus scriptoribus profanis factum, nec propterea de librorum genuinitate fuit dubitatum.

VI. Quæ in ipso limine Deuteronomii dicta sunt a Mose ad omnem Israel trans Jordanem in solitudine campestri, contra mare rubrum, minime id probant, Mosem hujus libri non esse auctorem. Nam vox Hebræa nec *ultra*, nec *citra* significat, sed *in transitu*; atque ut significaret *ultra*, quid mirum, si vox ista mutata fuerit, ut planior esset sensus & apertior Israelitis?

Quod capite 27. ejusdem libri jubet Moses, ut erectis lapidibus *in eis scribantur omnia verba Legis hujus*, non aliud is præcipit, quam quædam mandata hoc loco memorata iis lapidibus incidi, non librum integrum; tametsi nihil prohibet, quominus liber ipse in multis & ingentibus saxis insculpi potuerit.

Idem Auctor a nobis laudatus suspicatur caput ultimum Deuteronomii fuisse primum libri Josue: sed visum est postea libris Mosis id subjicere, tanquam historiæ Mosaicæ coronidem: ut ut sit, illud constat saltem octo postremos versus a Josue ipso, aut ab alio divino Scriptore adjectos fuisse.

VII. Sunt quædam huc illuc sparsa in his libris quæ inseri potuerunt a sacris Scriptoribus, nonnulla quoque sunt adjecta. Sic verisimile est Genes. c. 12. ℣. 6. hæc verba addita fuisse: *Chananæus autem tunc erat in terra*. Quanquam alii pertendunt vocem Hebræam *tunc*, esse æquivocam. Sensus autem satis est apertus, Chananæos tunc eam regionem habitasse, cum in eam venit Abraham. Nam si textus Hebraici & Vulgatæ Chronologiam sequimur, non diu erat ex quo Chananæi in eam regionem venerant, seu ex ea posteros Chus ejecerint, seu paulatim regiones illæ post dispersionem Gentium cultæ fuerint. Id vero sacer textus insinuat, ut magnam Abrahæ fidem commendet, qui promissam sibi regionem a Chananæis occupatam invenit. Unde, *pertransit Abraham terram usque ad locum Sichem*, ubi & Chananæum invenit: *Chananæus autem tunc*

erat

erat in terra. Consimili ratione nihil prohibet, quin ea quæ de lecto ferreo Regis Basan inferuntur, addita fuerint, ut alia nonnulla ex publicis scriniis, aut diariis; idque factum sit majoris explicationis gratia. Sic forte jam diu erat, ex quo rex ille occisus fuerat; ac Moses in hujus rei probationem affert lecti ejus prodigiosam magnitudinem. Lectus ille ferreus potuit esse in Rabaath penes Ammonitas, eo ipso tempore quo scribebat Moses. Sic nonnullæ occurrunt repetitiones (quanquam is est linguæ sacræ genius, ut repetitionibus quandoque utatur) sed fieri etiam potuit, ut diversæ lectiones simul collectæ crebras aliquando repetitiones effecerint, ut forte accidit cap. 7. Geneseos a ℣. 17. ad ℣. usque 24. ubi eadem sententia sæpius est iterata. Quod Exodi 16. ℣. 35. legimus, *Filii autem Israel comederunt Man quadraginta annis*, illud inter additamenta referri potest: tametsi noverat Moses fore ut per quadraginta annos filii Israel in deserto morarentur, uti colligitur ex cap. 14. ℣. 33. Numerorum.

VIII. Sic corruunt Spinosæ argutiæ de quarundam urbium vocabulis, quæ nondum erant usitata Mosis temporibus; neque enim fere est quicquam frequentius in libris omnibus, quam eæ nominum mutationes.

IX. Quod autem cap. 36. ℣. 31. Moses eos Reges enumerat, qui in Idumæa regnaverunt antequam haberent Regem filii Israel: Rabbi Esra eos Reges ante Mosem extitisse opinatur. Plerique Doctores Catholici in ea sunt opinione, ista ab Auctore Hagiographo inserta fuisse, Bonfrerius in hunc locum, Cornelius a Lapide, Huetius prop. 4. cap. 14. qui etiam locum Deut. cap. 3. ℣. 14. pertractans, sic ait: *Fatemur Scripturæ reparatorem Esdram, sicubi se darent obscuriores, aut difficiliores loci, huc & illuc de suo nonnulla in libros sanctos explicationis causa infarcisse*. Id ipsum Pererius Præfatione in Pentateuchum docuerat: *Placet etiam mihi*, inquit, *eorum sententia, qui existimant Pentateuchum longo post tempore interjectis multifariam verborum & sententiarum clausulis, veluti farcitum & explicatius redditum, & ad continuandam historiæ seriem melius esse dispositum*: sed ea de re in Annotationibus plura dicemus.

X. His quinque libris Israelitarum Respublica & Religio omnis continetur; unde & quinque Legis libri vocitantur. Josephus Lib. 2. contra Appionem ex ipso Legis nomine antiquis prorsus ignoto, probat Mosem primum omnium fuisse legislatorem, seu ipse litteras primus invenerit, ut multis persuasum est, (sine litteris autem scribi Leges non potuerunt:) seu potius quia Principum voluntates tum erant pro Legibus.

XI. Verum illud non concedam viro alioqui doctissimo, ea tantum quæ ad leges aut ritus sacros pertinent, a Mose ipso conscripta fuisse, rerum gestarum historiam e publicis monumentis excerptam, ejus jussu mandatam litteris. Non enim leges tantummodo, sed & alia quæ ad historiam spectant, memoriæ posteritatis mandare identidem a Deo jubetur. Judæorum & Christianorum traditio est, a Prophetis, immo a Christo Domino & Apostolis confirmata, Mosem esse horum librorum auctorem; seu manu propria eos exaraverit, seu amanuensium opera usus fuerit, perinde est: nam & Baruch Jeremiæ, & Tertius Pauli scriba fuit. Sed ut Prophetiæ a Jeremia, & Epistolæ a Paulo dictatæ sunt; ita & libri Mosis eum habent auctorem, qui & Legislator Judæorum & Propheta fuit, quique non solum futura prædixit, & ea maxime quæ ad Christum pertinent; sed etiam Mundi originem, quæque abdita erant, & longe ab hominum cognitione remota, litteris prodidit. Hinc illud Deuteron. ultimo cap. *Non surrexit ultra Propheta in Israel sicut Moyses*.

XII. Quare nihil necesse est ad veterum Patriarcharum scripta confugere, ex quibus Moses Mundi creationem, lapsum hominis & alia ejus generis acceperit, cum Deo revelante hæc omnia scripserit. Quamquam nihil de eorum librorum auctoritate decederet, si Sanctorum Virorum qui Spiritu Divino afflati fuerant, scriptis usus esset Moses. Ceterum quæ libris Mosis continentur facta, ad nos usque pervenerunt: neque ii libri corrumpi potuerunt in iis quæ sunt alicujus momenti, vel ut gesta narrantur: cujusmodi sunt prodigia in exitu

populi Dei de Ægypto, miracula in deserto patrata, Lex in monte Sinai data, & alia hujus generis plurima inter se mutuo connexa, tot publicis monumentis adeo testata, ut fingi aut supponi nullatenus potuerint. Si quæ vero minoris momenti inserta fuerint, ut paucæ aliquot parentheses explicationis gratia additæ, aut propria quædam nomina a Scriptoribus sacris adjecta, idque Dei jussu & speciali quadam providentia, nihil de eorum auctoritate detrahitur. Scripturæ quippe Judæorum, uti & Leges, Deum habent auctorem. Moses & alii Prophetæ erant ejus quasi amanuenses; nihil in his mutare licuit hominibus; sed Deus ipse, vel auctores sacri ejus Spiritu afflati, parentheses, genealogias, rerum commissuras & nexus, pro temporum quibus scribebant opportunitate, potuerunt inserere, salva textus primigenii integritate.

XIII. Quod si Josue, & qui eum consecuti sunt Prophetæ, nomina propria, & suis temporibus nota veteribus tum exoletis substituerunt, nihil propterea Scripturis mutationis accidit, nihil de ejus auctoritate decessit. Sed ne illud quidem facile demonstrabitur, plerasque additiones quas objiciunt, factas fuisse, cum propria nomina nunc penitus nobis incognita occurrunt, quæque forsitan Prophetarum temporibus non erant vulgo nota: ii quippe aliis utuntur vocabulis multo notioribus.

XIV. Sic parenthesis cap. 2. ℣. 10. 11. & 12. videtur addita, & ea maxime quæ est in ℣. 12. *In Seir autem prius habitaverunt Horræi, quibus expulsis atque deletis habitaverunt filii Israel, in terra possessionis suæ, quam dedit illis Dominus.* Hæc potuit a Mose ipso inseri, cum jam duæ Tribus Ruben & Gad cum dimidia Tribu Manasse hæreditatem suam trans Jordanem adiissent, quam possessionem ℣. 3. describit Moses. Atque hæ parentheses, quæ textus seriem videntur abrumpere, ab Esdra aut alio quovis insertas fuisse non est verisimile. Quorsum enim eas parentheses, quæ filum orationis præcidunt, in textum Mosis inseruissent? An explicationis gratia? Sed obscuritatem potius afferunt, quam lucem, nisi forte e margine in textum irrepserint. Id longe probabilius est has parentheses a Mose ipso inductas fuisse, ut loca quibus res illæ quas narrat, gestæ sunt, & nationes ipsas, quibuscum Israelitis res esset, aperte designaret. Verum quæ opponunt reliqua, in iis quæ sequuntur annotationibus, commodius diluentur, ubi sese dabit occasio.

XV. Nisi forte quis a nobis requirat, ut Spinosæ cavillationes & argutias a viris doctis toties retusas iterum regeramus, quæ a Rabbi Esra sunt propositæ & solutæ. Quid levius afferri potuit, quam illæ quas temere congerit, Mosem de se in tertia persona identidem loqui, se ipsum laudibus interdum ornare, cum se hominem Dei appellat, aut ore ad os cum Deo agere testatur? quasi ea loquendi ratio de se ipso in tertia persona non sit apud sacros & profanos Auctores usitata, ut apud Esdram lib. 1. cap. 7. & alibi passim. An Paulo id vitio dabit, quod magnitudinem revelationum & gloriam Apostolatus sui extulerit, cum iis ad quos scribebat, id esset necessarium? Hæc in sacris Litteris sinceritas, ab omni affectatione & hypocrisi procul remota, una est ex genuinis Scripturæ Sacræ notis. Aaronis & Mariæ invidiam a Deo merito punitam demonstrat Moses, & quam inique egerint, cum adversus fratrem suum mitissimum & innoxium rebellarunt. Quin & errata sua non dissimulat, quod Ægyptium occiderit, (si tamen in eo culpandus est;) quod Deo vocanti ut ad Pharaonem se conferret, non statim paruerit; quod in deserto diffidentia peccaverit. At hominem Dei se appellat, quid tum? nonne in Scriptura his vocibus Propheta designatur? ut Lib. 3. Reg. cap. 13.

XVI. Verum ut obstruatur similium calumniarum aditus, illud animo alte est infigendum, non alium quam Mosem ipsum Pentateuchi auctorem esse posse, neque in iis quæ narrantur miraculis, aut in legibus, aut in ritibus adulterari & corrumpi quicquam potuisse: nedum supposititius erit textus, ab Esdra aut ab alio Scriptore posterioris ætatis confictus.

Primum quidem librum Legis, quicumque ille sit, a Mose conscriptum, constans

constans est, universalis & perpetua Judæorum traditio: huic Legi Religio omnis Judæorum est superstructa, hinc ritus omnes eorum dimanant. Mosem esse Judæorum Legislatorem, negavit hactenus nemo: Leges ergo is conscripsit. Hunc Legis librum esse Deuteronomium, ipsemet in limine Deuteronomii aperte declarat, simul beneficia a Deo in Judæos collata commemorat, quo ad obediendum sint promptiores. Cap. 31. hæc habet: *Postquam ergo scripsit Moyses verba Legis hujus in volumine, atque complevit, præcepit Levitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens: Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri*. Hic adeo liber in Tabernaculo primum, deinde in Templo prope arcam fuit depositus. Cumque ante Josiæ tempora, regnantibus Manasse & Amon, Idololatria omnem fere populum invasisset, liber ille a Mose conscriptus ab Helcia Sacerdote repertus est in Templo. Non quod unus ille superesset: non enim credibile est Legis exemplaria nulla extitisse apud religiosos & pios viros in Tribu Juda, vel apud Israelitas qui dispersi erant in Assyriorum regionibus: sed ad eum librum qui jussu Mosis in Templo servabatur, hæc exigi oportuit: nec forte illa authentica habita fuissent, nisi exemplar primitivum repertum fuisset. Neque ulla probabilitate id dici potest, hunc librum, qualem nunc habemus, ab Helcia Sacerdote fuisse confictum: nam & Prophetæ qui ante Josiam extiterunt, & Psalmi præcipua hujus libri testimonia, facta insignia & prodigia sic referunt, ut in Deuteronomio leguntur; cumque multa sint in eo libro de futura captivitate & Judæorum dispersione testimonia, quæ Josiæ temporibus nondum evenerant, hæc ab Helcia, aut a quovis alio fingi nullatenus potuerunt.

XVII. Hunc itaque librum, qui Legis liber ubique appellatur, scripsit Moses, quem Esdras legit coram populo a mane usque ad meridiem, Lib. 2. cap. 8. Non utique Pentateuchum intra sex, aut septem horas legere potuit; nec solum Decalogum, aut perpauca Exodi capita, a vigesimo nempe ad vigesimum quartum, quibus librum Legis a Mose scriptum contineri pertendit Spinosa; sed Deuteronomium integrum, quod eo nomine in Scripturis donatur, publice legit, Esdra & Levitis interpretantibus, ob linguam Chaldaicam, cui populi Judaici pars magna insueverat.

XVIII. Sed & alios Pentateuchi libros a Mose conscriptos esse, dubitari nullatenus potest: cum eorum pene omnium, quæ his continentur, ubique mentionem faciant Psalmi Davidis, & Prophetæ. Mundi creationem, aquas quæ supra cælos sunt, sacerdotium Melchisedech, venditionem Joseph, & alia libro Genesis contenta commemorant Isaias, Osee, Jeremias & alii Prophetæ: aquas diluvii, Sodomitarum crimen, Circumcisionis legem identidem inculcant. Sic promissiones Abrahæ, Isaac & Jacob factas, ut in Genesi scriptæ sunt, quibus Israelitæ animati & de victoria certi eam adirent possessionem, referunt: atque in hoc libro mundi historiam & vicinarum nationum origines complexus est Moses. De aliis Pentateuchi libris postea dicemus.

XIX. Hoc loco id unum demonstrare volumus, ex monumentis publicis omnium ætatum consensione firmatis non alium quam Mosem esse horum librorum auctorem; nihil quod ad eorum essentiam pertineat, ab Esdra, aut a quovis alio mutari potuisse. Nam illustria ubique sunt in ritibus, aut in cæremoniis Judæorum monumenta, quibus ea quæ narrantur facta a Deo prodigia & eventus mirabiles, omnino stabiliuntur. Quorsum enim ritus omnes qui in festo Paschatis a Judæis per omnes ætates sunt tam religiose servati? cur primogeniti Deo fuerunt consecrati? nisi ut eorum quæ in exitu Israelitarum ex Ægypto gesta sunt memoria servaretur? Eadem est ratio festi Pentecostes & Tabernaculorum, ut Legis a Deo datæ in monte Sinai post 50. ab exitu dies, & longioris moræ populi in Deserto, ubi specialis erga eum providentia enituit, memores essent, neve tot Dei beneficia in populum ab omnibus aliis religione secretum collata temporum deleret oblivio. Sic ob eandem rationem jussit Deus, ut Legem Deuteronomio contentam exscriberent, & liberos suos edocerent, ut septimo

quoque anno publice legeretur, quo nimirum eorum cordibus insculpta numquam excideret. Quin & Judæorum Respublica tota, ea religione, ritibus & rerum gestarum memoria continetur.

XX. Ex quibus illud efficitur, quæ his libris referuntur gesta, toties a Prophetis repetita, tam arcte cum lege Mosis, Religione Israelitarum & regimine esse connexa & conserta, tam alte Judæorum animis infixa, ut nec temporum injuria, nec hominum perversitas ea delere potuerit. Siquidem vel decem tribuum a Juda secessio, & inter utrumque populum continuata dissensio libros Legis adulterare non potuit: sed potius ne corrumpi, aut obliterari possent, effecit. Jeroboam, quique post eum regnaverunt in Israel, veram Religionem delere conati sunt: sed Deus Prophetas identidem excitabat, qui eam miraculis & portentis tuerentur, eaque in Tribu Juda perstabat. Quæ supererant illustria rerum gestarum monumenta, Arca ipsa quæ hostibus terrori erat, Tabernaculum usque ad tempus Salomonis conservatum, Manna per tot ætates una cum virga Aaronis quæ floruerat, quo miraculo vocationem Aaron divinam esse confirmatum fuerat, & extincta rebellio, Serpens æneus ad Ezechiæ usque tempora servatus, quique, cum esset Idololatriæ occasio, a pio Rege confractus est, magni miraculi illustria erant documenta. Nubes illa & caligo, quæ tabernaculo per multas ætates insedit, cum Deus sua edebat oracula, monumentum in medio Jordanis erectum, cum filii Israel Jordanem transierunt, Gabaonitæ ipsi, qui in medio Israelitarum habitabant, hæc inquam & alia plurima tot erant rerum a Mose & Josue gestarum monumenta, quæque nulla cavillatione eludi possunt. Quod autem alii citentur libri, id minime probat Pentateuchum a Mose non fuisse conscriptum: nihil enim obstat, quominus ab Auctore ipso laudentur commentarii, seu diaria ab eodem composita. Sed tamen longe id probabilius videtur, in iis locis ea laudari quæ Pentateucho continentur: non enim eodem tempore, sed diversis, hos quinque libros composuit Moses, quæque Deus jussit ut mandaret litteris, hæc sunt Pentateucho comprehensa. Sic Exodi cap. 24. ℣. 7. fit mentio voluminis fœderis, quod ex contextu ipso non aliud fuit, præter Legem ipsam, quam Moses in monte acceperat: *Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo, qui dixerunt: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus: & ℣. 4. Scripsit autem Moyses universos sermones Domini*. Sic Num. cap. 21. ℣. 14. citatur liber bellorum Domini: sed ex contextu ipso palam est fuisse canticum ab Israelitis celebratum instar cantici Mosis; aut libri alicujus fit mentio, qui cantica continebat. Exodi cap. 17. ℣. 14. *Dixit Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Josue: delebo enim memoriam Amalech sub cælo*: verum hic est liber ipse Exodi, nisi sit diarium, aut commentarii in quibus res memoria dignæ scriptæ sunt.



LIBER



LIBER GENESIS, HEBRAICE BERESITH.



IC liber ab Hebræis dici solet Beresith a prima ejus dictione Hebræa, ut Genesis a Græcis & Latinis, quod cæli & terræ creationem narret, necnon Adami & posterorum Genealogiam. Unde cap. 2. ℣. 4. *ubi in Vulgata legitur:* Hæ sunt Generationes cæli & terræ: *Septuaginta vertunt:* Hic est liber Generationis cæli & terræ: *& cap.* 5. Hic est liber Generationis Adami.

Hujus libri argumentum paucis verbis complexus est Hieronymus in Epistola ad Paulinum: In qua Genesi de creatura mundi, de exordio generis humani, de divisione terræ, de confusione linguarum & gentium, usque ad exitum scribitur Hebræorum. *Quo tempore hic liber a Mose scriptus fuerit, non satis liquet. In ea sunt opinione Eusebius, Theodoretus, & alii conscriptum fuisse post exitum populi Israelitici ex Ægypto, & post Legem promulgatam. Videtur enim Moses ad eam attendere, cap.* 2. *cum de sanctificatione Sabbati; uti & cap.* 7. *&* 8. *ubi de mundis & immundis animalibus verba facit; tametsi ante Legem hæc præcepta erant in usu; sed Moses id voluit annotare Legis constitutæ habita ratione.*

CAPUT PRIMUM.

Brevi verborum compendio Moses opus sex dierum complectitur, creationem mundi, ejus in partes distinctionem, & ornatum.

Psal. 32. 6. & 135. 5. Eccli. 18. 1. Act. 14. 14. & 17. 24. 1. IN principio (a) creavit Deus cælum & terram.

2. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi (b): & Spiritus Dei ferebatur super aquas.

* Hebr. 11. 3. 3. Dixitque (c) Deus: * Fiat lux. Et facta est lux.

4. Et vidit Deus lucem, quod esset bona (d): & divisit lucem a tenebris.

5. Appellavitque lucem Diem, & tenebras Noctem: factumque est vespere & mane, dies unus (e).

6. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum (f) in medio aquarum: & dividat aquas ab aquis.

*Ps. 135. 6. & 145. 24. Jer. 10. 12. & 51. 15. Job 38. 4. 7. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento ab his * quæ erant super firmamentum. Et factum est ita.

8. Vocavitque Deus firmamentum, Cælum: & factum est vespere & mane, dies secundus.

9. Dixit vero Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum: & appareat arida. Et factum est ita.

* Ps. 32. 7. & 88. 11. & 135. 6. 10. Et vocavit Deus aridam, Terram, * congregationesque aquarum appellavit Maria. Et vidit Deus quod esset bonum.

11. Et ait: Germinet terra herbam virentem (g), & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.

12. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundum speciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum.

13. Et factum est vespere & mane, dies tertius.

14. Dixit autem Deus: Fiant luminaria (h) in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, & sint * in signa & tempora, & dies & annos: * Ps. 35. 7.

15. Ut luceant in firmamento cæli, & illuminent terram: Et factum est ita.

16. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præesset diei; & luminare minus, ut præesset nocti: & stellas.

17. Et posuit eas in firmamento cæli, ut lucerent super terram,

18. Et præessent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bonum.

19. Et factum est vespere & mane, dies quartus.

20. Dixit

CAPUT I. 1. (a) Vox eadem Hebræa, *Bara*, utrumque significat, creationem ex nihilo, & formationem ex subjecta materia, ut in hoc capite vers. 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam.* Unde Septuaginta vertunt eam vocem, *fecit*: adeo ut ex traditione potius Synagogæ & Ecclesiæ, nec non ex aliis Scripturæ locis, creatio ex nulla materia profertur, quam ex hac voce, *creavit*. Sed hæ voces conjunctæ cum his duabus, *In principio creavit*, seu ante omnia, productionem ex nihilo exprimunt. Sic vox illa, *Deus*, quæ Hebraice est in plurali numero, & cum verbo singulari, *creavit*, conjungitur, non propterea demonstrat personarum Trinitatem. Nam ut bene observant viri docti, hæc est linguæ Hebraicæ proprietas, ut numero multitudinis interdum utatur pro singulari: quod etiam in Græca lingua usurpatur. Quare immerito Catharinus acriter reprehendit Cajetanum, quod diverit ante Magistrum sententiarum vocem *Elohim* de Trinitate personarum explicasse neminem.

2. (b) *Invisibilis, & incomposita*. Invisibilis, inquit Theodoretus, quia aquis erat operta, incomposita, quod nondum herbis & arboribus esset decorata. Quod autem subdit, *Et tenebræ erant super faciem abyssi*, id insinuat aquam una cum terra conditam fuisse. Vox, *facies*, sæpe redundat: unde Sept. vertunt: *Super abyssum*. Theodoretus ait lucem esse substantiam, tenebras instar accidentium, ut corpus est substantia, umbra accidens. *Et Spiritus Dei ferebatur super aquas*: multi ex SS. PP. de Spiritu sancto illud intelligunt: nam, ut pulchre August. Lib. 1. de Genesi ad litteram: *Superferebatur Spiritus non loco, sed omnia superante ac præcellente potentia: sicut superfertur voluntas artificis ligno, vel cuique rei subjectæ ad operandum*. Alii, ut Theodoretus q. 7. in Genesim, spiritus nomine intelligunt aera, qui spiritus solet appellari in Scripturis, & spiritus Dei, propter illius diffusam molem, ut montes excelsi, montes Dei appellantur. Vox Hebræa non ferebatur, sed incubabat, significat: prior tamen significatio servata est ex antiqua versione, quod posterior magis Syriaca sit, quam Hebræa.

3. (c) Jussit: nam dicere Dei est jubere. *Fiat lux*, existat lux: ignis scilicet ex Gregorio Nysseno, vel, quod idem fere est, juxta recentiores Philosophos, æthereа illa substantia, ex cujus motione lux emanat. *Divisit lucem a tenebris*, non loco, sed tempore. Quanta facilitate Deus cuncta condiderit, his verbis ostendit, *Fiat lux*.

4. (d) Proposito suo congruens.

5. (e) Dies primus, naturalem diem intellige: dies autem artificialis his verbis exprimitur: *Appellavitque lucem, Diem*, appellari fecit. Eadem vox Hebræa unum & primum significat: vespere noctem, mane diem nonnulli ex Rabbinis designari volunt.

6. (f) Rabbini expansum vertunt: ipsum intelligunt aera, qui & cælum appellatur. *Dividat aquas*, nempe vapores, ubi nubes aqua gravidas, *ab aquis* inferioribus, Chrysostomus homilia 4. in Genesim exponens hunc locum, ait, nos qui docent multos esse cælos, non ex divina Scriptura, sed contra Scripturam loqui: tamen mos Scripturæ est terram, aquam & multas res singulares numero plurali exprimere. In v. 8. non legitur in Hebræo, neque in Vulgata, *Vidit Deus quod esset bonum*, probavit Deus, vel sanxit, ut perpetuo maneret, cum v. 10. id expressum fuerit. Ac subinde fieri potest, ut Græci hæc verba versioni Septuag. addiderint. Cum gentes cuncta naturæ opera ut deos colerent, ne Judæi hoc errore tenerentur, Moses singulas hujus universi partes a Deo factas commemorat.

11. (g) Hebr. *Germen fæni*, quo nomine nonnulli frumentum intelligunt, non germen, quod semen, ut iis videtur, non procreat: sed tamen omne genus herbarum recte interpretari licet.

14. (h) August. L. 2. de Genes. ad litt. cap. 4. *Multum disputant de iis rebus, quas majori prudentia nostri auctores omiserunt ad beatam vitam non profuturas discentibus, & occupantes quod pejus est, multum pretiosa, & rebus salubribus impendenda temporum spatia*. Gregorius Nyssenus existimat primo die ignem creatum, qui die quarto in sidera fuit coactus. *Dividant diem ac noctem*, luceant diversim, Sol de die, Luna de nocte; *sint in signa* naturalium mutationum, *& tempora*, quatuor anni tempestates efficiant. Chrysostom. homil. 6 & 13 negat sidera cælo infixa fuisse, sed ea proprio motu cieri contendit. Idem docet Origenes Lib. 7. contra Celsum, tametsi Philastrius hanc opinionem inter hæreses recenset: sed immerito, & temere. Origenes teste Eusebio Lib. 6. de præparat. negat stellas esse causas effectrices rerum, sed existimat signa esse omnium eventuum humanorum: quod quidem fuse refellitur ab August. Lib. 5. de Civit.

20. Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis (*i*), & volatile super terram sub firmamento cæli.

21. Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum.

22. Benedixitque eis (*k*), dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris: avesque multiplicentur super terram.

23. Et factum est vespere & mane, dies quintus.

24. Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita.

25. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, & jumenta & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum,

* Inf. 5. 1. & 9. 6. 1 Cor. 11. 7. Col. 3. 10. 26. Et ait. Faciamus (*l*) hominem * ad imaginem & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili quod movetur in terra.

* Sap. 2. 23. Eccli. 17. 1. * Matth 19. 4. 27. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: * ad imaginem Dei creavit illum, * masculum & feminam creavit eos.

* Inf. 8. 17. & 9. 1. 28. Benedixitque illis Deus, & ait: * Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.

29. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna quæ habent in semetipsis sementem

* Inf. 9. 3. generis sui, * ut sint vobis in escam:

30. Et cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & universis, quæ moventur in terra, & in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ita.

31. * Viditque Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona. Et factum est vespere & mane, dies sextus. * Eccli. 39. 21. Exod. 31. 17. Mar. 7. 37.

CAPUT II.

Hoc capite eorum quæ facta sunt die tertio & sexto, repetitio quædam, sed uberior continetur.

1. IGitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus (*a*) eorum.

2. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: & * requievit die septimo (*b*) ab universo opere, quod patrarat. * Exod. 20. 11. & 31. 17.

3. Et benedixit diei septimo, & sanctificavit illum (*c*): quia in ipso cessaverat ab omni opere suo quod creavit Deus ut faceret. Deut. 5. 14. Hebr. 4. 4.

4. Istæ sunt generationes (*d*) cæli & terræ, quando creata sunt, in die quo fecit Dominus Deus cælum & terram:

5. Et omne virgultum agri antequam oriretur in terra (*e*), omnemque herbam regionis priusquam germinaret, non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram:

6. Sed fons ascendebat e terra (*f*), irrigans universam superficiem terræ.

7. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus (*g*) spiraculum vitæ, & * factus est homo in animam viventem. * 1. Cor. 15. 45.

8. Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis (*h*) a principio: in quo posuit hominem quem formaverat.

9. Pro-

20. (*i*) Hebr. *Reptile vivens, & volatile volet super terram*. Quibus verbis non exprimitur volatilia ex aquis prodiisse. Quin etiam Vulgata id videtur innuere, aves e terra diluta formatas fuisse, cap. 2. 19. *Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cæli, adduxit* Hebr. *Super faciem firmamenti*: quo quidem illud confirmatur, firmamenti nomine aera designari, in quo aves volant.

22. (*k*) Fœcunditatem & vim prolificam iis impertiit.

26. (*l*) Negat Theodoretus Deum Angelos alloqui, qui diversæ sunt ab eo naturæ: ac Deus in Scripturis sic loquitur, ubi pluralitatem personarum insinuat. Vox illa, *Deus*, naturæ unitatem: vox, *faciamus*, personarum numerum indicat. S. Trinitas se ipsam tum manifestat, cum hominis creationem aggreditur, cujus actiones intellectuales adumbrant, quodammodo æternas Dei operationes, quibus in se ipso fœcundus est. Imago Dei est in homine anima incorporea & immortalis, cujus imaginis explicatio his verbis continetur, *ut præsit piscibus maris*: vel imago dicitur ratione substantiæ, similitudo ob dona superaddita: quanquam hæc duo idem prorsus significant. Unde versu proximo sola imaginis vox exprimitur, *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam*.

CAP. II. 1. (*a*) Hebr. *Exercitus cælorum*, seu sunt Sidera, seu Angeli.

2. (*b*) Nempe ante diem septimum, seu die sexto, ut habent Septuaginta: est enim hic terminus diei sexti, & initium septimi ineuntis, Deus complevit die septimo, cessando, quod Septuag. dicunt Deum sexto die complevisse absolvendo: *Quod patrarat*. In septimo quievit.

3. (*c*) Divino cultui dicavit: *quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit ut faceret Deus*. Septuag. *Quæ incæpit Deus facere*. Sunt qui hæc verba per anticipationem dicta velint, quod Mosis tempore hic dies jubente Deo sanctus fuerit; ut sit idem sensus, qui Exodi 20. *Sex diebus fecit Dominus cælum & terram, & requievit in die septimo; ideirco benedixit, & sanctificavit illum*. Ita Justinus martyr, Tertull. & alii: dies ille dicitur sanctificatus, seu separatus ab aliis diebus operi servili destinatis.

4. (*d*) Res productæ in cælo & in terra. *In die*, in tempore, *quo fecit Dominus cælum & terram*.

5. (*e*) Alii vertunt, *Nondum oriebatur*; cum enim Hebræi non abundent verborum modis, ut Græci & Latini, interpretes liberius tempora ipsa exprimunt, ut historiæ ordini se accommodent; simplex adeo sensus erit, Deum herbas fecisse, cum antea non essent. Deus ipse jussu suo terram primum fœcundat, plantis exornat, quam postea cultu hominum & pluviis e cælo deciduis fœcundam efficere decreverat. Sic Ecclesiam Christus ipse per se & Spiritus sancti inundationem, fœcundam fecit, quæ deinde per Apostolos & discipulos exculta est, & cælestis gratiæ rore irrigata, primum herbam, tum spicam, tandem fruges & fructus uberes extulit.

6. (*f*) Hebr. *Vapor*, ac nonnulli negationem quæ præcesserat, *& non erat qui operaretur*, supplendam hoc loco putant: ita ut hic sit sensus integer: terra herbas non proferebat, quia Deus non pluerat, neque homo erat qui terram excoleret, nec vapor qui in nubes & in pluviam concresceret.

7. (*g*) Ubi omnes sensus vigent; vel in ipsum hominem, quod vox illa, facies, interdum redundet, ut diximus: *spiraculum vitæ*, vox Hebræa animam significat. Itaque corporis & animæ origo longe diversa est, aliud e limo formatum, hæc a Deo ipso inspirata; corpus in terram, unde ortum est, *animus ad Deum redit, qui fecit illum*. Sic paucis verbis Scriptura nos docet quod Philosophorum adeo exercuit ingenia, immortalitatem scilicet animorum, & quantum homo ceteris præstet animantibus, insinuat, quod divino spiraculo animetur; hoc spiraculum cum spiritale sit, idem est incorruptum.

8. (*h*) Vox *Eden* Hebraica, voluptatem & regionem quamdam significat, sic dictam quod sit peramœna. Hinc cap. 4. dicitur Cain habitasse ad Orientalem plagam Eden; In Hebræo nulla est genitivi casus nota, ut dicatur Paradisus voluptatis; sed in ablativo casu ponitur, ut hortum illum in regione ejus nominis collocatum appareat; neque eam vocem esse ex earum genere quæ appellativæ dici solent, sed propriam loci alicujus. Sic apud Isaiam cap. 51. Dominus dicit fore ut ponat desertum, quasi Eden: & Sennacherib inter populos a se debellatos annumerat filios Eden, qui erant in Thalassar, quæ, ut docet illustrissimus Huetius in dissertatione Gallica de Paradiso terrestri, urbs est Talatha in Babylonia apud Ptolomæum, ad communem Tigris & Euphratis alveum posita. Regio Eden infra utriusque fluminis confluentem porrecta partem illius permagnæ regionis, quæ postea Babylonia dicta est, occupabat. Duæ erant in iis locis urbes insignes, Babylon & Arac, Hebr. *Erec*, quæ Genes. 10. principia

9. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulcrum visu, & ad vescendum suave: lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni & mali.

10. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum (*i*), qui inde dividitur in quatuor capita.

* Eccli. 24. 35. 11. Nomen * uni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum (*k*):

12. Et aurum terræ illius optimum est: ibi invenitur bdellium, (*l*) & lapis onychinus.

13. Et nomen fluvii secundi, Gehon: ipse est qui circumit omnem terram Æthiopiæ (*m*).

14. Nomen vero fluminis tertii, Tigris: ipse vadit contra Assyrios (*n*). Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates.

15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum (*o*):

16. Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede:

17. De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris (*p*).

18. Dixit quoque Dominus Deus (*q*): Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi.

19. Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea (*r*): omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus.

20. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & universa volatilia cæli, & omnes bestias terræ: Adæ vero non inveniebatur adjutor similis ejus (*s*).

21. Immisit ergo Dominus Deus soporem (*t*) in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea.

22. Et

cipia regni Nemrod memorantur. Hæc ad communem Tigris & Euphratis alveum sita est, ut Babylon paullo supra confluentem ad Euphratem est posita: unde ut videtur Illustriss. Episc. Abrincensi, Paradisus ille situs erat prope Hrez: quæ & Araca est apud Ptolemæum, Lib. 6. cap. 3. *A principio*, vox Hebraica Orientem significat. Unde Sept. & antiqua versio Itala sic vertunt, *Plantaverat autem Dominus Paradisum in Edem ad Orientem*; vel contra Orientem, quod hortus ille esset ad Orientalem plagam provinciæ Eden situs. Hieronymus vero per hæc verba *a principio*, id intelligit, primis diebus ante formationem hominis: utraque explicatio ab ipso contextu non abludit. *In quo posuit hominem quem formaverat*, alii legunt, quem formavit.

10. (*i*) Non quod fluvius in Paradiso nasceretur, sed quia ex ea regione in Paradisum manabat; vox enim Hebræa decursum fluminis, non originem designat. Eden & Paradisus sunt duo inter se distincta, ut totum & pars. Unde facet textus insinuat fluvium ab uno in alium manare locum. Paradisus ad alveum Tigris & Euphratis communem positus erat, qui nunc fluvius Arabum nominatur: hic provinciam Eden prius alluebat, quam Paradisum. *Qui inde dividitur in quatuor capita*. Fluvius ille egressus ex Eden divisus erat in quatuor capita, seu quatuor initia fluminum: unde a Sept. ἀρχὰς, seu principia vocitantur, quod ingens ille fluvius, postquam irrigasset hunc deliciarum hortum, in quatuor abiret canales, qui postea suis nominibus exprimuntur.

11. (*k*) Hebr. *Chavilath*, quæ regio duplex est, una ad plagam Orientalem sinus Arabici; altera quæ nomen suum a filio Chus sumpsit, ad plagam Occidentalem sinus Persici. Unde lib. 1. Reg. cap. 15. duo extrema Arabiæ Sur & Chavilath designantur. Sur vero est desertum Ægypti prope sinum Arabicum. Quare necesse est, ut aliud extremum Arabiæ sit Chavilath ad Orientem Arabiæ, & Occidentem sinus Persici, ubi est Phison seu canalis Euphratis Occidentalis. Hunc fluvium, quia Tigridi jungitur, servata nominis proprietate Pasitigrim vocari a Plinio L. 6. cap. 29. opinatur Grotius. Aliis vero notis illum designat Moses: *Ubi nascitur aurum, & aurum illius terræ optimum est*. Hinc Psalm. 72. *Et dabitur ei de Auro Arabiæ*.

12. (*l*) Septuag. Interpr. vertunt *Carbunculum*, Hebræi Unionem. His favet locus Num. 11. v. 7. ubi Manna dicitur fuisse colore bdellii: aliis videtur esse quoddam aromatis genus. *Et lapis Onychinus*. Plinius L. 35. cap. 7. ait veteribus persuasum esse Onychem non alibi quam in montibus Arabiæ reperiri: gemma est ab unguis colore dicta: placet aliis eam gemmam esse Corallinam. Sed objicit vir doctus hæc verba, *Ibi invenitur bdellium*, ab alio scriptore quam a Mose addita fuisse, cum Moses ex Ægypto & vicinioribus locis egressus non fuerit, ut dissitas adeo regiones notas haberet, quidve in iis esset singulare cognosceret, nec verisimile sit ex speciali revelatione id rescivisse. At facilis est responsio, ex Ægypto in omnes circumpositas regiones commercia extitisse, idque in primis innotescere, unde aurum, vel argentum, vel gemmæ asportentur. Sed neque illud absurdum videri potest, hæc ipsum uti alia longe a nostra cognitione remota Mosi fuisse revelata.

13. (*m*) Hebr. *Omnem terram Chus*. Tres in Scriptura provinciæ eo donabantur nomine, duæ priores citra & ultra sinum Arabiæ sunt positæ; una ex iis Occidentem versus, altera ad Orientem est collocata: tertia regio ejus nominis est Susiana provincia, quam Tigris alluit. Illius Metropolis erat Susa: eadem provincia Fluminis nomine donata est, eaque ad Occidentalem sinus Persici regionem protenditur. Hanc Arabes, *Curestan*, vocant, vulgo *Cusestan*, voce composita ex Chus & terminatione Persica. L. 4. Reg. cap. 17. v. 24. Cutha dicitur. Hinc Salmanasar aut ejus successor coloniam deduxit, quæ Samariæ regiones incoleret: unde postea Samaritani Cuthæi dicti sunt. Gehon a Plinio Armalca, ab Ammiano Marcellino Lib. 23. Naarmal, seu flumen Regis vocitari, ait Grotius.

14. (*n*) Tigris & Euphrates noti sunt, ille ad Orientem, hic ad Occidentem, ambo ex Armenia majori orti: horum fontes 100 & amplius leucis Gallicis inter se distant. Assyria vero vel stricta significatione pro ea provincia, cujus caput erat Ninive, vel latiore significatu pro regno Assyriorum accipitur. Tigris contra Assyrios tendere dicitur. Paradisi terrestris, non prostantis habita ratione. Tigris Hebr. *Kiddekel*, tum *Diglito*, quod vocabulum est apud Plinium L. 5. c. *Ipse vadit contra Assyrios*, Hebr. in conspectu Assyriæ. *Euphrates*, qui cum esset satis cognitus, insigni nota non fuit a Mose designatus. Paradisum vero eo loco positum fuisse, hinc licet conjicere, quod nulla sit regio amœnior. Babylonia usque ad Sinum Persicum excurrebat, fertilitate sua spectabilis, præsertim ex utraque parte communis alvei prope urbem Apameam, ex Ptolomæo. Insulam *Chader* amœnissimam, ut vox ipsa innuit, Phison & Geon intercipiunt, ac primos homines eam terræ plagam habitasse hinc colligimus, quod Cain urbem ad Orientem Eden ædificaverit. Sed missis conjecturis, ad textum ipsum redeamus: nam ut præclare August. L. 8. de Genesi ad litter. *Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis*. Id vero tenendum est de Paradiso voluptatis, omnia quæ de illo scripta sunt hoc capite, & litteralem & spiritalem habere sensum: neque enim unus alterum excludit. Hinc August. L. 13. de Civit. cap. 21. *Paradisum allegorice esse Ecclesiam ipsam docet, sicut de illa legitur in Cantico Canticorum. Quatuor Paradisi flumina, quatuor Evangelia; ligna fructifera, Sanctos omnes; fructus, opera eorum; lignum vitæ, Sanctum sanctorum utique Christum Dominum; lignum scientiæ boni & mali, proprium voluntatis arbitrium. Hæc & si quæ alia commodius dici possunt de intelligendo spiritaliter Paradiso, nemine prohibente dicantur, dum tamen & illius historiæ veritas fidelissima rerum gestarum narratione commendata credatur*. Paradisum vero jam non extare probabilius videtur, cum regiones illæ satis notæ sint. Quod enim objici solet locus Eccles. cap. 44. ubi ait Enoch translatum esse in Paradisum, Estius apte respondet, vocem Paradisi in Græco deesse. Hanc sententiam referunt SS. PP. sed eam ad fidem pertinere non ajunt: & quidem diluvium multa immutavit & abolevit.

15. (*o*) Non hominem, sed Paradisum, quod in Hebr. pronomen affixum sit femininum. *Vides*, inquit Mariana, *ne in Paradiso quidem Deum velle locum esse otio & ignaviæ*.

17. (*p*) Vertit Symmachus, *mortalis eris*: ex Hieron. in tradition. Hebr. necessitati mortis obnoxius eris.

18. (*q*) Dixerat sexto die.

19. (*r*) Quomodo vocaret. *Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus*: seu ea nomina Mosis tempore usitata ab Adamo sint instituta, seu naturæ cujusque animalis aptata fuerint. Deus adduxit ad Adamum, tanquam ad regem eorum, cui nota esse oportuit, quo illa regeret; hocque fuit dominii signum.

20. (*s*) Ipsi interpretes sacri & Latinus pronomina demonstrativa pro reciprocis interdum sumunt. Hebr. *Non invenit*, Adam ipse, *adjutorium quod esset coram se*, non inveniebatur inter res hactenus creatas quicquam simile illi.

21. (*t*) Sept. Interpr. vertunt ἔκστασιν; somnum verum, sed cum divina mentis illustratione: nam expergefactus Adam illud vaticinatum, quod fecit ut statim protulit. Costa autem illa, ut docet S. Thomas, fuit de perfectione Adæ, ut erat principium speciei, non ut erat individuum.

22. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam.

* 1.Cor.11. 9. 23. Dixitque Adam. * Hoc nunc os ex ossibus meis (*u*), & caro de carne mea: hæc vo-
Matth. 19. cabitur Virago, quoniam de viro sumpta est.
Marc.10.7. 24. Quamobrem relinquet homo patrem suum,
Ephes.5.31. & matrem, & adhærebit uxori suæ: * & erunt
1.Cor.6.16. duo in carne una (*x*).

25. Erat autem uterque nudus, Adam scilicet & uxor ejus: & non erubescebant.

CAPUT III.

De lapsu primorum parentum hoc in capite in primis disserit Moses.

1. SEd & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ (*a*), quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi?

2. Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur (*b*):

3. De fructu vero ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur (*c*).

* 2.Cor.11. 3. 4. Dixit autem serpens ad mulierem: * Nequaquam morte moriemini.

5. Scit enim (*d*) Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut dii, scientes bonum & malum.

6. Vidit igitur mulier (*e*) quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulcrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & * comedit: deditque viro suo, qui comedit. * Eccli.15. 11.

7. Et aperti sunt oculi (*f*) amborum: cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. 1. Tim.2. 14.

8. Et cum audissent vocem Domini (*g*) Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni Paradisi.

9. Vocavitque Dominus Deus Adam (*h*), & dixit ei: Ubi es?

10. Qui ait: Vocem tuam audivi in Paradiso: & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.

11. Cui dixit: Quis enim indicavit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?

12. Dixitque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.

13. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decepit me, & comedi.

14. Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia (*i*), & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.

15. Ini-

23. (*u*) Quæ Adæ verba Matth. 19. Deo tribuuntur, quod divino afflatu dicta fuerint. Hine liquet non costam sine carne sumptam, nec reliquam carnem sine osse. *Et caro de carne mea.* Hinc Paulus Ephes. 5. *Mysterium hoc magnum est; ego autem dico in Christo & Ecclesia.* Adam enim sopore correptus figurabat Christum in cruce obdormientem; Heva Ecclesiam ex illius latere non factam, sed ædificatam. *Ex ossibus meis*, velut ex me genita. Punici ex ossibus dicunt orti posteros, quos nos e sanguine: Punica autem lingua est Hebrææ proxima, ita Grotius. *Hæc vocabitur virago*, virilis anima femina: hinc plerique probant, linguam Hebraicam usum esse Adamum, nam in ea sola feminæ nomen a viri nomine dicitur: *Ischah*, nimirum. Romani feminas olim vocabant viras.

24. (*x*) Hebr. & Græc. *In carnem unam*, seu caro una: sunt autem una caro non in substantia, sed in usu Matrimonii; alii videtur in prole ipsa: falsum est quod ait Calvinus, hæc verba Mosis esse: sunt enim Adami voces.

CAP. III. 1. (*a*) August. L. 11. de Genesi ad litt. verum serpentem fuisse, & intra eum dæmonem locutum docet. Serpens vero ut idem ait L. 14. de Civit. cap. 11. *Est animal lubricum, tortuosis anfractibus mobile, & ideo tali operi congruum: non tam ex se ii callidior erat, quam ex ipso diabolo, qui serpente ut suæ perversitatis instrumento utebatur.* Forte Heva initio serpentis colloquium exhorruit: sed ille sensim metum depulit. Cyrillus L. 3. contra Julianum docet, Hevam putasse non assentiendo, sed cogitando secum, num forte serpenti inesset loquendi facultas; aut suspicata est id majori vi fieri; metus omnis aberat, nondum enim peccaverat. Quod autem ait Lutheaus, serpentem antequam puniretur, animantem fuisse egregiæ formæ, & duobus incedentem pedibus, negatur plane. Servius ad lib. 2. Georg. alios repere toto corpore, alios erigi corporis parte tradit: quosdam arborum ramis vibrari docet Plinius Lib. 8. 23. *Cur præcepit vobis?* Divinis præceptis acquiescere debemus, non eorum rationes inquirere.

2. (*b*) Vesci possumus.

3. (*c*) Quasi rem dubiam profert, quod Deus ut certum edixerat: sic Dei verba pervertit. *Et ne tangeremus illud*, de tactu nihil dixerat Deus: mox tactum experta innoxium, idem de gustu speravit.

5. (*d*) Sed scit: particula enim apud Hebræos sæpe est adversativa. *Eritis sicut dii*, &c. verti potest, ut Deus, similes Deo. Hoc donum precibus impetrare debuerant ad usum imperii sibi divinitus dati, non ausu temerario id sumere. Quod si independentiam quamdam affectarunt, merito quæri solet, quomodo primus homo id potuerit expetere, quod noverat impossibile. Respondet S. Thomas 1. part. quæst. 63. art. 1. idem accidisse homini, quod malis Angelis. *Et hujusmodi*, inquit, *peccatum superbiæ non præexigit ignorantiam, sed absentiam solum considerationis eorum quæ consideravi debent; & hoc modo Angelus peccavit convertendo se per liberum arbitrium ad proprium bonum, absque ordine ad regulam divinæ voluntatis.* Ex iis, quæ hoc capite continentur, mulierem a viro edoctam Dei præceptum liquet, eamque multiplici nomine peccasse. 1. Quod serpenti de præcepto Dei male disserenti aures præbuerit, cum eo otiosa miscens colloquia; 2. Quod pravum serpentis consilium non statim respuerit; 3. Quod de re ipsa judicaverit, non ex lege Dei, sed ex iis quæ ipsi apparebant; 4. Quod a serpente victa, illius in pervertendo homine ministra fuerit; hic vero præpostera debilitate peccavit factus uxoris suæ discipulus: uterque ex superbia peccavit resistendo Deo.

6. (*e*) Putavit; sæpe enim hoc sensu accipitur hoc verbum.

7. (*f*) August. L. citato cap. 23. *Ad cognoscendum bonum quod amiserant, & malum in quod incurrerant, aperti sunt oculi memoris. Cumque cognovissent se esse nudos.* Chrysost. hom. 16. in Genesim. *nempe caperti rebellionem membrorum, quæ vel hoc merito esset tegenda.*

8. (*g*) Angelorum ministerio formatum esse corpus deambulantis & vocem proferentis, verisimile est. Flagitium tenebras amat. *Ad auram post meridiem.* Hebr. *Ad auram diei*, ubi tempus inclinari jam diei aderat, cum motus quidam nemoris insolitus Dei præsentiam indicabat. Hoc præter cetera incredulos offendit, quod serpens primos parentes ut pueros deceperit; quod Deus ob unum fructus vetuerit, quasi rem magni momenti, quod leviorem culpam adeo severe punierit, ut pœnas in posteros eorum transferret. Sed ista & alia hujus generis, quæ ad peccatum primorum parentum spectant, suo loco discussa sunt, ubi de peccato Originis tractatum fuit in Theologia speculatrice & practica. Id unum repeto, hominem corruptum cupiditate, ignorantia & infirmitate inquinatum, ut experientia & ratio docent, sic a Deo conditum non esse: ac nihil æquius fuisse, quam ut Deus eum ad finem homini consentaneum, ut res ceteras perduceret; id vero factum fuit per legem divinam, qua voluntatem suam homini ratione prædito manifestam fecit. Quæ lex naturalis esse non potuit: nulla quippe erat materia, in qua suam exerceret obedientiam, cum nihil esset in homine, quod cum illa lege pugnaret. Itaque opus fuit lege aliqua positiva, cui obediendo subjectionem suam conftiteri Deo declararet: præceptum fuit facillimum, & pœna justissima.

9. (*h*) Tertull. Lib. 2. contra Marc. Interrogat Deus quasi incertus, ut det Adæ locum confitendi delictum, & hoc nomine relevandi: *Quis enim indicavit tibi, quod nudus esses?* Antea non senserat se nudum esse: sic enim creatus fuerat: non erat cur erubesceret: sed non obediens Deo non potuit obedire nec sibi. August. L. 14. de Civit. cap. 24.

14. (*i*) Hebr. *Ab omnibus*, seu præ omnibus: quia fuisti instrumentum decipiendæ mulieris, ideo in toto genere animantium terrestrium eris maxime contemptus & vilis. August.

15. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum (*k*) & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.

16. Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus (*l*) tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, * & ipse dominabitur tui. * 1.Cor.14. 34.

17. Adæ vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta (*m*) terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.

18. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ.

19. In sudore vultus tui vesceris pane, donec reverraris in terram, de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

20. Et vocavit Adam nomen uxoris suæ, Heva: eo quod mater esset cunctorum viventium.

21. Fecit quoque Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos:

22. Et ait: Ecce Adam quasi unus ex nobis (*n*) factus est, sciens bonum & malum: nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.

23. Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est.

24. Ejecitque Adam, & collocavit ante Paradisum (*o*) voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.

CAPUT IV.

De filiis Adami eorumque posteris hoc in capite disserit Moses, qui tres filios Adami enumerat: plures eum habuisse ex textu ipso colligitur.

1. ADam vero cognovit uxorem suam (*a*) Hevam: quæ concepit, & peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum.

2. Rursumque peperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel pastor ovium, & Cain agricola (*b*).

3. Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.

4. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum (*c*): & respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus. Hebr.11.4.

5. Ad Cain vero, & ad munera illius non respexit (*d*): iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus ejus.

6. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies tua?

7. Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit (*e*)? sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.

8. Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras (*f*). Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, & * interfecit eum. * Sap.10.3. Matth.23.35. 1.Joann.3.12. Judæ v.11.

9. Et ait Dominus ad Cain: Ubi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio: Num custos fratris mei sum ego?

10. Dixitque ad eum: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

11. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.

12. Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris super terram.

13. Dixitque Cain ad Dominum: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.

14. Ecce ejicis me hodie a facie terræ (*g*), & a facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur qui invenerit me, occidet me.

15. Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet; sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punie-

gust. l. 2. de Genesi contra Manich. capit. 17. Hæc videntur figurato sensu ad serpentem, proprio ad angelum apostatam sensu pertinere, qui infra bestiarum sortem redactus super pectus suum graditur, & terram comedit: cum enim sic superbia intumescit, ad terram usque deprimitur. Quamquam forte non nova pœna decernitur, sed antiqua renovatur. Deus enim serpenti loquitur, & per eum diabolo latenti in eo. Hinc, ut optime vir doctus, quædam dicit quæ proprie serpenti conveniunt, quale est illud, *Super pectus gradieris*; quædam quæ proprie diabolo competunt, quale est illud, *Inimicitias ponam*.

15. (*k*) Hebr. *Ipsum*, semen nimirum mulieris, quod est verum de Christo vaticinium. LXX. *Ipse*, quod eodem recidit.

16. (*l*) Ærumnas e conceptu, frequens Hebræis figura. Inter omnia feminini sexus animantia maxime in partu vexatur mulier. *Sub viri potestate eris*, ea locutio ejus quam homo appetit libertatis imminutionem significat.

17. (*m*) Non erit quasi Paradisus, qui te sponte natis alebat, vegetumque præstabat; sed subacta multo labore fructus proferet. *In opere tuo*, Hebr. propter te; & ita vertit Aquila.

22. (*n*) Ironice dictum, ut & illa, *Ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum*. LXX. *In ævum*, in longum tempus. Et ait, Angelis; *quasi unus ex nobis*: nam scire multa est quid Divinum, & Angelicum.

24. (*o*) Collocavit: ex LXX. Cherubim, ex Hebræo Angelos humana specie indutos, & flammeum gladium portantes, seu gladios: erant enim plures Angeli. Alii volunt igne circumdatum Paradisum. Procopius ait, Cherubim positos adversus dæmones, ignem ad arcendos homines: hæc autem de gladio metaphorice, nempe de viribus & potentia Angelorum ab aliis intelliguntur. *Flammeum gladium*, igne impervium & obseptum Paradisum significat. Est in Babylonia tractus interdiu flagrans, teste Plinio Lib. 2. c. 109. est etiam ibi tractus naphtha plenus, qua de re Plutarchus in vita Alexandri. Theodorus apud Theodoretum in ea est opinione, ut putet non virtutes cælestes, sed visa quædam terribilia quarumdam animalium posita ante Paradisum, quæ arcerent Adamum ab ingressu.

CAP. IV.

1. (*a*) Scriptura solet honesto vocabulo maritalem copulam designare. *Dicens, Possedi hominem per Deum*; Cain interpretatur possessio Dei. Hæc pia nominum impositio, studium parentum & gratum animum erga Deum indicat: ac forte peccatum originis ea parentum fide signo aliquo iis expressa celebatur.

2. (*b*) Antiquissima sunt illa duo vitæ genera.

4. (*c*) Adeps id omne vocatur quod est in re quaque optimum. *Et respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus*, igne de cælo misso. Unde Theodotius vertit, inflammavit, sensum magis quam verba est secutus. Prius Abelem quam munera, offerentis pietatem magis quam dona respexit Deus.

5. (*d*) Propter odium fraternum, Irenæus lib. 4 cap. 34. deinde bona terræ, non se ipsum prius obtulit Deo; erectus vultus est signum bonæ conscientiæ.

7. (*e*) Vox, *Autem*, deest in Hebræo, punitio in foribus præsto futura est, ad portam Judicis aderit. LXX Nonne si recte obtuleris, non recte autem diviseris, peccasti? Oblata quidem sunt a Caino quæ fas erat offerre; sed non optima. *Sed sub te erit appetitus ejus*, peccati videlicet: *Et tu dominaberis illius*, ubi libertas & dominium in actiones nostras manifeste homini tribuuntur. Non poteris peccatum occultare, sed neque tibi vim afferet. Interdum enim in Scripturis relativum refertur ad substantivum in aliquo nomine præcedenti intellectum; ac quandoque mutatur nominis significatio, cum ea sub relativo nomine latet, ut in hoc ipso loco. *In foribus peccatum aderit*, pœna peccati: in his autem verbis. *Sub te erit appetitus ejus*; vox ejus, refertur ad peccatum, prout concupiscentiam significat.

8. (*f*) Hæc verba desunt textui: ex antiqua versione servata sunt: LXX. *Egrediamur in agrum*: si desint hæc verba, sensus pene mutilus erit: leguntur in Samaritano Codice.

14. (*g*) In qua natus sum. Adamus pudore suffusus se excusat, sed crimen suum fatetur: Cain vero nec faciem Dei erubescit, nec crimen confitetur, nec dominum de admisso dolet fratricidio, sed de pœna tantum, atque id unum timet ne moriatur.

punietur (*h*). Posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum.

16. Egressusque Cain a facie Domini, habitavit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden.

17. Cognovit autem Cain uxorem suam, quæ concepit, & peperit Henoch: & ædificavit civitatem (*i*), vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui, Henoch.

18. Porro Henoch genuit Irad, & Irad genuit Maviael, & Maviael genuit Mathusael, & Mathusael genuit Lamech.

19. Qui accepit duas uxores (*k*), nomen uni Ada, & nomen alteri Sella.

20. Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum.

21. Et nomen fratris ejus Jubal: ipse fuit pater canentium cithara & organo.

22. Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri. Soror vero Tubalcain, Noema.

23. Dixitque Lamech uxoribus suis Adæ & Sellæ: Audite vocem meam uxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum (*l*).

24. Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech vero septuagies septies.

25. Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam: & peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.

26. Sed & Seth natus est filius, quem vocavit Enos: iste cœpit invocare nomen Domini (*m*).

CAPUT V.

Chronologia a Seth usque ad Noemum producitur, cum reliqui Adami posteri in diluvio perierint.

1. HIc est liber generationis Adam (*a*). In die qua creavit Deus hominem, * ad
* Sap. 2. 24. Eccli. 17. 1. Sap. 1. 28. Inf. 9. 6. similitudinem Dei fecit illum.

2. Masculum & feminam creavit eos, & benedixit illis: & vocavit nomen eorum Adam (*b*), in die quo creati sunt.

3. Vixit autem Adam centum triginta annis (*c*), & genuit ad imaginem & similitudinem suam; vocavitque nomen ejus Seth.

4. Et facti sunt dies * Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni: genuitque filios & filias (*d*). * 1. Par. 1. 1.

5. Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est.

6. Vixit quoque Seth centum quinque annis, & genuit Enos.

7. Vixitque Seth postquam genuit Enos, octingentis septem annis, genuitque filios & filias.

8. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus est.

9. Vixit vero Enos nonaginta annis, & genuit Cainan.

10. Post cujus ortum vixit octingentis quindecim annis, & genuit filios & filias.

11. Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus est.

12. Vixit quoque Cainan septuaginta annis, & genuit Malaleel.

13. Et vixit Cainan postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque filios & filias.

14. Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, & mortuus est.

15. Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis, & genuit Jared.

16. Et vixit Malaleel postquam genuit Jared, octingentis triginta annis, & genuit filios & filias.

17. Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, & mortuus est.

18. Vixitque Jared centum sexaginta duobus annis, & genuit Henoch.

19. Et vixit Jared postquam genuit Henoch, octingentis annis (*e*), & genuit filios & filias.

20. Et facti sunt omnes dies Jared nongenti sexaginta duo anni, & mortuus est.

21. Porro Henoch vixit sexaginta quinque annis, & genuit Mathusalam.

22. Et ambulavit Henoch cum Deo: & vixit postquam genuit Mathusalam, trecentis annis, & genuit filios & filias.

23. Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni.

24. Am-

15. (*h*) Numerus certus pro incerto, id est, graviter punietur. *Posuitque Dominus Cain signum*: quodnam illud fuerit, ignoratur; an tremor corporis, an animi dejectio.

17. (*i*) Fuit multos annos e rudi materia, præ ferarum & hominum metu.

19. (*k*) Primus legem monogamiæ violavit Lamech.

23. (*l*) Locus admodum obscurus: neque enim liquet, quis ille vir fuerit, quis juvenis. Id autem ex futuro mysterio fuisse prætermissum, a prudentibus æstimari ait Severus Sulpicius initio historiæ sacræ. Traditio Hebræorum hæc est, ex Hieron. Cainum a Lamech occisum, quem feram putabat: ab adolescente is fuit admonitus, quo errore commoto effecit illum in adolescentem. *Septuplum ultio dabitur de Cain*. Hebr. *Septuplum vindicabitur Cain*. Numerus finitus pro infinito. Lamech homicida solatur uxores, ne timeant de illius nece: sed ita interpretari licet: *Occidi virum in vulnus meum*, per vulnera a me inflicta: sic Job 34. *Sagitta mea*, qua scilicet transfigor. Nam pronomen possessivum, cujusmodi est meum, vel tuum, in Hebræo non distinguitur a primitivo, ego, tu, &c. Unde interdum usurpatur ab interprete loco primitivi, tum active, tum passive. Lamech occidit juvenem; pœnam quam merebatur non subiit ob confessionem, ex Theodoreto.

26. (*m*) Hebr. *tunc cœptum est invocari nomen Domini*: vel Enos auctor fuit, ut nova aliqua restaque ratione ac ritu Deus coleretur; vel denique cœpit appellari nomine Domini, ut Dei ad homines legatus. Aquila interpretatur, tunc vocari cœpit nomine Domini.

CAP. V.

1. (*a*) Hæc est enumeratio posterorum Adam: nam vox Hebræa *Sepher*, librum & numerum significat.

2. (*b*) Vox illa est communis utrique sexui, ut homo apud Latinos, ἄνθρωπος apud Græcos: nomen itaque est appellativum & proprium: hoc loco est appellativum.

3. (*c*) Jam Sept. Interpretum supputatio ab Hebraica discrepare incipit: nam illi 230. annos numerant, cum genuit Seth.

4. (*d*) Itaque Adam alios genuit liberos præter eos qui recensentur.

19. (*e*) Sept. Interpretes consentiunt cum Hebr. in numero annorum, quo Jared genuit Enoch. *Et ambulavit Enoch cum Deo, & non apparuit*; more Scripturis usitato, justus fuit: *Et non apparuit*, Hebr. *& non ipse*, non comparuit amplius inter homines. Epist. ad Hebr. *Fide Enoch translatus est ne videret mortem*; ea est Augustini & quorumdam Patrum sententia, fore ut una cum Elia Antichristo resistat. Ejus librum Judas Apost. citat: hinc August. Lib. 18. de Civ. c. 38. *Scripsisse nonnulla divina Enoch illum septimum ab Adam negare non possumus, cum hoc in Epistola Canonica Judas Apostolus dicat*. Verum idem nos admonet librum, qui suis temporibus Enoch nomine inscriptus erat, apocryphum fuisse; neque hunc librum Judæi in suum Canonem admiserant. Hinc Tertull. Lib. de Habitu Mul. *Scio Scripturam Enoch non recipi a quibusdam, quia nec in armarium Judæorum admittitur*.

24. Ambulavitque cum Deo, & non apparuit: (f) quia tulit eum Deus.

25. Vixit quoque Mathusala centum octoginta septem annis, (g), & genuit Lamech.

26. Et vixit Mathusala, postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis (h), & genuit filios & filias.

27. Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni, & mortuus est.

28. Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit filium:

29. Vocavitque nomen ejus Noe, dicens: Iste consolabitur (i) nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.

30. Vixitque Lamech, postquam genuit Noe, quingentis nonaginta quinque annis, & genuit filios & filias.

31. Et facti sunt omnes dies Lamech, septingenti septuaginta septem anni, & mortuus est. Noe vero, cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Japheth.

CAPUT VI.

Ob merum corruptionem diluvium a Deo decernitur; Arca in hanc rem paratur a Noemo.

1. CUmque cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent,

2. Videntes filii Dei (a) filias hominum quod essent pulcræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.

3. Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine (b) in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum.

4. Gigantes autem erant super terram in diebus illis: postquam enim ingressi sunt filii Dei (c) ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes a sæculo viri famosi.

5. Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, * & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum (d) omni tempore, * Inf. 8. 21. Matth. 15. 19

6. Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus,

7. Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cæli: pœnitet enim me fecisse eos.

8. Noe vero invenit gratiam coram Domino.

9. Hæ sunt generationes Noe: * Noe vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis (e), cum Deo ambulavit. * Eccli. 44. 17.

10. Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Japheth.

11. Corrupta est autem terra coram Deo (f), & repleta est iniquitate.

12. Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram)

13. Dixit ad Noe: Finis universæ carnis venit coram me: repleta est terra iniquitate a facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.

14. Fac tibi arcam de lignis lævigatis (g): mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus, & extrinsecus.

15. Et sic facies eam: Trecentorum cubitorum (h) erit longitudo arcæ: quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius.

16. Fene-

24 (f) Codex Samaritanus; *Accepit eum Angelus ejus*. Theodoretus huic quæstioni, quo translatus fuerit Enoch, sic respondet, Non inquirenda sunt, quæ silentio sunt tradita, sed veneranda quæ scripta sunt. Textus Samaritanus cum Hebraico in supputatione annorum omnino convenit; versio LXX. discrepat. Nam 100. annos ætatis unicuique generationi addit, uti & cap. 11. Unde merito conjicit P. Tournemine S. J. in diariis Trevol. errorem irrepsisse in versionem LXX. exscriptorum vitio, cum ambo textus & Samaritanus & Hebraicus inter se consentiant, quod varietas lectionis in MSS. LXX. confirmat. Nec additio illa 100. annorum cum textu Hebraico & MSS. Samaritanis conciliari potest. Hieronymi temporibus ab Hebraico textu non dissidebant inter se codices MSS. Samaritani, nunc dissentiunt in numero annorum Jared, Mathusale, & Lamech: sed illa varietas a scribis orta est. Uterque textus Hebraicus & Græcus tribuunt Jared 165 annos, antequam nasceretur Enoch, Samaritanus 62. tantummodo numerat, atque minor illi fides habenda est, quam textui Hebræo & versioni LXX. inter se consonis.

25. (g) In Græca versione Complutensi numerantur tantum 167 & hinc: nam vixisset 16. annis post diluvium. August. *Non solum quippe in Hebræis aliter invenitur, verum etiam in LXX. interpretatione Mathusalam in paucioribus codicibus, sed veracioribus, sex annos ante diluvium reperitur fuisse defunctus.*

26. (h) In Græco adduntur sex anni, de vita universa Lamech subtrahuntur anni 24.

29. (i) Sept. Interpr. quiescere faciet.

CAP. VI 2. (a) Filii Seth, non Angeli, ut in quibusdam exemplaribus LXX. legi testatur August. Lib. 15. de Civit. cap. 23. non etiam filii Principum, aut Potentum, quod vox Elohim interdum deos, aut Principes significet; nam majus quiddam erat eorum flagitium: sed filii Dei; erant veri Dei cultores, filii hominum Cainitæ. Tum enim jam duæ civitates, altera Dei & Justorum, altera hominum erant designatæ, ex August. Loc. citato cap. 1. *Natus est itaque prior Cain ex illis duobus generis humani parentibus, pertinens ad hominum civitatem; posterior Abel ad civitatem Dei: sed cum Abel nullam prolem reliquerit, in ejus locum Seth fuit substitutus.* Illud familiare est Hebræis, fortes & præstantes homines Dei filios nominare. Unde Ambrosius de Noe & Arca, cap. 4. *Gigantes, non e terra, sed ex angelis & mulieribus esse generatos*, sequitur translationem LXX. per angelos tamen viros fideles & justos intelligit, ut ipse se se explicat eodem in loco. Idque fusius prosequitur August. in Lib. 2. super Genes. quæst. 3. *Quod essent pulcræ*, oculis magis quam auribus de uxoribus judicantes. Prima in conjugiis malorum labes est, cupiditatem, non rationis, aut pietatis judicium sequi, formam tantummodo, non virtutem in uxore quærere. Hinc prava liberorum educatio; filii Dei in filios hominum degenerant, & caro fiunt.

3. (b) Ita sepe Symmachus, *non judicabit*: alii, *non litigabit*, quasi Deus noli amplius cum homine litigare, eum coercendo: non permittam eos diu admodum vivere. *Eruntque dies illius* 120. annorum. Quorum verborum duplex sensus afferri potest, vel homines deinceps ultra 120. annos, nisi paucis exceptis, non esse victuros, vel post 120. annos homines diluvio esse delendos. *Non permanebit*, nolo ut permaneat in hominibus hujus ævi, in æternum, per multa tempora. *Quia caro est*, carnis illecebris omnino deditus.

4 (c) Vertit Aquila, Violenti, seu oppressores hominum. Gigantes dictos a robore, ait Drusius in Proverbiis sacris, quod aliis terrorem incuterent ob vastam corporum magnitudinem.

5. (d) Loquitur Scriptura per Antropopathiam. LXX. recogitavit *Deus*, juste irascens peccatis hominum, decrevit eos delere diluvio, quasi opus suum aversatus, ut vertit Symmachus. Notant Interpretes tria mysteria nobis allegorice commendari in diluvio & arca. 1. Salutare lavacrum, 1. Pet. 3. 2. Ecclesiam, quæ per arcam designatur, extra quam nulla est salus. 3. Lignum Crucis, per quod salutem consequimur.

9 (e) Præ aliis suæ generationis, aut suæ ætatis. Non justus modo, sed & perfectus, qui in tanta hominum perversitate integer vitæ fuit, & sanctus.

11. (f) Vere & vehementer, ut Nembrod robustus venator dicitur coram Domino.

14. (g) Sept. Interpr. Quadratis, politis & dolatis.

15. (h) Vox Hebræa non modo cubitum, sed etiam præcipuam mensuram, ad quam aliæ referuntur, significat; longitudo arcæ decupla erat altitudinis, capacitas erat 450000 cubitorum.

16. Fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem ejus (*i*): ostium autem arcæ pones ex latere: deorsum, cœnacula, & tristega facies in ea.

17. Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cælum: Universa quæ in terra sunt, consumentur.

18. Ponamque fœdus meum tecum (*k*): & ingredieris arcam tu & filii tui, uxor tua & uxores filiorum tuorum, tecum.

19. Et ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in arcam, ut vivant tecum: masculini sexus & feminini.

20. De volucribus juxta genus suum, & de jumentis in genere suo, & ex omni reptili terræ secundum genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum, ut possint vivere.

21. Tolles igitur tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt, & comportabis apud te: & erunt tam tibi quam illis in cibum.

22. Fecit igitur Noe omnia, quæ præceperat illi Deus.

CAPUT VII.

Tempus inundationis, & ingressus in arcam describitur.

1. Dixitque Dominus ad eum: Ingredere tu (*a*), & omnis domus tua in ar-
* Hebr. 11. cam: te enim * vidi justum coram me in ge-
7. 2. Petr. 2. 5. neratione hac.

2. Ex omnibus animantibus mundis tolle septena & septena (*b*) masculum & feminam: de animantibus vero immundis duo & duo, masculum & feminam.

3. Sed & de volatilibus cæli septena & septena, masculum & feminam: ut salvetur semen super faciem universæ terræ.

4. Adhuc enim, & post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus: & delebo omnem substantiam, (*c*) quam feci, de superficie terræ.

5. Fecit ergo Noe omnia, quæ mandaverat ei Dominus.

6. Eratque sexcentorum annorum, quando
*Matth. 24. diluvii aquæ inundaverunt super terram *.
38. Luc 17. 26. 7. Et ingressus est Noe & filii ejus, uxor
1. Petr. 3. ejus & uxores filiorum ejus cum eo, in arcam
20. propter aquas diluvii.

8. De animantibus quoque mundis & immundis, & de volucribus, & ex omni quod movetur super terram,

9. Duo & duo ingressa sunt ad Noe in arcam, masculus & femina, sicut præceperat Dominus Noe.

10. Cumque transissent septem (*d*) dies, aquæ diluvii inundaverunt super terram.

11. Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimodecimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ (*e*), & cataractæ cæli apertæ sunt:

12. Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

13. In articulo diei illius ingressus est Noe, & Sem, & Cham, & Japheth filii ejus; uxor illius, & tres uxores filiorum ejus cum eis, in arcam:

14. Ipsi & omne animal secundum genus suum, universaque jumenta in genere suo, & omne quod movetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundum genus suum, universæ aves, omnesque volucres

15. Ingressæ sunt ad Noe in arcam, bina & bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ.

16. Et quæ ingressa sunt, masculus & femina ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei Deus: & inclusit eum Dominus deforis.

17. Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram: & multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt arcam in sublime a terra.

18. Vehementer enim inundaverunt, & omnia repleverunt in superficie terræ: porro arca ferebatur super aquas.

19. Et aquæ prævaluerunt nimis super terram: opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cælo.

20. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat.

21. * Consumptaque est omnis caro quæ * Sap. 10. 4.
movebatur super terram, volucrum, animan- Eccles. 39.
tium, bestiarum, omniumque reptilium, quæ 28. Luc...
reptant super terram: universi homines, 1. Petr. 3.

22. Et cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt.

23. Et delevit omnem substantiam, quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucres cæli: & deleta sunt de terra: remansit autem solus Noe, & qui cum eo erant in arca.

24. Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diebus (*f*).

CA-

16. (*i*) Hebr. *In cubito consummabis eam desuper*. Vox, *eam*, referri potest ad fenestram & ad arcam: *Cœnacula & tristega facies in ea tria*, nempe tabulata præter partem imam, quæ erat velut sentina quædam. Cœnaculum posuit interpres pro contignatione sub tabulato navis, *tristegon* pro infima, seu tertia contignatione. In Hebræo ad verbum, inferiora secunda & tertia. Illud advertendum cubitos fuisse nostris majores: Nam mensuras ad corporis humani magnitudinem homines exigebant, qui longe erant majores quam nostræ ætatis homines.

18. (*k*) Hebr. *Surgere faciam*, opere complebo fœdus, quod de tua & tuorum incolumitate pepigi.

CAP. VII 1. (*a*) Hinc colligit Mariana ante diluvium inter veros Dei cultores, seu posteros Seth, bigamiam non fuisse usitatam; nam singuli filii Noe cum singulis uxoribus ingressi fuerunt in arcam.

2. (*b*) Jam itaque eorum distinctio facta fuerat, saltem quoad sacrificia; aut divino instinctu ita homines constituerant, aut aliqua positiva Dei lege ita sancitum erat: *Septena, & septena*, adeo ut forte septimum Deo offerretur in sacrificium. Et quidem illud jam a nobis observatum alibi fuit ex P. Thomassino plerasque domestica animalia, quæ apud nos sunt, in novo orbe cum primum detectus fuit, non esse reperta, sed feras tantummodo, quod illæ per eas regiones, quæ hunc continentem cum Americano conjungunt, non ausæ sint excurrere, ut ferociora quæque; aut certe Angelorum opera pleraque sunt asportata & reportata.

4. (*c*) Omnes animantes, non arbores. Apud Hebræos, ut suo loco diximus, substantivum sæpe geminatur, tumque aliquando alterum est loco adjectivi distributivi, quo ipsi carent, ut hoc in loco *septena, & septena*, singula septena. Deletis hominibus deleantur animantes, quæ illius gratia facta sunt, quæque propter eum servantur.

10. (*d*) Diem expectat octavum, ut diem salutis.

11. (*e*) Dubium est unde inceperit primus mensis, an ab æquinoctio autumni, an forte numeretur ab eo anno Noe sexcentesimo, an a die 22. Octobris annus civilis inciperet. Abyssi magnæ nomine, mare, flumina, fontes, aquæ subterraneæ intelligi possunt. *Cataractæ cæli*, Hebr. *fenestræ cæli*, imber e nubibus decidens, hac locutione, quæ ad vulgi captum est accommodata, exprimitur.

24. (*f*) Hebr. *prævaluerunt*. Nimirum per 40. dies pluviæ, & per dies 110. terram texerunt. nam arca quievit mense septimo, & per quinque menses, seu 150. dies aquæ prævaluerunt.

CAPUT VIII.

Exactis 150. diebus decrescunt aquæ, & decimo mense ineunte apparent montium cacumina; cum post 40. dies Noemus corvum emittit primum, tum columbam.

1. Recordatus autem Deus Noe (*a*), cunctorumque animantium, & omnium jumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.

2. Et clausi sunt fontes abyssi, & cataractæ cæli: & prohibitæ sunt pluviæ de cælo.

3. Reversæque sunt aquæ de terra euntes & redeuntes: & cœperunt minui post centum quinquaginta dies.

4. Requievitque arca mense septimo, vigesimoseptimo die mensis, super montes Armeniæ.

5. At vero aquæ ibant & decrescebant usque ad decimum mensem: decimo enim mense (*b*), prima die mensis, apparuerunt cacumina montium.

6. Cumque transissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram arcæ, quam fecerat, dimisit corvum:

7. Qui egrediebatur, & non revertebatur (*c*), donec siccarentur aquæ super terram.

8. Emisit quoque columbam post eum, ut videret si jam cessassent aquæ super faciem terræ.

9. Quæ cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum in arcam: aquæ enim erant super universam terram: extenditque manum, & apprehensam intulit in arcam.

10. Expectatis autem ultra septem diebus aliis, rursum dimisit columbam ex arca.

11. At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo: intellexit ergo Noe quod cessassent aquæ super terram.

12. Expectavitque nihilominus septem alios dies: & emisit columbam, quæ non est reversa ultra ad eum.

13. Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis, imminutæ sunt aquæ super terram, & aperiens Noe tectum arcæ, aspexit, viditque quod exsiccata esset superficies terræ (*d*).

14. Mense secundo, septimo & vigesimo die mensis arefacta est terra (*e*).

15. Locutus est autem Deus ad Noe, dicens:

16. Egredere (*f*) de arca, tu & uxor tua, filii tui, & uxores filiorum tuorum tecum.

17. Cuncta animantia quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus quam in bestiis & universis reptilibus, quæ reptant super terram, educ tecum, & ingredimini super terram: * crescite & multiplicamini super eam. * Sup. 1. 28. Inf. 9. 1. 7.

18. Egressus est ergo Noe, & filii ejus: uxor illius, & uxores filiorum ejus cum eo.

19. Sed & omnia animantia, jumenta, & reptilia quæ reptant super terram secundum genus suum, egressa sunt de arca.

20. Ædificavit (*g*) autem Noe altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare.

21. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, & ait: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: * sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt (*h*) ab adolescentia sua: non igitur ultra percutiam omnem animam viventem sicut feci. * Sup. 6. 5. Matth. 15. 19.

22. Cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hiems, nox & dies non requiescent.

CAPUT IX.

Deus benedicit Noe & filiis ejus: esum carnium indulget excepto sanguine: pœnam statuit in homicidas: fœdus init cum hominibus signo proposito: Noemus cum a filio Cham irrisus esset, quod vino se inebriasset, in Chanaan filio eum maledixit.

1. Benedixitque Deus Noe & filiis ejus. Et dixit ad eos: * Crescite, & multiplicamini, & replete terram. * Sup. 1. 22. & 8. 17.

2. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ (*a*), & super omnes volucres cæli, cum universis quæ moventur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.

3. Et omne quod movetur & vivit, * erit vobis in cibum (*b*): quasi olera virentia tradidi vobis omnia. * Sup. 1. 29.

4. * Ex-

CAP. VIII. 1. (*a*) Scriptura humano more loquitur. *Adduxit spiritum*, non ait spiritum suum, sed spiritum in genere, seu ventum qui divina virtute absumpsit aquas diluvii. *Euntes & redeuntes*, Hebr. *Eundo & redeundo*, huc illuc dilabentes, aut fluctuantes. *Requievitque arca mense septimo*, hujus anni, non diluvii, ut liquet ex cap. præcedente; *supra cacumina montium*, consedit arca super montes Armeniæ: Hebr. *super montes Ararath*. Antiquum nomen ad sua usque tempora mansisse apud Armenos, ait Philostratus.

5. (*b*) A cœpto anno 600 vitæ Noe.

(7) Codices Latini variant: alii cum negatione, alii absque negatione legunt; eundo & revertendo corvus circa Arcam volitabat. In Hebræo nulla negatio. At LXX habent negationem uti & nos. Adverbia temporis, usque, donec, non semper affirmationem significant post tempus quod notatur, si negatio præcesserit, uti nec semper negationem, cum præcessit affirmatio. Sic hoc loco dici potuit corvus non reversus donec siccarentur aquæ, qui tamen numquam est reversus.

13 (*d*) Quæ tamen adhuc limosa erat. Sic tamen ut virgulta conspici possent.

14. (*e*) Sic Noe mansit in arca per annum integrum solarem, undecim diebus lunari majorem. P. Gordonus sic calculum ponit: per dies 40 pluit, per dies 150 stetit plenum diluvium, per dies 129 minuuntur aquæ; post dies 56 Noe perseverat in Arca, terra exsiccata, hic dies ultimus habetur a multis 27 mensis secundi, adeo ut annus integer solaris, & decem præterea dies hunc numerum efficiant.

16. (*f*) Non festinat Noemus, sed præceptum Domini expectat.

20. (*g*) Rite agit omnia, ac de holocausto offerendo primum cogitat. Jam ritus quosdam Judaicos, mundorum & immundorum animalium discrimina cernere est uti sanguinis & suffocatorum abstinentiam, & alia quædam quæ a majoribus ad posteros transferant.

21 (*h*) Hebr. *formatio*, aut *figmentum cordis humani*: quod fingitur & formatur a corde humano: eo nomine concupiscentiam aut fomitem peccati designant Hebræi; in Hebræo additur *ad cor suum*, Symmachus *ad se se*.

CAP. IX. 2. (*a*) Homini in statu Innocentiæ cunctæ animantes ultro parebant, nunc terrore & metu parere coguntur: non plenum, sed quasi dimidiatum ei restituitur dominium.

3. (*b*) Ante diluvium oleribus tantum & fructibus vescebantur, saltem religiosiores: nunc permittitur esus carnium, non præcipitur.

* Lev. 17. 14. 4. * Excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis (c).

5. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis, de manu viri, & fratris ejus requiram (d) animam hominis.

* Matth. 26. 52. 6. Quicumque * effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: * ad imaginem
* Apoc. 13. 10. quippe Dei factus est homo.

* Sup. 1. 28. & 8. 17. 7. * Vos autem crescite & multiplicamini, & ingredimini super terram, & implete eam.

8. Hæc quoque dixit Deus ad Noe, & ad filios ejus cum eo:

9. Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos:

10. Et ad omnem animam viventem (e), quæ est vobiscum, tam in volucribus quam in jumentis & pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, & universis bestiis terræ.

* Isa. 54. 9. 11. * Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram.

12. Dixitque Deus: Hoc signum fœderis (f) quod do inter me & vos, & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas:

13. Arcum meum ponam in nubibus (g), & erit signum fœderis inter me & inter terram.

* Eccli. 43. 12. 14. * Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus:

15. Et recordabor fœderis mei vobiscum, & cum omni anima vivente, quæ carnem vegetat: & non erunt ultra aquæ diluvii ad delendum universam carnem.

16. Eritque arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni quod pactum est inter Deum & omnem animam viventem universæ carnis, quæ est super terram.

17. Dixitque Deus ad Noe: Hoc erit signum fœderis, quod constitui inter me & omnem carnem super terram.

18. Erant ergo filii Noe, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, & Japheth: porro Cham ipse est pater Chanaan.

19. Tres isti filii sunt Noe: & ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram.

20. Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, & plantavit vineam (h).

21. Bibensque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo.

22. Quod cum vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras.

23. At vero Sem & Japheth pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui: faciesque eorum aversæ erant, & patris virilia non viderunt.

24. Evigilans autem Noe ex vino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor (i),

25. Ait: Maledictus Chanaan (k), servus servorum erit fratribus suis.

26. Dixitque: Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus.

27. Dilatet Deus Japheth (l), & habitet in tabernaculis Sem, sitque Chanaan servus ejus.

28. Vixit autem Noe post diluvium trecentis quinquaginta annis.

29. Et impleti sunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum: & mortuus est.

CAPUT X.

Hoc Capite populi ex filiis Noemi propagati describuntur, quos difficile est in tanta vetustate agnoscere, nisi cum eorum nomina in Scripturis identidem exponuntur; nam viri eruditi multas nationes ex variis Scripturæ locis, atque etiam e prophanis auctoribus eruunt.

1. HÆ sunt generationes filiorum Noe, Sem, 1. Par. 1. 5.
Cham, & Japheth (a): natique sunt eis filii post diluvium.

2. Filii Japheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Javan, & Thubal, & Mosoch, & Thiras.

3. Porro filii Gomer: Ascenez & Riphath & Thogorma.

4. Filii autem Javan: Elisa & Tharsis, Cethim & Dodanim.

5. Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam & familias suas in nationibus suis.

6. Filii

4. (c) Præceptum illud cum esset juris positivi, non naturalis, tandiu duravit, quandiu placuit Deo. Renovatum quidem fuit ab Apostolis; sed Ecclesia post aliquot ætates non judicavit fideles eo præcepto adstringendos, cujus obligatio, uti & legalium observationum desiit Evangelio propagato. Ita vero post diluvium sancitum fuit a Deo, ut homines deterreret ab effusione sanguinis humani: ne sibi ne concessa cæde animalium putarent concessam sibi hominum cædem. *Carnem cum sanguine*, Symmachus, cujus sanguis cum anima, veteres Hebræi addunt teste Grotio; in eo enim est anima: adeo ut Moses primum dixerit, carnem cum anima non comedendam, deinde illud exponens addiderit, id est cum sanguine: est enim id animæ vitalis sanguis, quod oleum lychno.

5. (d) Vox enim, forte non est causalis, sed pro particula, *&*, *sive*, *autem*, usurpatur: aut si causalis est ea particula, eius quod sequitur ratio redditur: Quicumque *effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius de manu cunctarum bestiarum*. Quod sic exponunt Hebræi, puniam eos qui homines bestiis objiciunt.

10. (e) Pactum non fit cum animantibus, nisi interposito homine eorum domino.

12. (f) Fœdera solebant signo aliquo sensibili confirmari.

13. (g) Arcus seu Iris jam antea in nubibus apparebat. Sed non erat signum promissionis divinæ. Cum Iris apparet, signum est pluviæ mox futuræ, sed brevi desituræ. Altiorem sensum indicat August. Lib. 2. contra Faustum, cap. 21. *Sicut arcus qui apparet in nubibus, nequaquam nisi de sole resplendet, sic illi soli in diluvio non pereunt, qui in Dei nubibus agnoscunt Christi gloriam, non quærunt suam.*

20. (h) Vineta in ordinem digessit, ex iis succum expressit.

24. (i) Non igitur Cham fuit natu maximus. Plantatio vineæ, inebriatio Noemi, ejus nuditas, maledictio Chanaan, qui patri suo Cham primus indicavit Noemi nuditatem, benedictio Semi & Japhet ad historiam propheticam pertinent, docente August. Lib. 16. de Civit. Ex Semo, Patriarchæ, Prophetæ, Christus ipse & Apostoli; ex Japhet gentes prodierunt, & utrique in idem corpus Ecclesiæ coierunt.

25. (k) Puniuntur Cham & Canaan in suis posteris, qui eorum impietatem sunt imitati.

27. (l) Late spargentur ejus posteri. *Et habitet in tabernaculis Sem*, conversionem Gentium prædicit. Nam Gentes in tabernaculis Sem, nimirum in Ecclesiis ab Apostolis fundatis habitant. Sic etiam exponi illud potest: *Deus habitet in tabernaculis Sem*, sermone ad Semum revocato.

CAP. X. 1. (a) Hinc colligitur non alios fuisse filios Noe præter enumeratos. Quis autem ordo fuerit inter eos, incertum videtur. Cum a decem filiis Japhet incipiat, videtur is fuisse primogenitus, ac forte ille est Japetus apud Græcos celebratus, atque ex ejus primogenito Gomer, Gallos originem duxisse communior est sententia. Sed cum nil certi extet de Nationibus, quæ hoc loco memorantur, præstat hujus studiosos ad eos mittere, qui hoc argumentum fusius pertractarunt. Inter quos Bochartus in suo Phaleg, seu in Geographia sacra, majori studio & eruditione laboravit.

6. Filii autem Cham, Chus, & Mesraim, & Phuth, & Chanaam.

7. Filii Chus: Saba, & Hevila, & Sabatha, & Regma, & Sabathacha. Filii Regma: Saba, & Dadan.

8. Porro Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra,

9. Et erat robustus venator coram Domino. (*b*) Ob hoc exivit proverbium: Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.

10. Fuit autem principium regni ejus Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne, in terra Sennaar,

11. De terra illa egressus est Assur, & ædificavit Niniven, & plateas civitatis, & Chale.

12. Resen quoque inter Niniven & Chale: hæc est civitas magna.

13. At vero Mesraim genuit Ludim, & Anamim, & Laabim, & Nephthuim,

14. Et Phetrusim, & Chasluim: de quibus egressi sunt Philisthiim & Caphtorim.

15. Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum,

16. Et Jebusæum, & Amorrhæum, Gergesæum,

17. Hevæum, & Aracæum: Sinæum,

18. Et Aradium, Samaræum, & Amathæum: & post hæc disseminati sunt populi Chananæorum.

19. Factique sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram usque Gazam, donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham, & Adamam, & Seboim usque Lesa.

20. Hi sunt filii Cham in cognationibus, & linguis, & generationibus, terrisque & gentibus suis.

21. De Sem quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Japheth majore (*c*)

* 1. Par. 1. 17. 22. * Filii Sem: Elam, & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram.

23. Filii Aram: Us, & Hul, & Gether, & Mes.

24. At vero Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber.

25. Natique sunt Heber filii duo: nomen uni Phaleg, eo quod in diebus ejus divisa sit terra: & nomen fratris ejus Jectan.

26. Qui Jectan genuit Elmodad, & Saleph, & Asarmoth, Jare,

27. Et Adoram, & Uzal, & Decla,

28. Et Ebal, & Abimael, Saba,

29. Et Ophir, & Hevila, & Jobab; omnes isti filii Jectan.

30. Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usque Sephar montem orientalem.

31. Isti filii Sem secundum cognationes, & linguas, & regiones in gentibus suis.

32. Hæ familiæ Noe juxta populos, & nationes suas. Ab his divisæ sunt gentes in terra post diluvium.

CAPUT XI.

De turris Babelicæ insana substructione, linguarum confusione, & divisione; necnon de generationum serie a Semo ad Abramum usque.

1. Erat autem terra labii unius (*a*), & sermonum coramdem. Sap. 10. 5.

2. Cumque proficiscerentur de oriente, invenerunt campum in terra Sennaar (*b*), & habitaverunt in eo.

3. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento:

4. Et dixerunt: Venite, faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum (*c*): & celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras.

5. Descendit autem Dominus (*d*) ut videret civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam,

6. Et dixit: Ecce, unus est populus, & unum labium omnibus: cœperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant (*e*).

7. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum (*f*), ut non audiat unusquisque vocem proximi sui.

8. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, & cessaverunt ædificare civitatem.

9. Et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ: & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.

10. Hæ sunt generationes (*g*) Sem: * Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium. * 1. Par. 1. 17.

11. Vi-

9 (*b*) Nemrod primus post diluvium Tyrannus, robustus venator, potens hominum oppressor: nam venator, idem est hoc loco ac latro. Alen-ezra, coram Deo fieri dicuntur, quæ Deo grata sunt, aut quæ ei displicent. An ad augendum crimen tyrannidis adiicitum est, coram Domino, an potius ad amplificationem virium & potentiæ ejus, incertum.

21 (*c*) Notant viri eruditi verti posse: *Frater major Japheth*; LXX. vertunt, *Frater Japheth majoris*. Sic vertit Mariana. De Sem natus etiam ipse pater omnium filiorum Heber, fratre Japheth majore.

CAP. XI. 1. (*a*) Nempe communis omnium lingua erat Hebraica, quæ in populo Dei pura & integra permansit, simplex & casta. Hæc lingua ex nulla alia prodire potuit. Complures aliæ eras sunt velut dialecti. plerique nomina hominum & locorum ante Gentium dispersionem sunt Hebraica.

2. (*b*) Hanc vocem Chaldæus ubique Babylonem interpretatur.

4. (*c*) Fundaturam multitudinem prospicientes, ait Grotius, metuebant ne in ipsa premerentur, si manerent in eadem regione. Cujus culmen pertingat ad cælum. Hyperbolica locutio. immensæ altitudinis civitatem existimamus, & magnificam: causa unica erat eorum superbia. Et *celebremus nomen nostrum, antequam dividamur*; Hebr. *Ne forte dividamur*. Ita se munitos volebant.

5 (*d*) Tum Deus descendere dicitur, cum per aliquem effectum quasi nobis propiorem eum experimur. *Filii Adam*, LXX. *Filii hominum*.

6. (*e*) Ex Isonis.

7. (*f*) Non omnis linguarum affinitas confusione Babylonica extincta est: nec forte major fuit inter Orientales linguas differentia, quam quæ inter Italicam, Gallicam & Hispanicam occurrit, quæ quidem sunt Latinæ linguæ propagines. Chaldaica, Syriaca, Arabica magnam cum Hebraica habuesunt cognationem. Babylon erat velut Mundi centrum, unde in varias regiones sunt dispersi, & linguæ pene omnes fuerunt velut Hebraicæ totidem dialecti. Qua de re dictum fuit in Prolog. Ex Japheth ortus est Javan, quæ vox Jon, legi potest: unde Jones populi vetustissimi: a Gomer Japhethi filio Cimeri vulgo Cimbri. Semi filii Elam: unde in Scripturis Elamitæ dicuntur Persæ Act. 2. regio est Susiana conterminat 2. Assur, a quo Assyria: 3. Lud, ex quo forte Lydii populi. 4. Aram, quo nomine Syri Aramei dicuntur. Ab Arphaxad Semi filio Heber, unde forte Iberi populi, non Hebræi, ut multis videtur. Cham Noe filius posteros habuit Ægypti & Africæ incolas; ejus secundus filius Mesraim, quo nomine in Scripturis Ægyptus designatur; Chanaan, ex quo Chananæa: primogenitus. Chus, ex quo Æthiopes.

10. (*g*) Eorum nomina qui fuerunt nationum velut capita, recensentur.

11. Vixitque Sem postquam genuit Arphaxad, quingentis annis: & genuit filios & filias.

12. Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale (*h*).

13. Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale, trecentis tribus annis: & genuit filios & filias.

14. Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber.

15. Vixitque Sale postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis: & genuit filios & filias.

16. Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit Phaleg.

17. Et vixit Heber postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis: & genuit filios & filias.

18. Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu.

* 1. Par. 1. 19. — 19. * Vixitque Phaleg postquam genuit Reu, ducentis novem annis: & genuit filios & filias.

20. Vixit autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug.

21. Vixit quoque Reu postquam genuit Sarug, ducentis septem annis: & genuit filios & filias.

22. Vixit vero Sarug triginta annis, & genuit Nachor.

23. Vixitque Sarug postquam genuit Nachor, ducentis annis: & genuit filios & filias.

24. Vixit autem Nachor viginti novem annis, & genuit Thare.

25. Vixitque Nachor postquam genuit Thare, centum decem & novem annis: & genuit filios & filias.

* Jos. 24. 2. 1. Par. 1. 26. — 26. Vixitque Thare septuaginta * annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran.

27. Hæ sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor, & Aran. Porro Aran genuit Lot.

28. Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum in terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum.

29. Duxerunt autem Abram & Nachor uxores: nomen uxoris Abram, Sarai: & nomen uxoris Nachor, Melcha filia Aran, patris Melchæ, & patris Jeschæ.

30. Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos.

31. * Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filii sui, & Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui, & eduxit eos de Ur Chaldæorum, * ut irent in terram Chanaan: veneruntque usque (*i*) Haran, & habitaverunt ibi. — * Jos. 24. 2. 2. Esdr. 9. 7. * Judith 5. 7. Act. 7. 2.

32. Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran (*k*).

CAPUT XII.

Vocatio Abræ, & egressio ejus e Chaldæa; promissa accipit a Deo in convalle illustri; peregrinatio ejus in Ægyptum usque cum uxore sua Sara.

1. Dixit autem Dominus ad Abram (*a*): Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi. — Act. 7. 3.

2. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.

3. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque * In Te (*b*) benedicentur universæ cognationes terræ. — * Inf. 18. 18. & 22. 17. Gal. 3. 8.

4. Egressus (*c*) est itaque * Abram sicut præceperat ei Dominus, & ivit cum eo Lot: septuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur de Haran. — * Hebr. 11. 8.

5. Tulitque Sarai uxorem suam, & Lot filium fratris sui, universamque substantiam quam possederant, & animas (*d*) quas fecerant in Haran: & egressi sunt ut irent in terram Chanaan. Cumque venissent in eam,

6. Pet-

12. (*h*) Juxta LXX. vixit annos 135. & genuit Cainan: cumque Lucas cap. 3. idipsum de Cainan scribat, id argumento est codices Hebraicos hac quidem in parte esse vitiatos, ut docet Mariana in hunc locum.

31. (*i*) Mansit hoc nomen usque ad tempora Ammiani Marcellini, l. 25.

32. (*k*) Sept. Interpr. legunt, in Charran. iique 205. annos quibus vixit Thare numerant. Haran Charræ Romanis, quem locum honorant hodie Saraceni, quod ab Abramo fuerit habitatus.

CAP. XII. 1. (*a*) Dixit, pro dixerat. Jam enim ante una cum patre exierat de Ur Chaldæorum, nunc exit penitus non rediturus, nisi forte, ut nonnullis videtur, fuerit duplex profectio Abræ in terram Chanaan. Aut per anticipationem egressio Abræ de Ur Chaldæorum narrata ante fuit, nunc vocationem ejus Moses commemorat: sed hæc narrari in hoc capite per hysteron probabilius videtur. Hinc August. lib. 16. de Civit cap. 15. *Nam quod commemorata morte Tharæ Patris Abram deinde legitur, Et dixit Dominus ad Abram, Exi de terra tua, &c. Non quia hoc sequitur in sermone libri, hoc etiam in rerum gestarum tempore sequi existimandum est: erit quippe, si ita est, indissolubilis quæstio.* Itaque hoc capitis initium videtur esse recapitulatio mandati divini, quod Moses suo loco noluit commemorare: adeo ut Thare vel ex morbo, vel ex senio in Charran maneret, ac Moses hoc Dei imperium eo tempore enarravit, quo executioni fuit mandatum. Abram anno 70. ætatis vocatus a Deo in Ur Chaldæorum una cum patre venit in Haran, ubi mansit quinquennium. Idque Stephanus revelatione divina edoctus, aut ex traditione apud Judæos recepta nos admonet, priusquam Abram moraretur in Charran, Deum Abramo apparuisse. Quo quidem modo caves, ne illa Mosis recapitulatio nos fallat, nec distinguit Chaldæam a Mesopotamia: *Tunc exiit de terra Chaldæorum*. Horum quodque suo ordine narratur a S. Stephano, Act. 7. v. 2. 3. 4. Siquidem vocatio Abræ ex Ur Chaldæorum antecessit illam profectionem, quæ cap. 11. 31. commemoratur. *Facit*, inquit August. quæst. 25. *& sic solvi quæstionem. Scriptura quæ dixit, Cum esset Thare annorum 70. genuit Abram & Nachor & Aram, non utique hoc intelligi voluit, quia eodem anno 70. ætatis suæ omnes tres genuit, sed ex quo anno generare cœpit, eum annum commemoravit Scriptura.* Addit fieri potuisse, ut primo loco nominatus fuerit Abram merito excellentiæ: non enim hic annotatum 70. numerus designat quod primogenitus Thare fuerit, sed quis ætate filios genuerit. Nam filius ipse cujus nomen designatur, non semper est primogenitus cujusque Patriarchæ: eos denotare voluit Moses, qui ad Genealogiam Messiæ pertinent, quique non semper fuerunt primogeniti. Unde Ussérius & alii Abram natum volunt anno 130. Thare; erat quippe annos 75. natus, cum mortuus est Thare anno ætatis 205. ex quibus si detrahas 75. Abram natus est anno patris 130. *Erat autem dives valde.* Vir perfectus sic divitias possidet, ut ab iis non possideatur. Exemplo suo docet Abram, paupertatem quæ Deo placet, in animo esse positam.

3. (*b*) Nam in semine Abræ, quod est Christus, omnes gentes benedictionem & salutem acceperunt. Chald. *Benedicentur propter te, vel per te.*

4. (*c*) Antequam pater ejus Thare moreretur, ex Ur Chaldæorum anno ætatis 70. ex Haran anno 75. vivo patre. Quæ ratio conciliandi verba Stephani cum hoc loco facilior est, quam ea quæ a Melchiore Cano proponitur. Stephanum qui loquebatur, lapsum esse memoria. Quamquam, ut diximus ex Augustino, per recapitulationem sæpius narrata sunt, quæ posterius sunt facta. Longe probabilior videtur Capelli & Usserii sententia, quam Auctor Analyseos Gallicæ in Acta Apost. sequitur, Abram non fuisse primogenitum Thare, sed natum esse anno illius 130. nec necesse est Abram identidem commeasse in Mesopotamiam, ut patrem inviseret; nulla enim ejus rei in Scriptura fit mentio.

5. (*d*) Hebr. *acquisierant*, ut *irent in terram Chanaan*. Mancipia quæ sibi comparaverant. Nec sciebat quo iret, ex Epist. ad Hebr. & juxta illud, *Vade in terram quam monstrabo tibi*, nesciebat loci conditionem.

6. Pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convallem (*e*) illustrem: Chananæus autem tunc erat in terra.

7. Apparuit (*f*) autem Dominus Abram, & dixit ei: * Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Domino, qui apparuerat ei. [* *Inf.* 13. 14. & 15. 18. & 26. 2. *Deut.* 34. 4.]

8. Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel (*g*), tetendit ibi tabernaculum suum, ab Occidente habens Bethel, & ab Oriente Hai: ædificavit quoque ibi altare Domino, & invocavit nomen ejus.

9. Perrexitque Abram vadens, & ultra progrediens ad Meridiem.

10. Facta est autem fames in terra: descenditque Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi: prævaluerat enim fames in terra.

11. Cumque prope esset ut ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai uxori suæ: Novi quod pulcra sis mulier:

12. Et quod cum viderint te Ægyptii, dicturi sunt: Uxor ipsius est: & interficient me, & te reservabunt.

13. * Dic ergo, obsecro te, quod soror (*h*) mea sis: ut bene sit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui. [* *Infr.* 20. 11.]

14. Cum itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptii mulierem quod esset pulcra nimis.

15. Et nuntiaverunt principes Pharaoni, & laudaverunt eam apud illum: & sublata est mulier in domum Pharaonis.

16. Abram vero bene usi sunt propter illam: fueruntque ei oves & boves, & asini, & servi & famulæ, & asinæ & cameli.

17. Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum ejus propter Sarai uxorem Abram.

18. Vocavitque Pharao Abram, & dixit ei: Quidnam est hoc quod fecisti mihi? quare non indicasti quod uxor tua esset?

19. Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem? Nunc igitur ecce conjux tua, accipe eam, & vade.

20. Præcepitque Pharao super Abram viris: & deduxerunt eum, & uxorem illius, & omnia quæ habebat.

CAPUT XIII.

Ascendit Abram cum Loth filio Aram de Ægypto ad australem plagam Palæstinæ: sed ob pastorum jurgia discedunt a se invicem: Deus Abræ terram Chananæam promittit.

1. Ascendit ergo Abram de Ægypto, ipse & uxor ejus, & omnia quæ habebat, & Lot cum eo ad Australem (*a*) plagam.

2. Erat autem dives valde in possessione auri & argenti.

3. Reversusque est per iter, quo venerat, a Meridie in Bethel, usque ad locum ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel & Hai:

4. In loco altaris * quod fecerat prius, & invocavit ibi nomen Domini. [* *Sup.* 12. 7.]

5. Sed & Lot qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium, & armenta, & tabernacula.

6. Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul: * erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter. [* *Infr.* 36. 7.]

7. Unde & facta est rixa inter pastores gregum Abram & Lot. Eo autem tempore Chananæus & Pherezæus habitabant in terra illa.

8. Dixit ergo Abram ad Lot: Ne quæso sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos; fratres enim sumus.

9. Ecce universa terra coram te est: recede a me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram (*b*) tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.

10. Elevatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur antequam subverteret Dominus Sodomam & Gomorrham, sicut paradisus (*c*) Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor.

11. Elegitque sibi Lot regionem circa Jordanem, & recessit ab Oriente: divisique sunt alterutrum a fratre suo.

12. Abram habitavit in terra Chanaan: Lot vero moratus est in oppidis, quæ erant circa Jordanem, & habitavit in Sodomis.

13. Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis.

14. Dixitque Dominus ad Abraham, postquam divisus est ab eo Lot: * Leva oculos tuos, & vide a loco, in quo nunc es, ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem. [* *Sup.* 12. 7. *Inf.* 15. 18. & 26. 4. *Deut.* 34. 4.]

15. Omnem

6. (*e*) Sept. Interpret. *ad quercum excelsam*. Vox Hebræa ambigua est, convallem & quercetum significat. Hieron. quercetum intelligit. Aliis, ut Bonfrerio, placet, convallem illam fuisse prope Sichem, & ad Jordanem usque excurrentem.

7. (*f*) Ab hac apparitione facta Abræ, cum peregrinari cœpit in Ægyptum, usque ad exitum ex Ægypto numerantur 430 anni.

8. (*g*) Seu ad Orientem Bethel, ita dictam per prolepsim: nam prius Luza dicebatur.

13. (*h*) Quo autem sensu soror ejus esset, exponit Abram cap. 20. *filia patris mei*, nempe Thare neptis ex Aram; non *filia matris meæ*. Quod in uno loco exprimitur, nempe cap. 20. cognitam non fuisse ab Abimelech, intelligendum quoque est de Rege Ægypti; neque ullum hic mendacium fuit. Non enim interrogatus utrum Sarai ejus uxor esset, eam non esse respondit: sed cum ab eo quæreretur, quid ei esset illa mulier, indicavit sororem, non negavit uxorem: tacuit aliquid veri, non dixit aliquid falsi, August. Quod autem objiciebat Faustus, Abramum non consuluisse satis uxoris suæ honori, respondet August. Quod cum Abram & vitam suam, & uxoris pudicitiam in discrimen venire cerneret, vitæ suæ consuluit, cum sororem appellavit conjugem; sed hujus honorem Deo commisit, qui Pharaonem flagellavit plagis. *Si interrogatus Abram, Saram suam esse indicaret uxorem, duas res tuendas committeret Deo, & suam vitam, & conjugis pudicitiam: pertinet autem ad sanam doctrinam, quando habet quid faciat homo, non tentare Dominum Deum suum.*

CAP. XIII.

1. (*a*) Habita ratione Judææ.

9. (*b*) Meridiem versus.

10. (*c*) Lot vir bonus, sed non perfectus ut Abram, sensuum judicium magis sequitur, quam rationis. Sed brevi sentiet quam falsa sint ejusmodi judicia, atque unde sperabat commoda, hinc dolorem & angustias experietur. Quærit amœna loca, & oppida, ut infirmus hominum societate egens, & consolatione. Abram ut vir perfectus sibi uni sufficit, in solitudine degit, eo ire quo jusserit Deus, & stare ubique, ut voluerit, paratus.

15. Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & (*d*) semini tuo usque in sempiternum.

16. Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ: si quis potest hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit.

17. Surge (*e*), & perambula terram in longitudine, & in latitudine sua: quia tibi daturus sum eam.

18. Movens igitur tabernaculum suum Abram, venit & habitavit juxta convallem Mambre, quæ est in Hebron: ædificavitque ibi altare Domino.

CAPUT XIV.

Bellum inter Chodorlahomor & quinque Reges Pentapolitas; hi primum victi sunt, sed res ab Abramo fuit restituta. Hic decimas ex omni præda dedit Melchisedech Sacerdoti Altissimi; & ab eo fuit benedictus.

1. Factum est autem in illo tempore, ut Amraphel rex Sennaar, & Arioch Rex Ponti (*a*), & Chodorlahomor Rex Elamitarum, & Thadal rex Gentium,

2. Inirent bellum contra Bara Regem Sodomorum, & contra Bersa Regem Gomorrhæ, & contra Sennaab Regem Adamæ, & contra Semeber Regem Seboim, contraque Regem Balæ, ipsa est Segor (*b*).

3. Omnes hi convenerunt in vallem Silvestrem, quæ nunc est mare salis.

4. Duodecim enim annis servierant Chodorlahomor, & tertiodecimo anno recesserunt (*c*) ab eo.

5. Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & Reges qui erant cum eo: percusseruntque Raphaim in Astarothcarnaim, & Zuzim cum eis, & Emim in Save-Cariathaim,

6. Et Chorræos in montibus Seir, usque ad Campestria Pharan, quæ est in solitudine.

7. Reversique sunt, & venerunt ad fontem Misphat, ipsa est Cades: & percusserunt omnem regionem Amalecitarum, & Amorrhæum, qui habitabat in Asasonthamar.

8. Et egressi sunt Rex Sodomorum, & Rex Gomorrhæ, Rexque Adamæ, & Rex Seboim, necnon & Rex Balæ, quæ est Segor: & direxerunt aciem contra eos in valle Silvestri:

9. Scilicet adversus Chodorlahomor Regem Elamitarum, & Thadal Regem Gentium, & Amraphel Regem Sennaar, & Arioch Regem Ponti: quatuor Reges adversus quinque.

10. Vallis autem Silvestris habebat puteos multos bituminis. Itaque Rex Sodomorum & Gomorrhæ terga verterunt, cecideruntque (*d*) ibi: & qui remanserant, fugerunt ad montem.

11. Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum & Gomorrhæ, & universa quæ ad cibum pertinent, & abierunt:

12. Necnon & Lot & substantiam ejus, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis.

13. Et ecce unus qui evaserat, nuntiavit Abram Hebræo (*e*), qui habitabat in convalle Mambre Amorrhæi fratris Escol, & fratris Aner: hi enim pepigerant fœdus cum Abram.

14. Quod cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo: & persecutus est usque Dan.

15. Et divisis sociis, irruit super eos nocte: percussitque eos, & persecutus est eos usque Hoba, quæ est ad lævam Damasci.

16. Reduxitque omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque & populum.

17. Egressus est autem Rex Sodomorum in occursum ejus, postquam reversus est a cæde Chodorlahomor, & Regum qui cum eo erant in valle Save, quæ est vallis Regis.

18. * At vero Melchisedech Rex Salem (*f*), proferens panem & vinum, (erat enim Sacerdos Dei altissimi,) *Heb. 7. 1.

19. Benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cælum & terram:

20. Et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.

21. Dixit autem Rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cætera tolle tibi.

22. Qui respondit ei: Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli & terræ,

23. Quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditavi Abram:

24. Exceptis his, quæ comederunt juvenes, & partibus virorum, qui venerunt mecum, Aner, Escol, & Mambre: isti accipient partes suas.

CA-

15. (*d*) Particula, Et, vim habet explicandi: dabo semini tuo. *In sempiternum*, quamdiu stabit eorum respublica.

17. (*e*) Possessionem ejus adi.

CAP. XIV. 1. (*a*) Hebr. Rex *Elassar*, quam vocem intactam reliquerunt LXX. videntur hi esse Elizari in Arabia a Ptolemæo nominati. Rex gentium, id est, convenarum. Grotius existimat convenas fuisse in Syria & Palæstina, ubi fuit postea Galilæa; idque conjicit ex cap. 12. 23. Josue, ubi inter Reges, quos percusserunt Moses & Josue, numeratur Rex Gentium Galgal.

2. (*b*) Per anticipationem ita appellatur.

4. (*c*) Pertæsi servitutis. *Raphaim*. Gr. Gigantes: erant homines latrocinantes, ut Arabes.

10. (*d*) Reges terga verterant, atque ii ceciderunt, quorum erant socii, quique remanserant, fugerunt ad montem.

13. (*e*) Græce est περάτης transitor, transfluvialis. *Qui habitabat in convalle Mambre Amorrhæi*. Palam est Mambre nomen esse viri qui tunc vivebat. *Et persecutus usque Dan*. Frustra cavillatur Spinosa nomen illud Dan longo post tempore inditum fuisse urbi, quæ Lais ante dicebatur. Imo enim nihil est in Scripturis frequentius, quam idem nomen pluribus locis inditum. nec necesse est locum, qui in hoc capite nominatur, urbem fuisse; Jordanis eo nomine donabatur Mosis temporibus, quod e duobus fontibus Jor & Dan suam ducat originem. *Pepigerant fœdus*, erga vicinos jura vicinitatis servare noverat Abram, nihil eorum quæ exigit prudentia, omittit: copias dividit, noctu invadit hostes, fugientes insequitur, ne iterum coeuntes ex fuga pugnam instaurent. Victor non triumphos agit, unius Dei benedictionem expectat, non laudes hominum aucupatur, neque a divitibus ditari vult, aut eos ditare bonis suis, sed socios laboris & periculi mercede frustrari non sinit.

18. (*f*) Seu id oppidum fuerit juxta Scythopolim, ut videtur Hieronymo, seu urbs ipsa Jerusalem, ut placet Judæis. Tum Reges iidem erant Sacerdotes: Melchisedech obtulit panem & vinum Deo sacrificii nostri symbolum; neque enim obtulit panem & vinum Abræ, qui prædæ onustus his non egebat. Sic altaris sacrificium expressit, & Prophetiam David implendam indicavit: *Tu es Sacerdos, &c. Non secundum ordinem Aaron*, ait August. *qui ordo fuerat auferendus, illucescentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur*. *Erat enim*. In Hebr. est particula Et; sed ea passim in Scriptura pro causali accipitur, ut infra. cap. 22. *Nunc cognovi quod timeas Dominum, & non pepercisti*, neque enim pepercisti.

CAPUT XV.

Abra prolem numerosam, & terra Chanansa possessionem iterum promittit Deus. Sacrificium offert Abraham, & fœdus cum eo ferit Deus.

1. HIs itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens: Noli timere Abram, ego protector (*a*) tuus sum, & merces tua magna nimis.

2. Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis: & filius procuratoris domus meæ iste Damascus (*b*) Eliezer.

3. Addiditque Abram: Mihi autem non dedisti semen: & ecce vernaculus meus, hæres (*c*) meus erit.

4. Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens: Non erit hic hæres tuus: sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis hæredem.

* Rom. 4. 18. 5. Eduxitque eum foras, & ait illi: * Suspice cælum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum.

* Rom. 4. 3. Gal. 3. 6. Jac. 2. 23. 6. * Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad justitiam (*d*).

7. Dixitque ad eum: Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, & possideres eam.

8. At ille ait: Domine Deus, unde scire possum, quod possessurus (*e*) sim eam?

9. Et respondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam.

* Jer. 34. 18. 10. Qui tollens universa hæc, * divisit (*f*) ea per medium, & utrasque partes contra se altrinsecus posuit: aves autem non divisit.

11. Descenderuntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abram.

12. Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus invasit eum.

13. Dictumque est ad eum: Scito prænoscens quod * peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis (*g*) annis. * Act. 7. 6.

14. Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia.

15. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus (*h*) in senectute bona.

16. Generatione autem quarta (*i*) revertentur huc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus.

17. Cum ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans (*k*), & lampas ignis transiens inter divisiones illas.

18. In illo die * pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphraten, * Sup. 12. 7. & 13. 15. Deut. 34. 4. 3. Reg. 4. 21. 2. Par. 9. 26.

19. Cinæos (*l*), & Cenezæos, Cedmonæos,

20. Et Hethæos, & Pherezæos (*m*), Raphaim quoque,

21. Et Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Jebusæos.

CAPUT XVI.

Sarai ancillam suam Agar Abræ marito tradit, ut ex ea prolem suscipiat: Agar postquam concepit, dominam suam despectui habet, ac propterea severius agit Sarai cum Agar, quæ fugit in desertum; jussu Angeli revocata Ismaelem parit.

1. IGitur Sarai uxor Abram non genuerat liberos: sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar,

2. Dixit marito suo: Ecce, conclusit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam (*a*), si forte saltem ex illa suscipiam filios. Cumque ille acquiesceret deprecanti,

3. Tulit

CAP. XV. 1. (*a*) Hebr. *Clypeus tuus*.

2. (*b*) Ex ancilla Damascena natus. Credibile est mutatione unius litteræ in Hebræo non aliud significari quam iste procurator, ut observat Menochius: *sic erit semen tuum*; ad litteram, multiplicandum semen ejus secundum carnem; allegorice, spiritale semen intelligitur.

3. (*c*) Ex testamento, cum alium charierem non habeam.

6. (*d*) Jam ante acceperat justitiam: sed fides illa valuit ad justitiæ incrementum, quod ea fides ex pio animo prodierat. Paulus Rom. 4. hunc locum accommodat primæ justificationi nostræ, quod fides sit ejus fundamentum: *& quia fides*, ut ait August. epist. 105. *prima datur, per quam cætera impetrantur*. Duplex autem est justificatio, prima & secunda. Fides qua justificatur qui antea justus erat, ut Abram, simpliciter est justitia: nam a Spiritu Sancto jam inhabitante dimanat. Quod dici non potest de fide peccatoris, qui credit in eum qui justificat impium. Hæc enim fides a Spiritu movente tantum, sed nondum inhabitante proficiscitur, donec ipsa fide eum promovente justus fiat. Reputatur ad justitiam majorem, non per solam imputationem: nam Dei judicio erat justus, nec tum cœpit credere.

8. (*e*) Illud homini naturale est, ut audito nuntio rei magnæ & quasi impossibilis, statim illius rei modum inquirat; idque factum est, ut major explicatio hujus fœderis posteros fortius induceret ad credendum.

10. (*f*) Ut flamma eas partes lambente pacisceretur cum Deo. Ritus is erat, ut paciscentes inter hostiæ partes transirent. *Aves autem non divisit*. Nam illæ ad sacrificium tantum, non ad fœdus quicquam faciebant. Horror vers. 12. futuram in Ægypto persecutionem insinuabat.

13. (*g*) Quadringenti anni fluent, quibus posteri tui peregrini erant partim in terra Chanaan, partim in Ægypto, ubi servient & affligentur, adeo ut 400. illi anni ad utrumque referantur, ad peregrinationem & ad servitutem; usque ad annum fere quadringentesimum ab hoc tempore. *Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti*, aut Nilo, aut ab alio quodam, qui Palæstinam ab Ægypto determinat. Quod quidem impletum est in Davide & in Salomone. Quadringentos autem illos annos ab ortu Isaac nonnulli numerant: vel intra 400. annos fore ut hæc implenda sint, declarat.

15. (*h*) Septuag. Interpret. nutritus, qui posuerunt τραφεὶς pro ταφεὶς sepultus.

16. (*i*) Amorrhæorum, quod ex sequentibus est intelligendum, inquit Grotius. Nondum enim est completa mensura judicii, ut loquuntur Hebræi, ea completa, mutantur regna.

17. (*k*) Hæc significant ardentem Dei vindictam in Ægyptios vers. 24. indicatam. Deus sese accommodat mori illorum temporum, cujus vestigia serius mansere. Lib. 2 Reg. 10. simile quiddam legimus. Plutarchus in quæst. Rom. Bœotiis, inquit, publicus expiandi mos est transire inter partes canis in duo secti. Bœotii ex Phœnicibus orti hunc morem ab iis hauserunt. Grot.

19. (*l*) Qui & Salmæi teste Chaldæo, Salmani Arabes apud Plinium, Lib. 5. cap. 26. Cedmonæos ad ortum positos, seu Hevæos, ut hic Chaldæus.

20. (*m*) Sic dicti sunt qui habitabant vicatim, non in oppidis.

CAP. XVI. 2. (*a*) Polygamia ex prima institutione non erat permissa, sed postea ad gentis & religionis conservationem ex Dei instituto fuit concessa. *Si forte saltem ex illa suscipiam filios*. Hebr. *si forte ædificer ex illa*, forma loquendi usitata, ut Deuteronomii 25. *Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui*.

3. Tulit Agar Ægyptiam ancillam suam, post annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaan: & dedit eam viro suo uxorem (*b*).

4. Qui ingressus est ad eam. At illa concepisse se videns, despexit dominam suam.

5. Dixitque Sarai ad Abram: Inique (*c*) agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quod conceperit, despectui me habet. Judicet Dominus inter me & te.

6. Cui respondens Abram. Ecce (*d*), ait, ancilla tua in manu tua est, utere ea ut libet. Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit.

7. Cumque invenisset eam Angelus Domini juxta fontem aquæ in solitudine, qui est in via Sur in deserto,

8. Dixit ad illam: Agar ancilla Sarai unde venis? & quo vadis? quæ respondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.

9. Dixitque ei Angelus Domini: Revertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.

10. Et rursum: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine.

11. Ac deinceps: Ecce, ait, concepisti, & paries filium: vocabisque nomen ejus Ismael (*e*), eo quod audierit Dominus afflictionem tuam.

12. Hic erit ferus homo: manus (*f*) ejus contra omnes, & manus omnium contra eum: & e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula.

13. Vocavit (*g*) autem nomen Domini qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidisti me. Dixit enim: Profecto hic vidi posteriora videntis me.

14. Propterea appellavit puteum illum: * Puteum Viventis & Videntis me. Ipse est inter Cades & Barad. * Infr. 24. 62.

15. Peperitque Agar Abræ filium: qui vocavit nomen ejus Ismael.

16. Octoginta & sex annorum erat Abram quando peperit ei Agar Ismaelem.

CAPUT XVII.

Promissiones Abrahæ factæ iterantur; mutantur nomina; fœdus initur, cujus signum statuitur circumcisio; Isaac promittitur.

1. Postquam vero nonaginta & novem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus: dixitque ad eum: Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus.

2. Ponamque (*a*) fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis.

3. Cecidit Abram pronus in faciem.

4. Dixitque ei Deus: Ego sum (*b*), & pactum meum tecum, * erisque pater multarum gentium. * Eccli. 44. 20.

5. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram (*c*): sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te. Rom. 4. 17.

6. Faciamque te crescere vehementissime, & ponam te in gentibus (*d*), regesque ex te egredientur.

7. Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus (*e*) suis, fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te.

8. Daboque tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque Deus eorum.

9. Dixit iterum Deus ad Abraham: * Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis. * Act. 7. 8.

10. Hoc est pactum (*f*) meum quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum:

11. Et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit * in signum fœderis inter me & vos. * Lev. 12. 3.

12. Infans octo dierum (*g*) circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestra: Luc. 2. 21. Rom. 4. 11.

13. Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.

14. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.

15. Dixit

---

3. (*b*) Pro uxore, vice uxoris.

5. (*c*) Hebr. *injuria mea super te*, est tibi imputanda, qui non prohibes. *Judicet Deus*, causam suam Deo committit.

6. (*d*) Utere ea ut libet; non sævire, sed coercere ancillam permitto.

11. (*e*) Ismael enim significat auditionem Dei.

12. (*f*) In omnes, & in eum; negotium omnibus facesset, & alii ipsi: tales sunt Agareni, aut Saraceni. *Figet tabernacula*: Securus sui a nullo timebit, extendet fines suos.

13. (*g*) Forte invocavit his verbis: *Tu Deus*. Chald. oravit in nomine Domini. *Qui loquebatur ad eam*. Deum ipsum invocavit velut in Angelo præsentem. *Profecto hic vidi posteriora videntis me*. Hebr. *num etiam hic vidi post videntem me?* Interpres noster cognitionis imperfectionem designare voluit: quasi ejus qui hominem a tergo videt, ut Moses Exodi 33.

CAPUT XVII. 2. (*a*) Jam antea positum ratum habebo: idem est fœdus quod cap. 16. *Ponam fœdus*, circumcisionem cum externam verbo tenus, tum interiam sublimiori sensu.

4. (*b*) Solus vere sum, idem manens.

5. (*c*) In circumcisione mutantur nomina, ut sint nova nomina & novi mores. *Abram*, pater excelsus: *Abraham*, pater multarum gentium. *Sarai*, princeps mea; *Sara*, princeps absolute. Ad novum fœdus & nova promissa mutatione nominum eos præparat.

6. (*d*) Hebr. *in gentes*, ita LXX. multæ gentes ex te nascentur. Hoc quidem de carnali progenie dictum est; sed illud in primis spectat ad semen spiritale, sic tamen ut promissio illa interventu *generationis carnalis* implenda esset, qua nimirum Christus ante nasceretur, in quo benedicendæ erant omnes Gentes, ut docet Apostol. Rom. 4. *Regesque*: nullus est ab omni ævo, ex quo tot reges prodierint, quam ex Abrahamo.

7. (*e*) Suis temporibus pactum meum statuam: *Ut sim Deus tuus*: Id erit fœdus. Perperam hinc colligit Calvinus infantes non baptizatos ad eam promissionem Abrahæ factam pertinere: non enim efficiuntur Abrahæ filii nisi per Baptismum. In hoc positum est fœdus Dei cum hominibus, ut sit Deus eorum; ac beneficiorum Dei in suos hæc summa est, ut illi serviant.

10. (*f*) Signum pacti fuit Circumcisio; pactum vero id erat ut Deum colerent, & Deus iis terram illam concederet. S. Chrysost. Homil. 39. videtur asserere Circumcisionem signum tantummodo fuisse, quod nihil virtutis, aut justitiæ conferret infantibus; contrarium docet August. Lib. 2. de Nuptiis, & Conc. cap. ult. tametsi fateatur omnes Circumcisionem non virtute propria, sed virtute fidei, quam veteres hoc signaculo profitebantur, gratiam contulisse.

12. (*g*) Nam ante eum diem infans erat infirmior, quam ut par esset dolori. *Tam vernaculus*: Incircumcisus in terra data Hebræis vivere poterat, non in domo Hebræi alicujus, ne mores adeo diversi confunderentur.

15. Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram.

16. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo.

17. Cecidit Abraham in faciem suam, & risit (*h*) dicens in corde suo: Putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?

18. Dixitque ad Deum: Utinam Ismael vivat coram te.

* Infr. 18. 10. & 21. 2. 19. Et ait Deus ad Abraham: * Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac, & constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini ejus post eum.

20. Super Ismael quoque exaudivi te: ecce, benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum valde: duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam.

21. Pactum vero meum statuam ad Isaac (*i*), quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero.

22. Cumque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit (*k*) Deus ad Abraham.

23. Tulit autem Abraham Ismael filium suum, & omnes vernaculos domus suæ: universosque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ: & circumcidit carnem præputii eorum statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus.

24. Abraham nonaginta & novem erat annorum quando circumcidit carnem præputii sui.

25. Et Ismael filius tredecim annos impleverat tempore circumcisionis suæ.

26. Eadem die circumcisus est Abraham & Ismael filius ejus.

27. Et omnes viri domus illius, tam vernaculi, quam emptitii & alienigenæ pariter circumcisi sunt.

CAPUT XVIII.

Abraham tres Angelos hospitio suscipit, qui filium ex Sara promittunt vertente anno nasciturum: Sodomorum excidium pronuntiant.

Hebr. 13. 2. 1. Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei.

2. Cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adoravit in terram (*a*)

3. Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum:

4. Sed afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes vestros, & requiescite sub arbore.

5. Ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum, postea transibitis: idcirco (*b*) enim declinastis ad servum vestrum. Qui dixerunt: Fac ut locutus es.

6. Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes.

7. Ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero: qui festinavit, & coxit illum.

8. Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit coram eis: ipse vero stabat juxta eos sub arbore.

9. Cumque comedissent, dixerunt ad eum: Ubi est Sara uxor tua? ille respondit: Ecce in tabernaculo est.

10. Cui dixit: * Revertens (*c*) veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium Sara uxor tua. Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi. * Sup. 17. 19. Infr. 21. 1. Rom. 9. 9.

11. Erant autem ambo senes, provectæque ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria.

12. Quæ risit occulte, dicens: Postquam consenui, & * dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? * 1. Petr. 3. 6.

13. Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare risit Sara, dicens: Num vere paritura sum anus?

14. Numquid Deo quidquam est difficile? juxta condictum revertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium.

15. Negavit Sara dicens: Non risi: timore perterrita. Dominus autem: Non est, inquit, ita: sed risisti.

16. Cum ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam: & Abraham simul gradiebatur, deducens eos.

17. Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quæ gesturus sum:

18. Cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & * BENEDICENDÆ sint in illo omnes nationes terræ? * Sup. 12. 3. Infr. 22. 18.

19. Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se ut custodiant viam Domini, & faciant judicium (*d*) & justitiam: ut adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum.

20. Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis.

21. De-

17. (*h*) Præ gaudio: interrogatio ex admiratione nata est, non ex incredulitate: non enim reprehenditur a Deo: potuit ab initio subdubitare: promittentis verba erexerunt ejus animum.

21. (*i*) Pactum gentilitium, non personale, aut exigui temporis.

22. (*k*) Fulgor Dei.

CAPUT XVIII. 2. (*a*) Abraham pro illis tantummodo sollicitus, pro illis orat, & sic cum Deo agit familiariter, ut de sua erga Deum reverentia nihil decedat.

5. & 6. (*b*) Quandoquidem: *Tria sata farinæ*. Hoc loco notat Gordonus minimam mensuram apud Hebræos fuisse ovum gallinaceum. Cabus continebat 24 ova, Satum tres Cabos, Ephi tria Sata: decima pars Ephi erat Gomor: Corus habebat 10. Ephi, seu 30. modios.

10. (*c*) Abraham tres accepit hospitio, sed uni loquitur quasi præcipuo, instinctu quodam divino tres recipiendo & unum adorando Trinitatis mysterium insinuat. Et quidem hoc in loco qui loquitur Dominus est. Hinc vers. 17. *Dixitque Dominus. Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* At de Domino, seu de Deo loquitur vers. 19 *Ut custodiant viam Domini*. Hunc Abraham agnoscit ut supremum Judicem, eum adorat. Quæ sane vox intelligi possunt ex prædicata Judæorum opinione, quod in Deo una sit persona: sed fatendum est Mysterium SS. Trinitatis hic & sequenti capite insinuari. *Vita comite*: more humano loquitur: quo audito Sara risit. Hic risus non tam lætitiæ quam irrisionis fuit, & dubitationis, ac propterea reprehenditur. Abrahæ risus fuit admirationis & lætitiæ: Ita August. quæst. 17. Sara in duplici delicto diffidentiæ & mendacii modestiam suam & humilitatem declarat, cum dominum suum vocat conjugem vers. 12. Quam Saræ virtutem Petrus Apostolus commemorare dignam judicavit, & Christianis mulieribus in exemplum proposuit.

19. (*d*) Justitia cum a jure distinguitur, tum beneficentiam significat, ait Grotius.

21. Descendam (*e*), & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam.

22. Converteruntque se inde, & abierunt Sodomam: Abraham vero adhuc stabat (*f*) coram Domino.

23. Et appropinquans ait: Numquid perdes justum cum impio?

24. Si fuerint quinquaginta justi in civitate, peribunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta justos, si fuerint in eo?

25. Absit a te, ut rem hanc facias, & occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius, non est hoc tuum: qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc.

26. Dixitque Dominus ad eum: Si invenero Sodomis quinquaginta justos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos.

27. Respondensque Abraham ait: Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.

28. Quid si minus quinquaginta justis quinque fuerint? delebis, propter quadraginta quinque, universam urbem? Et ait: Non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque.

29. Rursumque locutus est ad eum: Sin autem quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies? Ait: Non percutiam propter quadraginta.

30. Ne quæso, inquit, indigneris Domine, si loquar: Quid si ibi inventi fuerint triginta? Respondit: Non faciam (*g*), si invenero ibi triginta.

31. Quia semel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meum: Quid si ibi inventi fuerint viginti? Ait: Non interficiam propter viginti.

32. Obsecro, inquit, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel: Quid si inventi fuerint ibi decem? Et dixit: Non delebo propter decem.

33. Abiitque Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham: & ille reversus est in locum suum.

CAPUT XIX.

Lot duos Angelos excipit hospitio: Sodoma & universa Pentapolis, excepta Segor, cælesti conflagrat incendio.

Hebr. 13. 2. 1. Veneruntque duo Angeli in Sodomam vespere, & sedente Lot in foribus civitatis. Qui cum vidisset eos, surrexit, & ivit obviam eis: adoravitque pronus in terram,

2. Et dixit: Obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi: lavate pedes vestros, & mane proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt: Minime, sed in platea manebimus.

3. Compulit illos oppido ut diverterent ad eum: ingressisque domum illius fecit convivium, & coxit azyma: & comederunt.

4. Prius autem quam irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum a puero usque ad senem, omnis populus simul.

5. Vocaveruntque Lot, & dixerunt ei: Ubi sunt viri qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, ut cognoscamus eos.

6. Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium, ait:

7. Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere.

8. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum: educam (*a*) eas ad vos, & abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub umbra culminis mei.

9. At illi dixerunt: Recede illuc. Et rursus: Ingressus es, inquiunt, ut advena; numquid ut judices? te ergo ipsum magis quam
hos affligemus. * Vimque faciebant Lot ve- * 2 Petr. 2.
hementissime: jamque prope erat ut effringe- 8.
rent fores.

10. Et ecce miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Lot, clauseruntque ostium:

11. Et eos, qui foris erant, * percusserunt * Sap. 19.
cæcitate a minimo usque ad maximum, ita ut 16.
ostium invenire non possent.

12. Dixerunt autem ad Lot: Habes hic quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias, omnes qui tui sunt, educ de urbe hac:

13. Delebimus enim locum istum, eo quod increverit clamor eorum coram Domino, qui misit nos ut perdamus illos.

14. Egressus itaque Lot, locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias ejus, & dixit: Surgite, egredimini de loco isto: quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui.

15. Cumque esset mane, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias (*b*) quas habes: ne & tu pariter pereas in scelere civitatis.

16. Dissimulante (*c*) illo apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, eo quod parceret Dominus illi.

17. * Eduxeruntque eum, & posuerunt ex- * Sap. 10. 6.
tra civitatem: ibique locuti sunt ad eum, dicentes: Salva animam tuam: noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione: sed in monte salvum te fac, ne & tu simul pereas.

18. Dixitque Lot ad eos: Quæso Domine mi,

19. Quia invenit servus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, ut salvares (*d*) animam meam, nec possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum, & moriar:

20. Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, & salvabor in ea: numquid non modica est, & vivet anima mea?

21. Dixitque ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem, pro qua locutus es.

22. * Fe-

21. (*e*) Deus ut optimus Judex non punit nisi caussa discussa, *Ut sciam*, humano more loquitur. *Mos autem est humanæ locutionis & usitatur, ut humanæ infirmitati congruas, cui Deus coaptat locutionem suam*. August. quæst. 42.
22. (*f*) Id est, rabsi, ut interpretatur Chaldæus.
30. (*g*) Id est, non percutiam.
CAP. XIX. 8. (*a*) Perturbatio summa & hospites tuendi studium magna ex parte eum excusat: *Sub umbra culminis mei*. Hebr. *Tigni mei*, seu tecti.
15. (*b*) Non elocatas, sed quæ virgines domi tuæ sunt.
16. (*c*) Cunctante. Merito negat August. quæst. 43. admittendam esse flagitiorum compensationem, eamque ait esse periculosissimam.
19. (*d*) Hebr. ad vivificandum. LXX. ut vivat anima mea.

* Sap. 10. 6. 22. * Festina & salvare ibi: quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum est nomen urbis illius Segor.

23. Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor.

* Deut. 29. 23. Is. 13. 19. Jer. 50. 40. Ezech. 16. 49. Osee 11. 8. Amos 4. 11. Luc. 17. 28. Judæ 7. 24. * Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem a Domino (*e*) de cælo:

25. Et subvertit civitates has, & omnem circa regionem, universos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia.

* Luc. 17. 32. 26. * Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam (*f*) salis.

* Sup. 18. 1. 27. Abraham autem consurgens mane, ubi steterat * prius cum Domino,

28. Intuitus est Sodomam & Gomorrham, & universam terram regionis illius: viditque ascendentem favillam de terra quasi fornacis fumum.

29. Cum enim subverteret Deus civitates regionis illius, recordatus Abrahæ, liberavit Loth de subversione urbium in quibus habitaverat.

30. Ascenditque Lot de Segor, & mansit in monte, duæ quoque filiæ ejus cum eo (timuerat enim manere in Segor) & mansit in spelunca ipse, & duæ filiæ ejus cum eo.

31. Dixitque major ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorum remansit (*g*) in terra qui possit ingredi ad nos juxta morem universæ terræ.

32. Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, ut servare possimus ex patre nostro semen.

33. Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa: Et ingressa est major, dormivitque (*h*) cum patre: at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit.

34. Altera quoque die dixit major ad minorem: Ecce dormivi heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, & dormies cum eo, ut salvemus semen de patre nostro.

35. Dederunt etiam & illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaque minor filia, dormivit cum eo: & ne tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit.

36. Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo.

37. Peperitque major filium, & vocavit nomen ejus Moab: ipse est pater Moabitarum usque in præsentem diem.

38. Minor quoque peperit filium, & vocavit nomen ejus Ammon, id est, filius populi mei: ipse est pater Ammonitarum usque hodie.

CAPUT XX.

Abimelech Rex Geraræ, quæ erat Philisthinorum Regia, uxorem Abrahæ tollit: punitus a Deo eam viro suo restituit intactam cum magnis donis.

1. PRofectus inde Abraham in terram Australem, habitavit inter Cades, & Sur: & peregrinatus est in Geraris (*a*).

2. Dixitque de Sara uxore sua, Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam.

3. Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi: En morieris (*b*) propter mulierem quam tulisti: habet enim virum.

4. Abimelech vero non tetigerat eam, & ait: Domine, num gentem ignorantem & justam interficies?

5. Nonne ipse dixit mihi: Soror mea est: & ipsa ait: Frater meus est? in simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc.

6. Dixitque ad eum Deus: Et ego scio quod simplici corde feceris: & ideo custodivi te ne peccares in me, & non dimisi ut tangeres eam.

7. Nunc ergo redde viro suo uxorem, quia Propheta est: & orabit pro te, & vives: si autem nolueris reddere, scito quod morte morieris tu, & omnia quæ tua sunt.

8. Statimque de nocte consurgens Abimelech, vocavit omnes servos suos: & locutus est universa verba hæc in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde.

9. Vocavit autem Abimelech etiam Abraham, & dixit ei: Quid fecisti nobis? quid peccavimus in te, quia induxisti super me & super regnum meum peccatum (*c*) grande? quæ non debuisti facere, fecisti nobis.

10. Rursumque expostulans, ait: Quid vidisti, ut hoc faceres?

11. Respondit Abraham: Cogitavi mecum, dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto: & interficient me propter uxorem meam:

12. Alias autem & * vere soror mea est, filia patris (*d*) mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem. * Sup. 12. 13.

13. Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam: Hanc * misericordiam facies mecum: In omni loco, ad quem ingrediemur, dices quod frater tuus sim. * Infr. 21. 23.

14. Tulit igitur Abimelech oves & boves, & servos & ancillas, & dedit Abraham: reddiditque illi Saram uxorem suam,

15. Et ait: Terra coram vobis est, ubicumque tibi placuerit, habita.

16. Saræ

24. (*e*) Hinc veteres mysterium Trinitatis confirmant; alii geminationem tantum Hebraicam esse putant: vel *pluit Dominus a Domino*, id est, a seipso, seu a sua potentia, non a causis naturalibus: sed mysterium Sanctæ Trinitatis hoc loco insinuari longe probabilius videtur. Has urbes igne cælesti flagrasse ait Tacitus, l. 5. Histor.

26. (*f*) Id est, in columnam, ait Grotius; sed in verum salem conversa est.

31. (*g*) Si existimaverint in tota terra nullum remansisse hominem, excusabilius peccaverunt; sed peccarunt tamen: nec Lot qui inebriatus est, excusandus: ab ebrietate victus uxorem forte sibi accubare finxit, immemor eorum quæ evenerant.

33. (*h*) Quod a vicinis Arabibus fieri quotidie noverat, id forsan putabat licitum.

CAP. XX.

1. (*a*) Urbs erat regia Palæstinæ in Tribu Simeon.

3. (*b*) Monentis illud est, non prædicentis. Innocens erat Abimelech ab adulterii voluntate, sed hoc ipso reus, quod mulierem invitam tulisset.

9. (*c*) Magnam peccati ultionem. *Quid vidisti ut hoc faceres?* Quam in nobis injustitiam, aut libidinem deprehendisti? *Induxisti*, propter me peccare fecisti.

12. (*d*) Thare, *sed non matris meæ*. Nam Thare ex alia uxore genuerat Aran patrem Saræ.

16. Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen (*e*) oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocumque perrexeris: mementoque te deprehensam.

17. Orante autem Abraham, sanavit Deus Abimelech & uxorem, ancillasque ejus, & pepererunt (*f*):

18. Concluserat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ.

C A P U T XXI.

Isaac nascitur, & circumciditur; Ismael cum Agar matre domo pellitur victurus in deserto; Abimelech fœdus init cum Abraham.

* Sup. 17. 19. & 18. 10. 1. Visitavit autem Dominus Saram sicut * promiserat: & implevit quæ locutus est.

* Gal. 4. 23. Heb. 11. 11. 2. Concepitque, & * peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus.

3. Vocavitque Abraham nomen filii sui, quem genuit ei Sara, Isaac:

* Sup. 17. 10. Matth. 1. 2. 4. Et circumcidit eum octavo die, sicut * præceperat ei Deus,

5. Cum centum esset annorum: hac quippe ætate patris, natus est Isaac.

6. Dixitque Sara: Risum fecit mihi Deus: quicumque audierit, corridebit mihi.

7. Rursumque ait: Quis auditurum crederet Abraham quod Sara lactaret filium, quem peperit ei jam seni?

8. Crevit igitur puer, & ablactatus est: fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis ejus.

9. Cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem (*a*) cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham:

* Gal. 4. 30. 10. * Ejice ancillam hanc, & filium ejus: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.

11. Dure accepit hoc Abraham pro filio suo.

12. Cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum super puero & super ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus:

* Rom. 9. 7. Heb. 11. 18. quia * in Isaac vocabitur (*b*) tibi semen.

13. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.

14. Surrexit (*c*) itaque Abraham mane, & tollens panem & utrem aquæ, imposuit scapulæ ejus, tradiditque puerum, & dimisit eam. Quæ cum abiisset, errabat in solitudine Bersabee.

15. Cumque consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum subter unam arborum, quæ ibi erant.

16. Et abiit, seditque e regione (*d*) procul quantum potest arcus jacere; dicit enim: Non videbo morientem puerum: & sedens contra, levavit vocem suam, & flevit.

17. Exaudivit autem Deus vocem pueri: vocavitque Angelus Dei Agar de cælo, dicens: Quid agis Agar? noli timere: exaudivit enim Deus vocem pueri de loco in quo est.

18. Surge, tolle puerum, & tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum.

19. Aperuitque oculos ejus Deus: quæ videns puteum aquæ, abiit, & implevit utrem, deditque puero bibere.

20. Et fuit cum eo: qui crevit, & moratus est in solitudine, factusque est juvenis sagittarius.

21. Habitavitque in deserto Pharan, & accepit illi mater sua uxorem de terra Ægypti.

22. Eodem tempore dixit Abimelech, & Phicol princeps exercitus ejus, ad Abraham: Deus tecum est in universis quæ agis.

23. Jura ergo per Deum, ne noceas (*e*) mihi, & posteris meis, stirpique meæ: sed juxta misericordiam, * quam feci tibi, facies mihi, & terræ in qua versatus es advena. * Sup. 20. 14.

24. Dixitque Abraham: Ego jurabo.

25. Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerant servi ejus.

26. Respónditque Abimelech: Nescivi quis fecerit hanc rem: sed & tu non indicasti mihi, & ego non audivi præter hodie.

27. Tulit itaque Abraham oves & boves, & dedit Abimelech: percusseruntque ambo fœdus.

28. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum.

29. Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum?

30. At ille: Septem, inquit, agnas accipies de manu mea: ut sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum.

31. Idcirco vocatus est locus ille Bersabee: quia ibi uterque juravit:

32. Et inierunt (*f*) fœdus pro puteo juramenti.

33. Surrexit autem Abimelech, & Phicol princeps exercitus ejus, reversique sunt in terram Palæstinorum: Abraham vero plantavit nemus (*g*) in Bersabee, & invocavit ibi nomen Domini Dei æterni.

34. Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

CA-

16 (*e*) Quibus tibi velamen compares, ut ostendas te esse nuptam: ne quis alius in errorem inducatur, ut ego, qui te virginem arbitrabar. LXX. *Hæc tibi erunt in honorem, & omnibus quæ tecum sunt*, ejusdem sexus: & vera loquere, ut omnes norint te esse nuptam: nam mos erat velandi nuptas. Hinc verbum *nubere* ductum est: nec mirum si Deus pristinam gratiam & decorem Saræ contulerit, atque uberiores spiritus, novum vigorem [illegible] Abrahæ, sic Saræ reddiderit.

17. (*f*) Vox Hebræa bene vertitur, conceperunt, aut gravidæ factæ sunt.

CAP. XXI. 9. (*a*) Quicumque is ludus fuerit, certum est fuisse persecutionem quamdam, interprete Apostolo Epist. ad Galat. 4. vel *ludentem*, tibi exponentem. Irridebat forte pietatem Isaac.

12. (*b*) Non qui per Ismaelem, sed qui per Isaac descendent posteri, Abrahami filii vocabuntur: per Isaac habebis posteritatem promissam: ex Isaac Messias orietur, & benedictio Gentium.

14 (*c*) Abraham statim filium suum Dei voluntati permittit, quia non sibi, sed Domino filios educabat.

16. (*d*) Hebr. eminus.

23. (*e*) Hebr. *Quod non mentieris mihi dolo*: Dolo malo non ages mecum. *Bersabee*, Puteus juramenti significat.

32. (*f*) Abraham [illegible] Abimelech donis [illegible] cumulat, Christianæ sapientiæ ante Christum [illegible] sed non ante cognitum, præbet documenta.

33 (*g*) Hebr. *Arborem*, vel arbores, singularem numerum loco pluralis. Ismael filius ancillæ Synagogam, ut Saræ filius Ecclesiam adumbrabat: Ismael persequebatur Isaac, ut Judæi Ecclesiam in ipso ortu sunt persecuti.

CAPUT XXII.

Abrahæ fides & obedientia in filii sui immolatione probatur, hanc prohibet Angelus: promissiones ei factæ confirmantur.

* Judith 8. 22. Hebr. 11. 17. 1. QUæ postquam gesta sunt, * tentavit (*a*) Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit: Adsum.

2. Ait illi: Tolle (*b*) filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.

3. Igitur Abraham de nocte consurgens, stravit asinum suum: ducens secum duos juvenes, & Isaac filium suum: cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum, quem præceperat ei Deus.

4. Die autem tertio, elevatis oculis, vidit locum procul:

5. Dixitque ad pueros suos: Expectate hic cum asino: ego & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.

6. Tulit quoque ligna (*c*) holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse vero portabat in manibus ignem & gladium. Cumque duo pergerent simul,

7. Dixit Isaac patri suo: Pater mi? At ille respondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna, ubi est victima holocausti?

8. Dixit autem Abraham: Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter,

9. Et venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, & desuper ligna composuit: cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum.

* Jacobi 2. 21. 10. * Extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium suum.

11. Et ecce Angelus Domini de cælo clamavit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum.

12. Dixitque ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognovi (*d*) quod times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me.

13. Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio.

14. Appellavitque nomen loci illius, Dominus videt. Unde usque (*e*) hodie dicitur: In monte Dominus videbit.

15. Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundo de cælo, dicens:

16. * Per memetipsum juravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, * Psal. 104. 9. Eccli. 44. 22. 1. Mach. 2. 52.

17. Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. Luc. 1. 73. Hebr. 6. 13. 17.

18. Et * BENEDICENTUR in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. * Sup. 12. 3. & 18. 18. Inf. 26. 4. Eccli. 44. 25. Act. 3. 25.

19. Reversus est Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersabee simul, & habitavit ibi.

20. His ita gestis, nuntiatum est Abrahæ quod Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo,

21. Hus primogenitum, & Buz (*f*) fratrem ejus, & Camuel patrem Syrorum,

22. Et Cased, & Azau, Pheldas quoque, & Jedlaph,

23. Ac Bathuel, de quo nata est Rebecca: octo istos genuit Melcha, Nachor fratri Abrahæ.

24. Concubina vero illius nomine Roma, peperit Tabee, & Gaham, & Tahas, & Maacha.

CA-

CAPUT XXII.

1. (*a*) Id fecit Deus, quod solent facere qui tentant, & scire aliquid volunt per experientiam, ut homo ipse discat quid possit, & quantum a Deo pendeat, ubi occurrunt occasiones peccati.

2. (*b*) Singula verba difficultatem augent, filium, unigenitum, dilectum: *Et vade in terram visionis*, Hebr. *Moriah*; quo in loco templum postea fuit exstructum. 2. Paralip. 3. Distat a querco Mambre 16. millibus passuum, ab urbe Gerara itinere trium dierum, sed a Bersabee, ubi tunc habitabat Abraham, itinere unius diei; verum propter impedimenta sacrificii lentius incedebant. Hic postea fuit area Areunæ, ubi sacrificavit David; ibi templum Salomonis ex consensu Hebræorum positum fuit.

6. (*c*) Quo majori studio Abraham Deo placere nititur, hoc eum Deus magis exercet, ac probat. Evangelicum præceptum, quo omnibus renuntiare jubemur, ille perfecte exequitur, ubique fidelis.

12. (*d*) Cognoscere te feci. Sic August. & alii Patres hunc locum & alia huic similia intelligunt, vel more humano loquitur Deus. Hæc est ultima Abrahæ tentatio, seu probatio. Hæ sunt exitus e patria, fames quæ illum fugere in Ægyptum coegit, uxor abducta, bellum cum quatuor Regibus, prolis desperatio, circumcisio, uxor iterum abducta, ejectio Agar, Ismaelis ablegatio, Isaaci oblatio.

14. (*e*) Proverbialis locutio, qua utebantur in angustiis constituti, & Dei auxilium expectantes. Alii legunt, *Dominus videbitur*: Ita Hieron. in tradit. Hebr. LXX. *Dominus visus est*. Quæ ad Christum aptissime referuntur: nam in figura Isaac immolari & arietis visus est, atque in eodem monte in se ipso videndus erat. Mons ille Moria in varios est diductus colles, in uno ex iis templum constructum fuit, in altero Christus est crucifixus. Quam pulcre sacrificium Isaac Christi sacrificium expresserit, docent SS. Patres. Ambo in monte & in eodem monte oblati: Isaac lignum sacrificii & Christus suam ipse crucem portavit. Silentium Isaac, agnum qui non aperuit os suum, exprimebat. Tria sunt quæ magnam Abrahæ fidem in primis commendant, & promptum ejus obsequium, quæque certam fidem faciunt eorum, quæ a Mose de Abrahamo scripta sunt in Genesi. Primum est quod Deo vocante e patria sua exierit, idololatriam abjecerit, quod facere non potuit, nisi certus esset se a Deo vocari: alterum illud est quod Dei jussu & se & familiam circumciderit, nec dolor Circumcisionis eum deterruerit: de revelatione divina certus paruerit Deo jubenti, qui hoc signo populum suum ab aliis Gentibus secretum esse voluit. Tertium vero quod difficillimum videri debuit, & tot Dei promissis contrarium, sacrificium illud fuit dilectissimi filii: quod sane nunquam exequi voluisset, nisi certus fuisset de revelatione divina. Neque enim in dubium id vocari potest, quin Abraham e patria sua Deo jubente exierit, quin circumcisus fuerit, cum eventus ipse id comprobet: nam ejus posteri in terra aliena, expulsis Chananæis, sedem constituerunt: Circumcisionem amplexi idolorum cultum abjecerunt: nomen monti inditum, & proverbii loco usitatum, sacrificii Isaac magnum est documentum: In monte Dominus videbit. Hieron. in quæst. Hebraicis. & post illum Nicolaus de Lyra testantur hoc apud Hebræos in angustia constitutos in proverbium abiisse: In monte Deus videbit, seu providebit.

21. (*f*) Unde Buzan castellum, ex Grotio, non procul a Syngaris, cujus meminit Ammianus Marcel. Lib 18. *Camuel patrem Syrorum*. Rectius, inquit idem Auctor, patrem Arami, qui dictus est Aram, quod natus esset inter Syros Mesopotamiæ.

CAPUT XXIII.

Moritur Sara; in agro, quem emit Abraham sepelitur.

1. Vixit (a) autem Sara centum viginti-septem annis,

2. Et mortua est in civitate Arbee, quæ est Hebron, in terra Chanaan: venitque (b) Abraham ut plangeret, & fleret eam.

3. Cumque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens:

4. Advena sum & peregrinus apud vos: date mihi jus sepulcri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum.

5. Responderunt filii Heth, dicentes:

6. Audi nos domine, princeps (c) Dei es apud nos: in electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum: nullusque te prohibere poterit quin in monumento ejus sepelias mortuum tuum.

7. Surrexit Abraham, & adoravit populum terræ, filios videlicet Heth:

8. Dixitque ad eos: Si placet animæ vestræ ut sepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor:

9. Ut det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui: pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessione sepulcri.

10. Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. Responditque Ephron ad Abraham cunctis audientibus, qui ingrediebantur portam civitatis illius, dicens:

11. Nequaquam ita fiat, domine mi, sed tu magis ausculta quod loquor: Agrum trado tibi, & speluncam quæ in eo est, præsentibus filiis populi mei, sepeli mortuum tuum.

12. Adoravit (d) Abraham coram populo terræ.

13. Et locutus est ad Ephron, circumstante plebe: Quæso, ut audias me: Dabo pecuniam pro agro: suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum in eo.

14. Responditque Ephron:

15. Domine mi, audi me: Terra, quam postulas, quadringentis siclis argenti valet: istud est pretium inter me & te: sed quantum est hoc? sepeli mortuum tuum.

16. Quod cum audisset Abraham, appendit (e) pecuniam, quam Ephron postulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.

17. Confirmatusque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mambre, tam ipse, quam spelunca, & omnes arbores ejus in cunctis terminis ejus per circuitum,

18. Abrahæ in possessionem, videntibus (f) filiis Heth, & cunctis qui intrabant portam civitatis illius.

19. Atque ita sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre, * Hæc est Hebron in terra Chanaan. * Infr. 35. 27.

20. Et confirmatus est ager, & antrum quod erat in eo, Abrahæ in possessionem monumenti a filiis Heth.

CAPUT XXIV.

Abraham mittit servum, qui uxorem filio suo Isaac quærat; venit in Mesopotamiam, cum Rebecca transigitur matrimonium.

1. Erat autem Abraham senex, dierumque multorum: & Dominus in cunctis benedixerat ei.

2. Dixitque ad servum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat, * Pone manum tuam subter femur (a) meum, * Infr. 47. 29.

3. Ut adjurem (b) te per Dominum Deum cæli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito:

4. Sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias uxorem filio meo Isaac.

5. Respondit servus: Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, numquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egressus es?

6. Dixitque Abraham: Cave nequando reducas filium meum illuc.

7. Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra nativitatis meæ, qui locutus est mihi, & juravit mihi, dicens: * Semini tuo dabo terram hanc: ipse mittet Angelum suum coram te, & accipies inde uxorem filio meo: * Sup. 12. 7. & 13. 15. & 15. 18.

8. Sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis juramento: filium meum tantum ne reducas illuc. * Inf. 26. 4.

9. Po-

CAPUT XXIII.

1. (a) Duobus post annis, quam Thare pater Abrahæ obierat.

2. (b) Vox illa apud Hebræos non raro significat ordiri aliquid, aut accingere se ad aliquid faciendum; potuit etiam tum alibi esse Abraham.

6. (c) Magnus Princeps apud nos; in Actis Apost. cap. 7. S. Stephanus ait Abraham emisse agrum a filiis Hemor filii Sichem; sed Ephron forte fuit natu maximus filius Hemor, ipseque suo & fratrum nomine agrum vendidit, atque Hemor erat binominis; nam & Seor hoc in loco appellatur; Hemor autem fuit filius Sichem, non illius qui vendidit agrum Jacob, sed multo antiquioris. Alii existimant vocem Abraham in Actis additam fuisse, ac textum suppleri facile posse hoc modo: Et positi sunt in sepulcro, Jacob nimirum, quod emit pretio argenti. Abraham a filiis Heth, vel Ephron; & Jacob a filiis Hemor patris Sichem: prior expositio non minus videtur probabilis.

12. (d) Honorem iis exhibuit, vox Hebræa flexum corporis significat.

16. (e) Vivendi normam exemplo suo nos docet Abraham: nos tanquam advenæ hoc in Mundo degimus. Ille gentem regionis, in qua vitam agit, ut advena minime contemnit, illius gentis erga se reverentia, aut liberalitate non abutitur ad suos fines. Quo plus extollitur, eo magis se dimittit, nihil gratis ab incolis terræ vult accipere.

18. (f) Hæc est in jure cessio.

CAPUT XXIV.

2. (a) Hodie quoque, ait Mariana, inter Judæos id moris servatur, ut qui jusjurandum exigit, sedeat super manum præstantis. Hieron. ad Christum refert, qui nasciturus erat e femore Abrahæ.

3. (b) Abrahæ vita omnis est veræ sapientiæ documentum: dare vult uxorem filio, cum ea est ætate, qua possit familiam regere, & uxorem non invenit, sed tamen nabit amore prosequi. Exemplum posteris suis præbet, ne cum alienis & profanis jungant connubia. Quod postea Judæis prohibuit Deus, id cavet, ut uxor eligatur pia, aut saltem quæ ad pietatem facile instituatur. Eliezer non formam, aut opes, aut humana quærit præsidia; non alium progenitorem præter Deum ipsum, quem ante consulit, & ejus Judicium ac voluntatem supplex expectat. Signum petit in se quidem levi, quæ tamen est ejusmodi, ut miseram erga proximum caritatem & humilitatem demonstret. Ut non accipias uxorem, ex iis tamen non recte concluditur Labanum nulla fuisse idololatriæ labe contactum. Summum quidem Deum prorsus colere admittit quilibidam non probandis. Chananæi vero a summo Deo plane defecerant, & multis erant flagitiis inquinati.

9. Posuit ergo servus manum sub fœmore Abraham domini sui, & juravit illi super sermone hoc.

10. Tulitque decem camelos de grege domini sui, & abiit, ex omnibus bonis ejus portans secum, profectusque perrexit in Mesopotamiam ad urbem (c) Nachor.

11. Cumque camelos fecisset accumbere extra oppidum juxta puteum aquæ vespere, tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit:

12. Domine Deus domini mei, Abraham, occurre (d), obsecro, mihi hodie, & fac misericordiam cum Domino meo Abraham.

13. Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendam aquam.

14. Igitur puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam ut bibam: & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est, quam præparasti servo tuo Isaac: & per hoc intelligam quod feceris misericordiam cum domino meo.

15. Necdum intra se verba compleverat, & ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filii Melchæ uxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua:

16. Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro: descenderat autem ad fontem, & impleverat hydriam, ac revertebatur:

17. Occurritque ei servus, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua.

18. Quæ respondit: Bibe domine mi: celeriterque deposuit hydriam super ulnam suam, & dedit ei potum.

19. Cumque ille bibisset, adjecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.

20. Effundensque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum ut hauriret aquam: & haustam omnibus camelis dedit.

21. Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens utrum prosperum iter suum fecisset Dominus, an non.

22. Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos (e) & armillas totidem pondo siclorum decem.

23. Dixitque ad eam: Cujus es filia? indica mihi: est in domo patris tui locus ad manendum?

24. Quæ respondit: Filia sum Bathuelis, filii Melchæ, quem peperit ipsi Nachor.

25. Et addidit, dicens: Palearum quoque & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum.

26. Inclinavit se homo, & adoravit Dominum,

27. Dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam & veritatem suam a domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei.

28. Cucurrit itaque puella, & nuntiavit in domum matris suæ omnia quæ audierat.

29. Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, ubi erat fons.

30. Cumque vidisset inaures & armillas in manibus sororis suæ, & audisset cuncta verba referentis: Hæc locutus est mihi homo: venit ad virum, qui stabat juxta camelos, & prope fontem aquæ,

31. Dixitque ad eum: Ingredere, benedicte Domini: cur foris stas? præparavi domum, & locum camelis.

32. Et introduxit eum in hospitium: ac destravit camelos, deditque paleas & fœnum, & aquam ad lavandos pedes ejus, & virorum qui venerant cum eo.

33. Et appositus est in conspectu ejus panis. Qui ait: Non comedam, donec loquar sermones meos. Respondit ei: Loquere.

34. At ille: Servus, inquit, Abraham sum:

35. Et dominus benedixit domino meo valde, magnificatusque est: & dedit ei oves & boves, argentum & aurum, servos & ancillas, camelos & asinos.

36. Et peperit Sara uxor domini mei filium domino meo in senectute sua, deditque illi omnia quæ habuerat.

37. Et adjuravit me dominus meus, dicens: Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito:

38. Sed ad domum patris mei perges, & de cognatione mea accipies uxorem filio meo:

39. Ego vero respondi domino meo: Quid si noluerit venire mecum mulier?

40. Dominus, ait, in cujus conspectu ambulo, mittet Angelum suum tecum, & diriget viam tuam: accipiesque uxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei.

41. Innocens eris a maledictione mea, cum veneris ad propinquos meos, & non dederint tibi.

42. Veni ergo hodie ad fontem aquæ, & dixi: Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam, in qua nunc ambulo,

43. Ecce sto juxta fontem aquæ, & virgo, quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit a me: Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua:

44. Et dixerit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis hauriam: ipsa est mulier quam præparavit Dominus filio domini mei.

45. Dumque hæc tacitus mecum volverem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in scapula, descenditque ad fontem, & hausit aquam. Et ajo ad eam: Da mihi paululum bibere.

46. Quæ festinans deposuit hydriam de humero, & dixit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis tribuam potum. Bibi, & adaquavit camelos.

47. Inter-

10. (c) Nempe Haran, ubi Nachor habitabat.

12. (d) Succurre. *Inclina hydriam*, nihil est hoc in loco superstitiosum, petitur a Deo specialis ejus directio.

22. (e) Hebr. *Inaurem*: Vox Hebræa sicli dimidium, seu duas drachmas significat: forte Interpres pro drachmis posuit, *siclis*, aut siclus aureus erat unius drachmæ. *Armillas pondere siclorum decem*. Hebr. *Decem auri pondus earum*: Varietas in pondere exprimendo nata est forte ex varia æstimatione sicli apud diversas Nationes.

47. Interrogavique eam, & dixi: Cujus es filia? Quæ respondit: Filia Bathuelis sum, filii Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus, & armillas posui in manibus ejus.

48. Pronusque adoravi Dominum, benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut sumerem filiam fratris domini mei filio ejus.

49. Quamobrem si facitis misericordiam & veritatem (*f*) cum domino meo, indicate mihi: sin autem aliud placet, & hoc dicite mihi, ut vadam ad dexteram, sive ad sinistram.

50. Responderuntque Laban & Bathuel: A Domino egressus est sermo (*g*): non possumus extra placitum ejus quidquam aliud loqui tecum.

51. En Rebecca coram te est, tolle eam, & proficiscere, & sit uxor filii domini tui, sicut locutus est Dominus.

52. Quod cum audisset puer Abraham, procidens adoravit in terram Dominum.

53. Prolatisque (*h*) vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere, fratribus quoque ejus, & matri dona obtulit.

54. Inito convivio, vescentes pariter & bibentes manserunt ibi. Surgens autem mane, locutus est puer. Dimittite me, ut vadam ad dominum meum.

55. Responderuntque fratres ejus, & mater: Maneat puella saltem decem dies (*i*) apud nos, & postea proficiscetur.

56. Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam: dimittite me ut pergam ad dominum meum.

57. Et dixerunt: Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem (*k*).

58. Cumque vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait: Vadam.

59. Dimiserunt ergo eam, & nutricem illius, servumque Abraham, & comites ejus,

60. Imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes: Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.

61. Igitur Rebecca, & puellæ illius ascensis camelis, secutæ sunt virum: qui festinus revertebatur ad dominum suum.

62. Eo autem tempore deambulabat Isaac per
* Sup. 16. 14. viam quæ ducit ad Puteum, * cujus nomen est Viventis & Videntis: habitabat enim in terra Australi.

63. Et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata jam die: cumque elevasset oculos, vidit camelos venientes procul.

64. Rebecca quoque, conspecto Isaac, descendit de camelo,

65. Et ait ad puerum: Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei: Ipse est dominus meus. At illa tollens (*l*) cito pallium, operuit se.

66. Servus autem cuncta, quæ gesserat, narravit Isaac.

67. Qui introduxit eam in tabernaculum (*m*) Saræ matris suæ, & accepit eam uxorem: & in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret.

CAPUT XXV.

Moritur Abraham suscepta multiplici prole e Cetura, iis largitur munera, Isaac relicto hærede; nascuntur Jacob & Esau: primogenituram suam vendit Esau.

1. Abraham vero aliam duxit uxorem nomine Ceturam (*a*): 1. Par. 1. 32.

2. Quæ peperit ei Zamran, & Jecsan, & Madan, & Madian, & Jesboc, & Sue.

3. Jecsan quoque genuit Saba, & Dadan. Filii Dadan fuerunt Assurim, & Latusim, & Loomim.

4. At vero ex Madian ortus est Epha, & Opher (*b*), & Enoch, & Abida, & Eldaa: omnes hi filii Ceturæ.

5. Deditque Abraham cuncta quæ possederat, Isaac:

6. Filiis autem concubinarum largitus est munera, & separavit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viveret, ad plagam Orientalem.

7. Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum septuaginta quinque anni.

8. Et deficiens mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis, & plenus dierum (*c*): congregatusque est ad populum suum.

9. Et sepelierunt eum Isaac & Ismael filii sui in spelunca (*d*) duplici, quæ sita est in agro Ephron filii Seor Hethæi, e regione Mambre.

10. Quem emerat a filiis Heth: ibi sepultus est ipse, & Sara uxor ejus.

11. Et

49. (*f*) Misericordiam in pollicendo, veritatem in præstando. Illa genus omne virtutum liberalium, veritas id omne quod debetur ex obligatione alicujus virtutis includit. *Duo illa*, inquit Augustinus, quæst. 66. *quæ assidue ponuntur in Sanctis Scripturis, & maxime in Psalmis, misericordia & justitia hinc jam apparere cœperunt.*

50. (*g*) Satis apparet certissimum esse sermonem, vel rem ipsam a Domino, nec licere nobis repugnare. An Bathuel fuerit pater aut frater Rebeccæ, dubitat Josephus; signum illud quod sibi datum servus narravit, locutionem Dei appellarunt.

53. (*h*) Nam iis temporibus viri nuptis dotem dabant non nuptæ viris.

55. (*i*) Josephus vocem Hebraicam annum interpretatur: sic ea vox sumitur Levit. 25. 29. Amos 4. 4.

57. (*k*) Non utrum vellet Isaaco nubere: nam pridie adstans tacite consenserat; sed utrum saltem dies aliquot manere apud illos vellet, an statim proficisci. Abraham hoc in loco figura est Dei Patris, ut Isaac Filium exprimit, Eliezer Apostolorum qui Christo conjungunt Ecclesiam ad fontem aquæ, ad fluenta Baptismi; tradit Rebeccæ inaures obedientiæ, armillas bonorum operum.

65. (*l*) Gr. pallium æstivum: operuit vultum more matronarum; ex eo velandi more nuptæ dictæ sunt, & nuptiæ.

67. (*m*) Habebant feminæ tentoria sua seorsum. *Dilexit eam.* In Isaac exemplum habemus obsequii & reverentiæ erga parentes. Jam quadragenarius erat, uxoris electionem parentis optimi voluntati, aut potius Dei providentiæ & consilio permittit, acceptam diligit, ut par erat.

CAPUT XXV.

1. (*a*) Quæ ut Agar ejus ancilla fuit, & sine ritu nuptiarum ducta: unde eorum filii munera tantum acceperunt, non hæreditatem. Uxores dicebantur, pactis dotalibus factæ, sed ancillæ tamen erant; cujusmodi fere apud Germanos sit impar matrimonium, ait Grotius. Concubina apud Hebræos est ancilla, aut vilis alia ad concubitum data sine scripto, sine arrhis, & sine ritibus.

4. (*b*) Gr. apud LXX. 'Αφὲρ a quo Afri.

8. (*c*) Hieron. negat hæc duo esse in Hebr. *Deficiens mortuus est*: ubi nec vocem dierum; adeo ut hinc colligant nonnulli Vulgatam non esse Hieronymi sinceram & integram editionem. Chaldæus & 70 conveniunt in voce dierum. Vox Hebræa quæ vertitur, *deficiens*, mortem facilem & momentaneam potest significare, Hebr. *defecit & mortuus est*, repetitione inusitata: *Congregatusque est ad populum suum*, non ratione corporis, sed animæ immortalis, ad patres suos.

9. (*d*) Sepulcro gemino.

11. Et post obitum illius benedixit Deus Isaac filio ejus, qui habitabat juxta Puteum nomine Viventis & Videntis.

12. Hæ sunt generationes Ismael filii Abrahæ, quem peperit ei Agar Ægyptia, famula Saræ:

13. Et hæc nomina filiorum ejus in vocabulis & generationibus suis. * Primogenitus Ismaelis Nabajoth (e), deinde Cedar, & Adbeel, & Mabsam, (* 1. Par. 1. 29.)

14. Masma quoque, & Duma (f), & Massa,

15. Hadar, & Thema, & Jethur, & Naphis, & Cedma.

16. Isti sunt filii Ismaelis: & hæc nomina per castella & oppida eorum, duodecim principes tribuum suarum.

17. Et facti sunt anni vitæ Ismaelis centum triginta septem, deficiensque mortuus est, & appositus ad populum suum.

18. Habitabit autem ab Hevila usque Sur (g) quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios: coram cunctis fratribus suis obiit.

19. Hæ quoque sunt generationes Isaac filii Abraham: Abraham genuit Isaac.

20. Qui cum quadraginta esset annorum, duxit uxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban.

21. Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudivit eum (h) & dedit conceptum Rebeccæ.

22. Sed collidebantur (i) in utero ejus parvuli: quæ ait: Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Perrexitque ut consuleret Dominum.

23. Qui respondens, ait: * Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & major serviet minori. (* Rom. 9. 10.)

24. Jam tempus pariendi advenerat, & ecce gemini in utero ejus reperti sunt.

25. * Qui prior egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus: vocatumque est nomen ejus Esau. * Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu: & idcirco appellavit eum Jacob. (* Osee 12. 3. * Matth. 1. 2.)

26. Sexagenarius erat Isaac quando nati sunt ei parvuli.

27. Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola: Jacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.

28. Isaac amabat Esau, eo quod de venationibus illius vesceretur: & Rebecca diligebat Jacob.

29. Coxit autem Jacob pulmentum: ad quem cum venisset Esau de agro lassus,

30. Ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen ejus * Edom. (* Abdiæ. 1.)

31. Cui dixit Jacob: Vende mihi primogenita tua (k). (Heb. 12. 16.)

32. Ille respondit: En morior (l), quid mihi proderunt primogenita?

33. Ait Jacob: Jura ergo mihi. Juravit ei Esau, & vendidit primogenita.

34. Et sic accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit; parvipendens quod primogenita vendidisset.

CAPUT XXVI.

Promissio facta Abrahæ, Isaaco iteratur; huic invident Palæstini; puteos fodit: Abimelech filius aut nepos prioris cum eo fœdus init.

1. ORta autem fame (a) super terram, post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abimelech Regem Palæstinorum in Gerara.

2. Apparuitque ei Dominus, & ait: Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi.

3. Et peregrinare in ea, eroque tecum, & benedicam tibi: tibi enim & semini tuo dabo universas regiones has, * complens juramentum, quod spopondi Abraham patri tuo. (* Sup. 12. 7. & 15. 18.)

4. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli: daboque posteris tuis universas regiones has: * & BENEDICENTUR in semine tuo omnes gentes terræ. (* Sup. 12. 3. & 18. 18. Infr. 28. 14.)

7. Eo quod obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & cæremonias (b) legesque servaverit.

6. Mansit itaque Isaac in Geraris,

7. Qui cum interrogaretur a viris loci illius super uxore sua, respondit: Soror mea est: timuerat enim confiteri quod sibi esset sociata conjugio, reputans ne forte interficerent eum propter illius pulcritudinem.

8. Cumque pertransissent dies plurimi, & ibidem moraretur, prospiciens Abimelech Rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum jocantem (c) cum Rebecca uxore sua.

9. Et accersito eo, ait: Perspicuum est quod uxor tua sit: cur mentitus es eam sororem tuam esse? Respondit: Timui ne morerer propter eam.

10. Dixitque Abimelech: Quare imposuisti nobis? potuit coire quispiam de populo cum uxore tua, & induxeras super nos grande peccatum (d). Præcepitque omni populo, dicens:

11. Qui

13. (e) Nabathæa apud Stephanum. Hinc Nabathei Plinio, Cedar apud eum, L. 5. 11. Cedrent.

14. (f) Dumatha urbs Arabiæ Stephano: Thema, Tamna apud eumdem; Jethur, unde Ituræi, L. 1. Paralip. 19. Strabo L. 6.

18. (g) Ampla regio Arabiæ a sinu Persico usque ad mare Rubrum.

21. (h) Post 20 annos.

22. (i) Hæc lucta in utero futuri inter fratres certaminis præsaga fuit.

31. (k) An forte jus Sacerdotii, quod ad primogenitum pertinere vulgo creditum est, nec tamen certum: nam Abel obtulit sacrificia, licet is fuerit secundo genitus. Deinde ut Sacerdotium ad primogenitum jure pertineret, tamen ex eorum genere erant, quæ se habent antecedenter ad spiritualia, ut calix prior est consecratione, & sine illa consistit.

32. (l) Non quod fame si periret in domo opulenta: sed vehementer id desiderans, parvipendebat jus illud primogeniti, quod positum erat in civili aliqua auctoritate: hoc autem factum est ex consilio matris, & ex Dei instinctu; unde & venditio fuit valida.

1. (a) Quærit August. quando hoc sit factum, utrum postea quam Esau vendidit primogenita sua? Post illam quippe narrationem hoc narrari incipit: cum rem in utramque partem agitavit, in eam propendet sententiam, hæc per recapitulationem commemorari. *Quia ibi diuturno tempore fuisse Isaac scribitur, & puteos fodisse, & de his contendisse, & ditatum fuisse pecunia: mirum nisi recapitulando illa commemorantur, quæ ideo fuerant prætermissa, ut primum de filiis ejus usque ad illum locum de lenticula narratio perveniret.* Idque tenendum maxime, si idem sit Abimelech qui Saram concupierat. (CAPUT XXVI.)

5. (b) Vox Hebr. *pacta* potius quam cæremonias significat.

8. (c) Licentia maritali.

10. (d) Scil. fornicationis ignorantiæ.

11. Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.

12. Sevit autem Isaac in terra illa, & invenit in ipso anno centuplum: benedixitque ei Dominus.

13. Et locupletatus est homo, & ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est:]

14. Habuit quoque possessiones ovium & armentorum, & familiæ plurimum. Ob hoc invidentes ei Palæstini,

15. Omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo:

16. In tantum, ut ipse Abimelech diceret ad Isaac: Recede a nobis quoniam potentior nobis factus es valde.

17. Et ille discedens, ut veniret ad torrentem Geraræ, habitaretque ibi:

18. Rursum fodit alios puteos, quos foderant servi patris sui Abraham, & quos, illo mortuo, olim obstruxerant Philisthiim: appellavitque eos eisdem nominibus, quibus ante pater vocaverat.

19. Foderuntque in Torrente, & repererunt aquam vivam.

20. Sed & ibi jurgium fuit pastorum Geraræ adversus pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua: quam ob rem nomen putei ex eo quod acciderat, vocavit Calumniam.

21. Foderunt autem & alium: & pro illo quoque rixati sunt, appellavitque eum, Inimicitias.

22. Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocavit nomen ejus, Latitudo, dicens: Nunc dilatavit nos Dominus, & fecit crescere super terram.

23. Ascendit autem ex illo loco in Bersabee,

24. Ubi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum sum: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham.

25. Itaque ædificavit ibi altare: & invocato nomine Domini, extendit tabernaculum: præcepitque servis suis ut foderent puteum.

26. Ad quem locum cum venissent de Geraris Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum,

27. Locutus est eis Isaac: Quid venistis ad me, hominem quem odistis, & expulistis a vobis?

28. Qui responderunt: Vidimus tecum esse Dominum, & idcirco nos diximus: Sit juramentum inter nos, & ineamus fœdus,

29. Ut non facias nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet: sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini.

30. Fecit ergo eis convivium, & post cibum & potum

31. Surgentes mane, juraverunt sibi mutuo: dimisitque eos Isaac pacifice in locum suum.

32. Ecce autem venerunt in ipso die servi Isaac annuntiantes ei de puteo quem foderant, atque dicentes: Invenimus aquam.

33. Unde appellavit eum, Abundantiam (e), & nomen urbi impositum est Bersabee, usque in præsentem diem.

34. Esau (f) vero quadragenarius duxit uxores, Judith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elon ejusdem loci:

35. * Quæ ambæ offenderant (g) animum Isaac & Rebeccæ. * Infr. 27. 46.

C A P U T XXVII.

Jacob ex Matris consilio Patris benedictionem fratri suo Esau præripit, quæ & suadet Jacob fugam in Haran.

1. SEnuit autem Isaac (a), & caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat: vocavitque Esau filium suum majorem, & dixit ei: Fili mi? Qui respondit: Adsum.

2. Cui pater: Vides, inquit, quod senuerim, & ignorem diem mortis meæ.

3. Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras: cumque venatu aliquid apprehenderis,

4. Fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, & affer ut comedam: & benedicat tibi anima mea antequam moriar.

5. Quod cum audisset Rebecca, & ille abiisset in agrum ut jussionem patris impleret,

6. Dixit filio suo Jacob: Audivi patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei:

7. Affer mihi de venatione tua, & fac cibos ut comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar.

8. Nunc ergo fili mi, acquiesce consiliis meis:

9. Et pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur:

10. Quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquam moriatur.

11. Cui ille respondit: Nosti quod Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis (b):

12. Si attrectaverit me pater meus, & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione.

13. Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantum audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi.

14. Abiit, & attulit, deditque matri: Paravit illa cibos, sicut velle noverat patrem illius.

15. Et

33. (e) Septuag. Interpr. juramentum. Vox Hebræa utrumque significare potest; non tamen ea mens est LXX. ut puteus vocatus sit juramentum, sed quod eodem die puteus sit repertus, & juramentum interpositum.

34. (f) Non ea voluntate patris duas uxores duxerat, quæ piorum parentum animos offenderunt.

35. (g) Quod abhorrerent a doctrina pietatis.

CAPUT XXVII. 1. (a) Jam erat 137. annos natus. *Vocavitque Esau*; hic consequendæ paternæ benedictionis caussa accurrit. Huic benedictioni Deus magna illigaverat bona, eaque fuit Ecclesiasticæ benedictionis per Sacramenta typus. Neque hoc mysterium fuit Rebeccæ incognitum. Quod Isaac intelligens, non revocavit datam Jacob benedictionem. Hinc ille rugitus Esau de tanti boni jactura, quod tamen ipse ante spreverat: non quod omni benedictione caruerit, sed illa quæ Dei promissiones continebat. Odium vero illud Esau, & fratris infectatio, fuga & labores Jacob declarant quod fuerit dominium Jacob, quæ servitus Esau.

11. (b) Nonnulli malunt, *levis*.

15. Et vestibus Esau valde bonis: quas apud se habebat domi, induit eum.

16. Pelliculasque hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.

17. Deditque pulmentum, & panes, quos coxerat, tradidit.

18. Quibus illatis, dixit: Pater mi? At ille respondit: Audio. Quis es tu fili mi?

19. Dixitque Jacob: Ego sum primogenitus tuus (c) Esau: feci sicut præcepisti mihi: surge, sede, & comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua.

20. Rursumque Isaac ad filium suum: Quomodo, inquit, tam cito invenire potuisti, fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit ut cito occurreret mihi quod volebam.

21. Dixitque Isaac: Accede huc, ut tangam te, fili mi, & probem utrum tu sis filius meus Esau, an non.

22. Accessit ille ad patrem, & palpato eo, dixit Isaac: Vox quidem, vox Jacob est: sed manus, manus sunt Esau.

23. Et non cognovit eum, quia pilosæ manus similitudinem majoris expresserant. Benedicens ergo illi,

24. Ait: Tu es filius meus Esau? Respondit, Ego sum.

25. At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, ut benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum, quo hausto,

26. Dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi osculum, fili mi.

27. Accessit, & osculatus est eum. Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filii mei (d) sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

28. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.

29. Et serviant tibi populi, & adorent te tribus (e): esto dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ: qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.

30. Vix Isaac sermonem impleverat, & regresso Jacob foras, venit Esau,

31. Coctosque de venatione cibos intulit patri, dicens: Surge pater mi, & comede de venatione filii tui: ut benedicat mihi anima tua.

32. Dixitque illi Isaac: Quis enim es tu? Qui respondit: Ego sum filius tuus primogenitus Esau.

33. Expavit Isaac stupore vehementi, & ultra quam credi potest, admirans, ait: Quis igitur ille est qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus priusquam tu venires? benedixique ei, & erit benedictus.

34. Auditis Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno, & consternatus, ait: Benedic etiam & mihi, pater mi.

35. Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.

36. At ille subjunxit: Juste vocatum est nomen ejus Jacob: supplantavit enim me en altera vice: * primogenita mea ante tulit, & nunc * Sup. 25.
secundo surripuit benedictionem meam. Rursumque ad patrem: Nunquid non reservasti, ait, 34.
& mihi benedictionem?

37. Respondit Isaac: Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres ejus servituti illius subjugavi: frumento & vino stabilivi eum, & tibi post hæc, fili mi, ultra quid faciam?

38. Cui Esau: Num unam, inquit, tantum benedictionem habes, pater? mihi quoque obsecro ut benedicas. Cumque ejulatu magno fleret,

39. Motus Isaac, dixit ad eum: * In pin- * Heb. 11.
guedine terræ, & in rore cæli desuper 20.

40. Erit benedictio tua. Vives in gladio (f), & fratri tuo servies: tempusque veniet, cum excutias & solvas jugum ejus de cervicibus tuis.

41. Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione qua benedixerat ei pater: dixitque in corde suo: * Venient dies luctus patris * Abd. 10.
mei, & occidam Jacob fratrem meum.

42. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ: quæ mittens & vocans Jacob filium suum, dixit ad eum: Ecce Esau frater tuus minatur ut occidat te.

43. Nunc ergo fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran,

44. Habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui,

45. Et cesset indignatio ejus, obliviscaturque eorum quæ fecisti in eum: postea mittam, & adducam te inde huc: cur utroque orbabor filio in uno die?

46. Dixitque Rebecca ad Isaac: Tædet me Sup. 26. 35.
vitæ meæ propter filias Heth: si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere.

CAPUT XXVIII.

Accepta benedictione paterna Jacob fugit in Mesopotamiam, videt in somnis scalam, experrectus votum Deo vovet.

1. Vocavit itaque Isaac Jacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens: Noli accipere conjugem de genere Chanaan:

2. Sed vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui.

3. Deus

19. (c) Ex August. non fuit mendacium, sed mysterium: alioqui parabolæ essent mendacia. Verum id opponi potest, mysterium in historia latens non destruere sensum historiæ. In Sara quidem & Agar fuit mysterium, sed historiæ sua constat veritas. Itaque si Jacob non est mentitus, id factum est, quod emerit jus primogeniti; sed forsan difficile est singula ejus dicta ab omni mendacio levi excusare: primogenitus tamen fuit Jacob, non nativitate, sed jure.

27. (d) Hanc benedictionem explicat Aug. l. 16. de Civit. cap. 37. *Odore nominis Christi sicut ager Mundus impletur: cujus est benedictio de rore cæli, hoc est, de congregatione populorum, cujus est multitudo quam colligit frumentum & vinum in Sacramento Corporis & Sanguinis ejus. O res gestas, sed Prophetice gestas; in terra, sed cælitus; per homines, sed divinitus!* Pergit: Aug. *Isaac deceptum se non congueritur: immo confessum revelato sibi intus in corde magno Sacramento devitat indignationem, confirmat benedictionem.* Plenus Vox illa in Græco, & in Samaritano textu occurrit. Unde eam excidisse ex Hebræis Grotius opinatur.

29. (e) Sept. Interpr. Principes.

40. (f) Idumæi erant bellicosi ac tempus veniet, cum excutias & solvas jugum ejus, sub Joram, cum Idumæa rebellavit. Lib. 4. Reg. 8. quod eo tempore Israelitæ jugum Legis excussissent.

3. Deus autem omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat, atque multiplicet: ut sis in turbas populorum.

4. Et det tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te: ut possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est avo tuo.

* Osee 12. 12. 5. * Cumque dimisisset eum Isaac, profectus venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ.

6. Videns autem Esau quod benedixisset pater suus Jacob, & misisset eum in Mesopotamiam Syriæ, ut inde uxorem duceret; & quod post benedictionem præcepisset ei, dicens: Non accipies uxorem de filiabus Chanaan:

7. Quodque obediens Jacob parentibus suis isset in Syriam:

8. Probans quoque quod non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus:

9. Ivit ad Ismaelem, & duxit uxorem absque iis, quas prius habebat, Maheleth filiam Ismael filii Abraham, sororem Nabajoth.

10. Igitur egressus Jacob de Bersabee pergebat Haram.

11. Cumque venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui jacebant, & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco.

12. Viditque in somnis scalam (a) stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam,

13. Et Dominum innixum scalæ dicentem
* Inf. 5. 1. & 45. 1 sibi: * Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: Terram, in qua dormis, tibi dabo & semini tuo.

14. Eritque semen tuum quasi pulvis ter-
* Deut 12. 20. & 19. 8. S. p. 26. 4. ræ: * dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem: & † BENEDICENTUR IN TE & in semine tuo cunctæ tribus terræ.

15. Et ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam nisi complevero universa quæ dixi.

16. Cumque evigilasset Jacob de somno, ait: Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.

17. Pavensque, Quam terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.

18. Surgens ergo Jacob mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in ti-
* Inf. 31. 13. tulum (b), * fundens oleum desuper.

19. Appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur.

20. Vovit etiam votum, dicens (c): Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum,

21. Reversusque fuero prospere ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum,

22. Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, (d) cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

CAPUT XXIX.

Jacob a Laban susceptus, huic servit pro Rachele & Lia; hæ quatuor filios peperit, Ruben, Simeon, Levi, & Judam.

1. PRofectus ergo Jacob (a) venit in terram Orientalem.

2. Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ovium accubantes juxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, & os ejus grandi lapide claudebatur.

3. Morisque erat ut cunctis ovibus congregatis devolverent lapidem, & refectis gregibus rursum super os putei ponerent.

4. Dixitque ad pastores: Fratres, unde estis? Qui responderunt: De Haran.

5. Quos interrogans, Numquid, ait, nostis Laban filium Nachor? Dixerunt: Novimus.

6. Sanusne est (b) inquit. Valet, inquiunt: & ecce Rachel filia ejus venit cum grege suo.

7. Dixitque Jacob: Adhuc multum diei superest, nec est tempus ut reducantur ad caulas greges: date ante potum ovibus, & sic eas ad pastum reducite.

8. Qui responderunt: Non possumus, donec omnia pecora congregentur, & amoveamus lapidem de ore putei, ut adaquemus greges.

9. Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui: nam gregem ipsa pascebat.

10. Quam cum vidisset Jacob, & sciret consobrinam suam, ovesque Laban avunculi sui, amovit lapidem quo puteus claudebatur.

11. Et adaquato grege, osculatus est eam (c): & elevata voce flevit.

12. Et indicavit ei quod frater esset patris sui, & filius Rebeccæ: at illa festinans nuntiavit patri suo.

13. Qui cum audisset venisse Jacob filium sororis suæ, cucurrit obviam ei: complexusque eum, & in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris,

14. Respondit: Os meum es, & caro mea. Et postquam impleti sunt dies mensis unius,

15. Dixit

CAPUT XXVIII. 12. (a) *Quæ visio præter altiorem sensum, quem August. in Psalm. 119. explicat, singularem Dei erga Jacob providentiam designabat: parentum, patriæ, fratris loco offertur illi Deus, Cælum, Angeli; pro humano adjutorio Dei providentia, quæ a cælo ad terram usque porrigitur. Bethel, est figura Ecclesiæ, est domus veri Dei, in qua habitat, & porta per quam cælum ingredimur; lapis unctus Christum significat. August. quæst. 83. *Hæc verba ad Prophetiam pertinent: quia ibi futurum erat tabernaculum, quod constituit Dominus in hominibus in primo populo suo; portam autem cæli sic intelligere debemus, tanquam unde fiat aditus credentibus ad capessendum Regnum cælorum, Ascendentes & descendentes*, mandata accipientes & exequentes.

18. (b) Hebræi vertunt *statuam*, Hieron. in cap. 3. Osee vertit *altare*: Unde & illud unxit: lapides sic erecti, aut congesti, tum erant pro altari. *Fundens desuper oleum*: mos ille ad Græcos usque pervenit.

20. (c) Vovet eo in loco se Deo sacrificaturum: *Erit mihi Dominus in Deum*. Ad interiorem cultum jam erat naturali & divina lege obligatus: sed exteriorem cultum vovet.

22. (d) Locus ubi erat lapis, dictus est Bethel, antea Luza dicebatur, in Tribu Ephraim.

CAPUT XXIX. 1. (a) Solus, ut ex cap. 32. vers. 10. colligitur, in Mesopotamiam profectus est.

6. (b) Hebr. *Paxne est ei?* Nam pacis nomine omnia bona intelligunt Hebræi.

11. (c) August. quæst. 87. *Consuetudinis quidem fuit, maxime in illa simplicitate Antiquorum, ut propinqui propinquos oscularentur.* Et hoc hodie fit in multis locis.

15. Dixit ei: Num quia frater meus es, gratis servies mihi? dic quid mercedis accipias.

16. Habebat vero duas filias, nomen majoris Lia: minor vero appellabatur Rachel.

17. Sed Lia lippis erat oculis: (*d*) Rachel decora facie, & venusto aspectu.

18. Quam diligens Jacob, ait: Serviam tibi (*e*) pro Rachel filia tua minore, septem annis.

19. Respondit Laban: Melius est ut tibi eam dem quam alteri viro: mane apud me.

20. Servivit ergo Jacob pro Rachele septem annis, & videbantur illi pauci dies (*f*) præ amoris magnitudine.

21. Dixitque ad Laban: Da mihi uxorem meam: quia jam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam.

22. Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias.

23. Et vespere Liam filiam suam introduxit ad eum,

24. Dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quam cum ex more Jacob fuisset ingressus, facto mane vidit Liam:

25. Et dixit ad socerum suum: Quid est quod facere voluisti? nonne pro Rachel servivi tibi? quare imposuisti mihi?

26. Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias.

27. Imple hebdomadam dierum (*g*) hujus copulæ: & hanc quoque dabo tibi pro opere, quo serviturus es mihi septem annis aliis.

28. Acquievit placito: & hebdomada transacta, Rachel duxit uxorem:

29. Cui pater servam Balam tradiderat (*h*).

30. Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit, serviens apud eum septem annis aliis.

31. Videns autem Dominus quod despiceret Liam, aperuit vulvam ejus, sorore sterili permanente.

32. Quæ conceptum genuit filium, vocavitque nomen ejus Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus.

33. Rursumque concepit & peperit filium, & ait: Quoniam audivit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi: vocavitque nomen ejus, Simeon.

34. Concepitque tertio, & genuit alium filium: dixitque: Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios: & idcirco appellavit nomen ejus, Levi.

35. Quarto concepit, & peperit filium, & ait: Modo confitebor Domino. Et ob hoc vocavit eum, Judam: cessavitque parere.

CAPUT XXX.

Septemplici prole ex Lia & ancillis nata, Rachel peperit Joseph. Jacob redire in patriam cogitans, a Socero retinetur.

1. Cernens autem Rachel quod infœcunda esset (*a*), invidit sorori suæ, & ait marito suo: Da mihi liberos, alioquin moriar.

2. Cui iratus respondit Jacob: Num pro Deo ego sum (*b*), qui privavit te fructu ventris tui?

3. At illa: Habeo, inquit, famulam (*c*) Balam: ingredere ad illam, ut pariat super genua mea, & habeam ex illa filios.

4. Deditque illi Balam in conjugium, quæ,

5. Ingresso ad se viro, concepit, & peperit filium.

6. Dixitque Rachel: Judicavit mihi Dominus, & exaudivit vocem meam, dans mihi filium: & idcirco appellavit nomen ejus, Dan.

7. Rursumque Bala concipiens peperit alterum,

8. Pro quo ait Rachel: Comparavit me Deus (*d*) cum sorore mea, & invalui: vocavitque eum, Nephthali.

9. Sentiens Lia quod parere desiisset, Zelpham ancillam suam marito tradidit (*e*).

10. Qua post conceptum edente filium,

11. Dixit: Feliciter: & idcirco vocavit nomen ejus, Gad.

12. Peperit quoque Zelpha alterum.

13. Dixitque Lia: Hoc pro beatitudine mea: Beatam quippe me dicent mulieres: propterea appellavit eum, Aser.

14. Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mandragoras (*f*), quas matri Liæ detulit: Dixitque Rachel: Da mihi partem de mandragoris filii tui.

15. Illa respondit: Parumne tibi videtur, quod præripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filii mei tuleris? Ait Rachel: Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui.

16. Re-

17. (*d*) Hebr. *Teneris*: LXX. infirmis, pronis in lacrymas.

18. (*e*) Pro more tum usitato uxores emebantur: pauper erat Jacob, loco pretii per septem annos servit.

20. (*f*) Hebr. *Unus dies*, præ amoris magnitudine; pretium vile videbatur cum amore comparatum: cum tamen amanti mora omnis longa sit.

27. (*g*) Non dicit Scriptura post alios 7. annos, sed post hebdomadam dierum, nempe post dies 7. Rachelem a Jacobo accipiendam: nam hebdomada refertur ad nuptiarum celebritatem, quam dies septem continuare solemne erat, & nunc quoque idem Judæis mos est. Cum serviebat alteram annorum hebdomadam, accepisse Rachelem Judæi, inquit Capellus ad Tabulam 5. Chronologiæ sacræ, constanter affirmant. Nam si Rachelem post 14. annos servitutis exactos duxisset, quo pacto ex ea natus esset Joseph in fine anni 14 ut probatum fuit in Proleg. idque liquet ex cap. sequenti vers. 25. non expectavit alios septem annos, sed continuo illi data est, ex Hieron. in Traditionibus: *Imple hebdomadam*, dies septem nuptiali lætitiæ dicatos ex more illarum regionum. Jud. 14. 15. & *hanc quoque dabo tibi*, cum novo nuptiali connubio post illos septem dies, sed sub lege operarum per septennium.

29. (*h*) Jacob anno ætatis 84. utramque sororem ducit.

1. (*a*) Hæc Polygamia non potest adscribi intemperantiæ Jacob, ut calumniabantur Manichæi: unam enim petiit uxorem, nempe Rachelem: Lia vero ei per fraudem est supposita. Rogatus ab uxoribus ancillas earum accepit, sed præ oculis habebat promissionem Dei de semine multiplicando. CAPUT XXX.

2. (*b*) Hebræi notant Deum quatuor claves naturæ sibi reservasse; 1. Generationis, quæ clavis est vitæ, ut ex hoc loco patet. 2. Clavis est alimoniæ, ex Psalm. 145 vers. 16 3. Clavis est pluviæ, Deut. 28. 12. 4. Clavis sepulcrorum, seu resurrectionis, Ezech. 37. 12. sic Tirinus in hunc locum.

3. (*c*) Vox Hebræa uti & Græca ingenuam significat ministram.

8. (*d*) Hebr. *Luctationibus Dei*, Phrasi Hebraica, magnis luctationibus. *Cum sorore mea*: Nunc le æqualem sorori putat.

9. (*e*) In uxorem.

14. (*f*) Utrum vox Hebræa mandragoras significet, valde incertum est: quædam sunt mandragoræ specie pulcræ, & odore suavei: alii vocem Hebraicam דודים *dudaim*, lilia esse putant. Semen mandragoræ vulvam purgare ait Plinius Lib. 25. cap. 13.

16. Redeuntique ad vesperam Jacob de agro, egressa est in occursum ejus Lia, & ad me, inquit, intrabis: quia mercede conduxi te pro mandragoris filii mei. Dormivitque cum ea nocte illa.

17. Et exaudivit Deus preces ejus: concepitque & peperit filium quintum,

18. Et ait: Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo: appellavitque nomen ejus, Issachar.

19. Rursum Lia concipiens, peperit sextum filium,

20. Et ait: Dotavit me Deus dote bona: etiam hac vice mecum erit maritus meus, eo quod genuerim ei sex filios: & idcirco appellavit nomen ejus, Zabulon.

21. Post quem peperit filiam, nomine Dinam.

22. Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudivit eam, & aperuit vulvam ejus.

23. Quæ concepit & peperit filium, dicens: Abstulit Deus opprobrium meum.

24. Et vocavit nomen ejus Joseph (*g*), dicens: Addat mihi Dominus filium alterum.

25. Nato autem Joseph, dixit Jacob socero suo: Dimitte me, ut revertar in patriam, & ad terram meam.

26. Da mihi uxores, & liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam: tu nosti servitutem, qua servivi tibi.

27. Ait illi Laban: Inveniam gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te:

28. Constitue mercedem tuam quam dem tibi.

29. At ille respondit: Tu nosti quomodo servierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua.

30. Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc dives effectus es: benedixitque tibi Dominus ad introitum meum (*h*). Justum est igitur ut aliquando provideam etiam domui meæ.

31. Dixitque Laban: Quid tibi dabo? At ille ait: Nihil volo; sed si feceris quod postulo, iterum pascam, & custodiam pecora tua.

32. Gyra omnes greges tuos (*i*), & separa cunctas oves varias & sparso vellere: & quodcumque furvum, & maculosum, variumque fuerit, tam in ovibus, quam in capris, erit merces mea.

33. Respondebitque mihi cras justitia mea (*k*), quando placiti tempus advenerit coram te: & omnia quæ non fuerint varia, & maculosa, & furva, tam in ovibus quam in capris, furti me arguent.

34. Dixitque Laban: Gratum habeo quod petis.

35. Et separavit in die illa capras, & oves, & hircos, & arietes, varios atque maculosos: cunctum autem gregem unicolorem, id est, albi & nigri velleris, tradidit in manu filiorum suorum.

36. Et posuit spatium itineris trium dierum inter se & generum, qui pascebat reliquos greges ejus.

37. Tollens ergo Jacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticavit eas: detractisque corticibus, in his, quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illa vero, quæ integra fuerant, viridia permanserunt: atque in hunc modum color effectus est varius.

38. Posuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua: ut cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent.

39. Factumque est ut in ipso calore coitus oves intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diverso colore respersa.

40. Divisitque gregem Jacob, & posuit virgas in canalibus ante oculos arietum: erant autem alba & nigra quæque, Laban (*l*): cætera vero, Jacob, separatis inter se gregibus.

41. Igitur quando primo tempore ascendebantur oves (*m*), ponebat Jacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum & ovium, ut in earum contemplatione conciperent:

42. Quando vero serotina admissura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas. Factaque sunt ea, quæ erant serotina, Laban: & quæ primi temporis, Jacob.

43. Ditatusque est homo ultra modum, & habuit greges multos, ancillas & servos, camelos & asinos.

CAPUT XXXI.

Jacob, jubente Deo, in patriam revertitur inscio socero, qui eum assecutus cum eo expostulat: tum inito inter eos fœdere ad propria quisque discedit.

1. POstquam autem audivit verba filiorum Laban dicentium: Tulit Jacob omnia, quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclytus:

2. Ani-

24. (*g*) Expleto servitutis tempore nascitur Joseph veri Salvatoris typus. Quo quidem uno Rachel Liæ fœcunditatem superavit.

30. (*h*) Hebr. *Ad pedem meum*; Simul atque intravi domum tuam.

32. (*i*) Congrega omnes oves & capras tuas, ut separemus unicolores a variegatis & subnigris. Jacob penes se gregem tantum album retinuit. Hebr. *Gyrabo omnes greges tuos hodie*; lustrabo: & *erit merces mea*, ut coloni, sic pastores sunt interdum partiarii: hoc est, partem gregis ex pacto sibi vindicant.

33. (*k*) Futura dies ostendet quam tibi fideliter servierim. *Quando placiti tempus advenerit coram te*. Quando in fine anni juxta pacta conventa fœtus erunt dividendi, ac tibi cedent omnes unicolores, mihi subnigri, vel sparsi, seu diversi coloris: utrum hæc miraculo, an vi naturali evenerint, alii aliter opinantur.

40. (*l*) Vox *alba*, non est in Hebræo, & videtur sententiam confundere. Hebr. sic habet: *Divisitque greges Jacob, & dedit facies ovium ad allegare*, nempe ut includerentur in aliquem locum, ubi delectus fieret. Juxta conventa, nigræ dataæ sunt Labano; aliæ, quæ nascebantur, semper erant penes Jacob, quas separabat a grege Labani. Ergo id erat pactum, ait Mariana, ut varium in grege & nigrum Labani filius traderetur pascendum; album tantum maneret penes Jacob ut pasceret: ex albo nascebantur alba, nigra, varia: nigra & alba Labani erant, varia Jacobi. *Et sic*, inquit Jacob, *erat*, seu eo tempore, quo nascetur fœtus bis in anno, *stabat placitum*, & de ea tota judicium.

41. (*m*) Ovium quædam verno, aliæ autumnali tempore concipiebant, arietibus ad eas admissis: serotinam admissuram vocat autumnalem, quæ deterior erat. Tum vero populeas virgas non ponebat Jacob, ac fœtus erant Labani: qui verni temporis, Jacob. Quod utique fecit monitu Angeli, ut debitam sibi multis nominibus mercedem vindicaret, arte licita, ubi ad consequendum id quod jure sibi debetur, non fraus est, sed prudentia, ait Estius: cum uxoribus jure naturæ dos justa a patre deberetur, nec dabatur tamen. Deinde secundo septennio, non ex animo pastus est, sed coactus.

2. Animadvertit quoque faciem Laban, quod non esset erga se sicut heri, & nudiustertius,

3. Maxime dicente sibi Domino, Revertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eroque tecum.

4. Misit, & vocavit Rachel & Liam in agrum, ubi pascebat greges,

5. Dixitque eis: Video faciem patris vestri quod non sit erga me sicut heri & nudiustertius: Deus autem patris mei fuit mecum:

6. Et ipsæ nostis quod totis viribus meis servierim patri vestro.

7. Sed & pater vester circumvenit me (*a*), & mutavit mercedem meam decem vicibus: & tamen non dimisit eum Deus ut noceret mihi.

8. Si quando dixit: Variæ erunt mercedes tuæ: pariebant omnes oves varios fœtus: quando vero e contrario ait: Alba quæque accipies pro mercede (*b*): omnes greges alba pepererunt.

9. Tulit Deus substantiam patris vestri, & dedit mihi.

10. Postquam enim conceptus ovium tempus advenerat, levavi oculos meos, & vidi in somnis ascendentes mares super feminas, varios & maculosos, & diversorum colorum.

11. Dixitque Angelus Dei ad me in somnis: Jacob? Et ego respondi: Adsum.

12. Qui ait: Leva oculos tuos, & vide universos masculos ascendentes super feminas, varios, maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban.

* Sup. 18. 18. 13. Ego sum Deus Bethel, * ubi unxisti lapidem, & votum vovisti mihi. Nunc ergo surge; & egredere de terra hac, revertens in terram nativitatis tuæ.

14. Responderuntque Rachel & Lia: Numquid habemus residui quidquam (*c*) in facultatibus & hæreditate domus patris nostri?

15. Nonne quasi alienas reputavit nos, & vendidit (*d*), comeditque pretium nostrum?

16. Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, ac filiis nostris: unde omnia, quæ præcepit tibi Deus, fac.

17. Surrexit itaque Jacob, & impositis liberis ac conjugibus suis super camelos, abiit.

18. Tulitque omnem substantiam suam, & greges, & quidquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in terra Chanaan.

19. Eo tempore ierat Laban ad tondendas oves, & Rachel furata est idola patris sui.

20. Noluitque Jacob confiteri socero suo quod fugeret.

21. Cumque abiisset tam ipse, quam omnia quæ juris sui erant, & amne transmisso pergeret contra montem Galaad,

22. Nuntiatum est Laban die tertio quod fugeret Jacob.

23. Qui, assumptis fratribus suis, persecutus est eum diebus septem: & comprehendit eum in monte Galaad.

24. Viditque in somnis dicentem sibi Deum: Cave ne quidquam aspere loquaris contra Jacob.

25. Jamque Jacob extenderat in monte tabernaculum: cumque ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem monte Galaad fixit tentorium.

26. Et dixit ad Jacob: Quare ita egisti, ut clam me abigeres filias meas quasi captivas gladio?

27. Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?

28. Non es passus ut oscularer filios meos & filias: stulte operatus es: & nunc quidem

29. Valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris vestri heri dixit mihi: * Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius. * Infr. 48. 16.

30. Esto, ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui: cur furatus es deos meos (*e*)?

31. Respondit Jacob: Quod inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas.

32. Quod autem furti me arguis: apud quemcumque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris: scrutare, quidquid tuorum apud me inveneris, & aufer: hæc dicens, ignorabat quod Rachel furata esset idola.

33. Ingressus itaque Laban tabernaculum Jacob & Liæ, & utriusque famulæ, non invenit. Cumque intrasset tentorium Rachelis,

34. Illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper: scrutantique omne tentorium, & nihil invenienti,

35. Ait: Ne irascatur dominus meus, quod coram te assurgere nequeo: quia juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi: sic delusa sollicitudo quærentis est.

36. Tumensque Jacob, cum jurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, (*f*)

37. Et scrutatus es omnem supellectilem meam? Quid invenisti de cuncta substantia domus tuæ? pone hic coram fratribus meis & fratribus tuis, & judicent inter me & te.

38. Idcirco viginti annis fui tecum: oves tuæ & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi:

39. Nec captum a bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam: quidquid furto peribat, a me exigebas:

40. Die noctuque æstu urebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.

41. Sicque per viginti annos in domo tua servivi tibi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis: immutasti quoque mercedem meam decem vicibus.

42. Nisi

CAPUT XXXI.

7. (*a*) Prisa, me invito, mutavit *decem vicibus*; certus forte numerus pro indefinito, aut per denos ovium partus, modo qui unius, modo qui varii essent coloris sibi dari volebat Laban; oves autem Mesopotamiæ bis parere in anno testatur Hieron. ut in Italia bis gravidæ pecudes.

8. (*b*) Plerique voce Hebræa *succincta* intelligunt, quorum nempe media corpus cingebat: cum grex relictus Jacobo a toto albus esset, quomodo hæc alba dedisset genera?

14. (*c*) Nihil est quod expectemus e bonis paternis.

15. (*d*) Elocavit non nostrum, sed suum respiciens commodum, *comedit pretium nostrum*, dotem nullam nobis dedit.

30. (*e*) Rachel occulte abstulit deos argenteos, quorum valor debebatur filiabus pro dote, non ut eos coleret.

36. (*f*) Pagninus, *Persecutus es me*. Vox enim Hebræa persequi significat. Sic Psalm. 7. usurpatur, *sagittas suas ardentibus effecit*; Sagittas paravit Deus persequentibus me.

42. Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac (g) affuisset mihi, forsitan modo nudum me dimisisses: afflictionem meam & laborem manuum mearum respexit Deus, & arguit te heri.

43. Respondit ei Laban: Filiæ meæ & filii, & greges tui, & omnia quæ cernis, mea sunt: quid possum facere filiis & nepotibus meis?

44. Veni ergo, & ineamus fœdus: ut sit in testimonium inter me & te.

45. Tulit itaque Jacob lapidem, & erexit illum in titulum:

46. Dixitque fratribus suis: Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque super eum:

47. Quem vocavit Laban Tumulum testis, & Jacob, Acervum testimonii: uterque juxta proprietatem linguæ suæ (h).

48. Dixitque Laban: Tumulus iste erit testis inter me, & te hodie, & idcirco appellatum est nomen ejus Galaad, id est, Tumulus testis.

49. Intueatur & judicet Dominus (i) inter nos quando recesserimus a nobis.

50. Si afflixeris filias meas, & si introduxeris alias uxores super eas: nullus sermonis nostri testis est (k) absque Deo, qui præsens respicit.

51. Dixitque rursus ad Jacob: En tumulus hic, & lapis quem erexi inter me & te,

52. Testis erit: tumulus, inquam, iste & lapis sint in testimonium, si aut ego transiero illum pergens ad te, aut tu præterieris, malum mihi cogitans.

53. Deus Abraham, & Deus Nachor, judicet inter nos, Deus patris eorum. Juravit ergo Jacob per timorem patris sui Isaac:

54. Immolatisque victimis in monte, vocavit fratres suos ut ederent panem. Qui cum comedissent, manserunt ibi.

55. Laban vero de nocte consurgens, osculatus est filios & filias suas, & benedixit illis: reversusque est in locum suum.

CAPUT XXXII.

Jacob visis Angelis nuntios & munera mittit ad fratrem, luctatur cum Angelo, a quo benedictionem accipit, & nominis mutationem.

* Infr. 48. 16. 1. Jacob * quoque abiit itinere quo cœperat: fueruntque ei obviam Angeli Dei.

2. Quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt (a) hæc: & appellavit nomen loci illius Mahanaim, id est, Castra.

3. Misit autem & nuntios ante se ad Esau fratrem suum in terram Seir, in regionem Edom:

4. Præcepitque eis, dicens: Sic loquimini domino meo Esau: Hæc dicit frater tuus Jacob: Apud Laban peregrinatus sum, & fui usque in præsentem diem.

5. Habeo boves, & asinos, & oves, & servos, & ancillas: mittoque nunc legationem ad dominum meum, ut inveniam gratiam in conspectu tuo.

6. Reversique sunt nuntii ad Jacob, dicentes: Venimus ad Esau fratrem tuum, & ecce properat tibi in occursum cum quadringentis viris.

7. Timuit Jacob valde: & perterritus divisit populum qui secum erat, greges quoque & oves & boves & camelos, in duas turmas,

8. Dicens: Si venerit Esau ad unam turmam, & percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, salvabitur.

9. Dixitque Jacob: Deus patris mei (b) Abraham, & Deus patris mei Isaac: Domine qui dixisti mihi: Revertere in terram tuam, & in loco nativitatis tuæ, & benefaciam tibi.

10. Minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua, quam explevisti servo tuo. In baculo meo transivi Jordanem istum: & nunc cum duabus turmis regredior.

11. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo: ne forte veniens percutiat matrem cum filiis.

12. Tu locutus es quod benefaceres mihi, & dilatares semen meum sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest.

13. Cumque dormisset ibi nocte illa, separavit de his quæ habebat, munera Esau fratri suo,

14. Capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas, & arietes viginti,

15. Camelos fœtas ( ) cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, asinas viginti, & pullos earum decem.

16. Et misit per manus servorum suorum singulos seorsum greges, dixitque pueris suis: Antecedite me: & sit spatium inter gregem & gregem.

17. Et præcepit priori, dicens: Si obvium habueris fratrem meum Esau, & interrogaverit te, Cujus es? aut, Quo vadis? aut, Cujus sunt ista quæ sequeris?

18. Respondebis: Servi (d) tui Jacob, munera misit domino meo Esau: ipse quoque post nos venit.

19. Similiter dedit mandata secundo, & tertio, & cunctis qui sequebantur greges, dicens: Iisdem verbis loquimini ad Esau, cum inveneritis eum.

20. Et addetis: Ipse quoque servus tuus Jacob iter nostrum insequitur: dixit enim: Placabo illum muneribus quæ præcedunt, & postea videbo illum, forsitan propitiabitur mihi.

21. Præcesserunt itaque munera ante eum, ipse vero mansit nocte illa in castris.

22. Cum-

42. (g) Deus quem timet & colit pater meus.

47. (h) Id nonnullis videtur additum ab Interprete, ut innueret alterum Syriace, alterum Hebraice locum eum appellasse tumulum testis.

49. (i) Hebr. *Specula*, supple, vocatus est titulus, quoniam adjecit Laban, *Intueatur & judicet Dominus*.

50. (k) Hebr. Non est *quisquam nobiscum*, est Deus testis inter me & te: ut omnes a sint, Deus certe testis est. August. quæst. 99. in Genes. *Nullus extraneorum Dei testimonio jungendus*.

CAPUT XXXII.

2. (a) Angelorum multitudo, seu militia cœli.

9. (b) In his verbis & humana infirmitas, & fides pietatis apparet. Formam orationis tradit, promissa Dei commemorat, accepta beneficia, indignitatem suam, periculum imminens, timorem justum, quo suis magis, quam sibi timet.

15. (c) Lactantes.

18. (d) Jacob exemplo suo docet quanto studio offensi etiam sine caussa fratrum animi placandi sint. Vir sapiens justo timore sic corripitur, ut fides ejus non periclitetur, nec turbetur ratio: suorum saluti sic prospicit, ut Deum non tentet.

22. Cumque mature surrexisset, tulit duas uxores suas, & totidem famulas cum undecim filiis, & transivit vadum Jaboc.

23. Traductisque omnibus quæ ad se pertinebant,

24. Mansit solus: & ecce vir luctabatur cum eo usque mane.

25. Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit.

26. Dixitque ad eum: Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.

27. Ait ergo: Quod nomen est tibi? Respondit: Jacob.

28. At ille, Nequaquam (e), inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?

29. Interrogavit eum Jacob: Dic mihi, quo appellaris nomine? Respondit: Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco.

30. Vocavitque Jacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Deum facie ad faciem: & salva facta est anima mea (f).

31. Ortusque est ei statim sol, postquam transgressus est Phanuel: ipse vero claudicabat pede.

32. Quam ob causam non comedunt nervum filii Israel, qui emarcuit in femore Jacob, usque in præsentem diem: eo quod tetigerit nervum femoris ejus, & obstupuerit.

CAPUT XXXIII.

Benigne exceptus ab Esau demum revertitur Jacob, tum in Socoth fixis tentoria, tum in Salem.

1. ELevans autem Jacob oculos suos, vidit venientem Esau, & cum eo quadringentos viros: divisitque filios Liæ & Rachel, ambarumque famularum:

2. Et posuit utramque ancillam, & liberos earum in principio: Liam vero, & filios ejus in secundo loco: Rachel autem & Joseph novissimos.

3. Et ipse progrediens adoravit pronus (a) in terram septies, donec appropinquaret frater ejus.

4. Currens itaque Esau obviam fratri suo, amplexatus (b) est eum: stringensque collum ejus, & osculans flevit.

5. Levatisque oculis, vidit mulieres & parvulos earum, & ait: Quid sibi volunt isti? & si ad te pertinent? Respondit: Parvuli sunt, quos donavit mihi Deus servo tuo.

6. Et appropinquantes ancillæ & filii earum, incurvati sunt.

7. Accessit quoque Lia cum pueris suis: & cum similiter adorassent, extremi Joseph & Rachel adoraverunt.

8. Dixitque Esau: Quænam sunt istæ turmæ, quas obviam habui? Respondit: Ut invenirem gratiam coram domino meo.

9. At ille ait: Habeo plurima, frater mi, sint tua tibi.

10. Dixitque Jacob: Noli ita, obsecro; sed si inveni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manibus meis: sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei (c): esto mihi propitius:

11. Et suscipe benedictionem, quam attuli tibi, & quam donavit mihi Deus tribuens omnia. Vix fratre compellente, suscipiens,

12. Ait: Gradiamur simul, eroque socius itineris tui.

13. Dixitque Jacob: Nosti domine mi, quod parvulos habeam teneros, & oves & boves fœtas mecum: quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges.

14. Præcedat dominus meus ante servum suum: & ego sequar paullatim vestigia ejus, sicut videro parvulos meos posse, donec veniam (d) ad dominum meum in Seir.

15. Respondit Esau: Oro te, (e) ut de populo qui mecum est, saltem socii remaneant viæ tuæ. Non est, inquit, necesse: hoc uno tantum indigeo, ut inveniam gratiam in conspectu tuo, domine mi.

16. Reversus est itaque illo die Esau itinere quo venerat in Seir.

17. Et Jacob venit in Socoth: ubi ædificata domo & fixis tentoriis, appellavit, nomen loci illius Socoth, id est, tabernacula.

18. Transivitque in Salem urbem Sichimorum (f), quæ est in terra Chanaan, postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ: & habitavit juxta oppidum.

19. Emitque partem agri in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor patris Sichem centum annis (g).

20. Et erecto ibi altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israel.

CA-

28. (e) Non solum Jacob, sed etiam Israel, ac potissimum in posteris vocaberis. *Prævalebis*. Jacob de viribus suis certus humilitatem suam non deserit, ac de placando fratris animo, immo & de sanando sic cogitat, ut de illo sit magis quam de se ipso sollicitus, humilitate & liberalitate fratrem superaturus.

30. (f) Erat veteris opinio, qui vidissent Angelos, eos morituros. Nonnisi ad tempus Jacob claudicasse probabilius videtur. Tetigit nervum femoris; vel ut putat Vatablus, musculum, qui propior est acetabulo, ut certior esset de lucta & victoria luctator: nec tamen hanc veram fuisse luctam putat Hieron. sed talem fuisse, qualem describit Apostol. Ephes. 6. Non nobis est colluctatio: attamen luctam illam veram fuisse hinc liquet, quod claudicaverit ad tempus Jacob; & hujus rei monumentum fuit, quod Judæi ex ea parte quæ prope coxendicem posita est, non manducaverint. Noverat Moses quantum homo inferior sit Deo, neque id ex præjudicata opinione, sed ex revelatione divina scripsit. Quo quidem mysterio intelligimus luctandum quodammodo nobis esse cum Deo, precibus nostris exorandum, ut benedictionem nobis impertiat: atque hinc discimus in Scripturis non litteralem tantummodo, sed spiritalem quoque sensum quæri oportere, ac litteram sæpe occidere, nisi cum spiritu conjungatur.

3. (a) Civilem fratri exhibuit reverentiam.

4. (b) Hebr. *Et osculatus est eum.*

10. (c) Hebr. *Elohim*, quæ vox sæpe Angelos significat; non raro hominibus tribuuntur proprietates, quæ Deo competunt per essentiam, ut justitia & bonitas: immo interdum cum proprietatibus nomina: sic dicimus, homo homini *Deus*, ob benignitatem: sic Judices dii vocantur.

14. (d) Non mendaciter promisit Jacob, veraci animo promisit: sed aliud postea cogitando elegit.

15. (e) Nihil eorum quæ innoxie fieri possunt, omittit Jacob, sed iter suum fratris copiis muniri non sinit; munera largitur, non accipit.

18. (f) Vox illa potest esse nomen adjectivum, quod significat sanum & incolumem: unde Pagninus vertit, venit incolumis.

19. (g) Vox Hebræa agnum significat, & monetam cui forte impressa erat agni figura: unde & a Latinis pecunia dicta est, quod ea uterentur vice pecudum, cum quibus alias merces antea solebant permutare: Ita Mariana. Et quidem Sanctus Stephanus Act. 7. vers. 16. emptum agrum, ait pretio argenti, non agnis. Sed tamen non est facile discedendum a proprietate vocis: tum vero erat usitata rerum commutatio.

CAPUT XXXIV.

Raptus Dinæ a Sichem, quam injuriam fratres Dinæ ulciscuntur.

1. EGressa est autem Dina filia Liæ ut videret mulieres regionis illius.

2. Quam cum vidisset Sichem filius Hemor Hevæi, princeps terræ illius, adamavit eam: & rapuit, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem.

3. Et conglutinata est anima ejus cum ea, tristemque delinivit blanditiis.

4. Et pergens ad Hemor patrem suum, Accipe, inquit, mihi puellam hanc conjugem.

5. Quod cum audisset Jacob, absentibus filiis, & in pastu pecorum occupatis, siluit donec redirent.

6. Egresso autem Hemor patre Sichem, ut loqueretur ad Jacob,

7. Ecce filii ejus veniebant de agro: auditoque quod acciderat, irati sunt valde, eo quod fœdam rem operatus esset in Israel, & violata filia Jacob, rem illicitam perpetrasset.

8. Locutus est itaque Hemor ad eos: Sichem filii mei adhæsit anima filiæ vestræ: date eam illi uxorem:

9. Et jungamus vicissim connubia: filias vestras tradite nobis, & filias nostras accipite.

10. Et habitate nobiscum: terra in potestate vestra est, exercete, negotiamini, & possidete eam.

11. Sed & Sichem ad patrem & ad fratres ejus ait: Inveniam gratiam coram vobis: & quæcumque statueritis, dabo:

12. Augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantum date mihi puellam hanc uxorem.

13. Responderunt filii Jacob Sichem & patri ejus in dolo, sævientes ob stuprum sororis:

14. Non possumus facere quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso: quod illicitum & nefarium est apud nos.

15. Sed in hoc valebimus fœderari, si volueritis esse similes nostri, & circumcidatur in vobis omne masculini sexus.

16. Tunc dabimus & accipiemus mutuo filias vestras, ac nostras: & habitabimus vobiscum, erimusque unus populus:

17. Si autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam nostram, & recedemus.

18. Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio ejus:

19. Nec distulit adolescens quin statim quod petebatur, expleret: amabat enim puellam valde, & ipse erat inclytus in omni domo patris sui.

20. Ingressique portam urbis, locuti sunt ad populum:

21. Viri isti pacifici sunt, & volunt habitare nobiscum: negotientur in terra, & exerceant eam, quæ spatiosa & lata cultoribus indiget: filias eorum accipiemus uxores, & nostras illis dabimus.

22. Unum est, quo differtur tantum bonum: Si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes:

23. Et substantia eorum, & pecora, & cuncta quæ possident, nostra erunt: tantum in hoc acquiescamus, & habitantes simul, unum efficiemus populum.

24. Assensique sunt omnes, circumcisis cunctis maribus.

25. Et ecce, die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est: arreptis, duo filii Jacob, Simeon & Levi fratres Dinæ, gladiis (a), ingressi sunt urbem confidenter: * interfectisque omnibus masculis, * Inf. 49. 6.

26. Hemor & Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam.

27. Quibus egressis, irruerunt super occisos cæteri filii Jacob: & depopulati sunt urbem in ultionem stupri.

28. Oves eorum, & armenta, & asinos, cunctaque vastantes quæ in domibus & in agris erant,

29. Parvulos quoque eorum & uxores duxerunt captivas.

30. Quibus patratis audacter, Jacob dixit ad Simeon & Levi: Turbastis (b) me, & odiosum fecistis me Chananæis, & Pherezæis habitatoribus terræ hujus: nos pauci sumus: illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.

31. Responderunt: Numquid ut scorto abuti debuere sorore nostra?

CAPUT XXXV.

Jussu Dei Jacob ascendit in Bethel, ibi erecto altari Deo sacrificium offert, nova apparitione & promissione roboratus: Rachel peperit Benjamin, & mortua est, & sepulta est prope Bethlehem.

1. INterea locutus est Deus ad Jacob: Surge, & ascende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo qui * apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum. * Sup. 28. 13.

2. Jacob vero, convocata omni domo sua, ait: Abjicite deos alienos qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate (a) vestimenta vestra.

3. Surgite (b), & ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo; qui exaudivit me in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris mei.

4. Dede-

CAPUT XXXIV. 25. (a) Non illi soli, sed multi cum iis juncti hoc facinus perpetrarunt.

30. (b) Jacob liberos suos increpat, & quam alienus fuerit ab eo facinore declarat, tametsi de invidia tantum & infamia, quam sibi & toti familiæ excitarant, filiis adhuc carnalibus sollicitudinem suam & anxietatem aperit. Sed quam alte hoc flagitium hæreret animo, morti proximus ostendit. Quod autem hoc facinus a Judith laudatum videtur, hinc intelligimus quiddam laudari aliqua in se posse, quæ non vacat reprehensione. *Perturbastis me*, Verba sunt non diffidentis, sed objurgantis filios suos, qui quantum in ipsis erat, frustrabant divinas promissiones.

CAPUT XXXV. 2. (a) Quos sustulerat Rachel patri Laban, non ut eos coleret, sed ob pretium: aut potius in direptione Sichemitarum idola erant argentea, vel aurea, quæ servi cum aliis præda sustulerant, ac subinde veretur Jacob, ne idololatriæ sint occasio. *Ac mutate vestimenta*: munda vestimenta sumite.

3. (b) Cum voti persolvendi & sacrificii tempus pro acceptis beneficiis advenit, nihil in familia sua profani patitur Jacob, ac domestici jam ante bene edocti statim obsequuntur.

4. Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant, & inaures (c) quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea subter terebinthum, quæ est post urbem Sichem.

5. Cumque profecti essent, terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, & non sunt ausi persequi recedentes.

6. Venit igitur Jacob Luzam, quæ est in terra Chanaan, cognomento Bethel: ipse & omnis populus cum eo.

7. Ædificavitque ibi altare, & appellavit nomen loci illius, Domus Dei: ibi
* Sup. 28. 18. enim * apparuit ei Deus cum fugeret fratrem suum.

8. Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel subter quercum (d): vocatumque est nomen loci illius, Quercus fletus.

9. Apparuit autem iterum Deus Jacob postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ, benedixitque ei,

* Sup. 32. 28. 10. Dicens: * Non vocaberis ultra Jacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellavit eum Israel,

11. Dixitque ei: ego Deus omnipotens, cresce, & multiplicare: gentes & populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur.

12. Terramque quam dedi Abraham & Isaac, dabo tibi & semini tuo post te.

13. Et recessit ab eo.

14. Ille vero erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat ei Deus: libans super eum libamina, & effundens oleum:

15. Vocansque nomen loci illius, Bethel.

16. Egressus autem inde, venit verno (e) tempore ad terram quæ ducit Ephratam: in qua cum parturiret Rachel,

17. Ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitque ei obstetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium.

18. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente jam morte, vocavit nomen filii sui Benoni, id est, filius doloris mei: pater vero appellavit eum Benjamin, (f) idest filius dextræ.

19. Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem.

20. Erexitque Jacob titulum super sepulcrum ejus: * Hic est titulus monumenti Rachel, usque in præsentem diem. * Inf. 48.7.

21. Egressus inde, fixit tabernaculum trans Turrem (g) gregis.

22. * Cumque habitaret in illa regione, * Inf. 49.4.
abiit Ruben, & dormivit cum Bala (h) concubina patris sui: quod illum minime latuit. Erant autem filii Jacob duodecim.

23. Filii Liæ; primogenitus Ruben, & Simeon, & Levi, & Judas, & Issachar, & Zabulon.

24. Filii Rachel: Ioseph, & Benjamin.

25. Filii Balæ ancillæ Rachelis: Dan & Nephthali.

26. Filii Zelphæ ancillæ Liæ: Gad & Aser: hi sunt filii Jacob, qui nati (i) sunt in Mesopotamia Syriæ.

27. Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre, Civitatem Arbee, hæc est Hebron: in qua peregrinatus est Abraham & Isaac.

28. Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum.

29. Consumptusque ætate mortuus est: & appositus est populo suo senex & plenus dierum: & sepelierunt eum Esau Jacob filii sui.

CAPUT XXXVI.

Genealogia filiorum Esau, & eorum habitatio.

1. HÆ sunt autem generationes Esau, ipse est Edom.

2. Esau accepit uxores de filiabus Chanaan: Ada filiam Elon Hethæi, & Oolibama filiam Anæ filiæ Sebeon Hevæi:

3. Basemath quoque filiam Ismael sororem Nabajoth.

4. * Peperit autem Ada, Eliphaz: Basemath * 1. Par. 1. 35.
genuit Rahuel:

5. Oolibama (a) genuit Jehus & Ihelon & Core: hi filii Esau qui nati sunt ei in terra Chanaan.

6. Tulit autem Esau uxores suas & filios & filias, & omnem animam domus suæ, & substantiam, & pecora, & cuncta quæ habere poterat in terra Chanaan: & abiit in alteram (b) regionem, recessitque a fratre suo Jacob.

7. * Di-

4. (c) Quæ eorum auribus appensæ erant: unde August. idolorum phylacteria fuisse existimat. Inaures dicatæ erant [illegible] alicui numini. Qui mos olim Syrorum per Phœnices in Africam venit, de quo August. Epist. 73.

8. (d) Hieron. vocem Hebræam superius convallem, hoc in loco quercum cum LXX. vertit.

16. (e) Alii ex Hebræo, *& erat adhuc quasi milliare.* Arias Montanus terræ tractum, alii aliter vertunt, cum nulla appareat caussa verni temporis [illegible]. Rachel vocavit filium suum Benoni. Expositiones illæ non sunt in Hebræo: sed Hieronymus forte adjecit, quod quidam male interpretarentur has voces: nam Benjamin filium dictum, ut Israel videntem Deum perperam exponebant.

18. (f) Filius dexteræ. Syriaco sermone filius dierum, seu senectutis.

21. (g) Turris Eder mille passibus a Bethlehem distat, atque eum esse locum, in quo Angeli Pastoribus Christo nato apparuerunt, verisimile est, ex Hieronymo & aliis.

22. (h) An illa viro conjuncta atque contractu & sponsalibus interdum uxor, interdum concubina in Scripturis appellatur: hoc flagitium Ruben tunc dissimulavit Jacob malens [illegible]: sed punivit morti proximus, & jus primogeniti ille propterea amisit.

26. (i) Præter unum Benjamin. *Siquidem inter omnes qui tam multi erant, unus tantum erat non ibi natus, qui tamen inde habuit nascendi caussam.* Ita August. quæst. 117. Nulla tamen est [illegible], quam ut per synecdochen hoc dictum accipiatur: Id quoque exemplis variis illustrat.

5. (a) Oolibama uxor Esau dicitur filia Anæ, & filia Sebeon, seu neptis, adeo ut Ana sit nomen viri, quod verti debeat per accusativum, filiam Sebeon: vers. 24. utrumque nomen *Ana* & *Sebeon* per genitivum verti debet. Oolibama filia Sebeon hoc loco ponitur, quod ejus esset neptis. Tres uxores Esau videntur fuisse binominæ: cap. 26. 34. Ada vocatur Judith filia Beeri: [illegible] variari nomina in hoc cap. & cap. 26. & eadem nomina dantur viris & mulieribus, cum aliqua forte [illegible] quæ olim erat in Hebræo [illegible] fuerunt plures uxores, & pluribus idem nomen. Suspicatur Gordonus olim in Hebræo aliquam extitisse diversitatem inter nomina, quæ tribuuntur viris & mulieribus.
CAPUT XXXVI.

6. (b) In Idumeam, quo jam abierat: sed mortuo patre cum pascua tot gregibus non sufficerent, eo rediit: post reditum fratris [illegible] cum eo amicitia reversus erat in Palæstinam: sepulto patre, cum terra utrosque tam [illegible] capere non posset, rursum [illegible] se recepit. [illegible] Jacob venit ad [illegible], eodem [illegible] parentassent parti, Esau rediit in Seir. Ita August. quæst. 119.

* Sup. 13. 6. 7. * Divites enim erant valde, & simul habitare non poterant: nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum.

* Jos. 24. 4. 8. * Habitavitque Esau in monte Seir, ipse est Edom.

9. Hæ autem sunt generationes Esau patris Edom (c) in monte Seir,

* 1. Par. 1. 35. 10. Et hæc nomina filiorum ejus: * Eliphaz filius Ada uxoris Esau: Rahuel quoque filius Basemath uxoris ejus.

11. Fueruntque Eliphaz filii: Theman, Omar, Sepho, & Gatham, & Cenez.

12. Erat autem Thamna, concubina Eliphaz filii Esau: quæ peperit ei Amalech: hi sunt filii Ada uxoris Esau.

13. Filii autem Rahuel: Nahath & Zara, Samma & Meza: hi filii Basemath uxoris Esau.

14. Isti quoque erant filii Oolibama filiæ Anæ filiæ Sebeon, uxoris Esau, quos genuit ei Jehus & Ihelon & Core.

15. Hi duces filiorum Esau: filii Eliphaz primogeniti Esau: dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez,

16. Dux Core, dux Gatham, dux Amalech: hi filii Eliphaz in terra Edom, & hi filii Ada.

17. Hi quoque filii Rahuel filii Esau: dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza: hi autem duces Rahuel in terra Edom: isti filii Basemath uxoris Esau.

18. Hi autem filii Oolibama uxoris Esau: dux Jehus, dux Ihelon, dux Core: hi duces Oolibama filiæ Anæ uxoris Esau.

19. Isti sunt filii Esau, & hi duces eorum: ipse est Edom (d).

* 1. Par. 1. 38. 20. * Isti sunt filii Seir Horræi, habitatores terræ: Lotan, & Sobal, & Sebeon, & Ana (e),

21. Et Dison, & Eser & Disan: hi duces Horræi, filii Seir in Terra Edom.

22. Facti sunt autem filii Lothan: Hori & Heman: erat autem soror Lotan, Thamna.

23. Et isti filii Sobal: Alvan & Manahat & Ebal, & Sepho & Onam.

24. Et hi filii Sebeon: Aia & Ana. Iste est Ana qui invenit aquas (f) calidas in solitudine, cum pasceret asinos Sebeon patris sui:

25. Habuitque filium Dison, & filiam Oolibama.

26. Et isti filii Dison: Hamdan, & Eseban, & Jethran, & Charan.

27. Hi quoque filii Eser: Balaan, & Zavan, & Acam.

28. Habuit autem filios Disan: Hus, & Aram.

29. Hi duces Horræorum: dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana,

30. Dux Dison, dux Eser, dux Disan: isti duces Horræorum, qui imperaverunt in Terra Seir.

31. Reges autem qui regnaverunt in Terra Edom antequam (g) haberent regem filii Israel, fuerunt hi:

32. Bela filius Beor, nomenque urbis ejus Denaba.

33. Mortuus est autem Bela, & regnavit pro eo Jobab (h) filius Zaræ de Bosra.

34. Cumque mortuus esset Jobab, regnavit pro eo Husan de terra Themanorum (i).

35. Hoc quoque mortuo, regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in regione Moab: & nomen urbis ejus Avith.

36. Cumque mortuus esset Adad, regnavit pro eo Semla de Masreca.

37. Hoc quoque mortuo, regnavit pro eo Saul de fluvio Rohoboth.

38. Cumque & hic obiisset, successit in regnum Balanan filius Achobor.

39. Isto quoque mortuo, regnavit pro eo Adar, nomenque urbis ejus Phau: & appellabatur uxor ejus Meetabel, filia Matred filiæ Mezaab.

40. Hæc ergo nomina ducum Esau in cognationibus, & locis, & vocabulis suis: dux Thamna, dux Alva, dux Jetheth,

41. Dux

9. (c) Idumæorum. Hoc utique in capite propriorum nominum multitudo confusionem aliquam parit, nam Esau uti & Seir Horræi Genealogia, Regum postremo qui ad Mosis usque tempora in Idumæa regnarunt, nomina recensentur: hæc in primis distinguenda debent. Esau tres habuit uxores, quæ in hoc capite nominantur, uti & filii. Eliphaz nempe ex prima uxore Ada, Rahuel ex secunda, ex tertia Jehus, Ihelon & Core: filios Eliphaz, Theman, Sepho, Cenez, &c. filios iisdem Rahuel designat, uti & filios tertiæ uxoris, non item eorum posteros.

19. (d) Hæc forte Moses summatim attigit, ut Israelitæ limites Idumæorum perspectos haberent, ne has regiones invaderent. Duces vero Edom vocitantur, quod unæ familiæ essent capitæ ut dux Theman, dux Sepho, qui cum fratres essent principes proprie dicti non fuerunt, unde Moses eos potuit recensere, qui sua ætate in Edom imperabant ducum nomine. Hæc vero ita evolvit vir pereruditus, ut triplex regiminis genus in domo Edom distinguat, paternum videlicet, Regum, & Ducale. Primum est Patriarcharum in filios & nepotes: hos quidem Moses appellat Duces. Secundum est Regum, quorum regimini familiæ omnes suberant. Regum successiones describit Moses: posteri Seir Horræi suos ante habuere Duces, quibus ejectis Idumæi, aut posteri Esau, per 250 annos, aut circiter, octo reges habuerunt. Etsi Rabbi Maimonides existimat hos Reges non Idumæos fuisse, sed externos, quibus Idumæi paruerunt, antequam filiis Israel Rex aut Summus Magistratus, qualis fuit Moses, Josue aut Judicum, imperaret. Postea tamen plures habuere Duces Idumæi, qui simul imperabant, quos Principes appellat Moses in Cantico suo: *Principes Edom*. Sic itaque exponi potest v. 31 *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent Regem filii Israel, fuerunt hi*. Nec absurda est eorum expositio, qui Regis nomine more Orientalium supremos Magistratus appellari volunt, quod multis Scripturæ exemplis probant. Sic Judic. cap. 18. *In diebus illis non erat Rex in Israel, & Tribus Dan quærebat possessionem sibi*. Nullus erat, qui toti Israel præesset Regis aut Judicis auctoritate; & cap. 21. *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat*. Nullus erat, qui auctoritate sua ab illo inferendo populum prohiberet. Sic cap. 9 Sichemitæ constituerunt Regem Abimelech, id est, supremum Magistratum & Judicem: his enim jus gladii, aut summum erat imperium fere ut Dictatori apud Romanos. Sed nihil nos prohibet veros Israelis Reges a Mose vers. 31. spiritu prophetico designari, cum ipse id futurum, ut haberent Reges, prædixerit, & leges iis Regibus præscripserit.

20. (e) Nomen est masculinum & femininum, uti & Thamna.

24. (f) Hebræi plerique putant esse mulos. Vox Hebræa *aquas* & *mulos* significat.

31. (g) Quæ verba aut prophetico spiritu scripta sunt, aut, quod aliis videtur verisimilius, adjecta postea fuerunt; neque id mirum videri debet, si octo reges ab Esau ad Mosis usque tempora regnaverint: cum ex eadem gente non essent, sed ex diversis nationibus, neque ii erant filii qui parentibus jure hæreditario succederent. Nec demum principes Edom, quorum hoc loco habetur mentio, his succedebant Regibus, sed variis in locis regebant populos. Qui enim sequuntur Reges, ut videtur Maimonidi, ab Esau non sunt oriundi, sed gentis alterius. Horum gravis memoria documento erat Israelitis ne alienigenam sibi in regem eligerent. *Antequam haberent regem filii Israel*, priusquam Israelitæ terram Chananæorum & vicinas adepti fuerant: ante hoc tempus regem iis non licuit eligere.

33. (h) Nonnulli putant, Jobum ipsum esse: sed utramque vocem Hebraicam multum discrepare, post Hieron. in tradit. censet Mariana.

34. (i) Unde Themanæi apud Herodotum.

41. Dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon,

42. Dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar,

43. Dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom habitantes in terra imperii sui, ipse est Esau pater Idumæorum.

CAPUT XXXVII.

Historia Joseph, Accusatio fratrum, Venditio illius.

1. HAbitavit autem Jacob in terra Chanaan, in qua pater suus peregrinatus est.

2. Et hæ sunt generationes (*a*) ejus: Joseph cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer: & erat cum filiis Balæ & Zelphæ uxorum patris sui: accusavitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.

3. Israel autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum: fecitque ei tunicam polymitam (*b*).

4. Videntes autem fratres ejus quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant (*c*) eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui.

5. Accidit quoque ut visum somnium referret fratribus suis: quæ causa majoris odii seminarium fuit:

6. Dixitque ad eos: audite somnium meum quod vidi:

7. Putabam nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos (*d*) circumstantes adorare manipulum meum.

8. Responderunt fratres ejus: Numquid rex noster eris? aut subjiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum, invidiæ & odii fomitem ministravit.

9. Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per somnium, quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me.

10. Quod cum patri suo, & fratribus retulisset, increpavit eum pater suus, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?

11. Invidebant ei igitur fratres sui: pater vero rem tacitus considerabat.

12. Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem,

13. Dixit ad eum Israel: Fratres tui pascunt oves in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondente,

14. Præsto sum, ait ei: Vade, & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi quid agatur. Missus de Valle Hebron, venit in Sichem:

15. Invenitque eum vir errantem in agro, & interrogavit quid quæreret.

16. At ille respondit: Fratres meos quæro, indica mihi ubi pascant greges.

17. Dixitque ei vir: Recesserunt de loco isto: audivi autem eos dicentes: Eamus in Dothain. Perrexit ergo Joseph post fratres suos, & invenit eos in Dothain (*e*).

18. Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere:

19. Et mutuo loquebantur: Ecce somniator venit:

20. Venite, occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem: dicemusque, Fera pessima devoravit eum: & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua.

21. * Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat: * *Infr.* 42. 22.

22. Non interficiatis animam ejus, nec effundatis sanguinem: sed projicite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manusque vestras servate innoxias: hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo.

23. Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari, & polymita:

24. Miseruntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.

25. Et sedentes ut comederent panem, viderunt Ismaelitas (*f*) viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & resinam, & stacten in Ægyptum.

26. Dixit ergo Judas fratribus suis: Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum, & celaverimus sanguinem ipsius?

27. Melius est ut venundetur Ismaelitis, & manus nostræ non polluantur: frater enim, & caro nostra est. Acquieverunt fratres sermonibus illius.

28. * Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis, viginti argenteis: qui duxerunt eum in Ægyptum. * *Sap.* 10. 13.

29. Reversusque Ruben ad cisternam, non invenit puerum:

30. Et scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait: Puer non comparet, & ego quo ibo?

31. Tulerunt autem tunicam ejus, & in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt:

32. Mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent: Hanc invenimus: vide utrum tunica filii tui sit, an non.

33. Quam cum agnovisset pater, ait: Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.

34. Sciſ-

CAPUT XXXVII. 2. (*a*) Hæc sunt quæ evenerunt Jacob & ejus posteris. Ista melius videntur cohærere cum his quæ cap. 35. a vers. 23. ad 26. referuntur. Hebraice & Græce septem & decem: expleverat annum 16. incepto anno 17. *Accusavitque fratres suos crimine pessimo.* Quod fuerit crimen illud, ait Estius, præstat ignorare, quam curiose scrutari, cum Spiritus sanctus illud non expresserit. LXX contrario sensu transtulerunt: Detulerunt fratres convicium malum de Josepho ad patrem ipsorum: quam versionem sequuntur Chrysostomus, Theodoretus & alii. *Accusavit* fratres suos, ut admoniti a patre resipiscerent.

3. (*b*) Variegatam, multis filis contextam.

4. (*c*) Quod eos accusasset, nec non ob tunicam polymitam & somnia.

7. (*d*) Quo somnio fratrum profectio in Ægyptum, ut frumentum emerent, designatur. Matris nomine non Rachel, quæ jam mortua fuerat, sed Bala illius nutrix, quæque matris loco erat Joseph, intelligitur. Et forte Jacob nominavit matrem jam mortuam, quo repudiaret somnium ut vanum, & de re impossibili.

17. (*e*) Prope flumen Genesareth, in Tribu Zabulon.

25. (*f*) Erat, ut nunc loquimur, Caravana ex variis Arabum populis: unde mox Madianitæ vocantur. Et *Stacten*, quæ est myrrhæ lacryma.

34. Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore.

35. Congregatis autem cunctis liberis ejus ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait: Descendam ad filium (*g*) meum lugens in infernum. Et illo perseverante in fletu,

36. Madianitæ vendiderunt Joseph in Ægypto Putiphari eunucho (*h*) Pharaonis magistro militum.

CAPUT XXXVIII.

Judæ genealogia pertexitur.

1. EOdem (*a*) tempore descendens Judas a fratribus suis, divertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram.

*1. Par. 2. 3. 2. * Viditque ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo (*b*) Sue: & accepta uxore, ingressus est ad eam.

3. Quæ concepit, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Her.

* Num. 26. 19. 4. * Rursumque concepto fœtu, natum filium vocavit Onan.

5. Tertium quoque peperit, quem appellavit Sela: quo nato, parere ultra cessavit (*c*).

6. Dedit autem Judas uxorem primogenito suo Her, nomine Thamar.

* Num. 6. 19. 7. * Fuit quoque Her primogenitus Judæ, nequam in conspectu Domini: & ab eo occisus est.

8. Dixit ergo Judas ad Onan filium suum: Ingredere (*d*) ad uxorem fratris tui, & sociare illi, ut suscites semen fratri tuo.

9. Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur.

10. Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret.

11. Quamobrem dixit Judas Thamar nurui suæ: Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus: timebat enim ne & ipse moreretur sicut fratres ejus. Quæ abiit, & habitavit in domo patris sui.

12. Evolutis autem multis diebus, mortua est filia Sue uxor Judæ: qui post luctum consolatione suscepta, ascendebat ad tonsores ovium suarum, ipse & Hiras opilio gregis Odollamites, in Thamnas.

13. Nuntiatumque est Thamar quod socer illius ascenderet in Thamnas ad tondendas oves.

14. Quæ, depositis viduitatis vestibus (*e*), assumpsit theristrum: & mutato habitu, sedit in bivio itineris, quod ducit Thamnam: eo quod crevisset Sela, & non eum accepisset maritum.

15. Quam cum vidisset Judas, suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur.

16. Ingrediensque ad eam, ait: Dimitte me ut coeam tecum: nesciebat enim quod nurus sua esset: Qua respondente: Quid dabis mihi ut fruaris concubitu meo?

17. Dixit: Mittam tibi hædum de gregibus. Rursumque illa dicente: Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris.

18. Ait Judas: Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit: Annulum tuum, & armillam, & baculum quem manu tenes. Ad unum igitur coitum mulier concepit,

19. Et surgens abiit: depositoque habitu, quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus.

20. Misit autem Judas hædum per pastorem suum Odollamitem, ut reciperet pignus quod dederat mulieri: qui cum non invenisset eam,

21. Interrogavit homines loci illius: Ubi est mulier quæ sedebat in bivio? Respondentibus cunctis: Non fuit in loco isto meretrix.

22. Reversus est ad Judam, & dixit ei: Non inveni eam: sed & homines loci illius dixerunt mihi, numquam sedisse ibi scortum.

23. Ait Judas: Habeat sibi, certe mendacii arguere nos non potest? ego misi hædum quem promiseram: & tu non invenisti eam.

24. Ecce autem post tres menses nuntiaverunt Judæ, dicentes: Fornicata est Thamar nurus tua, & videtur uterus illius intumescere. Dixitque Judas: Producite (*f*) eam ut comburatur.

25. Quæ cum duceretur ad pœnam, misit ad socerum suum dicens: De viro, cujus hæc sunt, concepi: cognosce cujus sit annulus, & armilla, & baculus.

26. Qui, agnitis muneribus, ait: Justior (*g*) me est, quia non tradidi eam Sela filio meo. Attamen ultra non cognovit eam.

27. * Instante autem partu, apparuerunt gemini in utero: atque in ipsa effusione infantium, unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum (*h*) dicens: *Matth. 1. 3.

28. Iste egredietur prior.

29. Illo vero retrahente manum, egressus est alter: dixitque mulier: Quare divisa est propter te maceria (*i*)? & ob hanc causam vocavit nomen ejus Phares,

30. * Postea egressus est frater ejus, in cujus manu erat coccinum: quem appellavit Zara. *1. Par. 2. 4.

CA-

35. (*g*) Quidam vertunt, propter filium meum.

36 (*h*) Sic dicti sunt Regis administri: non enim hic spado erat, qui uxorem habebat & filiam.

CAPUT XXXVIII. 1. (*a*) Sub idem tempus, & forte antequam venditus esset Joseph, ut sit locus iis quæ evenerunt post venditionem Joseph usque ad descensum in Ægyptum, ubi sunt tantum 23. anni; & tamen filii Zara & Phares eo descenderunt.

2. (*b*) Nomen est Patris, non filiæ, uti ea Hebræo colligitur.

5. (*c*) Hebr. erat in Chesib, cum eum pareret: locum esse apparet ex Josue 15. 44. sic videtur dictus hic locus, quod ibi parere cessaverit: vox enim Hebræa cessare significat.

8 (*d*) Pleraque in Lege Mosaica præscripta, fuerunt Patriarchis usitata.

14. (*e*) His temporibus erant certa, & propria viduitatis indumenta, quibus a conjugatis & virginibus viduæ discerni possent. *Assumpsit theristrum*; Vestis erat tenuis & linea, qua mulieres præsertim æstate induebantur: quidam peplum vertunt, aut velum.

24. (*f*) Judas ut paterfamilias sententiam tulit in nurum quasi in adulteram. Multæ sunt leges Mosaicæ ex antiquis moribus ductæ. Hebræi putant eam fuisse filiam sacerdotis illius regionis.

26. (*g*) Quia pacta non servaverat, & injuste obstabat, ne ex Sela prolem susciperet.

27. (*h*) Ut liqueret uter esset primogenitus.

29. (*i*) Membrana qua involvitur fœtus: valde probabile est hanc historiam Judæ per hysterosim commemorari, cum pars ejus magna ante venditum Joseph contigerit. *Quare divisa est?* proverbiale. Quare prævertendo fratrem, qui nasci cœperat, litem de primogenitura infert?

CAPUT XXXIX.

Joseph tentata Castitas, in carcerem conjicitur.

1. IGitur Joseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus, vir Ægyptius, de manu Ismaelitarum, a quibus perductus erat.

2. Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prospere agens: habitavitque in domo domini sui,

3. Qui optime noverat Dominum esse cum eo, & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius.

4. Invenitque Joseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei, a quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, & universa, quæ ei tradita fuerant:

5. Benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph, & multiplicavit tam in ædibus quam in agris cunctam ejus substantiam:

6. Nec quidquam aliud noverat, nisi panem (a) quo vescebatur. Erat autem Joseph pulcra facie, & decorus aspectu.

7. Post multos itaque dies injecit domina sua oculos suos in Joseph, & ait: Dormi mecum.

8. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo tua:

9. Nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?

10. Hujuscemodi verbis per singulos dies, & mulier molesta (b) erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.

11. Accidit autem quadam die, ut intraret Joseph domum, & operis quidpiam absque arbitris faceret:

12. Et illa apprehensa lacinia vestimenti ejus, diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu ejus pallio fugit, & egressus est foras.

13. Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam,

14. Vocavit ad se homines domus suæ, & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, ut illuderet nobis: ingressus est ad me, ut coiret mecum: cumque ego succlamassem,

15. Et audisset vocem meam, reliquit pallium quod tenebam, & fugit foras.

16. In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito revertenti domum,

17. Et ait: Ingressus est ad me servus Hebræus quem adduxisti ut illuderet mihi:

18. Cumque audisset me clamare, reliquit pallium quod tenebam, & fugit foras.

19. His auditis dominus, & nimium credulus verbis conjugis, iratus est valde:

* Ps. 104. 18. 20. * Tradiditque Joseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur, & erat ibi clausus.

21. Fuit autem Dominus cum Joseph, & misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis carceris.

22. Qui tradidit in manu illius universos vinctos qui in custodia tenebantur: & quidquid fiebat, sub ipso erat.

23. Nec noverat aliquid, cunctis ei creditis: Dominus enim erat cum illo, & omnia opera ejus dirigebat.

CAPUT XL.

Eunuchorum Pharaonis somnia interpretatur Joseph.

1. HIs ita gestis, accidit ut peccarent duo eunuchi (a), pincerna Regis Ægypti, & pistor, domino suo.

2. Iratusque contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus)

3. Misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus & Joseph.

4. At custos carceris tradidit eos Joseph, qui & ministrabat eis. Aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur.

5. Videruntque ambo somnium nocte una juxta (b) interpretationem congruam sibi:

6. Ad quos cum introisset Joseph mane, & vidisset eos tristes,

7. Sciscitatus est eos, dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra?

8. Qui responderunt: Somnium vidimus, & non est qui interpretetur nobis. Dixitque ad eos Joseph: Nunquid non Dei est interpretatio (c)? referte mihi quid videritis.

9. Narravit prior, præpositus pincernarum, somnium suum: Videbam coram me vitem,

10. In qua erant tres propagines, crescere paullatim in gemmas, & post flores uvas maturescere:

11. Calicemque Pharaonis in manu mea: tuli ergo uvas, & expressi in calicem quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.

12. Respondit Joseph: Hæc est interpretatio somnii: Tres propagines, tres adhuc dies sunt,

13. Post quos recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum: dabisque ei calicem juxta officium tuum, sicut ante facere consueveras.

14. Tantum memento mei, cum bene tibi fuerit, & facias mecum misericordiam: ut suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere:

15. Quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum.

16. Videns pistorum magister quod prudenter somnium dissolvisset, ait: Et ego vidi somnium; Quod tria canistra farinæ haberem super caput meum:

17. Et

CAPUT XXXIX.

6. (a) De Putiphare loquitur, qui Josepho omnia sua commiserat, de nulla re alia sollicitus, nisi de edendo & bibendo nam in Hebræo hæc præcedunt: *Et dereliquit omnia quæ habebat, in manu Joseph.* Hæc rejecuit Hieronymus, quod repetitio esset Hebræis usitata.

10. (b) Hæc desunt in Hebræo, & forte addita sunt ab Interprete explicationis gratia.

CAP. XL.

1. (a) Nec Hebr. nec LXX. habent hæc verba, duo *Eunuchi*, sed tantum, *post hæc peccavant pincerna Regis*, &c. Pincerna, qui vinum Principi propinabat.

5. (b) Unusquisque somnium habuit suæ functioni conveniens.

8. (c) Id est, divinitus immissum, non vanum est somnium, sed aliquid significat, & exponi potest ab his qui hoc dono cælesti sunt instructi.

17. Et in uno caniſtro quod erat excelſius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria, aveſque comedere ex eo.

18. Reſpondit Joſeph: Hæc eſt interpretatio ſomnii: Tria caniſtra, tres adhuc dies ſunt:

19. Poſt quos auferet Pharao caput tuum, ac ſuſpendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.

20. Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande convivium pueris ſuis, recordatus eſt inter epulas magiſtri pincernarum, & piſtorum principis.

21. Reſtituitque alterum in locum ſuum, ut porrigeret ei poculum:

22. Alterum ſuſpendit in patibulo, ut conjectoris veritas probaretur (*a*).

23. Et tamen ſuccedentibus proſperis, præpoſitus pincernarum oblitus eſt (*e*) interpretis ſui.

CAPUT XLI.

Somnia Pharaonis de bobus & ſpicis interpretatur Joſeph, qui toti Ægypto præficitur.

1. POſt duos annos vidit Pharao ſomnium. Putabat ſe ſtare ſuper fluvium,

2. De quo aſcendebant ſeptem boves, pulcræ & craſſæ nimis: & paſcebantur in locis paluſtribus (*a*).

3. Aliæ quoque ſeptem emergebant de flumine (*b*), fœdæ, confectæque macie: & paſcebantur in ipſa amnis ripa in locis virentibus:

4. Devoraveruntque eas, quarum mira ſpecies & habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao,

5. Rurſum dormivit, & vidit alterum ſomnium: Septem ſpicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque formoſæ:

6. Aliæ quoque totidem ſpicæ tenues & percuſſæ uredine ( ) oriebantur,

7. Devorantes omnem priorum pulcritudinem. Evigilans Pharao poſt quietem,

8. Et facto mane, pavore perterritus, miſit ad omnes conjectores Ægypti, cunctoſque ſapientes: & accerſitis narravit ſomnium, nec erat qui interpretaretur.

9. Tunc demum reminiſcens pincernarum magiſter, ait: Confiteor peccatum meum:

10. Iratus rex ſervis ſuis, me & magiſtrum piſtorum retrudi juſſit in carcerem principis militum:

11. Ubi una nocte uterque vidimus ſomnium præſagum futurorum.

12. Erat ibi puer Hebræus, ejuſdem ducis militum famulus: cui narrantes ſomnia,

13. Audivimus quidquid poſtea rei probavit eventus: ego enim redditus ſum officio meo: & ille ſuſpenſus eſt in cruce.

14. Protinus ad regis imperium eductum de carcere Joſeph totonderunt: ac veſte mutata, obtulerunt ei.

15. Cui ille ait: Vidi ſomnia, nec eſt qui ediſſerat: quæ audivi te ſapientiſſime conjicere.

16. Reſpondit Joſeph: Abſque me Deus reſpondebit (*d*) proſpera Pharaoni.

17. Narravit ergo Pharao quod viderat: Putabam me ſtare ſuper ripam fluminis,

18. Et ſeptem boves de amne conſcendere, pulcras nimis, & obeſis carnibus: quæ in paſtu paludis vireta carpebant.

19. Et ecce, has ſequebantur aliæ ſeptem boves in tantum deformes, & macilentæ, ut nunquam tales in terra Ægypti viderim:

20. Quæ, devoratis & conſumptis prioribus,

21. Nullum ſaturitatis dedere veſtigium: ſed ſimili macie & ſqualore torpebant: Evigilans, ruſſus ſopore depreſſus,

22. Vidi ſomnium: Septem ſpicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque pulcherrimæ.

23. Aliæ quoque ſeptem tenues & percuſſæ uredine, oriebantur a ſtipula:

24. Quæ priorum pulcritudinem devoraverunt. Narravi conjectoribus ſomnium, & nemo eſt qui ediſſerat.

25. Reſpondit Joſeph: Somnium regis unum (*e*) eſt: quæ facturus eſt Deus, oſtendit Pharaoni.

26. Septem boves pulcræ, & ſeptem ſpicæ plenæ, ſeptem ubertatis anni ſunt: eamdemque vim ſomnii comprehendunt.

27. Septem quoque boves tenues atque macilentæ, quæ aſcenderunt poſt eas, & ſeptem ſpicæ tenues, & vento urente percuſſæ: ſeptem anni venturæ ſunt famis.

28. Qui hoc ordine complebuntur:

29. Ecce ſeptem anni venient fertilitatis magnæ in univerſa terra Ægypti

30. Quos ſequentur ſeptem anni alii tantæ ſterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retro abundantia: conſumptura eſt enim fames omnem terram,

31. Et ubertatis magnitudinem perditura eſt inopiæ magnitudo.

32. Quod autem vidiſti ſecundo ad eamdem rem pertinens ſomnium, firmitatis ( ) indicium eſt, eo quod fiat ſermo Dei, & velocius impleatur.

33. Nunc ergo provideat rex virum ſapientem & induſtrium, & præficiat eum terræ Ægypti:

34. Qui conſtituat præpoſitos per cunctas regiones: & quintam partem fructuum per ſeptem annos fertilitatis,

35. Qui jam nunc futuri ſunt, congreget in horrea: & omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate condatur, ſerveturque in urbibus.

36. Et

22. (*d*) Atque ita factum eſt, ut veritas conjectoris fuerit declarata: Hebr. *Ut fuerat eis interpretatus Joſeph*, quem primum fuiſſe ſomniorum Interpretem, ait Juſtinus Hiſtoricus, Lib. 36.

23. (*e*) Non ſinit Deus, ut ſpes in homine poſita bene ſuccederet. Eſt enim Deus beneficiorum in ſuos zelotes. Priuſquam Joſeph exaltaretur, præceſſit humilitas, & abjectio, ac didicit *non confidere in filiis hominum*.

CAP. XLI. 2. (*a*) Septuag. Interpret. in *Achi*, ἐν τῷ Ἄχει, quæ vox Hebræa erat uſitata in Ægypto, ubi ſcribebant LXX. correctum ſignificat, eamque vocem ſervavit Syracides c. 40. 16.

3. (*b*) Depreſſo intra alveum, & non irrigante terras, quod eſt imminentis famis ſignum.

6. (*c*) Vento urente, Euro exſiccante, qui ex Arabiæ deſertis ſpirat.

16. (*d*) Symmachus vertit: *Non ego, ſed Deus reſpondebis pacem Pharaoni*.

25. (*e*) Utriuſque eadem eſt ſignificatio.

32. (*f*) Unde expectes hæc certo eſſe ventura: adeout hæc ſit confirmatio majoris prædictionis.

36. Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Ægyptum, & non consumetur terra inopia.

37. Placuit Pharaoni consilium & cunctis ministris ejus:

38. Locutusque est ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?

39. Dixit ergo ad Joseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, numquid sapientiorem & consimilem tui invenire potero?

* Ps. 104. 21. 1. Mac. 2. 53. Act. 7. 10. 40. * Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni solio te præcedam.

41. Dixitque rursus Pharao ad Joseph: Ecce constitui te super universam terram Ægypti.

42. Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus, vestivitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit.

43. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti.

44. Dixit quoque rex ad Joseph: Ego sum Pharao: absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti.

45. Vertitque nomen ejus, & vocavit eum lingua Ægyptiaca (g), Salvatorem mundi. Deditque illi uxorem Aseneth filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Joseph ad terram Ægypti.

46. (Triginta autem annorum erat quando stetit in conspectu regis Pharaonis) & circuivit omnes regiones Ægypti.

47. Venitque fertilitas septem annorum, & in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti.

48. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est.

49. Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet.

* Infr. 48. 10. & 49. 5. 50. * Nati sunt autem Joseph filii duo antequam veniret fames: quos peperit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos.

51. Vocavitque nomen primogeniti, Manasses, dicens: Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei.

52. Nomen quoque secundi appellavit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis (h) meæ.

53. Igitur transactis septem ubertatis annis, qui fuerant in Ægypto:

54. Cœperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Joseph: & in universo orbe (i) fames prævaluit; in cuncta autem terra Ægypti panis erat.

55. Qua esuriente, clamavit populus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit: Ite ad Joseph, & quidquid ipse vobis dixerit, facite.

56. Crescebat autem quotidie fames in omni terra: aperuitque Joseph universa horrea, & vendebat Ægyptiis: nam & illos oppresserat fames.

57. Omnesque provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent escas, & malum inopiæ temperarent.

CAPUT XLII.

Jacob mittit filios in Ægyptum, ut emant frumenta; Joseph non agnoscitur a fratribus.

1. Audiens autem Jacob quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis: Quare negligitis (a)?

2. Audivi quod triticum venundetur in Ægypto: descendite, & emite nobis necessaria, ut possimus vivere, & non consumamur inopia.

3. Descendentes igitur fratres Joseph decem, ut emerent frumenta in Ægypto,

4. Benjamin domi retento a Jacob, qui dixerat fratribus ejus: Ne forte in itinere quidquam patiatur mali:

5. Ingressi sunt terram Ægypti cum aliis qui pergebant ad emendum. Erat autem fames in terra Chanaan.

6. Et Joseph erat princeps in terra Ægypti, atque ad ejus nutum frumenta populis vendebantur. Cumque adorassent eum fratres sui,

7. Et agnovisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos: Unde venistis? Qui responderunt: De terra Chanaan, ut emamus victui necessaria.

8. Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis.

9. Recordatusque somniorum, quæ aliquando viderat, ait ad eos: Exploratores (b) estis, ut videatis infirmiora terræ venistis,

10. Qui dixerunt: Non est ita, domine, sed servi tui venerunt ut emerent cibos.

11. Omnes filii unius viri sumus: pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali.

12. Quibus ille respondit: Aliter est: immunita terræ hujus considerare venistis.

13. At illi: Duodecim, inquiunt, servi tui, fratres sumus, filii viri unius in terra Chanaan: minimus cum patre nostro est, alius non est super.

14. Hoc est, ait, quod locutus sum: Exploratores estis.

15. Jam nunc experimentum vestri capiam: per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus.

16. Mittite ex vobis unum, & adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur quæ dixistis, utrum vera an falsa sint: alioquin (c) per salutem Pharaonis exploratores estis.

17. Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus.

18. Die

45. (g) Duo postrema verba desunt in Hebræo: hæc forsitan addidit Hieronymus, ut innueret eorum originem ex Hebr. repeti non oportere: *Sacerdotis Heliopoleos*: Hebr. און On, quam Hieronymus, Heliopolim fuisse putat, longo post tempore sic dictam.

52. (h) Hebr. afflictionis.

54. (i) In circumjectis regionibus quæ notæ erant Ægyptiis.

CAPUT XLII. 1. (a) Hebr. *Ut quid vos ipsi aspicitis*? Qui habitus est dendum.

9. (b) Non propterea calumniatur eos Joseph, sed leviter punit, & jocose dissimulat: ut exploratores vos habebo, nisi vos legitime purgaveritis.

16. (c) Nisi deprehendero vos vera dicere, exploratorum pœna digni estis. Quam prudenter Joseph amorem suum in fratres dissimulat, ut eos ad salutarem excitet pœnitentiam; quam caute pœnam moderatur, ne abundantiore tristitia absorbeantur.

18. Dic autem tertio eductis de carcere, ait: Facite quæ dixi, & vivetis: Deum enim timeo.

19. Si pacifici estis, frater vester unus ligetur in carcere: vos autem abite, & ferte frumenta quæ emistis in domos vestras,

* Inf. 43. 5. 20. * Et fratrem vestrum minimum ad me adducite, ut possim vestros probare sermones, & non moriamini. Fecerunt ut dixerat,

21. Et locuti sunt ad invicem: Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus: idcirco venit super nos ista tribulatio.

22. E quibus unus Ruben, ait: Nunquid
* Sup. 37. 21. non dixi vobis: * Nolite peccare in puerum, & non audistis me? en sanguis ejus exquiritur.

23. Nesciebant autem quod intelligeret Joseph: eo quod per interpretem loqueretur ad eos.

24. Avertitque se parumper, & flevit: & reversus locutus est ad eos.

25. Tollensque Simeon, & ligans illis præsentibus, jussit ministris, ut implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibariis in viam: qui fecerunt ita.

26. At illi portantes frumenta in asinis suis, profecti sunt.

27. Apertoque unus sacco, ut daret jumento pabulum in diversorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi,

28. Dixit fratribus suis: Reddita est mihi pecunia, en habetur in sacco. Et obstupefacti, turbatique mutuo dixerunt: Quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?

29. Veneruntque ad Jacob patrem suum in terram Chanaan, & narraverunt ei omnia, quæ accidissent sibi, dicentes:

30. Locutus est nobis dominus terræ dure, & putavit nos exploratores esse provinciæ.

31. Cui respondimus: Pacifici sumus, nec ullas molimur insidias.

32. Duodecim fratres uno patre geniti sumus: unus non est super, minimus cum patre nostro est in terra Chanaan.

33. Qui ait nobis: sic probabo quod pacifici sitis: Fratrem vestrum unum dimittite apud me, & cibaria domibus vestris necessaria sumite, & abite,

34. Fratremque vestrum minimum adducite ad me, ut sciam quod non sitis exploratores: & istum, qui tenetur in vinculis, recipere possitis: ac deinceps quæ vultis, emendi habeatis licentiam.

35. His dictis, cum frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias: exterritisque simul omnibus,

36. Dixit pater Jacob: Absque liberis me esse fecistis, Joseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, & Benjamin auferetis: in me hæc omnia mala reciderunt.

37. Cui respondit Ruben: Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi: trade illum in manu mea, & ego eum tibi restituam.

38. At ille: Non descendet, inquit, filius meus vobiscum: frater ejus mortuus est, & ipse solus remansit: si quid ei adversi acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

CAPUT XLIII.

Revertuntur in Ægyptum, ducunt secum Benjamin, Joseph benigne eos excipit.

1. INterim fames omnem terram vehementer premebat.

2. Consumptisque cibis quos ex Ægypto detulerant, dixit Jacob ad filios suos: Revertimini, & emite nobis pauxillum escarum.

3. Respondit Judas: Denuntiavit nobis vir ille sub attestatione jurisjurandi (*a*), dicens: Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum.

4. Si ergo vis eum mittere nobiscum, pergemus pariter, & ememus tibi necessaria:

5. Sin autem non vis, non ibimus: vir enim, ut sæpe diximus, denuntiavit nobis,
dicens: * Non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo. * Sup. 42. 20.

6. Dixit eis Israel: In meam hoc fecistis miseriam, ut indicaretis ei & alium habere vos fratrem.

7. At illi responderunt: Interrogavit nos homo per ordinem nostram progeniem, si pater viveret, si haberemus fratrem: & nos respondimus ei consequenter juxta id quod fuerat sciscitatus: numquid scire poteramus quod dicturus esset: Adducite fratrem vestrum vobiscum?

8. Judas quoque dixit patri suo: Mitte puerum mecum, ut proficiscamur, & possimus vivere: ne moriamur nos & parvuli nostri.

9. * Ego suscipio puerum: de manu mea te- * Inf. 44. 32.
quire illum: nisi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore.

10. Si non intercessisset dilatio, jam vice altera (*b*) venissemus.

11. Igitur Israel pater eorum dixit ad eos: Si sic necesse est, facite quod vultis: sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, & deferte viro munera, modicum resinæ, & mellis, & storacis (*c*), stactes, & terebinthi, & amygdalarum.

12. Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum: & illam, quam invenistis in sacculis, reportate, ne forte errore factum sit:

13. Sed & fratrem vestrum tollite, & ite ad virum.

14. Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem: & remittat vobiscum fratrem vestrum quem tenet, & hunc Benjamin: ego autem quasi orbatus absque liberis ero.

15. Tulerunt ergo viri munera, & pecuniam duplicem, & Benjamin: descenderuntque in Ægyptum, & steterunt coram Joseph.

16. Quos cum ille vidisset, & Benjamin simul, præcepit dispensatori domus suæ, dicens: Introduc viros domum, & occide (*d*) victimas, & instrue convivium: quoniam mecum sunt comesturi meridie.

17. Fecit

CAPUT XLIII. 3. (*a*) Juraverat enim Joseph per salutem Pharaonis.
10. (*b*) Hebr. *Jam reversi essemus duabus vicibus*: Si non retinuisses Benjamin.

11. (*c*) Liquor est fluens ex arbore, quæ Styrax appellatur, coloris flavi, & suaviter olens.
16. (*d*) Hebr. *Macta mactationem*, Sic vocantur animalia, cum occiduntur, etiamsi non sit sacrificium.

17. Fecit ille quod sibi fuerat imperatum, & introduxit viros domum.

18. Ibique exterriti, dixerunt mutuo: Propter pecuniam, quam retulimus prius in saccis nostris, introducti sumus: ut devolvat in nos calumniam, & violenter subjiciat servituti & nos, & asinos nostros.

19. Quamobrem in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem domus

20. Locuti sunt: Oramus domine ut audias nos. * Jam ante descendimus ut emeremus escas:

* Sup. 42. 3.

21. Quibus emptis, cum venissemus ad diversorium, aperuimus saccos nostros, & invenimus pecuniam in ore saccorum: quam nunc eodem pondere reportavimus.

22. Sed & aliud attulimus argentum, ut emamus quæ nobis necessaria sunt: non est in nostra conscientia quis posuerit eam in marsupiis nostris.

23. At ille respondit: Pax vobiscum, nolite timere: Deus vester, & Deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris: nam pecuniam, quam dedistis mihi, probatam ego habeo. Eduxitque ad eos Simeon.

24. Et introductis domum, attulit aquam, & laverunt pedes suos, deditque pabulum asinis eorum.

25. Illi vero parabant munera, donec ingrederetur Joseph meridie: audierant enim quod ibi comesturi essent panem.

26. Igitur ingressus est Joseph domum suam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus suis: & adoraverunt proni in terram.

27. At ille, clementer resalutatis eis, interrogavit eos, dicens: Salvusne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? Adhuc vivit?

28. Qui responderunt: Sospes est servus tuus pater noster, adhuc vivit. Et incurvati, adoraverunt eum.

29. Attollens autem Joseph oculos, vidit Benjamin fratrem suum uterinum, & ait: Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi? Et rursum: Deus, inquit, misereatur tui, fili mi.

30. Festinavitque, quia commota fuerant viscera ejus super fratre suo, & erumpebant lacrymæ: & introiens cubiculum flevit.

31. Rursumque lota facie egressus, continuit se, & ait: Ponite panes.

32. Quibus appositis, seorsum Joseph, & seorsum fratribus, Ægyptiis quoque qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim Ægyptiis comedere cum Hebræis (*e*), & profanum putant hujuscemodi convivium)

33. Sederunt (*f*) coram eo, primogenitus juxta primogenita sua, & minimus juxta ætatem suam. Et mirabantur nimis,

34. Sumptis partibus quas ab eo acceperant: majorque pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet. Biberuntque & inebriati (*g*) sunt cum eo.

CAPUT XLIV.

Scyphus Joseph in sacco absconditur; furti eos arguit, Benjaminum retineri jubet; Judas pro eo se offert in servitutem.

1. PRæcepit autem Joseph dispensatori domus suæ, dicens: Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere, & pone pecuniam singulorum in summitate sacci.

2. Scyphum autem meum argenteum, & pretium quod dedit tritici, pone in ore sacci junioris. Factumque est ita.

3. Et orto mane, dimissi sunt cum asinis suis.

4. Jamque urbem exierant, & processerant paululum: tunc Joseph accersito dispensatore domus, Surge, inquit, & persequere viros, & apprehensis dicito: Quare reddidistis malum pro bono?

5. Scypus, quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari (*a*) solet: pessimam rem fecistis.

6. Fecit ille ut jusserat. Et apprehensis per ordinem locutus est.

7. Qui responderunt: Quare sic loquitur dominus noster, ut servi tui tantum flagitii commiserint?

8. Pecuniam, quam invenimus in summitate saccorum, reportavimus ad te de terra Chanaan: & quomodo consequens est ut furati simus de domo domini tui aurum, vel argentum?

9. Apud quemcumque fuerit inventum servorum tuorum quod quæris, moriatur, & nos erimus servi domini nostri.

10. Qui dixit eis: Fiat juxta vestram sententiam: apud quemcumque fuerit inventum, ipse sit servus meus, vos autem eritis innoxii.

11. Itaque festinato deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli.

12. Quos scrutatus, incipiens a majore usque ad minimum, invenit scyphum in sacco Benjamin.

13. At illi, scissis vestibus, oneratisque rursum asinis, reversi sunt in oppidum.

14. Primusque Judas cum fratribus ingressus est ad Joseph (necdum enim de loco abierat) omnesque ante eum pariter in terram corruerunt.

15. Quibus ille ait: Cur sic agere voluistis? an ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?

16. Cui

32. (*e*) Jam Hebræorum nomen dudum innotuerat, ac numerosi populi ex Abrahamo prodierant. Vel ita vocatur regio Chananæorum, ubi Abraham, Isaac, & Jacob vitam egerant. *Illicitum*: obstabant quædam Ægyptiorum in cibis parandis instituta, ob quæ Ægyptii Græcorum nec cultro, nec olla utebantur, ut docet Herodotus.

33. (*f*) Mos assidendi mensæ antiquior est quam recumbendi.

34. (*g*) Ebrietas pro satietate interdum usurpatur: Ps. 64. *Inebriasti eam*, terram videlicet. *Nam ita inebriari, ut inebriantur ebriosi, nec ipsi terræ utile.* August.

CAPUT XLIV.

5. (*a*) Hæc non serio, sed joco dicta existimat Augustinus. Quidam ex Hebræo vertunt, *experiendo experiens deficit*; sed melius fortasse alii hunc locum exponunt, an ignoratis, aut ex publica fama non accepistis, non esse similem mei in augurandi scientia? Arias Montanus vertit ex Hebr. *Et ipse augurando auguratur in eo*: loquitur etiam juxta opinionem, quam habebant de Joseph Ægyptii. *At quia non serio, sed joco dictum est, ut exitus docuit, non est habendum mendacium: mendacia enim a mendacibus serio aguntur, non joco.* August. quæst. 45. *Et in quo augurari solet*, immissis divinitus præsagiis, ad quæ Joseph per sacrificia se præparabat, ait Grotius.

16. Cui Judas: Quid respondebimus, inquit, domino meo; vel quid loquemur, aut juste poterimus obtendere? Deus invenit iniquitatem (b) servorum tuorum: en omnes servi sumus domini mei, & nos, & apud quem inventus est scyphus.

17. Respondit Joseph: Absit a me ut sic agam: qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus: vos autem abite liberi ad patrem vestrum.

18. Accedens autem propius Judas, confidenter ait: Oro domine mi, loquatur servus tuus verbum in auribus tuis, & ne irascaris famulo tuo: tu es enim post Pharaonem

* Sup. 42. 13. 19. Dominus meus. * Interrogasti prius servos tuos: Habetis patrem, autem fratrem?

20. Et nos respondimus tibi domino meo: Est nobis pater senex, & puer parvulus, qui in senectute illius natus est; cujus uterinus frater mortuus est: & ipsum solum habet mater (c) sua, pater vero tenere diligit eum.

21. Dixistique servis tuis: Adducite eum ad me, & ponam oculos meos super illum.

22. Suggessimus domino meo: Non potest puer relinquere patrem suum: si enim illum dimiserit, morietur.

* Sup. 43. 3 & 5. 23. * Et dixisti servis tuis: Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam.

24. Cum ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narravimus ei omnia quæ locutus est dominus meus.

25. Et dixit pater noster: Revertimini, & emite nobis parum tritici.

26. Cui diximus: Ire non possumus: si frater noster minimus descenderit nobiscum, proficiscemur simul: alioqnin illo absente, non audemus videre faciem viri.

* Sup. 37. 33. 27. Ad quæ ille respondit: * Vos scitis quod duos genuerit mihi uxor mea.

28. Egressus est unus, & dixistis: Bestia devoravit eum: & hucusque non comparet.

29. Si tuleritis & istum, & aliquid ei in via contigerit, deduceris canos meos cum mœrore ad inferos.

30. Igitur si intravero ad servum tuum patrem nostrum, & puer defuerit, (cum anima illius ex hujus anima pendeat)

31. Videritque eum non esse nobiscum, morietur, & deducent famuli tui canos ejus cum dolore ad inferos.

32. Ego proprie servus tuus sim qui in meam * Sup. 43. 9. hunc recepi fidem, & spopondi dicens: * Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore.

33. Manebo itaque servus tuus pro puero in ministerio domini mei, & puer ascendat cum fratribus suis.

34. Non enim possum redire ad patrem meum, absente puero: ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.

CAPUT XLV.

Joseph tandem a fratribus agnitus, eos mittit ad patrem.

1. NON se poterat ultra cohibere Joseph multis coram astantibus: unde præcepit ut egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ.

2. Elevavitque vocem cum fletu: quam audierunt Ægyptii, omnisque domus Pharaonis.

3. Et dixit fratribus suis: Ego sum Joseph: adhuc pater meus vivit? Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti.

4. Ad quos ille clementer: Accedite, inquit, ad me. Et cum accessissent prope, * Ego sum, * Act. 7. 13. ait, Joseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum.

5. Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur quod vendidistis me in his regionibus: * pro salute enim vestra misit me Deus * Infr. 50. 20. ante vos in Ægyptum.

6. Biennium est enim quod cœpit fames esse in terra: & adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti.

7. Præmisitque me Deus ut reservemini super terram, & escas ad vivendum habere possitis.

8. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum: qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum universæ domus ejus, ac principem in omni terra Ægypti.

9. Festinate, & ascendite ad patrem meum, & dicetis ei: Hæc mandat filius tuus Joseph: Deus fecit me dominum universæ terræ Ægypti: descende ad me, ne moreris.

10. Et habitabis in terra Gessen (a): eritque juxta me tu, & filii tui, & filii filiorum tuorum, oves tuæ, & armenta tua, & universa quæ possides.

11. Ibique te pascam (adhuc enim quinque anni residui sunt famis) ne & tu pereas, & domus tua, & omnia quæ possides.

12. En oculi vestri, & oculi fratris mei Benjamin, vident quod os meum loquatur ad vos.

13. Nuntiate Patri meo universam gloriam meam, & cuncta quæ vidistis in Ægypto: festinate, & adducite eum ad me.

14. Cumque amplexatus recidisset in collum Benjamin fratris sui, flevit: illo quoque similiter flente super collum ejus.

15. Osculatusque est Joseph omnes fratres suos, & ploravit super singulos: post quæ ausi sunt loqui ad eum.

16. Auditumque est, & celebri sermone vulgatum in aula regis: Venerunt fratres Joseph: & gavisus est Pharao, atque omnis familia ejus.

17. Dixitque ad Joseph ut imperaret fratribus suis, dicens: Onerantes jumenta, ite in terram Chanaan,

18. Et

* 16. (b) Iniquitatis nomine peccata antea a se commissa, & præsentem fratris venditionem intelligit: furtum vero non agnoscit.
20. (c) Hæc quidem ante obierat: Hebr. Et *remansit solus ipse matri suæ*, seu ex matre sua.

10. (a) In Ægypti parte inferiore prope Delta; regio est pascendis pecoribus idonea. Hebr. Gesen. CAPUT XLV.

18. Et tollite inde patrem vestrum & cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ.

19. Præcipe etiam ut tollant plaustra de terra Ægypti, ad subvectionem parvulorum suorum ac conjugum: & dicito: Tollite patrem vestrum, & properate quantocius venientes.

20. Nec dimittatis quidquam de supellectili vestra: quia omnes opes Ægypti, vestræ erunt.

21. Feceruntque filii Israel ut eis mandatum fuerat. Quibus dedit Joseph plaustra, secundum Pharaonis imperium: & cibaria in itinere.

22. Singulis quoque proferri jussit binas (*b*) stolas: Benjamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis:

23. Tantundem pecuniæ & vestium mittens patri suo, addens & asinos decem, qui subveherent ex omnibus divitiis Ægypti: & totidem asinas, triticum in itinere, panesque portantes.

24. Dimisit ergo fratres suos, & proficiscentibus ait: Ne irascamini in via.

25. Qui ascendentes ex Ægypto, venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Jacob.

26. Et nuntiaverunt ei, dicentes: Joseph filius tuus vivit: & ipse dominatur in omni terra Ægypti. Quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis.

27. Illi e contra referebant omnem ordinem rei. Cumque vidisset plaustra, & universa quæ miserat, revixit spiritus ejus.

28. Et ait: Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit: vadam, & videbo illum antequam moriar.

CAPUT XLVI.

Jacob cum universa familia, quæ hoc loco recensetur, in Ægyptum proficiscitur.

1. Profectusque Israel cum omnibus quæ habebat, venit ad Puteum juramenti: & mactatis ibi victimis Deo patris sui Isaac,

2. Audivit eum per visionem noctis vocantem se, & dicentem sibi: Jacob, Jacob: cui respondit: Ecce adsum.

3. Ait illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi.

4. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te revertentem (*a*): Joseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.

5. Surrexit autem Jacob a Puteo juramenti: * tuleruntque eum filii cum parvulis & * Act. 7. 15.

uxoribus suis in plaustris quæ miserat Pharao ad portandum senem,

6. Et omnia quæ possederat in terra Chanaan: * venitque in Ægyptum cum omni semine suo, * Jos. 24. 5. Ps. 104. 23. Isa. 52. 4.

7. Filii ejus, & nepotes, filiæ (*b*), & cuncta simul progenies.

8. Hæc sunt autem nomina filiorum Israel, qui ingressi (*c*) sunt in Ægyptum, ipse cum liberis suis. * Primogenitus Ruben. * Exod. 1. 2. & 6. 14. Num. 26. 5. 1. Par. 5. 1. & 3.

9. Filii Ruben: Henoch & Phallu & Hesron & Charmi.

10. Filii Simeon: Jamuel & Jamin & Ahod, & Jachin & Sohar, & Saul filius Chananitidis.

11. * Filii Levi: Gerson & Caath & Merari. * Exod. 6. 15. 1. Par. 4. 24.

12. * Filii Juda: Her & Onan & Sela & Phares & Zara: mortui sunt autem Her & Onan in terra Chanaan. Natique sunt filii Phares: Hesron & Hamul. * 1. Par. 6. 1.

13. * Filii Issachar: Thola & Phua & Job & Semron. * 1. Par. 2. 3. & 4. 21. 1. Par. 7. 1.

14. Filii Zabulon: Sared & Elon & Jahelel.

15. Hi filii Liæ, quos genuit in Mesopotamia Syriæ cum Dina filia sua: omnes animæ (*d*) filiorum ejus & filiarum, triginta tres.

16. Filii Gad: Sephion & Haggi & Suni & Esebon & Heri & Arodi & Areli.

17. * Filii Aser: Jamne & Jesua & Jessul & Beria, Sara quoque soror eorum. Filii Beria: Heber & Melchiel. * 1. Par. 7. 30.

18. Hi filii Zelphæ, quam dedit Laban Liæ filiæ suæ: & hos genuit Jacob sedecim animas.

19. Filii Rachel uxoris Jacob: Joseph & Benjamin.

20. * Natique sunt Joseph filii in terra Ægypti, quos genuit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos: Manasses & Ephraim. * Sup. 41. 50.

21. Filii Benjamin: * Bela & Bechor & Asbel & Gera & Naaman & Echi (*e*) & Ros & Mophim & Ophim & Ared. * 1. Par. 7. 6. & 8. 1.

22. Hi filii Rachel, quos genuit Jacob: omnes animæ, quatuordecim.

23. Filii Dan: Husim.

24. Filii Nephthali: Jasiel & Guni & Jeser & Sallem.

25. Hi filii Balæ, quam dedit Laban Racheli filiæ suæ: & hos genuit Jacob: omnes animæ, septem.

26. Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius, absque uxoribus filiorum ejus, sexaginta sex.

27. Filii autem Joseph, qui nati sunt ei in terra Ægypti, animæ duæ. * Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta (*f*). * Deut. 10. 22.

28. Misit

---

22 (*b*) Vestes mutatorias.

CAPUT XLVI.

4. (*a*) In posteris tuis. *Ponet manus suas super oculos tuos*: Tibi morienti oculos claudet.

7. (*b*) Jacob unam filiam habuit Dinam: vel est enallage numeri pluralis pro singulari, vel filiorum ejus: dum summa singulorum colligitur, interdum numerus redundat, aut deficit, quod Jacob ut caput familiæ nunc ponatur, nunc omittatur. Quidam venisse dicuntur, quod essent in lumbis patrum, ut vers. 12. de Hesron, & Hamul. Ac forte error irrepsit in numerum Septuag. Interpretum, nisi ii voluerint complecti nepotes Joseph, qui nati sunt in Ægypto. August. *Quæstio est quomodo triginta tres animæ ex Lia in Mesopotamia Syriæ natæ sunt: nisi quia illa locutio confirmatur tamquam ibi omnes natæ sint, quarum parentes ibi nati sunt.*

8. (*c*) Sed & enumerandi quoque sunt illi quos in Ægypto reperit Jacob, Joseph & filii ejus duo, & Jacob ipse familiæ caput: per filias recte intelliguntur neptes.

15. (*d*) Dinam tamen ingressam esse in Ægyptum admodum est probabile.

21 (*e*) Num. 26. 38. & Ahiram. & Supham.

27 (*f*) Ut numerus impleatur, Joseph & duo ejus filii addendi fuerunt, cum ipse Jacob; immo versu 12. Hesron & Hamul qui nati sunt in Ægypto, recensentur. Nam et Augustino hic ingressus in Ægyptum complectitur 17. annos vitæ Jacob, & reliquum vitæ Joseph. Septuag. Interpretes numerant 75. animas, adjunctis scilicet quinque nepotibus, & pronepotibus Joseph. Stephanus in Actis eumdem numerum init cum Septuag. Interpretibus, nempe 75. Mosem cum Stephano

sic

28. Misit autem Judam ante se ad Joseph, ut nuntiaret ei, & occurreret in Gessen.

29. Quo cum pervenisset, juncto Joseph curru suo, ascendit obviam patri suo ad eumdem locum: vidensque eum, irruit super collum ejus, & inter amplexus flevit.

30. Dixitque pater ad Joseph: Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.

31. At ille locutus est ad fratres suos, & ad omnem domum patris sui: Ascendam & nuntiabo Pharaoni, dicamque ei: Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in Terra Chanaan, venerunt ad me:

32. Et sunt viri pastores ovium, curamque habent alendorum gregum: pecora sua, & armenta, & omnia quæ habere potuerunt, adduxerunt secum.

33. Cumque vocaverit vos, & dixerit: Quod est opus vestrum?

34. Respondebitis: Viri pastores sumus servi tui, ab infantia nostra usque in præsens, & nos & patres nostri. Hæc autem dicetis, ut habitare possitis in Terra Gessen: quia detestantur (g) Ægyptii omnes pastores ovium.

CAPUT XLVII.

Joseph patrem & fratres introducit ad Pharaonem; Terra Gessen iis conceditur ad habitandum; Ægyptii fame oppressi, fundos vendunt Pharaoni.

1. INgressus ergo Joseph nuntiavit Pharaoni, dicens: Pater meus & fratres, oves eorum & armenta, & cuncta quæ possident, venerunt de Terra Chanaan: & ecce consistunt in Terra Gessen.

2. Extremos (a) quoque fratrum suorum quinque viros constituit coram rege:

3. Quos ille interrogavit: Quid habetis operis? Responderunt: Pastores ovium sumus servi tui, & nos, & patres nostri.

4. Ad peregrinandum in terra tua venimus: quoniam non est herba gregibus servorum tuorum, ingravescente fame in terra Chanaan: petimusque ut esse nos jubeas servos tuos in Terra Gessen.

5. Dixit itaque rex ad Joseph: Pater tuus & fratres tui venerunt ad te.

6. Terra Ægypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac eos habitare, & trade eis Terram Gessen. Quod si nosti in eis esse viros industrios (b), constitue illos magistros pecorum meorum.

7. Post hæc introduxit Joseph patrem suum ad Regem, & statuit eum coram eo: qui benedicens (c) illi,

8. Et interrogatus ab eo: Quot sunt dies annorum vitæ tuæ?

9. Respondit: Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi (d) & mali, & non pervenerunt usque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt.

10. Et benedicto rege, egressus est foras.

11. Joseph vero patri & fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco, Ramesses, ut præceperat Pharao.

12. Et alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis.

13. In toto enim orbe (e) panis deerat, & oppresserat fames terram, maxime Ægypti & Chanaan.

14. E quibus omnem pecuniam congregavit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium regis.

15. Cumque defecisset emptoribus pretium, venit cuncta Ægyptus ad Joseph, dicens: Da nobis panes: quare morimur coram te, deficiente pecunia?

16. Quibus ille respondit: Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis.

17. Quæ cum adduxissent, dedit eis alimenta pro equis, & ovibus, & bobus, & asinis: sustentavitque eos illo anno pro commutatione pecorum.

18. Venerunt quoque anno secundo, & dixerunt ei: Non celabimus dominum nostrum quod, deficiente pecunia, pecora simul defecerunt: nec clam te est, quod absque corporibus & terra nihil habeamus.

19. Cur ergo moriemur (f) te vidente? & nos & terra nostra tui erimus: eme nos in servitutem regiam, & præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem.

20. Emit (g) igitur Joseph omnem Terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis. Subjecitque eam Pharaoni,

21. Et cunctos populos ejus a novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus,

22. Præter terram sacerdotum (h), quæ a rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas.

23. Dixit

sic conciliat Auctor analyseos Gallicæ in Acta, quod Stephano id sit propositum, ut totam familiam Jacob quæ ingressa est Ægyptum cum Jacob definiet: quo quidem numero nec Jacob, nec Joseph, nec filii ejus qui in Ægyptum non venerunt cum Joseph, sed uxores filiorum Jacob includuntur: adeo ut 64. viri & 11. uxores supersint; *Et omnem cognationem suam in animabus septuaginta quinque*. Actor. 7. Sed Moses filios tantum Jacob numerat, qui ingressi sunt Ægyptum, seu ante, aut post illius introitum: cum omni semine suo, filii & nepotes versu 26. cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cum Jacob absque uxoribus filiorum ejus, sexaginta sex. Quam exceptionem non adhibet S. Stephanus, immo mulieres includit in eum numerum, cum patrem familiæ Jacob efficerent.

34. (g) Quod Pastores mactarent pecora, quæ illi colebant; alebant tamen oves non ad esum, sed ut lac & lanam ex iis perciperent. Grotius: „ Abstinentiam ab esu anima-„ lium rurì veterem fuisse non miror. Idololatriæ tamen nul-„ la adhuc vestigia Josephi sæculo, in Ægypto quidem cer-„ ta vestigia non reperio; a Syris cœpit hic morbus. Utrum „ res ita sit, alii viderint. "

CAPUT XLVII. 2. (a) Vel minores ætate, vel minus robustos ad Regem adduxit: nam si robustiores elegisset, forte metuebat Joseph, ne Rex eos militiæ suæ addiceret.

6. (b) Hebr. viros fortes.

7. (c) Jacob Pharaoni bene precatus: Deum benedicere, est benefacere: hominem benedicere, est bene precari alicui.

9. (d) Ita vertunt LXX. in Hebræo, pauci & mali. Propter labores multos.

13. (e) Magna terræ parte Hebr. *In terra illa*, nimirum ob articulum appositum.

19. (f) Hebr. sic dividit: Quare moriemur in oculis tuis tam nos, quam terra nostra? Hæc mortua dicitur, cum fructum non affert.

20. (g) Non poterat Joseph gratis dare, cum esset tantum dispensator: quæ fecit ad utilitatem Regis, redundarunt postea in utilitatem regni & populi.

22. (h) Nomine Sacerdotum Hebræi complectuntur aliquando Principes, Magistratus, Ministros; ac forte data est portio his qui publicas obibant functiones: & tamen Sacerdotes non veri Dei, sed Idolorum, hoc nomine intelligunt Interpretes: hi non erant Sacerdotes nisi ex conscientia erroris; cibaria iis e publico dabantur, ac terræ a tributo immunes erant.

23. Dixit ergo Joseph ad populos: En ut cernitis, & vos & terram vestram Pharao possidet: accipite semina, & serite agros,

24. Ut fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum familiis & liberis vestris.

25. Qui responderunt: Salus nostra in manu tua est: respiciat nos tantum dominus noster, & læti serviemus regi.

26. Ex eo tempore usque in præsentem diem in universa terra Ægypti, regibus quinta pars solvitur, & factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.

27. Habitavit ergo Israel in Ægypto, id est, in terra Gessen, & possedit eam: auctusque est, & multiplicatus nimis.

28. Et vixit in ea decem & septem annis: factique sunt omnes dies vitæ illius centum quadraginta septem annorum.

29. Cumque appropinquare cerneret diem mortis suæ, vocavit filium suum Joseph, & dixit ad eum: Si inveni gratiam in conspectu
* Sup. 24. 2. tuo, * pone manum tuam sub femore meo: & facies mihi misericordiam & veritatem, ut non sepelias me in Ægypto:

30. Sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condasque in sepulcro majorum meorum. Cui respondit Joseph: Ego faciam quod jussisti.

31. Et ille: Jura ergo, inquit, mihi. Quo jurante, adoravit Israel Deum, conversus (*i*) ad lectuli caput.

CAPUT XLVIII.

Jacob morti proximus testamentum condit filiis, Joseph benedicit, juniorem præponit seniori.

1. His ita transactis, nuntiatum est Joseph quod ægrotaret pater suus: qui, assumptis duobus filiis Manasse & Ephraim, ire perrexit.

2. Dictumque est seni: Ecce filius tuus Joseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo.

* Sup. 28. 13. 3. Et ingresso ad se ait: Deus omnipotens * apparuit mihi in Luza, quæ est in Terra Chanaan: Benedixitque mihi,

4. Et ait: Ego te augebo & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum: daboque tibi terram hanc, & semini tuo post te in possessionem sempiternam.

* Sup. 41. 50. 5. Duo ergo filii tui, qui * nati sunt tibi in Terra Ægypti antequam huc venirem ad te, mei erunt: * Ephraim (*a*) & Manasses, * Jos. 13. 7. & 29.
sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.

6. Reliquos (*b*) autem quos genueris post eos, tui erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.

7. Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, * mortua (*c*) est Rachel in terra * Sup. 35. 19.
Chanaan in ipso itinere, eratque vernum tempus: & ingrediebar Ephratam, & sepelivi eam juxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem.

8. Videns autem filios ejus dixit ad eum: Qui sunt isti?

9. Respondit: Filii mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, ut benedicam illis.

10. Oculi enim Israel caligabant præ nimia senectute, & clare videre non poterat. Applicitosque ad se, deosculatus & circumplexus eos,

11. Dixit ad filium suum: Non sum fraudatus aspectu tuo: insuper ostendit mihi Deus semen tuum.

12. Cumque tulisset eos Joseph de gremio patris, adoravit pronus in terram.

13. Et posuit Ephraim ad dexteram suam, id est, ad sinistram Israel: Manassen vero in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris, applicuitque ambos ad eum.

14. Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat, commutans manus.

15. * Benedixitque Jacob filiis Joseph, & * Heb. 11. 21.
ait: Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham, & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem:

16. * Angelus, qui eruit me de cunctis ma- * Sup. 31. 29. & 32. 1. Matth. 18. 10.
lis, benedicat pueris istis: & invocetur (*d*) super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham, & Isaac, & crescant in multitudinem super terram.

17. Videns autem Joseph quod posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, graviter accepit: & apprehensam manum patris levare conatus est de capite Ephraim, & transferre super caput Manasse.

18. Dixitque ad patrem: Non ita convenit, pater: quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput ejus.

19. Qui renuens, ait: Scio, fili mi, scio: & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur: sed frater (*e*) ejus minor, major erit illo: & semen illius crescet in gentes.

20. Be-

31. (*i*) Vox, *conversus*, deest in Hebræo: Vox etiam Hebraica nunc *virgam*, nunc *lectum* significat. Eædem sunt litteræ, puncta diversam effecerunt significationem. Septuag. vertunt: *Adoravit fastigium virgæ ejus*: Ita hunc locum citat Apost. Hebr. 11. Versio LXX. innuit Jacob summitatem virgæ Joseph adorasse, exterius quidem potestati filii honorem tribuisse: sed spirituali sensu regiam Christi potestatem in typo Joseph adoravit; vel sedens ad caput lecti adoravit Deum: mutatio punctorum hanc efficit varietatem in textu Hebræo & in versione Septuag. Interpretum.

CAPUT XLVIII. 5. (*a*) Sortem sortientur quisque suam, non minus quam Ruben & Simeon, qui sunt natu maximi. Sic jus primogeniti, cui duplicia dabantur, a Ruben propter ejus improbitatem translatum fuit ad Joseph.

6. (*b*) Vatablus: *Si qui post hos tibi nascentur*. Unde propositio est sub conditione, si quos genueris; non enim legimus Joseph alios genuisse liberos: hi vero sub tribubus Ephraim & Manasse comprehensi fuissent.

7. (*c*) Vox Hebræa, *Super me*, aut juxta me mortua est: Id videtur dicere, ne miretur Joseph, si adeo sit sollicitus, ut in Hebron sepeliatur: nisi forte ad rem quoque pertinebat commemorare ibi sepultam matrem Joseph, ubi Christus fuerat nasciturus. August. quæst. 163. *Eratque vernum tempus*, non potuit cadaver efferri usque ad Hebron: quo quidem tempore cito putrescunt cadavera. Alii vertunt, cum adhuc esset spatium terræ.

16. (*d*) Dicentur filii mei, & sint quasi capita tribuum: etsi mei sint nepotes, vocabuntur filii mei adoptionis jure, ac perinde ut filii singulas habebunt partes: in capita succedent, non stirpis nomine.

19. (*e*) August. quæst. 166. *Secundum hoc significavit aliquid Prophetiæ hoc faciendo Israel, quod populus posterior per Christum futurus regeneratione spirituali superaturus erat populum priorem de carnali patrum generatione gloriantem. Major erit eo*, propter regnum 10. tribuum, quod in Ephraimi posteris diu stetit.

20. Benedixitque eis in tempore illo, dicens: In te benedicetur Israel, atque dicetur: Faciat tibi Deus sicut Ephraim, & sicut Manasse. Constituitque Ephraim ante Manassen.

21. Et ait ad Joseph filium suum: En ego morior, & erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum.

* Jos. 16. 7. & 10. 1. * Jos. 24. 8. 22. Do (*f*) tibi * partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu * Amorrhæi in gladio & arcu meo.

CAPUT XLIX.

Jacob morti proximus, filiis benedixit, simul quæ iis ventura sint prædixit; & locum sepulturæ suæ declarat.

Deut. 33. 6. 1. VOcavit autem Jacob filios suos, & ait eis: Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis (*a*).

2. Congregamini, & audite filii Jacob, audite Israel patrem vestrum:

3. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium (*b*) doloris mei: prior in donis, major in imperio.

4. Effusus (*c*) es sicut aqua, non crescas, * quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum ejus. * Sup. 35. 22. 1. Par. 5. 1.

5. Simeon & Levi fratres: vasa (*d*) iniquitatis bellantia.

6. In consilium eorum non veniat (*e*) anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: * quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. * Sup. 34. 25.

7. Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: * dividam eos in Jacob, & dispergam (*f*) eos in Israel. * Jos. 19. 1.

8. Juda, te laudabunt (*g*) fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui.

9. * Catulus (*h*) leonis Juda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum? * 1. Par. 5. 2.

10. * NON AUFERETUR sceptrum (*i*) de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. * 1. Joan. 1. 45. Matth. 2. 6.

11. Li-

22. (*f*) Septuag. Interpr. *Tibi Sichimam præcipuam super fratres tuos*. Vox *Sichem* in Hebræo *Sichimam* significat & *humerum*, qui cum sit pars corporis, partis nomine vox illa expressa est. *Do tibi partem unam, nempe Sichem ipsam fertilitate conspicuam, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo*. Id nonnulli Interpretes sic exponunt; postquam filii Jacob in Sichimitas adeo sævissent, Amorrhæi qui socii erant Hevæorum, Jacob expellere voluerunt possessione agri, quam emerat: ille jure belli agrum & vicina loca armis sibi asseruit. Et quidem quo tempore venditus est Joseph, fratres pascebant greges in Sichimis. *Do tibi partem unam* Latine do tibi hoc præcipuum. *Quam tuli*, præteritum pro futuro, ut alii exponunt, quam capiam per posteros meos.

CAPUT XLIX. 1. (*a*) Alii vertunt, *futuris temporibus*. Sic Joel 2. *Post hæc effundam Spiritum meum*. Act. 2. Petrus vertit, *In novissimis diebus*.

3. (*b*) Septuag. Interpr. *Filiorum meorum*. Vox Hebræa & *dolorem* & *robur* significat: *prior in donis, major in imperio* esse debueras. Duplex hæreditatis portio tibi debebatur: hoc jure translatum est in Joseph. Major fuisses in imperio, nisi te hoc jure privasses delinquendo. Primogenitorum erat pars major in hæreditate & principatu: illa Joseph, hæc Judæ data est, sacerdotium, quod erat jus tertium, datum est Levi.

4. (*c*) Contemptibilis factus es, ad nihilum redactus propter flagitium tuum; effusus ut aqua, præceps in libidinem, cum novercam polluere ausus sis: vocatur fortitudo, quia in flore ætatis genitus est; *non crescas*: nam parvo numero fuit in Tribu sua.

5. (*d*) Instrumenta iniquitatis & indignationis prompta in ultionem; bellatores iniqui dicuntur contra Sichimitas.

6. (*e*) Futurum pro præterito: *Et in cœtu illorum non sit gloria mea*. LXX. verterunt *jecur*. Hi legerunt *Kevedi*, כבדי quod *jecur*, pro *Kevodi*, כבודי quod *gloriam*, atque hoc in loco animam significat, ut Psalm. 56. *Exurge gloria mea*, hoc est, anima mea. *Quia in furore suo occiderunt virum*, pro viros, Sichimitas nimirum. *Et in voluntate sua suffoderunt murum*; LXX. *Presciderunt poplitem*. Vox Hebræa *Sor*, שור utrumque significat, murum & taurum; in quibusdam locis tauri capiebantur præciso poplite, aut via doctus *In cœtu illorum non sit gloria mea*, non contaminavi famam meam consentiendo cogitioni eorum.

7. (*f*) Et quidem Levitæ per omnes tribus sunt dispersi, Simeon non habuit propriam sortem, sed exiguam habuit ea Tribu Juda, & ob multitudinem exierunt in desertum ad quærendas sibi sedes, partim in Gador partim in montem Seir. 2. Paralip. 4. unde qui male conjuncti fuerunt in flagitio, dissipabantur.

8. (*g*) Alludit ad nomen ejus: nam Juda laudem significat. *Adorabunt te*, ut Regem: vel ob Messiam ex te nasciturum: adoratio illa ad Christum refertur.

9. (*h*) Ut catulus leonis: *Ad prædam fili mi ascendisti*. Hebr. *Ex præda elevatus*, parta victoria: vox eadem significat prædam & arrutum, sed posterior significatio Syriaca magis est quam Hebræa, & prior videtur contextui aptior. *Ad prædam*. Hoc refertur ad incrementum tribus Judæ. *Et quasi leæna*: Hebr. Et quasi Leo major.

10. (*i*) Aperta est de Christo Prophetia, non auferetur potestas regia de Juda, donec ex eadem tribu longe præstantius Messiæ regnum in omnes gentes illi subrogetur. Etsi enim post captivitatem Reges ex Juda defuerunt, non item potestas judiciaria & principatus: pars hujus Prophetiæ posterior non incommode ad totam gentem referri potest, quæ post captivitatem nomen suum ex Juda accepit. Augustinus Lib. 18. de Civit. cap. 45. *Non defuit Judæorum Princeps ex Judæis usque ad Herodem, quem primum acceperunt alienigenam Regem. Donec veniat qui mittendus est*: Hebr. *Donec veniat Siloh*. Hieronymus legit *Seloh* שלח qui mittendus est: Græci aliter legerunt *Selo*, שלו & significat, quæ ei sunt reposita, vel cui repositum est, nempe regnum, cui reposita sunt, cui res sunt reservatæ. Atque ita vertisse LXX. contendit Justinus Martyr. Hebræus textus idem fere habet: *Donec veniat cujus est*: nempe sceptrum. Samaritanus. *Et ad ipsum congregabuntur populi*. filium quoque, aut pacificum eadem vox Hebræa plerique Rabbinis significat. Quæ omnia persuadent hoc vaticinium non ad alium, quam ad Messiam pertinere, & impletum fuisse in Christo Domino. Is enim fuit expectatio Gentium. Paullo ante adventum Christi, cum Judæis potestas omnis ablata est sub Herode alienigena; ante id tempus Judæi se suis legibus regebant, suos habebant Duces. Consentiunt Rabbini sceptri ablationem cum Messiæ adventu esse conjunctam. Hinc forte prodiit secta Herodianorum, qui in Herode vaticinium hoc impletum fuisse contendebant; nisi forte eo nomine intelligantur, qui contra communiorem Judæorum sententiam Herodis auctoritatem propugnabant. Atque ut Machabei postremis sæculis rerum potiti sint, tamen jubentibus iis qui erant ex tribu Juda, imperabant. Vocem *Siloh*, veteres Judæi & Christiani de Messia intellexerunt. Id observat vir doctus Richardus Simo, antequam puncta vocalia fuissent excogitata, litteram Jod vocales i, & e, expressas fuisse: sed Scribæ eam vocalem, uti & alias sæpe una cum punctis intactas reliquerunt; quod obscuriorem sensum effecit. Vulgata vocalem i, legit *Siloh*. Littera He in fine dictionis, ut sæpe evenit, commutatur cum littera Vau. Ex iis conficitur hoc vaticinium de Christo tantummodo accipi posse. Sceptrum a Juda non erat auferendum, donec Messias advenisset: at diu est, ex quo sceptrum ablatum fuit a Juda, & Judæis: ergo jam diu est, ex quo Messias venit. Utramque amisit Judæa post mortem Christi, sceptrum & administrationem: ergo Christus est Messias, quo adveniente sceptrum ablatum est. Unde Propheta vocationem Gentium cum adventu Messiæ, ut effectum cum caussa, conjungit. Id vero nulli alteri quam Christo potest convenire. Itaque insignita hæc Prophetia singillatim sic exponi potest: *Non auferetur* LXX. non deficiet. Chald. non transibit, imperii vis, ut videtur Grotio; primum in ductu militari. Jud. 1. deinde in nomine regio, tum in Ethnarchis, iterum in Regibus, donec Archelao ereptum est regnum, & Judæa Romanorum provincia facta est. Sub Asmonæis & Herode, inquit idem Auctor, imperium penes Judam fuit, non minus quam penes Romanos, Gallis aut Thracibus in imperium electis. Intercisiones fuerunt breves, si ad spatium 1500. annorum comparentur, septuaginta anni exilii vix computandi, ob certam spem restituendæ libertatis. Illo autem quod diximus spatio Judæi reveriti sunt magnitudinem imperii Persici, Macedonici, Romani, sed suo ipsis salvo manente principatu. Aquila vertit Sceptrum, LXX. principes; Symmachus potestas, sensu plane eodem. *Donec veniat qui mittendus est*. Hebræi omnes antiqui voce *Siloh* Messiam designari consentiunt, & Græci addidere, *cui reposita sunt*, nempe omnia, cujus est regni jus: vox *Siloah* missum significat. *Lavabit*, ad litteram, tanta erit in ejus sorte vinum abundantia.

11. Ligans ad vineam (*k*) pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.

12. Pulcriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.

13. Zabulon in littore maris habitabit (*l*), & in statione navium pertingens usque ad Sidonem.

14. Issachar asinus fortis (*m*) accubans inter terminos,

15. Vidit requiem quod esset bona: & terram quod optima: & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens.

16. Dan judicabit (*n*) populum suum sicut & alia tribus in Israel.

17. Fiat Dan coluber (*o*) in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro.

18. SALUTARE tuum expectabo, Domine.

19. Gad, accinctus præliabitur (*p*) ante eum: & ipse accingetur retrorsum.

20. Aser, pinguis (*q*) panis ejus, & præbebit delicias regibus.

21. Nephthali, cervus (*r*) emissus, & dans eloquia pulcritudinis.

*. Par. 5. 1. 22. * Filius accrescens (*s*) Joseph, filius accrescens & decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum.

23. Sed exasperaverunt (*t*) eum, & jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula.

24. Sedit in forti (*u*) arcus ejus, & dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Jacob: inde pastor egressus est lapis Israel.

25. Deus patris tui erit adjutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus (*x*) cæli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum & vulvæ.

26. Benedictiones patris tui confortatæ (*y*) sunt benedictionibus patrum ejus: donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Joseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.

27. Benjamin lupus (*z*) rapax, mane comedet prædam, & vespere dividet spolia.

28. Omnes hi in tribubus Israel duodecim: hæc locutus est eis pater suus, benedixitque (*aa*) singulis, benedictionibus propriis.

29. Et præcepit eis, dicens: Ego congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici quæ est in agro Ephron Hethæi,

30. Contra Mambre in Terra Chanaan, * quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulcri. * Sup. 23. 17.

31. Ibi sepelierunt eum, & Saram uxorem ejus: ibi sepultus est Isaac cum Rebecca conjuge sua: ibi & Lia condita jacet.

32. Finitisque mandatis quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, & obiit: appositusque est ad populum suum.

CAPUT L.

Joseph patris corpus aromatibus conditum in terra Chanaan sepelit; fratres ob illatam injuriam sibi metuentes jubet bono animo esse. Moriens præcipit ut ossa sua ex Ægypto migraturi secum deferant in terram Chanaan.

1. QUod cernens Joseph, ruit super faciem patris flens & deosculans eum.

2. Præcepitque servis suis medicis ut aromatibus condirent patrem.

3. Quibus jussa explentibus, transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadaverum conditorum, flevitque eum Ægyptus septuaginta diebus.

4. Et expleto planctus tempore, locutus (*a*) est Joseph ad familiam Pharaonis: Si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis:

5. Eo quod pater meus adjuraverit me, dicens: En morior, in sepulcro meo * quod fodi (*b*) mihi in terra Chanaan, sepelies me. Ascendam igitur, & sepeliam patrem meum, ac revertar. * Sup. 47. 29.

6. Di-

11. (*k*) Hæc Rabbini de fertilitate terræ, quæ tribui Judæ obtigit, interpretantur. Spiritali sensu vinea est Ecclesia, pullus est populus Gentilis, qui jugum legis nondum tulerat, Judæi per asinam jugo assuetam adumbrantur: utrosque Christus conjunxit. *Lavabit in vino stolam*, carnem suam vel Ecclesiam in vino sanguinis sui lavabit.

13. (*l*) Juxta Mare Mediterraneum, & Lacum Genezareth: in hac Tribu sunt Nazareth, mons Thabor, & Capharnaum, Christi conceptione, Transfiguratione & prædicatione nobilitata.

14. (*m*) Hebr. Osseus, robustus ad Agriculturæ opera: *Accubans inter terminos*, aliarum tribuum: in solo fertili positi aliud vivendi genus non eligent. LXX. desideravit id quod pulcrum est ad portandum, ad ferenda arma.

16. (*n*) Dan judicium significat: id videtur in Samsone impletum: alii ad Antichristum hæc referunt. *Dan judicabit*, allusio ad nominis originem.

17. (*o*) Samson Philisthæos dolo aggressus. *Salutare tuum expectabo, Domine*: forte adversus Antichristum non sufficit Samson; sed veniat Silo.

19. (*p*) Græce significat congregatum exercitum: *Præliabitur ante eum*. Hebraicum textum quidam sic reddunt: *Exercitus veniet contra eum*; vel diripiet eum; *Et ipse superabit calcaneum*. Hoc est, in fine victor erit. Ante reliquas tribus in prælium ivit. *Et ipse accingetur retrorsum*, cum reliquis tribubus constitutus ipsis spoliis gravis trans Jordanem in suam sortem rediit.

20. (*q*) Fertilitatem Tribus Aser prædicit, ut Moses Deuter. 33. *Tingat in oleo pedem suum*.

21. (*r*) Ut cerva emissa ob velocitatem pedum. Alii ad Barac Israelis ducem id referunt. Cervus emissus in tuto est, & campi amœnitate gaudet. Sic in tuto habitabit Nephthali.

22. (*s*) Duas tribus obtinebit. Laudatur a formæ dignitate, a gloria & probitate. *Filiæ discurrerunt super murum*, ut videant ejus pulcritudinem & ornatum regium. LXX. Filius meus natu minimus ad me redit. Magna fuit hoc in loco codicum diversitas.

23. (*t*) Fratres ejus aut hostes.

24. (*u*) In Deo scilicet: *Inde Pastor egressus est lapis Israel*. Effectus est Princeps Ægyptiorum & firmamentum populo Israel.

25. (*x*) Animalium fœtura, lacte, ac multiplici sobole.

26. (*y*) Me felicior eris; *Donec veniret desiderium collium æternorum*: Durabunt quamdiu mundus, aut donec veniat Christus. *Fiant in capite Joseph*: Nempe benedictiones, & *in vertice Nazaræi*; ejus nempe qui a fratribus suis fuit separatus cum venditus est. LXX. *Super verticem glorificatus in fratribus*.

27. (*z*) Ad litteram Tribus Benjamin bellicosa prædicitur: ut Lupus rapax qui mane, & vespere prædari solet, & prædam dividit, comedit, &c. In sensu spiritali Paulus Apostolus prænuntiatur, qui e persecutore factus est magnus Prædicator verbi divini, quod Gentibus divisit.

28. (*aa*) Benedictionis nomine res futuras complectitur.

CAP. L. 4. (*a*) Id agit ex modestia, ne præsumptione nimiæ auctoritatis apud Regem paternam familiam odiosam efficeret. *Eo quod Pater meus adjuraverit me*. August. *Quæri potest quomodo verum sit, cum hæc verba Patris ejus, quando de sua sepultura mandavit, non legantur; sed ad sententiam verba referre debemus: voluntas enim enuntianda, & in notitiam proferenda oportet verba servire*. Fodisse autem sibi Jacob sepulcrum nusquam superius in Scripturis legitur: sed neque necesse est ut omnia quæ dicta sunt, aut facta, in Scripturis legantur.

5. (*b*) Vox Hebræa Cara, כרה & fodere significat, & possidere; ex empto acquisivi. Emerat enim Abrahamus primum ab Ephron, Act. 7. vers. 16. Titulus Auctoris est titulus hæreditatis.

6. Dixitque ei Pharao: Ascende & sepeli patrem tuum sicut adjuratus es.

7. Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique majores natu Terræ Ægypti:

8. Domus Joseph cum fratribus suis, absque parvulis & gregibus, atque armentis, quæ dereliquerant in Terra Gessen.

9. Habuit quoque in comitatu currus & equites: & facta est turba non modica.

10. Veneruntque ad Aream Atad, quæ sita est trans Jordanem: ubi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi, impleverunt septem (c) dies.

11. Quod cum vidissent habitatores Terræ Chanaan, dixerunt: Planctus magnus est iste Ægyptiis. Et idcirco vocatum est nomen loci illius, Planctus Ægypti.

12. Fecerunt ergo filii Jacob sicut præceperat eis.

* Act.7.16. 13. Et portantes eum in terram Chanaan, * sepelierunt eum in spelunca (d) duplici, * quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulcri ab Ephron Hethæo contra faciem Mambre. * Sup. 23. 16.

14. Reversusque est Joseph in Ægyptum cum fratribus suis, & omni comitatu, sepulto patre.

15. Quo mortuo, timentes fratres ejus, & mutuo colloquentes: Ne forte memor sit injuriæ quam passus est, & reddat nobis omne malum quod fecimus,

16. Mandaverunt ei, dicentes: Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur,

17. Ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te: nos quoque oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis flevit Joseph.

18. Veneruntque ad eum fratres sui: & proni adorantes in terram, dixerunt: Servi tui sumus.

19. Quibus ille respondit: Nolite timere: num Dei possumus (e) resistere voluntati?

20. * Vos cogitastis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos. * Sup.45.5.

21. Nolite timere: ego * pascam vos & parvulos vestros, consolatusque est eos, & blande ac leniter est locutus. * Sup. 47. 12.

22. Et habitavit in Ægypto cum omni domo patris sui: vixitque centum decem annis. Et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem. * Filii quoque Machir (f) filii Manasse nati sunt in genibus Joseph. * Num. 32. 39.

23. Quibus transactis, * locutus est fratribus suis: Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam juravit Abraham, Isaac, & Jacob. * Hebr. 11. 22.

24. Cumque adjurasset eos atque dixisset: Deus visitabit vos: * asportate ossa mea vobiscum de loco isto: * Exod. 13. 19. Jos. 24. 32.

25. Mortuus est, expletis centum decem vitæ suæ annis. Et conditus aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto.

10. (c) Eccli. 22. vers. 13. *Luctus mortui septem dies.* Num. 20. vers. 29. Aaron *lugetur* 30. *dies*, ut Moses Deuter. cap. ult. vers. 8. Quod hic vers. 3. dicitur, *Flevitque Ægyptus* 70. *diebus*, si, ut par est, separatim accipiatur, Hebræi se mori Ægyptiorum accommodarunt in condiendo corpore per 40. dies, sic Ægyptii morem Judæorum secuti sunt in luctu 30. dierum, qui simul juncti efficiunt 70. dies: de simili ritu apud Ægyptios scribit Diodorus, Lib. 1. cap. 1.

13. (d) In sepulcro quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem. Act. 7. 15. 16. sic ait S. Stephanus: *Et descendit Jacob in Ægyptum, & defunctus est ipse & Patres nostri: & translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulcro quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor, filii Sichem.* Quæ ob breviloquentiam Hebræis familiarem obscuriora videri possunt. Translati sunt, Jacob quidem in Hebron ex hoc loco, Joseph autem in Sichem, positi sunt Jacob in sepulcro, quod emit Abraham ab Ephron Hethæo, Joseph autem in sepulcro quod emit Jacob a filiis Emor, filii, seu ut alii volunt, patris Sichem. Stephanus in Actis hæc duo in unum conjunxit, quæ facile distinguuntur, ubi cum historia veteris Testamenti comparantur. Qua de re jam supra diximus: ac si quis esset error, hic, ut alii plerique, ex scriptorum vitio potius irrepsisset, quam ex memoriæ lapsu, aut incogitantia, ut quibusdam visum est. Nec mirum si in illis circumstantiis, & in oratione extemporanea, breviloquentia paulo fuit obscurior, & nonnihil involuta. Ac fieri potest, uti jam supra innuimus, ut vox ipsa Abraham pro Jacob, ex scriptoris culpa posita sit.

19. (e) Vestrum fuit malum, sed Deus vertit in bonum; num ego possum disturbare Dei consilium? Dei voluntati permittenti hanc venditionem, & jam factam ad bonum commune ordinanti acquiescere oportet.

22. (f) Ellipsis est Hebræis familiaris, quæ oritur ex voce analoga: filii Machir nati sunt, positi & educati super genua Joseph: nasci enim & educari sibi invicem respondent.



LIBER EXODI,
HEBRAICE
VEELLE SEMOTH.

HUNC Librum a Mose ipso conscriptum fuisse, eumque adeo genuinum esse, multis argumentis demonstratur: nam portentosi eventus qui in hac narrantur historia, ab eo tantum qui coram adfuit, aut præfuit, scribi potuerunt. Quod si horum memoriam adeo sollicite conservatam voluit Moses, cur eorum historiam non scripserit? At, inquit Theologo-politicus, *liber erat Bellorum Domini, qui cap. 21. Numerorum citatur, in quo pugnam contra Amalec jussu Dei enarravit. An illud cuiquam probari potest librum extitisse a Mose scriptum, in quo bella Israelitarum & Castrorum dispositiones essent diligenter descripta, neque id ei in mentem venisse, ut exitum populi Dei ex Ægypto, & alia memoria posteritatis digna, quorum tot erant monumenta in Religione ipsa Judæorum, ac Legem ipsam fusiori stylo expositam mandaret litteris? Siquidem Religio pene omnis Judaica est hujus exitus, & eorum quæ facta sunt prodigiorum in Ægypto, insigne monimentum. Hujus generis fuere primogeniti Ægyptiorum interfecti, & Israelitarum liberatio, transitus maris Rubri, exercitus Pharaonis in mari submersus, & populus Dei in Deserto per quadraginta annos conservatus. Et quidem cap. 17. Exodi hæc legimus:* Fugavitque Josue Amalec, & populum ejus in ore gladii; dixit autem Dominus ad Mosen: Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Josue: delebo enim Amalec sub cælo. *Liber ille alius esse non potest quam Exodi liber: non enim ait Deus, hujus pugnæ historiam scribe: sed* scribe hoc ob monimentum in libro. *Ergo liber erat Dei jussu scriptus, in quo ea quæ populo Dei accidebant, memoria posteritatis digna scribebantur.*

Quid autem memorabilius quam ipse exitus ex Ægypto tot prodigiis insignis? an vir sapientissimus ea litteris mandare noluit, quorum tot monimenta superesse voluit? An memoriæ posteritatis pugnam Amalec jussu Dei mandavit, & quod præcipuum erat, exitum & liberationem populi Dei silentio prætermisit? Cum pugna illa ipsius liberationis minutior esset particula: & tamen memoriam hujus eventus conservari jubet Deus.

Hic itaque liber ita inscribitur, quod exitum populi Dei ex Ægypto, quæque tum acta fuerint, complectatur. Tres in partes tribuitur. In prima, quæ exitum populi Dei præcesserunt; in secunda, quæ in ipso exitu contigere; in tertia denique præcepta Dei cum moralia, tum quæ ad ritus divinos, aut ad cæremonias spectant, continentur.

Mosem Deus elegit qui populum educeret ex Ægypto, eumque primus regeret, sanctis Legibus in unum corpus devinciret, & sacris ritibus Christi venturi Mysteria adumbraret. Nam ut præclare Aug. Lib. 22. contra Faustum, cap. 14. Totum illud regnum Gentis Judæorum magnus quidem Propheta, quia & magni Prophetæ fuit. *Item Lib. 7. de Civit. Dei cap. 31.* Non solum omnes Prophetiæ, & præcepta vitæ, verum etiam sacra, Sacerdotia, Tabernaculum, sive Templum, Altaria, Sacrificia, Cæremoniæ, dies festi, & quidquid aliud ad servitutem pertinet, quæ debetur Deo, ea significaverunt, atque prænuntiaverunt, quæ propter æternam vitam fidelium in Christo & impleta credimus, & impleri cernimus, & implenda confidimus. *Moses is ipse typus fuit Christi, Mater eum exponens Synagoga, filia Pharaonis Mosem excipiens Ecclesiæ Gentium. Redditur Moses Matri, Judæi in Christum sub finem mundi sunt credituri.*

CA-

CAPUT PRIMUM.

Pharao Rex Ægypti longo post Josephi mortem tempore multiplici prole auctos Hebræos vult opprimere: obstetricum nititur opera, ut nascentes masculos extinguant.

Gen. 46. 8. 1. Æc sunt nomina filiorum Israel qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob; singuli cum domibus (*a*) suis introierunt:

2. Ruben, Simeon, Levi, Judas,

3. Issachar, Zabulon, & Benjamin.

4. Dan, & Nephthali, Gad, & Aser.

5. Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Jacob, septuaginta: Joseph (*b*) autem in Ægypto erat.

6. Quo mortuo, & universis fratribus ejus, omnique cognatione illa,

* Act. 7. 17. 7. * Filii Israel creverunt, & quasi germinantes (*c*) multiplicati sunt: ac roborati nimis, impleverunt terram.

8. Surrexit interea rex novus (*d*) super Ægyptum, qui ignorabat Joseph:

9. Et ait ad populum suum: Ecce, populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est.

10. Venite, sapienter opprimamus (*e*) eum, ne forte multiplicetur: & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra.

11. Præposuit itaque eis magistros operum (*f*), ut affligerent eos oneribus: ædificaveruntque urbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom, & Ramesses.

12. Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant:

13. Oderantque filios Israel Ægyptii, & affligebant (*g*) illudentes eis:

14. Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur.

15. Dixit autem Rex Ægypti obstetricibus Hebræorum: quarum una vocabatur Sephora, altera Phua,

16. Præcipiens eis: Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus advenerit: si masculus fuerit, interficite eum, si femina, reservate.

17. Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt juxta præceptum Regis Ægypti, sed conservabant mares.

18. Quibus ad se accersitis, rex ait: Quidnam est hoc quod facere voluistis, ut pueros servaretis?

19. Quæ responderunt: Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam (*h*), & priusquam veniamus ad eas, pariunt.

20. Bene ergo fecit Deus obstetricibus (*i*): & crevit populus, confortatusque est nimis.

21. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos (*k*).

22. Præcepit ergo Pharao omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen projicite: quidquid feminini, reservate.

CAPUT II.

Moses nascitur e stirpe Levi, aquis expositus extrahitur; filia Pharaonis eum adoptat; occiso Ægyptio fugit in terram Madian, ubi Sephoram duxit uxorem, ex qua duos gignit filios.

1. EGressus (*a*) est post hæc vir de domo Levi: * & accepit uxorem stirpis *Infr. 6. 20.
suæ,

2. Quæ concepit, & * peperit filium: & * Hebr. 11.
videns eum elegantem, abscondit tribus men- 23.
sibus.

3. Cumque jam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & linivit eam bitumine ac pice: posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto (*b*) ripæ fluminis,

4. Stan-

CAPUT I. 1. (*a*) Familiis; non servatur ordo nativitatis, sed conjugalis thori: nam primi recensentur, septimus est Beniamin, qui ex Rachele, duo sequentes ex Bala, postremi ex Zelpha.

5. (*b*) Hebr. *Et Joseph fuit in Ægypto*; cum Joseph, qui erat in Ægypto, fuerunt 70 animæ, seu homines: adeout Joseph eo numero contineatur.

7. (*c*) Hebr. *ebullientes instar ranarum*.

8. (*d*) Seu novæ familiæ, ex Josepho.

10. (*e*) Sept. Interpr. *Callido consilio opprimamus*, servitute & laboribus, ne multiplicatus potentior evadat: duravit hæc afflictio per 90. annos. Ægyptii Hebræos vexaverunt. 1. Ex timore, ne cum hostibus una jungerentur: 2. Ex invidia, quod adeo multiplicarentur: 3. Ex odio ob Religionem. *Egrediatur de terra*. Hinc conjiciunt nonnulli rumorem increbuisse, futurum ut Hebræi in terram Chanaan redirent.

11. (*f*) Vox Hebræa Tributum significat: *Ut affligerent eos oneribus*, id est, Tributis; *ædificaveruntque urbes Tabernaculorum Pharaonis*: nonnulli *Arces* interpretantur: LXX. verterunt, *urbes munitas*. Vox Hebræa ita scribi potest, ut utrumque significet.

13. (*g*) Dura eorum conditio, quibus illuditur, cum opprimuntur.

19. (*h*) Alii vertunt, *sunt ingeniosæ*, aut *fortes*, *sapientes* adeo ut nostra non egeant opera.

20. (*i*) Non propter mendacium, sed propter earum misericordiam acceperunt remunerationem a Deo, ex August. Lib. contra Mendacium, cap. 15. *Non est eis remunerata fallacia, sed benevolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis*. Et quæst. 1. in Exod. *Neque hic auctoritatem ad mentiendum esse propositam mihi videtur eis, de quibus dictum est: Et non inventum est in eorum ore mendacium*.

21. (*k*) Familias prole numerosas, & locupletes.

CAP. II. 1. (*a*) Verba duo postrema desunt in Hebræo. Neque post fersale illud Pharaonis edict[um] verisimile est Amram Mosis patrem duxisse uxorem: vix enim Aaron salvari potuisset. Itaque duxit, pro duxerat, positum est, cum Hebræi unum tantummodo habeant præteritum. Juxta versionem nostram significari potest ordo narrationis, non rei gestæ; adeo ut hic sit sensus, cum homo de domo Levi accepisset uxorem stirpis suæ &c. nempe Jochabed neptim Levi: nam in Hebr. habemus *filiam Levi*.

3. (*b*) Locus est in quo nascuntur carices, seu herbæ latæ, & in apicem desinentes: dum passim instarent ministri tyrannidis.

4. Stante procul sorore ejus, & considerante eventum rei.

* Act. 7. 21. Hebr. 11. 23. 5. * Ecce autem descendebat filia Pharaonis ut lavaretur in flumine: & puellæ ejus gradiebantur per crepidinem (*c*) alvei. Quæ cum vidisset fiscellam in papyrione, misit unam e famulabus suis: & allatam

6. Aperiens, cernensque in ea parvulum vagientem, miserta ejus, ait: De infantibus Hebræorum est hic.

7. Cui soror pueri: Vis, inquit, ut vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum?

8. Respondit: Vade. Perrexit puella & vocavit matrem suam.

9. Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait, puerum istum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, & nutrivit puerum; adultumque (*d*) tradidit filiæ Pharaonis.

10. Quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus Moyses (*e*), dicens: Quia de aqua tuli eum.

11. In diebus illis postquam creverat Moyses, * egressus est ad fratres suos: viditque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem (*f*) quemdam de Hebræis fratribus suis. * Heb. 11. 24.

12. Cumque circumspexisset huc atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo.

13. Et egressus die altero conspexit duos Hebræos rixantes: dixitque ei qui faciebat injuriam: quare percutis proximum tuum?

14. Qui respondit: Quis te constituit principem & judicem super nos? num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Timuit (*g*) Moyses, & ait: Quomodo palam factum est verbum istud?

15. Audivitque Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysen: qui fugiens de conspectu ejus, moratus est in Terra Madian, & sedit juxta puteum.

16. Erant autem sacerdoti (*h*) Madian septem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam: & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris sui.

17. Supervenere pastores, & ejecerunt eas: surrexitque Moyses, & defensis puellis, adaquavit oves earum.

18. Quæ cum revertissent ad Raguel (*i*) patrem suum, dixit ad eas: Cur velocius venistis solito?

19. Responderunt: Vir Ægyptius liberavit nos de manu pastorum: insuper & hausit aquam nobiscum, potumque dedit ovibus.

20. At ille: Ubi est? inquit: Quare dimisistis hominem? vocate eum ut comedat panem.

21. Juravit ergo Moyses quod habitaret cum eo. * Accepitque Sephoram filiam ejus uxorem. * Infr. 18. 3. 1. Par. 23. 15.

22. Quæ peperit ei filium, quem vocavit Gersam, dicens: Advena fui in terra aliena. Alterum vero peperit, quem vocavit Eliezer, dicens (*k*): Deus enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis.

23. Post multum vero temporis mortuus est Rex Ægypti: & ingemiscentes filii Israel, propter opera vociferati sunt: ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus.

24. Et audivit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Jacob.

25. Et respexit Dominus filios Israel, & cognovit eos.

CAPUT III.

Moses cum pasceret oves soceri vocatus a Deo, missus est ad Pharaonem.

1. MOyses autem pascebat oves Jethro soceri sui sacerdotis Madian: cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb.

2. * Apparuitque (*a*) ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quod rubus arderet, & non combureretur. * Act. 7. 30.

3. Dixit ergo Moyses: Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.

4. Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses. Qui respondit: Adsum.

5. At ille: Ne appropies, inquit, huc: solve calceamentum (*b*) de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.

6. Et

5. (*c*) Hebr. *super manum*, seu ripam ipsam fluminis. *In papyrione*, in carectio juncis & papyro referto; *fiscellam*, cymbulam ex papyro efformatam, & pice oblitam.

6. (*d*) Eruditus fuit omni sapientia Ægyptiorum, ut ait S. Stephanus Act. 7. Hinc liquet Mosem non ignorasse se esse Hebræum, cum a matre sua usque ad adultam ætatem fuerit educatus.

10. (*e*) Ægyptii aquam מי Moi, dicunt.

11. (*f*) Qui forte præfectus operibus sæviebat in Israelitas. Addit S. Stephanus: *Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manus ipsius daret salutem illis: At illi non intellexerunt*. Quæ verba ponderans Aug. quæst. 2. in Exodum: *Ut per hoc*, inquit, *testimonium videatur Moses jam divinitus admonitus, quod Scriptura eo loco tacet, audere potuisse*. Priusquam ad ea S. Stephani verba attendisset, hoc Mosis facinus minus probare videbatur: tametsi injuriam Hebræo illatam ultus esset. *Non videtur*, inquit Lib. 22. contra Faustum, cap. 7. *hoc potuisse Moyses, quia nullam adhuc legitimam potestatem gerebat, nec acceptam divinitus, nec humana societate ordinatam*. Quamquam illa quoque satis idonea afferri potest ratio hujus facinoris, Mosem id fecisse ob necessariam defensionem fratris Hebræi, & innoxii, quem aliter defendere non poterat.

14. (*g*) Neque id pugnat cum illo Apostoli loco, Heb. 11. *Non timens animositatem Regis*. Nam Apostolus loquitur de discessu ejus cum toto populo ex Ægypto, non de fuga Mosis; vel non veritus est animositatem Regis, quominus rediret in Ægyptum.

16. (*h*) Vox Hebræa non Sacerdotem modo, sed & Principem significat: erat autem Sacerdos veri Dei, qualis & Melchisedech: nondum enim fortassis idololatria tam late se diffuderat.

18. (*i*) Hic forte erat pater Jethro, aut idem fuit binominis; Judic. 4. idem vocatur Cinæus: ex cap. 10. 2. Numerorum, videtur is avus fuisse.

22. (*k*) Postrema hæc verba desunt in Hebræo: sed apud 70. occurrunt. Existimat Mariana ex cap. 18. in hunc locum ea transiisse: aut forte codices Hebræi sunt vitiati.

CAP. III. 2. (*a*) Quod factum est ministerio Angeli, qui humana specie Christum Dominum repræsentabat, ut docent SS. Patres: cum Dei nomine loqueretur Angelus, hic Dominus appellatur. *Dominus in Angelo, an Dominus Angelus ille, qui dictus est magni consilii Angelus?* August. quæst. 2.

5. (*b*) Ob venerationem loci; ne appropies huc, priusquam solveris calceamentum. Hinc fluxit Judæorum consuetudo in votis solvendis, quam Juvenalis innuit Satyra 6.

Observant ubi festa mero pede Sabbata Reges.

Idque a Græcis sæpius observatum & a Romanis, quo imbres impetrarent, docet Illustriss. Huetius propos. 4. Demonstr. Evangel. Terra sancta est ob præsentiæ meæ manifestationem, ut Sanctuarium dictum est sanctum. Mons ille *Horeb* per prolepsim ita appellatur, & idem est qui *Sinai*. Nam in duos colles assurgit, unus ex iis Horeb, alter Sinai dictus: Horeb, ob siccitatem; & Sinai, ob rubeta.

*Matth.22. 32. Marc. 12. 26. Luc.20.37.

6. Et ait: * Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum.

7. Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi propter duritiam eorum qui præsunt operibus:

8. Et sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & spatiosam, in terram quæ fluit lacte & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, & Jebusæi.

9. Clamor ergo filiorum Israel venit ad me: vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur.

10. Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israel de Ægypto.

11. Dixitque Moyses ad Deum: Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto?

12. Qui dixit ei: Ego ero tecum: & hoc habebis signum (c), quod miserim te: Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.

13. Ait Moyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israel, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen ejus? quid dicam eis?

14. Dixit Deus ad Moysen: EGO SUM QUI SUM (d). Ait: Sic dices filiis Israel: QUI EST, misit me ad vos.

15. Dixitque iterum Deus ad Moysen: Hæc dices filiis Israel: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem.

16. Vade, & congrega seniores Israel, & dices ad eos: Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, dicens: Visitans visitavi vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto:

17. Et dixi ut educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, & Jebusæi, ad terram fluentem lacte & melle.

18. Et audient vocem tuam: ingredierisque tu, & seniores Israel ad regem Ægypti, & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocavit (e) nos: ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro.

19. Sed ego scio quod non dimittet vos Rex Ægypti ut eatis, nisi per manum validam.

20. Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum: post hæc dimittet vos.

21. Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis: * & cum egrediemini, non exibitis vacui: *Inf.11.2. & 12.35.

22. Sed postulabit mulier a vicina sua, & ab hospita sua, vasa argentea & aurea, ac vestes: ponetisque eas super filios & filias vestras, & spoliabitis Ægyptum.

CAPUT IV.

Legitimæ missionis signa accipit Moyses, nihilominus se excusat: sed tandem acquiescit, in Ægyptum proficiscitur cum uxore & liberis.

1. RESpondens Moyses: ait: Non credent mihi: neque audient vocem meam, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.

2. Dixit ergo ad eum: Quid est quod tenes in manu tua? Respondit: Virga.

3. Dixitque Dominus: Projice eam in terram. Projecit, & versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses.

4. Dixitque Dominus: Extende manum tuam: & apprehende caudam ejus. Extendit, & tenuit, versaque est in virgam.

5. Ut credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.

6. Dixitque Dominus rursum: Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis.

7. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ.

8. Si non crediderint, inquit tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi (a) sequentis.

9. Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, nec audierint vocem tuam: sume aquam fluminis, & effunde eam super aridam, & quidquid hauseris de fluvio, vertetur in sanguinem.

10. Ait Moyses: Obsecro Domine non sum eloquens ab heri & nudiustertius (b): & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.

11. Dixit Dominus ad eum: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum & surdum, videntem & cæcum? nonne ego?

12. Perge igitur, * & ego ero in ore tuo: *Matth.10. 20.
doceboque te quid loquaris.

13. At ille: Obsecro, inquit, Domine, mitte quem missurus (c) es.

14. Ira-

12. (c) Nempe signum erit rubus ardens, non quod sequitur immolandi præceptum, ita Abulensis. Ignis in rubo significat Deum in Virgine illæsa virginitate, vel, ut placet Gregorio, quod Deus carnis nostræ infirmitatem & dolores quasi rubi spinas susceperit citra humanitatis consumptionem. August. quæst. 14. Neque mendaciter Deus jubet, quod scit non facturum cui jubetur, ut justum judicium consequatur.

14. (d) Hebr. אהיה אשר אהיה Ero qui ero: sed familiare est Hebræis futuro uti pro præsenti & aliis temporibus. Itaque LXX. verterunt per participium præsens, Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν Ego sum existens: Essentialiter existo; solus Deus a se existit, cetera ab illo. Hinc Job 14. Nonne tu qui solus es?

18. (e) Hebr. Occurrit nobis: vel invocatus est super nos. Viam trium dierum: Non dixit tantummodo: quare non est mendacium, sed silentium integræ veritatis. Tametsi longius erat iter per mare rubrum.

CAP. IV.

8. (a) Verbum prædicto signo confirmatum.

10. (b) Idest, Hactenus; Phrasi Hebraica significat se non esse eloquentem. Et ex quo locutus es ad servum tuum impeditioris sum linguæ: Significat Moses eos non facile credituros. Deus vult Mosem hic naturæ vitiis impeditum magna aggredi: nam per infirma instrumenta maxima quæque operari solet. Quod autem Stephanus ait, Mosem fuisse potentem in verbis, & in operibus suis magna cum auctoritate fuisse in sermone & opere, tantummodo insinuat.

13. (c) Plerique ex SS. Patribus id de Christo intelligunt, qui ab æterno designatus est populi liberator; aut Phrasi Hebraica postulat tantum, ut quemvis alium magis idoneum mittat.

14. Iratus (*d*) Dominus in Moysen, ait: Aaron frater tuus Levites, scio quod eloquens sit: ecce ipse egreditur in occursum tuum, vidensque te lætabitur corde.

15. Loquere ad eum, & pone verba mea in ore ejus; & ego ero in ore tuo, & in ore illius, * & ostendam vobis quid agere debeatis. *Infr. 7. 2.

16. Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent (*e*).

17. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.

18. Abiit Moyses, & reversus est ad Jethro socerum suum, dixitque ei: Vadam & revertar ad fratres meos in Ægyptum, ut videam si adhuc vivant. Cui ait Jethro: Vade in pace.

19. Dixit ergo Dominus ad Moysen in Madian: Vade, & revertere in Ægyptum: mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam.

20. Tulit ergo Moyses uxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum, reversusque est in Ægyptum, portans virgam Dei in manu sua.

21. Dixitque ei Dominus revertenti in Ægyptum: Vide ut omnia ostenta quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone: ego indurabo cor ejus, & non dimittet populum.

22. Dicesque ad eum: Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus, Israel.

23. Dixi tibi: Dimitte filium meum ut serviat mihi; & noluisti dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.

24. Cumque esset in itinere, in diversorio occurrit ei Dominus (*f*), & volebat occidere eum.

25. Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui, tetigitque pedes ejus, & ait: Sponsus sanguinum tu mihi es.

26. Et dimisit (*g*) eum postquam dixerat: Sponsus sanguinum, ob circumcisionem.

27. Dixit autem Dominus ad Aaron; Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit obviam ei in Montem Dei, & osculatus est eum.

28. Narravitque Moyses Aaron omnia verba Domini quibus miserat eum, & signa quæ mandaverat.

29. Veneruntque simul, & congregaverunt cunctos seniores filiorum Israel.

30. Locutusque est Aaron omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moysen: & fecit signa coram populo,

31. Et credidit populus. Audieruntque quod visitasset Dominus filios Israel, & quod respexisset afflictionem illorum: & proni adoraverunt.

CAPUT V.

Moses & Aaron Pharaoni Dei mandata perferunt, quæ contemnit, ac filios Israel gravius divexat: populus cum Mose id expostulat, qui Deum deprecatur.

1. POst hæc ingressi sunt Moyses, & Aaron, & dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dimitte populum meum ut sacrificet (*a*) mihi in deserto.

2. At ille respondit: Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel? nescio Dominum, & Israel non dimittam.

3. Dixeruntque: Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam (*b*) trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro: ne forte accidat nobis pestis aut gladius.

4. Ait ad eos rex Ægypti: Quare Moyses & Aaron sollicitatis (*c*) populum ab operibus suis? ite ad onera vestra.

5. Dixitque Pharao: Multus est populus terræ: videtis quod turba succreverit (*d*): quanto magis si dederitis eis requiem ab operibus?

6. Præcepit ergo in die illo præfectis operum & exactoribus populi, dicens:

7. Nequaquam ultra dabitis paleas (*e*) populo ad conficiendos lateres, sicut prius: sed ipsi vadant, & colligant stipulas.

8. Et mensuram laterum, quam prius faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quidquam: vacant enim, & idcirco vociferantur, dicentes: Eamus, & sacrificemus Deo nostro.

9. Opprimantur operibus, & expleant ea: ut non acquiescant verbis mendacibus.

10. Igitur egressi præfecti operum & exactores, ad populum dixerunt: Sic dicit Pharao: Non do vobis paleas:

11. Ite, & colligite sicubi invenire poteritis, nec minuetur quidquam de opere vestro.

12. Dispersusque est populus per omnem Terram Ægypti ad colligendas paleas.

13. Præfecti quoque operum instabant, dicentes: Complete opus vestrum quotidie, ut prius facere solebatis quando dabantur vobis paleæ.

14. Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israel, ab exactoribus Pharaonis, dicentibus: Quare non impletis mensuram laterum sicut prius, nec heri, nec hodie?

15. Vene-

---

24. (*d*) Ira quæ Deo tribuitur, non aliud designat, quam quod in homine solet esse iræ effectus, seu punitio, seu comminatio, seu forma durior, uti forte hoc in loco: nullus enim iræ divinæ effectus hic apparet: hoc erat modestiæ eam legationem recusare; sed in eo nonnihil culpandus, quod pertinacius recusaverit.

16. (*e*) Hebr. *Erit illi in Deum*: Cum autem vox Hebræa אלהים *Elohim*, etiam Principem significet, sensus hic erit, penes te erit principatus; Aaron vere tuus Interpres: *Erit os tuum*: Satis indicat in Mose principatum, in Aaron ministerium; erit interpres tuus, tu eris Dei internuncius, ex te voluntatem meam discet.

24. (*f*) Angelus, *Et volebat occidere eum*, Mosi intento gladio minabatur.

26. (*g*) Angelus aut Sephora Mosem, & propterea reversa est ad suos. Quidam putaverunt ab Angelo territam, ne impedimentum ministerio, quod divinitus impositum fuit Mosi, femineus sexus afferret.

CAP. V.

1. (*a*) Sept. Interpret. Ut festum agant, nempe solemni ritu sacrificando.

3. (*b*) Iter Gessen in montem est trium dierum & amplius, cum recta itur; at populus tertio mense eo pervenit. Nam per mare rubrum longius erat iter.

4. (*c*) Hebr. Cessare *facitis*.

5. (*d*) Hinc liquet ferale edictum de infanticidio jam pridem esse abrogatum.

7. (*e*) Quæ pinguiori terræ admistæ & concisæ duriores efficiebant lateres; cum terra est pinguior, & poris destituta, palea concisa mittenda est; secus ad ignem fatiscit, & finditur. Aut forte paleas & minuta ligna colligebant in alimentum ignis ad coquendos lateres, ut fieri solet in terris feracibus, ubi desunt ligna.

15. Veneruntque præpositi filiorum Israel, & vociferati sunt ad Pharaonem, dicentes: Cur ita agis contra servos tuos?

16. Paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur: en famuli tui flagellis cædimur, & injuste agitur contra populum tuum.

17. Qui ait: Vacatis otio, & idcirco dicitis: Eamus, & sacrificemus Domino.

18. Ite ergo, & operamini: paleæ non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum.

19. Videbantque se præpositi filiorum Israel in malo, eo quod diceretur eis: Non minuetur quidquam de lateribus per singulos dies.

20. Occurreruntque Moysi & Aaron, qui stabant ex adverso, egredientibus a Pharaone:

21. Et dixerunt ad eos: Videat Dominus & judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & servis ejus, & præbuistis ei gladium (*f*), ut occideret nos.

22. Reversusque est Moyses ad Dominum, & ait: Domine, cur afflixisti (*g*) populum istum? quare misisti me?

23. Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem ut loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum: & non liberasti eos.

CAPUT VI.

Deus Mosi & Israelitis animos addit, nomen suum Mosi aperit, terram Chanaan Hebræis promittit. Genealogia Mosis pertexitur.

1. DIxitque Dominus ad Moysen: Nunc videbis quæ facturus sim Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robusta ejiciet illos de terra sua.

2. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Ego Dominus

3. Qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob in Deo omnipotente: & nomen (*a*) meum ADONAI non indicavi eis.

4. Pepigique fœdus cum eis, ut darem eis Terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt advenæ.

5. Ego audivi gemitum filiorum Israel, quo Ægyptii oppresserunt eos: & recordatus sum pacti mei.

6. Ideo dic filiis Israel: Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de servitute, ac redimam in brachio excelso (*b*), & judiciis magnis.

7. Et assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus: & scietis quod ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum:

8. Et induxerim in terram, super quam levavi (*c*) manum meam ut darem eam Abraham, Isaac, & Jacob: daboque illam vobis possidendam, ego Dominus.

9. Narravit ergo Moyses omnia filiis Israel: qui non acquieverunt ei propter angustiam (*d*) spiritus, & opus durissimum.

10. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

11. Ingredere, & loquere ad Pharaonem regem Ægypti, ut dimittat filios Israel de terra sua.

12. Respondit Moyses coram Domino: Ecce filii Israel non audiunt me: & quomodo audiet Pharao, præsertim cum incircumcisus sim labiis?

13. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, & dedit mandatum ad filios Israel, & ad Pharaonem regem Ægypti ut educerent filios Israel de Terra Ægypti.

14. * Isti sunt principes domorum per familias suas. Filii Ruben primogeniti Israelis: Henoch & Phallu, Hesron & Charmi. *Gen. 46. 9. Num. 16. 5. 1. Par. 5. 8.

15. Hæ cognationes (*e*) Ruben. * Filii Simeon: Jamuel, & Jamin, & Ahod, & Jachin, & Soar, & Saul filius Chananitidis: hæ progenies Simeon. *1. Par. 4. 4.

16. Et hæc nomina filiorum Levi per cognationes suas: Gerson & Caath & Merari. Anni autem vitæ Levi fuerunt centum triginta septem:

17. * Filii Gerson: Lobni & Semei, per cognationes suas. *1. Par. 6. 1. & 23. 6.

18. * Filii Caath: Amram, & Isaar, & Hebron, & Oziel: anni quoque vitæ Caath, centum triginta tres. *Num. 3. 19. & 26. 57. 58. 1. Par. 6. 2. & 23. 12.

19. Filii Merari: Moholi & Musi: hæ cognationes Levi per familias suas.

20. Accepit autem Amram uxorem Jochabed patruelem (*f*) suam: quæ peperit ei Aaron & Moysen. Fueruntque anni vitæ Amram, centum triginta septem.

21. Filii quoque Isaar: Core, & Nepheg, & Zechri.

22. Filii quoque Oziel: Misael, & Elisaphan, & Sethri.

23. Accepit autem Aaron uxorem Elisabeth, filiam Aminadab, sororem Nahasson, quæ peperit ei Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar.

24. Filii quoque Core: Aser, & Elcana, & Abiasaph: hæ sunt cognationes Coritarum.

25. At vero Eleazar filius Aaron accepit uxorem de filiabus Phutiel: quæ peperit ei Phinees: hi sunt principes familiarum Leviticarum per cognationes suas.

26. Iste est Aaron & Moyses, quibus præcepit Dominus ut educerent filios Israel de Terra Ægypti per turmas suas.

27. Hi

21. (*f*) Occasionem nos durius vexandi.

22. (*g*) August. non contumaciæ verba sunt, vel indignationis, sed inquisitionis, & orationis: non enim Deus arguit infidelitatem ejus, sed quid facturus sit, aperuit, quæst. 15.

CAP. VI. 3. (*a*) In Hebræo est *Jehova*, יהוה nomen Tetragrammaton, quod quidem priscis Patribus revelatum erat quoad pronuntiationem & significationem, sed nondum quoad declarationem rei significatæ. Apparui illis in Deo omnipotente; me omnipotentem esse, & omnium rerum Dominum satis declaravi; sed in nomine meo *Jehova*, seu Quadrilatero, aut Tetragrammaton, notus illis plane non fui, necdum iis exhibui præcipuos effectus meæ potentiæ. Nunc implebo quæ promisi, ad vim sacratioris nominis exprimendam, ea præstabo quæ pollicitus fueram. *Nomen meum Adonai*, pro *Jehova*, ut Hebræi legunt ad servandam reverentiam nomini præcipuo. Nomen illud fortasse. *Qui est*, innuitur: pronuntiatio ipsa, vel simplex ejus significatio Abrahæ non fuit ignota, sed vis & explicatio rerum, quas significat, Mosi major data est, ut spes divina populum afflictum magis erigeret.

6. (*b*) Hebr. extento.

8. (*c*) Juravi.

9. (*d*) Anxietatem animi.

15. (*e*) Ruben, Simeonis & Levi stirpem Moses persequitur.

20. (*f*) Amitam vox Hebræa significat. Id mutatum fuisse suspicatur Grotius ab iis qui quod lege vetitum est, putarunt semper nefas fuisse.

27. Hi sunt, qui loquuntur ad Pharaonem regem Ægypti, ut educant filios Israel de Ægypto: iste est Moyses, & Aaron,

28. In die (*g*) qua locutus est Dominus ad Moysen, in Terra Ægypti.

29. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Ego Dominus: loquere ad Pharaonem regem Ægypti, omnia quæ ego loquor tibi.

30. Et ait Moyses coram Domino: En incircumcisus labiis sum, quomodo audiet me Pharao?

CAPUT VII.

Moses & Aaron varia coram Pharaone edunt signa, quibus magis obduratus negat se populum dimissurum.

1. Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce constitui te Deum (*a*) Pharaonis: & Aaron frater tuus erit Propheta tuus.

* Sup.4.15. 2. * Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi: & ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israel de terra sua.

3. Sed ego indurabo (*b*) cor ejus, & multiplicabo signa & ostenta mea in Terra Ægypti,

4. Et non audiet vos: immittamque manum meam super Ægyptum, & educam exercitum & populum meum filios Israel de Terra Ægypti per judicia maxima.

5. Et scient Ægyptii quia ego sum Dominus qui extenderim manum meam super Ægyptum, & eduxerim filios Israel de medio eorum.

6. Fecit itaque Moyses & Aaron sicut præceperat Dominus: ita egerunt.

7. Erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem.

8. Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron:

9. Cum dixerit vobis Pharao, Ostendite signa: dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, & projice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum.

10. Ingressi itaque Moyses & Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus: tulitque (*c*) Aaron virgam coram Pharaone & servis ejus, quæ versa est in colubrum.

* 2. Tim.3.8. 11. * Vocavit autem Pharao sapientes & maleficos: & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam similiter,

12. Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ (*d*) sunt in dracones: sed devoravit virga Aaron virgas eorum.

13. Induratumque est cor Pharaonis, & non audivit eos, sicut præceperat Dominus.

14. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ingravatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum.

15. Vade ad eum mane, ecce egredietur ad aquas: & stabis (*e*) in occursum ejus super ripam fluminis: & virgam, quæ conversa est in draconem, tolles in manu tua.

16. Dicesque ad eum: Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto: & usque ad præsens audire noluisti.

17. Hæc igitur dicit Dominus: In hoc scies quod sim Dominus: ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem.

18. Pisces quoque, qui sunt in fluvio, morientur, & computrescent aquæ, & affligentur Ægyptii bibentes aquam fluminis.

19. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron, Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægypti, & super fluvios eorum, & rivos ac paludes, & omnes lacus aquarum, ut vertantur in sanguinem: & sit cruor in omni Terra Ægypti, tam in ligneis vasis quam in saxeis.

20. Feceruntque Moyses, & Aaron sicut præceperat Dominus: * & elevans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone & servis ejus: quæ versa est in sanguinem. * Inf.17.5. Ps.77.44.

21. Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt: computruitque fluvius, & non poterant Ægyptii bibere aquam fluminis, & fuit sanguis in tota Terra Ægypti.

22. * Feceruntque (*f*) similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis: & induratum est cor Pharaonis, nec audivit eos, sicut præceperat Dominus. * Sap.17.7.

23. Avertitque se, & ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice.

24. Foderunt autem omnes Ægyptii per circuitum fluminis aquam ut biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis.

25. Impletique sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluvium.

CA-

28. (*g*) Hebr. *Et factum est in die qua loquutus est Dominus*. Adeo ut hæc verba cum sequentibus jungantur. Seriem historiæ resumit Moses, quam interruperat, ut Levi genealogiam pertexeret.

CAP. VII. 1. (*a*) Vox Hebræa *Elohim*, אלהים, Principibus aliquando tribuitur. *Deum*, id est, Dominum vitæ & necis; vox Hebræa judiciariam potestatem significat de quocumque dicatur. *Et Aaron frater tuus erit Propheta tuus*. Propheta loquitur populo, quæ audivit a Deo; sic quæ tu jusseris, ea loquetur *Aaron*: Et erit os tuum, cap. 4. vers. 16.

3. (*b*) Non impellendo, aut cogendo, ut Calvinus docet; sed permittendo, & gratiam subtrahendo, vel etiam per potentiam quædam efficiendo, per quæ malitia sua ipse obduretur: ut alibi fusius a nobis explicatum fuit. Obduratus enim fuit Pharao eorum occasione, per quæ converti debuisset. Animus obduratus est, & voluntas ad id quod est rectum, sive ad Dei jussa inflexibilis. Obduratio autem tribuitur Deo, 1. Ob illius permissionem: in qua tria sunt spectanda, præcipitis voluntatis in certa peccata dimissio, diaboli ad tentandum prompti relaxatio, & gratiæ amplioris subtractio. 2. Per patientiam, cum Deus non cito punit. 3. Obdurat Deus per potentiam, ex August. cum occasiones offeruntur, quibus voluntas magis obfirmetur: sed positivi illi obdurandi modi sunt reipsa negativi, aut permissivi respectu voluntatis, quæ se obfirmat in malo, nec tenetur Deus opera quædam sua prætermittere ob prævisum hominis abusum. Qua quidem ratione optime intelligitur, quomodo August. identidem dicat Deum obdurare non solum per patientiam, sed etiam per potentiam: ut cum furenti animo præbetur occasio iræ majoris; sed proprie induratus Pharao a se ipso dicitur cap. 9. vers. 34.

10. (*c*) Hebr. & Græce, *Projecit*.

12. (*d*) Quod Moses & Aaron per miracula effecerunt, hoc ipsum Magi specie tenus, & penes apparentiam tantum præstitere. Per virgam in terram projectam docet Ambrosius significari Christum in terram descendentem, qui in cruce & sepulcro quasi serpens factus, resurrectione sua in cælum remeavit. Serpentes Magorum ut veri fuerint, a dæmonibus aliunde poterant asportari: hoc erat discriminis inter Aaronem & Magos, quod Magi non possent destruere quæ ab Aarone fiebant, Aaron contra.

15 (*e*) Ut ille ad ripam Nili veniens te inveniat.

22. (*f*) Præstigiis suis effecerunt, ut aqua aliunde asportata speciem haberet sanguinis.

CAPUT VIII.

Ægypto variis plagis afflicta, promittit Pharao fore ut dimittat populum, nec dimittit tamen.

1. DIxit quoque Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem: & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi:

2. Sin autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos (*a*) tuos ranis.

3. Et ebulliet fluvius ranas: quæ ascendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, & super stratum tuum, & in domos servorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum:

4. Et ad te, & ad populum tuum, & ad omnes servos tuos intrabunt ranæ.

5. Dixitque Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron: Extende manum tuam super fluvios ac super rivos & paludes, & educ ranas (*b*) super Terram Ægypti.

6. Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntque Terram Ægypti.

* Sap. 17. 7. 7. * Fecerunt autem & malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas super Terram Ægypti.

8. Vocavit autem Pharao Moysen & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum ut auferat ranas a me & a populo meo: & dimittam populum ut sacrificet Domino.

9. Dixitque Moyses ad Pharaonem: Constitue (*c*) mihi quando deprecer pro te, & pro servis tuis, & pro populo tuo, ut abigantur ranæ a te, & a domo tua, & a servis tuis, & a populo tuo: & tantum in flumine remaneant.

10. Qui respondit: Cras (*d*). At ille: Juxta, inquit, verbum tuum faciam: ut scias quoniam non est sicut Dominus Deus noster.

11. Et recedent ranæ a te, & a domo tua, & a servis tuis, & a populo tuo: & tantum in flumine remanebunt.

12. Egressique sunt Moyses & Aaron a Pharaone: & clamavit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum quam condixerat Pharaoni.

13. Fecitque Dominus juxta verbum Moysi: & mortuæ sunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris.

14. Congregaveruntque eas in immensos aggeres, & computruit terra.

15. Videns autem Pharao quod data esset requies, ingravavit cor suum, & non audivit eos, sicut præceperat Dominus.

16. Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, & percute pulverem terræ: & sint sciniphes (*e*) in universa Terra Ægypti.

17. Feceruntque ita. Et extendit Aaron manum, virgam tenens: percussitque pulverem terræ, & facti sunt sciniphes in hominibus, & in jumentis: omnis pulvis terræ versus est in sciniphes per totam Terram Ægypti.

18. Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent sciniphes, & non potuerunt: erantque sciniphes tam in hominibus quam in jumentis.

19. Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus (*f*) Dei est hic: induratumque est cor Pharaonis, & non audivit eos sicut præceperat Dominus.

20. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Consurge diluculo, & sta coram Pharaone: egredietur enim ad aquas, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi.

21. Quod si non dimiseris eum, ecce ego immittam in te, & in servos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas omne genus muscarum (*g*): & implebuntur domus Ægyptiorum muscis diversi generis, & universa terra in qua fuerint.

22. Faciamque mirabilem in die illa Terram Gessen, in qua populus meus est, ut non sint ibi muscæ: & scias quoniam ego Dominus in medio terræ.

23. Ponamque divisionem (*h*) inter populum meum, & populum tuum: cras erit signum istud.

24. Fecitque Dominus ita. * Et venit musca gravissima in domos Pharaonis & servorum * Sap. 16. 9.
ejus, & in omnem Terram Ægypti: corruptaque est terra ab hujuscemodi muscis.

25. Vocavitque Pharao Moysen & Aaron, & ait eis: Ite, & sacrificate Deo vestro, in terra hac.

26. Et ait Moyses: Non potest ita fieri: abominationes (*i*) enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro: quod si mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent.

27. Viam trium dierum pergemus in solitudinem: & sacrificabimus Domino Deo nostro, * sicut præcepit nobis. * Sup. 3. 18.

28. Dixitque Pharao: Ego dimittam vos ut sacrificetis Domino Deo vestro in deserto: verumtamen longius ne abeatis, rogate pro me.

29. Et ait Moyses: Egressus a te, orabo Dominum: & recedet musca a Pharaone, & a servis suis, & a populo ejus cras: verumtamen noli ultra fallere, ut non dimittas populum sacrificare Domino.

30. Egressusque Moyses a Pharaone, oravit Dominum.

31. Qui

CAP. VIII. 2. (*a*) Fines Regni sui.

5. 6. & 7. (*b*) Ranæ juxta Augustinum significant homines loquaces, maxime hæreticos, qui velut ranæ clamantes de palude strepitum vocis habere possunt, doctrinam sapientiæ insinuare non possunt; tædium inferentes auribus, non cibum mentibus; *super aquas*: versus aquas; *similiter*, sed non in tanto numero ranarum. *Et clamavit Moyses*. Etsi eventus certus sit, preces nihilominus fundendæ sunt. Certus erat Moses fore ut ranæ tollerentur, secus id non promisisset Pharaoni.

9. (*c*) Ne forte diceret ranas usitata naturæ via mortuas esse.

10. (*d*) Iniquorum est semper procrastinare.

16. (*e*) Culices nempe qui adurunt suis aculeis, *Gall. des Cousins*: alii pediculos vertunt. Quidam putant esse culicum genus arboribus infestum.

19. (*f*) Virtus Dei: *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia*, Lucæ 11. Non permisit Deus: qui majora fecerunt, fatentur in minoribus se nihil posse.

21. (*g*) Vox Hebræa, inquit Grotius, quæ & Ægyptiaca, muscam caninam significat: sed vulgata editio versionem 70. retinuit.

23. (*h*) Redemptionem.

26. (*i*) Immolabimus animalia, quæ ab Ægyptiis pro Diis coluntur, quod statim explicat, aut quorum cædem Ægyptii abominandam putant, vel offeremus ea Deo, quæ occidi, ac Deo sacrari nefas habent Ægyptii.

31. Qui fecit juxta verbum illius: & abstulit muscas a Pharaone, & a servis suis, & a populo ejus: non superfuit ne una quidem.

32. Et ingravatum (*k*) est cor Pharaonis, ita ut nec hac quidem vice dimitteret populum.

CAPUT IX.

Plagæ adduntur plagis, nec stat promissis obduratus Pharao.

1. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, & loquere ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi.

2. Quod si adhuc renuis, & retines eos:

3. Ecce manus (*a*) mea erit super agros tuos, & super equos, & asinos, & camelos, & boves, & oves, pestis valde gravis.

4. Et faciet Dominus mirabile inter possessiones Israel, & possessiones Ægyptiorum, ut nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Israel.

5. Constituitque Dominus tempus, dicens: Cras faciet Dominus verbum istud in terra.

6. Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die: mortuaque (*b*) sunt omnia animantia Ægyptiorum: de animalibus vero filiorum Israel nihil omnino periit.

7. Et misit Pharao ad videndum: nec erat quidquam mortuum de his quæ possidebat Israel. Ingravatumque est cor Pharaonis, & non dimisit populum.

8. Et dixit Dominus ad Moysen & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cælum coram Pharaone:

9. Sitque pulvis super omnem Terram Ægypti: erunt enim in hominibus, & jumentis ulcera, & vesicæ turgentes in universa Terra Ægypti.

10. Tuleruntque cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum Moyses in cælum: factaque sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus, & jumentis:

11. Nec poterant malefici stare coram Moyse propter ulcera, quæ in illis erant, & in omni Terra Ægypti.

12. Induravitque (*c*) Dominus cor Pharaonis, & non audivit eos, sicut locutus est Dominus ad Moysen.

13. Dixitque Dominus ad Moysen: Mane consurge, & sta coram Pharaone, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum ut sacrificet mihi.

14. Quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, & super servos tuos, & super populum tuum: ut scias quod non sit similis mei in omni terra.

15. Nunc enim extendens manum percutiam te, & populum tuum peste (*d*), peribisque de terra.

16. * Idcirco autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. * Rom. 7. 17.

17. Adhuc retines populum meum: & non vis dimittere eum?

18. En pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto a die qua fundata est, usque in præsens tempus.

19. Mitte ergo jam nunc, & congrega (*e*) jumenta tua, & omnia quæ habes in agro: homines enim, & jumenta, & universa quæ inventa fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque super ea grando, morientur.

20. Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos, & jumenta in domos:

21. Qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit servos suos, & jumenta in agris.

22. Et dixit Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum, ut fiat grando in universa Terra Ægypti super homines, & super jumenta, & super omnem herbam agri in Terra Ægypti.

23. * Extenditque Moyses virgam in cælum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram: pluitque Dominus grandinem super Terram Ægypti. * Sap. 16. 16. & 19. 19.

24. Et grando & ignis mista pariter ferebantur: tantæque fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in universa Terra Ægypti ex quo gens illa condita est.

25. Et percussit grando in omni Terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum: cunctamque herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit.

26. Tantum in Terra Gessen, ubi erant filii Israel, grando non cecidit.

27. Misitque Pharao, & vocavit Moysen & Aaron, dicens ad eos: Peccavi etiam nunc: Dominus justus: ego & populus meus, impii.

28. Orate Dominum ut desinant tonitrua Dei, & grando: ut dimittam vos, & nequaquam hic ultra maneatis.

29. Ait Moyses: Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua, & grando non erit: ut scias quia Domini est terra.

30. Novi autem quod & tu, & servi tui necdum timeatis (*f*) Dominum Deum.

31. Linum ergo, & hordeum læsum est, eo quod hordeum esset virens, & linum jam folliculos germinaret:

32. Triticum autem, & far non sunt læsa, quia serotina erant.

33. Egressusque Moyses a Pharaone ex urbe, tetendit manus ad Dominum: & cessaverunt tonitrua & grando, nec ultra stillavit pluvia super terram.

34. Vi-

32. (*k*) Sept. Interpr. *Et grave fecit Pharao cor suum.* Id ipsum textus Hebraicus exprimit: *Aggravavit Pharao cor suum.*

CAP. IX. 3. (*a*) Pestis nimirum.

6. (*b*) Quæ scilicet vers. 3. recensentur: ubi in Hebræo sic legitur: *Ecce manus Domini est in pecudibus tuis quæ sunt in agro.* Quamobrem hæc plaga intelligitur de animantibus quæ erant in agris. Pro ingenti numero solemus dicere omnia, id est, fere omnia; oves & boves habebant Ægyptii, ut lacte vescerentur, & lanis vestirentur.

12. (*c*) Indurationis initium est gratiæ subtractio; sed plenam indurationem occasiones ipsæ suppeditant.

15. (*d*) Pestis nomine intelligitur omne excidii genus: plagas addam plagis.

19. (*e*) Iram clementia temperat.

30. (*f*) August. Facile est enim pœnam timere, sed non hoc est Deum timere.

34. Videns autem Pharao quod cessasset pluvia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum:

35. Et ingravatum est cor ejus, & servorum illius, & induratum nimis: nec dimisit filios Israel, sicut praeceperat Dominus per manum Moysi.

CAPUT X.

Post locustarum & tenebrarum plagas Pharao Mosi & Aaroni mortem minitatur.

1. ET dixit Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem: ego enim induravi cor ejus, & servorum illius: ut faciam signa mea haec in eo,

2. Et narres in auribus filii tui & nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios, & signa mea fecerim in eis: & sciatis quia ego Dominus.

3. Introierunt ergo Moyses & Aaron ad Pharaonem, & dixerunt ei: Haec dicit Dominus Deus Hebraeorum: Usquequo non vis subjici mihi? dimitte populum meum, ut sacrificet mihi.

*Sap 16. 9. 4. * Sin autem resistis, & non vis dimittere eum: ecce ego inducam cras locustam (a) in fines tuos:

5. Quae operiat superficiem terrae, ne quidquam ejus appareat, sed comedatur quod residuum fuerit grandini: corrodet enim omnia ligna quae germinant in agris.

6. Et implebunt domos tuas, & servorum tuorum, & omnium Ægyptiorum, quantam non viderunt patres tui, & avi, ex quo orti sunt super terram, usque in praesentem diem. Avertitque se, & egressus est a Pharaone.

7. Dixerunt autem servi Pharaonis ad eum: Usquequo (b) patiemur hoc scandalum? dimitte homines, ut sacrificent Domino Deo suo: nonne vides quod perierit Ægyptus?

8. Revocaveruntque Moysen & Aaron ad Pharaonem, qui dixit eis: Ite, sacrificate Domino Deo vestro: quinam sunt qui ituri sunt?

9. Ait Moyses: Cum parvulis nostris, & senioribus pergemus, cum filiis & filiabus, cum ovibus & armentis: est enim solemnitas Domini Dei nostri.

10. Et respondit Pharao: Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos, & parvulos vestros: cui dubium est quod pessime cogitetis?

11. Non fiet ita, sed ite tantum viri, & sacrificate Domino: hoc enim & ipsi petistis. Statimque ejecti sunt de conspectu Pharaonis.

12. Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, ut ascendat super eam, & devoret omnem herbam quae residua fuerit grandini.

13. Et extendit Moyses virgam super terram Ægypti: & Dominus induxit ventum (c) urentem tota die illa, & nocte: & mane facto, ventus urens levavit locustas.

14. Quae ascenderunt super universam terram Ægypti: & sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec postea futurae sunt.

15. Operueruntque universam superficiem terrae, vastantes omnia. Devorata est igitur herba terrae, & quidquid pomorum in arboribus fuit, quae grando dimiserat: nihilque omnino virens relictum est in lignis, & in herbis terrae, in cuncta Ægypto.

16. Quam ob rem festinus Pharao vocavit Moysen & Aaron, & dixit eis: Peccavi in Dominum Deum vestrum, & in vos.

17. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, & rogate Dominum Deum vestrum, ut auferat a me mortem istam.

18. Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis, oravit Dominum.

19. Qui flare fecit ventum ab Occidente vehementissimum, & arreptam locustam projecit in Mare rubrum: non remansit ne una quidem in cunctis finibus Ægypti.

20. Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel.

21. Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in caelum: & sint tenebrae super terram Ægypti tam densae, ut palpari queant (d).

22. Extenditque Moyses manum in caelum: & factae sunt tenebrae horribiles in universa Terra Ægypti tribus diebus.

23. * Nemo vidit fratrem suum, nec movit (e) se de loco in quo erat: * ubicumque autem habitabant filii Israel, lux erat. *Sap. 17. 2. *Sap. 18. 1.

24. Vocavitque (f) Pharao Moysen & Aaron, & dixit eis: Ite, sacrificate Domino: oves tantum vestrae, & armenta remaneant, parvuli vestri eant vobiscum.

25. Ait Moyses: Hostias quoque & holocausta dabis nobis, quae offeramus Domino Deo nostro.

26. Cuncti greges pergent nobiscum: non remanebit ex eis ungula: quae necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri: praesertim cum ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perveniamus.

27. Induravit autem Dominus cor Pharaonis, & noluit dimittere eos.

28. Dixitque Pharao ad Moysen: Recede a me, & cave ne ultra videas faciem meam: quocumque die apparueris mihi, morieris.

29. Respondit Moyses: Ita fiet ut locutus es, non videbo ultra faciem tuam.

C A-

CAP. X. 4. (a) Locustarum multitudinem. Locustae ex Greg. significant adulatores, qui omnes bonae mentis fruges adulando corrumpunt.

7. (b) Quare tandiu patimur nos ab illo homine tot nobis inferri mala? cur eum non dimittimus?

13. (c) Qui locustas e regionibus trans mare rubrum intulit in Ægyptum.

21. (d) Seu haec per hyperbolem dicta sint, seu potius aer tam densus factus fuerit, ut quodammodo palpari posset: et quidem plaga caecitatem Pharaonis & Ægyptiorum significabat.

23. (e) Ut longius abiret, negotia sua curaturus: nam probabile non est hoc triduo eos cibum non quaesivisse. Eodem pene modo loquitur Scriptura de Sabbato, cap. 16.

24. (f) Post discussas tenebras, quae post tres dies sunt discussae nullo rogante; cum deteriora metueret Pharao, Moysen & Aaronem vocavit. Vulnera creverunt ea ratione qua Pharaonis & Ægyptiorum contumacia & rebellio. Quatuor primae plagae fere tantum apparuerunt; quae secutae sunt, majorem ediderunt stragem, corpora ipsa invadentes; e terra, aqua, aere, igne, e caelo ipso eos afflixit: vilissima quaeque elegit animalia, ut Pharaonis superbiam retunderet.

CAPUT XI.

Primogenitorum stragem Dominus prædicit.

1. ET dixit Dominus ad Moysen: Adhuc una plaga tangam Pharaonem & Ægyptum, & post hæc dimittet vos, & exire compellet.

* Sup. 3. 22. Infr. 12. 35. 2. * Dices ergo omni plebi ut postulet (*a*) vir ab amico suo, & mulier a vicina sua vasa argentea, & aurea.

3. Dabit autem Dominus gratiam populo suo
* Eccli. 45. 1. coram Ægyptiis. * Fuitque Moyses (*b*) vir magnus valde in Terra Ægypti coram servis Pharaonis & omni populo.

4. Et ait: Hæc dicit Dominus: Media nocte egrediar in Ægyptum:

5. Et morietur omne primogenitum in Terra Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis qui sedet in solio ejus, usque ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam, & omnia primogenita jumentorum.

6. Eritque clamor magnus in universa Terra Ægypti, qualis nec ante fuit, nec postea futurus est.

7. Apud omnes autem filios Israel non mutiet canis ab homine usque ad pecus: ut sciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios & Israel.

8. Descendentque omnes servi tui isti ad me, & adorabunt me, dicentes: Egredere tu, & omnis populus qui subjectus est tibi: post hæc egrediemur.

9. Et exivit a Pharaone iratus nimis. Dixit autem Dominus ad Moysen: Non audiet vos Pharao, ut multa signa fiant in terra Ægypti.

10. Moyses autem & Aaron fecerunt omnia ostenta quæ scripta sunt coram Pharaone. Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israel de terra sua.

CAPUT XII.

Paschalis Agni immolandi & manducandi ritus Israelitis præcipitur, sequitur primogenitorum Ægypti strages, intactis Hebræis, qui Ægyptiorum spoliis ditati tandem exeunt.

1. DIxit quoque Dominus ad Moysen & Aaron in terra Ægypti:

2. Mensis (*a*) iste, vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni.

3. Loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, & dicite eis: Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias & domos suas.

4. Sin autem minor est numerus ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui junctus est domui suæ, juxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni.

5. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus: juxta quem ritum tolletis & hædum (*b*).

6. Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus: immolabitque eum universa multitudo (*c*) filiorum Israel ad vesperam.

7. Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.

8. Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis (*d*) agrestibus.

9. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni: caput cum pedibus ejus & intestinis vorabitis.

10. Nec remanebit quidquam ex eo usque (*e*) mane: si quid residuum fuerit, igne comburetis.

11. Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter: est enim Phase (*f*) (id est, transitus) Domini.

12. Et transibo per Terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in Terra Ægypti ab homine usque ad pecus: & in cunctis diis Ægypti faciam judicia, ego Dominus.

13. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis: & videbo sanguinem, & transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens quando percussero Terram Ægypti.

14. Habebitis autem hunc diem in monumentum: & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno (*g*).

15. Se-

CAP. XI. 2. (*a*) August. „ Non furtum fecerunt, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt: Deo donante acceperunt vasa Ægyptiorum. Habitabant vero Hebræi una cum Ægyptiis in terra Gessen, ubi erant pascua uberiora. Vasa argentea, & aurea, ut sacrificio necessaria: pactum quidem sponsionis violare non licet. quisque in usus accipit, is accipit cum pacto reddendi. „ Sed præterquam jussu Dei, qui bonorum omnium supremus est Dominus, id factum fuit; Ægyptii Israelitas fugere coegerunt, & fugientes insecuti restituendi facultatem iis ademerunt.

3. (*b*) August. Tam libere loquentem violare non est ausus Pharao; & eo facilius Ægyptii vasa sua commiserunt Hebræis, quod ad eos potuerint merito etiam divina illa beneficia pervenire, ut hinc eos & diligerent iidem Ægypti cohabitatores, ac quod petebant, facile commodarent.

CAP. XII. 2. (*a*) Ante id tempus, principium mensium erat mensis Tisri, qui incidit in Septembrem. Duplex enim fuit annus apud Judæos, sacer, qui a festo Paschatis; & civilis, qui ab Æquinoctio Autumnali, quo mundum conditum esse persuasum habebant, incipiebat; priorem mensem Nisan dixere Levit. 23. Anni Jubilæi a mense Tisri post satiationis tempus numerantur.

5. (*b*) Si agnus ad manum non fuerit: sed tamen Judæi agnum tantummodo immolabant: anno major esse non debebat.

6. (*c*) Nondum erant instituti Sacerdotes: quare probabilius est singulos patresfamilias agnos mactasse. Quod innuit Moses vers. 21. *Ite tollentes animal per familias vestras, & immolate Phase.* Scriptura vero 2. Paralip. 30. vers. 35 de aliis videtur sacrificiis loqui: atque hæc immolatio, cum esset privata, principi familiæ relicta est.

8. (*d*) Septuag. Interpret. *Cum herbis amaris*, ut meminissent afflictionis, quam perpessi erant in Ægypto.

10. (*e*) Ne profane de hoc sacrificio ederent.

11. (*f*) Chaldæi *Pascha* dixerunt, quam vocem retinuerunt Sept. Græci interpr. Vox Hebræa *Pesach*. פסח *transitum* significat, cum quis aliquid transilit. Angelus percutiens domos Israelitarum præ etgressus intactas servabat. *Renes vestros accingetis.* Hæc pro illo tempore, ut aspersio sanguinis, sunt præscripta.

14. (*g*) Ea voce utitur Scriptura, cum nullum est tempus definitum. *Ponens in superliminaribus.* Per modum crucis, ait Hieron. in cap. 66. Isaiæ. Decima die agnus tollitur: die decima, nempe Dominica Palmarum Christus Jerosolymam intravit, in plenilunio ab universa multitudine Judæorum occisus, ad vesperam dici in ultima mundi ætate. Agnus Phase, id est, salubrem nobis transitum, cum a diabolo transimus ad Christum. Comeditur agnus ab uno populo Hebræo; ab uno populo Christiano, una in domo, in unitate Ecclesiæ, extra quam incurritur in percussorem; cum azymis, id est, ut docet Apostolus, in sinceritate & veritate fidei & caritatis; ossa non confringuntur, quia integra Christi ossa relicta manserunt illæsa. Occidebatur sub finem diei 14 edebatur ineunte die 15.

15. Septem diebus (*h*) azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a primo die usque ad diem septimum.

16. Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent.

17. Et observabitis azyma: in eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de Terra Ægypti, & custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo.

* Levit. 23. 5. Num. 28. 16. 18. * Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vesperam.

19. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris: qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israel, tam de advenis quam de indigenis terræ.

20. Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis vestris edetis azyma.

21. Vocavit autem Moyses omnes seniores filiorum Israel, & dixit ad eos: Ite tollentes animal per familias vestras, & immolate Phase.

* Heb. 11. 28. 22. * Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & utrumque postem: nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ usque mane.

23. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cumque viderit sanguinem in superliminari, & in utroque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras & lædere.

24. Custodi verbum istud legitimum tibi & filiis tuis usque in æternum.

25. Cumque introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis ut pollicitus est, observabitis cæremonias istas.

26. Et cum dixerint (*i*) vobis filii vestri: Quæ est ista religio?

27. Dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Ægypto percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans. Incurvatusque populus adoravit.

28. Et egressi filii Israel fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron.

29. Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in Terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui in so-
* Sup. 11. 5. Sap. 18. 5. lio ejus sedebat, * usque ad primogenitum captivæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum jumentorum.

30. Surrexitque Pharao nocte, & omnes servi ejus, cunctaque Ægyptus: & ortus est clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus.

31. Vocatisque Pharao Moyse & Aaron nocte, ait: Surgite, & egredimini a populo meo, vos & filii Israel: ite, immolate Domino sicut dicitis.

32. Oves vestras, & armenta assumite ut petieratis, & abeuntes benedicite mihi.

33. Urgebantque Ægyptii populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur.

34. Tulit igitur populus conspersam farinam antequam fermentaretur: & ligans in palliis, posuit super humeros suos.

35. Feceruntque filii Israel * sicut præceperat Moyses: & petierunt (*k*) ab Ægyptiis vasa argentea & aurea, vestemque plurimam. * Sup. 11. 2.

36. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis ut commodarent eis: & spoliaverunt Ægyptios.

37. Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Socoth, sexcenta (*l*) fere millia peditum virorum, absque parvulis.

38. Sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oves, & armenta, & animantia diversi generis multa nimis.

39. Coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conspersam tulerant: & fecerunt subcinericios panes azymos: neque enim poterant fermentari cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere sinentibus moram: nec pulmenti quidquam occurrerat præparare.

40. Habitatio autem filiorum Israel qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.

41. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de Terra Ægypti.

42. Nox ista est observabilis Domini, quando eduxit eos de Terra Ægypti: hanc observare debent omnes filii Israel in generationibus suis.

43. Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron: Hæc est religio Phase: Omnis alienigena non comedet ex eo.

44. Omnis autem servus emptitius circumcidetur, & sic comedet.

45. Advena & mercenarius non edent ex eo.

46. * In una domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras, nec os illius confringetis. * Num. 9. 12. Joann. 19. 36.

47. Omnis cœtus filiorum Israel faciet illud.

48. Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire (*m*) coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, & tunc rite celebrabit: eritque sicut indigena terræ: si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo.

49. Eadem lex erit indigenæ & colono qui peregrinatur apud vos.

50. Feceruntque omnes filii Israel sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron.

51. Et eadem die eduxit Dominus filios Israel de Terra Ægypti per turmas suas.

CA-

15. (*h*) Quæ hactenus dicta sunt, pertinent ad Pascha in Ægypto factum: quæ sequuntur, ad insequentium annorum celebritatem referuntur.

26. (*i*) Anno duodecimo ad templum ducebantur. Lucæ 2. Ab eo tempore incipiebant de Paschate & aliis sacris cibis vesci. Josephus. Lib. 12. cap. 4. Lex est apud ipsos vetans; ne quis natus de victimis edat, priusquam in templum eat, & Deo sacrificet.

35. (*k*) Diversis temporibus populus petiit ab Ægyptiis. August. quæst. 9. Jam hoc factum fuerat ante mortem primogenitorum Ægyptiorum: sed nunc per recapitulationem repetitur: non narratum est, quando id factum fuit.

37. (*l*) Intra duo sæcula mirum in modum aucta est Jacobi progenies: in Ægypto mulieres sunt admodum fœcundæ.

48. (*m*) In Hebræo, cum peregrinatus fuerit tecum peregrinus, & fecerit transitum Domino, seu divinæ legi se subjecerit.

CAPUT XIII.

Lex de primogenitis hominum & pecorum offerendis statuitur; per desertum educuntur Israelitæ, qui Josephi ossa secum deferunt; præit illis columna ignis.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

* Infr. 34. 19. Levit. 27. 26. Num. 8. 16. Luc. 2. 23. 2. * Sanctifica (*a*) mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus, quam de jumentis: mea sunt enim omnia.

3. Et ait Moyses ad populum: Mementote diei hujus in qua egressi estis de Ægypto & de domo servitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto: ut non comedatis fermentatum panem.

4. Hodie egredimini mense (*b*) novarum frugum.

5. Cumque introduxerit te Dominus in Terram Chananæi & Hethæi, & Amorrhæi, & Hevæi, & Jebusæi, quam juravit patribus tuis, ut daret tibi, terram fluentem lacte & melle, celebrabis hunc morem sacrorum mense isto.

6. Septem diebus vesceris azymis, & in die septimo erit solemnitas Domini.

7. Azyma comedetis septem diebus: non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis.

8. Narrabisque filio tuo in die illo, dicens: Hoc est quod fecit mihi Dominus quando egressus sum de Ægypto.

9. Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos: & ut lex Domini semper sit in ore tuo, in manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto.

10. Custodies hujuscemodi cultum statuto tempore a diebus in dies.

11. Cumque introduxerit te Dominus in Terram Chananæi, sicut juravit tibi & patribus tuis, & dederit tibi eam:

* Inf. 22. 29. & 34. 19. Ezech. 44. 30. 12. * Separabis omne quod aperit vulvam Domino, & quod primitivum est in pecoribus tuis: quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino.

13. Primogenitum asini mutabis ove: quod si non redemeris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, pretio redimes.

14. Cumque interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid est hoc? respondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de Terra Ægypti, de domo servitutis.

15. Nam cum induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in Terra Ægypti a primogenito hominis usque ad primogenitum jumentorum; idcirco immolo Domino omne quod aperit vulvam masculini sexus; & omnia primogenita filiorum meorum redimo.

16. * Erit igitur quasi signum in manu tua, & quasi appensum quid, ob recordationem, inter oculos tuos: eo quod in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto. * Deut. 6. 8.

17. Igitur cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam Terræ Philisthiim quæ vicina est: reputans ne forte poeniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, & reverteretur in Ægyptum.

18. Sed circumduxit (*c*) per viam deserti, quæ est juxta Mare rubrum: & armati ascenderunt filii Israel de Terra Ægypti.

19. Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum: eo quod adjurasset filios Israel, dicens: * Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum. * Gen. 50. 24.

20. Profectique de Socoth castrametati sunt in Etham, in extremis finibus solitudinis.

21. * Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: ut dux esset itineris utroque tempore. * Num. 14. 14. 1. Cor. 10. 1. 2. Esdr. 9. 12. & 19.

22. Numquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo.

CAPUT XIV.

Pharao cum equitatu & curribus insequitur Israelitas, quos magno terrore perculsos consolatur Deus: divisum mare sicco pede pertranseunt, Ægyptiis in aquas demersis.

1. LOcutus est autem Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere filiis Israel: Reversi castrametentur e regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum & mare contra Beelsephon: in conspectu ejus castra ponetis super mare (*a*).

3. Dicturusque est Pharao super filiis Israel: Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum.

4. Et indurabo cor ejus, ac persequetur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu ejus: scientque Ægyptii quia ego sum Dominus. Feceruntque ita.

5. Et nuntiatum est regi Ægyptiorum quod fugisset populus: immutatumque est cor Pharaonis & servorum ejus super populo, & dixerunt: Quid voluimus facere ut dimitteremus Israel, ne serviret nobis?

6. Junxit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum.

7. Tulitque sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit, & duces totius exercitus.

8. Induravitque Dominus cor Pharaonis regis Ægypti, & persecutus est filios Israel: at illi egressi erant in manu excelsa.

9. * Cum-

CAP. XIII. 2. (*a*) Sanctificatio hoc in loco significat deputationem rei corporalis ad divinum cultum; sive per ministerium, quomodo Tribus Levi est sanctificata; sive per usum, ut vasa sacra; seu denique per immolationem. Quo quidem modo jubetur immolare Deo primogenitum omne, hominem vero pretio redimere, primogenitum autem asini, quod immundum erat, redimere aut ove, aut certo pretio jubet Deus. Sed libera datur optio vers. 15. redimendi, aut occidendi. *Mea sunt omnia*: & speciali quodam modo primogenita. Hebr. *Meum est enim*, nempe omne primogenitum.

4. (*b*) Mense Nisan, quando spicæ primum se ostendunt iis in regionibus. *Cumque introduxerit*: Ergo in deserto eam legem de Phase, azymis & primogenitis observare non tenebantur. *Et quasi appensum quid ob recordationem*. Hæc duo postrema verba desunt in Hebræo, LXX. *Signum permanens*. Hic finis est omnium solemnitatum, ut accepta Dei beneficia grato animo recolamus.

18. (*c*) August. quæst. 49. in Exodum: „ *Hic ostenditur* „ *omnia fieri debere consilio, quæ consilio recte fieri possunt,* „ *ad evitanda quæ sunt adversa, etiam cum Deus apertissime adjutor est*: " Mare Rubrum Hebræi id vocant mare algosum, quod sit alga plenum, ex Diodoro Siculo.

CAP. XIV. 2. & 3. (*a*) Versus mare. *Super filiis Israel*: De filiis Israel.

*1. Mach. 4. 9. Jos. 24. 6. 9. * Cumque persequerentur Ægyptii vestigia præcedentium, repererunt eos in castris super mare: omnis equitatus & currus Pharaonis, & universus exercitus erant in Phihahiroth coram Beelsephon.

10. Cumque appropinquasset Pharao, levantes filii Israel oculos, viderunt Ægyptios post se: & timuerunt valde: clamaveruntque ad Dominum,

11. Et dixerunt ad Moysen: Forsitan non erant sepulcra in Ægypto, ideo tulisti nos, ut moreremur in solitudine: quid hoc facere voluisti, ut educeres nos ex Ægypto?

12. Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes: Recede a nobis, ut serviamus Ægytiis? multo enim melius erat servire eis, quam mori in solitudine.

13. Et ait Moyses ad populum: Nolite timere: state, & videte magnalia Domini quæ facturus est hodie: Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis usque in sempiternum.

14. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.

15. Dixitque Dominus ad Moysen: Quid clamas (b) ad me? Loquere filiis Israel ut proficiscantur.

16. Tu autem eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide (c) illud: ut gradiantur filii Israel in medio mari per siccum.

17. Ego autem indurabo cor Ægyptiorum ut persequantur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu ejus, & in curribus, & in equitibus illius.

18. Et scient Ægyptii quia ego sum Dominus cum glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus atque in equitibus ejus.

19. Tollensque se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum

20. Stetit inter castra Ægyptiorum & castra Israel: & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent.

21. Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi & urente tota nocte, & vertit in siccum: divisaque est aqua.

* Ps. 77. 13. 105. 17. & 113. 3. Hebr. 11. 29. 22. * Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci (d) maris: erat enim aqua quasi murus a dextra eorum & læva.

23. Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus ejus & equites per medium maris.

* Sap. 18. 21. 24. Jamque advenerat vigilia matutina, * & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum:

25. Et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Ægyptii: Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.

26. Et ait Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus & equites eorum.

27. Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum: fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus.

28. Reversæque sunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec unus quidem superfuit (e) ex eis.

29. Filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris, & aquæ eis erant quasi pro muro a dextris & a sinistris:

30. Liberavitque Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum.

31. Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi servo ejus.

CAPUT XV.

Epinicium canunt Israelitæ, qui in Mara primum, ubi aquarum amaritudo in dulcedinem conversa est, tum ad Elim perveniunt.

1. TUnc * cecinit (a) Moyses & filii Israel carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare. * Sap. 10. 20.

2. * Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum. * Isa. 12. 2. Ps. 117. 14.

3. Dominus quasi vir pugnator (b), omnipotens nomen ejus.

4. Currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare: electi principes ejus submersi sunt in Mari rubro.

5. Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.

6. Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine: dextera tua, Domine, percussit inimicum.

7. Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos: misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam.

8. Et

15. (b) „ Crediderim, inquit Origenes, hunc clamorem „ Sanctorum esse animi eruptiones, & motus quodammodo „ naturales, quibus a Deo postulant etiam necendi. Gregor. „ Homil. 5. Diabolus usque ad Baptismum persequitur, & „ ibi cum universo vitiorum exercitu obruitur. “

16. (c) Per extremum sinum Arabici transierunt Israelitæ, quo loco ultra tres leucas vix patet.

22. (d) Fisi cari: Memoriam hujus prodigii conservarunt Icthyophagi, seu accolæ hujus maris, teste Diodoro Siculo, Lib. 3.

28. (e) Hebr. Non superfuit in eis usque ad unum. Mare illud Rubrum, vel ab Erythræo Rege, vel a rubeo colore, quem herbæ rubræ multis in locis exhibent, plerique dictum putant.

CAP. XV. 1. (a) Moses præcinebat, viri sequebantur. Canticum hoc præter litteralem gratiarum actionis sensum, habet allegoricum. „ Nam per transitum maris Rubri Baptismum significari testatur Apostol. 1. Corinth. 10. Hinc August. in Ps. 72. „ Moriuntur in mari Rubro omnes inimici populi illius, moriuntur in Baptismo omnia peccata nostra . . . . Post mare „ Rubrum non continuo patria datur, nec secure triumphatur: restat eremi solitudo, restant hostes insidiantes in „ via. “ Et glorificabo eum: Vatablus, Decorabo eum, & exaltabo eum, tamquam altissimum celebrabo, altitudine naturæ ab omni corruptionis contagio remotissimæ; altitudine potestatis in omnes creaturas; altitudine judiciorum in benefaciendo, & judicando.

3. (b) Hebr. Vir pugnæ: Ex quo omnes eventus belli pendent. Omnipotens nomen ejus. Hebr. יהוה Jehova nomen ejus; magnificus in sanctitate

8. Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ: stetit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari.

9. Dixit inimicus: Persequar & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea: evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.

10. Flavit spiritus tuus, & operuit eos mare: submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.

11. Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia (c)?

12. Extendisti manum tuam, & devoravit eos terra.

13. Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti: & portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum (d) sanctum tuum.

14. Ascenderunt (e) populi, & irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim.

15. Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.

16. Irruat super eos formido & pavor, in magnitudine brachii tui: fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.

17. Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine: sanctuarium tuum Domine, quod firmaverunt manus tuæ.

18. Dominus regnabit in æternum & ultra.

19. Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus ejus in mare: & reduxit super eos Dominus aquas maris: filii autem Israel ambulaverunt per siccum in medio ejus.

20. Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris,

21. Quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem ejus dejecit in mare.

22. Tulit autem Moyses Israel de mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur: ambulaveruntque tribus diebus per solitudinem, & non inveniebant aquam.

23. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ: unde & congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, id est, amaritudinem.

24. Et murmuravit populus contra Moysen, dicens: Quid bibemus?

25. At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit
* Judith 5. 15. Eccli. 38 5. ei lignum (f): quod * cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt: ibi constituit ei præcepta, atque judicia, & ibi tentavit eum,

26. Dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum est coram eo feceris, & obedieris mandatis (g) ejus, custodierisque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te: ego enim Dominus sanator tuus.

27. * Venerunt autem in Elim filii Israel, * Num. 33. 9.
ubi erant duodecim fontes (h) aquarum, & septuaginta palmæ: & castrametati sunt juxta aquas.

CAPUT XVI.

Obmurmurantibus Israelitis ob ciborum penuriam, coturnices decidunt in castra; cum pluit Man, quo per quadraginta annos aluntur.

1. Profectique sunt de Elim, & venit omnia Sup. 11. 8.
multitudo filiorum Israel in desertum Sin quod est inter Elim & Sinai: quintodecimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de Terra Ægypti.

2. Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron in solitudine.

3. Dixeruntque filii Israel ad eos: Utinam mortui essemus per manum Domini in Terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate: cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame?

4. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ecce, ego pluam vobis panes de cælo: egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies: ut tentem eum utrum ambulet in lege mea, an non.

5. Die autem sexto parent quod inferant: & sit duplum quam colligere solebant per singulos dies.

6. Dixeruntque Moyses & Aaron ad omnes filios Israel: Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de Terra Ægypti:

7. Et mane videbitis gloriam Domini: audivit enim murmur vestrum contra Dominum: nos vero quid sumus, quia mussitastis contra nos?

8. Et ait Moyses: Dabit (a) vobis Dominus vespere carnes edere, & mane panes in saturitate: eo quod audierit murmurationes vestras quibus murmurati estis contra eum, nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.

9. Dixit quoque Moyses ad Aaron: Dic universæ congregationi filiorum Israel: Accedite coram (b) Domino: audivit enim murmur vestrum.

10. Cum-

11. (c) Cum erga bonos, tum erga malos, summa utrobique puritate & sanctitate, terribilis impiis, & tamen in omnibus semper laudabilis.

13. (d) In terram promissionis, præteritum pro futuro.

14. (e) Hebr. Audierunt populi nempe Chananæi.

25. (f) Mysterio sensu gloriam & gratiam crucis designari tradit Augustinus. Alii intelligunt aquas Baptismi: Origenes Legem, cujus præcepta per lignum crucis dulcia facta sunt. Hoc lignum typus est illius, quo omnis amaritudo vertitur in dulcedinem. Constituit ei præcepta, forsan de Sabbatismo, & honore parentum.

26. (g) Quæ data sunt Noe, Abrahæ, &c. in quibus Lex erat de sacrificiis. Atque ad hunc locum respicit Jeremias, cap. 7. vers. 22. In die qua eduxi eos, cum primum eos eduxissem. Lex autem de sacrificiis, excepto Paschate, quod videtur potius commemorativum quam sacrificium legale, data non est nisi ex occasione a populo commissæ Idololatriæ.

27. (h) Per quos ad litteram intelligitur amœnitas loci, quo quidem post tot labores excepti sunt: mystice vero perfectæ vitæ auxiliares: nam post maris Rubri, seu Baptismi insignem victoriam, sequitur tentatio in deserto: post tentationem refectio in Elim, ex duodecim Apostolorum fontibus: unde aquæ derivatæ totius mundi siccitatem irrigant, juxta quos 70. Palmæ, 70. Discipuli, inferioris ordinis Doctores.

CAP. XVI. 8. (a) In carnibus designantur Sacrificia veteris Legis, in Manna Sacrificium Novi Testamenti.

9. (b) Ante extructum Tabernaculum locum quemdam orandi fuisse colligitur ex cap. 33. vers. 7. Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. More Scripturæ usitato negatur id, quod est minoris momenti, quale est illud, Misericordiam volo, & non sacrificium. Matth. 9. Hinc liquet rebellionem omnem contra legitimam potestatem esse contra Deum, a quo illa potestas proficiscitur.

10. Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Iſrael, reſpexerunt ad ſolitudi-
* Eccli. 45. 3. nem : & ecce * gloria Domini apparuit in nube.

11. Locutus eſt autem Dominus ad Moyſen, dicens :

12. Audivi murmurationes filiorum Iſrael, loquere ad eos : Veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus : ſcietiſque quod ego ſum Dominus Deus veſter.

13. Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix, cooperuit caſtra : mane quoque ros jacuit per circuitum caſtrorum.

* Num. 11. 7. Pſ. 77. 24. Sap. 16. 20. Joan. 6. 31. 14. Cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, * apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum, in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram.

15. Quod cum vidiſſent filii Iſrael, dixerunt ad invicem : Manhu (c)? quod ſignificat : Quid eſt hoc? ignorabant enim quid eſſet. Quibus
* 1. Cor. 10. 3. ait Moyſes : * Iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum.

16. Hic eſt ſermo, quem præcepit Dominus : Colligat unuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum : gomor per ſingula capita, juxta numerum animarum veſtrarum quæ habitant in tabernaculo, ſic tolletis.

17. Feceruntque ita filii Iſrael : & collegerunt alius plus, alius minus.

* 2. Cor. 8. 15. 18. Et menſi ſunt ad menſuram gomor : * nec qui plus collegerat (d), habuit amplius : nec qui minus paraverat, reperit minus : ſed ſinguli juxta id quod edere poterant congregaverunt.

19. Dixitque Moyſes ad eos : Nullus relinquat ex eo in mane.

20. Qui non audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis uſque mane, & ſcatere cœpit vermibus, atque computruit : & iratus eſt contra eos Moyſes.

21. Colligebant autem mane ſinguli, quantum ſufficere poterat ad veſcendum, cumque incaluiſſet ſol, liquefiebat.

22. In die autem ſexta collegerunt cibos duplices, id eſt, duo gomor per ſingulos homines : venerunt autem omnes principes multitudinis, & narraverunt Moyſi.

23. Qui ait eis : Hoc eſt quod locutus eſt Dominus : Requies ſabbati (e) ſanctificata eſt Domino cras : quodcumque operandum eſt, facite : & quæ coquenda ſunt, coquite : quidquid autem reliquum fuerit, reponite uſque in mane.

24. Feceruntque ita ut præceperat Moyſes, & non computruit, neque vermis inventus eſt in eo.

25. Dixitque Moyſes : Comedite illud hodie, quia ſabbatum eſt Domini : non invenietur hodie in agro.

26. Sex diebus colligite : in die autem ſeptimo ſabbatum eſt Domini, idcirco non invenietur.

27. Venitque ſeptima dies : & egreſſi de populo ut colligerent, non invenerunt.

28. Dixit autem Dominus ad Moyſen : Uſquequo non vultis cuſtodire mandata mea, & legem meam?

29. Videte quod Dominus dederit vobis ſabbatum, & propter hoc die ſexta tribuit vobis cibos duplices : maneat unuſquiſque apud ſemetipſum, nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo.

30. Et ſabbatizavit populus die ſeptimo.

31. Appellavitque domus Iſrael nomen ejus Man : quod erat quaſi ſemen coriandri album, guſtuſque ejus quaſi (f) ſimilæ cum melle.

32. Dixit autem Moyſes : Iſte eſt ſermo, quem præcepit Dominus : Imple gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retro generationes, ut noverint panem, quo alui vos in ſolitudine, quando educti eſtis de terra Ægypti.

33. Dixitque Moyſes ad Aaron : Sume vas unum, & mitte ibi Man, quantum poteſt capere gomor : & repone coram Domino ad ſervandum in generationes veſtras,

34. Sicut præcepit Dominus Moyſi. Poſuitque illud Aaron in tabernaculo (g) reſervandum.

35. * Filii autem Iſrael comederunt Man * 2. Eſdr. 9. 21. Judith 5. 15.
quadraginta annis ; donec venirent in terram habitabilem : hoc cibo aliti ſunt, uſquequo tangerent fines terræ Chanaan.

36. Gomor autem decima pars eſt Ephi.

CAPUT XVII.

Rurſum Iſraelitæ ſiti urgente obmurmurant in Raphidim, ubi aqua e petra educitur : hoſtis Amalec aggreditur, & vincitur a Joſue, Moſe extenſis manibus orante.

1. IGitur profecta omnis multitudo filiorum Iſrael de deſerto Sin per manſiones ſuas, juxta ſermonem Domini, caſtrametati ſunt in Raphidim (a), ubi non erat aqua ad bibendum populo.

2. * Qui jurgatus contra Moyſen, ait : Da * Num. 20. 4.
nobis aquam, ut bibamus. Quibus reſpondit Moyſes : Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum?

3. Sitivit ergo ibi populus præ aquæ penuria, & murmuravit contra Moyſen, dicens : Cur feciſti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, & liberos noſtros, ac jumenta ſiti?

4. Clamavit autem Moyſes ad Dominum, dicens : Quid faciam populo huic? adhuc paululum, & lapidabit me.

5. Et ait Dominus ad Moyſen : Antecede populum, & ſume tecum de ſenioribus Iſrael :
& virgam qua * percuſſiſti fluvium (b), tolle * Sup. 14. 21. Pſ. 77. 15. 1. Cor. 10. 4.
in manu tua, & vade.

6. En

15. (c) Poſtrema verba addidit Hieronymus, qui cum LXX. legit מן־דוּם Manhu, non Mahu, ut volunt Hebræi. Manna eſt hoc, illud rori congelato ſimile fuit. Manhu eſſe vocem Ægyptiacam exiſtimat Grotius : ex eo ſermone Hebræi multa adhuc retinebant.

18. (d) Id terrenis omnibus bonis commune eſt, ut qui plus colligunt, non ſint ditiores quam qui minus, quique pauciora appetunt. Quid enim amplius quam victum & veſtitum optare debemus?

23. (e) Quæ mox in legem abiit.

31. (f) Ut placenta mellita.

34. (g) Quod per prolepſim dictum eſt : nam poſtea factum fuit Tabernaculum. Manna fuiſſe figuram panis illius cæleſtis, quem Dominus dedit, ipſe Dominus docet : unde Manna eſcam ſpiritalem vocat Apoſtolus. Qua de re fuſius in Tractatu de Euchar. dictum fuit.

1. (a) Hæcque eſt manſio, vel ſtatio undecima.

5. (b) Aut Nilum, aut mare Rubrum.

CAPUT XVII.

6. En ego ftabo ibi coram te, fupra petram Horeb: percutiefque petram, & exibit ex ea aqua (a), ut bibat populus. Fecit Moyfes ita coram fenioribus Ifrael.

7. Et vocavit nomen loci illius, Tentatio, propter jurgium filiorum Ifrael, & quia tentaverunt Dominum, dicentes: Eftne Dominus in nobis, an non?

* Deut. 25. 17. Judith 4. 11. Sap. 11. 3.

8. * Venit autem Amalec, & pugnabat contra Ifrael in Raphidim.

9. Dixitque Moyfes ad Jofue: Elige viros: & egreffus, pugna contra Amalec: cras ego ftabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea.

10. Fecit Jofue ut locutus erat Moyfes, & pugnavit contra Amalec: Moyfes autem & Aaron, & Hur (d) afcenderunt fuper verticem collis.

11. Cumque levaret Moyfes manus, vincebat Ifrael (e): fin autem paululum remififfet, fuperabat Amalec.

12. Manus autem Moyfi erant graves: fumentes igitur lapidem, pofuerunt fubter eum, in quo fedit: Aaron autem & Hur (f) fuftentabant manus ejus ex utraque parte. Et factum eft ut manus illius non laffarentur ufque ad occafum folis.

13. Fugavitque Jofue Amalec, (g) & populum ejus in ore gladii.

14. Dixit autem Dominus ad Moyfen: Scribe hoc ob monimentum (h) in libro, & trade auribus Jofue: delebo enim memoriam Amalec fub cælo.

15. Ædificavitque Moyfes altare: & vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea (i), dicens:

16. Quia manus folii Domini (k), & bellum Domini erit contra Amalec, a generatione in generationem.

CAPUT XVIII.

Jethro Sepheram cum liberis ad Moyfen reducit, confilium dat genero perutile, ut judices conftituat qui minora exerceant judicia.

1. Cumque audiffet Jethro, facerdos Madian (a), cognatus Moyfi, omnia quæ fecerat Deus Moyfi, & Ifraeli populo fuo, & quod eduxiffet Dominus Ifrael de Ægypto:

2. Tulit Sephoram uxorem Moyfi, quam remiferat:

* Sup. 2. 22.

3. Et duos filios ejus, quorum unus vocabatur Gerfam, dicente patre: * Advena fui in terra aliena.

4. Alter vero Eliezer: Deus enim, ait, patris mei adjutor meus, & eruit me de gladio Pharaonis.

5. Venit ergo Jethro cognatus Moyfi, & filii ejus, & uxor ejus ad Moyfen in defertum, ubi erat caftrametatus juxta montem Dei.

6. Et mandavit Moyfi, dicens: Ego Jethro cognatus tuus venio ad te, & uxor tua, & duo filii tui cum eo.

7. Qui egreffus in occurfum cognati fui, adoravit & ofculatus eft eum: falutaveruntque fe mutuo verbis pacificis. Cumque intraffet tabernaculum,

8. Narravit (b) Moyfes cognato fuo cuncta quæ fecerat Dominus Pharaoni & Ægyptiis propter Ifrael, univerfumque laborem, qui accidiffet eis in itinere, & quod liberaverat eos Dominus.

9. Lætatufque eft Jethro fuper omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Ifraeli, eo quod eruiffet eum de manu Ægyptiorum,

10. Et ait: Benedictus Dominus, qui liberavit vos de manu Ægyptiorum, & de manu Pharaonis, qui eruit populum fuum de manu Ægypti.

11. Nunc cognovi, quia magnus Dominus fuper omnes Deos: eo quod * fuperbe egerint contra illos. * Sup. 1. 16. & 5. 7. & 10. 10. & 14. 8.

12. Obtulit ergo Jethro cognatus Moyfi holocaufta & hoftias Deo: veneruntque Aaron & omnes feniores Ifrael, ut comederent panem cum eo coram Deo.

13. Altera autem die fedit Moyfes ut judicaret populum, qui affiftebat Moyfi a mane ufque ad vefperam.

14. Quod cum vidiffet cognatus ejus, omnia fcilicet quæ agebat in populo, ait: Quid eft hoc quod facis in plebe? cur folus fedes, & omnis populus præftolatur de mane ufque ad vefperam?

15. Cui refpondit Moyfes: Venit ad me populus quærens fententiam Dei.

16. Cumque acciderit eis aliqua difceptatio, veniunt ad me ut judicem inter eos, & oftendam præcepta Dei, & leges ejus.

17. At ille: Non bonam, inquit, rem facis:

18. Stulto labore confumeris & tu, & populus ifte qui tecum eft: ultra vires tuas eft negotium, * folus illud non poteris fuftinere. * Deut. 1. 12.

19. Sed audi verba mea atque confilia, & erit Deus tecum (c). Efto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum:

20. Often-

6. (a) Simile miraculum narratur Num. 20. fed hoc pofteriu[illegible] factum eft anno 40. ab exitu in deferto Sin, ubi murm[illegible] Ifraelitæ dixerunt: *Utinam periiffemus inter fratres noftros coram Domino.* Sed nondum ulla plaga fuerant percuffi. 1. Cor. 10. 4. Quare & [illegible] funt miracola. Petra Chriftum ipfum fignificat ex Apoftolo, & virga percutiens crucem defignabat.

10. (d) [illegible] Mofis fororem duxerat.

11. (e) M[illegible] extenfis brachiis Chrifti fuit figura. Ifraelitæ fideles [illegible] contra diabolum pugnantes & vincentes, non tam armis [illegible] virtutum quam oratione.

12. (f) Hic fuit Judex populi una cum Aarone, abfente Mofe: Jofephus putat fuiffe maritum Mariæ fororis Mofis.

13. (g) Arma ex Ægypto afportata, & reperta ex ftrage Ægyptiorum.

14. (h) Hic primum fcriptionis fit mentio. Scribe in Annalibus.

15. (i) Sept. Interpret. *Dominus refugium meum*, Alii ex Hebr. vexillum meum vertunt.

16. (k) Hebr. *Quia manus fuper folium Domini eft.* Formam juramenti habent hæc verba: manus Domini jurantis per folium fuum, bellum fore perpetuum contra Amalecitas: ita Paraphrafis Chaldaica, eo quod vacillantes Hebræos & innocuos immani bello adorti effent. Manus *folii Domini*, divinæ potentiæ. Bellum Dei eft adverfus humani generis hoftem, qui nobis in patriam tendentibus ftruit infidias. In qua quidem pugna, Deo juvante, animos viresque nobis præbente, vincimus: eo deferente vincimur. Sed neminem deferit Deus, nifi qui manus remiferit juftitiæ, vel cujus oratio ipfa defecerit.

1. (a) Hic focer erat Mofis: vox Hebræa & cognatum & focerum fignificat: feu hic fuerit Raguel, cujus facta eft mentio cap. 2. feu illius effet filius. CAPUT XVIII.

8. (b) Mofes cuncta Deo refert accepta, nihil de fe, aut de geftis fuis commemorat.

19. (c) Cur autem Mofes id antea non fecerit, an quod prorfus fuo confilio nihil agere voluit, Dei voluntatem ubique expectans? Nec Deus voluit illi immediate hæc præfcribere, ut ali-

20. Ostendasque populo cæremonias & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant.

21. Provide autem de omni plebe viros potentes (*d*), & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos,

22. Qui judicent populum omni tempore: quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo judicent: leviusque sit tibi, partito in alios onere.

23. Si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta ejus poteris sustentare: & omnis hic populus revertetur ad loca sua cum pace.

24. Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ illi suggesserat.

25. Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos.

26. Qui judicabant plebem omni tempore: quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo judicantes.

27. Dimisitque cognatum suum: qui reversus abiit in terram suam.

CAPUT XIX.

Israelitæ motis castris perveniunt in solitudinem Sinai; Moses in montem ascendit, unde jussa Dei perfert ad populum; Mons igni & fulguribus coruscat.

Num. 33. 15. 1. MEnse tertio egressionis Israel de Terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai (*a*).

2. Nam profecti de Raphidim, & pervenientes usque in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibique Israel fixit tentoria e regione montis.

Act. 7. 38. 3. * Moyses autem ascendit ad Deum, vocavitque eum Dominus de monte, & ait: Hæc dices domui Jacob, & annuntiabis filiis Israel:

Deut. 29. 2. 4. * Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum (*b*), & assumpserim mihi.

5. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in pecu-
Ps. 23. 1. lium (*c*) de cunctis populis: * mea est enim omnis terra.

6. * Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale (*d*), & gens sancta: hæc sunt verba quæ loqueris ad filios Israel. * 1. Petr. 2. 9.

7. Venit Moyses: & convocatis majoribus natu populi, exposuit omnes sermones quos mandaverat Dominus.

8. Responditque omnis populus simul: Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Cumque retulisset Moyses verba populi ad Dominum,

9. Ait ei Dominus: Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Nuntiavit ergo Moyses verba populi ad Dominum.

10. Qui dixit ei: Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras, laventque vestimenta sua.

11. Et sint parati in diem tertium: in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai.

12. Constituesque terminos (*e*) populo per circuitum, & dices ad eos: Cavete ne ascendatis in montem, * nec tangatis fines illius: * Heb. 12. 18.
omnis qui tetigerit montem, morte morietur.

13. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur jaculis: sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet: cum cœperit clangere buccina (*f*), tunc ascendant in montem.

14. Descenditque Moyses de monte ad populum, & sanctificavit eum. Cumque lavissent vestimenta sua,

15. Ait ad eos: Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris.

16. Jamque advenerat tertius dies, & mane inclaruerat: & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat: & timuit populus qui erat in castris.

17. Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis.

18. * Totus autem mons Sinai fumabat: eo * Deut. 4. 11.
quod descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace: eratque omnis mons terribilis.

19. Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in majus, & prolixius tendebatur. Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei.

20. De-

ut aliquid per homines disceret. Sic Saulus ad Ananiam missus est instruendus. Tria autem erant corrigenda; 1. Populus tota die Mosis responsa expectabat. 2. Labore nimio consumebatur. 3. Tempus non supererat ad consulendum Deum. Hæc tria, inquit Mariana, inverso ordine amoventur. Deus enim præcipiet, & respondebit consultationi Mosis, qui poterit onera sua ferre, & populus tempestive revertetur. Pulchre August. *Passus est Deus famulum tam sibi familiarem ab alienigena admoneri, ut per hoc disceremus, per quemlibet hominem datur consilium veritatis, non debere contemni.* Deinde cavendum erat, ne Mosem ipsum tentaret superbia: sedebat enim solus cum judiciaria potestate, universo populo stante. *Et erit Deus tecum*, Adjuvans te, ut facilius onus in alios partitum feras. Augustinus significari prætetea putat, nimis intentum actionibus humanis animum Deo quodammodo vacuari, quo fit tanto plenior, quanto in superna atque æterna liberius extenditur. Hinc Gregorius monet a subditis inferiora gerenda, a rectoribus summa cogitanda, ut oculum, qui providendis gressibus intentus est, cura pulveris non obscuret. Nec dubium est, quin Jethro fuerit veri Dei Sacerdos, quandoquidem obtulit holocausta & hostias Deo. Erat ex posteris Abrahæ, & verum Dei cultum ea traditione ipsa, & longa cum Mose consuetudine retinuerat.

21. (*d*) Vox Hebræa opulentos significat, qui sæpius suam dignitatem melius tuentur, & longius abiunt ab inhonesti quæstus suspicione. *Tribunos*: Horum in locum successerunt Judices urbani, Synedrium autem in locum Mosis.

CAP. XIX.

1. (*a*) Sinam vocat Strabo, Lib. 16.

4. (*b*) Quæ alte volant, & tutæ sunt ab ictu.

5. (*c*) In propriam & peculiarem hæreditatem.

6. (*d*) Vos eritis mihi populus, in quo mihi constituam Regnum, & Sacerdotium. Ad hæc verba alludit Petrus, Epist. 1. cap. 2. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium*: Item Apoc. 1. *Fecit nos Reges, & Sacerdotes Deo, & Patri suo.* Ubi hæc duo distinguuntur, & in Sacerdotii nomine Petrus aliquid peculiare intelligit, non tantum excellentiam quamdam. Hinc Chald. Paraphrastes: *Eritis mihi Reges & Sacerdotes.* Regnum meum non erit profanum, sed sacrum, ab omni fœditate immune; quod significant illa verba, *Gens sancta*.

12. (*e*) Quo quidem Dei præcepto admonemur, ne populus plura de Deo scire velit, quam Deus ipse voluit; quæque divina sunt, ab iis quibus revelavit Deus, accipiat, nec plura quam ipse docuit.

13. (*f*) Tum ascendant usque ad præscriptos terminos, & non ultra.

20. Descenditque Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, & vocavit Moysen in cacumen ejus. Quo cum ascendisset,

21. Dixit ad eum: Descende, & contestare populum: ne forte velit transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.

22. Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum (e), sanctificentur, ne percutiat eos.

23. Dixitque Moyses ad Dominum: Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai: tu enim testificatus es, & jussisti, dicens: Pone terminos circa montem, & sanctifica illum.

24. Cui ait Dominus: Vade, descende: ascendesque tu, & Aaron tecum: sacerdotes autem & populus ne transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne forte interficiat illos.

25. Descenditque Moyses ad populum, & omnia narravit eis.

CAPUT XX.

Angelus e monte Decalogum promulgat; populus perterritus rogat ut mandata Dei internuncio Mose excipiat; altare e lapidibus insectis, aut e terra extrui præcipitur.

1. Locutusque est Dominus cunctos sermones hos (a):

* Deut. 5. 6. Ps. 80. 11. 2. * Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de Terra Ægypti, de domo servitutis.

3. Non habebis deos alienos coram me (b).

* Lev. 26. 1. Deut. 4. 15. Jos. 24. 14. Psal. 96. 7. 4. * Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper (c), & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra.

5. Non adorabis ea, neque coles (d): ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertium & quartam generationem eorum qui oderunt me:

6. Et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.

7. * Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum (e): nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. * Lev. 19. 12. Deut. 5. 11. Matth. 5. 33.

8. * Memento ut diem sabbati sanctifices. * Infr. 31. 13. Ezech. 20. 12.

9. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.

10. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus & filia tua, servus tuus & ancilla tua, jumentum tuum, & advena qui est intra portas tuas. Deut. 5. 13.

11. * Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbati, & sanctificavit eum. * Gen. 2. 2.

12. * Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. * Deut. 5. 16. Matth. 15. 4. Ephes. 6. 2.

13. * Non occides. * Matth. 5. 21.

14. Non mœchaberis.

15. Non furtum facies. Rom. 7. 7.

16. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. & 13. 9.

17. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

18. Cunctus autem populus videbat voces (f) & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem: & perterriti ac pavore concussi, steterunt procul,

19. Dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur (g) nobis Dominus, ne forte moriamur.

20. Et ait Moyses ad populum: Nolite timere: ut enim probaret vos venit Deus, & ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis.

21. Stetitque populus de longe. * Moyses autem accessit ad caliginem in qua erat Deus (h). * Deut. 18. 16. Hebr. 12. 18.

22. Dixit præterea Dominus ad Moysen: Hæc dices filiis Israel: Vos vidistis quod de cælo locutus sim vobis.

23. Non facietis deos argenteos (i), nec deos aureos facietis vobis.

24. * Al-

22. (e) An Leviticum genus per anticipationem designatur? An potius qui ex jure naturæ erant Sacerdotes, ut primogeniti juxta Hebræos? Jubet Sacerdotes præ ceteris sanctificari, aut præparari per oblationes solitas & Numinis reverentiam.

CAP. XX. 1. (a) Israelitæ majestate Dei territi postulaverunt in hoc capite, ut loqueretur Moses, sed non propterea Deus illis Decalogum per Angelum pronunciare desiit: juxta illud Deuteron. 4. Locutus est Dominus ad vos de medio ignis. Totus autem Mons Sinai fumabat ad incutiendum populo terrorem, & timorem Dei, tunc enim erat status timoris. Ignis designabat Deum per legem illuminantem & punientem: Fumus & nebula, quam Deus sit incomprehensibilis; Mons illius sublimitatem, & dogmatum altitudinem indicabat.

3. (b) Sept. Interpret. Præter me: vel coram me, hoc est, nusquam: nihil enim me latet.

4. (c) Sept. Interpret. vertunt Idolum, quod est falsi numinis Simulacrum. Non absolute prohibentur statuæ, aut imagines facere, sed tantum eo fine, ut colantur & adorentur: mox enim addit:

5. (d) Non facies ut adores ea, aut cultum divinum iis impendas: Et quidem Cherubim erant in Sanctuario. Sculptilia haberi non debent pro diis coram Deo, nec aliud quidpiam habendum pro Deo. Sed si vel umbræ, vel imagini Petri, aut Pauli honos habeatur, non illud est idololatriæ genus, hos enim colere qui idololatriam everterunt. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes. Zelus est amor confortis impatiens; vel est ardentissima caritas. Visitans, id est, puniens, iniquitatem patrum in filios, qui oderunt me, punitione temporali: hujus rei caussa habetur Exod. 34. Nullusque apud te per se innocens est, qui reddis iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus; ut factum est in Babylonica deportatione.

7. (e) Non jurabis, ut Christus explicat Matth. 5. Non enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini frustra. Punietur enim qui falsum juraverit, nec pro innoxio eum habebit qui frustra juraverit sine reverentia & necessitate. Reliqua quæ ad Decalogum spectant, peculiari tractatu sunt a nobis fuse exposita, ac de iis recurret sermo Deuter. cap. 25. In vanum etiam non pejerabis. Idem enim est in Hebræo, vanum, & mendacium. Quæ hoc capite continentur, ea tantummodo complectuntur, quæ spectant ad humanam societatem inter Israelitas tuendam, & ad externum Dei cultum; non omnia legis capita aperte comprehenduntur.

18. (f) Audiebat: Cum visus inter sensus sit præcipuus, ejus actio transfertur ad alios sensus: ac sæpe Hebræi unius sensus functionem alteri tribuunt.

19. (g) Loquitur Deus Christianis dando legem in cordibus eorum, & loquitur ad cor.

21. (h) Auctor. id est, ubi expressiora fiebant signa, quibus cognosceretur Deus.

23. (i) Hebr. Non facietis mecum, seu coram me, seu nusquam facietis, ut explicat Chaldæus Paraphr.

* Isa. 27. 8. & 38. 7. 24. * Altare de terra facietis mihi (*k*), & offeretis super eo holocausta & pacifica vestra, oves vestras & boves in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei: veniam ad te, & benedicam tibi.

* Deut. 27. Jos. 8. 31. 25. * Quod si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim levaveris cultrum (*l*) super eo, polluetur.

26. Non ascendes per gradus (*m*) ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua.

CAPUT XXI.

Præcepta quæ ad mores pertinent, superiori capite sunt exposita, judicialia hoc capite & duobus quæ sequuntur, ut cæremonialia sex proximis capitibus continentur.

1. HÆc sunt judicia (*a*) quæ propones eis.

* Deut. 15. 12. Jer. 34. 14. 2. Si * emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi: in septimo egredietur (*b*) liber gratis.

3. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat (*c*): si habens uxorem, & uxor egredietur simul.

4. Sin autem dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios & filias: mulier & liberi ejus erunt domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo.

5. Quod si dixerit servus: Diligo dominum meum & uxorem ac liberos, non egrediar liber:

6. Offeret eum dominus diis (*d*), & applicabitur ad ostium & postes, perforabitque aurem ejus subula: & erit ei servus in sæculum.

7. Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur (*e*) sicut ancillæ exire consueverunt.

8. Si displicuerit oculis domini sui cui tradita fuerat (*f*), dimittet eam: populo autem alieno vendendi non habebit potestatem, si spreverit eam.

9. Sin autem filio suo desponderit eam, juxta morem filiarum faciet (*g*) illi.

10. Quod si alteram ei acceperit (*h*), providebit puellæ nuptias, & vestimenta, & pretium pudicitiæ non negabit.

11. Si tria ista non fecerit (*i*), egredietur gratis absque pecunia.

12. * Qui percusserit hominem volens occidere (*k*), morte moriatur. * Lev. 24. 17.

13. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus: * constituam tibi locum in quem fugere debeat. * Deut. 19. 2.

14. Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab altari meo evelles eum (*l*), ut moriatur.

15. Qui percusserit patrem suum aut matrem, morte moriatur.

16. Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit (*m*) eum, convictus noxæ, morte moriatur.

17. * Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur. * Lev. 20. 9. Prov. 20. 20. Matth. 15. 4. Marc. 7. 10.

18. Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo:

19. Si surrexerit, & ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit, qui percusserit, ita tamen ut operas ejus, & impensas in medicos restituat.

20. Qui percusserit servum suum, vel ancillam virga, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit.

21. Sin autem uno die, vel duobus supervixerit, non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est (*n*).

22. Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: subjacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint.

23. Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima,

24. * Oculum pro oculo (*o*), dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, * Lev. 24. 20. Deut. 19. 21. Matth. 5. 38.

25. Adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.

26. Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit.

27. Dentem quoque si excusserit servo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos.

28. Si

24. (*k*) Non e lapide polito, aut pretiosa materia, ut Hebræis ad idololatriam prorsus occasionem omnem fecaret, aut idola sculpendi detraheret. *Et offeretis super eo.* Non in Altari mactabantur animalia: unde nonnulli vertunt, juxta illud: *Pacifica vestra*, quæ pro pace & incolumitate offerebantur. Talem vult Deus sibi offerri creaturam, qualem ipse condidit, purum & ab omni fuco immunem: quod utique ad sincerum purum animum transferri potest.

25. (*l*) Pagninus Malleum: per cultrum intelligitur omne instrumentum aptum poliendis lapidibus.

26. (*m*) Sed per colliculum leve ascensu.

CAP. XXI. 1. (*a*) Præcepta Judicialia, quæ ad populi regimen spectant, ad lites dirimendas

2. (*b*) In septimo anno Hebraico, & solemni, qui ab emptione non numeratur.

3. (*c*) Hebr. *Si in corpore intraverit*, id est, solus sine uxore & liberis.

6. (*d*) Judicibus, qui *Elohim* voce signantur. *Et erit servus ei in sæculum*, hoc est ad annum usque Jubilæi. 70. *Adducet eum ad judicium Dei.* Nam Judices, quasi testes erant publicæ voluntariæ hujus servitutis.

7. (*e*) Ex his quæ sequuntur, liquet eam a viro in uxorem legitimam acceptam fuisse, sed in secundo ordine, nam primariæ uxori subdita erat. *Non egredietur*: Non ut alienigenæ emptæ tractabitur. *Sicut ancillæ*: Non utetur ejus opera extra domum, ut servis utuntur domini; sed eam domi honeste pudiceque continebit.

8. (*f*) Nempe in sponsam: Si displicuerit domino qui despondit eam, *redimi eam faciet*; LXX. *redimet eam*. Chald. *liberam faciet eam*, ubi Vulgata, *dimittet eam*.

9. (*g*) Hebr. *Secundum tempus filiarum faciet ei*: despondebit eam filio, ea ætate, qua solent patres filiabus de nuptiis prospicere.

10. (*h*) Si alteram filius præterea duxerit *nuptias*, id est, alimenta.

11. (*i*) Si ei non providerit nuptias, vestimenta, pudicitiæ pretium, liberum erit ancillæ recedere nullo dato pretio.

12. & 13. (*k*) August. *Intelligitur tantummodo Deum fecisse, cum quisque occiditur a nolente*. quæst. 79.

14. (*l*) Pro homicidio voluntario non erat asylo locus.

16. (*m*) Hebr. Sive vendiderit eum, sive apud eum inventus fuerit. Sæpe enim copula, *&*, pro disjunctiva accipitur.

21. (*n*) Mancipium est illius pecunia emptum.

24. (*o*) Lex talionis huic populo, qui nullum ultioni ponebat modum, erat attemperata. Hinc August. Lib. 19 contra Faustum, cap. 25. *Præceptum istud non fomes, sed limes furoris est, ad reprimendas flammas odiorum, sævientium que immoderatos animos refrenandos*. Et in eodem loco: *Peccat qui exigit ultra debitum, non peccat autem qui exigit debitum; sed tutior longe est a peccato injusti exactoris, qui omnino non exigit debitum, ne cogatur Deo & ipse reddere debitum*. Pœnam talionis Judex infligebat, non privatus.

28. Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur: & non comedentur carnes ejus, dominus quoque bovis innocens erit.

29. Quod si bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius, & contestati sunt dominum ejus, nec recluserit eum, occideritque virum aut mulierem: & bos lapidibus obruetur, & dominum ejus occident.

30. Quod si pretium fuerit ei impositum, dabit pro anima sua quidquid fuerit postulatus.

31. Filium quoque & filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subjacebit.

32. Si servum ancillamque invaserit, triginta siclos argenti domino dabit, bos vero lapidibus opprimetur.

33. Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam,

34. Reddet dominus cisternæ pretium jumentorum: quod autem mortuum est, ipsius erit.

35. Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit: vendent bovem vivum, & divident pretium, cadaver autem mortui inter se dispertient.

36. Sin autem sciebat quod bos cornupeta esset ab heri & nudiustertius, & non custodivit eum dominus suus: reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiet.

CAPUT XXII.

De furto, deposito, & aliis quæ ad justitiam commutatricem & vindicem spectant, leges feruntur judiciales.

1. SI quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit vel vendiderit: quinque bo-
* 2. Reg. 12. 6. ves pro uno bove restituet, * & quatuor oves pro una ove (a).

2. Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis.

3. Quod si orto sole (b) hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venundabitur.

4. Si inventum fuerit ( ) apud eum quod furatus est, vivens, sive bos, sive asinus, sive ovis: duplum restituet.

5. Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet.

6. Si egressus ignis (d) invenerit spinas, & comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit.

7. Si quis commendaverit amico pecuniam, aut vas in custodiam, & ab eo qui susceperat, furto ablata fuerint: si invenitur fur, duplum reddet.

8. Si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, & jurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui,

9. Ad perpetrandam fraudem (e), tam in bove, quam in asino, & ove ac vestimento, & quidquid damnum inferre potest: ad deos utriusque causa perveniet: & si illi judicaverint, duplum restituet proximo suo.

10. Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem, ovem, & omne jumentum ad custodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit:

11. Jusjurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui: suscipietque dominus juramentum, & ille reddere non cogetur.

12. * Quod si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino. * Gen. 31. 39.

13. Si comestum a bestia, deferat ad eum quod occisum est, & non restituet.

14. Qui a proximo suo quidquam horum mutuo postulaverit, & debilitatum aut mortuum fuerit, domino non præsente, reddere compelletur.

15. Quod si impræsentiarum dominus fuerit, non restituet, maxime si conductum venerat pro mercede operis sui.

16. * Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum ea: dotabit eam, & habebit eam uxorem. * Deut. 22. 28.

17. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.

18. Maleficos non patieris vivere.

19. Qui coierit cum jumento, morte moriatur.

20. * Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli. * Lev. 19. 4.

21. Advenam non contristabis, neque affliges (f) eum: advenæ enim & ipsi fuistis in Terra Ægypti.

22. * Viduæ & pupillo non nocebitis. * Zach. 7. 10.

23. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum:

24. Et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filii vestri pupilli.

25. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.

26. * Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei. * Deut. 24. 13.

27. Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat: si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.

28. Diis non detrahes (g), & * principi populi tui non maledices. * Act. 23. 5. Ezech. 44. 30.

29. Deci-

CAPUT XXII.

1. (a) Bos utilior ove: nam præter commoda ad victum & vestitum, utilis est ad arandum.

3. (b) Lex XII. Tabularum, Num. CXLIV. idem præscribit. Fur nocturnus occidi poterat: nam incerta est illius intentio, utrum ad occidendum venerit, nec repelli facile potest.

4. (c) Nam fur non in eum statum redegit vendendo, ut restituere non possit.

6. (d) Ex justa causa excitatus serpat ad segetes.

9. (e) Id jungendum cum sequentibus putat Mariana: in omni verbo delicti, aut fraudis, ubi contentio fuerit super bove, &c. veniant ad Judices.

21. (f) Hebr. Ne pones super eum morsum. Hebræi usuram vocant morsum, quia rodit & exedit pauperem.

28. (g) Judices, ob analogiam quamdam & similitudinem cum Deo.

29. Decimas tuas & primitias tuas non tardabis reddere (*b*): * primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. *Sup. 13. 2. & 12. Inf. 34. 19.*

30. De bobus quoque, & ovibus similiter facies: septem diebus sit cum matre sua, die octava reddes illum mihi.

31. Viri sancti eritis mihi: * carnem, quæ a bestiis (*i*) fuerit prægustata, non comedetis, sed projicietis canibus. *Levit. 22. 8.*

CAPUT XXIII.

Alia judicibus leges præfiguntur, item de cessatione anni septimi.

1. NOn suscipies vocem mendacii (*a*): nec junges manum tuam ut pro impio dicas falsum testimonium.

2. Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in judicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies.

3. Pauperis quoque non misereberis in judicio (*b*).

4. * Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. *Deut. 22. 1.*

5. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.

6. Non declinabis in judicium pauperis.

7. Mendacium fugies. * Insontem & justum non occides: quia aversor impium. *Deut. 16. 19.*

8. * Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum. *Eccli. 20. 31.*

9. Peregrino molestus non eris: scitis enim advenarum animas: quia & ipsi * peregrini fuistis in Terra Ægypti. *Dan. 13. 53. Gen. 46. 6.*

10. Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges ejus.

11. Anno autem septimo dimittes eam (*c*), & requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui: & quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri: ita facies in vinea & in oliveto tuo.

12. Sex diebus operaberis: septimo die cessabis, ut requiescat bos & asinus tuus: & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & advena.

13. Omnia quæ dixi vobis, custodite. Et per nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro.

14. Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis.

15. Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, * sicut præcepi tibi, tempore mensis novorum, quando egressus es de Ægypto: * non apparebis in conspectu meo vacuus (*d*). *Sup. 13. 3. 4. Infr. 34. 18. Deut. 16. 16.*

16. Et solemnitatem messis primitivorum operis tui, quæcumque seminaveris in agro: solemnitatem quoque in exitu (*e*) anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.

17. * Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo. *Eccl. 35. 6. Infr. 34. 23. Deut. 16. 16.*

18. Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps solemnitatis meæ usque mane.

19. * Primitias (*f*) frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. * Non coques hædum in lacte matris suæ. *Infr. 34. 26. Deut. 14. 21.*

20. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paravi.

21. Observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris, & est nomen meum in illo.

22. * Quod si audieris vocem ejus, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. *Deut. 7. 11.*

23. * Præcedetque te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæumque, & Hevæum, & Jebusæum, quos ego conteram. *Infr. 33. 2. Jos. 24. 11.*

24. Non adorabis deos eorum, nec coles eos: non facies opera eorum, sed * destrues eos, & confringes statuas eorum. *Deut. 7. 25.*

25. Servietisque Domino Deo vestro, ut benedicam panibus tuis & aquis (*g*), & auferam infirmitatem de medio tui.

26. Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua: numerum dierum tuorum implebo (*h*).

27. Terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam:

28. Emittens * crabrones (*i*) prius, qui fugabunt Hevæum, & Chananæum, & Hethæum, antequam introeas. *Deut. 7. 20.*

29. Non

29 (*h*) Hebr. *Plenitudinem tuam & lacrymam tuam.* Spicas plenas, liquorem vini & olei, qui quasi lacrymæ ex uvis & baccis exprimitur: LXX. *Primitias areæ & torcularis.*

31. (*i*) Ut omnem feritatis speciem fugiant.

CAPUT XXIII.

1. (*a*) Audiendo calumniatorem: vox eadem est Hebræa, quæ cap. 20. translata est, *in vanum*: *Ut pro impio dicas falsum testimonium.* Hebr. *Ne ponas manum tuam cum impio, ut sis testis iniquitatis.*

3. (*b*) Præpostera misericordia in caussa injusta. Augustin. quæst. 88. *Bona est misericordia, sed non debet esse contra judicium. Judicium plane appellat Scriptura quod justum est.* Conc. 2. in Psalm. 32. & Concil. 2. in Psalm. 32. *Qualem misericordiam præstitisti ei quem injustum fecisti? Quid ergo, inquis, facerem? Judicares primo secundum caussam, argueres pauperem, flecteres Judicem.*

11. (*c*) Sabbatum illud annorum easdem habebat caussas, quas Sabbatum dierum, naturalem quidem, ut terra quiescens feracior esset, moralem, ut coloni ab avaritia revocati spem suam in Dei providentia collocarent, & pauperum misereri discerent. Illi enim fructibus anni septimi sponte deciduis vescebantur. Id tamen sic videtur intelligere August. *Sex annis seminabis, & colliges, septimo vero non colliges, ut intelligatur, seminabis; etiamsi dictum non est: nam quid inde habebunt pauperes, quorum residuum etiam feris bestiis dedit?* Tacitus, Lib. 5. Histor. de Judaicis moribus loquens, *Septimum quoque annum ignaviæ datum.* Quod sabbati dies hominibus, hoc annus septimus terræ, ait Philo.

15. (*d*) Cum accedes ad Tabernaculum, vel Templum in Festis Paschatis, Pentecostes & Tabernaculorum, non aderis sine oblatione ad cultum Dei, & Levitarum sustentationem.

16. (*e*) Duplex erat anni initium, & duplex finis, a mense Nisan, quoad festa, a Tisri, quoad res civiles: *In exitu anni*, finito anno civili, & iterum incipiente.

19. (*f*) Plinius, Lib. 18. cap. 20. de antiquorum moribus loquens: Ne degustabant quidem novas fruges, aut vina, antequam sacerdotes primitias libassent. Non simul coques matrem, quod speciem habet crudelitatis: vel hoc, ut multa alia, ideo vetitum, quia ad idolorum honorem a vicinis fieri solebat: ita Grotius.

25. (*g*) Per hæc duo, quidquid ad esum & potum pertinet, intelligitur.

26. (*h*) Ad eos annos pervenies, quos fert corporis temperatura.

28. (*i*) Sap. 12. *Misisti antecessores exercitus tui vespas in scandalum, in ruinam.* August. quæst. 93. *Non autem legimus factum . . . . Ac per hoc vespæ istæ aculei timoris intelligendi sunt, fortasse quibus agitabantur memoratæ gentes, ut cederent filiis Israel. Deus enim loquitur, in cujus sermone si figurate aliquid dicatur, quod ad proprietatem non est impletum, non impedit historiæ fidem, in qua perspicitur veritas narrationis.*

29. Non ejiciam eos a facie tua anno uno: ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ.

30. Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas Terram.

31. Ponam autem terminos tuos a Mari rubro usque ad Mare Palæstinorum, & a deserto usque ad fluvium: tradam in manibus vestris habitatores Terræ, & ejiciam eos de conspectu vestro.

* Inf. 34. 15. Deut. 7. 2. 32. * Non inibis cum eis fœdus, nec cum diis eorum.

33. Non habitent in terra tua, ne forte peccare te faciant in me, si servieris diis eorum: quod tibi certe erit in scandalum.

CAPUT XXIV.

Moses sancito Deum inter & populum fœdere jubetur in montem conscendere, legis tabulas a Deo accepturus.

1. MOysi quoque dixit: Ascende ad Dominum tu, & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta senes ex Israel, & adorabitis procul.

2. Solusque Moyses ascendet ad Dominum, & illi non appropinquabunt: nec populus ascendet cum eo.

3. Venit ergo Moyses & narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia (*a*): responditque omnis populus una voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus.

4. Scripsit (*b*) autem Moyses universos sermones Domini: & mane consurgens ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israel.

5. Misitque juvenes de filiis Israel, & obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos.

6. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis (*c*), & misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare.

7. Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo: qui dixerunt: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes.

8. Ille vero sumptum sanguinem respersit in
* Heb. 9. 20. populum, & ait: Hic est * sanguis fœderis (*d*) quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.

9. Ascenderuntque Moyses & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel:

10. Et viderunt (*e*) Deum Israel: & sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum, cum serenum est.

11. Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israel, misit manum suam, videruntque Deum, & comederunt, ac biberunt.

12. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ascende ad me in montem, & esto ibi: daboque tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ scripsi: ut doceas eos.

13. Surrexerunt Moyses & Josue minister ejus: ascendensque Moyses in Montem Dei,

14. Senioribus ait: Expectate (*f*) hic donec revertamur ad vos. Habetis Aaron & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.

15. Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem,

16. Et habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus: septimo autem die vocavit eum de medio caliginis.

17. Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis, in conspectu filiorum Israel.

18. Ingressusque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus (*g*), & quadraginta noctibus.

CAPUT XXV.

Tabernaculi, Propitiatorii, mensæ panum propositionis, candelabri exemplaria Mosi proponuntur.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias (*a*) * ab omni homine qui offeret ultroneus, accipietis eas. * Inf. 35 5.

3. Hæc sunt autem quæ accipere debetis: Aurum, & argentum, & æs,

4. Hyacinthum (*b*) & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum, pilos caprarum,

5. Et pelles arietum rubricatas, pellesque janthinas (*c*), & ligna Setim:

6. Oleum ad luminaria concinnanda, aromata in unguentum, & thymiamata boni odoris:

7. Lapi-

CAPUT XXIV.

3. (*a*) Præcepta judicialia.

4. (*b*) Nempe ut infra subjicitur, in *volumine fœderis Domini*. Quam ob rem non Lex universa, quæ in superioribus capitibus continetur, sed Decalogus tantummodo a Domino fuit conscriptus. *Duodecim titulos*, duodecim lapides; erectos in monumentum, & quasi statuas aut columnas insinuat.

6. (*c*) Nam fœdera sanguine sanciebantur. Illud insigne est Veteris & Novi Testamenti discrimen, quod vetus magis esset fœdus, quam Testamentum; unde observationem Legis ut conditionem exigebat: Novum autem ut verum Testamentum, seu liberalis donatio, simul tribuit observationem Legis novæ per gratiam, & præmium ejus observationis, ut hæreditatem filiis Dei relictam. Sanguine Christi confirmatum fuit Novum Testamentum, uti docet Apostolus. Sanguis autem animalium adhibitus olim fuit, ut figura quædam, qua significaretur sine Sanguine Christi legem impleri non posse, & ad confirmandum pactum humano more.

8. (*d*) Vetus Testamentum in sanguine vitulorum est consecratum. Ad hæc verba alludens Christus Dominus in Calicis consecratione dixit: *Hic est Sanguis meus Novi Testamenti* &c. Atque ut Moses sermone proprio, non figurato dixit, *Hic est Sanguis* &c. ita & Christus, qui Novum Testamentum sanxit effusione veri Sanguinis sui, incruenta in Cœna ultima, cruenta in ara Crucis. Vide Epist. ad Hebr. cap. 9. ubi Apostolus ex traditione accepta addit Mosem ad aspersionem populi & altaris, aquam, lanam coccineam, & hyssopum adhibuisse. In quo quidem expressam Novi Testamenti figuram intueri licet, ubi Sanguis cum aqua mistus e latere Christi manavit; ac fœdus novum immaculati Agni cruore fuit consignatum, & verum Testamentum more testatoris confirmatum, uti prosequitur Apostolus. Aqua Sanguini admista, ut facilius aspergi posset populo.

10. & 11. (*e*) Per imaginem sensibilem & momentaneam, quam tamen multitudini ad idololatriam pronæ non exhibuit. *Super eos*, Hebr. super separatos, electos.

14. (*f*) Non in declivi, sed in parte inferiore montis, aut in castris.

18. (*g*) In his forte sex dies numerantur, de quibus v. 16.

CAPUT XXV.

2. (*a*) Non primas & præstantissima sibi offerri voluit Deus. Vox Hebræa *Teroumа* תרומה, hoc loco sponte factam oblationem, non primitias significat.

4. (*b*) Lanam cærulei coloris: *Coccum bis tinctum*, ut purpureo colore magis imbueretur: vulgo granum tinctorium: *Kermes* appellatur; *Byssum* vocat genus tenuissimi lini. Quatuor colores in velis quatuor elementa designabant, coccineus color ignem, hyacinthinus aerem, purpureus mare, byssus tellurem exprimebat.

5. (*c*) Violacei coloris, *Lingua Sethim*. Hebræi inter cedros præcipuo loco seponunt lignum *Setim* שטים.

7. Lapides onychinos, & gemmas ad ornandum Ephod, ac Rationale.

8. Facientque mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum:

* Heb. 8. 2. 9. * Juxta omnem similitudinem tabernaculi quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum ejus: sicque facietis illud:

10. Arcam de lignis Setim compingite, cujus longitudo habeat duos & semis cubitos: latitudo, cubitum & dimidium: altitudo, cubitum similiter ac semissem.

11. Et deaurabis eam auro mundissimo intus & foris: faciesque supra, coronam auream per circuitum:

12. Et quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos: duo circuli sint in latere uno, & duo in altero.

13. Facies quoque vectes de lignis Setim, & operies eos auro.

14. Inducesque per circulos qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis:

15. Qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis.

16. Ponesque in arca testificationem (*d*) quam dabo tibi.

17. Facies & propitiatorium (*e*) de auro mundissimo: duos cubitos & dimidium tenebit longitudo ejus, & cubitum ac semissem latitudo.

18. Duos quoque Cherubim (*f*) aureos & productiles facies, ex utraque parte oraculi.

19. Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero.

20. Utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca,

21. In qua pones testimonium quod dabo tibi.

22. Inde præcipiam, & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam testimonii, cuncta quæ mandabo per te filiis Israel.

23. Facies & mensam de lignis Setim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum ac semissem.

24. Et inaurabis eam auro purissimo: faciesque illi labium (*g*) aureum per circuitum,

25. Et ipsi labio coronam interrasilem (*h*) altam quatuor digitis: & super illam, alteram coronam aureolam.

26. Quatuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quatuor angulis ejusdem mensæ per singulos pedes.

27. Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur vectes per eos, & possit mensa portari.

28. Ipsos quoque vectes facies de lignis Setim, & circumdabis auro ad subvehendam mensam.

29. Parabis & acetabula (*i*), ac phialas, thuribula, & cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo.

30. Et pones super mensam panes propositionis (*k*) in conspectu meo semper.

31. Facies & candelabrum ductile (*l*) de auro mundissimo, hastile ejus, & calamos, scyphos, & sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia.

32. Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, & tres ex altero.

33. Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphærulaque simul & lilium: & tres similiter scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulaque simul & lilium: hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de hastili:

34. In ipso autem candelabro (*m*) erunt quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos, & lilia.

35. Sphærulæ sub duobus calamis (*n*) per tria loca, qui simul sex fiunt procedentes de hastili uno.

36. Et sphærulæ igitur & calami ex ipso erunt, universa ductilia de auro purissimo.

37. Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso (*o*).

38. Emunctoria quoque, & ubi quæ emuncta sunt extinguantur, fiant de auro purissimo.

39. Omne pondus candelabri cum universis vasis suis habebit talentum auri purissimi.

40. * Inspice, & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est. * Heb. 8. 5. Act. 7. 44.

CAPUT XXVI.

Tabernaculi quatuor tegumenta, tabulæ ejus & bases, velum Sancto Sanctorum, uti & Sancto oppansum.

1. TAbernaculum vero ita facies: Decem cortinas de bysso retorta (*a*), & hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, variatas opere plumario facies.

2. Longitudo cortinæ unius habebit viginti octo cubitos: latitudo, quatuor cubitorum erit. Unius mensuræ fient universa tentoria (*b*).

3. Quin-

16. (*d*) Duas Tabulas Legis, seu Decalogi.

17. (*e*) Erat Tabula tegens arcam, sic dicta, quod Deus ibi quasi sedens propitiaretur populo.

18. (*f*) Verisimile est habuisse speciem juvenum cum alis expansis; vel, ut aliis placet, quatuor animalium, Hominis, Leonis, Bovis & Aquilæ: partim corpore, partim alis Propitiatorium tegebant. *Productiles*, ex auro ductili. Quod Ezech. cap. 1. vers. 10 & cap. 10. vers. 14. est *bos*, hoc loco est Cherub. Angeli forma vitulina, fertilitatis & æternæ [illegible] præsides, idque in Josephi memoriam ita quidem Grotius. Videtur, inquit, et fuisse vultus hominis, alæ aquilinæ, leonis jubæ, quæ sunt quatuor pheræ. Ezechiel, qui compositam formam modo animal, modo animalia vocat.

24. (*g*) Hebr. *Coronam*, limbum extantem.

25. (*h*) In qua quædam plana sint, quædam exsculpta cavitatibus ingestis.

29. (*i*) Vasa concava, in quibus pones cum panes, tum phialas ad libamina.

30. (*k*) Hebr. *Panes facierum*: qui ante faciem Domini coram illo proponuntur.

31. (*l*) Ex auro non fuso, sed ducto. *Hastile ejus*, seu medium, aut truncus, ex quo utrinque tres calami curvi, seu rami assurgebant; scyphi tres in unoquoque calamo; & supra sphærula una, seu globulus: lilia in summo cujusque calami, quibus lucernæ erant impositæ.

34. (*m*) Sc. in trunco.

35. (*n*) Infra utrumque par calamorum.

37. (*o*) Non in se invicem, sed in apertum aerem.

CAPUT XXVI. 1. (*a*) Cujus fila torta sint, & duplicata, ut fortior fit textura. *Variatas opere plumario*: Hebr. *Cherubim*, seu sparsas imaginibus alatis, Cherubinis nimirum expressis: *Opere plumario*, seu acu picto; Hebr. *Opus cogitatoris*, hoc est, artificis eximii. *Bysso retorta*, sub egimini fila varia, hyacinthina, purpurea superteхta.

2. (*b*) Seu cortinæ. Eadem est vox Hebraica, quam Hieronymus superius vertit cortinas, seu aulea. Tabernaculum portat[illegible] Ecclesiam peregrinantem, ut Templum Salomonis Ecclesiam in cœlo quiescentem exprimebat. Hyacinthus & florem & gemmam, & lanam viola colore tinctam significat: coccus granum est, quo vestes purpureo colore tinguntur.

3. Quinque cortinæ sibi jungentur mutuo, & aliæ quinque nexu simili cohærebunt.

4. Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum, ut possint invicem copulari.

5. Quinquagenas ansulas cortina habebit in utraque parte, ita insertas (*c*), ut ansa contra ansam veniat, & altera alteri possit aptari.

6. Facies & quinquaginta circulos (*d*) aureos quibus cortinarum vela jungenda sunt, ut unum tabernaculum fiat.

7. Facies & saga (*e*) cilicina undecim, ad operiendum tectum tabernaculi.

8. Longitudo sagi unius habebit triginta cubitos: & latitudo, quatuor: æqua erit mensura sagorum omnium.

9. E quibus quinque junges seorsum, & sex sibi mutuo copulabis, ita ut sextum sagum in fronte tecti duplices (*f*).

10. Facies & quinquaginta ansas in ora sagi unius, ut conjungi cum altero queat: & quinquaginta ansas in ora sagi alterius, ut cum altero copuletur.

11. Facies & quinquaginta fibulas æneas, quibus jungantur ansæ, ut unum ex omnibus operimentum fiat.

12. Quod autem superfuerit in sagis quæ parantur tecto (*g*), id est, unum sagum quod amplius est, ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi.

13. Et cubitus (*h*) ex una parte pendebit, & alter ex altera, qui plus est in sagorum longitudine, utrumque latus tabernaculi protegens.

14. Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis: & super hoc rursum aliud operimentum de janthinis pellibus.

15. Facies & tabulas (*i*) stantes tabernaculi de lignis Setim,

16. Quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant, & in latitudine singulos ac semissem.

17. In lateribus tabulæ, duæ incastraturæ (*k*) fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur: atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur.

18. Quarum viginti erunt in latere meridiano quod vergit ad Austrum.

19. Quibus quadraginta bases argenteas fundes, ut binæ bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur.

20. In latere quoque secundo tabernaculi quod vergit ad Aquilonem, viginti tabulæ erunt,

21. Quadraginta habentes bases argenteas: binæ bases singulis tabulis supponentur.

22. Ad Occidentalem vero plagam tabernaculi facies sex tabulas,

23. Et rursum alias duas quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi.

24. Eruntque conjunctæ (*l*) a deorsum usque sursum, & una omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis quæ in angulis ponendæ sunt, similis junctura servabitur.

25. Et erunt simul tabulæ octo, bases earum argenteæ sedecim, duabus basibus per unam tabulam supputatis.

26. Facies & vectes de lignis Setim quinque ad continendas tabulas in uno latere tabernaculi,

27. Et quinque alios in altero, & ejusdem numeri ad Occidentalem plagam:

28. Qui mittentur per medias tabulas (*m*) a summo usque ad summum.

29. Ipsas quoque tabulas deaurabis, & fundes in eis annulos aureos per quos vectes tabulata contineant: quos operies laminis aureis.

30. Et eriges tabernaculum juxta exemplar quod tibi * in Monte monstratum est. * *Sup.* 25. 40.

31. Facies & velum de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere plumario & pulcra varietate contextum:

32. Quod appendes ante quatuor columnas de lignis Setim, quæ ipsæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita aurea, sed bases argenteas.

33. Inseretur autem velum per circulos, intra quod pones arcam testimonii, quo & Sanctuarium, & Sanctuarii sanctuaria dividentur (*n*).

34. Pones & propitiatorium super arcam testimonii in Sancto Sanctorum:

35. Mensamque extra velum: & contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: mensa enim stabit in parte Aquilonis.

36. Facies & tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere plumarii.

37. Et quinque columnas deaurabis lignorum Setim, ante quas ducetur tentorium: quarum erunt capita aurea, & bases æneæ.

CAPUT XXVII.

Altare holocaustorum, atrium tabernaculi, columnæ ejus & vela, oleum lucernarum.

1. FAcies & altare (*a*) de lignis * Setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, id est, quadrum, & tres cubitos in altitudine. * *Infr.* 38. 6.

2. Cor-

5. (*c*) Exponit quo modo illæ cortinæ quinæ, cum ab itinere cessabatur, connecti deberent.
6. (*d*) Fibulas, ut vela eo jungi & solvi possint.
7. (*e*) Hebr. *Cortinas e pilis caprarum*. Longum erat Tabernaculum triginta cubitis, latum decem; partes habebat duas, intimam, quæ Sancta Sanctorum, quadrata erat 10 cubitis longa, totidem lata. Quatuor integumentis operiebatur; duo interiora erant, eaque leviora; tertium & quartum constabant ex pellibus, quæ ab imbribus defendebant interiora. Saga cilicina tegebant, *pelles arietum rubricatæ*, seu rubro colore tinctæ, quibus aliæ pelles erant superpositæ hyacinthinæ, seu violacei coloris: Hæc saga tectum & latera Tabernaculi ab injuriis aeris tuebantur. Quamobrem Tabernaculum erat quasi tentorium castrense, in medio castrorum situm, instar regii habitaculi, aut domus regiæ. Nam Deus erat velut Imperator, qui speciali providentia populum suum regebat, nominis sui terrore hostes populi sui percellebat, ut Deus Exercituum. Compactum erat Tabernaculum ex tabulis lignorum *Setim* auro inductis, quæque per argenteas bases terræ erant affixæ, & mutuis commissuris inter se junctæ.
9. (*f*) Extremum pendens vertendo reductas versus tectum.
11. (*g*) Seu in Tabernaculo. Undecimi sagi medietas pendebat quasi tecti suggrundia.
13. (*h*) Saga erant 30. cubitorum, aliæ cortinæ 28.
15. (*i*) Quæ essent instar parietum in tribus lateribus Tabernaculi.
17. (*k*) Commissuræ, aut cardines.
24. (*l*) Nempe sex tabulæ æquales. De duabus reliquis mox agit.
18 (*m*) Per annulos tabularum dorsis insertos.
33. (*n*) Gr. inter Sanctum & Sanctum Sanctorum.
1. (*a*) Altare Holocaustorum, quod erat in atrio. Tabulæ ambientes erant ligneæ: sed intus usque ad medium lapidibus, aut terra implebatur. Tabulæ æneis lamellis exterius tegebantur, ne ab igne læderentur: in medio cavum erat superne apertum, ubi erat craticula ænea in modum retis pertusa. CAPUT XXVII.

2. Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt: & operies illud ære.

3. Faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres, & forcipes atque fuscinulas, & ignium receptacula: omnia vasa ex ære fabricabis.

4. Craticulamque in modum retis æneam: per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei,

5. Quos pones subter arulam (*b*) altaris: eritque craticula usque ad altaris medium.

6. Facies & vectes altaris de lignis Setim duos, quos operies laminis æneis:

7. Et induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum.

* Sup. 20. 24. 8. * Non solidum, sed inane & cavum intrinsecus facies illud, sicut tibi in Monte monstratum est.

9. Facies & atrium (*c*) tabernaculi, in cujus Australi plaga contra meridiem erunt tentoria de bysso retorta: centum cubitos unum latus tenebit in longitudine.

10. Et columnas viginti cum basibus totidem æneis, quæ capita cum cælaturis suis habebunt argentea.

11. Similiter & in latere Aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnæ viginti, & bases æneæ ejusdem numeri, & capita earum cum cælaturis suis argentea.

12. In latitudine vero atrii, quod respicit ad Occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos, & columnæ decem, basesque totidem.

13. In ea quoque atrii latitudine, quæ respicit ad Orientem, quinquaginta cubiti erunt.

14. In quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabuntur, columnæque tres & bases totidem:

15. Et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres, & bases totidem.

16. In introitu vero atrii fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere plumarii: columnas habebit quatuor, cum basibus totidem.

17. Omnes columnæ atrii per circuitum vestitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis, & basibus æneis.

18. In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta, altitudo quinque cubitorum erit: fietque de bysso retorta, & habebit bases æneas.

19. Cuncta vasa tabernaculi in omnes usus & cæremonias, tam paxillos ejus quam atrii, ex ære facies.

20. Præcipe filiis Israel ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum: ut ardeat (*d*) lucerna semper

21. In tabernaculo testimonii, extra velum quod oppansum est testimonio. Et collocabunt eam Aaron & filii ejus, ut usque mane luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per successiones eorum a filiis Israel.

CAPUT XXVIII.

Vestes Sacerdotales, Ephod, Rationale cum 12. gemmis, tunica hyacinthina cum malis punicis & tintinnabulis, Tiara cum aurea lamina, tunica linea cum balteo describuntur.

1. Applica (*a*) quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israel, ut sacerdotio fungantur mihi: Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar.

2. Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem.

3. Et loqueris cunctis sapientibus (*b*) corde, quos replevi spiritu prudentiæ, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus ministret mihi.

4. Hæc autem erunt vestimenta quæ facient: Rationale (*c*), & superhumerale, tunicam & lineam strictam, cidarim & balteum. Facient vestimenta sancta fratri tuo Aaron & filiis ejus, ut sacerdotio fungantur mihi.

5. Accipientque aurum, & hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum.

6. Facient autem superhumerale de auro & hyacintho & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere polymito.

7. Duas

5. (*b*) Subter limbum craticulæ non pertusum. Craticulæ victimæ imponebantur comburendæ, eaque habebat suos annulos & vectes.

9. (*c*) Quod erat sub dio ambiens Tabernaculum & Altare Holocaustorum: 100. cubitos habebat in longum ab oriente in occidentem: quinquaginta vero in latum; tota vero area claudebatur 60. columnis æneis: singulæ columnæ distabant inter se quinque cubitis. Tentoria, Hebr. fundas, id est, cortinas foraminibus distinctas, quæ aditu arcerent, non aspectu. Itaque hæc erat forma Tabernaculi, hæ partes illius. Porta orientalem spectabat plagam, secus atque in nostris Templis. Ejus atrium 100 cubitos in longitudinem patebat, ut mox dictum fuit, in latitudinem 50. Postes 60. paribus intervallis quinque cubitos inter se distantes in terra defixi erant, pluribus instructi annulis, & funibus intenti contra vim ventorum: inter eos byssina cortina tendebatur paris altitudinis. A quinquagesimo intra atrium cubito versus occasum Tabernaculum assurgebat longum 30. cubitos, altum & latum decem; tribus ex lateribus 48. tabulis cingebatur, quæ quasi parietem efficiebant. Asseres sesqui-cubitales erant, alti decem cubitis. Hæc tria latera cum superiori parte cortina tegebat: eaque multicolor, & acu depicta e decem minoribus cortinis constabat. Hanc tegebat altera caprarum pilis contexta, ex undecim minoribus cortinis confecta, singulis longitudine 30. cubitorum, latitudine quatuor; hæc cortina tria tegebat atera & tectum. Supra hanc cortinam pelles tum rubeæ, tum ceruleæ pari mensura adhibebantur. & Tabernaculum tegebant dempta orientali fronte. Sancta Sanctorum Ecclesiam cælestem, Sanctum vitam perfectorum, Atrium, inquit Beda, primæ incipientium rudimenta demonstrat: unde in Atrio erat Altare Holocausti, id est, fuga vitiorum, & lavacrum pœnitentiæ.

20. (*d*) Lucerna est verbum Dei; in christiana anima fulgere semper debet, & ardere; sed oleo Spiritus Sancti fovetur.

1. (*a*) Hebr. *Accedere fac*. Nondum Tribus Levi ea fecerat, propter quæ ad sacrum Ministerium vocata est, sed Deus præscius futurorum, de Sacerdotum indumentis jam constituit. CAPUT XXVIII.

3. (*b*) Eximiis artificibus: sunt enim multi Sapientes ore tenus.

4. (*c*) Rationale item pectorale dictum est, quod pectori Summi Pontificis apponeretur. Rationale quod doctrinam & veritatem, quæ maxime sunt consideranda, contineret. Unde & Rationale judicii dictum, quod Sacerdos dum sententiam ferret in re gravi, pectorale indueret, atque eo indutus consuleret Dominum, quid in re dubia pronuntiandum esset, vel agendum. *Superhumerale*: Hebr. Ephod. *Tunicam & lineam strictam*, Hebr. *Pallium & tunicam ocellatam*, seu oculis contextam opere phrygio. *Cidarim*. Tiaram pileoli rotundi forma. Aliud erat Ephod lineum purum, quo utebantur inferiores Sacerdotes: sed Ephod Summi Sacerdotis textum erat ex stamine byssino, & ex subtegmine hyacinthino, purpureo, & coccineo: duabus constabat partibus, anteriori, & posteriori.

7. Duas oras junctas habebit in utroque latere summitatum (*d*), ut in unum redeant.

8. Ipsa quoque textura & cuncta operis varietas erit ex auro & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta.

9. Sumesque duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israel:

10. Sex nomina in lapide uno, & sex reliqua in altero, juxta ordinem nativitatis eorum.

11. Opere sculptoris & cælatura gemmarii, sculpes (*e*) eos nominibus filiorum Israel, inclusos auro atque circumdatos:

12. Et pones in utroque latere superhumeralis, memoriale (*f*) filiis Israel. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum, ob recordationem.

13. Facies & uncinos ex auro.

14. Et duas catenulas ex auro purissimo sibi invicem cohærentes, quas inseres uncinis.

15. Rationale quoque judicii facies opere polymito juxta texturam superhumeralis ex auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta.

16. Quadrangulum erit & duplex: mensuram palmi habebit tam in longitudine quam in latitudine.

17. Ponesque in eo quatuor ordines lapidum: in primo versu erit lapis sardius, & topazius, & smaragdus:

18. In secundo carbunculus, sapphirus & jaspis:

19. In tertio ligurius (*g*), achates, & amethystus:

20. In quarto chrysolitus, onychinus, & beryllus: inclusi auro erunt per ordines suos.

21. Habebuntque nomina filiorum Israel: duodecim nominibus cælabuntur, singuli lapides nominibus singulorum per duodecim tribus.

22. Facies in rationali catenas sibi invicem cohærentes ex auro purissimo:

23. Et duos annulos aureos, quos pones in utraque rationalis summitate:

24. Catenasque aureas junges annulis, qui sunt in marginibus ejus:

25. Et ipsarum catenarum extrema duobus copulabis uncinis in utroque latere superhumeralis quod rationale respicit.

26. Facies & duos annulos aureos, quos pones in summitatibus rationalis, in oris, quæ e regione sunt superhumeralis, & posteriora ejus aspiciunt.

27. Nec non & alios duos annulos aureos, qui ponendi sunt in utroque latere superhumeralis deorsum, quod respicit contra faciem juncturæ inferioris, ut aptari possit cum superhumerali.

28. Et stringatur rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina, ut maneat junctura fabrefacta, & a se invicem rationale & superhumerale nequeant separari.

29. Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in rationali judicii super pectus suum, quando ingredietur Sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum.

30. Pones autem in rationali judicii Doctrinam (*h*) & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: & gestabit judicium filiorum Israel in pectore suo, in conspectu Domini semper.

31. Facies & tunicam (*i*) superhumeralis totam hyacinthinam,

32. In cujus medio supra erit capitium (*k*), & ora per gyrum ejus textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facile rumpatur.

33. Deorsum vero ad pedes ejusdem tunicæ, per circuitum, quasi mala punica facies, ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis,

34. Ita ut tintinnabulum sit aureum & malum punicum: rursumque tintinnabulum aliud aureum & malum punicum.

35. * Et vestietur ea Aaron in officio ministerii, ut audiatur sonitus quando ingreditur & egreditur Sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur (*l*). * Eccli. 45. 11.

36. Fa-

7. (*d*) In utriusque partis summitate jungebantur in humeris, ut e duabus [illegible] efficeretur instar thoracis. Induto Pontifice Ephod, oræ illæ fibulis nectebantur. In parte anteriori thoraci superassutum erat Rationale quadrangulum palmæ magnitudine. Hoc Rationali inserte erant duodecim gemmæ, quibus Patriarcharum nomina erant inscripta, uti & [illegible] lapidibus onychinis eximiæ magnitudinis, quibus quasi nodis nectebantur in humeris summitates Ephod.

11. (*e*) Levi inter Tribus non numeratur. *Cælatura gemmarii*, LXX. sculptura sigilli, id est, eo modo quo gemmæ annuli signatorii sculpi solent.

12. (*f*) Ut meminisset Pontifex hoc ad munus suum pertinere, ut populum non modo in pectore per amorem, sed etiam in humeris per patientiam portaret.

19 & 20. (*g*) Hyacinthum habet Chrysostomus. *Chrysolithus*, Chrysostomo Beryllus.

30. (*h*) Hebr. *Urim & Thumim*. אורים תמים. Illuminatio & perfectio, scientia & vitæ puritas: sive hæc duo vocabula essent gemmis insculpta, seu alia essent depicta, quæ ideo in Pontifice reperiri debent. Existimatur quidem, at August. quæst. 117. *lapidem fuisse, cujus color sive ad adversa, sive ad prospera mutaretur, quando Sacerdos intrabat in Sancta*. His significatum volunt Pontificem accipere a Deo claram doctrinam, & perfectam veritatem dubiorum, de quibus consulebatur. Per illa vero Sacerdos quisque admonebatur, ut pectus suum impleret veritate quam intelligeret, & doctrina quam doceret, quamque a Deo expectare debebat, ut ad dubia consultus responderet. Vel *pones in rationali*, perinde est atque vocabis Rationale Urim & Thummim, ut ex eo sui muneris admoneretur Sacerdos. His characteribus Rationale inscriptis Pontifex præ se ferebat privilegium sibi a Deo concessum, ne populus quæreret responsa a dæmonibus, sed a Deo solo per Sacerdotem. Hinc sæpe legimus in Scriptura Deum consultum fuisse per Ephod, per Sacerdotem indutum Ephod & Rationali. Veteres [illegible] adhibentur, [illegible] ut per ea [illegible] Dei & [illegible] veterum [illegible]. Hinc Psalm. 71. *Sanctimonia & magnificentia in sanctificatione ejus*, ut [illegible] ea, [illegible] divinas, neve tanquam profanæ contemnantur. [illegible] Siculus Historiæ [illegible] & Ælianus, Lib. 14. Var. Histor. cap. 34. [illegible] apud Ægyptios Summum Sacerdotem gestasse in collo sapphirum, quæ vocabatur *Veritas*; lineis quoque vestes induebant Isidis Sacerdotes.

31. (*i*) Hæc tota erat vestis Pontificis.

32. (*k*) Apertura in summo, per quam transmitteretur caput. *Et ora per gyrum textilis*: Fimbria aperturæ non acu picta, sed opere textili. Sacerdotum vulgarium quatuor erant vestimenta, cum Sacris erant operaturi: 1. Femoralia linea arcte circa lumbos constricta induebant: 2. Tunicam lineam ad talos usque demissam sine rugis, aut plicis, sed corpori decenter aptatam, quam balteus quatuor digitos latus, & variis distinctus coloribus cingebat circa ilia, podrema [illegible]. 4. pileus e bysso rotundus per vittam occipiti adstrictus erat, instar dimidiæ sphæræ. Ad hæc Pontifex quædam adjiciebat, 1. Alteram tunicam hyacinthinam, & talarem, in cujus limbo erant granata & tintinnabula alternatim posita. Huic superpositum erat *Ephod* ante & retro, usque ad ilia demissum, cum lacuna in medio pectore, ubi Rationale insertum erat: vestis hyacinthina & superhumerale balteo arcte stringebantur. In pectoris lacuna erat Rationale, seu oraculum ex utroque humero per duas aureas catenulas pendens, & quatuor annulis aureis cum Ephod connexum. Ad pileum, quo alii Sacerdotes utebantur, Pontifex addebat Mitram hyacinthinam triplici corona aurea distinctam, & in fronte laminam auream inscriptam ineffabili Dei nomine.

35. (*l*) Ex ea enim cura jugis & non interrupta ei præcipitur.

36. Facies & laminam (*m*) de auro puriſſimo: in qua ſculpes opere cœlatoris, Sanctum Domino.

37. Ligabiſque eam vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram,

38. Imminens fronti Pontificis. Portabitque (*n*) Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt & ſanctificaverunt filii Iſrael, in cunctis muneribus & donariis ſuis. Erit autem lamina ſemper in fronte ejus, ut placatus ſit eis Dominus.

39. Stringeſque tunicam byſſo, & tiaram byſſinam facies, & balteum opere plumarii.

40. Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis & balteos ac tiaras in gloriam & decorem:

41. Veſtieſque his omnibus Aaron fratrem tuum & filios ejus cum eo. Et cunctorum conſecrabis manus, ſanctificabiſque illos, ut ſacerdotio fungantur mihi.

42. Facies & feminalia linea (*o*), ut operiant carnem turpitudinis ſuæ, a renibus uſque ad femora:

43. Et utentur eis Aaron & filii ejus quando ingredientur tabernaculum teſtimonii, vel quando appropinquant ad altare ut miniſtrent in Sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum ſempiternum (*p*) erit Aaron, & ſemini ejus poſt eum.

CAPUT XXIX.

Hoc caput quæ ſpectant ad conſecrationem Sacerdotum complectitur, deinde de jugi ſacrificio veſpere & mane faciendo præcipitur.

1. SEd & hoc facies, ut mihi in ſacerdotio
* Levit. 8. 2. conſecrentur. * Tolle vitulum (*a*) de armento, & arietes duos immaculatos,

2. Paneſque azymos, & cruſtulam abſque fermento, quæ conſperſa ſit oleo, lagana quoque azyma oleo lita: de ſimila triticea cuncta facies.

3. Et poſita in caniſtro offeres: vitulum autem & duos arietes.

4. Et Aaron, ac filios ejus applicabis ad oſtium tabernaculi teſtimonii. Cumque laveris patrem cum filiis ſuis aqua,

5. Indues Aaron veſtimentis ſuis, id eſt, linea & tunica, & ſuperhumerali (*b*) & rationali, quod conſtringes balteo.

6. Et pones tiaram in capite ejus, & laminam (*c*) ſanctam ſuper tiaram,

7. Et oleum unctionis (*d*) fundes ſuper caput ejus: atque hoc ritu conſecrabitur.

8. Filios quoque illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingeſque balteo,

9. Aaron ſcilicet & liberos ejus, & impones eis mitras: eruntque ſacerdotes mihi religione perpetua (*e*). Poſtquam initiaveris manus eorum,

10. * Applicabis & vitulum coram tabernaculo teſtimonii. Imponentque (*f*) Aaron & filii ejus manus ſuper caput illius, * Levit. 8.

11. Et mactabis eum in conſpectu Domini, juxta oſtium tabernaculi teſtimonii.

12. Sumptumque de ſanguine vituli, pones ſuper cornua altaris digito tuo, reliquum autem ſanguinem fundes juxta baſim ejus.

13. * Sumes & adipem (*g*) totum qui operit inteſtina, & reticulum jecoris, ac duos renes, & adipem qui ſuper eos eſt, & offeres incenſum ſuper altare: * Levit. 3.

14. Carnes vero vituli & corium & fimum combures foris extra caſtra, eo quod pro peccato ſit.

15. Unum quoque arietem ſumes, ſuper cujus caput ponent Aaron & filii ejus manus.

16. Quem cum mactaveris, tolles de ſanguine ejus, & fundes circa altare.

17. Ipſum autem arietem ſecabis in fruſta: lotaque inteſtina ejus ac pedes pones ſuper conciſas carnes, & ſuper caput illius.

18. Et offeres totum arietem in incenſum ſuper altare: oblatio eſt Domino, odor ſuaviſſimus (*h*) victimæ Domini.

19. Tolles quoque arietem alterum, ſuper cujus caput Aaron & filii ejus ponent manus.

20. Quem cum immolaveris, ſumes de ſanguine ejus, & pones ſuper extremum auriculæ dextræ Aaron & filiorum ejus, & ſuper pollices manus eorum ac pedis dextri, fundeſque ſanguinem ſuper altare per circuitum.

21. Cumque tuleris de ſanguine qui eſt ſuper altare, & de oleo unctionis, aſperges Aaron, & veſtes ejus, filios & veſtimenta eorum. Conſecratiſque ipſis & veſtibus,

22. Tolles adipem de ariete, & caudam & arvinam, quæ operit vitalia, ac reticulum jecoris, & duos renes, atque adipem, qui ſuper eos eſt, armumque dextrum, eo quod ſit aries conſecrationis:

23. Tortamque panis unius, cruſtulam conſperſam oleo, laganum de caniſtro azymorum, quod poſitum eſt in conſpectu Domini:

24. Poneſque omnia ſuper manus Aaron & filiorum ejus, & ſanctificabis eos elevans coram (*i*) Domino.

25. Suſci-

36. (*m*) Fides in Chriſtum frontibus impreſſa Deum placat.
38. (*n*) Si quid in offerendo minus recte factum ſit, expiat Aaron.
42. (*o*) Quibus continentia deſignatur.
43. (*p*) Auguſt. *Vel propter tempus non præceptum quouſque obſervaretur, vel quo res ſignificaret æternas*, quæſt. 124.

CAPUT XIX.
1. (*a*) Quo carnis fragilitas deſignatur.
5. (*b*) Hebr. *Superinjectum humerali.*
6. (*c*) Hebr. *Coronam ſanctitatis.*
7. (*d*) Caput Pontificis ungebatur, minorum Sacerdotum manus.
9. (*e*) Quia nullus terminus huic Sacerdotio erat præfixus, & ratione rei ſignificatæ, nempe Sacerdotii Chriſti, quod futurum erat perpetuum. Hebr. *Et implebis manum Aaron*, conſecrabis.
10. (*f*) Hoc ritu impoſitionis manus ſuper caput hoſtiæ, tria ſignificantur, 1. Sacerdotem hoſtiam ex manu ſua dimiſſam in jus Dei transferre: erat enim quaſi quædam manumiſſio: unde Num. 8. hoc ritu Levitæ Deo offeruntur. 2. Eodem ritu Sacerdos peccata ſua in caput hoſtiæ pro ſe immolandæ tranſmittebat. 3. Sacerdos pro ſuo ipſius capite & vita, caput & ſanguinem victimæ offerebat.
13. (*g*) Adeps, jecur, renes, ſigna ſunt & organa concupiſcentiæ, quæ omnibus & præſertim Sacerdotibus eſt expugnanda.
18. 19. & 20. (*h*) Hebr. *Odor quietis*: In quo quieſcit Dominus, quod eſſet ſymbolum Chriſti oblati: *Victimæ Domini*. Omne genus ſacrificiorum oblatum fuit. Aries oblatus eſt in holocauſtum, alter in hoſtiam pacificam; vitulus pro peccato, quia omnibus ſacrificiis offerendis Sacerdos deſtinatur. Sanguis victimæ pacificæ, ſeu ſecundi arietis ponitur ſuper extremum auriculæ dextræ, ut deſignetur prompta Sacerdotum obedientia in iis quæ ad Legem Dei ſpectant: *Et ſuper pollices manus*, ut Legem operibus exequantur; ac pedis dextri, ut ſcirent ſibi in mandatis Dei ambulandum.
24. (*i*) Quod ad eum pertineat. *Et ſanctificabis eos*, ea nempe oblata. Vox Hebræa ſignificat agitationem dextrorſum, & ſiniſtrorſum.

25. Suscipiesque universa de manibus eorum: & incendes super altare in holocaustum, odorem suavissimum in conspectu Domini, quia oblatio ejus est.

26. Sumes quoque pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron, sanctificabisque illud elevatum coram Domino, & cedet in partem tuam.

27. Sanctificabisque & pectusculum consecratum, & armum quem de ariete separasti,

28. Quo initiatus est Aaron & filii ejus, cedentque in partem Aaron & filiorum ejus jure perpetuo a filiis Israel: quia primitiva sunt & initia de victimis eorum pacificis quæ offerunt Domino.

29. Vestem autem sanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus post eum, ut ungantur in ea, & consecrentur manus eorum.

30. Septem diebus utetur illa qui pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis ejus, & qui ingredietur tabernaculum testimonii ut ministret in Sanctuario.

31. Arietem autem consecrationis tolles, & coques carnes ejus in loco sancto:

Levit. 8. 31. & 24. 9. Matth. 12. 4. 32. Quibus vescetur Aaron & filii ejus. * Panes quoque, qui sunt in canistro, in vestibulo tabernaculi testimonii comedent,

33. Ut sit placabile sacrificium, & sanctificentur offerentium manus. Alienigena (k) non vescetur ex eis, quia sancti sunt.

34. Quod si remanserit de carnibus consecratis, sive de panibus usque mane, combures reliquias igni: non comedentur, quia sanctificata sunt.

35. Omnia, quæ præcepi tibi, facies super

Exod. 40. 12. Levit. 8. 2. Aaron & filiis ejus. * Septem diebus consecrabis manus eorum:

36. Et vitulum pro peccato offeres per singulos dies ad expiandum. Mundabisque altare cum immolaveris expiationis hostiam, & unges illud in sanctificationem.

37. Septem diebus expiabis altare (l), & sanctificabis, & erit Sanctum Sanctorum: omnis qui tetigerit illud, sanctificabitur.

Num. 28. 3. 38. Hoc est quod facies in altari: * Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter (m),

39. Unum agnum mane, & alterum vespere,

40. Decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam partem hin, & vinum ad libandum ejusdem mensuræ in agno uno.

41. Alterum vero agnum offeres ad vesperam juxta ritum matutinæ oblationis, & juxta ea quæ diximus, in odorem suavitatis:

42. Sacrificium est Domino, oblatione perpetua in generationes vestras, ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ubi constituam ut loquar ad te.

43. Ibique præcipiam filiis Israel, & sanctificabitur altare in gloria mea.

44. Sanctificabo & tabernaculum testimonii cum altari, & Aaron cum filiis suis, ut sacerdotio fungantur mihi.

45. Et habitabo in medio filiorum Israel, eroque eis Deus,

46. Et scient quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de Terra Ægypti, ut manerem inter illos: Ego Dominus Deus ipsorum.

CAPUT XXX.

Altaris thymiamatis forma; usi & labri aenei, pro unguenti, quo Sacerdotes & vasa sacra ungi debent, confectione.

1. Facies quoque altare (a) ad adolendum thymiama, de lignis Setim,

2. Habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id est, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipso procedent.

3. Vestiesque illud auro purissimo, tam craticulam (b) ejus, quam parietes per circuitum, & cornua. Faciesque ei coronam aureolam per gyrum,

4. Et duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos vectes, & altare portetur.

5. Ipsos quoque vectes facies de lignis Setim, & inaurabis.

6. Ponesque altare contra velum, quod ante arcam pendet testimonii coram propitiatorio quo tegitur testimonium, ubi loquar tibi.

7. Et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans, mane. Quando componet lucernas, incendet illud:

8. Et quando collocabit eas ad vesperum, uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras.

9. Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius, nec oblationem & victimam, nec libabitis libamina.

10. Et deprecabitur (c) Aaron super cornua ejus semel per annum, in sanguine quod oblatum est pro peccato, & placabit super eo in generationibus vestris. Sanctum sanctorum erit Domino.

11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

12. * Quando tuleris summam (d) filiorum Israel juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti. *Num. 1. 2.*

13. Hoc

33. (k) Qui non est ex sanguine Aaron.

37. (l) Hoc altari Christus ipse adumbratur; *Et erit Sanctum Sanctorum.* In azymis Eucharistiam, in oleo Spiritus Sancti gratiam, in agnis immaculatis summam agnoscamus innocentiam.

38. (m) Unde & juge sacrificium fuit appellatum, quod sacrificium Eucharisticum figurabat. Vespere, id est, hora nona, ex Josepho.

CAPUT XXX. 1. (a) In eo incruenta fiebant sacrificia.

3. (b) Gr. focum, vox Hebræa tectum significat, seu umbellam, cui non immediate thymiama incendebatur, sed in thuribulo sup. posito, ne vis ignis aurum solveret. *Faciesque ei coronam*, limbum, vulgo Gall. *Corniche*. Altare thymiamatis significat vitam perfectorum, qui non immolant amplius Deo carnalium sensuum delectationes, sed sopitis carnis illecebris orationum vota Deo offerunt. Per thymiama ex aromatibus compositum S. Gregor. intelligit virtutum multitudinem, quæ in oratione Deo oblata fragrant. Hinc Psaltes, *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Nam ut fumus thymiamatis sursum tendit, ita oratio cum fructu ascendit, cum ex variis virtutibus divino amore accensis excitatur. Suffitum adhibere sacris mos erat gentium ferme omnium. Mystica significatio est, sursum habenda esse corda.

10. (c) Agitur de anniversaria altaris expiatione. *Sanctum Sanctorum erit Domino*: Sanctissimus ritus expiationis, qui servabitur in futuris generationibus. Semel in anno sanguis in eo offerebatur. Qua quidem oblatione unam Christi in cruce oblationem cruentam fuisse adumbratam testatur Apostolus.

12. (d) Hebr. *Tuleris caput*: Cum populum per capita numerabis: ea capitulatione profitebantur se a Deo esse redemptos.

13. Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen (e), dimidium sicli juxta mensuram templi. * Siclus viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur Domino. * Lev. 27. 25. Num. 3. 47. Ezech. 45. 12.

14. Qui habetur in numero, a viginti annis & supra, dabit pretium.

15. Dives non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuet.

16. Susceptamque pecuniam, quæ collata est a filiis Israel, trades in usus tabernaculi testimonii, ut sit monimentum (f) eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum.

17. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

18. Facies & labrum æneum cum basi sua ad lavandum: ponesque illud inter tabernaculum testimonii & altare. Et missa aqua,

19. Lavabunt in ea Aaron & filii ejus manus suas ac pedes,

20. Quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino,

21. Ne forte moriantur: legitimum sempiternum erit ipsi, & semini ejus per successiones.

22. Locutusque est Dominus ad Moysen,

23. Dicens: Sume tibi aromata, primæ myrrhæ & electæ quingentos siclos, & cinnamomi medium, id est, ducentos quinquaginta siclos, calami similiter ducentos quinquaginta,

24. Casiæ autem quingentos siclos in pondere sanctuarii, olei de olivetis mensuram hin:

25. Faciesque unctionis oleum sanctum, unguentum compositum opere unguentarii,

26. Et unges ex eo tabernaculum testimonii, & arcam testamenti,

27. Mensamque cum vasis suis, candelabrum, & utensilia ejus, altaria thymiamatis,

28. Et holocausti, & universam supellectilem quæ ad cultum eorum pertinet.

29. Sanctificabisque omnia, & erunt Sancta sanctorum: qui tetigerit ea, sanctificabitur (g).

30. Aaron & filios ejus unges, sanctificabisque eos, ut sacerdotio fungantur mihi.

31. Filiis quoque Israel dices: Hoc oleum unctionis sanctum erit mihi in generationes vestras.

32. Caro hominis (h) non ungetur ex eo, & juxta compositionem ejus non facietis aliud, quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis.

33. Homo quicumque tale composuerit, & dederit ex eo, alieno, exterminabitur de populo suo.

34. Dixitque Dominus ad Moysen: Sume tibi aromata, stacten & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia:

35. Faciesque thymiama compositum opere unguentarii, mixtum diligenter, & purum, & sanctificatione dignissimum.

36. Cumque in tenuissimum pulverem universa contuderis, pones ex eo coram tabernaculo testimonii, in quo loco apparebo tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama.

37. Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino.

38. Homo quicumque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis.

CAPUT XXXI.

Constructioni tabernaculi & eorum quæ tabernaculo continentur, duo architecti a Deo designantur: Moses duas tabulas lapideas accipit a Deo.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Ecce, vocavi ex nomine Beseleel filium Uri filii Hur de tribu Juda,

3. Et implevi eum spiritu (a) Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere,

4. Ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære,

5. Marmore, & gemmis, & diversitate lignorum.

6. Dedique ei socium Ooliab filium Achisamech de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi posui sapientiam (b): ut faciant cuncta quæ præcepi tibi,

7. Tabernaculum fœderis, & arcam testimonii, & propitiatorium, quod super eam est, & cuncta vasa tabernaculi,

8. Mensamque & vasa ejus, candelabrum purissimum cum vasis suis, & altaria thymiamatis,

9. Et holocausti, & omnia vasa eorum, labrum cum basi sua,

10. Vestes sanctas in ministerio Aaron sacerdoti, & filiis ejus, ut fungantur officio suo in sacris.

11. Oleum unctionis, & thymiama aromatum in Sanctuario, omnia quæ præcepi tibi, facient.

12. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

13. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: * Videte ut sabbatum meum custodiatis: quia signum est inter me & vos in generationibus vestris: ut sciatis quia ego Dominus, qui sanctifico vos. * Sup. 20. 8. Ezech. 20. 12.

14. Custodite sabbatum meum: sanctum est enim vobis: qui polluerit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui.

15. Sex diebus facietis opus: in die septimo sabbatum est, requies sancta Domino: omnis qui fecerit opus in hac die, morietur.

16. Custo-

13. (e) Hebr. *Omnis qui transit ad numeratos*: cujus nomen recensetur. Quod siclus quatuor drachm[...] ponderis servaretur in Templo, ad cujus normam rel[...] expenderetur. Siclus 20 obolos continebat, [...] quidam interpretes.

16. (f) Ut Deus hujus rei memor placetur.

29. (g) Id est, Qui non fuerit sanctificatus, non tangat. *Et erunt Sancta Sanctorum*. Comparata cum aliis rebus, quæ Deo offeruntur: *Sanctificabitur*, ut ei liceat tangere.

32. (h) Nullus hominum. Hoc thymiama quod rebus divinis inservit, ad res profanas adhibere ne[f]as erat: multo quidem m[agis] verba sacra ad jocos, aut ad res profanas applicare fas erit.

3. (a) Spiritu meo excellenti: omnem scientiam necessariam illi [de]di.

6. (b) Pe[ritis] artificibus & inferioribus dedi peritiam, ut juvent Beseleel: videte tamen ne sabbatum violetis propter hoc opus.

CAPUT XXXI.

16. Custodiant filii Israel sabbatum, & ce-
lebrent illud in generationibus suis. Pactum
est sempiternum
17. Inter me & filios Israel, signumque per-
* Gen. 2. 2. petuum. * Sex enim diebus fecit Dominus
cælum & terram, & in septimo ab opere
cessavit.
18. Deditque Dominus Moysi, completis
* Deut. 9. 10. hujuscemodi sermonibus in monte Sinai, *
duas tabulas testimonii lapideas, scriptas digi-
to Dei.

CAPUT XXXII.

Mose absente populus vitulum aureum conflat, eumque adorat: Moses e monte descendens tabulas confringit, pœnam de idololatris sumit, Deum pro populo deprecatur.

1. VIdens autem populus quod moram face-
ret descendendi de monte Moyses, con-
* Act. 7. 40. gregatus (a) adversus Aaron dixit: * Surge,
fac nobis deos, qui nos præcedant: Moysi
enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægy-
pti, ignoramus quid acciderit.
2. Dixitque ad eos Aaron: Tollite (b) inau-
res aureas de uxorum, filiorumque & filiarum
vestrarum auribus, & afferte ad me.
3. Fecitque populus quæ jusserat, deferens
inaures ad Aaron.
* Psal. 105. 19. 4. * Quas cum ille accepisset, formavit ope-
re fusorio (c), & fecit ex eis vitulum confla-
tilem. Dixeruntque: Hi sunt dii tui Israel,
qui te eduxerunt de terra Ægypti.
5. Quod cum vidisset Aaron, ædificavit al-
tare coram eo, & præconis voce clamavit, di-
cens: Cras solemnitas Domini est.
6. Surgentesque mane, obtulerunt holocau-
* 1. Cor. 10. 7. sta, & hostias pacificas, & * sedit populus
manducare & bibere, & surrexerunt ludere.
7. Locutus est autem Dominus ad Moysen,
* Deut. 9. 12. dicens: * Vade, descende: peccavit populus
tuus (d), quem eduxisti de terra Ægypti.
8. Recesserunt cito de via, quam ostendisti
eis: feceruntque sibi vitulum conflatilem, &
adoraverunt, atque immolantes ei hostias, di-
* 3. Reg. 12. 28. xerunt: * Isti sunt dii tui Israel, qui te edu-
xerunt de terra Ægypti.
* Inf. 33. 5. Deut. 9. 13. 9. Rursumque ait Dominus ad Moysen: *
Cerno quod populus iste duræ cervicis sit:
10. Dimitte (e) me, ut irascatur furor meus
contra eos, & deleam eos, faciamque te in
gentem magnam.
11. Moyses autem orabat Dominum Deum
* Num. 14. 13. suum, dicens: * Cur, Domine, irascitur furor
Ps. 105. 23. tuus contra populum tuum, quem eduxisti de
terra Ægypti, in fortitudine magna, & in ma-
nu robusta?
12. Ne quæso dicant Ægyptii: Callide edu-
xit eos, ut interficeret in montibus, & deleret
e terra: quiescat ira tua, & esto placabilis su-
per nequitia populi tui.
13. Recordare Abraham, Isaac, & Israel
servorum tuorum, quibus jurasti per temeti-
psum, dicens: * Multiplicabo semen vestrum * Gen. 12. 7. & 15. 7. & 48. 16.
sicut stellas cæli: & universam terram hanc,
de qua locutus sum, dabo semini vestro, &
possidebitis eam semper.
14. Placatusque est Dominus ne faceret ma-
lum quod locutus fuerat adversus populum
suum.
15. Et reversus est Moyses de monte, por-
tans duas tabulas testimonii in manu sua,
scriptas ex utraque parte (f),
16. Et factas opere Dei: scriptura quoque
Dei erat sculpta in tabulis.
17. Audiens autem Josue tumultum populi
vociferantis, dixit ad Moysen: Ululatus pu-
gnæ auditur in castris.
18. Qui respondit: Non est clamor adhor-
tantium ad pugnam, neque vociferatio com-
pellentium ad fugam: sed vocem cantantium
ego audio.
19. Cumque appropinquasset ad castra, vi-
dit vitulum, & choros: iratusque valde pro-
jecit de manu tabulas, & confregit eas ad ra-
dicem montis:
20. Arripiensque vitulum quem fecerant,
combussit, (g) & contrivit usque ad pulve-
rem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo
potum filiis Israel.
21. Dixitque ad Aaron: Quid tibi fecit
hic populus, ut induceres super eum pecca-
tum maximum?
22. Cui ille respondit: Ne indignetur do-
minus meus: tu enim nosti populum istum,
quod pronus sit ad malum:
23. Dixerunt mihi: Fac nobis deos, qui
nos præcedant: huic enim Moysi, qui nos
eduxit de terra Ægypti, nescimus quid acci-
derit.
24. Quibus ego dixi: Quis vestrum habet
aurum? Tulerunt, & dederunt mihi: & proje-
ci illud in ignem, egressusque est hic vi-
tulus.
25. Videns ergo Moyses populum quod es-
set nudatus, (spoliaverat enim eum Aaron
propter ignominiam sordis, & inter hostes nu-
dum constituerat)
26. Et stans in porta castrorum, ait: Si quis
est Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt
ad eum omnes filii Levi:
27. Quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus
Israel: Ponat vir gladium super femur suum:
ite, & redite de porta usque ad portam
per medium castrorum, & occidat unus-
quisque fratrem, & amicum, & proximum
suum.
28. Feceruntque filii Levi juxta sermonem
Moysi, cecideruntque in die illa quasi viginti
tria millia hominum.
29. Et ait Moyses: Consecrastis manus ve-
stras hodie Domino, unusquisque in filio, & in
fratre suo, ut detur vobis benedictio.

30. Facto

CAPUT XXXII. 1. (a) Septuag. Interpret. *Ad Aaron.*
2. (b) Sperabat viros ægre impetraturos inaures: sed contra accidit: graviter tamen peccavit Aaron consentiendo.
4. (c) Septuag. Interpret. *In stylo*: nempe in typo cereo, aut argillaceo, quem ante formavit, stylo usus est, tum liquatum aurum conjecit.
7. (d) Non jam meus, qui me adeo graviter offendit.
10. (e) Tacite contrarium innuit: cohibe me: nam ut Theodoretus pulcre advertit, per hoc deprecandi ausum præbet, & fiduciam impetrandi: illud ergo, *dimitte me*, non est jubentis, sed experientis quid se a puniendo revocaret, videlicet, quod amaret Mosem.
15. (f) Lex illa in unoquoque latere scripta erat, ut utrinque legi posset.
20. (g) Non tam vitulum aureum igne liquatum lima in pulverem redegit, ac dedit ad bibendum, ut nihil ejus superesset, atque in eorum contemptum dedit.

30. Facto autem altero die, locutus est Moyses ad populum: Peccastis peccatum maximum: ascendam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro.

31. Reversusque ad Dominum, ait: Obsecro, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam,

32. Aut si non facis, dele me de libro (*b*) tuo quem scripsisti.

33. Cui respondit Dominus: Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo:

34. Tu autem vade, & duc populum istum quo locutus sum tibi: Angelus meus præcedet te. Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.

35. Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.

CAPUT XXXIII.

Populo lugenti Moses a Deo veniam impetrat, cum Deo agit familiariter, idque postulat a Deo ut videat gloriam ejus.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Vade, ascende de loco isto tu, & populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti, in terram quam juravi Abraham, Isaac, & Jacob, dicens: * Semini tuo dabo eam: [* Gen.12.7. Sup.12.13.]

2. Et * mittam præcursorem tui Angelum, ut ejiciam Chananæum, & Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum, [* Sup.32.34.]

3. Et intres in terram fluentem lacte & melle. Non enim ascendam (*a*) tecum, * quia populus duræ cervicis es: ne forte disperdam te in via. [* Jos.24.11. Deut.7.22.]

4. * Audiensque populus sermonem hunc pessimum, luxit: & nullus ex more indutus est cultu suo. [* Sup.32.9. Deut.9.13.]

5. Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere filiis Israel: Populus duræ cervicis es, semel ascendam in medio tui, & delebo (*b*) te. Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi.

6. Deposuerunt ergo filii Israel ornatum suum a monte Horeb.

7. Moyses quoque tollens Tabernaculum, tetendit (*c*) extra castra procul, vocavitque nomen ejus, Tabernaculum fœderis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad Tabernaculum fœderis, extra castra.

8. Cumque egrederetur Moyses ad Tabernaculum, surgebat universa plebs, & stabat unusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium.

9. Ingresso autem illo Tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, & stabat ad ostium, loquebaturque cum Moyse,

10. Cernentibus universis quod columna nubis staret ad ostium Tabernaculi. Stabantque ipsi, & adorabant per fores Tabernaculorum suorum.

11. Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem (*d*), sicut solet loqui homo ad amicum suum. Cumque ille reverteretur in castra, minister ejus Josue filius Nun, puer, non recedebat de Tabernaculo.

12. Dixit autem Moyses ad Dominum: Præcipis ut educam populum istum: & non indicas mihi quem missurus (*e*) es mecum, præsertim cum dixeris: Novi te ex nomine, & invenisti gratiam coram me.

13. Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem (*f*) tuam, ut sciam te, & inveniam gratiam ante oculos tuos: respice populum tuum gentem hanc.

14. Dixitque Dominus: Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.

15. Et ait Moyses: Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto.

16. In quo enim scire poterimus ego & populus tuus invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum, ut glorificemur ab omnibus populis qui habitant super terram?

17. Dixit autem Dominus ad Moysen: Et verbum istud, quod locutus es, faciam: invenisti enim gratiam coram me, & teipsum novi ex nomine.

18. Qui ait: ostende (*g*) mihi gloriam tuam.

19. Respondit: Ego ostendam (*h*) omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te: & * miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. [* Rom. 9. 15.]

20. Rur-

32. (*b*) De libro Prædestinatorum deletur nemo: *Dele me*: Occide me, nolo amplius vivere. Num. 11. *Sin aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me*. Vel loquitur hypothetice, si hoc fieri posset: hinc solent amici vim quandam do amicis facere, & quod volunt ab iis extorquere. Itaque ex Augustin. id Moses dixit securus de sua conscriptione, ut hic a consequentibus ratiocinatio concluderetur, id est, quia certo sciret Deum non deleturum de libro suo, sequeretur quod peccatum ipsis remitteret.

CAPUT XXXIII. 3. (*a*) Volo a vobis separari, & Tabernaculum a vobis transferri: nam ex vers. 11. colligitur, antequam jussu Dei Tabernaculum in monte Sinai esset propositum, [illegible] tabernaculum, quoddam in castris fuisse parvum sacrarium, quo Moses & alii orandi, aut consulendi Dei caussa conveniebant. Aut forte, *Non ascendam tecum*: Jam Angelus qui te comitatur, non personam meam, sed propriam exhibebit: *Ne forte disperdam te in via*: loquitur humano more: videtur immutatus ordo versuum, ac nonnulla quæ in hoc capite recensentur, post narrationem de Tabulis secundo datis, de quibus capite sequenti, poni debuisse.

5. (*b*) Si pergas rebellare: aut loquitur prophetice: *Semel ascendam*, mutat vocem in alium sensum, quo denotat castigationem: quæ a versu 7. ad 22. usque extant, referri ea oportere post versum 33. multi Interpretes existimant.

7. (*c*) Textus Hebræus addit, sibi, id est, tentorium Mosis, quod fuit vice sacri tentorii nondum facti.

11. (*d*) Familiariter Angelus specie humana apparebat: nihil hic de essentiæ divinæ visione positum est.

12. (*e*) Solum Deum ductorem optat. *Novi te ex nomine*: LXX. *Novi te præter omnes*: Filium te ipse ominatus.

13. & 14. (*f*) Hebr. *Vias tuas*: Postulat ut Deus ipse præcedat populum: Tu ipse ostende nobis viam. Alii intelligunt gloriam. In Hebræo, Fac mihi notam viam tuam. *Facies mea*. Auxilium meum.

18. (*g*) Loquebatur Dominus cum Mose, sed præ caligine non videbatur: petit Moses ut discussa caligine eum videre possit. *Gloriam tuam*. Splendorem vultus tui.

19. (*h*) Quidvis tibi præstabo; hoc autem quod petis, ut gloriam meam videas & essentiam, præstare non possum ex lege ordinaria; sed forte ostendit ei speciem humanitatis Christi. *Vocabo in nomine Domini*. Inclamabo ut cum me transire, & transiens ante te vocabo & clamabo. (*Miserebor cui voluero*.) Voluit Dominus non alibi hominibus quærendam esse rationem misericordiæ quam præstat, quæque omne meritum humanum prævenit, quam in ejus bonitate & clementia; vel. *Vocabo in nomine Domini*. phrasis est Hebraica, Exprimam tibi & manifestabo nomen Domini, & ejus attributa, ac præ aliis misericordiam meam. quam expertus es: vel Deus Mosis orationi respondet, quam pro peccato populi fuderat: cum omnes pene sint rei, nulla certa & communi lege iis bona confert, quod omnes sint indigni, sed quibus voluerit.

20. Rursumque ait: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet.

21. Et iterum; Ecce, inquit, est locus apud me, & stabis supra petram.

22. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ (*i*) & protegam dextera mea, donec transeam:

23. Tollamque manum meam, & videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.

CAPUT XXXIV.

Redit in montem Moses cum novis tabulis: his Decalogus inscribitur. Descendit cum tabulis, faciem suam velat.

* Deut. 10. 1. 1. AC deinceps, * Præcide, ait, tibi duas tabulas (*a*) lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti.

2. Esto paratus mane, ut ascendas statim in montem Sinai, stabisque mecum super verticem montis.

3. Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem: boves quoque & oves non pascantur econtra.

4. Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antea fuerant: & de nocte consurgens ascendit in montem Sinai, sicut præceperat ei Dominus, portans secum tabulas.

5. Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo, invocans (*b*) nomen Domini.

6. Quo transeunte coram (*c*) eo, ait: Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax,

* Deut. 5. 10. Jer. 32. 18. * Ps. 142. 2. * Jer. 32. 18. Deut. 5. 9. 7. Qui * custodis misericordiam in millia (*d*): qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata, * nullusque apud te per se innocens est. * Qui reddis iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem.

8. Festinusque Moyses, curvatus est pronus in terram, & adorans

9. Ait: Si inveni gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro ut gradiaris nobiscum (populus enim duræ cervicis est) & auferas iniquitates nostras atque peccata, nosque possideas.

* Deut. 5. 2. Jer. 32. 40. 10. Respondit Dominus: * Ego inibo pactum videntibus cunctis, signa faciam quæ nunquam visa sunt super terram, nec in ullis gentibus: ut cernat populus iste, in cujus es medio, opus Domini terribile quod facturus sum.

11. Observa cuncta quæ hodie mando tibi: ego ipse ejiciam ante faciem tuam Amorrhæum, & Chananæum, & Hethæum, Pherezæum quoque, & Hevæum, & Jebusæum.

12. Cave (*e*) ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam:

13. Sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide:

14. Noli adorare deum alienum. Dominus zelotes nomen ejus, Deus est æmulator.

15. * Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: ne, cum fornicati fuerint cum diis suis, & adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam ut comedas de immolatis (*f*). * Sup. 23. 32. Deut. 7. 2.

16. * Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne, postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in deos suos. * 3. Reg. 11. 2.

17. Deos conflatiles non facies tibi.

18. Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus vesceris azymis, sicut præcepi tibi, in tempore mensis novorum: mense enim verni temporis egressus es de Ægypto.

19. * Omne, quod aperit vulvam generis masculini, meum erit: de cunctis animantibus tam de bobus, quam de ovibus, meum erit. * Sup. 13. 2. 12. & 22. 29.

20. Primogenitum asini redimes ove: sin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes: nec apparebis in conspectu meo vacuus.

21. Sex diebus operaberis, die septimo cessabis arare & metere.

22. * Solemnitatem hebdomadarum (*g*) facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ, & solemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. * Sup. 23. 15.

23. * Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel. * Sup. 23. 17. Deut. 16. 16.

24. Cum enim tulero gentes a facie tua, & dilatavero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.

25. * Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ: neque residebit mane de victima solemnitatis Phase. * Sup. 23. 18. & 19.

26. Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui. * Non coques hædum in lacte matris suæ. * Sup. 23. 19.

27. Dixitque Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israel * pepigi fœdus. * Sup. 24. 28.

28. Fuit

22. (*i*) In spelunca ubi lateat: Et *protegam dextera mea*, donec transeam, ne scilicet me videas: & cum transiero, tollam manum meam, ut videas posteriora mea, tergum transeuntis, non faciem: oppositam cavere nubem, ne faciem videas: post transitum ablatam nubem, ut a tergo & obscure videas. Curiositatem inhibet: porta illa Christus est, lucem æternam, quamdiu sumus in hoc mortali corpore, clare & aperte contueri non licet, sed tantum divinæ providentiæ opera.

CAPUT XXXIV. 1. (*a*) Instar priorum: *Scribam super eas*. Id tantummodo vers. 27. videtur Mosi a Deo imperatum, ut ipse scriberet: *Scribe tibi verba hæc*, sed eo loco, nempe vers. 27 tantum præcepit Mosi, ut scribat in libro decem verba, quæ ad legem [illegible].

5. (*b*) [illegible] *Et invocavit in nomine Domini*. Quæ ad Mosen [illegible] & ea quæ sequuntur vers. 6. *Precatus est Dominum*.

6. (*c*) Hic non [illegible], sed sensum significat: transitum enim visus illius percipiebat Moses ex obumbratione sibi prædicta cap. superiori, vers. 22. Hebræi codices, *Transivit Deus coram eo & clamavit, Dominus, Dominus*: adeo ut hæc verba & quæ sequuntur, a Deo ipso fuerint pronunciata.

7. (*d*) *In mille generationes*; nullum definit tempus: hoc est sine termino: *Nullusque apud te per se innocens est*: reddit Deus iniquitatem patrum filiis & nepotibus: [illegible] nullus est innocens, si ejus vita & opera actura [illegible] examini subjiciantur. *Qui custodis*, Hebr. [illegible]; proprietates Dei beneficæ [illegible] verbis exprimuntur. *Nullusque apud te per se innocens est*, Gr. *Et non purificabit sontem*, id est, non parcet. *In tertiam & quartam generationem*; in iis maxime criminibus, quæ posteri imitantur, quæque in Dei majestatem directe feruntur.

12. (*e*) Populo ad idololatriam prono omnia removet incitamenta, tum pacto renovato leges revocat Moses.

15. (*f*) Hæc jure divino prohibita erant [illegible].

22. (*g*) Festum Pentecostes [illegible] redeunte anni tempore cuncta conduntur, in festo Tabernaculorum.

* Deut. 9. & 18. 28. Fuit ergo ibi cum Domino * quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis * verba fœderis decem. * Deut. 4. 13.

29. Cumque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, & ignorabat quod cornuta (*b*) esset facies sua ex consortio sermonis Domini.

30. Videntes autem Aaron & filii Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt prope accedere.

31. Vocatique ab eo, reversi sunt tam Aaron quam principes synagogæ. Et postquam locutus est ad eos,

32. Venerunt ad eum etiam omnes filii Israel: quibus præcepit cuncta quæ audierat a Domino in monte Sinai.

* 2. Cor. 3. 13. 33. Impletisque sermonibus, * posuit velamen super faciem suam.

34. Quod ingressus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat donec exiret, & tunc loquebatur ad filios Israel omnia quæ sibi fuerant imperata.

35. Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam, sed operiebat ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos.

CAPUT XXXV.

Dei mandata ad populum perfert, quæ capitibus XXV. XXVI. & XXVII. sunt exposita.

1. IGitur congregata omni turba filiorum Israel, dixit ad eos: Hæc sunt quæ jussit Dominus fieri.

2. Sex diebus facietis opus: septimus dies erit vobis sanctus, sabbatum, & requies Domini: qui fecerit opus in eo, occidetur.

3. Non succendetis (*a*) ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati.

4. Et ait Moyses ad omnem catervam filiorum Israel: Iste est sermo quem præcepit Dominus, dicens:

* Sup. 25. 2. 5. Separate apud vos primitias Domino. * Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino: aurum & argentum, & æs,

6. Hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum, pilos caprarum,

7. Pellesque arietum rubricatas, & janthinas, ligna Setim,

8. Et oleum ad luminaria concinnanda, & ut conficiatur unguentum, & thymiama suavissimum,

9. Lapides onychinos, & gemmas ad ornatum superhumeralis & rationalis.

10. Quisquis vestrum sapiens est, veniat, & faciat quod Dominus imperavit:

11. Tabernaculum scilicet, & tectum ejus, atque operimentum, annulos, & tabulata (*b*) cum vectibus, paxillos & bases:

12. Arcam & vectes, propitiatorium, & velum, quod ante illud oppanditur.

13. Mensam cum vectibus & vasis, & propositionis panibus:

14. Candelabrum ad luminaria sustentanda, vasa illius & lucernas, & oleum ad nutrimenta ignium:

15. Altare thymiamatis, & vectes, & oleum unctionis & thymiama ex aromatibus, Tentorium ad ostium tabernaculi:

16. Altare holocausti, & craticulam ejus æneam cum vectibus & vasis suis: labrum & basim ejus:

17. Cortinas atrii cum columnis & basibus, tentorium in foribus vestibuli,

18. Paxillos tabernaculi & atrii cum funiculis suis:

19. Vestimenta, quorum usus est in ministerio Sanctuarii, vestes Aaron Pontificis ac filiorum ejus, ut sacerdotio fungantur mihi.

20. Egressaque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysi,

21. Obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi testimonii. Quidquid ad cultum & ad vestes sanctas necessarium erat,

22. Viri cum mulieribus præbuerunt armillas & inaures, annulos & dextralia: omne vas aureum in donaria Domini separatum est.

23. Si quis habebat hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, byssum & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, & janthinas,

24. Argenti ærisque metalla obtulerunt Domino, lignaque Setim in varios usus.

25. Sed & mulieres doctæ, quæ neverant, dederunt hyacinthum, purpuram, & vermiculum, ac byssum,

26. Et pilos caprarum, sponte propria cuncta tribuentes.

27. Principes vero obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad superhumerale & rationale,

28. Aromataque & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum unguentum, ac thymiama odoris suavissimi componendum.

29. Omnes viri & mulieres mente devota obtulerunt donaria, ut fierent opera quæ jusserat Dominus per manum Moysi. Cuncti filii Israel voluntaria Domino dedicaverunt.

30. Dixitque Moyses ad filios Israel: * Ecce, vocavit Dominus ex nomine Beseleel filium Uri filii Hur de tribu Juda. * Sup. 31. 2.

31. Implevitque eum spiritu Dei, sapientia & intelligentia, & scientia & omni doctrina

32. Ad excogitandum, & faciendum opus in auro & argento, & ære,

33. Sculpendisque lapidibus, & opere carpentario: quidquid fabre adinveniri potest,

34. Dedit in corde ejus: Ooliab quoque filium Achisamech de tribu Dan:

35. Ambos erudivit sapientia, ut faciant opera abietarii, (*c*) polymitarii, ac plumarii, de hyacintho, ac purpura, coccoque bis tincto, & bysso, & texant omnia, ac nova quæque reperiant.

CA-

29. (*b*) Radiosa, quod splenderet facies ejus: LXX. *Glorificata*. Huc respicit Paulus 2. Corinth. 3.

CAPUT XXXV. 3. (*a*) Ad cibos parandos, bene ad calefaciendum se, lumen accendendum, aut ad alia opera necessaria: sed quæ prohibita erant die sabbati, eadem sæpe festis etiam solemnioribus permittebantur, ex cap. 12. vers. 16.

11. (*b*) Tabernaculi latera; paxillos in terra defixos.

35. (*c*) Fabri lignarii. *Polymitarii*, qui vestes, variis coloris texit. *Plumarii*, qui acu pingit. Quæ in postremis capitibus referantur, magna ex parte sunt in superioribus explicata, & in primis cap. 26. 27. &c. vers. 14. hujus capitis. *Ad operiendum*: velum designat e pilis caprarum.

CAPUT XXXVI.

Tabernaculum extruitur, tabulæ, vectes, vela, quæque sunt explicata capite XXVI.

1. FEcit ergo Beseleel, Ooliab, & omnis
* Sup. 36. 1. vir sapiens, * quibus dedit Dominus sapientiam & intellectum, ut scirent fabre operari quæ in usus Sanctuarii necessaria sunt, & quæ præcepit Dominus.

1. Par 21. 29. 2. Cumque vocasset eos Moyses, & omnem eruditum virum, cui dederat Dominus sapientiam, & qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus,

3. Tradidit eis universa donaria filiorum Israel. Qui cum instarent operi, quotidie mane vota populus offerebat.

4. Unde artifices venire compulsi,

5. Dixerunt Moysi: Plus offert populus quam necessarium est.

6. Jussit ergo Moyses præconis voce cantari: Nec vir, nec mulier quidquam offerat ultra in opere Sanctuarii. Sicque cessatum est a muneribus offerendis,

7. Eo quod oblata sufficerent & superabundarent.

8. Feceruntque omnes corde sapientes, ad explendum opus tabernaculi, cortinas decem de bysso retorta, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, opere vario, & arte polymita:

9. Quarum una habebat in longitudine viginti octo cubitos, & in latitudine quatuor: una mensura erat omnium cortinarum.

10. Conjunxitque cortinas quinque, alteram alteri, & alias quinque sibi invicem copulavit.

11. Fecit & ansas hyacinthinas in ora cortinæ unius ex utroque latere, & in ora cortinæ alterius similiter,

12. Ut contra se invicem venirent ansæ, & mutuo jungerentur.

13. Unde & quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas, & fieret unum tabernaculum.

14. Fecit & saga undecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi.

15. Unum sagum in longitudine habebat cubitos triginta, & in latitudine cubitos quatuor: unius mensuræ erant omnia saga:

16. Quorum quinque junxit seorsum, & sex alia separatim.

17. Fecitque ansas quinquaginta in ora sagi unius, & quinquaginta in ora sagi alterius, ut sibi invicem jungerentur.

18. Et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, ut unum pallium ex omnibus sagis fieret.

19. Fecit & opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: aliudque desuper velamentum de pellibus janthinis.

20. Fecit & tabulas tabernaculi de lignis Setim stantes.

21. Decem cubitorum erat longitudo tabulæ unius: & unum ac semis cubitum latitudo retinebat.

22. Binæ incastraturæ erant per singulas tabulas, ut altera alteri jungeretur. Sic fecit in omnibus tabernaculi tabulis.

23. E quibus viginti ad plagam meridianam erant contra Austrum,

24. Cum quadraginta basibus argenteis. Duæ bases sub una tabula ponebantur ex utraque parte angulorum, ubi incastraturæ laterum in angulis terminantur.

25. Ad plagam quoque tabernaculi, quæ respicit ad Aquilonem, fecit viginti tabulas,

26. Cum quadraginta basibus argenteis, duas bases per singulas tabulas.

27. Contra Occidentem vero, id est, ad eam partem tabernaculi, quæ mare respicit, fecit sex tabulas,

28. Et duas alias per singulos angulos tabernaculi retro:

29. Quæ junctæ erant a deorsum usque sursum, & in unam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex utraque parte per angulos:

30. Ut octo essent simul tabulæ, & haberent bases argenteas sedecim, binas scilicet bases sub singulis tabulis.

31. Fecit & vectes de lignis Setim, quinque ad continendas tabulas unius lateris tabernaculi,

32. Et quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas: & extra hos, quinque alios vectes ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare.

33. Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo usque ad angulum perveniret.

34. Ipsa autem tabulata deauravit, fusis basibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit aureos, per quos vectes induci possent: quos & ipsos laminis aureis operuit.

35. Fecit & velum de hyacintho, & purpura, vermiculo, ac bysso retorta, opere polymitario, varium atque distinctum:

36. Et quatuor columnas de lignis Setim, quas cum capitibus deauravit, fusis basibus earum argenteis.

37. Fecit & tentorium in introitu tabernaculi ex hyacintho, purpura, vermiculo, byssoque retorta, opere plumarii:

38. Et columnas quinque cum capitibus suis, quas operuit auro, basesque earum fudit æneas.

CAPUT XXXVII.

Arca, propitiatorium, Cherubim, candelabrum, quæque capitibus XXVII. & XXX. sunt exarata.

1. FEcit autem Beseleel & arcam (a) de lignis Setim, habentem duos semis cubitos in longitudine, & cubitum ac semissem in latitudine; altitudo quoque unius cubiti fuit & dimidii: vestivitque eam auro purissimo intus ac foris.

2. Et fecit illi coronam auream per gyrum,

3. Con-

CAPUT XXXVII. 1. (a) Hæc erat Ecclesiæ typus, ex incorrupta materia constans, auro intus, exterius que inducta, caritate nimirum quæ in corde viget, & in operibus lucet, propitiatorium est Christus ipse, qui est propitiatio pro peccatis nostris; duo Cherubim, duo Testamenta, quæ se se mutuo respiciunt & illustrant.

3. Conflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos ejus: duos annulos in latere uno, & duos in altero.

4. Vectes quoque fecit de lignis Setim, quos vestivit auro,

5. Et quos misit in annulos, qui erant in lateribus arcæ ad portandum eam.

6. Fecit & propitiatorium, id est, oraculum, de auro mundissimo, duorum cubitorum & dimidii in longitudine, & cubiti ac semis in latitudine.

7. Duos etiam Cherubim ex auro ductili, quos posuit ex utraque parte propitiatorii:

8. Cherub unum in summitate unius partis, & Cherub alterum in summitate partis alterius: duos Cherubim in singulis summitatibus propitiatorii,

9. Extendentes alas, & tegentes propitiatorium, seque mutuo & illud respicientes.

10. Fecit & mensam de lignis Setim in longitudine duorum cubitorum, & in latitudine unius cubiti, quæ habebat in altitudine cubitum ac semissem.

11. Circumdeditque eam auro mundissimo, & fecit illi labium aureum per gyrum,

12. Ipsique labio coronam auream interrasilem quatuor digitorum, & super eamdem, alteram coronam auream.

13. Fudit & quatuor circulos aureos, quos posuit in quatuor angulis per singulos pedes mensæ

14. Contra coronam: misitque in eos vectes, ut possit mensa portari.

15. Ipsos quoque vectes fecit de lignis Setim, & circumdedit eos auro.

16. Et vasa ad diversos usus mensæ, acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina.

17. Fecit & candelabrum ductile de auro mundissimo. De cujus vecte (*b*) calami, scyphi, sphærulæque ac lilia procedebant:

18. Sex in utroque latere, tres calami ex parte una, & tres ex altera:

19. Tres scyphi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæque simul & lilia: & tres scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulæque simul & lilia. Æquum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri.

20. In ipso autem vecte erant quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos simul & lilia:

21. Et sphærulæ sub duobus calamis per loca tria, qui simul sex fiunt calami procedentes de vecte uno.

22. Et sphærulæ igitur, & calami ex ipso erant, universa ductilia ex auro purissimo.

23. Fecit & lucernas septem cum emunctoriis suis, & vasa ubi ea quæ emuncta sunt, extinguantur, de auro mundissimo.

24. Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis.

25. Fecit & altare thymiamatis de lignis Setim, per quadrum singulos habens cubitos, & in altitudine duos: e cujus angulis procedebant cornua.

26. Vestivitque illud auro purissimo cum craticula ac parietibus & cornibus.

27. Fecitque ei coronam aureolam per gyrum, & duos annulos aureos sub corona per singula latera, ut mittantur in eos vectes, & possit altare portari.

28. Ipsos autem vectes fecit de lignis Setim, & operuit laminis aureis.

29. Composuit & oleum ad sanctificationis unguentum, & thymiama de aromatibus mundissimis opere pigmentarii.

CAPUT XXXVIII.

Altare holocaustorum, labrum æneum e speculis mulierum, talenta auri & argenti oblata numerantur.

1. Fecit & altare holocausti de lignis Setim, quinque cubitorum per quadrum, & trium in altitudine. 1. Par. 1. 2.

2. Cujus cornua de angulis procedebant, operuitque illud laminis æneis.

3. Et in usus ejus paravit ex ære vasa diversa, lebetes, forcipes, fuscinulas, uncinos, & ignium receptacula.

4. Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, & subter eam in altaris medio arulam,

5. Fusis quatuor annulis per totidem retiaculi summitates, ad immittendos vectes ad portandum:

6. Quos & ipsos fecit de lignis Setim, & operuit laminis æneis:

7. Induxitque in circulos, qui in lateribus altaris eminebant. Ipsum autem altare non erat * solidum, sed cavum ex tabulis, & intus vacuum. * Sup. 27. 8.

8. Fecit & labrum æneum cum basi sua de speculis mulierum, quæ excubabant (*a*) in ostio tabernaculi.

9. Fecit & atrium, in cujus australi plaga erant tentoria de bysso retorta, cubitorum centum,

10. Columnæ æneæ viginti cum basibus suis, capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea.

11. Æque ad Septentrionalem plagam tentoria, columnæ, basesque & capita columnarum ejusdem mensuræ & operis ac metalli, erant.

12. In ea vero plaga, quæ ad Occidentem respicit, fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta, columnæ decem cum basibus suis æneæ, & capita columnarum, & tota operis celatura, argentea.

13. Porro contra Orientem quinquaginta cubitorum paravit tentoria:

14. E quibus, quindecim cubitos columnarum trium, cum basibus suis unum tenebat latus:

15. Et in parte altera (quia inter utraque introitum tabernaculi fecit) quindecim æque cubitorum erant tentoria, columnæque tres, & bases totidem.

16. Cuncta atrii tentoria byssus retorta texuerat.

17. Bases

17. (*b*) Medius est Candelabri stipes, unde calami procedunt.

8. (*a*) Hebr. Quæ congregabantur, quæque specula sua offerebant.

17. Bases columnarum fuere æneæ, capita autem earum cum cunctis cælaturis suis argentea: sed & ipsas columnas atrii vestivit argento.

18. Et in introitu ejus opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta, quod habebat viginti cubitos in longitudine, altitudo vero quinque cubitorum erat juxta mensuram, quam cuncta atrii tentoria habebant.

19. Columnæ autem in ingressu fuere quatuor cum basibus æneis, capitaque earum & cælaturæ argenteæ.

20. Paxillos quoque tabernaculi & atrii per gyrum fecit æneos.

21. Hæc sunt instrumenta tabernaculi testimonii, quæ enumerata sunt juxta præceptum Moysi in cæremoniis Levitarum per manum Ithamar filii Aaron sacerdotis:

22. Quæ Beseleel filius Uri filii Hur de tribu Juda, Domino per Moysen jubente, compleverat.

23. Juncto sibi socio Ooliab filio Achisamech de tribu Dan: qui & ipse artifex lignorum egregius fuit, & polymitarius atque plumarius ex hyacintho, purpura, vermiculo & bysso.

24. Omne aurum quod expensum est in opere Sanctuarii, & quod oblatum est in donariis, viginti novem talentorum fuit, & septingentorum triginta siclorum ad mensuram Sanctuarii.

25. Oblatum est autem ab his qui transierunt ad numerum a viginti annis & supra, de sexcentis tribus millibus, & quingentis quinquaginta, (b) armatorum.

26. Fuerunt præterea centum (c) talenta argenti, e quibus conflatæ sunt bases Sanctuarii, & introitus ubi velum pendet.

27. Centum bases factæ sunt de talentis (d) centum, singulis talentis per bases singulas supputatis.

28. De mille autem septingentis, & septuaginta quinque fecit capita columnarum, quas & ipsas vestivit argento.

29. Æris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, & quadringenti supra siclí,

30. Ex quibus fusæ sunt bases in introitu tabernaculi testimonii, & altare æneum cum craticula sua, omniaque vasa, quæ ad usum ejus pertinent,

31. Et bases atrii tam in circuitu quam in ingressu ejus, & paxilli tabernaculi atque atrii per gyrum.

CAPUT XXXIX.

Absoluto Tabernaculo, & sacerdotum ornatu perfecto Moses benedicit populo.

Sup. 28. 6. 1. DE hyacintho vero & purpura, vermiculo ac bysso, fecit vestes, quibus indueretur Aaron, quando ministrabat in sanctis, sicut præcepit Dominus Moysi.

2. Fecit igitur superhumerale de auro, hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta,

3. Opere polymitario, inciditque bracteas aureas, & extenuavit in fila, ut possent torqueri cum priorum colorum subtegmine,

4. Duasque oras sibi invicem copulatas in utroque latere summitatum,

5. Et balteum ex eisdem coloribus, sicut præceperat Dominus Moysi.

6. Paravit & duos lapides onychinos, astrictos & inclusos auro, & sculptos arte gemmaria, nominibus filiorum Israel:

7. Posuitque eos in lateribus superhumeralis in monimentum filiorum Israel, sicut præceperat Dominus Moysi.

8. Fecit & rationale opere polymito juxta opus superhumeralis, ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta:

9. Quadrangulum, duplex (a), mensuræ palmi.

10. Et posuit in eo gemmarum ordines quatuor. In primo versu erat sardius, topazius, smaragdus.

11. In secundo, carbunculus, sapphirus, & jaspis.

12. In tertio, ligurius, achates, & amethystus.

13. In quarto, chrysolithus, onychinus, & beryllus, circumdati & inclusi auro per ordines suos.

14. Ipsique lapides duodecim, sculpti erant nominibus duodecim tribuum Israel, singuli per nomina singulorum.

15. Fecerunt in rationali & catenulas sibi invicem cohærentes, de auro purissimo:

16. Et duos uncinos, totidemque anulos aureos. Porro annulos posuerunt in utroque latere rationalis,

17. E quibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inseruerunt uncinis, qui in superhumeralis angulis eminebant.

18. Hæc & ante & retro ita conveniebant sibi, ut superhumerale & rationale mutuo necterentur,

19. Stricta ad balteum & annulis fortius copulata, quos jungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerent, & a se invicem moverentur, sicut præcepit Dominus Moysi.

20. Fecerunt quoque tunicam superhumeralis totam hyacinthinam,

21. Et capitium in superiori parte contra medium, oramque per gyrum capitii textilem:

22. Deorsum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpura, vermiculo, ac bysso retorta:

23. Et tintinnabula de auro purissimo, quæ posuerunt inter malogranata in extrema parte tunicæ per gyrum:

24. Tintinnabulum autem aureum, & malum punicum, quibus ornatus incedebat Pontifex quando ministerio fungebatur, sicut præceperat Dominus Moysi.

25. Fece-

25. (b) Existimat Mariana versum 25. deesse in Vulgata, qui [illegible] Hebr[illegible] alis est, *Et argentum numeratorum*, centum talenta & [illegible] septingenti [illegible] quinquaginta sicli, juxta siclum [illegible] cum hoc versu [illegible] Exegete 60, [illegible] totum [illegible] præmiserit, centum argenti talenta & sicli 1775. [illegible], ut Hebraicum talentum Mosis tem[illegible] 12000 [illegible] contineret.

26. (c) Quot talenta in hoc opere, & quot in alio fuerint impensa, exprimit: unde particulam, *Præterea*, addit, ut diversum sensum a priori [illegible].

27. (d) Interpres talentum vulgare 100. sacrum 120. libras continere voluit: libra autem habet 25. siclos.

Quæ hoc capite continentur, eadem cap. 28 sunt explicata vers. 3. *Ut possent torqueri*, [illegible], [illegible] cum subtegmine.

9. (a) [illegible] vers. 10. *In primo versu*, ordine v. 29. *Fecerunt & laminam sacræ venerationis*, Hebr. *Coronæ sanctæ*. CAPUT XXXIX.

25. Fecerunt & tunicas byssinas opere textili Aaron & filiis ejus:

26. Et mitras cum coronulis suis ex bysso:

27. Feminalia quoque linea, byssina:

28. Cingulum vero de bysso retorta, hyacintho, purpura, ac vermiculo bis tincto arte plumaria, sicut præceperat Dominus Moysi.

29. Fecerunt & laminam sacræ venerationis de auro purissimo, scripseruntque in ea opere gemmario, Sanctum Domini:

30. Et strinxerunt eam cum mitra vitta hyacinthina, sicut præceperat Dominus Moysi.

31. Perfectum est igitur omne opus tabernaculi & tecti testimonii: feceruntque filii Israel cuncta quæ præceperat Dominus Moysi.

32. Et obtulerunt tabernaculum, & tectum, & universam supellectilem, annulos, tabulas, vectes, columnas ac bases,

33. Opertorium de pellibus arietum rubricatis, & aliud operimentum de janthinis pellibus.

34. Velum, arcam, vectes, propitiatorium,

35. Mensam cum vasis suis & propositionis panibus:

36. Candelabrum, lucernas, & utensilia earum cum oleo:

37. Altare aureum, & unguentum, & thymiama ex aromatibus:

38. Et tentorium in introitu tabernaculi:

39. Altare æneum, retiaculum, vectes, & vasa ejus omnia: labrum cum basi sua: tentoria atrii, & columnas cum basibus suis:

40. Tentorium in introitu atrii, funiculosque illius & paxillos. Nihil ex vasis defuit, quæ in ministerium tabernaculi, & in tectum fœderis jussa sunt fieri.

41. Vestes quoque, quibus sacerdotes utuntur in Sanctuario, Aaron scilicet & filii ejus,

42. Obtulerunt filii Israel, sicut præceperat Dominus.

43. Quæ postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis.

CAPUT XL.

Erigitur Tabernaculum, & consecratur; nubes id operit, eique incumbit in singulis mansionibus.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Mense primo, prima die mensis, eriges tabernaculum testimonii,

3. Et pones in eo arcam, demittesque ante illam velum:

4. Et illata mensa, pones super eam quæ rite præcepta sunt. Candelabrum stabit cum lucernis suis,

5. Et altare aureum in quo adoletur incensum, coram arca testimonii. Tentorium in introitu tabernaculi pones,

6. Et ante illud altare holocausti:

7. Labrum inter altare & tabernaculum, quod implebis aqua.

8. Circumdabisque atrium tentoriis, & ingressum ejus.

9. Et assumpto unctionis oleo unges tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur:

10. Altare holocausti, & omnia vasa ejus:

11. Labrum cum basi sua: omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint Sancta sanctorum.

12. Applicabisque Aaron & filios ejus ad fores tabernaculi testimonii, & lotos aqua

13. Indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, & unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat.

14. Fecitque Moyses omnia quæ præceperat Dominus.

15. Igitur mense primo anni secundi, prima die mensis, collocatum est tabernaculum.

16. * Erexitque Moyses illud, & posuit tabulas ac bases & vectes, statuitque columnas, * Num. 7. 1.

17. Et expandit (*a*) tectum super tabernaculum, imposito desuper operimento, sicut Dominus imperaverat.

18. Posuit & testimonium (*b*) in arca, subditis infra vectibus, & oraculum desuper.

19. Cumque intulisset arcam in tabernaculum, appendit ante eam velum ut expleret Domini jussionem.

20. Posuit & mensam in tabernaculo testimonii ad plagam Septentrionalem extra velum,

21. Ordinatis coram propositionis panibus, sicut præceperat Dominus Moysi.

22. Posuit & candelabrum in tabernaculo testimonii e regione mensæ in parte Australi.

23. Locatis per ordinem lucernis, juxta præceptum Domini.

24. Posuit & altare aureum sub tecto testimonii contra velum,

25. Et adolevit super eo incensum aromatum, sicut jusserat Dominus Moysi.

26. Posuit & tentorium in introitu tabernaculi testimonii,

27. Et altare holocausti in vestibulo testimonii, offerens in eo holocaustum, & sacrificia, ut Dominus imperaverat.

28. Labrum quoque statuit inter tabernaculum testimonii & altare, implens illud aqua.

29. Laveruntque Moyses & Aaron ac filii ejus manus suas & pedes,

30. Cum ingrederentur (*c*) tectum fœderis, & accederent ad altare, sicut præceperat Dominus Moysi.

31. Erexit & atrium per gyrum tabernaculi & altaris, ducto in introitu ejus tentorio (*d*). Postquam omnia perfecta sunt,

32. * Operuit nubes tabernaculum testimonii, & gloria Domini implevit illud. * Num. 9. 15.

33. Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & majestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat. 3. Reg. 8. 10.

34. Si quando nubes tabernaculum deserebat, proficiscebantur filii Israel per turmas suas:

35. Si pendebat desuper, manebant in eodem loco.

36. Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israel per cunctas mansiones suas.

LIBER

CAP. XL. 17. (*a*) Varia erant operimenta Tabernaculi, quæ tecti vicem obibant: proximum Tabernaculo, & intimum erat aulæum pretiosum, quod cap. 26. vers. 7. tectum appellatur. *Imposito desuper operimento.* Sago cilicino.

18. (*b*) Legis Tabulas. *Et Oraculum desuper*, Propitiatorium.

30. (*c*) Tabernaculum testimonii: *Et accederent ad Altare* Thymiamatis.

31. (*d*) Expanso velo in ipso atrii ingressu.

LIBER LEVITICI,

HEBRAICE

VAICRA.

QUÆ ad Leviticum ordinem spectant, Sacrificia Sacerdotum, & Levitarum Officia, dies itidem festi hoc Libro continentur. Augustinus Lib. 10. de Civit. Dei, negare videtur in statu innocentiæ sacrificia extitisse, ac subinde docet primos homines in Paradiso puros & integros ab omni labe peccati seipsos Deo, ut mundissimas hostias immolasse. Quæ postea, Deo jubente, ab hominibus sunt in sacrificium oblatæ victimæ, agni immaculati sacrificium adumbrarunt: de his potissimum hoc loco agitur.

Hunc Librum genuinum esse, & Mosem habere auctorem, iisdem argumentis demonstratur, quibus usi sumus, cum de Genesi & Exodo, immo & de Pentateucho generatim ageremus. Et quidem in Deuteronomio, cum nihil fere de sacrificiorum variis generibus, de Tabernaculo, de ornamentis & muneribus Sacerdotum, atque de aliis multis, quæ ad cultum Dei pertinent, descriptum habeamus, dubitare non possumus, quin hæc pene omnia hoc in Libro a Mose fuerint litteris tradita.

CAPUT PRIMUM.

Ritus holocaustorum bovis, capræ, ovis; item turturum & columbarum.

1. VOCAVIT autem Moysen, & locutus (a) est ei Dominus de tabernaculo testimonii, dicens:
2. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Homo (b), qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus & ovibus offerens victimas,
* Exod. 29. 10. 3. * Si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento; masculum immaculatum (c) offeret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum:
4. Ponetque (d) manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens.
5. Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem ejus, fundentes (e) per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi.

6. De-

CAPUT I. 1. (a) Deus non amplius loquitur de monte, sed de tabernaculo: ut ne jam Dei ad nos descendentis, & nobiscum agentis firma est.

2. (b) Sex species sacrificiorum Hebræi enumerant, 1. Holocaustum, cum tota victima ignis vi absumeretur, excepta pelle: 2. Munus ciborum, Hebraice Mincha, מנחה. 3. Oblationem pro peccato, quod sciens & volens quis admisit: 4. Pro delicto ex ignorantia commisso: 5. Sacrificium Consecrationis, nimirum Sacerdotis. 6. Sacrificium pacificorum, cum beneficium a Deo poscebatur, vel ob acceptum illi habebantur gratiæ. Alii sacrificia ad duo summa genera referunt, ad sacrificium pro peccato, quo placatur Deus, eique satisfit cujusdam satisfactionis; & ad illud sacrificium, quod in Religionis testificationem offertur, sive rationem habeat supplicationis, seu gratiarum actionis, seu denique ad pietatis exercitationem referatur. Commodius videtur usitata divisio in sacrificia cruenta & incruenta: illa triplicis sunt generis: Holocausta sic dicta, quod tota sint incensa, de quibus hoc loco agitur; Pacifica ob acceptum, vel postulatum a Deo beneficium: & sacrificia pro peccatis. In sacrificio pacifico partem unam ignis absumebat, pars altera ad Sacerdotes, pars tertia ad eos qui offerebant, pertinebat; in sacrificio pro peccato, parte hostiæ ignis vi consumpta, altera erat Sacerdotum. Incruentum vero sacrificium ex simila, seu e farinæ purissimæ flore oblatum, alterius sacrificium exprimebat. *Homo itaque qui obtulerit sponte sua hostiam:* Hebr. Corban, קרבן Munus omne & oblationem significat. *De bobus & ovibus:* vox eadem latina oves & capras designat; atque ex iis tantum animalibus inter quadrupedia offerebantur sacrificia. Cujus rei hanc affert rationem S. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 3. quod sacrificium offerebatur Deo in agnitionem summi ejus dominii, atque ea sint in primis offerenda, quæ hominibus magnos usus præstant, cujusmodi sunt prædicta animalia, ut cuncta nos a Deo accepisse profiteamur; juxta illud 1. Paral. 29. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Allegorice bos fortitudinem & labores Christi, ovis innocentiam, capra peccata nostra, quæ Christus ipse portavit, significant. *Homo*, privatus nempe qui sua voluntate, non ex præcepto legis obtulerit. *De bobus & ovibus*, in Lege Deus contentus est animantibus valde probabilibus.

3. (c) Sine vitio offerri masculus tantum in holocausto, in sacrificio pacifico femina quoque offerri poterat. *Ad placandum sibi Dominum:* Finis primarius erat Dei cultus, non eum placere; sed hic ex priori sequebatur. Non ad justificationem valebat hostia Mosaica, nisi ex opere operantis; sed ad punitionem avertendam, & ad tollendas legales immunditias.

4. (d) Hoc ritu significans se reum esse mortis, & pro se vicariam offerre victimam. Deinde offerens se totum Deo devovere, & in potestatem ejus se dare in Holocausto profitetur, ac peccata sua in hostiam transferre.

5. (e) Altare Christum significat, circum sanguis funditur, ejus mortis nos reos profitentes.

6. Detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident,

7. Et subjicient in altari ignem, strue lignorum ante composita:

8. Et membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta quæ adhærent jecori,

9. Intestinis & pedibus lotis aqua: adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum & suavem odorem Domino.

10. Quod si de pecoribus oblatio est, de ovibus sive de capris holocaustum, masculum absque macula offeret:

11. Immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad Aquilonem, coram Domino: sanguinem vero illius fundent super altare filii Aaron per circuitum:

12. Dividentque membra, caput, & omnia quæ adhærent jecori: & ponent super ligna, quibus subjiciendus est ignis:

13. Intestina vero & pedes lavabunt aqua. Et oblata omnia adolebit sacerdos super altare in holocaustum & odorem suavissimum Domino.

14. Si autem de avibus, holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ,

15. Offeret eam sacerdos ad altare: & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris:

16. Vesiculam (*f*) vero gutturis, & plumas projiciet prope altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent,

17. Confringetque ascellas ejus, & non secabit: neque ferro dividet eam, & adolebit super altare, lignis igne supposito. Holocaustum est & oblatio suavissimi odoris Domino.

CAPUT II.

Secunda sacrificii species, quæ Mincha dicitur, e simila, panibus aut spicis: cuncta sine melle, aut fermento; sed ubique sale admixto.

1. Anima cum obtulerit oblationem (*a*) sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio, fundetque super eam oleum, & ponet thus,

2. Ac deferet ad filios Aaron sacerdotes: quorum unus tollet pugillum plenum similæ & olei: ac totum thus, & ponet memoriale (*b*) super altare in odorem suavissimum Domino.

3. * Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron & filiorum ejus, Sanctum (*c*) sanctorum de oblationibus Domini. * Eccli. 7. 34.

4. Cum autem obtuleris sacrificium (*d*) coctum in clibano: de simila, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, & lagana azyma oleo lita.

5. Si oblatio tua fuerit de sartagine, similæ conspersæ oleo & absque fermento,

6. Divides eam minutatim, & fundes super eam oleum.

7. Sin autem de craticula fuerit sacrificium, æque simila oleo conspergetur:

8. Quam offerens Domino, trades manibus sacerdotis.

9. Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare in odorem suavitatis Domino:

10. Quidquid autem reliquum est, erit Aaron, & filiorum ejus, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini.

11. Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis (*e*) adolebitur in sacrificio Domino.

12. Primitias tantum eorum offeretis ac munera: super altare vero non imponentur in odorem suavitatis.

13. Quidquid obtuleris sacrificii, * sale condies, nec auferes sal (*f*) fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal. * Marc. 9. 48.

14. Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias (*g*) tuas Domino,

15. Fundens supra oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est:

16. De qua adolebit sacerdos in memoriam muneris partem farris fracti, & olei, ac totum thus.

CA-

16. (*f*) Ingluviem.

CAP. II. 1. (*a*) Hebr. *Mincha*, aut *Minhah*, quod munus est potius, quam sacrificium. Institutum est hoc sacrificium, 1. In gratiam pauperum: 2. In annonam Sacerdotum: atque æquum erat, ut ex rebus quoque inanimatis oblatio Deo fieret. Hujus oblationis triticeæ tres erant species: Prima ex farina pura, sed cruda: Secunda ex farina cocta: Tertia ex spicis, aut granulis primitiarum: simila erat pura sine furfure, oleum in condimentum adhibebatur, thus vero uni Deo adoleri solebat. Sacrificium Christi occisi in Cruce per sacrificia animalium, ejusdem in Eucharistia immolati per sacrificium farinaceum expressum fuit.

2. (*b*) In cultum & communem rationem, seu ad celebrationem nominis divini: pars enim reliqua non in cultum, sed in usum Sacerdotum cedebat. Memoriale est tam hominis erga Deum, quam Dei erga offerentem.

3. (*c*) Sacro-Sanctum, non ab aliis, quam a Sacerdotibus comedendum.

4. (*d*) Altera est species *Minchæ*, cumque vel simile cocta erat in clibano, vel in sartagine, vel in craticula. *Panes scilicet absque fermento*, quod corruptionem significat. *Conspersos oleo*, subactos oleo; *& lagana azyma*, liba tenella & extensa; Gall. vulgo un *gateau*.

11. (*e*) Ad sobrietatem antiquam eos revocat Dominus: nam vetera sacrificia erant velut quædam convivia, a quibus deliciæ arcebantur. Plutarchus in Sympoliacis loquens de Hebræis, Mel, inquit, non adhibent sacris.

13. (*f*) Sal e corruptione vendicat, & est prudentiæ symbolum; *Omnis sermo vester in gratia in sale conditus*, Coloss. 4. Firmitatem quoque & incorruptionem significat: *Pactum salis est sempiternum coram Domino tibi ac filiis tuis*, Num. 18. Hinc Plinius, Lib. 31. cap. 7. *Nulla sacra conficiuntur sine mola salsa*.

14. (*g*) Primitiæ ter in anno reddebantur; 1. In Paschate de spicis virentibus; 2. In Pentecoste de novis panibus; 3. In festo tabernaculorum de collectis frugibus. *Si autem obtuleris munus primarum frugum*; Quando obtuleris: nam hæc oblatio erat lege præscripta: *Confringes in morem farris*. Desunt hæc verba in Hebræo; addita videntur ab Hieronymo majoris explicationis gratia. Sic vers. 16. *Partem farris fracti*: addita hæc verba putat Mariana.

CAPUT III.

Hostia pacifica, adipe & sanguine Deo reservatis.

1. Quod si hostia pacificorum (*a*) fuerit ejus oblatio, & de bobus voluerit offerre, marem sive feminam, immaculata offeret coram Domino.

2. Ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonii, fundentque filii Aaron sacerdotes, sanguinem per altaris circuitum.

3. Et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino, * adipem qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis est intrinsecus.

* Exod. 29. 13.

4. Duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum jecoris cum renunculis.

5. Adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito: in oblationem suavissimi odoris Domino.

6. Si vero de ovibus fuerit ejus oblatio & pacificorum hostia, sive masculum obtulerit, sive feminam, immaculata erunt.

7. Si agnum obtulerit coram Domino,

8. Ponet manum suam super caput victimæ suæ: quæ immolabitur in vestibulo tabernaculi testimonii: fundentque filii Aaron sanguinem ejus per circuitum altaris.

9. Et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino: adipem & caudam (*b*) totam

10. Cum renibus, & pinguedinem quæ operit ventrem atque universa vitalia, & utrumque renunculum cum adipe qui est juxta ilia, reticulumque jecoris cum renunculis.

11. Et adolebit ea sacerdos super altare in pabulum ignis & oblationis Domini.

12. Si capra fuerit ejus oblatio, & obtulerit eam Domino,

13. Ponet manum suam super caput ejus: immolabitque eam in introitu tabernaculi testimonii. Et fundent filii Aaron sanguinem ejus per altaris circuitum.

14. Tollentque ex ea in pastum ignis dominici, adipem qui operit ventrem, & qui tegit universa vitalia:

15. Duos renunculos cum reticulo, quod est super eos juxta ilia, & arvinam jecoris cum renunculis:

16. Adolebitque (*c*) ea super altare sacerdos in alimoniam ignis, & suavissimi odoris. Omnis adeps (*d*), Domini erit

17. Jure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris: nec sanguinem nec adipem omnino comedetis.

CAPUT IV.

Hostia pro peccato Pontificis, Principis, & multitudinis plebis.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere filiis Israel: Anima, quæ peccaverit per ignorantiam (*a*), & de universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quippiam fecerit:

3. Si sacerdos, (*b*) qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino:

4. Et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino, ponetque manum super caput ejus, & immolabit eum Domino.

5. Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonii.

6. Cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram (*c*) Domino contra velum Sanctuarii.

7. Ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonii: omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocausti in introitu tabernaculi.

8. Et adipem vituli auferet pro peccato, tam eum qui vitalia operit quam omnia quæ intrinsecus sunt:

9. Duos renunculos & reticulum quod est super eos juxta ilia, & adipem jecoris cum renunculis,

10. Sicut aufertur de vitulo hostiæ pacificorum: & adolebit ea super altare holocausti.

11. Pellem vero & omnes carnes cum capite & pedibus & intestinis & fimo,

12. Et reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum (*d*), ubi cineres effundi solent: incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur.

13. Quod si omnis turba Israel ignoraverit, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est,

14. Et postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, adducetque eum ad ostium tabernaculi.

15. Et ponent seniores populi manus super caput ejus coram Domino. Immolatoque vitulo in conspectu Domini,

16. Inferet sacerdos, qui unctus est, de sanguine ejus in tabernaculum testimonii,

17. Tincto digito aspergens septies contra velum.

18. Po-

CAP. III. 1. (*a*) Hanc vocant *Hostiam salutarem*. Hebræi pacis nomine bona omnia complectuntur. *coram Domino*, coram altari. In Pacificis liberum erat masculos aut feminas immolare: in his quoque tantum boves, oves, & capræ, non columbæ, aut turtures mactabantur: nam difficile admodum fuisset aviculas in tres partes dividere. Per bovem, ovem & capram, tria hominum genera indicantur; primum eorum, qui de laboribus suis serviunt Deo; secundum eorum, qui laborare, aut eleemosynis largiendis Deo servire non possunt, sed per morum innocentiam ei placent; tertium denique eorum, qui per pœnitentiam se expurgant. Hostiæ pacificorum erant triplicis generis, confessio, seu laudatio ob acceptum beneficium, voti solutio, aut meræ liberalitatis, ex cap. 7. vers. 12.

9. (*b*) Cedebant sacerdoti de capite maxilla, de artubus armus dexter, de corpore stomachus. Quibus juxta quosdam interpretes significantur sacrandos Deo sermones nostros, actus, appetitus, seu affectus animi.

16. (*c*) Quod significat, in Dei honorem cupiditates, quarum sunt instrumenta adeps, jecur, renes, interimi oportere.

17. (*d*) Usus adipis prohibetur ex iis tantum animalibus, quæ immolabantur; non ejus adipis, qui carni admistus erat, sed ejus qui intestinis, & in omento acervatur.

CAP. IV. 2. (*a*) Crassam & culpabilem, sive juris, sive facti. *Præcepit*, contra præcepta vetantia. Nam si quid omissum fuerat per errorem, aut oblivionem, id poterat adhuc impleri.

3. (*b*) Princeps Sacerdotum, tametsi alii quoque ungebantur. *Delinquere faciens populum*: doctrina, vel exemplo.

6. (*c*) Contra velum Sanctuarii, quod Sanctuarium a Sancto separat, septies aspergit, quod multiplicis noxæ reus fit.

12. (*d*) Quia reliquiæ erant sacrificii.

18. Ponetque de eodem sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino in tabernaculo testimonii: reliquum autem sanguinem fundet juxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonii.

19. Omnemque ejus adipem tollet, & adolebit super altare:

20. Sic faciens & de hoc vitulo quomodo fecit & prius: & rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus.

21. Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet sicut & priorem vitulum: quia est pro peccato multitudinis.

22. Si peccaverit Princeps (e), & fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur:

23. Et postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum.

24. Ponetque manum suam super caput ejus: cumque immolaverit eum in loco ubi solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est,

25. Tinget sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, & reliquum fundens ad basim ejus.

26. Adipem vero adolebit supra, sicut in victimis pacificorum fieri solet: rogabitque pro eo sacerdos, & pro peccato ejus, & dimittetur ei.

27. Quod si peccaverit anima per ignorantiam, de populo terræ, ut faciat quidquam de his, quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat,

28. Et cognoverit peccatum suum, offeret capram immaculatam.

29. Ponetque manum super caput hostiæ quæ pro peccato est, & immolabit eam in loco holocausti.

30. Tolletque sacerdos de sanguine in digito suo: & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus.

31. Omnem autem adipem auferens, sicut auferri solet de victimis pacificorum, adolebit super altare in odorem suavitatis Domino: rogabitque pro eo, & dimittetur ei.

32. Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ovem scilicet immaculatam;

33. Ponet manum super caput ejus, & immolabit eam in loco ubi solent cædi holocaustorum hostiæ.

34. Sumetque sacerdos de sanguine ejus digito suo, & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus.

35. Omnem quoque adipem auferens, sicut auferri solet adeps arietis, qui immolatur pro pacificis, cremabit super altare in incensum (f) Domini: rogabitque pro eo, & pro peccato ejus, & dimittetur ei.

CAPUT V.

Lex de expiatione peccati admissi ex ignorantia, errore & oblivione, quæ ad omnes pertinet, etiam ad Pontifices.

1. SI peccaverit anima, & audierit vocem jurantis (a), testisque fuerit quod aut ipse vidit, aut conscius est: nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam.

2. Anima, quæ tetigerit aliquid immundum, sive quod occisum a bestia est, aut per se mortuum, aut quodlibet aliud reptile: & oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, & deliquit:

3. Et si tetigerit quidquam de immunditia hominis, juxta omnem impuritatem, qua pollui solet, oblitaque cognoverit postea, subjacebit delicto.

4. Anima, quæ juraverit, & protulerit labiis suis ut vel male quid faceret (b), vel bene, & idipsum juramento & sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum,

5. Agat pœnitentiam (c) pro peccato,

6. Et offerat de gregibus agnam sive capram: orabitque pro ea sacerdos & pro peccato ejus:

7. Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat * duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, unum pro peccato, & alterum in holocaustum, * Infr. 12. 8. Luc. 2. 24.

8. Dabitque eos sacerdoti: qui primum offerens pro peccato, retorquebit caput ejus ad pennulas, ita ut collo hæreat, & non penitus abrumpatur.

9. Et asperget de sanguine ejus parietem altaris: quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum ejus, quia pro peccato est.

10. Alterum vero adolebit in holocaustum, ut fieri solet: rogabitque pro eo sacerdos & pro peccato ejus, & dimittetur ei.

11. Quod si non quiverit manus ejus duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato suo similæ partem ephi decimam: non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet (d), quia pro peccato est.

12. Tra-

22. (e) Aut Dux & caput Tribus, vel Exercitus. Pro peccato Pontificis, aut Populi vitulus: pro peccato Principis hircus; pro plebejo ovis, aut capra. Cum Christus expiaturus esset peccata generis humani, in hujus rei figuram Pontifex inferebat sanguinem hostiæ oblatæ pro peccato totius populi in Tabernaculum.

35. (f) Ut incendatur super altare.

CAP. V. 1. (a) Quædam exemplaria MSS. habent *adjurantis*. Sensus est, si quis audierit vocem judicis ipsum adjurantis, ut quod res est, dicat, nec tamen indicaverit, *portabit iniquitatem suam*. Alii vocem Hebræam sumunt pro blasphemia, quam audiens indicare debet. Sunt qui vocem jurantis, sub juramento aliquid promittentis, aut confirmantis interpretantur: nam citatus in judicio aperire id debet. Augustinus sic eum locum interpretatur, peccare hominem, quo audiente jurat aliquis falsum, & scit eum falsum jurare, & tacet: *Et audierit*. Si quis admonitus verum reticuerit: conjunctio, *&*, vim habet exempli sub genere positi, latine, puta.

4. (b) Malum pœnæ intelligitur, quod sibi, vel aliis sibi subditis, ut liberis quis infligit. LXX. *Posthac autem cognoverit*: quia nisi pro cognito satisfieri non potest; *Ut male quid faceret*, intelligunt quidam de nocumento lege permisso, ut de vindicta in homicidam.

5. (c) Quidam de vera pœnitentia & contritione id intelligunt; alii negant Legem Mosaicam exegisse veram cordis munditiam, sed legalem dumtaxat, & peccati confessionem: quod videtur innuere textus Hebraicus: *Et absconditum fuerit ab eo, & ipse scivit, & deliquit ex uno ex istis*; *Et erit cum deliquerit ex uno ex istis, & confessus fuerit quod peccavit super eo*. LXX. *Deteget peccatum*. Augustinus suspicatur inverso ordine prius dictum esse, *cognoverit*, deinde *deliquerit*.

11. (d) Quia oleum lætitiam indicat, thus suavem odorem, utroque caret peccatum.

12. Tradetque eam sacerdoti: qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit super altare in monimentum (e) ejus qui obtulerit,

13. Rogans pro illo & expians, reliquam vero partem ipse habebit in munere.

14. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

15. Anima si prævaricans cæremonias, per errorem in his, quæ Domino sunt sanctificata, peccaverit (f), offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, juxta pondus Sanctuarii:

16. Ipsumque quod intulit damni restituet, & quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, & dimittetur ei.

17. Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam,

18. Offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram, æstimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit: & dimittetur ei,

19. Quia per errorem deliquit in Dominum (g).

CAPUT VI.

De hostia pro peccato ex injuria & calumnia admisso: ritus in sacrificiis observandi.

1. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Anima quæ peccaverit, & contempto (a) Domino, negaverit proximo suo depositum quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit,

3. Sive rem perditam invenerit, & inficians insuper pejeraverit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines.

4. Convicta (b) delicti, reddet

5. Omnia quæ per fraudem voluit obtinere, integra, & * quintam insuper partem domino, cui damnum intulerat.

* Num. 5. 7.

6. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum sacerdoti, juxta æstimationem (c), mensuramque delicti:

7. Qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro singulis quæ faciendo peccavit.

8. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

9. Præcipe Aaron & filiis ejus: Hæc est lex holocausti: Cremabitur in altari tota nocte usque mane; ignis in eodem altari erit.

10. Vestietur tunica sacerdos & feminalibus lineis: tolletque cineres, quos vorans ignis exussit, & ponens juxta altare,

11. Spoliabitur (d) prioribus vestimentis, indutusque aliis, efferet eos extra castra, & in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet.

12. Ignis autem in altari semper ardebit (e), quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum.

13. Ignis est iste perpetuus (f), qui nunquam deficiet in altari.

14. Hæc est lex sacrificii (g) & libamentorum, quæ offerent filii Aaron coram Domino, & coram altari.

15. Tollet sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, & totum thus, quod super similam positum est: adolebitque illud in altari, in monimentum odoris suavissimi Domino:

16. Reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis, absque fermento: & comedet in loco sancto atrii tabernaculi.

17. Ideo autem non fermentabitur (h), quia pars ejus in Domini offertur incensum. Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto.

18. Mares tantum stirpis Aaron comedent illud. Legitimum ac sempiternum erit in generationibus vestris de sacrificiis Domini, omnis, qui tetigerit illa, sanctificabitur.

19. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

20. Hæc est oblatio Aaron, & filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis suæ. Decimam partem ephi offerent similæ in sacrificio sempiterno, medium ejus mane, & medium ejus vespere:

21. Quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret autem eam calidam in odorem suavissimum Domino

22. Sacerdos, qui jure patri successerit, & tota cremabitur in altari.

23. Omne enim sacrificium sacerdorum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo.

24. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens:

25. Loquere Aaron & filiis ejus: Ista est lex hostiæ pro peccato: In loco ubi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino. Sanctum sanctorum est.

26. Sa-

12. (e) Ut qui obtulit, hujus memor in posterum sibi caveat.

15. (f) Transgressus fuerit: vetitum de lege jubente.

19. (g) Sept. Interpret. Ante Dominum.

CAP. VI. 2. (a) Contemptus ille, ut notat Estius, non formalis, & rebellio, ut Num. 15. sed interpretativus intelligitur: quomodo aliquis eum censetur contemnere, cujus præceptis non paret, cum parere debet; *Aut calumniam fecerit*. Vox Hebræa concussionem significat, cum quis solvere cogitur, quod non debet.

4. (b) Hæc verba desunt in Hebræo, eaque ab Hieronymo addita censet Martana, idque explicationis gratia.

6. (c) Hebr. *In die*: cum primum te peccasse cognoveris.

11. (d) Quod ejectio cinerum extra castra non sit sacra functio.

12. (e) Vespertinum agni sacrificium lento igne consumebatur de nocte, non item matutinum, quod aliæ victimæ eo die Altari imponerentur.

13. (f) Ignis ille non extinguebatur, quod cælitus missus esset. Hic quidem significat amorem Dei, quo velut igne facto cor hominis tanquam altare semper ardere debet: amor reliquarum rerum, ut ignis alienus habendus est, cum quo nihil Deo offerendum. Ignis iste quotidie subjectis lignis, Scripturæ testimoniis, Sanctorum exemplis, & divinorum beneficiorum attenta consideratione nutriendus, ne extinguatur.

14. (g) Farrei, ut vox Hebraica declarat. Quædam addit observanda in muneris oblatione, præter ea quæ cap. 2. dicta sunt.

17. (h) Sicut quod mihi adoletur, est sine fermento: ita quod Sacerdotibus cedit.

16. Sacerdos qui offert, comedet eam in loco ſancto, in atrio tabernaculi.

17. Quidquid tetigerit carnes ejus, ſanctificabitur. Si de ſanguine illius veſtis fuerit aſperſa, lavabitur in loco ſancto.

18. Vas autem fictile, in quo cocta eſt, confringetur: quod ſi vas æneum fuerit, defricabitur, & lavabitur aqua.

19. Omnis maſculus de genere ſacerdotali veſcetur de carnibus ejus, quia Sanctum ſanctorum eſt.

30. Hoſtia enim quæ cæditur pro peccato, * cujus ſanguis infertur in tabernaculum teſtimonii ad expiandum in Sanctuario, non comedetur, ſed comburetur igni.

* Sup. 4. 5. Hebr. 13. 11.

CAPUT VII.

Ritus hoſtiæ pro delicto, & hoſtiæ pacificæ: uſus adipis & ſanguinis iterum prohibetur.

1. HÆc quoque lex hoſtiæ pro delicto (a), Sancta ſanctorum eſt:

2. Idcirco ubi immolabitur holocauſtum, mactabitur & victima pro delicto: ſanguis ejus per gyrum altaris fundetur.

3. Offerent ex ea caudam & adipem qui operit vitalia:

4. Duos renunculos, & pinguedinem quæ juxta ilia eſt, reticulumque jecoris cum renunculis:

5. Et adolebit ea ſacerdos ſuper altare: incenſum eſt Domini pro delicto.

6. Omnis maſculus de ſacerdotali genere, in loco ſancto veſcetur (b) his carnibus, quia Sanctum ſanctorum eſt.

7. Sicut pro peccato offertur hoſtia, ita & pro delicto (c): utriuſque hoſtiæ lex una erit: ad ſacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit.

8. Sacerdos qui offert holocauſti victimam, habebit pellem ejus.

9. Et omne ſacrificium ſimilæ, quod coquitur in clibano: & quidquid in craticula, vel in ſartagine præparatur, ejus erit ſacerdotis a quo offertur:

10. Sive oleo conſperſa (d), ſive arida fuerint, cunctis filiis Aaron menſura æqua per ſingulos dividetur.

11. Hæc eſt lex hoſtiæ pacificorum quæ offertur Domino.

12. Si pro gratiarum actione oblatio (e) fuerit, offerent panes abſque fermento conſperſos oleo, & lagana azyma uncta oleo, coctamque ſimilam, & collyridas olei admixtione conſperſas:

13. Panes quoque fermentatos (f), cum hoſtia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis:

14. Ex quibus unus (g), pro primitiis offeretur Domino, & erit ſacerdotis qui fundet hoſtiæ ſanguinem.

15. Cujus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam uſque mane.

16. Si voto, vel ſponte quiſpiam obtulerit hoſtiam, eadem ſimiliter edetur die: ſed & ſi quid in craſtinum remanſerit, veſci licitum eſt:

17. Quidquid autem tertius invenerit dies, ignis abſumet (h).

18. Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti: quin potius quæcumque anima tali ſe edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit.

19. Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, ſed comburetur igni: qui fuerit mundus, veſcetur ex ea.

20. Anima polluta quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino, peribit (i) de populis ſuis.

21. Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel jumenti, ſive omnis rei, quæ polluere poteſt, & comederit de hujuſcemodi carnibus, interibit de populis ſuis.

22. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

23. Loquere filiis Iſrael: Adipem ovis, & bovis, & capræ non comedetis.

24. Adipem cadaveris morticini, & ejus animalis quod a beſtia captum eſt, habebitis in varios uſus.

25. Si quis adipem, qui offerri debet in incenſum Domini, comederit, peribit de populo ſuo.

26. Sanguinem quoque omnis animalis non ſumetis in cibo, tam de avibus quam de pecoribus.

27. Omnis anima, quæ ederit ſanguinem, peribit de populis ſuis.

28. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

29. Loquere filiis Iſrael, dicens: Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat ſimul & ſacrificium (k), id eſt, libamenta ejus.

30. Tenebit manibus adipem hoſtiæ, & pectuſculum: cumque ambo oblata Domino conſecraverit, tradet ſacerdoti,

31. Qui

CAP. VII. 1. (a) Non idem hoc loco eſt peccatum & delictum: exque verſ. 7. aperte diſtinguuntur. Origenes ſic utrumque diſtinguit, ut delictum ſit, cum non facimus quod debemus; peccatum vero cum facimus quod non debemus; illud omiſſionis, hoc commiſſionis: delictum etiam dici poteſt, quod ignoranter, vel imprudenter facimus, ut Pſalm. 18. *Delicta quis intelligit?*

6. (b) Veſci poterit. Hoſtia pro peccato proprie erat Sacerdotis offerentis, poterat tamen partem hoſtiæ dare aliis Sacerdotibus, & eorum filiis maſculis.

7 (c) Auguſt. quæſt. 20. *Fortaſſis ergo peccatum eſt perpetratio mali, delictum autem deſertio boni.*

10. (d) Hebr. *Et omne munus oleo mixtum, & ſiccum omnibus filiis Aaron erit.* Cocta cedunt offerenti, non cocta dividebantur inter Sacerdotes: adeo ut verſum præcedentem de ſimila cocta, hic de non cocta interpretentur. Vel de vicibus, quæ Sacerdotibus obtingunt, hoc loco agitur: adeo ut Sacerdotes ſibi vindicent quæ ſuis vicibus offeruntur.

12. (e) De novo genere ſacrificii, quod confeſſionis vocatur, hoc loco differit. Hieronymus pro confeſſione laudis id accipit; Hebræi pro confeſſione omnium peccatorum. *Similam & collyridas*; Et hoc loco, *id eſt* ſignificat: nam ſimila oleo conſperſa & frixa eſt collyrida, quam Interpres alibi cruſtulam vocat.

13 (f) Qui offerri non poterunt, niſi ut donaria facta Sacerdotibus, qui iis veſcantur.

14. (g) Panis fermentatus Sacerdoti datus in gratiarum actionem.

17 (h) Ne carnium corruptione vileſceret ſacrificiorum Religio. Theodoretus addit id juſſum, ut neceſſitate legis hujus compulſi, adhiberent pauperes convivii ſui ſocios, ne quid ſupereſſet.

20. (i) In hac vita, vel in altera. Eſt nobis hoſtia pacifica, quam ſi quis polluto animo accipiat, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.

29 & 30 (k) Id eſt, *libamenta ejus.* Hebr. *Offerens hoſtiam pacificam, offerat oblationem ſuam*: ubi de libamentis nihil. Hieronymus bene addit; nam oblationem, ſeu donum, ut rem diverſam ponit. *Tenebit*: Laicus qui offert.

31. Qui adolebit adipem ſuper altare, pectuſculum autem erit Aaron, & filiorum ejus.

32. Armus quoque dexter de pacificorum hoſtiis cedet in primitias ſacerdotis.

33. Qui obtulerit ſanguinem & adipem, filiorum Aaron, ipſe habebit & armum dextrum in portione ſua.

34. Pectuſculum enim elevationis, & armum ſeparationis, tuli a filiis Iſrael de hoſtiis eorum pacificis, & dedi Aaron ſacerdoti, & filiis ejus, lege perpetua, ab omni populo Iſrael.

35. Hæc eſt unctio (*l*) Aaron & filiorum ejus in cæremoniis Domini, die qua obtulit eos Moyſes, ut ſacerdotio fungerentur,

36. Et quæ præcepit eis dari Dominus a filiis Iſrael religione perpetua in generationibus ſuis.

37. Iſta eſt lex holocauſti & ſacrificii pro peccato atque delicto, & pro conſecratione & pacificorum victimis:

38. Quam conſtituit Dominus Moyſi in monte Sinai, quando mandavit filiis Iſrael, ut offerrent oblationes ſuas Domino in deſerto Sinai.

CAPUT VIII.

Aaron in Pontificem, & filii ejus in Sacerdotes conſecrantur a Moyſe; qui etiam tabernaculum, & omnem illius ſupellectilem conſecrat.

1. LOcutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2. Tolle Aaron cum filiis ſuis, veſtes eorum, & unctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, caniſtrum cum azymis,

3. Et congregabis (*a*) omnem cœtum ad oſtium tabernaculi.

4. Fecit Moyſes ut Dominus imperaverat. Congregataque omni turba ante fores tabernaculi,

5. Ait: Iſte eſt ſermo, quem juſſit Dominus fieri.

6. Statimque obtulit Aaron & filios ejus. Cumque laviſſet eos,

7. Veſtivit Pontificem ſubucula (*b*) linea, accingens eum balteo, & induens eum tunica hyacinthina, & deſuper humerale impoſuit,

8. Quod aſtringens cingulo aptavit Rationali, in quo erat Doctrina & Veritas.

9. Cidari quoque texit caput: & ſuper eam, contra frontem, poſuit laminam auream conſecratam in ſanctificatione, ſicut præceperat ei Dominus.

10. Tulit & unctionis oleum, quo linivit tabernaculum cum omni ſupellectili ſua.

11. Cumque ſanctificans aſperſiſſet altare ſeptem vicibus, unxit illud, & omnia vaſa ejus, labrumque cum baſi ſua ſanctificavit oleo.

* Eccli. 45. 18. 12. * Quod fundens ſuper caput Aaron, unxit eum, & conſecravit.

13. Filios quoque ejus oblatos veſtivit tunicis lineis, & cinxit balteis, impoſuitque mitras, ut juſſerat Dominus.

14. Obtulit & vitulum pro peccato: cumque ſuper caput ejus poſuiſſet Aaron, & filii ejus manus ſuas,

15. Immolavit eum: hauriens ſanguinem, & tincto digito, tetigit cornua altaris (*c*) per gyrum: quo expiato & ſanctificato, fudit reliquum ſanguinem ad fundamenta ejus.

16. Adipem vero qui erat ſuper vitalia, & reticulum jecoris, duoſque renunculos, cum arvinulis ſuis adolevit ſuper altare:

17. Vitulum cum pelle, & carnibus, & fimo, cremans extra caſtra, ſicut præceperat Dominus.

18. Obtulit & arietem in holocauſtum: ſuper cujus caput cum impoſuiſſent Aaron & filii ejus manus ſuas,

19. Immolavit eum, & fudit ſanguinem ejus per circuitum altaris.

20. Ipſumque arietem in fruſta concidens, caput ejus, & artus, & adipem adolevit igni,

21. Lotis prius inteſtinis & pedibus: totumque ſimul arietem incendit ſuper altare, eo quod eſſet holocauſtum ſuaviſſimi odoris Domino, ſicut præceperat ei.

22. Obtulit & arietem ſecundum, in conſecratione ſacerdotum: poſueruntque ſuper caput ejus Aaron & filii ejus manus ſuas:

23. Quem cum immolaſſet Moyſes, ſumens de ſanguine ejus, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem manus ejus dextræ, ſimiliter & pedis.

24. Obtulit & filios Aaron: cumque de ſanguine arietis immolati tetigiſſet extremum auriculæ ſingulorum dextræ, & pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit ſuper altare per circuitum:

25. Adipem vero, & caudam, omnemque pinguedinem quæ operit inteſtina, reticulumque jecoris, & duos renes cum adipibus ſuis, & armo dextro ſeparavit.

26. Tollens autem de caniſtro azymorum, quod erat coram Domino, panem abſque fermento, & collyridam conſperſam oleo, laganumque poſuit ſuper adipes, & armum dextrum,

27. Tradens ſimul omnia Aaron & filiis ejus. Qui poſtquam levaverunt ea coram Domino,

28. Rurſum ſuſcepta de manibus eorum, adolevit ſuper altare holocauſti, eo quod conſecrationis eſſet oblatio, in odorem ſuavitatis, ſacrificii Domino.

29. Tulitque pectuſculum, elevans illud coram Domino, de ariete conſecrationis in partem ſuam, ſicut præceperat ei Dominus.

30. Aſſumenſque unguentum, & ſanguinem qui erat in altari, aſperſit ſuper Aaron & veſtimenta ejus, & ſuper filios illius ac veſtes eorum.

31. Cumque ſanctificaſſet (*d*) eos in veſtitu ſuo, præcepit eis, dicens: Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas: panes quoque conſecrationis edite, qui poſiti ſunt in caniſtro, ſicut præcepit mihi Dominus, dicens: * Aaron & filii ejus comedent eos: * Exod. 29. 32. Infr. 24. 9.

32. Quid-

35. (*l*) Hic fructus unctionis Aaron, ut hoſtiarum pars illi cedat.

CAP. VIII. 3. (*a*) Coram omni cœtu conſecratur Aaron, ut omnes ſint teſtes conſecrationis ejus.

7. (*b*) Id eſt, linea tunica.

15. (*c*) Hebr. addit: *Ad ſanctificandum illud, & propitiandum ſuper eo.* Sanguine arietis tetigit extrema pedum, manuum, & auriculæ dextræ, ut in omni actione & cogitatione ſua veri illius & immaculati Agni memoria in mentem revocetur.

31. (*d*) Hebr. *Et ſanctificavit Aaron, & veſtes ejus, & filios ejus, & veſtimenta eorum cum illo.*

32. Quidquid autem reliquum fuerit de carne & panibus, ignis absumet.

33. De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus, usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestræ: septem enim diebus finitur consecratio:

34. Sicut & impræsentiarum factum (e) est, ut ritus sacrificii compleretur.

35. Die ac nocte manebitis in tabernaculo observantes custodias Domini, ne moriamini: sic enim mihi præceptum est.

36. Feceruntque Aaron & filii ejus cuncta quæ locutus est Dominus per manum Moysi.

CAPUT IX.

Aaron unctus ducitur in tabernaculum: pro seipso & populo offert sacrificia; populo benedicit; ignis e cælo delapsus victimas absumit.

1. FActo autem octavo (a) die, vocavit Moyses Aaron & filios ejus, ac majores natu Israel, dixitque ad Aaron:

* Exod. 19. 1. 2. * Tolle de armento vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum, utrumque immaculatum, & offer illos coram Domino.

3. Et ad filios Israel loqueris: Tollite hircum pro peccato (b), & vitulum atque agnum anniculos, & sine macula, in holocaustum,

4. Bovem & arietem pro pacificis: & immolate eos coram Domino, in sacrificio singulorum similam conspersam oleo offerentes: hodie enim Dominus apparebit vobis.

5. Tulerunt ergo cuncta quæ jusserat Moyses ad ostium tabernaculi: ubi cum omnis multitudo astaret,

6. Ait Moyses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: facite, & apparebit vobis gloria ejus.

7. Et dixit ad Aaron: Accede ad altare, & immola pro peccato tuo: offer holocaustum, & deprecare pro te & pro populo: cumque mactaveris hostiam populi, ora pro eo, sicut præcepit Dominus.

8. Statimque Aaron accedens ad altare, immolavit vitulum pro peccato suo:

9. Cujus sanguinem obtulerunt ei filii sui: in quo tingens digitum, tetigit cornua altaris, & fudit residuum ad basim ejus.

10. Adipemque & renunculos, ac reticulum jecoris, quæ sunt pro peccato, adolevit super altare, sicut præceperat Dominus Moysi:

11. Carnes vero & pellem ejus extra castra combussit igni.

12. Immolavit & holocausti victimam: obtuleruntque ei filii sui sanguinem ejus, quem fudit per altaris circuitum.

13. Ipsam etiam hostiam in frusta concisam, cum capite & membris singulis, obtulerunt: quæ omnia super altare cremavit igni,

14. Lotis aqua prius intestinis & pedibus.

15. Et pro peccato populi offerens, mactavit hircum: expiatoque altari,

16. Fecit holocaustum,

17. Addens in sacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur, & adolens ea super altare, absque (c) cæremoniis holocausti matutini.

18. Immolavit & bovem atque arietem, hostias pacificas populi: obtuleruntque ei filii sui sanguinem, quem fudit super altare in circuitum.

19. Adipem autem bovis, & caudam arietis, renunculosque cum adipibus suis, & reticulum jecoris

20. Posuerunt super pectora (d): cumque cremati essent adipes super altare,

21. Pectora eorum, & armos dextros separavit Aaron, elevans coram Domino, sicut præceperat Moyses.

22. Et extendens manus ad populum, benedixit ei. Sicque completis hostiis pro peccato, & holocaustis, & pacificis, descendit.

23. Ingressi autem Moyses & Aaron in tabernaculum testimonii, & deinceps egressi, benedixerunt populo. * Apparuitque gloria Domini omni multitudini: * 2. Mach. 2. 10.

24. Et ecce egressus ignis a Domino, devoravit holocaustum, & adipes qui erant super altare. Quod cum vidissent turbæ, laudaverunt Dominum, ruentes in facies suas.

CAPUT X.

Nadab & Abiu igne cælesti pereunt, quod thure igne alieno incensum obtulissent: vini & sicera usu sacerdotibus interdicto tabernaculum ingressuris, jubet Deus ut sacrificii oblati reliquias comedant.

1. ARreptisque Nadab & Abiu filii Aaron thuribulis, * posuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum (a): quod eis præceptum non erat. * Num. 3. 4. & 26. 61. 1. Par. 24. 2.

2. Egressusque ignis a Domino, devoravit (b) eos, & mortui sunt coram Domino.

3. Dixitque Moyses ad Aaron: Hoc est quod locutus est Dominus: Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor. Quod audiens tacuit Aaron.

4. Vocatis autem Moyses Misaele, & Elisaphan filiis Oziel, patrui Aaron, ait ad eos: Ite & tollite fratres vestros de conspectu Sanctuarii, & asportate extra castra.

5. Confestimque pergentes, tulerunt eos sicut jacebant, vestitos lineis tunicis, & ejecerunt foras, ut sibi fuerat imperatum.

6. Locutusque est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar filios ejus: Capita vestra nolite nudare (c), & vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini, & super omnem cœtum oriatur indignatio. Fratres vestri, & omnis domus Israel, plangant incendium quod Dominus suscitavit:

7. Vos

34. (e) Sic fiet in posterum in tali consecratione.

CAP. IX. 1. (a) A consecratione Aaron & Tabernaculi.

3. (b) Augustinus quæst. 26. *Accipite hircum ex capris unum pro peccato, & arietem & vitulum*, subauditur pro peccato, *& reliquus*, id est, *agnus in holocaustum: immolate eos*, adducite ad me, ut immolem pro vobis, Dominus apparebit emittens ignem de cælo. *Vitulum*, an forte ob memoriam cultus vituli aurei.

17. (c) hoc est, Præter illud, hoc obtulit, non omisso jugi sacrificio.

20. (d) Quæ sunt immolata, & separata.

1. (a) Qui non erat sumptus ex Altari Holocaustorum: *Quod eis præceptum non erat*, quod eis erat prohibitum. CAP. X.

2. (b) Extinxit: nam integri cum vestibus remanserunt, velut ictu fulminis occisi.

6. (c) Non abjiciatis integumenta capitis vestri.

7. Vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis: oleum quippe sanctæ unctionis est super vos. Qui fecerunt omnia juxta præceptum Moysi.

8. Dixit quoque Dominus ad Aaron:

9. Vinum, (*d*) & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras.

10. Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum:

11. Doceatisque filios Israel omnia legitima mea quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi.

12. Locutusque est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar filios ejus, qui erant residui: Tollite sacrificium, quod remansit de oblatione Domini, & comedite illud absque fermento juxta altare, quia Sanctum sanctorum est.

13. Comedetis autem in loco sancto: quod datum est tibi & filiis tuis de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi.

14. Pectusculum quoque quod oblatum est, & armum qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu & filii tui, & filiæ tuæ tecum: sibi enim ac liberis tuis reposita sunt de hostiis salutaribus filiorum Israel:

15. Eo quod armum & pectus, & adipes qui cremantur in altari, elevaverunt coram Domino, & pertineant (*e*) ad te, & ad filios tuos lege perpetua, sicut præcepit Dominus.

* 2 Mac. 2. 11. 16. * Inter hæc, hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses, exustum (*f*) reperit: iratusque contra Eleazar & Ithamar filios Aaron, qui remanserant, ait:

17. Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ Sancta Sanctorum est, & data vobis ut portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Domini,

18. Præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra sancta, & comedere debueritis eam in Sanctuario, sicut præceptum est mihi?

19. Respondit Aaron: Oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustum coram Domino: mihi autem accidit quod vides: quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in cæremoniis mente lugubri?

20. Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem.

CAPUT XI.

De animalibus mundis & immundis, quibus vesci licitum erat, aut prohibitum, lex constituitur. Quæ sint munda, aut immunda, decernitur.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:

2. Dicite filiis Israel: * Hæc sunt animalia (*a*) quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ: * Deut 14. 3.

3. Omne quod habet divisam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis.

4. Quidquid autem ruminat quidem, & habet ungulam, sed non dividit eam, sicut camelus & cetera, non comedetis illud, & inter immunda reputabitis.

5. Chœrogryllus (*b*) qui ruminat, ungulamque non dividit, immundus est.

6. Lepus quoque: nam & ipse ruminat, sed ungulam non dividit.

7. * Et sus (*c*): qui cum ungulam dividat, non ruminat. * 1 Mac 6. 18.

8. Horum carnibus non vescemini, nec cadavera contingetis, quia immunda sunt vobis.

9. Hæc sunt quæ gignuntur in aquis, & vesci licitum est. Omne quod habet pinnulas & squamas, tam in mari quam in fluminibus & stagnis, comedetis (*d*).

10. Quidquid autem pinnulas & squamas non habet eorum quæ in aquis moventur & vivunt, abominabile vobis,

11. Execrandumque erit: carnes eorum non comedetis, & morticina vitabitis.

12. Cuncta quæ non habent pinnulas & squamas in aquis, polluta erunt.

13. Hæc sunt quæ de avibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis: Aquilam, & gryphem (*e*), & haliæetum,

14. Et milvum ac vulturem juxta genus suum,

15. Et omne corvini generis in similitudinem suam,

16. Struthionem, & noctuam, & larum (*f*), & accipitrem juxta genus suum:

17. Bubonem, & mergulum, & ibin,

18. Et cygnum, & onocrotalum, & porphyrionem,

19. Herodionem & charadrion juxta genus suum, upupam quoque, & vespertilionem.

20. Omne de volucribus quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis.

21. Quidquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retro crura, per quæ salit super terram,

22. Co-

9. (*d*) Probabile est Nadab & Abiu temulentos fuisse, atque ex hujus rei occasione datum hoc præceptum.

15. (*e*) Non adipes, sed armum & pectus.

16. (*f*) Quod Aaron & filii ejus non potuissent comedere mœrore perculsi.

CAP. XI. 1. (*a*) Ad munditiem in quadrupedibus duo requiruntur, divisio ungulæ, & ruminatio; illa boni & mali discretionem, hæc applicationem cognitionis ad opus significat. Immundos eos esse homines docet August. qui etsi audiunt libenter verba Sapientiæ, de his postea non cogitant. Hæc ut observarent, rudi populo Deus præcepit, ut illius temperantiam, obedientiam & religionem exerceret.

5. (*b*) Vox Græca quoddam porci genus significat, seu hystricem, Gall. Porc-epic, seu herinaceum, seu aliud animal in Palæstina frequens, in cavernis habitans, hericii magnitudine, ursi similitudine. Inter quadrupedia, quatuor distinguit animalium immundorum genera; Camelum, qui homines superbos, informes, & criminibus tortuosos designat; Chœrogryllum, qui forte homines inertes, otiosos & somnolentos exprimit; Leporem, qui libidinosos; Suem, qui gulosos & sordidos.

7. (*c*) Carne suilla abstinebant Ægyptii, teste Herodoto.

9. (*d*) Immundi erant pisces, qui non habebant pinnulas & squamas, ut anguillæ. Si moralem sensum inquirimus, forte immundi homines habendi sunt, & vitandi, qui rebus sæcularibus immersi numquam e cœno rerum mundanarum emergunt, nec mentem ad superna erigunt, ut pisces pinnis & squamis destituti, qui plerumque in limo profundo defixi manent, & parum natant.

13. (*e*) Gryphus est aquilæ genus maximum: uti & haliæetus, seu maris aquila.

16. (*f*) Avem marinam, nigram, columbæ magnitudine: pleraque alia nomina satis sunt ignota.

22. Comedere debetis, ut est bruchus in genere suo, & attachus atque ophiomachus, ac locusta, singula juxta genus suum.

23. Quidquid autem ex volucribus quatuor tantum habet pedes, execrabile erit vobis:

24. Et quicumque morticina eorum tetigerit, polluetur, & erit immundus usque ad vesperum:

25. Et si necesse fuerit ut portet quippiam horum mortuum, lavabit (*g*) vestimenta sua, & immundus erit usque ad occasum solis.

26. Omne animal quod habet quidem ungulam, sed non dividit eam, nec ruminat, immundum erit: & qui tetigerit illud, contaminabitur.

27. Quod ambulat super manus ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit: qui tetigerit morticina eorum, polluetur usque ad vesperum.

28. Et qui portaverit hujuscemodi cadavera, lavabit vestimenta sua, & immundus erit usque ad vesperum: quia omnia hæc immunda sunt vobis.

29. Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his, quæ moventur in terra, mustela & mus & crocodilus, singula juxta genus suum,

30. Mygale, & chamæleon, & stellio, & lacerta, & talpa:

31. Omnia hæc immunda sunt. Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit usque ad vesperum:

32. Et super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur, tam vas ligneum & vestimentum, quam pelles & cilicia: & in quocumque fit opus, tingentur aqua, & polluta erunt usque ad vesperum, & sic postea mundabuntur.

33. Vas autem fictile, in quod horum quidquam intro ceciderit, polluetur, & idcirco frangendum est.

34. Omnis cibus, quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit: & omne liquens quod bibitur de universo vase, immundum erit.

35. Et quidquid de morticinis hujuscemodi ceciderit super illud, immundum erit: sive clibani (*h*), sive chytropodes, destruentur, & immundi erunt.

36. Fontes vero & cisternæ, & omnis aquarum congregatio munda erit. Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur.

37. Si ceciderit super sementem, non polluet eam.

38. Si autem quispiam aqua sementem perfuderit, & postea morticinis tacta fuerit, illico polluetur.

39. Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, qui cadaver ejus tetigerit, immundus erit usque ad vesperum:

40. Et qui comederit (*i*) ex eo quippiam, sive portaverit; lavabit vestimenta sua, & immundus erit usque ad vesperum.

41. Omne quod reptat super terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum.

42. Quidquid super pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, sive per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile est.

43. Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis.

44. Ego enim sum Dominus Deus vester: * sancti estote, quia ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras in omni reptili quod movetur super terram. * 1 Petr. 1. 16.

45. Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de Terra Ægypti, ut essem vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego sanctus sum.

46. Ista est lex animantium ac volucrum, & omnis animæ viventis quæ movetur in aqua, & reptat in terra,

47. Ut differentias noveritis mundi & immundi, & sciatis quid comedere & quid respuere debeatis.

CAPUT XII.

De puerpera immunditia & purificatione, necnon de oblatione divitis & pauperis.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: * Mulier (*a*), si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstruæ. * Luc. 2. 22.

3. * Et die octavo circumcidetur infantulus: * Luc. 2. 21. Joann. 7. 22.

4. Ipsa vero triginta (*b*) tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ.

5. Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.

6. Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ sive turturem pro peccato (*c*), ad ostium tabernaculi testimonii, & tradet sacerdoti,

7. Qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & sic mundabitur a profluvio sanguinis sui: ista est lex parientis masculum aut feminam.

8. Quod si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet * duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccato: orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur. * Sup. 5. 7. & 11. Luc. 2. 24.

C A-

25. (*g*) Videtur illa lotio tantum esse præparatio quædam sanctificationis in diem sequentem.
35. (*h*) Furni, foci.
40. (*i*) Si sciens fecit, peccat.

CAP. XII. 2. (*a*) Palam est hoc ad B. Virginem non pertinere, quæ nullum semen aliunde excepit. Chald. *Mulier quando conceperit. Juxta dies separationis menstruæ.* His septem diebus tam immunda erat, quam mulier menstruata, & eodem modo se gerere debet, cum immunda est: ubicumque etiam sederit, immundum facit: cum vero jam in sanguine mundo sedet, id tantummodo quod sanctum est, non licet ei tangere, nec in Sanctuarium intrare.

4. (*b*) Post septem illos dies primos puerpera a Sanctuario abstinebat.

6. (*c*) Si tunc admisit; vel pro immunditia. Ecclesia exercens purificationis cæremoniam minime judaizat, si ob venerationem sacrorum mulier ab ingressu Templi per aliquot dies abstineat: nihil enim observat Mosaicum, sed id facit, quod Christianæ Religioni est consentaneum, cum domi se continet ob honestatem publicam, & in Ecclesiam progressa a Sacerdote suscipitur cum aliqua benedictione, & gratiarum actione, quod prolem Deo & Ecclesiæ pepererit: tametsi ea cæremonia abusive purificatio dicitur. Augustinus: *Sed quo peccato? numquid peperisse peccatum est? An hic ostenditur illa propago ex Adam, unde Apostolus dixit: Ex uno in condemnationem, &c. Merito ergo quidam nostri ita interpretati sunt etiam istum in Levitico locum, ut non dicerent super filios, super filias, sed pro filio, aut pro filia.*

CAPUT XIII.

Varia lepra signa exponuntur. Quid faciendum leprosis praecipitur.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens:

2. Homo, in cujus cute & carne ortus fuerit diversus color (*a*) sive pustula, aut quasi lucens quippiam, id est, plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum ejus.

3. Qui cum viderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem cute & carne reliqua; plaga lepræ est, & ad arbitrium ejus separabitur.

4. Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris pristini, recludet eum sacerdos septem diebus,

5. Et considerabit die septimo: & si quidem lepra ultra non creverit, nec transierit in cute priores terminos, rursum recludet eum septem diebus aliis.

6. Et die septimo contemplabitur: si obscurior (*b*) fuerit lepra, & non creverit in cute, mundabit eum, quia scabies est: lavabitque homo vestimenta sua, & mundus erit.

7. Quod si postquam a sacerdote visus est, & redditus munditiæ, iterum lepra creverit; adducetur ad eum,

8. Et immunditiæ condemnabitur.

9. Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem,

10. Et videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, & capillorum mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva apparuerit:

11. Lepra vetustissima judicabitur, atque inolita cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos, & non recludet, quia perspicuæ immunditiæ est.

12. Sin autem effloruerit discurrens lepra in cute, & operuerit omnem cutem a capite usque ad pedes, quidquid sub aspectum oculorum cadit,

13. Considerabit eum sacerdos, & teneri lepra mundissima judicabit: eo quod omnis in candorem versa sit, & idcirco homo mundus erit.

14. Quando vero caro vivens in eo apparuerit,

15. Tunc sacerdotis judicio polluetur, & inter immundos reputabitur: caro enim viva si lepra aspergitur, immunda est.

16. Quod si rursum versa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit,

17. Considerabit eum sacerdos, & mundum esse decernet.

18. Caro autem & cutis in qua ulcus natum est & sanatum,

19. Et in loco ulceris cicatrix alba apparuerit, sive subrufa, adducetur homo ad sacerdotem:

20. Qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos versos in candorem, contaminabit eum: plaga enim lepræ orta est in ulcere.

21. Quod si pilus coloris est pristini, & cicatrix subobscura, & vicina carne non est humilior, recludet eum septem diebus.

22. Et si quidem creverit, adjudicabit eum lepræ.

23. Sin autem steterit in loco suo, ulceris est cicatrix, & homo mundus erit.

24. Caro autem & cutis, quam ignis excusserit, & sanata albam sive rufam habuerit cicatricem,

25. Considerabit eam sacerdos, & ecce versa est in alborem, & locus ejus reliqua cute est humilior: contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta est.

26. Quod si pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, & ipsa lepræ species fuerit subobscura, recludet eum septem diebus,

27. Et die septimo contemplabitur: si creverit in cute lepra, contaminabit eum.

28. Sin autem in loco suo candor steterit non satis clarus, plaga combustionis est, & idcirco mundabitur, quia cicatrix est combusturæ.

29. Vir, sive mulier, in cujus capite vel barba germinaverit lepra, videbit eos sacerdos.

30. Et si quidem humilior fuerit locus carne reliqua, & capillus flavus, solitoque subtilior: contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ est.

31. Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, & capillum nigrum: recludet eum septem diebus,

32. Et die septimo intuebitur. Si non creverit macula, & capillus sui coloris est, & locus plagæ carni reliquæ æqualis:

33. Radetur homo absque loco maculæ, & includetur septem diebus aliis.

34. Si die septimo visa fuerit stetisse plaga in loco suo, nec humilior carne reliqua, mundabit eum, lotisque vestibus suis mundus erit.

35. Sin autem post emundationem rursus creverit macula in cute,

36. Non quæret amplius utrum capillus in flavum colorem sit immutatus, quia aperte immundus est.

37. Porro si steterit macula, & capilli nigri fuerint, noverit hominem sanatum esse, & confidenter eum pronuntiet mundum.

38. Vir, sive mulier, in cujus cute candor apparuerit,

39. Intuebitur eos sacerdos: si deprehenderit subobscurum alborem lucere in cute, sciat non esse lepram, sed maculam coloris candidi, & hominem mundum.

40. Vir, de cujus capite capilli fluunt, calvus & mundus est.

41. Et si a fronte ceciderint pili, recalvaster & mundus est:

42. Sin autem in calvitio, sive in recalvatione albus vel rufus color fuerit exortus,

43. Et

CAP. XIII. 2. (*a*) Albis, tumor, vel scabies serpens. Diversam esse lepram ab ea, quæ in his regionibus conspicitur, Valesius probat.

6. (*b*) Non albus & lucidus color. *Quia scabies est*: Theodotio, *ebullitio*, quando id quod latebat antea intrinsecus, erumpit in faciem, inquit Hieronymus ad caput 2. Nahum. *Mundabit eum*: Mundatum pronuntiabit. Tertia species lepræ vers. 19 Quarta vers. 13. quæ scabies est potius, quam lepra. Quinta vers. 29. Sexta vers. 42. Quæ leguntur vers. 47. per analogiam dicuntur lepræ.

43. Et hoc sacerdos viderit, condemnabit eum haud dubie lepræ, quæ orta est in calvitio.

44. Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium sacerdotis,

45. Habebit vestimenta dissuta (c), caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit.

46. Omni tempore quo leprosus est & immundus, solus habitabit extra castra.

47. Vestis lanea sive linea, quæ lepram habuerit

48. In stamine atque subtegmine, aut certe pellis, vel quidquid ex pelle confectum est,

49. Si alba vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, ostendeturque sacerdoti.

50. Qui consideratam recludet septem diebus:

51. Et die septimo rursus aspiciens, si deprehenderit crevisse, lepra perseverans est: pollutum judicabit vestimentum, & omne in quo fuerit inventa:

52. Et idcirco comburetur flammis.

53. Quod si eam viderit non crevisse,

54. Præcipiet, & lavabunt id in quo lepra est, recludetque illud septem diebus aliis.

55. Et cum viderit faciem quidem pristinam non reversam, nec tamen crevisse lepram, immundum judicabit, & igne comburet, eo quod infusa sit in superficie vestimenti vel per totum, lepra.

56. Sin autem obscurior fuerit locus lepræ, postquam vestis est lota, abrumpet eum, & a solido dividet.

57. Quod si ultra apparuerit in his locis, quæ prius immaculata erant, lepra volatilis & vaga: debet igne comburi.

58. Si cessaverit, lavabit aqua ea quæ pura sunt, secundo, & munda erunt.

59. Ista est lex lepræ vestimenti lanei, & linei, staminis, atque subtegminis, omnisque supellectilis pelliceæ, quomodo mundari debeat, vel contaminari.

CAPUT XIV.

Leprosi mundandi ritus, domum itidem & vestes lustrandi ratio per sacrificia præscribitur.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Hic est ritus leprosi, quando mundandus est: * Adducetur ad sacerdotem: * Matth. 8. 4.

3. Qui egressus de castris, cum invenerit lepram esse mundatam,

4. * Præcipiet ei, qui purificatur, ut offerat duos passeres (a) vivos pro se, quibus vesci licitum est, & lignum cedrinum, vermiculumque & hyssopum. * Marc. 1. 44.

5. Et unum ex passeribus immolari (b) jubebit in vase fictili super aquas viventes:

6. Alium autem vivum cum ligno cedrino, & cocco & hyssopo tinget in sanguine passeris immolati,

7. Quo asperget (c) illum, qui mundandus est, septies, ut jure purgetur: & dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet.

8. Cumque laverit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, & lavabitur aqua: purificatusque ingredietur castra, ita dumtaxat ut maneat extra tabernaculum suum septem diebus,

9. Et die septimo radet capillos capitis, barbamque & supercilia, ac totius corporis pilos. Et lotis rursum vestibus, & corpore,

10. Die octavo assumet duos agnos immaculatos, & ovem anniculam absque macula, & tres decimas similæ in sacrificium, quæ conspersa sit oleo, & seorsum olei sextarium.

11. Cumque sacerdos purificans hominem, statuerit eum, & hæc omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonii,

12. Tollet agnum, & offeret eum pro delicto, oleique sextarium: & oblatis ante Dominum omnibus,

13. Immolabit agnum, ubi solet immolari hostia pro peccato, & holocaustum, id est, in loco sancto. Sicut enim pro peccato, ita & pro delicto ad sacerdotem pertinet hostia: Sancta Sanctorum est.

14. Assumensque sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur, & super pollices manus dextræ & pedis:

15. Et de olei sextario mittet in manum suam sinistram,

16. Tingetque digitum dextrum in eo, & asperget coram Domino septies.

17. Quod autem reliquum est olei in læva manu, fundet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur, & super pollices manus ac pedis dextri, & super sanguinem qui effusus est pro delicto,

18. Et super caput ejus.

19. Rogabitque pro eo coram Domino, & faciet sacrificium pro peccato: tunc immolabit holocaustum,

20. Et ponet illud in altari cum libamentis suis, & homo rite mundabitur.

21. Quod si pauper est, & non potest manus ejus invenire quæ dicta sunt, pro delicto assumet agnum ad oblationem, ut roget pro eo sacerdos, decimamque partem similæ conspersæ oleo in sacrificium, & olei sextarium,

22. * Duosque turtures sive duos pullos columbæ, quorum unus sit pro peccato, & alter in holocaustum: * Sup. 5. 7. 11. & 12. 8. Luc. 2. 24.

23. Offe-

45. (c) Forte ut liberior fiat perspiratio: *Os veste contectum*, cum ad alios propius accedebat, ne accederet, & halitu suo eos inquinet. Quibus id significatur, ad Sacerdotes Novi Testamenti pertinere judicium de iis, qui ob immunditiem spiritalem separari debent, & restitui, cum mundati fuerint. Sed cum Vetus Sacerdotium carnale esset & umbraticum, si cum Novo comparetur, utriusque potestas est longe diversa; illi tantummodo mundatos pronuntiabant: Sacerdotes Novi Testamenti mundant eos, qui peccandi voluntatem & propositum abjecerunt; absolvendo faciunt ut spiritaliter sint mundi. Judæam & vicinas regiones multis post sæculis lepræ obnoxias fuisse hinc licet conjicere, quod complures ex iis, qui ad bella sacra profecti fuerant ex Europa, eo morbo contacti fuerint; unde tot leprosotrophia fundata sunt.

CAP. XIV.

4. (a) Vivos pro se, quibus vesci licitum est, LXX. Aviculas vertunt.

5. (b) Hæc occisio non a Sacerdote, sed jussu illius fiebat; nec proprie erat sacrificium, cum extra castra fieret; sed tantum occisio, ut sanguine passeris tingeretur leprosus.

7. (c) Aspersio in his lustrationibus septies fieri solebat, & perfecta purgatio hoc numero significatur, forte a septem vitiis capitalibus per septem dona Spiritus Sancti: Ut jure purgetur, ritu debito. Alter passerculus qui occiditur, pravos designat affectus, qui sunt penitus extirpandi. Alter vivus qui in desertum dimittitur, affectiones nostras purgari oportere extra voluptatis loca significat. Pila raduntur, veteris hominis cupiditates resecantur.

23. Offeretque ea die octavo purificationis suæ sacerdoti, ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino,

24. Qui suscipiens agnum pro delicto & sextarium olei, levabit simul:

25. Immolatoque agno, de sanguine ejus ponet super extremum auriculæ dextræ illius qui mundatur, & super pollices manus ejus ac pedis dextri:

26. Olei vero partem mittet in manum suam sinistram,

27. In quo tingens digitum dextræ manus asperget septies coram Domino:

28. Tangetque extremum dextræ auriculæ illius qui mundatur, & pollices manus ac pedis dextri in loco sanguinis qui effusus est pro delicto:

29. Reliquam autem partem olei, quæ est in sinistra manu, mittet super caput purificati, ut placet pro eo Dominum:

30. Et turturem sive pullum columbæ offeret,

31. Unum pro delicto, & alterum in holocaustum cum libamentis suis.

32. Hoc est sacrificium leprosi, qui habere non potest omnia in emundationem sui.

33. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:

34. Cum ingressi fueritis Terram Chanaan: quam ego dabo vobis in possessionem, si fuerit plaga (*d*) lepræ in ædibus,

35. Ibit cujus est domus, nuntians sacerdoti, & dicet: Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea.

36. At ille præcipiet ut efferant universa de domo, priusquam ingrediatur eam, & videat utrum leprosa sit, ne immunda fiant omnia quæ in domo sunt. Intrabitque postea ut consideret lepram domus:

37. Et cum viderit in parietibus illius quasi valliculas (*e*) pallore sive rubore deformes, & humiliores superficie reliqua,

38. Egredietur ostium domus, & statim claudet illam septem diebus.

39. Reversusque die septimo, considerabit eam: si invenerit crevisse lepram,

40. Jubebit erui lapides in quibus lepra est, & projici eos extra civitatem in locum immundum:

41. Domum autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, & spargi pulverem rasuræ extra urbem in locum immundum,

42. Lapidesque alios reponi pro his qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum.

43. Sin autem postquam eruti sunt lapides, & pulvis erasus, & alia terra lita,

44. Ingressus sacerdos viderit reversam lepram, & parietes respersos maculis, lepra est perseverans, & immunda domus:

45. Quam statim destruent, & lapides ejus ac ligna, atque universum pulverem projicient extra oppidum in locum immundum.

46. Qui intraverit domum quando clausa est, immundus erit usque ad vesperum:

47. Et qui dormierit in ea, & comederit quippiam, lavabit vestimenta sua.

48. Quod si introiens sacerdos viderit lepram non crevisse in domo, postquam denuo lita fuerit, purificabit eam reddita sanitate:

49. Et in purificationem ejus sumet duos passeres, lignumque cedrinum, & vermiculum atque hyssopum:

50. Et immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas,

51. Tollet lignum cedrinum, & hyssopum, & coccum, & passerem vivum, & tinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viventibus, & asperget domum septies,

52. Purificabitque eam tam in sanguine passeris quam in aquis viventibus, & in passere vivo, lignoque cedrino & hyssopo atque vermiculo.

53. Cumque dimiserit passerem avolare in agrum libere, orabit pro domo, & jure mundabitur.

54. Ista est lex omnis lepræ & percussuræ,

55. Lepræ vestium & domorum,

56. Cicatricis & erumpentium papularum, lucentis maculæ, & in varias species, coloribus immutatis,

57. Ut possit sciri quo tempore mundum quid, vel immundum sit.

CAPUT XV.

Leges de primitiis dandis, necnon de libaminum mensura, postquam terram promissionis ingressi fuerint, sanciuntur. Qui ligna die sabbati collegerat, lapidibus obrutus est.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:

2. Loquimini filiis Israel, & dicite eis: Vir, qui patitur (*a*) fluxum seminis, immundus erit:

3. Et tunc judicabitur huic vitio subjacere, cum per singula momenta adhæserit carni ejus, atque concreverit fœdus humor.

4. Omne stratum, in quo dormierit, immundum erit, & ubicumque sederit.

5. Si quis hominum tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

6. Si sederit ubi ille sederat, & ipse lavabit vestimenta sua: & lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

7. Qui tetigerit carnem ejus, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

8. Si salivam hujuscemodi homo jecerit super eum qui mundus est, lavabit vestimenta sua: & lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

9. Sagma (*b*), super quo sederit, immundum erit:

10. Et

34. & 35. (*d*) Non igitur lepra proprie erat in domo, aut in quacumque re inanimata, sed quasi lepra, seu corruptio quædam quæ posset homines lepra inficere: adeo ut sit figurata locutio, qua nomen effectus causæ ipsi tribuitur.

37. (*e*) Quasi cavitates erosas a lepra, seu a corrupto humore.

CAP. XV. 5. (*a*) An morbus ille qui omnes polluit, designat peccata contra naturæ legem? Cum ejusmodi hominibus communicare non licet. Secundi generis peccata sunt, quæ licita naturæ excedunt. In Syria, & in vicinis regionibus menstrua & fluxus seminis habent aliquid contagio nocens, ait Grotius.

9. (*b*) Ephippium. Sermo est de fluxu seminis contumaci, quem gonorrhœam vocant.

10. Et quidquid sub eo fuerit, qui fluxum seminis patitur, pollutum erit usque ad vesperum. Qui portaverit horum aliquid, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

11. Omnis, quem tetigerit qui talis est, non lotis ante manibus, lavabit vestimenta sua: & lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

12. Vas fictile quod tetigerit, confringetur: vas autem ligneum lavabitur aqua.

13. Si sanatus fuerit qui hujuscemodi sustinet passionem, numerabit septem dies post emundationem sui, & lotis vestibus & toto corpore in aquis viventibus, erit mundus.

14. Die autem octavo sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ, & veniet in conspectum Domini ad ostium tabernaculi testimonii, dabitque eos sacerdoti.

15. Qui faciet (c) unum pro peccato, & alterum in holocaustum: rogabitque pro eo coram Domino, ut emundetur a fluxu seminis sui.

16. Vir de quo egreditur semen coitus, lavabit aqua omne corpus suum: & immundus erit usque ad vesperum.

17. Vestem & pellem, quam habuerit, lavabit aqua, & immunda erit usque ad vesperum.

18. Mulier, cum qua coierit, lavabitur aqua, & immunda erit usque ad vesperum.

19. Mulier, quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur.

20. Omnis qui tetigerit eam, immundus erit usque ad vesperum:

21. Et in quo dormierit vel sederit diebus separationis suæ, polluetur.

22. Qui tetigerit lectum ejus, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

23. Omne vas, super quo illa sederit, quisquis attigerit, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, pollutus erit usque ad vesperum.

24. Si coierit cum ea vir tempore (d) sanguinis menstrualis, immundus erit septem diebus: & omne stratum, in quo dormierit, polluetur.

25. Mulier, quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis non in tempore menstruali, vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat, quamdiu subjacet huic passioni, immunda erit quasi sit in tempore menstruo.

26. Omne stratum, in quo dormierit, & vas, in quo sederit, pollutum erit.

27. Quicumque tetigerit ea, lavabit vestimenta sua: & ipse lotus aqua, immundus erit usque ad vesperum.

28. Si steterit sanguis, & fluere cessaverit, numerabit septem dies purificationis suæ:

29. Et die octavo offeret pro se sacerdoti duos turtures, aut duos pullos columbarum ad ostium tabernaculi testimonii:

30. Qui unum faciet pro peccato, & alterum in holocaustum, rogabitque pro ea coram Domino, & pro fluxu immunditiæ ejus.

31. Docebitis ergo filios Israel ut caveant immunditiam, & non moriantur in sordibus suis, cum polluerint tabernaculum meum quod est inter eos.

32. Ista est lex ejus, qui patitur fluxum seminis, & qui polluitur coitu,

33. Et quæ menstruis temporibus separatur, vel quæ jugi fluit sanguine, & hominis qui dormierit cum ea.

CAPUT XVI.

Ritus servandi in festo expiationis tabernaculi.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen post mortem (a) duorum filiorum Aaron, quando * offerentes ignem alienum interfecti sunt; * Sup. 10. 2.

2. Et præcepit ei, dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, * ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum coram propitiatorio (b) quo tegitur arca, ut non moriatur (quia in nube apparebo super oraculum.) * Exod 30. 10. Hebr. 9. 7.

3. Nisi hæc ante fecerit: Vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocaustum.

4. Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti: hæc enim vestimenta sunt sancta: quibus cunctis, cum lotus fuerit, induetur.

5. Suscipietque ab universa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, & unum arietem in holocaustum.

6. Cumque obtulerit vitulum, & oraverit pro se & pro domo sua,

7. Duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonii:

8. Mittensque (c) super utrumque sortem, unam Domino, & alteram capro emissario:

9. Cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato:

10. Cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eo, & emittat eum in solitudinem.

11. His rite celebratis, offeret vitulum, & rogans pro se & pro domo sua, immolabit eum:

12. Assum-

15. (c) Facere, hoc in loco est, sacrificare.

24. (d) Si factum occultum est, aut ipse imprudens accesserit, ac postea cognoverit. Id vero cap. 20. sub interminatione mortis vetatur, ne quis sciens & prudens ad uxorem menstruatam accedat, non tam propter immunditiem, quam ob nocumentum prolis, quæ sæpe debilis, aut leprosa, aut alio vitio laborans nascebatur. Hoc loco notat Theodoretus voluisse Deum actum matrimonii quantumvis licitum instar immunditiæ legalis haberi, & aqua viva, seu fluvii, seu fontis, homines lavari, ut nimium actus matrimonii frequentiam cohiberet, atque ad honestam continentiam petulantiores induceret.

CAP. XVI. 1. (a) Hæc fuit occasio, semel in anno, expiationis nimirum die licebat Pontifici Sanctuarium ingredi.

2. (b) Quod Propitiatorium ante appellatur: solis vestibus lineis tum utebatur: populus pro expiatione peccatorum, quæ anno elapso admiserat, duos capros deferebat ad pontificem.

8. (c) Hircus emissarius erat velut hostia, quæ pœnas avertebat, tanquam piaculum quoddam universa populi peccata in se transmissa portabat in solitudinem. Allegoricam significationem Hebr. 9. nobis aperit Apostolus: Pontifex enim adumbrabat Christum Pontificem futurorum bonorum, qui per proprium sanguinem vituli & hirci sanguine figuratum, introivit semel in sancta, id est, in cælum, æterna redemptione inventa.

12. Assumptoque thuribulo, quod de prunis altaris impleverit, & hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultra velum intrabit in Sancta:

13. Ut positis super ignem aromatibus, nebula eorum & vapor operiat oraculum, quod est supra testimonium, & non moriatur.

14. Tollet quoque de sanguine vituli, & asperget digito septies contra propitiatorium ad Orientem.

15. Cumque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem ejus intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, ut aspergat e regione oraculi,

16. Et expiet Sanctuarium (*d*) ab immunditiis filiorum Israel, & a prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis. Juxta hunc ritum faciet tabernaculo testimonii, quod fixum est inter eos in medio sordium habitationis eorum.

*Luc. 1. 10. 17. * Nullus hominum sit in tabernaculo quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, ut roget pro se & pro domo sua, & pro universo cœtu Israel donec egrediatur.

18. Cum autem exierit ad altare quod coram Domino est, oret pro se, & sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua ejus per gyrum:

19. Aspergensque digito septies, expiet, & sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel.

20. Postquam emundaverit Sanctuarium, (*e*) & tabernaculum, & altare, tunc offerat hircum viventem:

21. Et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur (*f*) omnes iniquitates filiorum Israel, & universa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum, in desertum.

22. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in deserto,

23. Revertetur Aaron in tabernaculum testimonii, & depositis vestibus, quibus prius indutus erat cum intraret Sanctuarium, relictisque ibi,

24. Lavabit carnem suam in loco sancto, indueturque vestibus suis. Et postquam egressus obtulerit holocaustum suum ac plebis, rogabit tam pro se quam pro populo:

25. Et adipem, qui oblatus est pro peccatis, adolebit super altare.

26. Ille vero, qui dimiserit caprum emissarium, lavabit vestimenta sua & corpus aqua, & sic ingredietur in castra.

27. Vitulum autem & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est in Sanctuarium ut expiatio compleretur, asportabunt foras castra, * & comburent igni tam pelles quam carnes eorum ac fimum: * Heb. 13. 11.

28. Et quicumque combusserit ea, lavabit vestimenta sua, & carnem aqua, & sic ingredietur in castra.

29. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum: * Mense septimo, decima die mensis affligetis animas vestras, nullumque opus facietis, sive indigena, sive advena qui peregrinatur inter vos. * Inf. 23. 27. & 28.

30. In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris: coram Domino mundabimini.

31. Sabbatum enim requietionis est, & affligetis animas vestras religione (*g*) perpetua.

32. Expiabit autem sacerdos, qui unctus fuerit, & cujus manus initiatæ sunt ut sacerdotio fungatur pro patre suo: indueturque stola linea & vestibus sanctis,

33. Et expiabit sanctuarium & tabernaculum testimonii atque altare, sacerdotes quoque & universum populum.

34. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israel, & pro cunctis peccatis eorum semel in anno. Fecit igitur sicut præceperat Dominus Moysi.

CAPUT XVII.

Uni Deo sacrificandum, idque in templo, vel tabernaculo: esus & sanguinis & morticinii prohibetur.

1. ET locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere Aaron & filiis ejus, & cunctis filiis Israel, dicens ad eos: Iste est sermo, quem mandavit Dominus, dicens:

3. Homo quilibet de domo Israel, si occiderit (*a*) bovem autem ovem, si e capram, in castris, vel extra castra,

4. Et non obtulerit (*b*) ad ostium tabernaculi oblationem Domino, sanguinis reus erit: quasi si sanguinem fuderit, sic peribit de medio populi sui.

5. Ideo sacerdoti offerre debent (*c*) filii Israel hostias suas, quas occident in agro, ut sanctificentur Domino ante ostium tabernaculi testimonii, & immolent eas hostias pacificas Domino.

6. Fundetque sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium tabernaculi testimonii, & adolebit adipem in odorem suavitatis Domino:

7. Et nequaquam ultra immolabunt hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt. Legitimum sempiternum erit illis & posteris eorum.

8. Et ad ipsos dices: Homo de domo Israel, & de advenis, qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocaustum sive victimam,

9. Et

16. (*d*) Quia censetur quodammodo pollui peccatis sacerdotum & populi: sic Ecclesiæ profanatæ repurgantur.

20. (*e*) Id quidem pollutum non erat nisi æstimatione.

21. (*f*) Non generatim tantum, sed per species eorum quæ magis regnabant in populo.

31. (*g*) Ergo jejunium est actus religionis.

CAPUT XVII. 3. (*a*) Immolaverit, quia Sacerdotale munus invadit, & extra locum constitutum id facit. August. quæst. 56. *Merito quæritur, quomodo licite sacrificaverit Elias extra Templum Dei. Quod mihi non videtur alia ratione defendi, quam illa, qua defenditur & Abrahæ factum, quod filium Deo jussus voluit immolare. Cum enim jubet ille qui legem constituit, aliquid fieri, quod in lege prohibuit, jussio illa pro lege habetur.*

4. (*b*) Existimat Grotius confusas hoc loco esse duas versiones, unam quæ interpretationem satis commodam generalibus his verbis adhibuerat, alteram quæ Hebræum textum ad verbum sequitur, adeo ut secuta sit inutilis repetitio.

5. (*c*) Ne sint rei sanguinis, *Quas occident in agro*, more Gentium occidunt.

9. Et ad ostium tabernaculi testimonii non adduxerit eam, ut offeratur Domino, interibit de populo suo.

10. Homo quilibet de domo Israel, & de advenis qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo,

11. Quia anima carnis in sanguine (*d*) est: & ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit.

12. Idcirco dixi filiis Israel: Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem, nec ex advenis, qui peregrinantur apud vos.

13. Homo quicumque de filiis Israel, & de advenis, qui peregrinantur apud vos, si venatione atque aucupio ceperit feram vel avem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem ejus, & operiat illum terra.

* *Gen.* 9. 4. *Sup.* 7. 26. 14. * Anima (*e*) enim omnis carnis in sanguine est: unde dixi filiis Israel: Sanguinem universæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est: & quicumque comederit illum, interibit.

15. Anima quæ comederit morticinum, vel captum a bestia, tam de indigenis, quam de advenis, lavabit vestimenta sua & semetipsum aqua, & contaminatus erit usque ad vesperum: & hoc ordine mundus fiet.

16. Quod si non laverit vestimenta sua & corpus, portabit iniquitatem suam.

CAPUT XVIII.

Gradus consanguinitatis & affinitatis, intra quos non licet inire conjugium. Nefarii concubitus vetantur, ut adulterium.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Ego (*a*) Dominus Deus vester:

3. Juxta consuetudinem Terræ Ægypti, in qua habitastis, non facietis: & juxta morem regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis.

4. Facietis judicia mea, & præcepta mea servabitis, & ambulabitis in eis, Ego Dominus Deus vester.

* *Ezech.* 20. 11 *Rom.* 10. 5. *Gal.* 3. 12. 5. * Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo, vivet (*b*) in eis, Ego Dominus.

6. Omnis homo (*c*) ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus: Ego Dominus:

7. Turpitudinem (*d*) patris tui & turpitudinem matris tuæ non discooperies: mater tua est: non revelabis turpitudinem ejus.

8. Turpitudinem uxoris (*e*) patris tui non discooperies: turpitudo enim patris tui est.

9. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis.

10. Turpitudinem filiæ filii tui vel neptis ex filia non revelabis: quia turpitudo tua est.

11. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & est soror tua, non revelabis.

12. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies: quia caro est patris tui.

13. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis, eo quod caro sit matris tuæ.

14. Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur.

15. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui est, nec discooperies ignominiam ejus.

16. Turpitudinem (*f*) uxoris fratris tui non revelabis: quia turpitudo fratris tui est.

17. Turpitudinem uxoris tuæ & filiæ ejus non revelabis. Filiam filii ejus, & filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus: quia caro illius sunt, & talis coitus incestus est.

18. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente.

19. Ad mulierem, quæ patitur menstrua, non accedes, nec revelabis fœditatem ejus.

20. Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commixtione maculaberis.

21. * De semine tuo non dabis ut consecretur idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. * *Inf.* 20. 2.

22. Cum masculo non commiscearis coitu femineo, quia abominatio est.

23. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. * Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei: quia scelus est. * *Inf.* 20. 16.

24. Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt universæ gentes, quas ego ejiciam ante conspectum vestrum,

25. Et quibus polluta est terra: cujus ego scelera visitabo, ut evomat (*g*) habitatores suos.

26. Custo-

11. (*d*) *Spiritus vitalis sedem habet in sanguine. Et ego dedi illum vobis*; altera ejus præcepti ratio, quod Deo specialiter dicatus sit in expiationem peccatorum. Hebræorum mos est, id quo corpus viget, & sentit, vocare animam.

14. (*e*) Augustinus quæst. 57. *Vita itaque ista temporalis, maxime sanguine continetur in corpore .... Verum si quisquam putat animam pecoris esse sanguinem, non est in ista quæstione laborandum.*

CAPUT XVIII. 2. (*a*) Cui jus est leges ferendi.

5. (*b*) Aliter de vitæ hujus felicitate, & de pœnis a lege propositis intelligitur mystice: *Vivet vitam longam.* Vivendum ex lege Dei, non ex more hominum & consuetudine.

6. (*c*) Hebr. *Homo & homo*, idem est atque *Omnis homo*.

7. (*d*) Occasio scandali inter proximos & familiares omnino est amputanda.

8. (*e*) Vetatur matrimonium cum patre, matre, noverca, sorore, patrui uxore, cum amita, seu patris sorore: tum enim ea nepoti subesset, quod foret indecens. *Cum filia uxoris tuæ, cum sorore uxoris tuæ*: quod tamen ante licitum erat, ut de Jacob dictum est. Inter ea præcepta, quædam ex fontibus naturalis legis ducta sunt, sed remota quadam ratione: unde & dispensationem interdum admittunt. Nec omnes gradus in hoc capite designatos, lege naturæ vetitos esse plerique doctores existimant, sed eos tantum qui in recta linea continentur. In transversa linea non eos extendunt ultra primum gradum. In cæteris positivo jure, olim divino, matrimonium dirimunt.

16. (*f*) Nisi frater sine liberis defunctus fuerit, Deuter. 25. August. quæst. 61. *Aut etiam illud esse prohibitum, ne liceret ducere fratris uxorem, etiamsi e fratre vivo per repudium recesserit.*

25. (*g*) His præcipue flagitiis ira Dei provocatur, ut homines extinguat: cum prolis spem fœdæ libidini postponunt, & quod datum est a Deo ad prolem, hoc abutuntur ad libidinem.

26. Custodite legitima mea atque judicia, & non faciatis ex omnibus abominationibus istis, tam indigena quam colonus qui peregrinantur apud vos.

27. Omnes enim execrationes istas fecerunt accolæ terræ qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam.

28. Cavete ergo ne & vos similiter evomat, cum paria feceritis, sicut evomuit gentem, quæ fuit ante vos.

29. Omnis anima, quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi sui.

30. Custodite mandata mea. Nolite facere quæ fecerunt hi qui fuerunt ante vos, & ne polluamini in eis. Ego Dominus Deus vester.

C A P U T XIX.

Præcepta quædam dantur moralia, & ceremonialia, ac leges nonnullæ naturales inculcantur.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere ad omnem cœtum filiorum Israel, & dices ad eos: * Sancti (*a*) estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester.

* *Sup.* 11. 44. 1 *Petr.* 1. 16.

3. Unusquisque patrem suum & matrem suam timeat. Sabbata mea custodite. Ego Dominus Deus vester.

4. Nolite converti ad idola, nec deos conflatiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus vester.

5. Si immolaveritis hostiam pacificorum Domino ut sit placabilis,

6. Eo die quo fuerit immolata, comedetis eam, & die altero: quidquid autem residuum fuerit in diem tertium, igne comburetis.

7. Si quis post biduum comederit ex ea, profanus erit, & impietatis reus:

8. Portabitque iniquitatem suam, quia sanctum Domini polluit, & peribit (*b*) anima illa de populo suo.

9. * Cum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis (*c*) usque ad solum superficiem terræ: nec remanentes spicas colliges.

* *Infr.* 23. 22.

10. Neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus Deus vester.

11. Non facietis furtum. Non mentiemini (*d*), nec decipiet unusquisque proximum suum.

12. * Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus.

13. * Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. * Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.

* *Exod.* 20. 7. * *Eccl.* 10. 6. * *Deut.* 24. 14. *Tob.* 4. 15.

14. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum: sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus.

15. Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. * Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Juste judica proximo tuo.

* *Deut.* 1. 17. & 16. 19. *Prov.* 24. 23. *Eccli.* 42. 1.

16. Non eris criminator, nec susurro in populo. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus.

17. * Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed * publice argue (*e*) eum, ne habeas super illo peccatum.

* 1 *Joann.* 2. 11. & 3. 15. * *Eccli.* 19. 13. *Matth.* 18. 15. *Luc.* 17. 3.

18. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. * Diliges amicum tuum (*f*) sicut teipsum. Ego Dominus.

* *Matth.* 5. 43. & 22. 39. *Luc.* 6. 27. *Rom.* 13. 9.

19. Leges meas custodite. Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. Agrum tuum non feres diverso semine. Veste, quæ ex duobus texta est, non induceris.

20. Homo si dormierit (*g*) cum muliere coitu seminis, quæ sit ancilla etiam nubilis, & tamen pretio non redempta, nec libertate donata: vapulabunt ambo, & non morientur, quia non fuit libera.

21. Pro delicto autem suo offeret Domino ad ostium tabernaculi testimonii arietem:

22. Orabitque pro eo sacerdos, & pro peccato ejus coram Domino, & repropitiabitur ei, dimitteturque peccatum.

23. Quando ingressi fueritis terram, & plantaveritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia (*h*) eorum: poma, quæ germinant, immunda erunt vobis, nec edetis ex eis.

24. Quarto autem anno omnis fructus eorum sanctificabitur laudabilis Domino.

25. Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma quæ proferunt. Ego Dominus Deus vester.

26. Non comedetis cum sanguine. Non augurabimini, nec observabitis somnia.

27. Neque in rotundum attondebitis comam (*i*), nec radetis barbam.

28. Et

CAP. XIX. 2. (*a*) Finis divinæ Legis est homines perfectos efficere, & consequenter amicos Dei: amici autem esse non possunt absque similitudine: nam similitudo est causa amoris. *Sancti estote*: puri ab omni immunditia carnis & spiritus.

8. (*b*) Aut sententia Judicis, aut Deo vindicante.

9. (*c*) Hebr. *Non consumabis metere angulum agri tui*. Dimittes aliquid in extremitate agri tui, ut pauperes illud colligant; *Neque in vinea tua racemos*: Hebr. *Non racemabis*: secundam vindemiam relinques pauperibus. Leges præscribit misericordiæ contra nimiam parsimoniam.

11. (*d*) Augustinus quæst. 68. *Sed utrum hoc aliqua compensatione admittenda sint, magna quæstio est, sicut de mendacio pene omnibus videtur, quod ubi nemo læditur, pro salute mentiendum est .... Quanquam si definitionibus ita determinare tenemus, fortasse furtum non est, nisi quando alieno occulte ablato proximus læditur; & calumnia non est, nisi quando falsi criminis objectione proximus læditur: mendacium autem non possumus dicere tunc tantummodo esse, quando proximus læditur: cum enim falsum a sciente dicitur, procul dubio mendacium est, sive illo jusquam, sive nemo lædatur; proinde magna quæstio de mendacio, utrum possit aliquando justum esse mendacium, facile solveretur fortasse, si sola præcepta intueremur, non exempla.*

17. (*e*) Hebr. *Corripiendo corripies*. Vox *publice*, deest in Hebr. & in LXX. *Argues*, ne silentio tuo particeps efficiaris illius peccati. Quamquam vox, *publice*, intelligi potest, aperte. Vatablus, *plane*. Cum autem hæc verba præcedant, *ne oderis fratrem tuum*, de fratre qui in te peccavit, recte intelligitur, ne vicissim eum oderis; sic dilectio inimicorum in veteri lege continetur. Augustinus hunc locum ita intelligit, ut putet præceptam esse correptionem peccati ejus, non ut sibi consulat, sed fratri.

18. (*f*) Vox Hebræa proximum significat, & LXX. ita vertunt. Præmiserat, *non quæras ultionem*: non prohibet ne justa petatur vindicta per Talionis Legem in Exodo stabilitam; sed ne fiat animo se vindicandi.

20. (*g*) Agit de ancilla desponsata viro, nondum nupta; quæ libera non est facta.

23. (*h*) Præputia dicuntur, quæ resecari debent in arboribus. Hebr. & LXX. addunt, *tribus annis*; nam fructus tribus annis prioribus non comedebantur.

27. (*i*) Hebr. *Non circumgyrabitis angulos capitis vestri*: Quod ad cincinnos, & calamistros Hebræi referunt. *Nec radetis barbam*, *nec corrumpes angulum barbæ tuæ*, seu, *speciem barbæ*. Ratio præcepti hujus cæremonialis est duplex; una, ut contenti essent ornamentis a natura datis; altera, ut longe abessent ab idololatrarum consuetudine.

28. Et super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas, aut stigmata facietis vobis. Ego Dominus.

29. Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo.

30. Sabbata mea custodite, & Sanctuarium meum metuite. Ego Dominus.

31. Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester.

32. Coram cano capite consurge, & honora personam senis: & time Dominum Deum tuum. Ego sum Dominus.

* Exod. 22. 21. 33. * Si habitaverit advena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei:

34. Sed sit inter vos quasi indigena: & diligetis eum quasi vosmetipsos: fuistis enim & vos advenæ in Terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester.

35. Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura.

36. Statera justa, & æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de Terra Ægypti.

37. Custodite omnia præcepta mea, & universa judicia, & facite ea. Ego Dominus.

CAPUT XX.

Morte plectuntur idololatræ, quique magos consulunt, necnon qui parentibus maledicunt, qui denique nefarios coitus admittunt.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Hæc loqueris filiis Israel: Homo de filiis Israel, & de advenis, qui habitant in

* Sup. 18. 21. Israel, * si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur: populus terræ lapidabit eum.

3. Et ego ponam faciem (*a*) meam contra illum: succidamque eum de medio populi sui, eo quod dederit de semine suo Moloch, & contaminaverit Sanctuarium meum, ac polluerit nomen sanctum meum.

4. Quod si negligens populus terræ, & quasi parvipendens imperium meum, dimiserit hominem qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere:

5. Ponam faciem meam super hominem illum, & super cognationem ejus, succidamque & ipsum, & omnes qui consenserunt ei ut fornicaretur cum Moloch, de medio populi sui.

6. Anima, quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.

* 1 Petr. 1. 16. 7. * Sanctificamini & estote sancti, quia ego sum Dominus Deus vester.

8. Custodite præcepta mea, & facite ea. Ego Dominus qui sanctifico vos.

* Exod. 21. 17. 9. * Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur: patri matrique maledixit, sanguis ejus sit super eum. Prov. 20. 20. Matth. 15. 4. Marc. 7. 10.

10. * Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera. * Deut. 22. 22. Joan. 8. 5.

11. Qui dormierit cum noverca sua, & revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo: sanguis eorum sit super eos.

12. Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur, quia scelus operati sunt: sanguis eorum sit super eos.

13. Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur: sit sanguis eorum super eos.

14. Qui supra uxorem filiam, duxerit matrem ejus, scelus operatus est: vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri.

15. Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur: pecus (*b*) quoque occidite.

16. * Mulier, quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo: sanguis eorum sit super eos. * Sup. 18. 23.

17. Qui acceperit sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ, & viderit turpitudinem ejus, illaque conspexerit fratris ignominiam: nefariam rem operati sunt: occidentur in conspectu populi sui, eo quod turpitudinem suam mutuo revelaverint, & portabunt iniquitatem suam.

18. Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, & revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui.

19. Turpitudinem materteræ, & amitæ tuæ non discooperies: qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudavit, portabunt ambo iniquitatem suam.

20. Qui coierit cum uxore patrui, vel avunculi sui, & revelaverit ignominiam cognationis suæ, portabunt ambo peccatum suum: absque liberis morientur.

21. Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam, turpitudinem fratris sui revelavit: absque liberis erunt.

22. Custodite leges meas, atque judicia, & facite ea: ne & vos evomat terra quam intraturi estis & habitaturi.

23. Nolite ambulare in legitimis nationum, quas ego expulsurus sum ante vos. Omnia enim hæc fecerunt, & abominatus sum eas.

24. Vobis autem loquor: Possidete terram eorum, quam dabo vobis in hæreditatem, terram fluentem lacte & melle. Ego Dominus Deus vester, qui separavi vos a cæteris populis.

25. Separate ergo & vos jumentum mundum ab immundo, & avem mundam ab immunda: ne polluatis animas vestras in pecore, & avibus, & cunctis quæ moventur in terra, & quæ vobis ostendi esse polluta.

26. * Eritis mihi sancti (*c*) quia sanctus sum ego Dominus, & separavi vos a cæteris populis, ut essetis mei. * 1. Petr. 1. 16.

27. * Vir,

CAP. XX. 3. (*a*) Chald. *Iram meam* quæ in facie se prodit.
15. (*b*) Ne fœditatis vestigium, aut memoria superfit.
26. (*c*) Hoc infert post præmissam separationem Judæorum ab aliis populis, & ab immunditia ciborum: sanctitas enim oritur ex separatione ab iis quæ inquinant: mens autem inquinatur, cum rebus inferioribus amore conjungitur, ut res qualibet ex admistione deterioris fœdatur.

* Deut. 18. 11. 1. Reg. 28. 7. 27. * Vir, sive mulier, in quibus pythonicus, vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur. Lapidibus obruent eos: sanguis eorum sit super illos.

CAPUT XXI.

Sacerdotes jubentur abstinere a funeribus: vitia corporis caveant: Pontifex virginem eamque nobilem ducat uxorem.

1. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Loquere ad sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos: Ne contaminetur sacerdos in mortibus civium suorum,

2. Nisi tantum in consanguineis, ac propinquis, idest, super patre, & matre, & filio, & filia, fratre quoque,

3. Et sorore virgine quæ non est nupta viro:

4. Sed nec in principe populi sui contaminabitur.

* Sup. 19. 27. Ezech. 44. 20. 5. * Non radent caput, nec barbam, neque in carnibus suis facient incisuras.

6. Sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen ejus: incensum enim Domini, & panes (*a*) Dei sui offerunt, & ideo sancti erunt.

* Sup. 19. 29. 7. * Scortum & vile prostibulum non ducent uxorem, nec eam quæ repudiata est a marito: quia consecrati sunt Deo suo,

8. Et panes propositionis offerunt. Sint ergo sancti, quia & ego sanctus sum, Dominus qui sanctifico eos.

9. Sacerdotis filia si deprehensa fuerit in stupro, & violaverit nomen (*b*) patris sui, flammis exuretur.

10. Pontifex, id est, sacerdos maximus inter fratres suos, super cujus caput fusum est unctionis oleum, & cujus manus in sacerdotio consecratæ sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet:

11. Et ad omnem mortuum non ingredietur omnino: super patre quoque suo & matre non contaminabitur.

12. Nec egredietur de Sanctis, ne polluat Sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei sui super eum est. Ego Dominus.

* Ezech 44. 22. 13. * Virginem ducet uxorem:

14. Viduam autem & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo:

15. Ne commisceat (*c*) stirpem generis sui vulgo gentis suæ: quia ego Dominus qui sanctifico eum.

16. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

17. Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo,

18. Nec accedet ad ministerium ejus: si cæcus fuerit, si claudus, si parvo, vel grandi, vel torto (*d*) naso,

19. Si fracto pede, si manu,

20. Si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus.

21. Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo:

22. Vescetur tamen panibus, qui offeruntur in Sanctuario,

23. Ita dumtaxat, ut intra velum non ingrediatur, nec accedat ad altare, quia maculam habet, & contaminare non debet Sanctuarium meum. Ego Dominus qui sanctifico eos.

24. Locutus est ergo Moyses ad Aaron, & ad filios ejus, & ad omnem Israel, cuncta quæ fuerant sibi imperata.

CAPUT XXII.

Alienigenæ & immundi abstineant ab esu victimarum: quibus maculis carere debeant victimæ.

1. Locutus quoque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere ad Aaron & ad filios ejus, ut caveant (*a*) ab his quæ consecrata sunt filiorum Israel, & non contaminent nomen sanctificatorum mihi, quæ ipsi offerunt. Ego Dominus.

3. Dic ad eos, & ad posteros eorum: Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filii Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino. Ego sum Dominus.

4. Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur. Qui tetigerit immundum super mortuo, & ex quo egreditur semen quasi coitus,

5. Et qui tangit reptile, & quodlibet immundum, cujus tactus est sordidus,

6. Immundus erit usque ad vesperum, & non vescetur his quæ sanctificata sunt: sed cum laverit carnem suam aqua,

7. Et occubuerit sol, tunc mundatus vescetur de sanctificatis, quia cibus illius est.

8. * Morticinum & captum a bestia non comedent, nec polluentur in eis. Ego sum Dominus. * Sup. 7. 15. Ezech. 22. 31.

9. Custodiant præcepta mea, ut non subjaceant peccato, & moriantur in Sanctuario (*b*), cum polluerint illud. Ego Dominus qui sanctifico eos. Deut. 14. 21. Ezech. 44. 31.

10. Omnis alienigena non comedet de sanctificatis, inquilinus sacerdotis & mercenarius non vescentur ex eis.

11. Quem autem sacerdos emerit, & qui vernaculus domus ejus fuerit, hi comedent ex eis.

12. Si

CAPUT XXI.

6. (*a*) Panes propositionis umbram habebant futurorum: unde sanctitas illa erat tantum externa & legalis: sed a Sacerdotibus novæ Legis Corpus & Sanguis Domini offeruntur, unde & sanctitas longe major. Non licebat filiis Aaron lugere publice, nisi eos quibus primo affinitatis, aut consanguinitatis gradu erant conjuncti: ab omni terreno affectu liberi esse debent Clerici, nemini addicti, ut omnibus consulant.

9. (*b*) Huic notam inusserit.

15. (*c*) De Pontifice loquitur, qui cum vulgo miscere sanguinem prohibetur.

18. (*d*) Hebr. tantum sunt hæc duo, *simus*, & *excrescens nasus*: immo vocem Hebræam *excisum*, non simum significare natum nonnulli censent.

CAPUT XXII.

2. (*a*) Si fuerint immundi, ne sacrificia contingant.

9. (*b*) In Hebræo vox illa deest, *Sanctuario*. Cum autem ait, *Et moriantur in eo*, Interpres supplens addidit, in Sanctuario: LXX. *Moriantur propterea*, idest, propter peccatum.

12. Si filia sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit: de his quæ sanctificata sunt, & de primitiis non vescetur.

13. Sin autem vidua, vel repudiata, & absque liberis reversa fuerit ad domum patris sui: sicut puella consueverat, aletur cibis patris sui. Omnis alienigena comedendi ex eis non habet potestatem.

14. Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintam partem cum eo quod comedit, & dabit sacerdoti in Sanctuarium.

15. Nec contaminabunt sanctificata filiorum Israel, quæ offerunt Domino:

16. Ne forte sustineant iniquitatem delicti sui, cum sanctificata comederint. Ego Dominus qui sanctifico eos.

17. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

18. Loquere ad Aaron & filios ejus, & ad omnes filios Israel, dicesque ad eos: Homo de domo Israel, & de advenis qui habitant apud vos, qui obtulerit oblationem suam, vel vota solvens, vel sponte offerens, quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini,

19. Ut offeratur per vos, masculus immaculatus erit ex bobus, & ovibus, & ex capris:

20. Si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile.

* Deut. 15. 21. Eccli. 35. 14. 21. * Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota solvens, vel sponte offerens, tam de bobus quam de ovibus, immaculatum offeret, ut acceptabile sit: omnis macula non erit in eo.

22. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem: non offeretis ea Domino, nec adolebitis ex eis super altare Domini.

23. Bovem (c) & ovem, aure & cauda amputatis, voluntarie offerre potes, votum autem ex eis solvi non potest.

24. Omne animal, quod vel contritis, vel tusis, vel sectis, ablatisque testiculis est, non offeretis Domino, & in terra vestra hoc omnino ne faciatis.

25. De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro, & quidquid aliud dare voluerit: quia corrupta & maculata sunt omnia: non suscipietis ea.

26. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

27. Bos, ovis, & capra cum genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suæ: die autem octavo, & deinceps offerri poterunt Domino.

28. Sive illa bos, sive ovis, non immolabuntur una die cum fœtibus suis.

29. Si immolaveritis hostiam pro gratiarum actione Domino, ut possit esse placabilis,

30. Eodem die comedetis eam, non remanebit quidquam in mane alterius diei. Ego Dominus.

31. Custodite mandata mea, & facite ea. Ego Dominus.

32. Ne polluatis nomen meum sanctum, ut sanctificer in medio filiorum Israel. Ego Dominus qui sanctifico vos,

33. Et eduxi de Terra Ægypti, ut essem vobis in Deum. Ego Dominus.

CAPUT XXIII.

Quæ festa sint celebranda.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Hæ sunt feriæ (a) Domini, quas vocabitis sanctas.

3. Sex diebus facietis opus: dies septimus, quia sabbati requies (b) est, vocabitur sanctus: omne opus non facietis in eo: sabbatum Domini est in cunctis habitationibus vestris.

4. Hæ sunt ergo feriæ Domini sanctæ, quas celebrare debetis temporibus suis.

5. * Mense primo, quartadecima die mensis ad vesperum, Phase Domini est: * Exod 12. 18.

6. Et quintadecima die mensis hujus, solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis.

7. Dies primus erit vobis celeberrimus, sanctusque: omne opus servile non facietis in eo:

8. Sed offeretis sacrificium (c) in igne Domino septem diebus: dies autem septimus erit celebrior & sanctior, nullumque servile opus facietis in eo.

9. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

10. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & messueritis (d) segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad sacerdotem.

11. Qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile (e) sit pro vobis, altero die sabbati, & sanctificabit illum.

12. Atque in eodem die quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini:

13. Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini, odoremque suavissimum: liba quoque vini, quarta pars hin.

14. Panem, & polentam, & pultes non comedetis ex segete, usque ad diem qua offeratis ex ea Deo vestro. Præceptum est sempiternum in generationibus, cunctisque habitaculis vestris.

15. * Numerabitis ergo ab altero (f) die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas, * Deut. 16. 9.

16. Usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies: & sic offeretis sacrificium novum Domino

17. Ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini.

18. Offe-

23. (c) Sacerdoti, ut in suos usus convertat, aut vendat, non ut votum solvatur, aut in sacrificium offeratur: id enim vetitum est vers. 21.

CAPUT XXIII. 2. (a) Festi dies, Domino dicati.

3. (b) Hebr. *Sabbatum Sabbati est*. Præcipua religione is dies observatur.

8. (c) Holocaustum.

10. (d) Cum metere cœperitis.

11. (e) Hebr. *Ad voluntatem vestram*, aut potius ad beneplacitum vestrum, ut Deus per eam oblationem sit vobis placabilis.

15. (f) A secundo die azymorum, quo obtulerant manipulum spicarum.

18. Offeretisque cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento unum, & arietes duos, & erunt in holocaustum cum libamentis (g) suis, in odorem suavissimum Domino.

19. Facietis & hircum pro peccato, duosque agnos anniculos hostias pacificorum.

20. Cumque elevaverit eos sacerdos cum panibus primitiarum coram Domino, cedent in usum ejus.

21. Et vocabitis hunc diem celeberrimum, atque sanctissimum: omne opus servile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit in cunctis habitaculis, & generationibus vestris.

* Sup. 19. 9. 22. * Postquam autem messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam usque ad solum: nec remanentes spicas colligetis, sed pauperibus & peregrinis dimittetis eas. Ego sum Dominus Deus vester.

23. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

* Num. 29. 7. 24. * Loquere filiis Israel: Mense septimo, prima die mensis, erit vobis sabbatum (h), memoriale, clangentibus tubis, & vocabitur sanctum:

25. Omne opus servile non facietis in eo, & offeretis holocaustum Domino.

26. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

* Sup. 16. 29 Num. 29. 7. 27. * Decimo die mensis hujus septimi, dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur sanctus: affligetisque animas vestras in eo, & offeretis holocaustum Domino.

28. Omne opus servile non facietis in tempore diei hujus: quia dies propitiationis est, ut propitietur vobis Dominus Deus vester.

29. Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit de populis suis.

30. Et quæ operis quippiam fecerit, delebo eam de populo suo.

31. Nihil ergo operis facietis in eo: legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus, & habitationibus vestris.

32. Sabbatum requietionis est, & affligetis animas vestras die nono mensis. A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.

33. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

34. Loquere filiis Israel: A quintodecimo die mensis hujus septimi, erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino.

35. Dies primus vocabitur celeberrimus atque sanctissimus: omne opus servile non facietis in eo.

* Joan. 7. 37. 36. * Et septem diebus offeretis holocausta Domino: dies quoque octavus erit celeberrimus atque sanctissimus, & offeretis holocaustum Domino: est enim cœtus atque collectæ: omne opus servile non facietis in eo.

37. Hæ sunt feriæ Domini, quas vocabitis celeberrimas atque sanctissimas, offeretisque in eis oblationes Domino, holocausta & libamenta juxta ritum uniuscujusque diei:

38. Exceptis sabbatis Domini, donisque vestris, & quæ offeretis ex voto, vel quæ sponte tribuetis Domino.

39. A quintodecimo ergo die mensis septimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus, die primo & die octavo erit sabbatum, id est, requies.

40. Sumetisque vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spathulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium, & salices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo vestro,

41. Celebrabitisque solemnitatem ejus septem diebus per annum: legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. Mense septimo festa celebrabitis,

42. Et habitabitis in umbraculis septem diebus: omnis, qui de genere est Israel, manebit in tabernaculis:

43. Ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de Terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester.

44. Locutusque est Moyses super solemnitatibus Domini ad filios Israel.

CAPUT XXIV.

De oleo, quod ardeat in lucernis candelabri: item de panibus propositionis; quibus pœnis blasphemia plectenda sint; ac demum de pœna talionis.

1. ET locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de olivis purissimum, ac lucidum, ad concinnandas lucernas jugiter,

3. Extra velum (a) testimonii in tabernaculo fœderis. Ponetque eas Aaron a vespere usque ad mane coram Domino, cultu rituque perpetuo in generationibus vestris.

4. Super candelabrum mundissimum ponentur semper in conspectu Domini.

5. Accipies quoque similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas (b):

6. Quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues:

7. Et pones super eos thus lucidissimum, ut sit panis in monimentum oblationis Domini.

8. Per singula sabbata mutabuntur coram Domino suscepti a filiis Israel fœdere sempiterno:

9. Eruntque Aaron & filiorum ejus, ut comedant eos in loco sancto: quia Sanctum Sanctorum est de sacrificiis Domini jure perpetuo.

10. Ecce autem egressus filius mulieris Israelitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel, jurgatus est in castris cum viro Israelita.

11. Cum-

18 & 19. (g) Quidquid cum victimis offerebitur, ut oleum, vinum, &c. *Facietis*: Mactabitis.

24. (h) Sabbatum in Scriptura proprie significat diem quietis: mensis septimi die prima erat festum Tubarum, ac mensis septimus erat sacer, ut dies septimus, annus septimus: die decimo erat festum Expiationis; die decimaquinta festum Tabernaculorum, cujus die Octavo *cœtus atque collectæ*: quod eo die populum colligi & adunari oporteret, ut vacaret rebus divinis.

3. (a) Extra Sanctum sanctorum.

5. (b) Seu quintam partem Ephi, quod erat 60. librarum, seu trium modiorum.

CAPUT XXIV.

11. Cumque blasphemasset nomen, & maledixisset ei, adductus est ad Moysen: (Vocabatur autem mater ejus Salumith, filia Dabri de tribu Dan.)

12. Miseruntque eum in carcerem, donec nossent quid juberet Dominus.

13. Qui locutus est ad Moysen,

14. Dicens: Educ blasphemum extra castra, & ponant (*c*) omnes qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus.

15. Et ad filios Israel loqueris: Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum:

16. Et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur.

* Exod. 21. 12. 17. * Qui percusserit, & occiderit hominem, morte moriatur.

18. Qui percusserit animal, reddet vicarium, id est, animam pro anima.

19. Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum: sicut fecit, sic fiet ei:

* Exod. 21. 24. Deut. 19. 21 Matth. 5. 38. 20. * Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet, qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur.

21. Qui percusserit jumentum, reddet aliud. Qui percusserit hominem, punietur.

22. Æquum judicium sit inter vos, sive peregrinus, sive civis peccaverit: quia ego sum Dominus Deus vester.

23. Locutusque est Moyses ad filios Israel: & eduxerunt eum, qui blasphemaverat, extra castra, ac lapidibus oppresserunt. Feceruntque filii Israel sicut præceperat Dominus Moysi.

CAPUT XXV.

Anni sabbatici, seu septimi, item anni jubilæi leges.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen in monte Sinai, dicens:

2. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Quando ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, sabbatizes sabbatum Domino.

* Exod. 23. 10. 3. * Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, colligesque fructus ejus:

4. Septimo autem anno sabbatum erit terræ, requietionis Domini: agrum non seres (*a*), & vineam non putabis.

5. Quæ sponte gignet humus, non metes: & uvas primitiarum tuarum non colliges quasi vindemiam (*b*): annus enim requietionis terræ est:

6. Sed erunt vobis in cibum, tibi & servo tuo, ancillæ & mercenario tuo, & advenæ qui peregrinantur apud te:

7. Jumentis tuis & pecoribus, omnia quæ nascuntur, præbebunt cibum.

8. Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem:

9. Et clanges buccina mense septimo (*c*), decima die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra.

10. Sanctificabisque annum quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipse est enim jubilæus. Revertetur homo ad possessionem (*d*) suam, & unusquisque rediet ad familiam pristinam:

11. Quia jubilæus est & quinquagesimus annus. Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia, & primitias vindemiæ non colligetis,

12. Ob sanctificationem jubilæi, sed statim oblata comedetis.

13. Anno jubilæi redient omnes ad possessiones suas.

14. Quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum, sed juxta numerum annorum jubilæi emes ab eo,

15. Et juxta supputationem frugum vendet tibi.

16. Quanto plures anni remanserint post jubilæum, tanto crescet & pretium: & quanto minus temporis numeraveris, tanto minoris & emptio constabit: tempus enim frugum vendet tibi.

17. Nolite affligere contribules vestros, sed timeat unusquisque Deum suum, quia ego Dominus Deus vester.

18. Facite præcepta mea, & judicia custodite, & implete ea, ut habitare possitis in terra absque ullo pavore,

19. Et gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini usque ad saturitatem, nullius impetum formidantes.

20. Quod si dixeritis: Quid comedemus anno septimo, si non severimus, neque collegerimus fruges nostras?

21. Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum:

22. Seretisque anno octavo, & comedetis veteres fruges usque ad nonum annum: donec nova nascantur, edetis vetera.

23. Terra quoque non vendetur in perpetuum: quia mea est, & vos advenæ & coloni mei estis.

24. Unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur.

25. Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinquus ejus, potest redimere quod ille vendiderat.

26. Sin autem non habuerit proximum, & ipse pretium ad redimendum potuerit invenire:

27. Computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit: & quod reliquum est, reddet emptori, sicque recipiet possessionem suam.

28. Quod si non invenerit manus ejus ut reddat pretium, habebit emptor quod emerat, usque ad annum jubilæum. In ipso enim omnis venditio redibit ad dominum, & ad possessorem pristinum.

29. Qui

14. & 18. (*c*) In testimonium facti, & approbationem justi supplicii. *Percusserit*, Occiderit.

CAPUT XXV. 4. (*a*) Itaque videtur hoc anno nullam fuisse sationem, contra atque existimat Augustin. in cap. 23. Exod.

5. (*b*) Hebr. *Separationem*. Quas scilicet tu separabas, nunc quasi primitiæ Deo dicantur.

9. (*c*) Tum buccinæ sono promulgabant sequentem annum fore jubilæum, qui erat quinquagesimus.

10. (*d*) Ista conditionis ratio ad annum usque jubilæi fuit instituta, ne confunderentur Tribus, ut poneretur avaritiæ modus, & honestæ familiæ conservarentur: domum urbanam venditam, nec intra annum redemptam, emptor & posteri ejus in perpetuum possidebant, quo frequentiores urbes redderentur.

29. Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus.

30. Si non redemerit, & anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam, & posteri ejus in perpetuum, & redimi non poterit, etiam in jubilæo.

31. Sin autem in villa fuerit domus, quæ muros non habet, agrorum jure vendetur; si ante redempta non fuerit, in jubilæo revertetur ad dominum.

32. Ædes Levitarum, quæ in urbibus sunt, semper possunt redimi:

33. Si redemptæ non fuerint, in jubilæo revertentur ad dominos, quia domus urbium Levitarum pro possessionibus sunt inter filios Israel.

34. Suburbana autem eorum non veneant, quia possessio sempiterna est.

35. Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi advenam & peregrinum, & vixerit tecum,

36. Ne accipias usuras ab eo, nec amplius quam dedisti. Time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te.

37. Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram (e), & frugum superabundantiam non exiges.

38. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de Terra Ægypti, ut darem vobis Terram Chanaan, & essem vester Deus.

39. Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum (f),

40. Sed quasi mercenarius & colonus erit: usque ad annum jubilæum operabitur apud te,

41. Et postea egredietur cum liberis suis, & revertetur ad cognationem & ad possessionem patrum suorum:

42. Mei enim servi sunt, & ego eduxi eos de Terra Ægypti: non veneant conditione servorum:

43. Ne affligas eum per potentiam, sed metuito Deum tuum.

44. Servus & ancilla sint vobis de nationibus (g) quæ in circuitu vestro sunt.

45. Et de advenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos:

46. Et hæreditario jure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum: fratres autem vestros filios Israel ne opprimatis per potentiam.

47. Si invaluerit apud vos manus advenæ atque peregrini, & attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe ejus:

48. Post venditionem potest redimi. Qui voluerit ex fratribus suis, redimet eum,

49. Et patruus, & patruelis, & consanguineus, & affinis. Sin autem & ipse potuerit, redimet se,

50. Supputatis dumtaxat annis à tempore venditionis suæ usque ad annum jubilæum: & pecunia, qua venditus fuerat, juxta annorum numerum & rationem mercenarii supputata.

51. Si plures fuerint anni qui remanent usque ad jubilæum, secundum hos reddet & pretium.

52. Si pauci, ponet rationem cum eo juxta annorum numerum, & reddet emptori quod reliquum est annorum,

53. Quibus ante servivit mercedibus imputatis: non affliget eum violenter in conspectu tuo.

54. Quod si per hæc redimi non potuerit, anno jubilæo egredietur cum liberis suis.

55. Mei enim sunt servi, filii Israel, quos eduxi de Terra Ægypti.

CAPUT XXVI.

Leges servantibus benedictiones promittit Deus, non servantibus mala quamplurima imminent.

1. EGo Dominus Deus vester: * Non facietis vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis (a) eum. Ego enim sum Dominus Deus vester. * Exod. 20. 4. Deut. 5. 8. Ps. 97. 7.

2. Custodite sabbata mea, & pavete ad Sanctuarium meum. Ego Dominus.

3. * Si in præceptis meis ambulaveritis, & mandata mea custodieritis, & feceritis ea, dabo vobis pluvias temporibus suis, * Deut. 28. 1.

4. Et terra gignet germen suum, & pomis arbores replebuntur.

5. Apprehendet (b) messium tritura vindemiam, & vindemia occupabit sementem: & comedetis panem vestrum in saturitate, & absque pavore habitabitis in terra vestra.

6. Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, & non erit qui exterreat. Auferam malas bestias: & gladius non transibit terminos vestros.

7. Persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis.

8. Persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro.

9. Respiciam vos, & crescere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiscum.

10. Comedetis (c) vetustissima veterum, & vetera novis supervenientibus projicietis.

11. Ponam tabernaculum (d) meum in medio vestri, & non abjiciet vos anima mea.

12. * Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vosque eritis populus meus. * 2. Cor. 6. 16.

13. Ego Dominus Deus vester: qui eduxi vos de Terra Ægyptiorum, ne serviretis eis, & qui confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis erecti.

14. * Quod

37. (e) Non ab eo exiges majorem frugum copiam, quam dederis. Hebr. *Et cum sanore & augmento non dabis ei cibum tuum*: usura est cum plus exigitur, quam datum fuit, seu pecuniæ, seu frugum.

39 & 40. (f) Mancipiorum. *Jubilæum*: si noluerit exire anno septimo.

44. (g) Mancipia non erant Hebræi.

CAPUT XXVI. 1. (a) Seclusa adoratione non prohibetur ponere terminos agrorum aut figere columnas in monumentum beneficii divini; ita non simpliciter vetatur facere sculptilia, sed tantum ne adorentur.

5. (b) Instabit vindemia, priusquam absoluta fuerit tritura.

10. (c) Abundabitis annona, quam absumere non poteritis, & vetera projicere cogemini.

11. (d) Hæc sublimiori sensu referuntur ad Christum & Ecclesiam. Ad hunc locum alludit Apostolus, 2. Cor 6. *Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dixit Deus; Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo*. *Non abjiciet vos anima mea*: Nam ut Deo tribuuntur membra ob certas operationes, ita & animæ ob intellectum & voluntatem.

* Deut. 28. 14. * Quod ſi non audieritis me, nec fece-
15. ritis omnia mandata mea,
Thren. 2. 15. Si ſpreveritis leges meas, & judicia mea
17. Malach. 2. contempſeritis, ut non faciatis ea quæ a me
2. conſtituta ſunt, & ad irritum perducatis pa-
ctum meum:

16. Ego quoque hæc faciam vobis: Viſitabo vos velociter in egeſtate, & ardore (*e*), qui conficiat oculos veſtros, & conſumat animas veſtras. Fruſtra ſeretis ſementem, quæ ab hoſtibus devorabitur.

17. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hoſtibus veſtris, & ſubjiciemini his qui oderunt vos: fugietis, nemine perſequente.

18. Sin autem nec ſic obedieritis mihi, addam correptiones veſtras ſeptuplum propter peccata veſtra,

19. Et conteram ſuperbiam duritiæ veſtræ. Daboque vobis cælum deſuper ſicut ferrum, & terram æneam.

20. Conſumetur incaſſum labor veſter, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.

21. Si ambulaveritis ex adverſo mihi, nec volueritis audire me, addam plagas veſtras in ſeptuplum propter peccata veſtra:

22. Immittamque in vos beſtias agri, quæ conſumant vos, & pecora veſtra, & ad paucitatem cuncta redigant, deſertæque fiant viæ veſtræ.

23. Quod ſi nec ſic volueritis recipere diſciplinam, ſed ambulaveritis ex adverſo mihi:

24. Ego quoque contra vos adverſus incedam, & percutiam vos ſepties propter peccata veſtra,

25. Inducamque ſuper vos gladium ultorem fœderis mei. Cumque confugeritis in urbes, mittam peſtilentiam in medio veſtri, & trademini in manibus hoſtium,

26. Poſtquam confregero baculum (*f*) panis veſtri: ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus: & comedetis, & non ſaturabimini.

27. Sin autem nec per hæc audieritis me, ſed ambulaveritis contra me:

28. Et ego incedam adverſus vos in furore contrario, & corripiam vos ſeptem plagis propter peccata veſtra,

29. Ita ut comedatis carnes filiorum veſtrorum & filiarum veſtrarum.

30. Deſtruam excelſa veſtra, & ſimulacra confringam. Cadetis inter ruinas idolorum veſtrorum, & abominabitur vos anima mea,

31. In tantum ut urbes veſtras redigam in ſolitudinem, & deſerta faciam Sanctuaria veſtra, nec recipiam ultra odorem ſuaviſſimum.

32. Diſperdamque terram veſtram, & ſtupebunt ſuper ea inimici veſtri, cum habitatores illius fuerint.

33. Vos autem diſpergam in Gentes, & evaginabo poſt vos gladium, eritque terra veſtra deſerta, & civitates veſtræ dirutæ.

34. Tunc placebunt (*g*) terræ ſabbata ſua cunctis diebus ſolitudinis ſuæ: quando fueritis

35. In terra hoſtili, ſabbatizavit, & requieſcet in ſabbatis ſolitudinis ſuæ, eo quod non requieverit (*h*) in ſabbatis veſtris quando habitabatis in ea.

36. Et qui de vobis remanſerint, dabo pavorem in cordibus eorum in regionibus hoſtium, terrebit eos ſonitus folii volantis, & ita fugient quaſi gladium: cadent, nullo perſequente,

37. Et corruent ſinguli ſuper fratres ſuos quaſi bella fugientes, nemo veſtrum inimicis audebit reſiſtere.

38. Peribitis inter Gentes, & hoſtilis vos terra conſumet.

39. Quod ſi & de iis aliqui remanſerint, tabeſcent in iniquitatibus ſuis, in terra inimicorum ſuorum, & propter peccata patrum ſuorum & ſua affligentur:

40. Donec confiteantur iniquitates ſuas, & majorum ſuorum, quibus prævaricati ſunt in me, & ambulaverunt ex adverſo mihi.

41. Ambulabo igitur & ego contra eos, & inducam illos in terram hoſtilem, donec erubeſcat (*i*) incircumciſa mens eorum: tunc orabunt pro impietatibus ſuis.

42. Et recordabor fœderis mei quod pepigi cum Jacob, Iſaac, & Abraham. Terræ quoque memor ero:

43. Quæ cum relicta fuerit ab eis, complacebit ſibi in ſabbatis ſuis, patiens ſolitudinem propter illos. Ipſi vero rogabunt pro peccatis ſuis, eo quod abjecerint judicia mea, & leges meas deſpexerint.

44. Et tamen etiam cum eſſent in terra hoſtili, non penitus abjeci eos, neque ſic deſpexi ut conſumerentur, & irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim ſum Dominus Deus eorum,

45. Et recordabor fœderis mei priſtini, quando eduxi eos de Terra Ægypti in conſpectu Gentium, ut eſſem Deus eorum. Ego Dominus. Hæc ſunt judicia atque præcepta & leges, quas dedit Dominus inter ſe & filios Iſrael in monte Sinai per manum Moyſi.

C A P U T XXVII.

Variæ feruntur leges de rebus Deo per votum oblatis, de primogenitis, de decimis.

1. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2. Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos: homo qui votum fecerit, & ſpoponderit (*a*) Deo animam ſuam, ſub æſtimatione dabit pretium.

3. Si fuerit maſculus a vigeſimo anno uſque ad ſexageſimum annum, dabit quinquaginta ſiclos argenti ad menſuram Sanctuarii:

4. Si mulier, triginta.

5. A quin-

16. (*e*) Vox Hebræa ſignificat membrum regium, ſeu ictetum.

26. (*f*) Fulcimentum: ſubſidium omne cibi auferam: *Ita ut decem mulieres in uno clibano coquant panes*: cum antea vix unus clibanus ſufficeret uni familiæ.

34. (*g*) Quæ vacabit vobis ejectis: vel quæ rebus integris contempſerunt, in captivitate cupidiſſime exquirent.

35. (*h*) Non ei conceſſiſtis requiem anni ſeptimi.

41. (*i*) Hebr. *Tunc humiliabitur cor eorum incircumciſum*.

2. (*a*) Seipſum mancipaverit cultui divino; v. g. ut ſerviat Levitis, portet aquas vel ligna.

5. A quinto autem anno usque ad vigesimum, masculus dabit viginti siclos: femina decem.

6. Ab uno mense usque ad annum (*b*) quintum, pro masculo dabuntur quinque sicli: pro femina, tres.

7. Sexagenarius & ultra masculus dabit quindecim siclos: femina decem.

8. Si pauper fuerit, & æstimationem reddere non valebit, stabit coram sacerdote: & quantum ille æstimaverit, & viderit eum posse reddere, tantum dabit.

9. Animal autem, quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit,

10. Et mutari non poterit, id est, nec melius malo, nec pejus bono. Quod si mutaverit: & ipsum quod mutatum est, & illud pro quo mutatum est, consecratum erit Domino.

11. Animal immundum, quod immolari Domino non potest, si quis voverit, adducetur ante sacerdotem.

12. Qui judicans utrum bonum an malum sit, statuet pretium.

13. Quod si dare voluerit is, qui offert, addet (*c*) supra æstimationem quintam partem.

14. Homo si voverit domum suam, & sanctificaverit Domino, considerabit eam sacerdos utrum bona an mala sit, & juxta pretium, quod ab eo fuerit constitutum, venumdabitur:

15. Sin autem ille qui voverat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æstimationis supra, & habebit domum.

16. Quod si agrum possessionis suæ voverit, & consecraverit Domino: juxta mensuram sementis æstimabitur pretium. Si triginta modiis hordei seritur terra, quinquaginta siclis (*d*) venumdetur argenti.

17. Si statim ab anno incipientis jubilæi voverit agrum, quanto valere potest, tanto æstimabitur.

18. Sin autem post aliquantum temporis: supputabit sacerdos pecuniam juxta annorum, qui reliqui sunt, numerum usque ad jubilæum & detrahetur ex pretio.

19. Quod si voluerit redimere agrum ille qui voverat, addet quintam partem æstimatæ pecuniæ, & possidebit eum.

20. Sic autem noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venumdatus, ultra eum qui voverat redimere non poterit:

21. Quia cum jubilæi venerit dies, sanctificatus erit Domino, & possessio consecrata ad jus pertinet sacerdotum.

22. Si ager emptus est, & non de possessione majorum sanctificatus fuerit Domino,

23. Supputabit sacerdos juxta annorum numerum usque ad jubilæum, pretium: & dabit ille qui voverat eum, Domino.

24. In jubilæo autem revertetur ad priorem dominum, qui vendiderat eum, & habuerat in sorte possessionis suæ.

25. Omnis æstimatio siclo sanctuarii ponderabitur. * Siclus viginti obolos habet. *Exod. 30. 13. Num. 3. 47. Ezech. 45. 12.

26. Primogenita, quæ ad Dominum pertinent, nemo sanctificare poterit & vovere: sive bos, sive ovis fuerit, Domini sunt.

27. Quod si immundum est animal, redimet qui obtulit, juxta æstimationem tuam, & addet quintam partem pretii. Si redimere noluerit, vendetur alteri quantocumque a te fuerit æstimatum.

28. * Omne quod Domino consecratur (*e*), sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. *Jos. 6. 17. & 25.

29. Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.

30. Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur.

31. Si quis autem voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum.

32. Omnium decimarum bovis & ovis & capræ, quæ sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur Domino.

33. Non eligetur nec bonum nec malum, nec altero commutabitur: si quis mutaverit: & quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur.

34. Hæc sunt præcepta, quæ mandavit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai.

6. (*b*) Si parentes eum devoverint.
13. (*c*) Ne qui voverant, faciles essent ad retinendum.
16. (*d*) Annuo redditu.
28. (*e*) Vox Hebræa *Herem*, חרם. *Anathema*, idque est omne quod ad gloriam Dei destinatur, quod utique fit suo cujusque rei modo. Hostes Dei devoti ad internecionem usque delentur: animal immolatitium occiditur in sacrificium, immundum extra Sacrificium; homo cultui divino in perpetuum deputatur.



LIBER NUMERORUM,

HEBRAICE

VAIEDABBER.

HOC in Libro populi Hebræi variæ enumerationes recensentur, & eorum maxime qui ferendis armis erant idonei: unde apud Græcos & Latinos Liber Numeri, aut Numerorum inscribitur. Res gestas Mosis per 39. fere annos, nempe a secundo mense anni secundi post exitum ex Ægypto, ad initium usque mensis undecimi quadragesimi anni complectitur. Quod hic Liber Mosem habeat auctorem, ex iis quæ dicta sunt in Pentateuchi Præfatione planum est. Et quidem cum Moses in Lege sua Israelitas admoneat, ut eorum quæ Core, Dathan, & Abiron acciderunt, meminerint, id omnino abhorret a verisimili hujus eventus historiam ab eo scriptam non fuisse. Deinde cum Tribuum distinctione & Levitarum institutione omnis Reipublicæ status niteretur, eorum Genealogias, ut in Libro Numerorum sunt descriptæ, omittere non potuit Moses: nam ea Tribuum distinctio & Levitarum constitutio stare non poterant, ubi Genealogiæ confunderentur.

CAPUT PRIMUM.

Initur numerus filiorum Israel ab anno vigesimo, & supra, qui census est arma portantium: Filii Levi deferendo tabernaculo destinantur.

1. LOCUTUSQUE est Dominus ad Moysen in deserto Sinai in tabernaculo fœderis, prima die mensis secundi, anno altero egressionis eorum ex Ægypto, dicens:

* Exod. 30. 12.

2. * Tollite summam (*a*) universæ congregationis filiorum Israel per cognationes & domos suas, & nomina singulorum, quidquid sexus est masculini,

3. A vigesimo anno & supra, omnium virorum fortium (*b*) ex Israel, & numerabitis eos per turmas suas, tu & Aaron.

4. Eruntque vobiscum principes tribuum ac domorum in cognationibus suis,

5. Quorum ista sunt nomina: De Ruben (*c*), Elisur filius Sedeur.

6. De Simeon, Salamiel filius Surisaddai.

7. De Juda, Nahasson filius Aminadab.

8. De Issachar, Nathanael filius Suar.

9. De Zabulon, Eliab filius Helon:

10. Filiorum autem Joseph, de Ephraim, Elisama filius Ammiud. De Manasse, Gamaliel filius Phadassur.

11. De Benjamin, Abidan filius Gedeonis.

12. De Dan, Ahiezer filius Ammisaddai.

13. De Aser, Phegiel filius Ochran.

14. De Gad, Eliasaph filius Duel.

15. De Nephthali, Ahira filius Enan.

16. Hi nobilissimi principes (*d*) multitudinis per tribus & cognationes suas, & capita exercitus Israel:

17. Quos tulerunt Moyses & Aaron cum omni vulgi multitudine:

18. Et congregaverunt primo die mensis secundi, recensentes eos per cognationes, & domos, ac familias, & capita, & nomina singulorum a vigesimo anno & supra,

19. Sicut præceperat Dominus Moysi. Numeratique sunt in deserto Sinai.

20. De Ruben primogenito Israelis per generationes (*e*) & familias ac domos suas, & nomina capitum singulorum, omne quod sexus est masculini a vigesimo anno & supra, procedentium ad bellum.

21. Quadraginta sex millia quingenti.

22. De filiis Simeon per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina & capita singulorum, omne quod sexus est masculini a vigesimo anno & supra, procedentium ad bellum,

23. Quin-

CAPUT I. 2. (*a*) Jam census ante constructionem Tabernaculi factus fuerat, ut singuli ad illius fabricam dimidium sicli penderent. Exodi 36. Hic census ad militarem delectum pertinet, ad castra metanda circa Tabernaculum, & exercitum ordinandum.

3. (*b*) Hebr. *Egredientium ad bellum*, qui possint arma capere. *Eruntque vobiscum Principes Tribuum*; Primogeniti recta descendentium a capitibus Tribuum.

5. (*c*) Non ætatem, aut dignitatem, sed quatuor uxorum Jacob ordinem sequitur Moses.

16. (*d*) In multitudine illustriores.

20. (*e*) Vox generationis universim designat, quod postea particulatim exprimit, ut familia plures ex eadem stirpe propagines, domus, singulas familias designat.

23. Quinquaginta novem millia trecenti.

24. De filiis Gad per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis & supra, omnes qui ad bella procederent,

25. Quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta.

26. De filiis Juda per generationes & familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

27. Recensiti sunt septuaginta quatuor millia sexcenti.

28. De filiis Issachar per generationes & familias ac domos cognationum suarum, per nomina singulorum a vigesimo anno & supra, omnes qui ad bella procederent,

29. Recensiti sunt quinquaginta quatuor millia quadringenti.

30. De filiis Zabulon per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

31. Quinquaginta septem millia quadringenti.

32. De filiis Joseph, filiorum Ephraim per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

33. Quadraginta millia quingenti.

34. Porro filiorum Manasse per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a viginti annis & supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

35. Triginta duo millia ducenti.

36. De filiis Benjamin per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

37. Triginta quinque millia quadringenti.

38. De filiis Dan per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

39. Sexaginta duo millia septingenti.

40. De filiis Aser per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum a vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

41. Quadraginta millia & mille quingenti.

42. De filiis Nephthali per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum a vigesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere,

43. Quinquaginta tria millia quadringenti.

44. Hi sunt quos numeraverunt Moyses & Aaron, & duodecim principes Israel, singulos per domos cognationum suarum.

45. Fueruntque omnis numerus filiorum Israel per domos & familias suas a vigesimo anno & supra, qui poterant ad bella procedere,

46. Sexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta:

47. Levitæ autem in tribu familiarum suarum non sunt numerati (f) cum eis.

48. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

49. Tribum Levi noli numerare, neque pones summam eorum cum filiis Israel:

50. Sed constitue eos super tabernaculum testimonii & cuncta vasa ejus, & quidquid ad cæremonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum & omnia utensilia ejus: & erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur.

51. Cum proficiscendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum: cum castrametandum, erigent: quisquis externorum accesserit, occidetur.

52. Metabuntur autem castra filii Israel unusquisque per turmas & cuneos atque exercitum suum.

53. Porro Levitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel, & excubabunt in custodiis tabernaculi testimonii.

54. Fecerunt ergo filii Israel juxta omnia quæ præceperat Dominus Moysi.

CAPUT II.

Israelitarum castra circa tabernaculum ita disponuntur, ut quatuor ad quatuor mundi plagas dirigantur, ad Orientem sit vexillum Juda, ad Austrum vexillum Ruben, ad Occidentem vexillum Ephraim, ad Septentrionem vexillum Dan, atque his quatuor cæteræ tribus subjiciantur.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:

2. Singuli per turmas, signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum castrametabuntur filii Israel, per gyrum tabernaculi fœderis.

3. Ad Orientem Judas figet tentoria per turmas exercitus sui: eritque princeps filiorum ejus Nahasson filius Aminadab.

4. Et omnis de stirpe ejus summa pugnantium, septuaginta quatuor millia sexcenti.

5. Juxta eum castrametati sunt de tribu Issachar, quorum princeps fuit Nathanael filius Suar.

6. Et omnis numerus pugnatorum ejus quinquaginta quatuor millia quadringenti.

7. In tribu Zabulon princeps fuit Eliab filius Helon.

8. Omnis de stirpe ejus exercitus pugnatorum, quinquaginta septem millia quadringenti.

9. Universi qui in castris Judæ annumerati sunt, fuerunt centum octoginta sex millia quadringenti: & per turmas suas primi egredientur.

10. In castris filiorum Ruben ad meridianam plagam erit princeps Elisur filius Sedeur:

11. Et

47 (f) Nam circa Tabernaculum, cujus ministerio erant destinati, versabantur, & cum aliis Tribubus non erant permixti: immunes erant ab oneribus belli, quamquam prælio interesse, & pugnare iis licitum erat.

11. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta sex millia quingenti.

12. Juxta eum castrametati sunt de tribu Simeon: quorum princeps fuit Salamiel filius Surisaddai.

13. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quinquaginta novem millia trecenti.

14. In tribu Gad princeps fuit Eliasaph filius Duel.

15. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta.

16. Omnes qui recensiti sunt in castris Ruben, centum quinquaginta millia & mille quadringenti quinquaginta per turmas suas: in secundo loco proficiscentur.

17. Levabitur autem tabernaculum testimonii per officia Levitarum & turmas eorum: quomodo erigetur, ita & deponetur. Singuli per loca & ordines suos proficiscentur.

18. Ad occidentalem plagam erunt castra filiorum Ephraim, quorum princeps fuit Elisama filius Ammiud.

19. Cunctus exercitus pugnatorum ejus qui numerati sunt, quadraginta millia quingenti.

20. Et cum eis tribus filiorum Manasse, quorum princeps fuit Gamaliel filius Phadassur.

21. Cunctusque exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, triginta duo millia ducenti.

22. In tribu filiorum Benjamin princeps fuit Abidan filius Gedeonis.

23. Et cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui recensiti sunt, triginta quinque millia quadringenti.

24. Omnes qui numerati sunt in castris Ephraim, centum octo millia centum per turmas suas: tertii proficiscentur.

25. Ad Aquilonis partem castrametati sunt filii Dan: quorum princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai.

26. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, sexagintaduo millia septingenti.

27. Juxta eum fixere tentoria de tribu Aser: quorum princeps fuit Phegiel filius Ochran.

28. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, qui numerati sunt, quadraginta millia & mille quingenti.

29. De tribu filiorum Nepthali princeps fuit Ahira filius Enan.

30. Cunctus exercitus pugnatorum ejus, quinquaginta tria millia quadringenti.

31. Omnes qui numerati sunt in castris Dan, fuerunt centum quinquaginta septem millia sexcenti: & novissimi proficiscentur.

32. Hic numerus filiorum Israel, per domos cognationum suarum & turmas divisi exercitus, sexcenta tria millia quingenti quinquaginta.

33. Levitæ autem non sunt numerati inter filios Israel: sic enim præceperat Dominus Moysi.

34. Feceruntque filii Israel juxta omnia quæ mandaverat Dominus. Castrametati sunt per turmas suas, & profecti per familias ac domos patrum suorum.

CAPUT III.

Levitæ numerantur, inventi sunt 22000. custodia rerum quæ ad tabernaculum spectant iis demandata, iique primogenitorum loco cultui divino destinantur.

1. HÆ sunt generationes Aaron & Moysi, in die qua locutus est Dominus ad Moysen in monte Sinai.

2. * Et hæc nomina filiorum Aaron: primogenitus ejus Nadab, deinde Abiu, & Eleazar, & Ithamar. * Exod. 6. 24.

3. Hæc nomina filiorum Aaron sacerdotum qui uncti sunt, & quorum repletæ (a) & consecratæ manus ut sacerdotio fungerentur.

4. * Mortui sunt enim Nadab & Abiu, cum offerrent ignem alienum in conspectu Domini in deserto Sinai, absque liberis: functique sunt sacerdotio Eleazar & Ithamar coram Aaron patre suo. * Levit. 10. 1. & 2. 1. Par. 24. 2.

5. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

6. Applica tribum Levi, & fac stare in conspectu Aaron sacerdotis ut ministrent ei, & excubent,

7. Et observent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram tabernaculo testimonii,

8. Et custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio ejus.

9. Dabisque dono Levitas

10. Aaron & filiis ejus, quibus traditi sunt a filiis Israel. Aaron autem & filios ejus constitues super cultum sacerdotii: Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.

11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

12. Ego tuli Levitas a filiis Israel pro omni primogenito (b) qui aperit vulvam in filiis Israel: eruntque Levitæ mei.

13. * Meum est enim omne primogenitum: ex quo percussi primogenitos in Terra Ægypti: sanctificavi mihi (c) quidquid primum nascitur in Israel ab homine usque ad pecus, mei sunt: Ego Dominus. * Exod. 13. 2. Infr. 8. 16.

14. Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, dicens:

15. Numera filios Levi per domos patrum suorum & familias, omnem masculum ab uno mense & supra (d).

16. Numeravit Moyses, ut præceperat Dominus.

17. * Et inventi sunt filii Levi per nomina sua, Gerson & Caath & Merari. * Exod. 6. 16.

18. Filii Gerson: Lebni & Semei.

19. Filii

CAP. III.

3. (a) Impletæ hostiis quas offerebant Domino.

12. (b) Cum primogenita omnia Deo essent obligata, loco eorum Deus sibi addixit quidquid erat masculini sexus in Tribu Levitica.

13. (c) Ut rem sacram mihi vindicavi.

15. (d) Quod primogeniti post unum mensem redimerentur, ac Levitæ cum primogenitis redimerentur. Aut quia tota Tribus Levitica erat Deo consecrata primogenitorum loco. *Princeps autem principum Levitarum Eleazar*. Primus erat inter principes Levitarum. Quo quidem modo Principes Sacerdotum aliquando vocitantur, qui non erant Summi Sacerdotes.

19. Filii Caath: Amram & Jesaar, Hebron & Oziel.

20. Filii Merari: Moholi & Musi.

21. De Gerson fuere familiæ duæ, Lebnitica, & Semeitica:

22. Quarum numeratus est populus sexus masculini ab uno mense & supra, septem millia quingenti.

23. Hi post Tabernaculum metabuntur ad Occidentem,

24. Sub principe Eliasaph filio Lael.

25. Et habebunt excubias in tabernaculo fœderis,

26. Ipsum tabernaculum & operimentum ejus, tentorium quod trahitur ante fores tecti fœderis, & cortinas atrii: tentorium quoque quod appenditur in introitu atrii tabernaculi, & quidquid ad ritum altaris pertinet, funes tabernaculi & omnia utensilia ejus.

27. Cognatio Caath habebit populos Amramitas & Jesaaritas & Hebronitas & Ozielitas. Hæ sunt familiæ Caathitarum recensitæ per nomina sua:

28. Omnes generis masculini ab uno mense & supra, octo millia sexcenti habebunt excubias Sanctuarii,

29. Et castrametabuntur ad meridianam plagam.

30. Princepsque eorum erit Elisaphan filius Oziel:

31. Et custodient arcam, mensamque & candelabrum, altaria & vasa Sanctuarii, in quibus ministratur, & velum, cunctamque hujuscemodi supellectilem.

32. Princeps autem principum Levitarum Eleazar filius Aaron Sacerdotis, erit super excubitores custodiæ Sanctuarii.

33. At vero de Merari erunt populi Moholitæ & Musitæ recensiti per nomina sua:

34. Omnes generis masculini ab uno mense & supra, sex millia ducenti.

35. Princeps eorum Suriel filius Abihaiel: in plaga septentrionali castrametabuntur.

36. Erunt sub custodia eorum tabulæ tabernaculi & vectes, & columnæ ac bases earum, & omnia quæ ad cultum hujuscemodi pertinent:

37. Columnæque atrii per circuitum cum basibus suis, & paxilli cum funibus (*e*).

38. Castrametabuntur ante tabernaculum fœderis, id est, ad orientalem plagam, Moyses & Aaron cum filiis suis, habentes custodiam Sanctuarii in medio filiorum Israel: quisquis alienus accesserit, morietur.

39. Omnes Levitæ, quos numeraverunt Moyses & Aaron juxta præceptum Domini per familias suas in genere masculino a mense uno & supra, fuerunt viginti duo millia.

40. Et ait Dominus ad Moysen: Numera primogenitos sexus masculini de filiis Israel ab uno mense & supra, & habebis summam eorum.

41. Tollesque Levitas mihi pro omni primogenito filiorum Israel, ego sum Dominus: & pecora eorum pro universis primogenitis pecorum filiorum Israel.

42. Recensuit Moyses, sicut præceperat Dominus, primogenitos filiorum Israel.

43. Et fuerunt masculi per nomina sua, a mense uno & supra, viginti duo millia ducenti septuaginta tres.

44. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

45. Tolle Levitas pro primogenitis filiorum Israel, & pecora Levitarum pro pecoribus eorum, eruntque Levitæ mei. Ego sum Dominus.

46. In pretio autem ducentorum septuaginta trium, qui excedunt numerum Levitarum (*f*) de primogenitis filiorum Israel,

47. Accipies quinque siclos per singula capita ad mensuram Sanctuarii. * Siclus habet viginti obolos. * Exod. 30. 13. Lev. 27. 25. Inf. 18. 16. Ezech. 45. 12.

48. Dabisque pecuniam Aaron & filiis ejus pretium eorum qui supra sunt.

49. Tulit igitur Moyses pecuniam eorum, qui fuerant amplius, & quos redemerant a Levitis

50. Pro primogenitis filiorum Israel, mille trecentorum sexaginta quinque siclorum juxta pondus Sanctuarii,

51. Et dedit eam Aaron & filiis ejus juxta verbum quod præceperat sibi Dominus.

CAPUT IV.

Levitarum officia in familias tribuuntur. Ab anno trigesimo numerati 8580. Motis castris vasa portant tabernaculi.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens:

2. Tolle summam filiorum Caath de medio Levitarum per domos & familias suas,

3. A trigesimo anno & supra, usque ad quinquagesimum annum (*a*), omnium qui ingrediuntur ut stent & ministrent in tabernaculo fœderis.

4. Hic est cultus (*b*) filiorum Caath: Tabernaculum fœderis, & Sanctum sanctorum

5. Ingredientur Aaron & filii ejus (*c*), quando movenda sunt castra, & deponent velum quod pendet ante fores, involventque eo arcam testimonii,

6. Et operient rursum velamine janthinarum pellium, extendentque desuper pallium totum hyacinthinum, & inducent vectes.

7. Mensam quoque propositionis involvent hyacinthino pallio, & ponent cum ea thuribula & mortariola, cyathos & crateras ad liba fundenda: panes semper in ea erunt:

8. Extendentque desuper pallium coccineum, quod rursum operient velamento janthinarum pellium, & inducent vectes.

9. Su-

37. (*e*) Quibus columnæ firmabantur.

46. (*f*) Levitæ inventi sunt 22000. primogeniti Israel 22273. Unde superarant 273. qui redimendi fuerunt, quinque siclis in singula capita computatis: & quidem Levitæ 22300. inventi sunt, cum summæ in unam colliguntur: sed iis 300. primogeniti computari non debuerunt, cum Domino deberentur, ut aliarum Tribuum.

CAP. IV. 3. (*a*) Hoc officium.

4. (*b*) Qui Deo mancipantur, militiam suscipiunt: quod autem mox subjicitur, *Omnium qui ingrediuntur ut stent*, sic habet textus Hebr. *Omnis veniens ad exercitum ad faciendum opus*. Atque hi numerantur a trigesimo anno, quod fortiores eos esse oporteret, cum ad aliam militiam a vigesimo anno numerarentur. Illis enim supellex Tabernaculi portanda erat, cum movenda erant castra. A vigesimo quinto anno eo ministrare potuisse constat ex c. 8. tum docti ministerium suum incipiebant: sed functiones suas non obibant, nisi ab anno trigesimo.

5. (*c*) Quando movenda erant castra, minores etiam Sacerdotes Sanctuarium ingrediebantur. *Quod pendet ante fores*: Hæc desunt in Hebræo.

9. Sumens & pallium hyacinthinum quo operient candelabrum cum lucernis & forcipibus suis & emunctoriis & cunctis vasis olei, quæ ad concinnandas lucernas necessaria sunt:

10. Et super omnia ponent operimentum janthinarum pellium, & inducent vectes.

11. Nec non & altare aureum involvent hyacinthino vestimento, & extendent desuper operimentum janthinarum pellium, inducentque vectes.

12. Omnia vasa, quibus ministratur in Sanctuario, involvent hyacinthino pallio, & extendent desuper operimentum janthinarum pellium, inducentque vectes.

13. Sed & altare mundabunt cinere, & involvent illud purpureo vestimento,

14. Ponentque cum eo omnia vasa, quibus in ministerio ejus utuntur, id est, ignium receptacula, fuscinulas ac eridentes, uncinos & batilla. Cuncta vasa altaris operient simul velamine janthinarum pellium, & inducent vectes.

15. Cumque involverint Aaron & filii ejus Sanctuarium & omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt * filii Caath ut portent involuta: & non tangent vasa Sanctuarii, ne moriantur. Ista sunt onera filiorum Caath in tabernaculo fœderis:

* 1. Par. 15. 15.

16. Super quos erit Eleazar filius Aaron sacerdotis, ad cujus curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas, & compositionis incensum, & sacrificium, quod semper offertur, & oleum unctionis, & quidquid ad cultum tabernaculi pertinet, omniumque vasorum, quæ in Sanctuario sunt.

17. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:

18. Nolite perdere populum Caath de medio Levitarum:

19. Sed hoc facite eis, ut vivant, & non moriantur, si tetigerint Sancta sanctorum. Aaron & filii ejus intrabunt, ipsique disponent opera singulorum, & divident quid portare quis debeat.

20. Alii nulla curiositate videant (d) quæ sunt in Sanctuario priusquam involvantur, alioquin morientur.

21. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

22. Tolle summam etiam filiorum Gerson per domos ac familias & cognationes suas,

23. A triginta annis & supra, usque ad annos quinquaginta. Numera omnes qui ingrediuntur & ministrant in tabernaculo fœderis.

24. Hoc est officium familiæ Gersonitarum,

25. Ut portent cortinas tabernaculi & tectum fœderis operimentum aliud, & super omnia velamen janthinum tentoriumque quod pendet in introitu tabernaculi fœderis,

26. Cortinas atrii, & velum in introitu quod est ante tabernaculum. Omnia quæ ad altare pertinent, funiculos, & vasa ministrii,

27. Jubente Aaron & filiis ejus, portabunt filii Gerson: & scient singuli cui debeant oneri mancipari.

28. Hic est cultus familiæ Gersonitarum in tabernaculo fœderis, eruntque sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis.

29. Filios quoque Merari per familias & domos patrum suorum recensebis

30. A triginta annis & supra, usque ad annos quinquaginta, omnes qui ingrediuntur ad officium ministerii sui & cultum fœderis testimonii.

31. Hæc sunt onera eorum: Portabunt tabulas tabernaculi & vectes ejus, columnas ac bases earum,

32. Columnas quoque atrii per circuitum cum basibus & paxillis & funibus suis. Omnia vasa & supellectilem ad numerum accipient, sicque portabunt.

33. Hoc est officium familiæ Meraritarum & ministerium in tabernaculo fœderis: eruntque sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis.

34. Recensuerunt igitur Moyses & Aaron & principes synagogæ filios Caath per cognationes & domos patrum suorum

35. A triginta annis & supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad ministerium tabernaculi fœderis:

36. Et inventi sunt duo millia septingenti quinquaginta.

37. Hic est numerus populi Caath qui intrant tabernaculum fœderis: hos numeravit Moyses & Aaron juxta sermonem Domini per manum Moysi.

38. Numerati sunt & filii Gerson per cognationes & domos patrum suorum

39. A triginta annis & supra, usque ad quinquagesimum annum, omnes qui ingrediuntur ut ministrent in tabernaculo fœderis:

40. Et inventi sunt duo millia sexcenti triginta.

41. Hic est populus Gersonitarum, quos numeraverunt Moyses & Aaron juxta verbum Domini.

42. Numerati sunt & filii Merari per cognationes & domos patrum suorum

43. A triginta annis & supra, usque ad annum quinquagesimum, omnes qui ingrediuntur ad explendos ritus tabernaculi fœderis:

44. Et inventi sunt tria millia ducenti.

45. Hic est numerus filiorum Merari, quos recensuerunt Moyses & Aaron juxta imperium Domini per manum Moysi.

46. Omnes qui recensiti sunt de Levitis, & quos recenseri fecit ad nomen Moyses & Aaron & principes Israel, per cognationes & domos patrum suorum

47. A triginta annis & supra, usque ad annum quinquagesimum, ingredientes ad ministerium tabernaculi, & onera portanda,

48. Fuerunt simul octo millia quingenti octoginta.

49. Juxta verbum Domini recensuit eos Moyses, unumquemque juxta officium & onera sua, sicut præceperat ei Dominus.

CA-

20. (d) Hebr. Et non venient ad videndum: Nulla curiositate. Hæc verba desunt in Hebræo.

CAPUT V.

Immundos e castris ejici jubet Deus: lex zelotypiæ fertur.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Præcipe filii Israel, ut ejiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutusque est super mortuo (*a*):

3. Tam masculum quam feminam ejicite de castris, ne contaminent ea, cum habitaverim vobiscum.

4. Feceruntque ita filii Israel, & ejecerunt eos extra castra, sicut locutus erat Dominus Moysi.

5. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

6. Loquere ad filios Israel: Vir, sive mulier (*b*), cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint,

7. Confitebuntur peccatum suum, & reddent ipsum caput, quintamque partem desuper ei, in quem peccaverint.

8. Sin autem non fuerint qui recipiat (*c*), dabunt Domino, & erit sacerdotis, excepto ariete, qui offertur pro expiatione, ut sit placabilis hostia.

9. Omnes quoque primitiæ, quas offerunt filii Israel, ad sacerdotem pertinent:

10. Et quidquid in Sanctuarium offertur (*d*) a singulis, & traditur manibus sacerdotis, ipsius erit.

11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

12. Loquere ad filios Israel, & dices ad eos: Vir, cujus uxor erraverit, maritumque contemnens

13. Dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiverit, sed latet adulterium, & testibus argui non potest, quia non est inventa in stupro:

14. Si spiritus zelotypiæ concitaverit virum (*e*) contra uxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur,

15. Adducet eam ad sacerdotem, & offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ: non fundet super eam oleum, nec imponet thus: quia sacrificium zelotypiæ est, & oblatio investigans adulterium.

16. Offeret igitur eam sacerdos, & statuet coram Domino.

17. Assumetque aquam sanctam in vase fictili, & pauxillum terræ de pavimento tabernaculi mittet in eam.

18. Cumque steterit mulier in conspectu Domini, discooperiet caput ejus (*f*), & ponet super manus illius sacrificium recordationis, & oblationem zelotypiæ: ipse autem tenebit aquas amarissimas, in quibus cum execratione maledicta congessit.

19. Adjurabitque eam, & dicet: Si non dormivit vir alienus tecum, & si non polluta es deserto mariti thoro, non te nocebunt aquæ istæ amarissimæ, in quas maledicta congessi.

20. Sin autem declinasti a viro tuo, atque polluta es, & concubuisti cum altero viro:

21. His maledictionibus subjacebis: Det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum in populo suo: putrescere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus disrumpatur.

22. Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & utero tumescente putrescat femur. Et respondebit mulier, Amen, amen.

23. Scribetque sacerdos in libello (*g*) ista maledicta, & delebit ea aquis amarissimis, in quas maledicta congessit,

24. Et dabit ei bibere. Quas cum exhauserit,

25. Tollet sacerdos de manu ejus sacrificium zelotypiæ, & elevabit illud coram Domino, imponetque illud super altare: ita dumtaxat ut prius

26. Pugillum sacrificii tollat de eo, quod offertur, & incendat super altare; & sic potum det mulieri aquas amarissimas.

27. Quas cum biberit, si polluta est, & contempto viro adulterii rea, pertransibunt eam aquæ maledictionis, & inflato ventre computrescet femur: eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo.

28. Quod si polluta non fuerit, erit innoxia, & faciet liberos.

29. Ista est lex zelotypiæ. Si declinaverit mulier a viro suo, & si polluta fuerit,

30. Maritusque zelotypiæ spiritu concitatus adduxerit eam in conspectu Domini, & fecerit ei sacerdos juxta omnia quæ scripta sunt:

31. Maritus absque culpa erit, & illa recipiet iniquitatem suam.

CAPUT VI.

Nazaræorum consecratio & oblatio; item benedictionis forma qua sacerdos uti debet, cum populo benedicit.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere ad filios Israel, & dices ad eos: Vir, sive mulier, cum fecerint votum ut sanctificentur (*a*), & se voluerint Domino consecrare:

3. A vi-

CAP. V. 2. (*a*) Hebr. *Super anima*. Nam hoc loco, ut in multis aliis, anima pro cadavere sumitur.

6. (*b*) August. *Voluit intelligi humana peccata. Fieri enim potest, ut parum attendendo per negligentiam trajiciat homo rem alienam in rem suam. Quod ideo peccatum est, quia si diligenter attenderet, non admitteretur; & hæc voluit cavere cum quinta vestitus, non sicut furta multari*, quæst. 10.

8. (*c*) Nec qui læsus est, nec hæres; dabunt Domino, pauperibus nempe, vel Ecclesiæ: *Et erit Sacerdotis*. August. *Sub hac brevitate insinuat hunc quam proximum ejus, si ipse non fuerit; si autem nec proximus erit, Domino restituetur, ne impunitum remaneat quod admissum est*.

10. (*d*) Quæ vir sanctificavit, vel lege, ut primitias, vel voto, erunt Sacerdotis.

14. (*e*) Lex zelotypiæ permissa est viris ne sævirent in uxores, atque ut uxores continerentur in officio. Nec similis Lex data est in gratiam mulieris, ne mariti auctoritas vilesceret. Deinde mulieres natura sua suspiciosæ, hac Lege sæpius abuti potuissent: ac demum magis læditur conjugium per adulterium uxoris, quam viri, quod per illud incerta fit proles.

18. (*f*) Mulieris suspectæ: ut intelligeret nihil Deum latere. *Recordationis*; Sacrificium commemorans peccatum: *aquas amarissimas*, quæ postea tales fiebant: nam epotæ ab adultera, illam gravissime puniebant.

23. (*g*) In cartula: quidquid scribitur, librum vocant.

CAP. VI. 2. (*a*) Hebr. *Cum separaverint ad vovendum votum*. Hoc loco de voto Nazaræorum agitur, qui se a communi vivendi ratione separabant; idque singulari professione sanctimoniæ & religionis; seu votum esset perpetuum, & ad vitam, seu ad tempus. *Nazaræus* separationem significat.

3. A vino, & omni quod inebriare potest, abstinebunt. Acetum ex vino, & ex qualibet alia potione, & quidquid de uva exprimitur, non bibent: uvas recentes siccasque non comedent.

4. Cunctis diebus quibus ex voto Domino consecrantur: quidquid ex vinea esse potest, ab uva passa usque ad acinum non comedent.

5. Omni tempore separationis suæ * novacula non transibit per caput ejus, usque ad completum diem quo Domino consecratur. Sanctus erit, crescente cæsarie capitis ejus.

* Judic. 13. 5.

6. Omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur (b),

7. Nec super patris quidem & matris & fratris sororisque funere contaminabitur, quia consecratio Dei sui super caput ejus est.

8. Omnibus diebus separationis suæ sanctus erit Domino.

9. Sin autem mortuus fuerit subito quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis ejus: quod radet illico in eadem die purgationis suæ, & rursum septima (c).

10. In octava autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ sacerdoti in introitu fœderis testimonii.

11. Facietque (d) sacerdos unum pro peccato, & alterum in holocaustum, & deprecabitur pro eo, quia peccavit super mortuo: sanctificabitque caput ejus in die illo:

12. Et consecrabit (e) Domino dies separationis illius, offerens agnum anniculum pro peccato: ita tamen ut dies priores irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio ejus.

13. Ista est lex consecrationis. Cum dies, quos ex voto decreverat, complebuntur: adducet eum ad ostium tabernaculi fœderis,

14. Et offeret oblationem ejus Domino, agnum anniculum immaculatum in holocaustum, & ovem anniculam immaculatam pro peccato, & arietem immaculatum, hostiam pacificam,

15. Canistrum quoque panum azymorum qui conspersi sint oleo, & lagana absque fermento uncta oleo, ac libamina singulorum:

16. Quæ offeret sacerdos coram Domino, & faciet tam pro peccato, quam in holocaustum.

17. Arietem vero immolabit hostiam pacificam Domino, offerens simul canistrum azymorum, & libamenta quæ ex more debentur.

18. * Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ: tolletque capillos ejus, & ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum.

* Act. 21. 24.

19. Et armum coctum arietis, tortamque absque fermento unam de canistro, & laganum azymum unum, & tradet in manus Nazaræi, postquam rasum fuerit caput ejus.

20. Susceptaque rursum ab eo, elevabit in conspectu Domini: & sanctificata sacerdotis erunt, sicut pectusculum, quod separari jussum est, & femur. Post hæc potest bibere Nazaræus vinum.

21. Ista est lex Nazaræi, cum voverit oblationem suam Domino tempore consecrationis suæ, exceptis his quæ invenerit manus ejus: juxta quod mente devoverat, ita faciet ad perfectionem sanctificationis suæ.

22. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

23. Loquere Aaron & filiis ejus: Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis:

24. * Benedicat tibi Dominus (f), & custodiat te.

* Eccli. 36. 19.

25. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui.

26. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.

27. Invocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis (g).

CAPUT VII.

Duodecim tribuum donaria in dedicatione tabernaculi, & altaris; Mosi ingresso in Sanctuarium loquitur Deus e propitiatorio.

1. FActum * est autem in die qua complevit Moyses tabernaculum (a), & erexit illud: unxitque & sanctificavit cum omnibus vasis suis, altare similiter & omnia vasa ejus.

* Exod. 40. 16.

2. Obtulerunt principes Israel & capita familiarum, qui erant per singulas tribus, præfectique eorum qui numerati fuerant,

3. Munera coram Domino, sex plaustra tecta (b) cum duodecim bobus. Unum plaustrum obtulere duo duces, & unum bovem singuli, obtuleruntque ea in conspectu tabernaculi.

4. Ait autem Dominus ad Moysen:

5. Suscipe ab eis ut serviant in ministerio tabernaculi, & trades ea Levitis juxta ordinem ministerii sui.

6. Itaque cum suscepisset Moyses plaustra, & boves tradidit eos Levitis.

7. Duo plaustra & quatuor boves dedit filiis Gerson, juxta id quod habebant necessarium.

8. Qua-

6. (b) Non ibit ad funus. In hoc æquatur Summo Sacerdoti.

9. (c) Hebr. Radet caput suum in die purificationis suæ, in die septima radet illud: semel radere jubetur; idque die septimo. Qui se Deo consecrarunt, ab omnibus operibus mortuis abstinere debent. Hæc lex de Nazaræo ad certum tempus est intelligenda: nam qui in perpetuum Nazaræus erat, nunquam radebat caput.

11. (d) Id est, sacrificabit.

12. (e) De integro.

24. (f) Non dicit Sacerdos, benedico, sed benedicat tibi Deus. Sacerdos benedicit ex ministerio & bene precando, ac promittit Deus benedictionis fructum.

27. (g) Laicus bene precatur aliis. *Ostendat Dominus faciem suam tibi*: vers. 25 Facies Dei est Deus ipse, seu æterna veritas: petit ut Deus veritate sua velut luce æterna dirigat actus hominis. Deinde humano more loquitur: nam homo alteri iratus faciem ab eo avertit: cum ei reconciliatur, benigno vultu eum excipit.

CAP. VII.

1. (a) Dies accipi solet pro tempore. Ac forte non tam historiæ, quam materiæ ipsius ordinem sequitur, cum jam antea erectum esset Tabernaculum ex cap. 40. Exodi. Nam primo die mensis primi anni secundi erectum est Tabernaculum: tum illud totius mensis decursu fuit dedicatum, ac tandem altare Holocaustorum fuit consecratum. Hoc caput octavo, nono, decimo & undecimo subjici potuit, juxta eorum sententiam, qui non tam historiæ, quam ipsius materiæ ordinem servatum esse putant. Quamvis dies pro tempore indeterminate accipi possit. Nec tamen necesse est rerum ordinem inversum agnoscere. Nam primo die mensis secundi erectum fuit Tabernaculum, ex cap. 40. Exodi; tum toto mense consecratum, ut in Levitico habemus; tandem altare Holocaustorum hoc in libro memoratur.

3. (b) Ne vasa sacra concupiscerentur a populo.

8. Quatuor alia plaustra, & octo boves dedit filiis Merari, secundum officia & cultum suum, sub manu Ithamar filii Aaron sacerdotis.

9. Filiis autem Caath non dedit plaustra & boves: quia in Sanctuario serviunt, & onera propriis portant humeris (c).

10. Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris, die qua unctum est, oblationem suam ante altare.

11. Dixitque Dominus ad Moysen: Singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris.

12. Primo die obtulit oblationem suam Nahasson filius Aminadab de tribu Juda:

13. Fueruntque in ea, acetabulum argenteum (d) pondo centum triginta siclorum, phiala argentea habens septuaginta siclos, juxta pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

14. Mortariolum ex decem siclis aureis, plenum incenso:

15. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:

16. Hircumque pro peccato:

17. Et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc est oblatio Nahasson filii Aminadab.

18. Secundo die obtulit Nathanael filius Suar, dux de tribu Issachar,

19. Acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, juxta pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

20. Mortariolum aureum habens decem siclos, plenum incenso:

21. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum,

22. Hircumque pro peccato:

23. Et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Nathanael filii Suar.

24. Tertio die princeps filiorum Zabulon, Eliab filius Helon,

25. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

26. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

27. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:

28. Hircumque pro peccato:

29. Et in sacrificio pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc est oblatio Eliab filii Helon.

30. Die quarto princeps filiorum Ruben, Elisur filius Sedeur,

31. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

32. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

33. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:

34. Hircumque pro peccato:

35. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Elisur filii Sedeur.

36. Die quinto princeps filiorum Simeon, Salamiel filius Surisaddai,

37. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

38. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

39. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:

40. Hircumque pro peccato:

41. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Salamiel filii Surisaddai.

42. Die sexto princeps filiorum Gad, Eliasaph filius Duel,

43. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

44. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

45. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:

46. Hircumque pro peccato:

47. Et in hostias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Eliasaph filii Duel.

48. Die septimo princeps filiorum Ephraim, Elisama filius Ammiud,

49. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

50. Mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso:

51. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum:

52. Hircumque pro peccato:

53. Et in hostias pacificorum, boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Elisama filii Ammiud.

54. Die octavo princeps filiorum Manasse, Gamaliel filius Phadassur,

55. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:

56. Mor-

9 (c) Hinc patet ratio cur Oza fuerit percussus. 1. Paralip. 13. quia debuisset arcam suis & fratrum humeris portare.

13. (d) Hæc vasa ad usum atrii & altaris videntur comparata: nam vasa Sanctuarii erant aurea.

56. Mortariolum aureum appendens decem ſiclos, plenum incenſo:

57. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum:

58. Hircumque pro peccato:

59. Et in hoſtias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Gamaliel filii Phadaſſur.

60. Die nono princeps filiorum Benjamin, Abidan filius Gedeonis,

61. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium:

62. Et mortariolum aureum appendens decem ſiclos, plenum incenſo:

63. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum:

64. Hircumque pro peccato:

65. Et in hoſtias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Abidan filii Gedeonis.

66. Die decimo princeps filiorum Dan, Ahiezer filius Amiſaddai,

67. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium:

68. Mortariolum aureum appendens decem ſiclos, plenum incenſo:

69. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum:

70. Hircumque pro peccato:

71. Et in hoſtias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Ahiezer filii Ammiſaddai.

72. Die undecimo princeps filiorum Aſer, Phegiel filius Ochran,

73. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium:

74. Mortariolum aureum appendens decem ſiclos, plenum incenſo:

75. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum:

76. Hircumque pro peccato:

77. Et in hoſtias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Phegiel filii Ochran.

78. Die duodecimo princeps filiorum Nephthali, Ahira filius Enan,

79. Obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos, ad pondus Sanctuarii, utrumque plenum ſimila oleo conſperſa in ſacrificium:

80. Mortariolum aureum appendens decem ſiclos, plenum incenſo:

81. Bovem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum:

82. Hircumque pro peccato:

83. Et in hoſtias pacificorum boves duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque. Hæc fuit oblatio Ahira filii Enan.

84. Hæc in dedicatione altaris oblata ſunt a principibus Iſrael, in die qua conſecratum eſt: (e) acetabula argentea duodecim: phialæ argenteæ duodecim: mortariola aurea duodecim.

85. Ita ut centum triginta ſiclos argenti haberet unum acetabulum, & ſeptuaginta ſiclos haberet una phiala: id eſt, in commune vaſorum omnium ex argento ſicli duo millia quadringenti, pondere Sanctuarii.

86. Mortariola aurea duodecim plena incenſo denos ſiclos appendentia pondere Sanctuarii: id eſt, ſimul auri ſicli centum viginti.

87. Boves de armento in holocauſtum duodecim, arietes duodecim, agni anniculi duodecim, & libamenta eorum: hirci duodecim pro peccato.

88. In hoſtias pacificorum, boves viginti quatuor, arietes ſexaginta, hirci ſexaginta, agni anniculi ſexaginta. Hæc oblata ſunt in dedicatione altaris, quando unctum eſt.

89. Cumque ingrederetur (f) Moyſes tabernaculum fœderis, ut conſuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad ſe de propitiatorio quod erat ſuper arcam teſtimonii inter duos Cherubim, unde & loquebatur ei.

CAPUT VIII.

Ritus conſecrandi Levitas.

1. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

2. Loquere Aaron, & dices ad eum: Cum poſueris ſeptem lucernas (a), candelabrum in auſtrali parte erigatur. Hoc igitur præcipe, ut lucernæ contra boream e regione reſpiciant ad menſam panum propoſitionis, contra eam partem, quam candelabrum reſpicit, lucere debebunt.

3. Fecitque Aaron, & impoſuit lucernas ſuper candelabrum, ut præceperat Dominus Moyſi.

4. Hæc

84. (e) In tempore; nam oblatio per duodecim dies fuit continuata.

89. (f) Conceſſum fuit Moſi ut ingrederetur Sanctuarium, velut Dei internuncius; vel Moſes extra velum poſitus audiebat Dei reſponſa.

CAP. VIII. 2. (a) Vatabl. Cum accendere facies: Candelabrum ſecundum latitudinem reſpiciebat menſam, in eam partem lumen projiciens; ſecundum longitudinem reſpiciebat Sanctum ſanctorum. Verba hæc, *Hoc igitur præcipe*, negat Mariana, aut Hebraice, aut Græce reperiri; in Lovan. editione obelo jugulantur. Cum ea verba, *Contra eam partem, quam candelabrum reſpicit*, eſſent obſcura, aliquis forte adjecit illam explicationem; nam lucernæ non reſpiciebant candelabrum in quo erant, ſed menſam quæ ex adverſo erat, & ad Septentrionem. Ac forte vox Hebræa hoc loco non ſignificat, contra, ſed juxta, aut in candelabro: Ita ut hic ſit ſenſus, Lucernæ lucebunt ad facies candelabri, id eſt, in candelabro. Unde v. proximo eædem ſunt voces, quas Hieronymus reddidit: Et impoſuit *lucernas ſuper candelabrum*. Lucernæ videntur vaſa a candelabro diſtincta: *Cum poſueris*, ſeu accenderis ſeptem lucernas. Candelabrum hoc in loco vocatur medius candelabri ſtipes, aut calamus, qui ex altaris igne accendebatur, cum lucernæ ceteræ, quod in tabernaculo non eſſent feneſtræ.

4. Hæc autem erat factura candelabri, ex auro ductili (*b*), tam medius stipes, quam cuncta quæ ex utroque calamorum latere nascebantur: juxta exemplum quod ostendit Dominus Moysi, ita operatus est candelabrum.

5. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

6. Tolle Levitas de medio filiorum Israel, & purificabis eos

7. Juxta hunc ritum: Aspergantur aqua lustrationis (*c*), & radant omnes pilos carnis suæ. Cumque laverint vestimenta sua, & mundati fuerint,

8. Tollent bovem de armentis, & libamentum ejus (*d*) similam oleo conspersam: bovem autem alterum de armento tu accipies pro peccato:

9. Et applicabis Levitas coram tabernaculo fœderis, convocata omni multitudine filiorum Israel.

10. Cumque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filii Israel manus (*e*) suas super eos:

11. Et offeret Aaron Levitas, munus in conspectu Domini a filiis Israel, ut serviant in ministerio ejus.

12. Levitæ quoque ponent manus suas super capita boum, e quibus unum facies (*f*) pro peccato, & alterum in holocaustum Domini, ut depreceris pro eis.

13. Statuesque Levitas in conspectu Aaron & filiorum ejus, & consecrabis oblatos Domino,

14. Ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei (*g*).

15. Et postea ingredientur tabernaculum fœderis, ut serviant mihi. Sicque purificabis & consecrabis eos in oblationem Domini: quoniam dono donati sunt mihi a filiis Israel.

16. * Pro primogenitis quæ aperiunt omnem vulvam in Israel, accepi eos. * Exod. 13. 2. Sup. 3. 13. Luc. 2. 23.

17. Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israel, tam ex hominibus quam ex jumentis. Ex die quo percussi omne primogenitum in Terra Ægypti, sanctificavi eos mihi:

18. Et tuli Levitas pro cunctis primogenitis filiorum Israel:

19. Tradidique eos dono Aaron & filiis ejus de medio populi, ut serviant mihi pro Israel in tabernaculo (*h*) fœderis, & orent pro eis, ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad Sanctuarium.

20. Feceruntque Moyses & Aaron & omnis multitudo filiorum Israel super Levitis (*i*) quæ præceperat Dominus Moysi:

21. Purificatique sunt, & laverunt vestimenta sua. Elevavitque eos Aaron in conspectu Domini, & oravit pro eis,

22. Ut purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum fœderis coram Aaron & filiis ejus. Sicut præceperat Dominus Moysi de Levitis, ita factum est.

23. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

24. Hæc est Lex Levitarum: A viginti quinque annis & supra, ingredientur ut ministrent in tabernaculo fœderis.

25. Cumque quinquagesimum annum ætatis impleverint, servire cessabunt:

26. Eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, ut custodiant quæ sibi fuerint commendata (*k*), opera autem ipsa non faciant. Sic dispones Levitas in custodiis suis.

CAPUT IX.

Paschatis celebrandi tempus constituitur: nubes per diem operit tabernaculum, eaque est dux itineris, ut de nocte in specie ignis.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, anno secundo postquam egressi sunt de Terra Ægypti, mense primo (*a*), dicens:

2. * Faciant filii Israel Phase in tempore suo, * Exod. 12. 3.

3. Quartadecima die mensis hujus ad vesperam (*b*), juxta omnes cæremonias & justificationes ejus.

4. Præcepitque Moyses filiis Israel ut facerent Phase.

5. Qui fecerunt tempore suo: quartadecima die mensis ad vesperam in monte Sinai. Juxta omnia quæ mandaverat Dominus Moysi, fecerunt filii Israel.

6. Ecce autem quidam immundi (*c*) super anima hominis, qui non poterant facere Phase in die illo, accedentes ad Moysen & Aaron,

7. Dixerunt eis: Immundi sumus super anima hominis (*d*): quare fraudamur ut non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo inter filios Israel?

8. Quibus respondit Moyses: State ut consulam quid præcipiat Dominus de vobis.

9. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

10. Loquere filiis Israel: Homo qui fuerit immundus super anima, sive in via procul in gente vestra, faciat Phase Domino

11. In mense secundo, quartadecima die mensis ad vesperam: cum azymis & lactucis agrestibus comedent illud:

12. Non relinquent ex eo quidpiam usque mane, * & os ejus non confringent, omnem ritum Phase observabunt. * Exod. 12. 46. Joann. 19. 36.

13. Si

4. (*b*) Ex eadem massa sub malleo extensa, sine ferumine. Gall. *soudure*.

7. (*c*) Hebr. *Aqua peccati*, cui admixti erant cineres vaccæ combustæ.

8. (*d*) Certa libamina quibusdam hostiis addi debebant ex cap. 15.

10. (*e*) Quo ritu forte in ministrorum electione consensum suum exprimebant, vel hostias Deo offerebant.

12. (*f*) Per Aaronem immolabis.

14. (*g*) Tabernaculo addicti, a publico munere immunes.

19. (*h*) In atrio; non enim ingrediebantur Sanctum.

20. (*i*) Quod eos velut manu mitterent, & in Dei jus ac ministerium transferrent, omniumque peccata illis ferenda imponerent.

26. (*k*) Majores quinquaginta annis otio redduntur, cura custodiendi iis relicta

CAP. IX.

1. (*a*) Hinc liquet temporum ordine in narratione sua non semper sequi Mosem; nam cap. 2. de iis agit, quæ mense secundo anni secundi acta sunt.

3. (*b*) Hebr. *Inter duas vesperas*. *Juxta omnes cæremonias, & justificationes ejus*. Hebr. *Judicia*, ritus & circumstantias præscriptas: nam humanarum actionum rectitudo in eo posita est, ut divinæ regulæ conformentur.

6. (*c*) Qui nati erant post exitum ex Ægypto, præ ætate non manducaverant Phase, & quia non erant circumcisi.

7. (*d*) Super mortuos; nam anima sumitur pro homine vivo & mortuo. *Oblationem*, non proprie sacrificabant, sed in Dei honorem occidebant, & edebant victimas.

13. Si quis autem & mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo: peccatum suum ipse portabit.

14. Peregrinus quoque & advena si fuerint apud vos, facient Phase Domino juxta cæremonias & justificationes ejus. Præceptum idem erit apud vos tam advenæ quam indigenæ.

* Exod. 40. 36. Sup. 7. 2. 15. * Igitur die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis usque mane.

16. Sic fiebat jugiter: per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis.

17. Cumque ablata fuisset nubes, quæ tabernaculum protegebat, tunc proficiscebantur filii Israel: & in loco ubi stetisset nubes, ibi castrametabantur.

18. Ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum.

* 1. Cor. 10. 1. * Cunctis diebus quibus stabat nubes super tabernaculum, manebant in eodem loco.

19. Et si evenisset ut multo tempore maneret super illud, erant filii Israel in excubiis Domini (e), & non proficiscebantur

20. Quot diebus fuisset nubes super tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant.

21. Si fuisset nubes (f) a vespere usque mane, & statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur: &, si post diem & noctem recessisset, dissipabant tentoria.

22. Si vero biduo, aut uno mense, vel longiori tempore fuisset super tabernaculum, manebant filii Israel in eodem loco, & non proficiscebantur: statim autem ut recessisset, movebant castra.

23. Per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum illius proficiscebantur: erantque in excubiis Domini juxta imperium ejus per manum Moysi.

CAPUT X.

Tubas duas argenteas & ductiles fieri jubet Deus, earum usus; instructa acie moventur castra e Sinai in Pharan. Moses orat cognatum suum Hobab ut cum Israelitis una proficiscatur. Arca præit castris: Mosis oratio.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Fac tibi duas tubas argenteas ductiles (a), quibus convocare possis multitudinem quando movenda sunt castra.

3. Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis.

4. Si semel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Israel.

5. Si autem prolixior atque concisus clangor (b) increpuerit, movebunt castra primi qui sunt ad orientalem plagam.

6. In secundo autem sonitu & pari ululatu tubæ, levabunt tentoria qui habitant ad meridiem, & juxta hunc modum reliqui facient, ululantibus tubis in profectionem.

7. Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, & non concise ululabunt.

8. Filii autem Aaron sacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris.

9. Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum.

10. Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri. Ego Dominus Deus vester.

11. Anno secundo (c), mense secundo, vigesima die mensis, elevata est nubes de tabernaculo fœderis:

12. Profectique sunt filii Israel per turmas suas de deserto Sinai, & recubuit nubes in solitudine Pharan.

13. Moveruntque castra primi juxta imperium Domini in manu Moysi.

14. * Filii Juda per turmas suas: quorum princeps erat Nahasson filius Aminadab. * Sup. 1. 7.

15. In tribu filiorum Issachar fuit princeps Nathanael filius Suar.

16. In tribu Zabulon erat princeps Eliab filius Helon.

17. Depositumque est tabernaculum, quod portantes egressi sunt filii Gerson & Merari.

18. Profectique sunt & filii Ruben, per turmas & ordinem suum: quorum princeps erat Helisur filius Sedeur.

19. In tribu autem filiorum Simeon, princeps fuit Salamiel filius Surisaddai.

20. Porro in tribu Gad erat princeps Eliasaph filius Duel.

21. Profectique sunt & Caathitæ portantes Sanctuarium. Tamdiu tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum (d).

22. Moverunt castra & filii Ephraim per turmas suas, in quorum exercitu princeps erat Elisama filius Ammiud.

23. In tribu autem filiorum Manasse princeps fuit Gamaliel filius Phadassur.

24. Et in tribu Benjamin erat dux Abidan filius Gedeonis.

25. Novissimi castrorum omnium profecti sunt filii Dan per turmas suas, in quorum exercitu princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai.

26. In tribu autem filiorum Aser erat princeps Phegiel filius Ochran,

27. Et in tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan.

28. Hæc sunt castra, & profectiones filiorum Israel per turmas suas quando egrediebantur.

29. Di-

19. (e) Id est, Non movebatur populus.
21. (f) Locus corruptus est in Græcis codicibus, & restituitur ex Cyrillo lib. 5. de Adoratione, ubi sic habet: *Si ascenderit nubes.* Quæ verba non desunt in Græcis codicibus, ut ait Mariana.
CAP. X. 2. (a) Ex lamellis malleo deductis ad convocandum populum, ad festa, & ad castra movenda, & ad bellum.
5. (b) Brevi mora intercisus.
11. (c) Ab egressu.
21. (d) Hæc verba neque Hebraice, neque Græce inveniuntur; addita videntur ad explicationem.

29. Dixitque Moyses Hobab filio Raguel Madianitæ, cognato suo (*e*): Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis: veni nobiscum, ut benefaciamus tibi: quia Dominus bona promisit Israeli.

30. Cui ille respondit: Non vadam tecum, sed revertar in terram meam, in qua natus sum.

31. Et ille: Noli, inquit, nos relinquere: tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus (*f*), & eris ductor noster.

32. Cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi.

33. Profecti sunt ergo de Monte Domini viam trium dierum, arcaque fœderis Domini præcedebat (*g*) eos, per dies tres providens castrorum locum.

34. Nubes (*h*) quoque Domini super eos erat per diem cum incederent.

35. Cumque elevaretur arca, dicebat Moy-
* Ps. 67. 2. ses: * Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, a facie tua.

36. Cum autem deponeretur, ajebat: Revertere Domine ad multitudinem exercitus Israel.

CAPUT XI.

Hebræi obmurmurantes desiderant cepas & ollas Ægypti, carnes postulant; dantur iis coturnices, sed puniuntur. Mosis onus sublevat Deus, & in LXX. seniores id partitur.

* Ps. 77. 19. 1. Cor. 10. 10. 1. INterea ortum est * murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cum audisset Dominus iratus est. Et
* Ps. 77. 21. * accensus in eos ignis Domini devoravit extremam castrorum partem.

2. Cumque clamasset populus ad Moysen, oravit Moyses ad Dominum, & absorptus est ignis.

3. Vocavitque nomen loci illius, Incensio: eo quod incensus fuisset contra eos ignis Domini.

4. Vulgus quippe promiscuum (*a*), quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio, sedens & flens, junctis sibi pariter filiis Israel, & ait:
* 1. Cor. 10. 6. * Quis dabit nobis ad vescendum carnes?

5. Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia.

6. Anima (*b*) nostra arida est, nihil aliud, respiciunt oculi nostri nisi Man.

7. * Erat autem Man quasi semen coriandri, coloris bdellii (*c*). * Exod. 16. 14. Ps. 77. 24. Sap. 16. 20. Joann. 6. 31.

8. Circuibatque populus, & colligens illud, frangebat mola, sive terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas (*d*) saporis quasi panis oleati.

9. Cumque descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & Man.

10. Audivit ergo Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorii sui. Iratusque est furor Domini valde: sed & Moysi intoleranda res visa est.

11. Et ait ad Dominum: Cur afflixisti servum tuum? quare non invenio (*e*) gratiam coram te? & cur imposuisti pondus universi populi hujus super me?

12. Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua jurasti patribus eorum?

13. Unde mihi carnes ut dem tantæ multitudini? flent contra me, dicentes: Da nobis carnes ut comedamus.

14. Non possum solus (*f*) sustinere omnem hunc populum, quia gravis est mihi.

15. Sin aliter tibi videtur (*g*), obsecro ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.

16. Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum (*h*),

17. Ut descendam & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo (*i*), tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.

18. Populo quoque dices: Sanctificamini: cras comedetis carnes. Ego enim audivi vos dicere: Quis dabit nobis escas carnium? bene nobis erat in Ægypto. Ut det vobis Dominus carnes, & comedatis:

19. Non

29. (*e*) Vox Hebræa חתן *Choten*, aut *Cathan*, ab Hieronymo *Cognatus*, ab aliis *Socer* redditur. Dixit Hobab filio Raguelis soceri sui: nam probabilius videtur Hobab fuisse filium Raguelis, seu Jethro, siquidem fuerit Raguel, qui Jethro. Exodi 2. Raguel qui dicitur Sacerdos Madian, & Socer Mosis, Exodi 18. vocatur Jethro: dubitatur an fuerit Jethro socer Mosis, an frater uxoris Mosis, & filius Jethro. Nam potuit scribi filio Raguel soceri Mosis.

31. (*f*) Ad ductum nubis castra movebantur, aut quiescebant: sed in dispositione castrorum non inutile erat humanum consilium: locorum peritus docebat quæ esset aquarum opportunitas, quid ab hostibus metuendum. *Tu eris ductor noster.* Quidam mutant tempus. Fuisti ductor noster. Sed inquies, quid Mosi opus erat ductore? ut situs locorum cognosceret: nubes locum tabernaculi tantummodo ostendebat, voluit Deus ut humana præsidia non negligerentur.

33. (*g*) Non in medio exercitus erat Arca; sed ex v. 35. & 36. semper præcedebat.

34. (*h*) Totum exercitum obumbrabat nubes, sed columna arcæ imminebat.

CAP. XI. 4. (*a*) In Hebræo, vox illa causalis non inest, sed conjunctio, Et. Unde est simplex rei novæ narratio, non recapitulatio ejus, quod præcessit, ac diversa est utriusque peccati punitio; in priori murmur fuit, pœna incendium: in posteriori concupiscentia, & desiderium carnium.

6. (*b*) Crescit cupiditas cum deest quod concupiscit.

7. (*c*) Sive sit gummi suaviter olens, cujus meminit Plinius Lib. 12. cap. 9. Sive sit instar unionis, aut crystalli, ut vertunt LXX. Simile Coriandri figura & magnitudine, non colore referebat: nigrum quippe est Coriandri semen.

8. (*d*) Gustum habuit quasi panis pinguedine aliqua perfusi, saporis dulcis & suavis.

11. (*e*) Inveni: vocationem suam Exod. 3. commemorat.

14. (*f*) Septuaginta quidem dati erant in auxilium, sed forte eum in civilibus tantum & politicis rebus adjuvabant, non item in spiritualibus, ubi Deus erat consulendus, aut responsa dare oportebat.

15. (*g*) Non sim adeo infelix, ut populum rebellem regam.

16. (*h*) Ætas & usus requiruntur in iis, qui aliis præficiuntur ut rectores. Jam viros Septuaginta elegerat, qui lites decernerent; sed ab illis erat provocatio ad Mosem, qui solus majores causas judicabat: verum hi qui spectabant ad Dei cultum procurabant, & spiritu prophetico pleni Deum consulebant, & majora tractabant negotia.

17. (*i*) Non dicit, Auferam Spiritum tuum, quasi imminutus fuerit Spiritus divinus in Mose; sed eodem Spiritu senes replendos ait, ac positum est verbum auferre pro accipere; ut lux de luce accenditur sine imminutione prioris, ita & Spiritus, qui erat in Mose, in LXX. senes transfusus est. Spiritus pro donis spiritualibus accipitur; de Spiritu prophetico, quo obscura quæque evolvuntur, futura prædicuntur. *Intelligimus nihil aliud Dominum significare voluisse, nisi ex eodem Spiritu illos quoque habituros adjutorium, ex quo habebat Moses, ut & isti haberent, quantum Deus vellet, non ut ideo Moses minus haberet.* August. quæst. 18.

19. Non uno die, nec duobus, vel quinque, aut decem, nec viginti quidem,

20. Sed usque ad mensem dierum (*k*), donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam, eo quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri est, & fleveritis coram eo, dicentes: Quare egressi sumus ex Ægypto?

21. Et ait Moyses: Sexcenta millia peditum hujus populi sunt: & tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro (*l*)?

* Joann. 6. 10. 22. * Numquid ovium & boum multitudo cædetur, ut possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in unum congregabuntur, ut eos satient?

* Isa. 59. 1. 23. Cui respondit Dominus: * Numquid manus Domini invalida est? Jam nunc videbis utrum meus sermo opere compleatur.

24. Venit igitur Moyses, & narravit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum.

25. Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de spiritu qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris. Cumque requievisset in eis Spiritus, prophetaverunt, nec ultra cessaverunt (*m*).

26. Remanserant autem in castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requievit Spiritus: nam & ipsi descripti fuerant, & non exierant (*n*) ad tabernaculum.

27. Cumque prophetarent in castris (*o*), cucurrit puer, & nuntiavit Moysi, dicens: Eldad & Medad prophetant in castris.

28. Statim Josue filius Nun, minister Moysi, & electus e pluribus (*p*), ait: Domine mi Moyses prohibe eos.

29. At ille: Quid inquit, æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum?

30. Reversusque est Moyses, & majores natu Israel in castra.

* Psal. 77. 26. & 27. 31. * Ventus autem egrediens a Domino, arreptans trans mare coturnices (*q*) detulit, & demisit in castra itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aere duobus cubitis altitudine super terram.

32. Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero, congregavit coturnicum, qui parum, decem coros: & siccaverunt eas per gyrum castrorum.

33. * Adhuc carnes erant in dentibus eorum (*r*), nec defecerat hujuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. * Ps. 77. 30.

34. Vocatusque est ille locus, Sepulcra concupiscentiæ (*s*): ibi enim sepelierunt populum qui desideraverat. Egressi autem de Sepulcris concupiscentiæ, venerunt in Haseroth, & manserunt ibi.

CAPUT XII.

Aaron & Maria ejus soror adversus Mosem obmurmurant: Maria lepra percussa, & per septem dies a populo separata; orante pro ea Mose sanatur.

1. LOcutaque est Maria & Aaron contra Moysen propter uxorem ejus Æthiopissam (*a*),

2. Et dixerunt: Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne & nobis similiter est locutus? Quod cum audisset Dominus (*b*),

3. (Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra)

4. Statim locutus est ad eum, & ad Aaron & Mariam: Egredimini (*c*) vos tantum tres ad tabernaculum fœderis. Cumque fuissent egressi,

5. Descendit Dominus in columna nubis, & stetit in introitu tabernaculi vocans Aaron & Mariam. Qui cum iissent,

6. Dixit ad eos: Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei (*d*), vel per somnium loquar ad illum.

7. At non talis servus meus Moyses, * qui in omni domo mea fidelissimus est: * Heb. 3. 2.

8. * Ore enim ad os loquor ei: & palam (*e*), & non per ænigmata & figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere servo meo Moysi? * Exod. 33. 11.

9. Ira-

20. (*k*) Mensem integrum: sic annus dictum est annus completus.

21. (*l*) Non dubitavit Moses de potentia Dei, sed de modo rei faciendæ. Ac si quid peccavit Moses diffidentia, hoc dissimulavit Deus, quod hæc dixerit non coram multitudine, ut cap. 20. *Numquid manus Domini invalida est?* August. *Domini responsio quasi redarguentis videtur, quod ille illa non credidisset. Sed melius arbitror intelligi Dominum ita respondisse, tanquam modum futuri facti, quem ille requisierat, dicere noluerit, sed potius opere ipso suam potentiam demonstrare.* Tum disparem esse docet rationem diffidentiæ Mosis apud aquas contradictionis. *E contrario itaque isto loco debemus intelligere verba Moysi de promissis carnibus, quærentis potius quomodo fieret, quam diffidentis fuisse, quando sententia Domini non secuta est, quæ vindicaret, sed potius quæ doceret*, quæst. 16.

25. (*m*) Vox Hebraica hanc significationem recipit, & contrariam, *nec ultra addiderunt*: id est, *non prophetarunt amplius*, ut Pagninus interpretatur.

26 (*n*) Præ humilitate.

27. (*o*) Absente & inscio Mose, alii prophetabant in tabernaculo subjecti Mosi.

28 (*p*) Inter plures eximius. *Domine mi Moses prohibe eos*: Metuebat Josue, ne hoc ipsum de Mosis auctoritate quid detraheret.

31. (*q*) Alia fuit coturnicum pluvia ab ea cujus fit mentio Exodi 16. quæ anno primo ab exitu contigit in octava mansione in deserto Sin; hæc vero anno 2. in statione 16. Sed unde hæ coturnices? a mari, ab Ægypto per sinum Arabicum transierant. Coturnices alit sinus Arabicus, ex Josepho Lib. 3. Antiq. Ægyptus & vicinæ regiones coturnicibus abundant, quas sale condire solent, ex Athenæo.

33. (*r*) Cum plerique ex iis interierunt.

34. (*s*) Hinc concludit Augustinus, *Non esse quid magnum, si quis exauditur a Deo: quosdam enim exaudit iratus, alios non exaudit placatus.*

CAP. XII. 1. (*a*) Sephoram Madianitidem: nam duplex erat Æthiopia, ex Herodoto Lib. 7. & Plinio Lib. 5. cap. 8. una Orientalis, quæ Arabiæ pars est, altera Occidentalis in Africa. Vox Hebræa Arabiam significat ex Bocharto. Ezech. 30 *Postquam immisero ignem in Ægyptum, prodibunt nuntii navibus in Chus*. Ex Ægypto in Æthiopiam non itur navibus, sed in Arabiam. Causa hujus jurgii fuit, quod Moses Madianitidem duxisset: in Hebræo additur, *quia duxerat eam*.

2. (*b*) Hæc parenthesis potuit addi ab Esdra, aut ab alio Auctore Hagiographo; potuit etiam ita de se scribere Moses instinctu Spiritus Sancti: sic enim de seipso ut de alio locutus fuisset & scripsisset dictante Spiritu Sancto. Quæ Aaron & Maria mussitabant, Mosem non fugiebant, sed ille cum esset mitissimus, dissimulabat. Quin etiam nullam iis fuisse jurgandi causam insinuat.

4 (*c*) E vestris tabernaculis, ne illa agendi ratio palam fieret.

6. (*d*) Seu aperta, seu obscura, ut Ezechieli: *vel per somnium*, seu per imagines expressas, & veras, ut cum Angelus S. Josepho S. Virginis puritatem aperuit; seu per obscuras imagines, ut in somnio Pharaonis; seu denique per internam inspirationem, quo quidem modo Judith consilium liberandæ patriæ cepit.

8. (*e*) Voce nimirum, quæ auditur, ac specie visibili per Ange-

9. Iratuſque contra eos, abiit:

10. Nubes quoque receſſit quæ erat ſuper tabernaculum: & ecce (f) Maria apparuit * candens lepra quaſi nix. Cumque reſpexiſſet eam Aaron, & vidiſſet perfuſam lepra,

* Deut. 24. 9.

11. Ait ad Moyſen: Obſecro, domine (g) mi, ne imponas nobis hoc peccatum quod ſtulte commiſimus,

12. Ne fiat hæc quaſi mortua, & ut abortivum quod projicitur de vulva matris ſuæ: ecce jam medium carnis ejus devoratum eſt a lepra.

13. Clamavitque Moyſes ad Dominum, dicens: Deus, obſecro, ſana eam.

14. Cui reſpondit Dominus: Si pater ejus ſpuiſſet in faciem illius, nonne debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi? Separetur ſeptem diebus extra caſtra, & poſtea revocabitur.

15. Excluſa eſt itaque Maria extra caſtra ſeptem diebus: & populus non eſt motus de loco illo, donec revocata eſt Maria.

CAPUT XIII.

Miſſi duodecim exploratores in Terram Chanaan, palmitem cum botro in fertilitatis argumentum poſt quadraginta dies referunt; ſed omnes præter Caleb populum a profectione deterrent.

1. PRofectuſque eſt populus de Haſeroth, fixis tentoriis in deſerto Pharan.

2. Ibique locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

3. Mitte viros, qui conſiderent Terram Chanaan, quam daturus ſum filiis Iſrael, ſingulos de ſingulis tribubus, ex principibus (a).

4. Fecit Moyſes quod Dominus imperaverat (b), de deſerto Pharan mittens principes viros, quorum iſta ſunt nomina.

5. De tribu Ruben, Sammua filium Zechur.

6. De tribu Simeon, Saphat filium Huri.

7. De tribu Juda, Caleb filium Jephone.

8. De tribu Iſſachar, Igal filium Joſeph.

9. De tribu Ephraim, Oſee filium Nun.

10. De tribu Benjamin, Phalti filium Raphu,

11. De tribu Zabulon, Geddiel filium Sodi.

12. De tribu Joſeph, ſceptri Manaſſe (c), Gaddi filium Suſi.

13. De tribu Dan, Ammiel filium Gemalli.

14. De tribu Aſer, Sthur filium Michael.

15. De tribu Nephthali, Nahabi filium Vapſi.

16. De tribu Gad, Guel filium Machi,

17. Hæc ſunt nomina virorum, quos miſit Moyſes ad conſiderandam Terram: vocavitque Oſee filium Nun (d), Joſue.

18. Miſit ergo eos Moyſes ad conſiderandam Terram Chanaan, & dixit ad eos: Aſcendite per meridianam plagam. Cumque veneritis ad montes (e),

19. Conſiderate Terram, qualis ſit: & populum qui habitator eſt ejus, utrum fortis ſit an infirmus: ſi pauci numero an plures:

20. Ipſa terra, bona an mala: urbes quales, muratæ an abſque muris:

21. Humus, pinguis an ſterilis, nemoroſa an abſque arboribus. Confortamini, & afferte nobis de fructibus Terræ. Erat autem tempus quando jam præcoquæ uvæ veſci poſſunt.

22. Cumque aſcendiſſent, exploraverunt Terram a deſerto Sin, uſque Rohob intrantibus Emath (f).

23. Aſcenderuntque ad meridiem, & venerunt in Hebron, ubi erant Achiman & Siſai & Tholmai filii Enac (g): nam Hebron ſeptem annis ante Tanim urbem Ægypti condita eſt.

24. * Pergenteſque uſque ad Torrentem botri, abſciderunt palmitem cum uva ſua (h), quem portaverunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis & de ficis loci illius tulerunt:

* Deut. 1. 24.

25. Qui appellatus eſt Neheleſcol, id eſt, Torrens botri, eo quod botrum portaſſent inde filii Iſrael.

26. Reverſique exploratores Terræ poſt quadraginta dies, omni regione circuita,

27. Venerunt ad Moyſen & Aaron, & ad omnem cœtum filiorum Iſrael in deſertum Pharan, quod eſt in Cades (i). Locutique eis & omni multitudini oſtenderunt fructus Terræ:

28. Et

Angeli miniſterium formata. Chald. verbo ad verbum, nulla interpoſita perſona, ut amicus cum amico. *Et non per ænigmata*: non per obſcura ſigna, ut vertit Vatablus. Allegorice Moſes Typus eſt Chriſti, qui Æthiopiſſam duxit uxorem, Eccleſiam ſcilicet: Maria obmurmurat, nempe Synagoga, & Aaron carnale Sacerdotium, quod ablatum a ſe regnum datum ſit Gentibus facientibus fructum. *Ænigmata*: cum unum videtur, & aliud intelligitur.

10. (f) Cur non Aaron? quod majus fuiſſet ſcandalum, ſi ſummus ſacerdos lepra percuſſus fuiſſet, ac Maria Aaronem incitaſſet. *Candens lepra*, quæ eſt omnium peſſima.

11. (g) Aaron ſtatim veniam deprecatur, & impetrat.

CAP. XIII. 3. (a) Non iis qui toti ſeditui præerant, quique c. 1. & 7. aliis ſignantur nominibus. Deus terram quam promiſerat, luſtrari jubet, ne quid prætermittatur quod ratio faciendum præſcribit, neve ſecuritas de protectione divina humanæ providentiæ locum adimat.

4. (b) Aut potius permiſerat: conſilium enim fuit hominum, non a Deo profectum: unde & in hoc peccavit populus ex cap. 9 Deuteron.

12. (c) Ex Hebr. verti poteſt, *de Tribu Joſeph, de Tribu Manaſſe*: ſed Interpres, ut ejuſdem vocis repetitionem vitaret, ſecundo loco poſuit ſceptrum. Vox Hebræa virgam ſignificat, & ſceptrum, eaque accipitur pro dominatione, aut regno.

17. (d) Joſue: Vox Hebræa הושע *Oſea*, ſignificat *Salvum*, ſeu præmiſſa littera Jod, Denotat Salvatorem, quod non ſolum actus geſtis, ſed & nomine, typus eſſet Salvatoris; Iiſdem enim litteris conſtat, atque a LXX. *Jeſus* Ἰησοῦς appellatur.

18. (e) Auguſtin. quæſt. 21. *Expoſuiſſe intelligitur ſecundum quid dixerit, ſi potens eſt, an infirmus, hoc eſt, ſi pauci ſunt, an multi. Nam quomodo poſſent de monte proſpicientes ſentire hominum virium fortitudinem? Poteſt & alius ſenſus eſſe multo congruentior verbis, quod ait, Aſcendetis in montem, in ipſam terram dixit, quam explorare volebant.*

22. (f) Rohob, Dan, Emath & Antilibanus ſunt limites terræ ſanctæ ad Septentrionem, ut Berſabee, Deſertum Sin, Fluvius Ægypti & Cades ad Auſtrum.

23. (g) Nepotes Enac gigantis, qui urbem Hebron colebant: proprium nomen fuit cujuſdam gigantis; ſed in Scriptura plerumque ſumitur appellative pro quocumque gigante. Hic pater fuit alterius gigantis nomine Arbe, a quo Hebron dicta fuit Cariath Arbe. *Nam Hebron ſeptem annis ante Tanim urbem Ægypti condita eſt*. Ante diluvium & poſt diluvium extitere gigantes, qui potentia ſua populos opprimerent. Moſes vero innuit nihil mirum eſſe, ſi in Hebron reſidui fuerint gigantes, cum hæc civitas ſit antiquiſſima, & vicina temporibus diluvii, utpote condita ante Tanim Ægypti urbem vetuſtiſſimam: ſed Deum facile eos poſſe diſperdere.

24. (h) Hebr. Cum botro uvarum. *Quem portaverunt in vecte duo viri*. An ſimul, an potius alternatim, ut videtur Philoni. In interiore Aſia, inquit Plinius Lib. 14. cap. 1. naſcuntur uvæ magnitudine uberis vaccini, ollæ, immo pueri infantis; & Strabo Lib. 11. & 15. vites in Carmania ſæpe bicubitalem racemum facit magnis acinis & denſis.

27. (i) Non eſt idem locus cum Cades in deſerto Sin, ſed e Cades-Barne profecti ſunt Iſraelitæ ut redirent in deſertum pœnas ibi incredulitatis daturi, ac per 38. annos vitam errantem & vagam agentes poſt varios eventus; e Cades in montem Hor pervenerunt, ubi quadrageſimo ab exitu anno Aaron mortuus eſt, Num. 20.

28. Et narraverunt, dicentes: Venimus in Terram, ad quam misisti nos, quæ revera fluit (*k*) lacte & melle, ut ex his fructibus cognosci potest:

29. Sed cultores fortissimos habet, & urbes grandes atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi.

30. Amalec habitat in meridie, Hethæus & Jebusæus & Amorrhæus in montanis: Chananæus vero moratur juxta mare & circa fluenta Jordanis.

31. Inter hæc Caleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait: Ascendamus, & possideamus Terram, quoniam poterimus obtinere eam.

32. Alii vero, qui fuerant cum eo, dicebant: Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est.

33. Detraxeruntque Terræ, quam inspexerant, apud filios Israel, dicentes: Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos (*l*): populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est.

34. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo (*m*): quibus comparati, quasi locustæ videbamur.

CAPUT XIV.

Josue & Caleb murmur ab exploratoribus excitatum frustra sedare nituntur. Deum mortem iis minitantem Moses precibus suis placat; sed nemo ex iis præter Josue & Caleb terram promissionis ingredietur.

1. Igitur vociferans omnis turba flevit nocte illa,

2. Et murmurati sunt contra Moysen & Aaron cuncti filii Israel, dicentes:

3. Utinam mortui essemus in Ægypto: & in hac vasta solitudine utinam pereamus, & non inducat nos Dominus in Terram istam, ne cadamus gladio, & uxores ac liberi nostri ducantur captivi. Nonne melius est reverti in Ægyptum?

4. Dixeruntque alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, & revertamur in Ægyptum.

5. Quo audito Moyses & Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israel.

6. * At vero Josue filius Nun, & Caleb filius Jephone, qui & ipsi lustraverant terram, sciderunt vestimenta sua, (* Eccli. 46, 9. 1 Mach. 2, 55 & 56.)

7. Et ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt: Terra, quam circuivimus, valde bona est.

8. Si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem.

9. Nolite rebelles esse contra Dominum: neque timeatis populum terræ hujus, quia sicut panem ita eos possumus devorare: recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere.

10. Cumque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israel.

11. Et dixit Dominus ad Moysen: Usquequo detrahet mihi (*a*) populus iste? Quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis?

12. Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam: te autem faciam principem super gentem magnam, & fortiorem quam hæc est.

13. Et ait Moyses ad Dominum: Ut audiant Ægyptii, de quorum medio eduxisti populum istum,

14. Et habitatores (*b*) Terræ hujus, qui audierunt quod tu Domine in populo isto sis, & facie videaris ad faciem, * & nubes tua protegat illos, & in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem: (* Exod. 13, 21.)

15. Quod occideris (*c*) tantam multitudinem quasi unum hominem, & dicant:

16. Non poterat introducere populum in Terram, pro qua juraverat: * idcirco occidit eos in solitudine. (* Exod. 32, 28.)

17. Magnificetur ergo fortitudo Domini sicut jurasti (*d*), dicens:

18. * Dominus patiens & multæ misericordiæ, * auferens iniquitatem & scelera, nullumque innoxium derelinquens (*e*), qui * visitas peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. (* Ps. 102, 8. * Exod. 34, 7. * Exod. 20, 5.)

19. Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto usque ad locum istum.

20. Dixitque Dominus: Dimisi juxta verbum tuum (*f*).

21. Vivo ego: & implebitur gloria Domini universa terra (*g*).

22. Attamen omnes homines qui viderunt majestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto & in solitudine, & tentaverunt me jam per decem (*h*) vices, nec obedierunt voci meæ,

23. * Non videbunt Terram pro qua juravi patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam. (* Deut. 1, 35.)

24. * Servum meum Caleb (*i*), qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in Terram hanc, quam circuivit: & semen ejus possidebit eam. (* Jos. 14, 6.)

25. Quo-

28. (*k*) A veris ordiuntur, ut facilius quæ falsa sunt persuadeant.

33. (*l*) Vel propter insalubrem aerem, & noxium; aut forte ad tyrannidem potentiorum id referebant.

34. (*m*) Hebr. *Gigantes de genere gigantum*. Propriis viribus, non ope divina subnixi animum despondebant.

CAP XIV. 11. (*a*) Irritabit me. LXX. παροξυνεῖ με.

14. (*b*) Dicent se audivisse te Dominum in medio populi hujus fuisse, qui oculo ad oculum visus es, & nubem tuam stetisse.

15. (*c*) Quod in terram promissam inducere non potueris.

17. (*d*) Hebr. Locutus fuisti.

18. (*e*) Impunitum, cum pœnam meretur. *Qui visitas.* Non id agit Moses, ut hoc peccatum impunitum maneat: sed ne Deus populum omnem destruat: quasi dicat: Non soles, o Deus, statim peccata punire, sed sæpe in tertiam & quartam generationem differre punitionem.

20. (*f*) Dimisi quoad pœnam, quam interminatus fueram, ut pestilentia eos consumerem: sed tamen hac pœna eos multat, ut nemo ex iis qui hæc signa viderunt, ingrediatur terram promissam.

21. (*g*) Cum Israelitæ terram promissam ingredientur; ac multo magis cum Ecclesia constituta & toto orbe diffusa Gentes Deum adorabunt.

22. (*h*) Numerus certus pro incerto, idque persæpe.

24. (*i*) Hebr. *Et servo meo Caleb merces*: merces Hebraice עקב *Hakeb*, dicitur calcaneum, quod sit quid ultimum in opere.

25. Quoniam Amalecites & Chananæus habitant in vallibus (*k*). Cras movete castra, & revertimini in solitudinem per viam Maris rubri.

26. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:

27. Usquequo multitudo hæc pessima murmurat contra me? querelas filiorum Israel audivi.

28. Dic ergo eis: Vivo ego, ait Dominus: sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis.

* Ps. 105. 26. 29. * In solitudine hac jacebunt cadavera vestra. Omnes qui numerati estis (*l*) a viginti annis & supra, & murmurastis contra me,

* Deut. 1. 35. 30. * Non intrabitis Terram, super quam levavi manum meam ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone, & Josue filium Nun.

31. Parvulos autem vestros, de quibus dixistis quod prædæ hostibus forent, introducam: ut videant Terram, quæ vobis displicuit.

32. Vestra cadavera jacebunt in solitudine.

33. Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadavera patrum in deserto,

34. Juxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis Terram: * annus pro die imputabitur: * Et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, & scietis ultionem meam:

* Ezech 4. 6 * Ps 94. 10.

35. Quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit adversum me: in solitudine hac deficiet, & morietur.

* 1 Cor. 10. 10. Heb. 3. 17. Judæ 1. 5. 36. * Igitur omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam Terram, & qui reversi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ quod esset mala,

37. Mortui sunt atque percussi in conspectu Domini.

38. Josue autem filius Nun, & Caleb filius Jephone vixerunt ex omnibus, qui perrexerant ad considerandam Terram.

39. Locutusque est Moyses universa verba hæc ad omnes filios Israel, & luxit populus nimis.

40. Et ecce mane primo surgentes ascenderunt verticem montis, atque dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est: quia peccavimus.

41. Quibus Moyses: Cur, inquit, transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum?

42. * Nolite ascendere, non enim est Dominus vobiscum: ne corruatis coram inimicis vestris. * Deut. 1. 42.

43. Amalecites & Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eo quod nolueritis acquiescere Domino, nec erit Dominus vobiscum.

44. At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca autem testamenti Domini & Moyses non recesserunt de castris.

45. Descenditque Amalecites & Chananæus, qui habitabat in monte: & percutiens eos atque concidens, persecutus est eos usque Horma.

CAPUT XV.

Leges de primitiis dandis, necnon de libaminum mensura, postquam terram promissionis ingressi fuerint, sanciuntur. Qui ligna die Sabbati collegerat, lapidibus obruitur est.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere ad filios Israel, & dices ad eos: Cum ingressi fueritis Terram habitationis vestræ, quam ego dabo vobis,

3. Et feceritis oblationem (*a*) Domino in holocaustum, aut victimam, vota solventes, vel sponte offerentes munera, aut in solemnitatibus vestris adolentes odorem suavitatis Domino, de bobus sive de ovibus:

4. Offeret quicumque immolaverit victimam (*b*), sacrificium similæ, decimam partem ephi, conspersæ oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin:

5. Et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ dabit in holocaustum sive in victimam. Per agnos singulos

6. Et arietes erit sacrificium similæ duarum decimarum, quæ conspersa sit oleo tertiæ partis hin:

7. Et vinum ad libamentum tertiæ partis ejusdem mensuræ offeret in odorem suavitatis Domino.

8. Quando vero de bobus feceris holocaustum aut hostiam, ut impleas votum vel pacificas victimas,

9. Dabis

25. (*k*) Ubi insidias posuerunt. Chananæus hic accipitur pro incolis hujus regionis. Hebræi contra Dei mandatum ascenderunt in montis Idumæi verticem, & ibi cæsi sunt non obtemperantes. Versu quidem 45. legimus Amalecitas habitare in monte: sed ibi Moses de eorum habitatione consueta loquitur, cum hoc in loco vers. 25. de eorum castris verba faciat: promissæ terræ jam erant proximi, montibus Idumææ tantummodo ab ea sejuncti. *Cras movete castra*, post hæc.

29. (*l*) Cap. 1. numerati sunt 600350. qui annos viginti excesserant; nec Levitæ sunt numerati. Unde satis est verisimile plures ex Levitis, & feminas aliquot terram promissionis ingressos: nam Eleazar, qui jam erat Sacerdos, una cum Josue terram promissionis distribuit Israelitis. Josue 24.

CAP. XV. 3. (*a*) In sacrificiis pacificis, libaminis oblatio, seu Mincha, una cum victima fiebat, non item in sacrificiis pro peccato, ut videtur Hebræis.

4. (*b*) Sacrificium dicitur animalium immolatio, ut oblatio ex simila, vini libamine constabat. Quinque erant libaminum genera, simila, oleum, vinum, sal & thus; cum oblationes erant primario intentæ, tum in honorem Dei penitus consumebantur. In holocaustis & hostiis pacificis Sacrificium similæ, seu purioris farinæ admixtum erat cum oleo; pars una cum carne victimæ in altari offerebatur, parum vini effundebatur; quod supererat vini & olei ad Sacerdotem pertinebat. Hæc sacrificia variis modis Sacrificium altaris figurabant. Aug. Lib. 10. de Civit. Dei cap. 20. *Hoc unum Sacrificium per multa figurabatur, tamquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur.* In his sacrificiis quatuor erant, hostia, simila, vinum & oleum. Hæc in Sacrificio altaris occurrunt. Christus est hostia & holocaustum: in ara Crucis Deo Patri se obtulit, in altari est ipse offerens, & oblatio: sub speciebus panis & vini se Fidelibus tradit, ut Sacrificium & Sacramentum oleo suæ gratiæ implet animam, quam illuminat, nutrit & sanat. *Decimam partem Ephi*: in Hebræo non Ephi, sed tantum similæ decima, nempe Gomor, quod absolute decima dicitur, cum sit pars Ephi decima. *Quartam partem Hin*, qui capit. 12. sextarios Hebraicos, quorum singuli quantum sex ova capiunt, inquit Mariana. Hebr. sic habet: *Juxta numerum quem facietis, sic facietis uni, id est, singulis, juxta numerum eorum.* Simila sale & oleo commixta victimæ immolandæ imponebatur, ac vinum libabant superinfundendo: quo major est hostia, aut plures victimæ, majus etiam libamen præscribitur. Hieronymus eamdem secutus sententiam multa verba reciduit.

9. Dabis per singulos boves similæ tres decimas conspersæ oleo, quod habeat medium mensuræ hin:

10. Et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ in oblationem suavissimi odoris Domino.

11. Sic facies

12. Per singulos boves & arietes & agnos & hædos.

13. Tam indigenæ quam peregrini

14. Eodem ritu offerent sacrificia.

15. Unum præceptum erit atque judicium tam vobis quam advenis terræ.

16. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

17. Loquere filiis Israel, & dices ad eos:

18. Cum veneritis in terram, quam dabo vobis,

19. Et comederitis de panibus regionis illius, separabitis primitias Domino

20. De cibis vestris. Sicut de areis (c) primitias separatis,

21. Ita & de pulmentis dabitis primitiva Domino (d).

22. Quod si per ignorantiam (e) prætererieritis quidquam horum, quæ locutus est Dominus ad Moysen,

23. Et mandavit per eum ad vos, a die qua cœpit jubere & ultra,

24. Oblitaque fuerit facere multitudo: offeret vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, & sacrificium ejus ac liba, ut cæremoniæ postulant, hircumque pro peccato:

25. Et rogabit sacerdos pro omni multitudine filiorum Israel: & dimittetur eis, quoniam non sponte peccaverunt, nihilominus offerentes incensum (f) Domino pro se & pro peccato atque errore suo:

26. Et dimittetur universæ plebi filiorum Israel, & advenis qui peregrinantur inter eos: quoniam culpa est omnis populi per ignorantiam.

27. Quod si anima una nesciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato suo:

28. Et deprecabitur pro ea sacerdos, quod inscia peccaverit coram Domino: impetrabitque ei veniam, & dimittetur illi.

29. Tam indigenis quam advenis una lex erit omnium, qui peccaverint ignorantes.

30. Anima vero, quæ per superbiam aliquid commiserit (g), sive civis sit ille, sive peregrinus, (quoniam adversus Dominum rebellis fuit) peribit de populo suo:

31. Verbum enim Domini contempsit, & præceptum illius fecit irritum: idcirco delebitur, & portabit iniquitatem suam.

32. Factum est autem, cum essent filii Israel in solitudine, & invenissent hominem colligentem ligna in die Sabbati,

33. Obtulerunt eum Moysi & Aaron & universæ multitudini.

34. Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eo facere deberent.

35. Dixitque Dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste, obruat (h) eum lapidibus omnis turba extra castra.

36. Cumque eduxissent eum foras, obruerunt lapidibus, & mortuus est sicut præceperat Dominus.

37. Dixit quoque Dominus ad Moysen:

38. Loquere filiis Israel, & dices ad eos * ut faciant sibi fimbrias (i) per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas: * Deut. 22. 12. Matth. 23. 5.

39. Quas cum viderint, recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas (k) & oculos per res varias fornicantes,

40. Sed magis memores præceptorum Domini faciant ea, sintque sancti Deo suo.

41. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de Terra Ægypti, ut essem Deus vester.

CAPUT XVI.

Core, Dathan & Abiron, qui summum ambiebant sacerdotium & principatum, & seditiones excitabant, terra vivos absorbet. Ignis 250. viros qui incensum offerebant interficit; murmurantes 14700. consumit incendium; quod Aaron precibus suis sistit.

1. Ecce autem Core filius Isaar (a), filii Caath, filii Levi, & Dathan atque Abiron filii Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben,

2. Sur-

20. (c) Idem judicium de receptaculis, ac de panibus: *Ita & de pulmentis vestris*. Hebr. *de conspersionibus*: Cum subegeritis farinam, tum placentam quasi primitias offeretis; non in altari, sed sacerdotibus dabant qui una cum illis erant.

21. (d) Quod sacerdotibus dabatur, id Deo oblatum censebatur.

22. (e) Cum scilicet ea omittimus, quibus tenemur, quæque potuimus & debuimus scire, obliti peccamus. Sed cum ea facimus, quæ mala esse credimus, tum peccamus, quia peccare volumus. August. quæst. 24. *Usque adeo ipsum peccare nemo appetit propter hoc ipsum, sed propter illud quod ex eo consequitur; quod scilicet opinionis errore ut bonum & pecca-ti fructum fingimus.*

25. (f) Incensum non sumitur pro thure, sed pro combusto. Hebr. *Et ipsi afferent oblationem suam, Sacrificium incensum Domino, peccatum suum coram Domino*; peccatum hoc loco significat hostiam pro peccato. Itaque incensum hoc loco significat oblationem igne consumendam.

30. (g) Qui per testes convictus, & ante admonitus corrigere se noluit. Levitici cap. 6. agitur de eo, qui sponte confessus fuerit peccatum: quod autem eo in loco legitur, *contemta Domino*, deest in Hebræo. Hoc loco duplex peccati genus exprimitur, unum quod errore aut infirmitate admissum facilius veniam impetrat, alterum quod fit ex superbia & contemptu, quale fuit Adami peccatum. Cum nota est Dei voluntas, & tamen præ superbia & contemptu ei resistitur etiam in re levi, tum peccatum graviori pœna punitur. *Adversus Dominum rebellis fuit*. Hebr. *Dominum ipse irritavit*. August. quæst. 24. *Aliud est ergo præcepta contemnere, aliud magni pendere quidem, sed aut ignarum contra facere, aut victum. Quæ duo fortasse pertinent ad illa peccata, quæ a nolentibus fiunt*. Et quæst. 25. *Peccatum superbiæ sine pœnitentia ejus qui commisit, aboleri non potest, atque adeo non potest non punitum esse, & pœnitendo sanatur. Ipsa enim afflictio pœnitentis pœna est peccati, quamvis medicinalis & salubris*. In peccato illo superbiæ non præceptum tantummodo violatur, sed etiam auctor præcepti contemnitur.

35. (h) Deus semper primos legum suarum transgressores severe punitos voluit, ut observat Cajetanus, primorum parentum intemperantiam & prævaricationem, Caini fratricidium, efferatam hominum ante diluvium libidinem, Sodomitarum flagitium, vituli aurei adorationem, sacrilegium Nadab, Saulis inobedientiam, primum Ananiæ & Saphiræ mendacium. Nam magnæ pravitatis erat in ipsis initiis legem transgredi, ac metum aliis incutere oportuit.

38. (i) Additur Deuter. cap. 22. *Ad quatuor angulos pallii tui*, quod erat quadrangulum, non rotundum. Fila autem erant crassa, contorta & hyacinthina, unde & vittæ appellantur, non tamen planæ erant.

39 (k) Pravas cupiditates; *Oculos per res varias fornicantes*, a Deo deficientes. Cogitatio & oculi prava desideria designant, suntque proxenetæ peccati. *Fornicantes*, deficiendo a Deo.

1. (a) Consobrinus Mosis.

CAP XVI.

2. Surrexerunt contra Moysen, aliique filiorum Israel ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, & qui tempore concilii per nomina vocabantur (*b*).

* Eccli. 45. 22. 1. Cor. 10. 10.

3. * Cumque stetissent adversum Moysen & Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis (*c*), quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: Cur elevamini super populum Domini?

4. Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in faciem:

5. Locutusque ad Core & ad omnem multitudinem: Mane, inquit, notum faciet Dominus qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi (*d*): & quos elegerit, appropinquabunt ei.

6. Hoc igitur facite: Tollat unusquisque thuribula sua, tu Core, & omne concilium tuum:

7. Et hausto cras igne, ponite desuper thymiama coram Domino: & quemcumque elegerit, ipse erit sanctus: multum erigimini filii Levi (*e*).

8. Dixitque rursum ad Core: Audite filii Levi:

9. Num parum vobis est, quod separavit vos Deus Israel ab omni populo, & junxit sibi, ut serviretis ei in cultu tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei?

10. Idcirco ad se fecit accedere te & omnes fratres tuos filios Levi, ut vobis etiam sacerdotium vindicetis,

11. Et omnis globus tuus stet contra Dominum? quid est enim Aaron ut murmuretis contra eum?

12. Misit ergo Moyses ut vocaret Dathan & Abiron filios Eliab. Qui responderunt: Non venimus.

13. Numquid parum est tibi quod eduxisti nos de terra, quæ lacte & melle manabat, ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri?

14. Revera induxisti nos in terram, quæ fluit rivis lactis & mellis, & dedisti nobis possessiones agrorum & vinearum: an & oculos nostros vis eruere (*f*)? non venimus.

15. Iratusque Moyses valde (*g*), ait ad Dominum: Ne respicias sacrificia eorum: tu scis quod ne asellum quidem umquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum.

16. Dixitque ad Core: Tu, & omnis congregatio tua state seorsum coram Domino, & Aaron die crastino separatim.

17. Tollite singuli thuribula vestra, & ponite super ea incensum, offerentes Domino ducenta (*h*) quinquaginta thuribula: Aaron quoque teneat thuribulum suum.

18. Quod cum fecissent, stantibus Moyse & Aaron,

19. Et coacervassent adversum eos omnem multitudinem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini (*i*).

20. Locutusque Dominus ad Moysen & Aaron, ait:

21. Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente disperdam.

22. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum universæ carnis, num uno peccante (*k*), contra omnes ira tua desæviet?

23. Et ait Dominus ad Moysen:

24. Præcipe universo populo ut separetur a tabernaculis Core, & Dathan & Abiron.

25. Surrexitque Moyses, & abiit ad Dathan & Abiron: & sequentibus eum senioribus Israel,

26. Dixit ad turbam: Recedite a tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum (*l*).

27. Cumque recessissent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan & Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum uxoribus & liberis, omnique frequentia.

28. Et ait Moyses: In hoc scietis, quod Dominus miserit me ut facerem universa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim:

29. Si consueta hominum morte interierint & visitaverit eos plaga, qua & ceteri visitari solent, non misit me Dominus:

30. Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos & omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis (*m*) quod blasphemaverint Dominum.

31. * Confestim igitur ut cessavit loqui, dirupta est terra (*n*) sub pedibus eorum: * Deut. 11. 6.

32. Et aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis & universa substantia eorum. Psal. 105. 17. & 18.

33. Descenderuntque vivi in infernum (*o*) operti humo, & perierunt de medio multitudinis.

34. At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne forte & nos terra deglutiat.

35. Sed & ignis egressus a Domino (*p*), interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum.

36. Locu-

2. (*b*) Hebr. *Vocati conventus*, viri nominis, Nobiles qui ad Concilium vocari solebant. *Venimus*, eos acc sibi jusserat Moses ut ad pœnitentiam revocaret.

3. (*c*) Vestra sorte contenti vivatis. *Quia omnis multitudo Sanctorum*: Omnis hic populus Sanctus est, Deo devinctus æque ac vos: satis sit vobis ut privati vivatis.

5. (*d*) Ostendet signo exteriori quos velit esse Sacerdotes.

7. (*e*) Hebr. *Multum vobis filii Levi*.

14. (*f*) An nos cæcos existimas, ut quo libuerit, nos ducas?

15. (*g*) Zelo Dei inflammatus; quod Deum ipsum, & ejus providentiam accusarent.

17. (*h*) Quæ sibi fecerant conjurati.

19. (*i*) Splendor insolitus in nube, indicans Dei præsentiam.

22. (*k*) Quod unus Core esset auctor seditionis.

26. (*l*) In pœnis peccatorum.

30. (*m*) Scietis quia misit me Dominus, si videritis eos plaga insolita perire.

31. (*n*) Quæ auctores schismatis & divisionis vivos absorbuit. August. Epist. 93. *Ita descendunt in infernum viventes, id est, suam perditionem sentientes, quos Core, Dathan & Abiron hiatu terræ absorpti tanto ante futuros significaverunt. Qui scilicet se ab Ecclesia separant, & in hæresim brevi incurrunt.* Nam ut ipse ait Lib. 2. contra Cresconium c. 7. *Schisma est recens e congregatione ex aliqua sententiarum diversitate dissensio; hæresis autem schisma inveteratum.*

33. (*o*) Vox Hebræa שְׁאוֹל *Scheol*, & sepulcrum, & locum damnatorum significat ex Rabbinis vetustioribus, ut probat Pererius scribens in caput 37. Genes. David loca hujus mundi maxime opposita designat summum & infimum. Apud Jobum cap. 26 locus ille dicitur *perditionis locus*, Hebr. *Abaddon*, אבדן Et Luc. 16. vers. 22. ᾅδης vocitatur.

35. (*p*) Videtur Core non terra absorptus, sed cum 250. viris incendio periisse, uti vers. 40. insinuatur: Ne *quis accedat alienigena, & qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, sicut passus est Core, & omnis congregatio ejus*. Et Deuter. 11. de solis Dathan & Abiron dicitur, quod terra fuerint absorpti cum omni substantia eorum. in Psalm. 105. idem innuitur: De Core autem & ejus congregatione dicitur: *Et exarsit ignis in synagoga eorum, & flamma combussit peccatores*. Deus potestatem & unitatem Ecclesiæ, necnon vocationem ad Sacerdotium his formidolosis exemplis voluit designare.

36. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

37. Præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti ut tollat thuribula quæ jacent in incendio, & ignem hnc illucque dispergat: quoniam sanctificata sunt (q)

38. In mortibus peccatorum: producatque ea in laminas, & affigat altari, eo quod oblatum sit in eis incensum Domino, & sanctificata sint, ut cernant ea pro signo & moumento filii Israel.

39. Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant hi quos incendium devoravit, & produxit ea in laminas, affigens altari:

40. Ut haberent postea filii Israel, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, & qui non est de semine Aaron ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core & omnis congregatio ejus, loquente Domino ad Moysen.

41. Murmuravit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysen & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini.

42. Cumque oriretur seditio, & tumultus incresceret,

43. Moyses & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod, postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini,

44. Dixitque Dominus ad Moysen:

45. Recedite de medio hujus multitudinis, etiam nunc delebo eos. Cumque jacerent in terra,

46. Dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens cito ad populum ut roges pro
* Sap. 18. 21. eis: * jam enim egressa est ira a Domino, & plaga desævit.

47. Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam jam vastabat incendium, obtulit (r) thymiama:

48. Et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus (ſ) est, & plaga cessavit.

49. Fuerunt autem qui percussi sunt, quatuordecim millia hominum, & septingenti, absque his qui perierant in seditione Core.

50. Reversusque est Aaron ad Moysen ad ostium tabernaculi fœderis postquam quievit interitus.

CAPUT XVII.

E duodecim virgis quas Tribuum principes Mosi dederunt, una Aaronis virga floruit, quo miraculo sacerdotium Aaroni fuit confirmatum.

1. ET locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Loquere ad filios Israel, & accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, a cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, & uniuscujusque nomen superscribes virgæ suæ (a).

3. Nomen autem Aaron erit in tribu Levi (b), & una virga cunctas seorsum familias continebit:

4. Ponesque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio (c), ubi loquar ad te.

5. Quem ex his elegero, germinabit virga ejus: & cohibebo (d) a me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant.

6. Locutusque est Moyses ad filios Israel: & dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus: fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron (e).

7. Quas cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonii:

8. Sequenti die regressus invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt.

9. Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israel: videruntque & receperunt singuli virgas suas.

10. Dixitque Dominus ad Moysen: Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonii (f),
* ut servetur ibi in signum rebellium filiorum * Hebr. 9. 4.
Israel, & quiescant querelæ eorum a me, ne moriantur.

11. Fecitque Moyses sicut præceperat Dominus.

12. Dixerunt autem filii Israel ad Moysen, Ecce consumpti sumus, omnes (g) perivimus.

13. Quicumque (h) accedit ad tabernaculum Domini, moritur: num usque ad internecionem cuncti delendi sumus?

CAPUT XVIII.

Sacrorum Ministris Deus hæreditatis loco primitias, oblationes, & decimas assignat.

1. DIxitque Dominus ad Aaron: Tu, & filii tui, & domus patris tui tecum portabitis iniquitatem Sanctuarii (a): & tu & filii tui simul sustinebitis peccata sacerdotii vestri.

2. Sed

37. (q) A profano usu separata. Iis quippe usus Dominus ad ulciscendam impietatem: eaque futura erant monumenta, quibus alii ab impietate deterrerentur.

47. (r) Extra tabernaculum ex dispensatione.

48. (ſ) Veri sacerdotis munus obeundo.

CAPUT XVII. 2. (a) Non tribus: Nam Aaronis nomen jam inscriptum erat, ut liquet ex vers. 3. sed principis tribus, ut patet ex textu Hebraico. Contentio de Sacerdotio inter Levitas ismaelias jam sublata erat per interitum Core & 250. rebellium. Quæstio supererat cum aliis Tribubus, quæ sublata est novo miraculo: *Uniuscujusque principis in unaquaque Tribu.*

3. (b) Hebr. In virga Levi.

4. (c) Coram arca: ubi erant Tabulæ lapideæ, quibus insculptus erat Decalogus, qui Dei voluntatem continebat, *Ubi loquar ad te*, non tam ore, quam signo.

5. (d) Hebr. Cessare faciam.

6. (e) Hebr. *Et virga Aaron in medio virgarum ipsorum.* Iis & LXX. Unde nonnulli duodecim tantum virgas fuisse prætendunt. Si numeretur Levi, erant tredecim: nam Tribus Joseph erat bipartita.

10. (f) Utrum eadem virga fuerit, per quam tot prodigia facta fuerint a Mose & Aaron, dubitari potest; jussa est servari juxta arcam fœderis. Allegorice hæc virga quæ floruit, Beatissimam Virginem adumbrabat, quæ divina virtute Christum protulit; aut Christum ipsum resurgentem, ex Ferrando. Ipse est virga, flos & fructus; in virga est regnantis potentia, in flore pulchritudo, in fructu suavitas, & bonorum omnium cumulus.

12. (g) Multi.

13. (h) Tacite rogatur Moses ut intercedat ad Deum.

1. (a) Pœnam iniquitatis commissæ in cultu Sanctuarii: Sustinebitis peccata Sacerdotii; pœnas ob peccata in obeundis Sacerdotii functionibus admissa. CAPUT XVIII.

2. Sed & fratres tuos de tribu Levi, & sceptrum patris tui sume tecum (*b*), præstoque sint, & ministrent tibi: tu autem & filii tui ministrabitis in tabernaculo testimonii,

3. Excubabuntque Levitæ ad præcepta tua, & ad cuncta opera tabernaculi: ita dumtaxat, ut ad vasa Sanctuarii & ad altare non accedant, ne & illi moriantur, & vos pereatis simul.

4. Sint autem tecum, & excubent in custodiis tabernaculi, & in omnibus cæremoniis ejus. Alienigena (*c*) non miscebitur vobis.

5. Excubate in custodia Sanctuarii (*d*), & in ministerio altaris: ne oriatur indignatio super filios Israel.

6. Ego dedi vobis fratres vestros Levitas de medio filiorum Israel, & tradidi donum Domino, ut serviant in ministeriis tabernaculi ejus,

7. Tu autem & filii tui custodite sacerdotium vestrum: & omnia quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum sunt (*e*), per sacerdotes administrabuntur: si quis externus accesserit, occidetur.

8. Locutusque est Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi custodiam primitiarum (*f*) mearum. Omnia quæ sanctificantur a filiis Israel, tradidi tibi & filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna.

9. Hæc ergo accipies de his, quæ sanctificantur & oblata sunt Domino. Omnis oblatio, & sacrificium, & quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi, & cedit in Sancta sanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum (*g*).

10. In Sanctuario (*h*) comedes illud: mares tantum edent ex eo, quia consecratum est tibi.

11. Primitias (*i*) autem, quas voverint & obtulerint filii Israel, tibi dedi, & filiis tuis, ac filiabus tuis, jure perpetuo: qui mundus est in domo tua, vescetur eis.

12. Omnem medullam olei (*k*), & vini, ac frumenti, quidquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi.

13. Universa frugum initia, quas gignit humus, & Domino deportantur, cedent in usus tuos: qui mundus est in domo tua, vescetur eis.

14. Omne quod ex voto reddiderint (*l*) filii Israel, tuum erit.

15. Quidquid primum erumpit e vulva cunctæ carnis, quam offerunt Domino, sive ex hominibus, sive de pecoribus fuerit, tui juris erit: ita dumtaxat, ut pro hominis primogenito pretium accipias, & omne animal quod immundum est, redimi facias,

16. Cujus redemptio erit post unum mensem, siclis argenti quinque, pondere Sanctuarii. * Siclus viginti obolos habet. * Exod. 30. 13.

17. Primogenitum autem bovis & ovis & capræ non facies redimi, quia sanctificata sunt Domino: sanguinem tantum eorum fundes super altare, & adipes adolebis in suavissimum odorem Domino. Lev. 27. 25. Sup. 3. 47. Ezech. 45. 12.

18. Carnes vero in usum tuum cedent, sicut pectusculum consecratum, & armus dexter, tua erunt.

19. Omnes primitias Sanctuarii, quas offerunt filii Israel Domino, tibi dedi & filiis, ac filiabus tuis, jure perpetuo. Pactum salis (*m*) est sempiternum coram Domino, tibi ac filiis tuis.

20. Dixitque Dominus ad Aaron: In terra eorum nihil possidebitis (*n*), nec habebitis partem inter eos: ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Israel.

21. Filiis autem Levi dedi omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio quo serviunt mihi in tabernaculo fœderis:

22. Ut non accedant ultra filii Israel ad tabernaculum, nec committant peccatum mortiferum (*o*),

23. Solis filiis Levi mihi in tabernaculo servientibus, & portantibus peccata populi: legitimum sempiternum erit in generationibus vestris. * Nihil aliud possidebunt, * Deut. 18. 1.

24. Decimarum oblatione contenti, quas in usus eorum & necessaria separavi.

25. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

26. Præcipe Levitis, atque denuntia: Cum acceperitis a filiis Israel decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id est, decimam partem decimæ,

27. Ut reputetur vobis in oblationem primitivorum, tam de areis quam de torcularibus:

28. Et universis, quorum accipitis primitias, offerte Domino, & date Aaron sacerdoti.

29. Omnia quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini separabitis, optima & electa erunt.

30. Di-

2. (*b*) Tribum Levi; alii legunt, sceptro, non sceptrum.

4. (*c*) Ex alia Tribu.

5. (*d*) Sacros ritus diligenter observate. *Super filios Israel*, si quando sacerdotum munia usurpent.

7. (*e*) Intra Sanctum.

8. (*f*) Tribui Levi, quæ erat minima, pars decima bonorum omnium addicta erat, Aaroni & ejus filiis pars centesima, ac præterea sacerdotum erant primitiæ, quæ et Hieronymo partem fere fructuum sexagesimam æquabant. His adde votivas oblationes, victimas, primogenita. Quo in cultum divinum omnino incumberent, abjecta rerum temporalium cura.

9. (*g*) Oblationes aliæ erant communes, de quibus licebat omnibus vesci, aliæ erant sanctæ, ut primitiæ, & votivæ oblationes; aliæ sanctissimæ, quæ Sancta Sanctorum dicebantur, quas in secunda parte Tabernaculi solis Sacerdotibus fas erat manducare, ut panes propositionis. Et *quidquid pro peccato atque delicto redditur mihi*, quæ scilicet restitui oportet.

10. (*h*) Seu in Sancto, aut in secunda Tabernaculi parte, quæ ita vocatur, cum atrio comparata. *Mares tantum* ex sacrificio pro peccato edere poterant.

11. (*i*) Hostias pacificas aut earum partem, quæ sacerdotum erant. *In domo tua*, servi non exteri ex iis edebant.

12. (*k*) Hebr. *Adipem*: id quod optimum est in re quaque, adeps in Scriptura nominatur.

14. (*l*) Non ad immolationem, sed ad oblationem: Vox Hebræa proprie anathema significat, si vivum occidebatur, si esset inanime, in usum Sacerdotis cedebat. De iis quæ usu consumuntur, tantummodo loquitur.

19. (*m*) Inviolabile.

20. (*n*) Non habebitis portionem ab aliis separatam. Ambros. de fuga sæculi, cap. 2. Cui *Deus portio est*, *nihil debet curare nisi Deum*. *Quod ad alia officia confertur, hoc Religionis cultus, atque huic officio nostro decerpitur*. Sic Hieronym. ad Nepotianum: Possidens opes sub Christo pauper, quas sub locuplete & fallace diabolo non habuerant. *Ego pars & hæreditas tua*. Quæ enim Deo offerebantur, eorum erant.

22. (*o*) Quod sit illis causa mortis, tum præsentis, tum æternæ.

30. Dicesque ad eos: Si præclara & meliora quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quasi de area & torculari dederitis primitias:

31. Et comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos quam familiæ vestræ: quia pretium est pro ministerio, quo servitis in tabernaculo testimonii.

32. Et non peccabitis super hoc, egregia vobis & pinguia reservantes, ne polluatis (*p*) oblationes filiorum Israel, & moriamini.

CAPUT XIX.

Aquam lustrationis parandi ritus. De iis qui in tabernaculo moriuntur.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:

2. Ista est religio victimæ (*a*), quam constituit Dominus. Præcipe filiis Israel, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portaverit jugum:

3. Traderisque eam Eleazaro sacerdoti, * qui eductam extra castra, immolabit (*b*) in conspectu omnium: [* Heb. 13. 11.]

4. Et tingens digitum in sanguine ejus, asperget contra fores tabernaculi (*c*) septem vicibus,

5. Comburetque eam (*d*) cunctis videntibus, tam pelle & carnibus ejus quam sanguine & fimo flammæ traditis.

6. Lignum quoque cedrinum, & hyssopum, coccumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat.

7. Et tunc demum, lotis vestibus & corpore suo, ingredietur in castra, commaculatusque erit usque ad vesperum.

8. Sed & ille, qui combusserit eam, lavabit vestimenta sua & corpus, & immundus erit usque ad vesperum.

9. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam (*e*), & in aquam aspersionis: quia pro peccato vacca combusta est.

10. Cumque laverit, qui vaccæ portaverat cineres, vestimenta sua, immundus erit usque ad vesperum. Habebunt hoc filii Israel & advenæ (*f*), qui habitant inter eos, sanctum jure perpetuo.

11. Qui tetigerit (*g*) cadaver hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus:

12. Aspergetur ex hac aqua die tertio & septimo, & sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari.

13. Omnis qui tetigerit (*h*) humanæ animæ morticinum, & aspersus hac commixtione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, & peribit ex Israel: quia aqua expiationis non est aspersus, immundus erit, & manebit spurcitia ejus super eum.

14. Ista est lex hominis qui moritur in tabernaculo: Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, & universa vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus.

15. Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit (*i*).

16. Si quis in agro (*k*) tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulcrum, immundus erit septem diebus.

17. Tollentque de cineribus combustionis atque peccati, & mittent aquas vivas super eos in vas:

18. In quibus cum homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, & cunctam supellectilem, & homines hujuscemodi contagione pollutos:

19. Atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio & septimo die: expiatusque die septimo, lavabit & se & vestimenta sua, & immundus erit usque ad vesperum.

20. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ: quia sanctuarium Domini polluit, & non est aqua lustrationis aspersus.

21. Erit hoc præceptum legitimum sempiternum. Ipse quoque qui aspergit aquas, lavabit vestimenta sua: Omnis qui tetigerit aquas expiationis (*l*), immundus erit usque ad vesperum.

22. Quid-

32. (*p*) Quod futurum erat, si optima quæque a populo accipientes, deteriora Sacerdotibus darent.

CAP. XIX. 2. (*a*) Hebr. *Ista est lex quam constituit Dominus*: Vox illa, *Victimæ*, forsan addita est. Vetus translatio: *Hæc est distinctio legis, quæcumque constituit Dominus*, August. q. 33. *Si ergo hæc est distinctio legis, quæcumque præcepit Dominus, proculdubio magna est illa distinctio. Et recte intelligitur duo Testamenta distinguere: eadem quippe sunt in Vetere & in novo, ibi obumbrata, hic revelata: ibi præfigurata, hic manifestata*. Constitutio legis, aut statutum dicitur, quod non ex evidenti ratione naturali, sed ex Dei voluntate ortum habet. *Ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ*: Hebr. *Perfectam*. Hujus meminit Apost. Hebr. 9. *Si cinis vitulæ aspersus*, &c. Juvenca rufa, ex August. carnem Christi significat: sexus femineus propter infirmitatem carnis: rufa propter cruentam passionem, sine vitio, quia peccatum non fecit; sine jugo: nam diaboli jugo non fuit subditus: liberrimus fuit, extra portam passus est: & Judæi omnes immundi. *Nec portaverit jugum*, hostias injuges vocabant Romani. Virgil. Georgic. Lib. 4. *Intacta totidem cervice juvencas*.

3. (*b*) Nam erat immolandi pro peccatis totius populi; ex ejus cineribus aqua lustrationis, vel expiationis parabatur: *In conspectu omnium*: Hebr. & LXX. *coram eo*; forte non Eleazarus ipse jugulabat, sed fiebat coram eo, & ejus jussu.

4. (*c*) Obversus ad eas, sed e longinquo. 1. Petr. 1. *Electis in aspersionem Sanguinis Jesu Christi*. Hac Sanguinis aspersione sanctificati sumus.

5. (*d*) Per alium, ut patet ex vers. 8. *Cunctis videntibus*; Hebr. *Coram eo*.

9. (*e*) Ut ex hoc cinere fiat aqua lustralis, & expiatrix. Aqua illa cinere permixta nostram exprimit originem. Non erat proprie dictum sacrificium, cum in tabernaculi aditu immolaretur, neque adeps in altari incenderetur, nec demum sanguis ad imam altaris partem effunderetur.

10. (*f*) August. *Quid aliud ostenditur, nisi Baptismus Christi, quem significat aqua aspersionis & Judæis & Gentibus profuturum?*

11. (*g*) Hoc ipsum in profanis auctoribus invenitur, ut apud Euripidem in Tauris. Qui tetigisset cadaver, aut puerperam, ab altari removebatur.

13. (*h*) Tangimus consentiendo, jubendo, laudando, aut tolerando, cum impedire possumus. Qui immundus tabernaculum ingressus fuerat ex ignorantia, & sacrificium offerebat.

15. (*i*) Vasa ignominiæ semper aperta sunt, adulatoribus exposita, & in voces indiscretas effusa: contra vasa honoris, Dei gratia opplentur humilitate, & silentio tecta.

16. (*k*) Mortuorum corpora in agris sepeliebantur, non in civitate, ne transeuntes polluerent. Idque fuit ab Ethnicis usurpatum, *ne funestarentur sacra civitatum*, ait Paulus J. C. Lib. 1. Recept. sent.

21. (*l*) Mundabitur a priori immunditia, sed aliam contrahet, quæ durabit usque ad vesperam. Hoc alii intelligunt de majori immunditia septem dierum, cum quis cadaver tetigerat, aut sepulcrum. *Immundus*, scilicet ex mortuo, de quo verba fecerat.

22. Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet: & anima, quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperum.

CAPUT XX.

Maria soror Mosis moritur. Moses & Aaron, quod Deum offenderint ad aquas contradictionis, ingressu in terram promissam privantur. Moses petit innoxium transitum a Rege Edom; eo negante in montem Hor discedunt, ubi Aaron moritur, consecrato in summum Pontificem ejus filio Eleazaro.

1. Veneruntque filii Israel, & omnis multitudo in desertum Sin (*a*), mense primo: & mansit populus in Cades. Mortuaque est ibi Maria, & sepulta in eodem loco.

2. Cumque indigeret aqua populus, convenerunt adversum Moysen & Aaron:

3. Et versi in seditionem, dixerunt: Utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino.

* Exod. 17. 3. 4. * Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem, ut & nos & nostra jumenta moriamur?

5. Quare nos fecistis ascendere de Ægypto, & adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, insuper & aquam non habet ad bibendum?

6. Ingressusque Moyses & Aaron, dimissa multitudine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram (*b*), clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem hujus populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ, ut satiati, cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos.

7. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

8. Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo & jumenta ejus.

9. * Tulit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, * Exod. 17. 5. & 6.

10. Congregata multitudine ante petram, dixitque eis: Audite rebelles & increduli: * Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere (*c*)? Sap. 11. 4. * Psal. 77. 15. & 20. 1. Cor. 10. 4.

11. Cumque elevasset Moyses (*d*) manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet & jumenta.

12. Dixitque Dominus (*e*) ad Moysen & Aaron: * Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. * Deut. 1. 37.

13. Hæc est aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filii Israel contra Dominum, & sanctificatus (*f*) est in eis:

14. Misit interea nuntios Moyses de Cades ad regem Edom, qui dicerent: Hæc mandat frater tuus Israel: Nosti omnem laborem, qui apprehendit nos,

15. Quo modo descenderint patres nostri in Ægyptum, & habitaverimus ibi multo tempore, afflixerintque nos Ægyptii, & patres nostros:

16. Et quo modo clamaverimus ad Dominum, & exaudierit nos, miseritque Angelum, qui eduxerit nos de Ægypto. Ecce in urbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis, positi,

17. Obsecramus ut nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos.

18. Cui respondit Edom: Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi.

19. Dixeruntque filii Israel: Per tritam gradiemur viam: & si biberimus aquas tuas nos & pecora nostra, dabimus quod justum est: nulla erit in pretio difficultas, tantum velociter transeamus.

20. At ille respondit: Non transibis. Statimque egressus est obvius, cum infinita multitudine, & manu forti,

21. Nec

CAP. XX. 1. (*a*) Exod. 16. habemus filios Israel venisse in Desertum Sin, quod aliud fuisse hinc colligunt Interpretes, quod Exod. 16. scribatur per Samech, hic vero per Tsade. Illa fuit octava mansio, hæc trigesima tertia, & videtur quadragesimo anno facta illa petræ percussio in Cadea. *Mense primo*, nam in proxima mansione Aaron obiit eo anno: unde ab hoc capite usque ad finem narrantur ea quæ gesta sunt anno quadragesimo. Quæ per 38. annos acta sunt, Moses silentio prætermisit.

6 (*b*) Quæ sequuntur, *clamaverunt*, &c. desunt in Hebr. in LXX. & in Complutensi editione. Si tamen quædam facta fuerit additio, hanc valde antiquam fuisse existimat Mariana.

10. (*c*) Peccasse Mosem & Aaron dubium non est, cum Dominus eo nomine illos reprehenderit & punierit. peccarunt in verbis illis cum dubitatione & ambiguitate ita prolatis, ut si non fluxisset aqua, hoc incredulitati populi tribuissent. August. *Intelligitur illa verba dixisse Mosen, tamquam ad incertum percusserat, ut si non sequeretur effectus, hoc prædixisse putaretur ... Hæc in animo Mosi lateret omnino, nisi Dei sententia proderetur.* Aut forte ad primam percussionem Deus aquas non dedit, inde turbati, gestu & vultu perturbationem suam coram populo ostenderunt. Deinde fieri potest, ut in quo peccaverint, non referat Scriptura: sed dixerunt aliquid, aut fecerunt ea pœna temporali dignum. Non introducetis *hos populos in terram*. Unde Moses fructu temporali tot laborum privatus est, & gloria inducendi populum in Terram promissionis trans Jordanem, in alium fuit translata: quo quidem significatum est, non Legem, sed Josue, aut potius Jesum Christum salutem populis allaturum. Itaque Allegorice, Maria est Prophetiæ typus, Moses legis, Aaron Sacerdotii veteris: omnibus illis finis imponendus. *Ita ut ipsi ad terram promissionis transcendere non valeant, neque credentem populum de solitudine hujus mundi in cælum educere.* Hieron. Epist. 127. Hæc verba, *Num de petra*, &c. sic possunt accipi, ut populi incredulitatem argueret. Augustin. quæst. 19. *Ita intelligi possent hæc verba nisi Deus qui cordis inspector est, quo animo dicta fuerint, indicaret.*

11. (*d*) August. quæst. 35. *Significata est ergo de Christo profluens gratia spiritalis, qua interior sitis irrigaretur; sed quod virga petra percutitur, Crux Christi figuratur; ligno enim accedente ad petram gratia manavit.* Moses hac in re figura fuit populi Judaici & incredulitatis unde culpa illius in se levis & momentanea, mysterii tamen habita ratione graviter punita est. Populi iterato rebelliones ejus diffidentiam [illegible], quod Moses figura tantum esset populi Judaici, qui auctorem vitæ interfecit, & paucis exceptis ab Ecclesia & regno cælorum exclusus est. Non eadem est petra, neque percussio, quæ Exodi 17. memoratur. Hæc enim facta fuit anno 40 Quæ refertur in Exodo, facta est anno secundo ab exitu in Raphidim.

12 (*e*) Peccatum Mosis & Aaron in hoc positum fuit, quod dubitaverint, non de potentia, sed de voluntate Dei, cum tamen Dei promissum esset citra conditionem; dubitationem quoque suam iterata percussione petræ palam fecerunt, his demum verbis diffidentiam prodiderunt: *Num de petra &c.*

13. (*f*) Deus omnipotentiam suam manifestam fecit.

21. Nec voluit acquiescere (*g*) deprecanti, ut concederet transitum per fines suos: quamobrem divertit ab eo Israel.

22. Cumque castra movissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom:

23. Ubi locutus est Dominus ad Moysen:

24. Pergat, inquit, Aaron ad populos suos: non enim intrabit Terram, quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo, ad Aquas contradictionis.

25. * Tolle Aaron & filium ejus cum eo, & duces eos in montem Hor (*h*). — * Josu. 33. 38. Deut. 32. 50.

26. Cumque nudaveris patrem veste sua, indues eâ Eleazarum filium ejus: Aaron colligetur, & morietur ibi.

27. Fecit Moyses ut præceperat Dominus: & ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine.

28. Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium ejus.

29. Illo mortuo in montis supercilio, descendit cum Eleazaro.

30. Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas.

CAPUT XXI.

Rex Arad Chananæus primum vincit Israelem, mox ipse vincitur subversis ejus urbibus: populus ob aquæ penuriam obmurmurans vulneratur a serpentibus, quorum morsibus serpens æneus erectus medetur. Reges Sehon & Og ab Hebræis debellantur.

1. Quod cum audisset Chananæus Rex Arad, qui habitabat ad meridiem (*a*), venisse scilicet Israel per exploratorum viam, pugnavit contra illum, & victor existens, duxit ex eo prædam.

2. At Israel voto se Domino obligans, ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo urbes ejus.

3. Exaudivitque Dominus preces Israel, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit subversis urbibus ejus: & vocavit nomen loci illius Horma (*b*), id est, anathema.

4. Profecti sunt autem & de monte Hor, per viam, quæ ducit ad Mare rubrum, ut circumirent terram Edom. Et tædere cœpit populum itineris ac laboris;

5. Locutusque contra Deum & Moysen, ait: Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.

6. * Quamobrem misit Dominus in populum Ignitos serpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, — * Judith 8. 25. Sap. 16. 5. 1. Cor. 10. 9.

7. Venerunt ad Moysen, atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum & te: ora ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo,

8. Et locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem (*c*) æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, vivet.

9. * Fecit ergo Moyses SERPENTEM ÆNEUM, & posuit eum pro signo: quem cum percussi aspicerent, sanabantur. — * Joan. 3. 14.

10. Profectique filii Israel castrametati sunt in Oboth.

11. Unde egressi fixere tentoria in Jeabarim, in solitudine, quæ respicit Moab contra orientalem plagam.

12. Et inde moventes, venerunt ad torrentem Zared.

13. Quem * relinquentes castrametati sunt contra Arnon, quæ est in deserto, & prominet in finibus Amorrhæi. * Siquidem Arnon terminus est Moab, dividens Moabitas & Amorrhæos. — * Deut. 2. 9. * Judic. 11. 18.

14. Unde dicitur in libro bellorum Domini (*d*): Sicut fecit in Mari rubro, sic faciet In torrentibus Arnon.

15. Scopuli torrentium (*e*) inclinati sunt, ut requiescerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum.

16. Ex eo loco apparuit puteus, super quo locutus est Dominus ad Moysen: Congrega populum, & dabo ei aquam.

17. Tunc cecinit Israel carmen istud: Ascendat puteus. (*f*) Concinebant:

18. Puteus, quem foderunt principes, & paraverunt duces multitudinis in datore legis (*g*), & in baculis suis. De solitudine, Matthana:

19. De Matthana in Nahaliel: de Nahaliel in Bamoth:

20. De Bamoth, vallis est in regione Moab, in vertice Phasga, quod respicit contra desertum.

21. * Misit autem Israel nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, dicens: — * Deut. 2. 26. Judic. 11. 19.

22. Obse-

---

21. (*g*) Ex Deuteronom. 2. Orientales filii Edom Israelitis transitum permiserant, sed Occidentales Idumæi ante negaverant; illi Moabitis erant vicini, hi prope Cades siti.

25. (*h*) Deuteronom. cap. 10 Aaron dicitur *mortuus ac sepultus in Mosera*: idem locus fuit. Hor mons est, Mosera locus adjacens, in quo Israelitæ castrametati sunt: ac bis ad eumdem locum venerunt, ut liquet ex cap. 33. Num. vers. 36.

CAP. XXI. 1. (*a*) Terræ Chanaan; *Per exploratorum viam*: per quam anno secundo exploratores missi a Mose in terram Chananæam venerant. Chananæus dicitur lata significatione: sic Amorrhæi dicti sunt Chananæi.

3. (*b*) An hoc dictum fuit per anticipationem, & executioni mandatum cap. 1. Judicum? Tametsi eo in loco Libri Judicum, non *Arad*, sed *Sephaat* vocatur Horma, nisi destructio ipsa cœpta fuerit a Sephaat: nec verisimile est id statim executioni mandatum post victoriam.

8. (*c*) Quod hic Serpens æneus Christi figura fuerit in Cruce exaltati, ipse Dominus testatur, Joann. cap. 3. Serpentis figuram habuit, non venenum; similitudinem carnis peccati, non peccatum; positus pro signo, ut percussi aspiciant & sanentur, ut credentes in Crucifixum sanentur a morsibus antiqui Serpentis. August. Lib. 1. de peccati meritis: *Dominus in carnem suam non peccatum transtulit, tamquam venenum serpentis: sed tamen transtulit mortem, ut esset in similitudine peccati pœna sine culpa, unde sine carne peccati & culpa solveretur & pœna.*

14. (*d*) Qui liber non extat, ac forte antiqua carmina quasi epinicia continebat pro victoriis populi Dei. Nec illud improbabile, inquit Estius, Esdram, cum libros divinos restitueret, eadem, ut credere pie est, Dei auctoritate, qua suæ historiæ libros scripsit, hujusmodi citationes libris illis inseruisse.

15. (*e*) Hebr. *Effusio aquarum torrentium*. Locus declivis, qui ducit in Ar, & pertingit ad terminum Moab. *Locus ille inclinatus est*, id est, se pervium præbuit; vel *scopuli torrentium*, pro torrentes scopulorum, *inclinati sunt*, id est, cursum alio mutaverunt, ut viam siccam præberent Israelitis.

17. (*f*) Ex imo putei ascendat aqua, ut bibere possimus. Initium est carminis, quod non absolvitur.

18. (*g*) Cum datore, Deo opem ferente, aut cum Mose; *Et in baculis suis*, viatorum, quibus terram aperuerunt.

22. Obsecro ut transire mihi liceat per terram tuam (*h*): non declinabimus in agros & vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos.

23. Qui concedere noluit ut transiret Israel per fines suos: quin potius exercitu congregato, egressus est obviam in desertum, & venit in Jasa, pugnavitque contra eum.

*Psal. 134. 11. Amos 2. 9.

24. * A quo percussus est in ore gladii, & possessa est terra ejus ab Arnon usque Jeboc, & filios Ammon: quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum.

25. Tulit ergo Israel omnes civitates ejus, & habitavit in urbibus Amorrhæi, in Hesebon scilicet, & viculis ejus.

26. Urbs Hesebon (*i*) fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnavit contra regem Moab: & tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat, usque Arnon.

27. Idcirco dicitur in Proverbio: Venite (*k*) in Hesebon, ædificetur, & construatur civitas Sehon:

28. Ignis egressus est de Hesebon (*l*), flamma de oppido Sehon, & devoravit Ar Moabitarum, & habitatores excelsorum Arnon.

*Judic. 11. 24. 3. Reg. 11. 7.

29. * Væ tibi Moab, periisti popule Chamos (*m*). Dedit filios ejus in fugam, & filias in captivitatem, regi Amorrhæorum Sehon.

30. Jugum (*n*) ipsorum disperiit ab Hesebon usque Dibon, lassi pervenerunt in Nophe, & usque Medaba.

31. Habitavit itaque Israel in Terra Amorrhæi.

32. Misitque Moyses qui explorarent Jazer: cujus ceperunt viculos, & possederunt habitatores.

*Deut. 3. 3. & 29. 7.

33. * Verteruntque se, & ascenderunt per viam Basan, & occurrit eis Og rex Basan cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai.

34. Dixitque Dominus ad Moysen: Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum, & omnem populum, ac terram ejus: facietque illi sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum habitatori Hesebon.

35. Percusserunt igitur & hunc cum filiis suis, universumque populum (*o*) ejus usque ad internecionem, & possederunt terram illius.

CAPUT XXII.

Balaamum semel & iterum Balac Rex Moab arcessit qui maledicat Israeli, quem Angelus per asinam corripit.

1. PRofectique castrametati sunt in campestribus Moab (*a*), ubi trans Jordanem Jericho sita est.

2. Videns autem Balac filius Sephor omnia quæ fecerat Israel Amorrhæo,

3. Et quod pertimuissent eum Moabitæ, & impetum ejus ferre non possent,

4. Dixit ad majores natu Madian (*b*): Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quo modo solet bos herbas usque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex in Moab.

5. * Misit ergo nuntios ad Balaam filium Beor ariolum (*c*), qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon, ut vocarent eum, & dicerent: Ecce egressus est populus ex Ægypto, qui operuit superficiem terræ: sedens contra me. *Jos. 24. 9.

6. Veni igitur, & maledic (*d*) populo huic, quia fortior me est: si quo modo possim percutere & ejicere eum de terra mea: novi enim quod benedictus sit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congesseris.

7. Perrexeruntque seniores Moab, & majores natu Madian, habentes divinationis pretium in manibus. Cumque venissent ad Balaam (*e*), & narrassent ei omnia verba Balac:

8. Ille respondit: Manete hic nocte, & respondebo quidquid mihi dixerit Dominus. Manentibus illis apud Balaam, venit Deus, & ait ad eum:

9. Quid sibi volunt homines isti apud te?

10. Respondit: Balac filius Sephor rex Moabitarum misit ad me,

11. Dicens: Ecce populus qui egressus est de Ægypto, operuit superficiem terræ: veni, & maledic ei, si quo modo possim pugnans abigere eum.

12. Dixitque Deus ad Balaam: Noli ire cum eis, neque maledicas populo: quia benedictus est.

13. Qui mane consurgens dixit ad principes: Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscum.

14. Reversi principes dixerunt ad Balac: Noluit Balaam venire nobiscum.

15. Rur-

22. (*h*) Augustin. quæst. 44. *Notandum est sane quemadmodum justa bella gerebantur. Innoxius enim transitus negabatur, qui jure humanæ societatis æquissimo patere debebat.*

26. (*i*) Ea quidem fuit Moabitarum: sed ab Amorrhæis capta, & jure belli iis subjecta fuit.

27. (*k*) Sic Amorrhæus loquitur, seipsum adhortatur ad instaurandam urbem. *In proverbio*. Hebr. משלים *Moselim*. Qui locus fragmentum est carminis cujusdam apud eas gentes usurpati.

28. (*l*) Victor Sehon instar ignis regionem vastavit: *Et devoravit Ar Moabitarum*: corripuit; urbs quidem capta non fuit, sed ager vastatus.

29. (*m*) Hic erat Deus Moabitarum.

30. (*n*) Quod imposuerant incolis Hesebon. Hebr. Lucerna eorum periit, imperium scilicet & gloria: alii vertunt, ar arum periit, id est, cultus agrorum. *Lassi*, Moabitæ fugientes.

35. (*o*) Qui erat in exercitu, vel dictum est per prolepsim, seu anticipationem.

CAPUT XXII.

1. (*a*) Quæ olim fuerant Moab, tum Sehon, & eo mortuo Israelitarum. LXX. *Ad occidentem Moab. Ubi trans Jordanem Jericho sita est*: In Hebr. *Jordanis Jericho dicitur*, quod prope ea loca urbs esset Moab, ubi castrametati sunt: hujus comparatione Jericho est trans Jordanem.

4. (*b*) Duplex est regio Madianitarum, una ad mare rubrum, altera juxta Moabitas in Arabia petrosa.

5. (*c*) Vox *arioli* deest in Hebræo, & loco ejus vox est *Pethor*, nomen loci, ac verisimile est Balaam fuisse Prophetam Dei, sed malum & pecuniæ cupidum: unde verba ejus capite sequenti veræ Prophetiæ vim habent. Ariolus tamen somniorum & ænigmatum Interpres exponi solet: *Qui habitat super flumen*, Euphraten.

6. (*d*) Hebr. Maledic mihi, hoc est, in mei gratiam.

7. (*e*) Hinc colligi potest Balaamum & populares ejus verum agnovisse Deum: tametsi forsan alios quoque colerent.

15. Rursum ille multo plures & nobiliores quam ante miserat, misit.

16. Qui cum venissent ad Balaam, dixerunt: Sic dicit Balac filius Sephor: Ne cuncteris venire ad me:

17. Paratus sum honorare te, & quidquid volueris dabo tibi: veni, & maledic populo isti.

18. Respondit (*f*) Balaam: * Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus, vel minus loquar.

* Infr. 24. 13.

19. Obsecro ut hic maneatis (*g*) etiam hac nocte, & scire queam quid mihi rursum respondeat Dominus.

20. Venit ergo Deus ad Balaam nocte, & ait ei: Si vocare te venerunt homines isti, surge (*h*), & vade cum eis: ita dumtaxat, ut quod tibi præcepero, facias.

21. Surrexit Balaam mane, & strata asina sua profectus est cum eis.

22. * Et iratus est Deus (*i*). Stetitque Angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinæ, & duos pueros habebat secum.

* 2 Petr. 2. 15.

23. Cernens asina Angelum stantem in via, evaginato gladio, avertit se de itinere, & ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam, & vellet ad semitam reducere,

24. Stetit Angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur.

25. Quem videns asina, junxit se parieti, & attrivit sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam:

26. Et nihilominus Angelus ad locum angustum transiens, ubi nec ad dexteram, nec ad sinistram poterat deviare, obvius stetit.

27. Cumque vidisset asina stantem Angelum, concidit sub pedibus sedentis: qui iratus, vehementius cædebat fuste latera ejus.

28. Aperuitque Dominus os asinæ (*k*), & locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me? ecce jam tertio?

29. Respondit Balaam: Quia commeruisti (*l*), & illusisti mihi: utinam haberem gladium, ut te percuterem.

30. Dixit asina (*m*): Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in præsentem diem? dic quid simile unquam fecerim tibi? At ille ait: Nunquam.

31. Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via evaginato gladio, adoravitque eum pronus in terram.

32. Cui Angelus: Cur, inquit, tertio verberas asinam tuam? Ego veni ut adversarer tibi, quia perversa est via tua, mihique contraria:

33. Et nisi asina declinasset de via, dans locum resistenti, te occidissem, & illa viveret.

34. Dixit Balaam: Peccavi, nesciens quod tu stares contra me: & nunc si displicet tibi ut vadam, revertar.

35. Ait Angelus: Vade cum istis, & cave ne aliud quam præcepero tibi loquaris. Ivit igitur cum principibus.

36. Quod cum audisset Balac, egressus est in occursum ejus in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon.

37. Dixitque ad Balaam: Misi nuntios ut vocarem te, cur non statim venisti ad me? an quia mercedem adventui tuo reddere nequeo?

38. Cui ille respondit: Ecce adsum: numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo?

39. Perrexerunt ergo simul, & venerunt in urbem, quæ in extremis regni ejus finibus erat.

40. Cumque occidisset (*n*) Balac boves & oves, misit ad Balaam, & principes qui cum eo erant, munera.

41. Mane autem facto, duxit eum ad excelsa Baal, & intuitus est extremam partem populi.

CAPUT XXIII.

Balaam exstructis aris ad maledicendum se comparat, semel & iterum invitus benedicit, & victorias prænuntiat.

1. Dixitque Balaam ad Balac: Ædifica mihi hic septem aras (*a*), & para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes.

2. Cumque fecisset juxta sermonem Balaam, imposuerunt simul vitulum & arietem super aram (*b*).

3. Dixitque Balaam ad Balac: Sta paulisper juxta holocaustum tuum, donec vadam, si forte occurrat mihi Dominus, & quodcumque imperaverit, loquar tibi.

4. Cumque abiisset velociter, occurrit illi Deus. Locutusque ad eum Balaam: Septem, inquit, aras erexi, & imposui vitulum & arietem desuper.

5. Dominus autem posuit (*c*) verbum in ore ejus, & ait: Revertere ad Balac, & hæc loqueris.

6. Reversus invenit stantem Balac juxta holocaustum suum, & omnes principes Moabitarum:

7. Assum-

18 (*f*) In Hebræo est nomen Dei, יהוה Jehova. Theodoretus negat nomen illud Dei magnum notum fuisse Balaamo, sed a Mose usurpatum, ut passim in aliis locis, quod Balaam persuadere vellet se verum Deum consulturum.

19 (*g*) Avaritia sua impulsus Deum tentat, quasi muneribus sibi oblatis moveri posset: eundi potestatem dat illi Deus.

20. (*h*) Ironice dictum: non concessio, sed permissio erat.

21. (*i*) Aut profectionem Deus tantum permiserat, non concesserat: aut Balaam mentem mutaverat, & populo maledicere decreverat. Profectus Balaam cum nocendi voluntate.

28. (*k*) Non dubium est, quin bonus is Angelus fuerit, qui locutus est, & arguit Balaam, non tam de suscepto itinere, quam de prava cupiditate. Hinc S. Thomas 2. 2. q. 105. art. 4. *Sic*, inquit, *locutus est Serpens homini, sicut asina locuta est homini, nisi quod illud fuit opus diabolicum, hoc Angelicum.*

29. (*l*) Cur non is territus fuit, an ira excæcatus, an hujus generis prodigiis assuetus erat?

30. (*m*) Balaami insipientia voce animalis recte corripitur.

40. (*n*) Initium malorum fuit munera accipere: peccati occasio facilius vitatur, quam præteritis cupiditatis illecebris obsistitur.

CAPUT XXIII.

1. (*a*) Non ex præcepto divino: nondum enim consuluerat Dominum, sed ex superstitione id facit.

2. (*b*) Super aras singulas: nam & septem erant aræ, & totidem victimæ.

5. (*c*) Id est, suggessit illi quid responderet. Hæc Balaami gesta dictaque Moses accepit Deo revelante.

7. Assumptaque parabola (*d*) sua, dixit: De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis: Veni, inquit, & maledic Jacob: propera, & detestare Israel.

8. Quo modo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione detester, quem Dominus non detestatur?

9. De summis silicibus videbo eum (*e*), & de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit, & inter gentes non reputabitur.

10. Quis dinumerare possit pulverem Jacob (*f*), & nosse numerum stirpis Israel? Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.

11. Dixitque Balac ad Balaam: Quid est hoc quod agis? Ut malediceres inimicis meis vocavi te: & tu e contrario benedicis eis.

12. Cui ille respondit: Num aliud possum loqui, nisi quod jusserit Dominus?

13. Dixit ergo Balac: Veni (*g*) mecum in alterum locum unde partem Israel videas, & totum videre non possis, inde maledicito ei.

14. Cumque duxisset eum in locum sublimem, super verticem montis Phasga (*h*), ædificavit Balaam septem aras, & impositis supra vitulo atque ariete,

15. Dixit ad Balac: Sta hic juxta holocaustum tuum, donec ego obvius pergam.

16. Cui cum Dominus occurrisset, posuissetque verbum in ore ejus, ait: Revertere ad Balac, & hæc loqueris ei.

17. Reversus invenit eum stantem juxta holocaustum suum, & principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac: Quid, inquit, locutus est Dominus?

18. At ille assumpta parabola sua, ait: Sta (*i*) Balac, & ausculta, audi fili Sephor:

19. Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus est, & non implebit?

20. Ad benedicendum adductus (*k*) sum, benedictionem prohibere non valeo.

21. Non est idolum in Jacob, nec videtur simulacrum in Israel. Dominus Deus ejus cum eo est, & clangor victoriæ regis in illo (*l*).

22. * Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo similis est rhinocerotis (*m*). * *Inf.* 24. 8.

23. Non est augurium in Jacob (*n*), nec divinatio in Israel. Temporibus suis dicetur Jacob & Israeli quid operatus sit Deus.

24. Ecce populus ut leæna (*o*) consurget, & quasi leo erigetur: non accubabit donec devoret prædam, & occisorum sanguinem bibat.

25. Dixitque Balac ad Balaam. Nec maledicas ei, nec benedicas.

26. Et ille ait: Nonne dixi tibi, quod quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem?

27. Et ait Balac ad eum: Veni, & ducam te ad alium locum: si forte placeat Deo ut inde maledicas eis.

28. Cumque duxisset eum super verticem montis Phogor, qui respicit solitudinem,

29. Dixit ei Balaam: Ædifica mihi hic septem aras, & para totidem vitulos, ejusdemque numeri arietes.

30. Fecit Balac ut Balaam dixerat: imposuitque vitulos & arietes per singulas aras.

CAPUT XXIV.

Rursum Balaam benedicit Israeli, & de regno Christi futuro vaticinatur; item de Amalecitis, Cinæis, & Romanorum regni eversione.

1. CUmque vidisset Balaam quod placeret Domino ut benediceret Israeli, nequaquam abiit ut ante perrexerat, ut augurium quæreret (*a*): sed dirigens contra desertum vultum suum,

2. Et elevans oculos, vidit Israel in tentoriis commorantem per tribus suas, & irruente in se spiritu Dei (*b*),

3. Assumpta parabola ait: Dixit Balaam filius Beor, dixit homo, cujus obturatus est oculus (*c*):

4. Dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi ejus:

5. Quam

7 (*d*) Prophetæ sæpe parabolas in Prophetiis usurpabant. *De Aram adduxit me Balac*. LXX. vertunt de Mesopotamia. Aram Syria est: sed cum ea sit multiplex, videtur de ea regione, quam alluit Euphrates, id intelligendum.

9. (*e*) Video illum. *Populus solus habitabit*, seorsum ab aliis Gentibus, lege, religione, moribus separatus. Hebr. *Confidenter securus*. *Inter Gentes non reputabitur*: peculiaris erit Deo populus.

10. (*f*) Filios Jacob, *& nosse numerum stirpis Israel?* Hebr. *Et numerare quartam partem Israel? Moriatur anima mea morte justorum*. Hi meliorem vitam post hanc habent repositam. Ita mihi eveniat ut illis, quod utique ad animarum immortalitatem, pertinet: nam si nulla esset post hanc vita altera, nullum esset discrimen justi & impii. Non nisi Balaam velle se vivere vita justorum: ita dixit more Prophetæ; sed mens semper erat mala & voluntas prava: bona mors vitæ bonæ merces.

13 (*g*) Extremam aciem vidisti, non totam.

14. (*h*) Chald. *In agrum speculatorum*: adeo ut Phasga non sit nomen proprium, sed nomen collis.

18. (*i*) Hebr. *Surge*, honorem verbo Dei exhibe.

20. (*k*) Prima voluntate mutata, Deo illustrante; hoc est, jussus sum a Domino benedicere, prohibere non valeo: adeo mens ejus collustrabatur, & voluntas impellebatur.

21. (*l*) Alludit ad duas tubas argenteas jussu Domini factas. Vel jubilatio in eis magna est similis clangori tubæ regis, cum victoriam reportavit. *Dominus Deus ejus cum eo est*: Vincet hostes suos, *& clangor victoriæ*, triumphus perpetuus futurus est.

22. (*m*) Id est, maxima, Hebr. Reem ראם est genus quoddam capræ ex Bocharto. Nam Arabes *capram* vocant Reem. Cornua ejus sunt lata, longa & acuta, est forte Oryx; Martialis, *Sævus Oryx*: bovis erat magnitudine. Sic exponi potest hic locus: Populus hic tantum alios tantumdem eminebit, quantum Reem inter alias caprarum species.

23. (*n*) Hebr. *Secundum tempus*. Non est quod Israel de futuro eventu sit solicitus. Deus illi suo tempore revelabit omnia. *Quid operatus sit*: Quid operetur Deus.

24. (*o*) Quæ terribilior est, cum catulos nutrit: *Non accubabit*, non quiescet.

1. (*a*) Antea quæsierat auguria. LXX. *In occursum avibus*. Vox Hebræa superstitionem significat, quam prætermisit Balaam; nam Deus anteverterat: non amplius perrexit, ut quæreret quod dicturus esset: videtur id egisse Balaam, ut voluntati Balac faceret satis, neque malediceret, neque benediceret Israelitis. Sed Deus eo vel invito utitur ad benedicendum, tametsi Balaami avaritia hostibus eum devinxisset. CAPUT XXIV.

2. (*b*) Unde liquet eum Prophetam fuisse, sed implum. Vel certe hac in re fuit Propheta Spiritu Dei afflatus.

3 (*c*) Sept. Interpret. *Homo vere videns*: Sed clausis oculis accipiebat Dei oracula: nostra lectio intelligi potest de oculis corporeis, quod per somnium revelationem acceperit. Unde v. sequenti: *Qui cadit, & sic aperiuntur oculi ejus*. Vel de oculis mentis cupiditate excæcatis loquitur: & tamen aperiuntur oculi ejus ad prædicendum; vel oculi primo sunt clausi, deinde prostrato in terram aperti. Quidam suspicantur in nostra versione deesse negationem & juxta textum legi oportere. *Cujus non est obturatus oculus*. Arcanorum Dei fit interpres, sed in tenebras pravæ voluntatis incurrit, cujus in ore est veritas Dei, perfidia dæmonis in corde.

5. Quam pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Israel!

6. Ut valles nemorosæ (*d*), ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.

7. Fluet (*e*) aqua de situla ejus, & semen illius erit in aquas multas. Tolletur propter Agag, rex ejus, & auferetur regnum illius.

* Sup. 23. 22. 8. Deus eduxit illum de Ægypto, * cujus fortitudo similis est rhinocerotis. Devorabunt gentes (*f*) hostes illius, ossaque eorum confringent, & perforabunt sagittis.

9. Accubans (*g*) dormivit ut leo, & quasi leæna, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur.

10. Iratusque Balac contra Balaam, complosis manibus ait: Ad maledicendum inimicis meis vocavi te, quibus e contrario tertio benedixisti:

11. Revertere ad locum tuum. Decreveram quidem magnifice honorare te, sed Dominus privavit te honore disposito.

12. Respondit Balaam ad Balac: Nonne nuntiis tuis, quos misisti ad me, dixi:

* Sup. 22. 18. 13. * Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei, ut vel boni quid, vel mali proferam ex corde meo: sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar?

14. Verumtamen pergens ad populum meum, dabo consilium (*h*), quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.

15. Sumpta igitur parabola, rursum ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cujus obturatus est oculus:

16. Dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi, & visiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos.

17. Videbo eum, sed non modo (*i*): intuebor illum, sed non prope. * ORIETUR
* Matth. 2. 2. STELLA ex Jacob, & consurget virga de Israel: & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.

18. Et erit Idumæa (*k*) possessio ejus: hæreditas Seir cedet inimicis suis: Israel vero fortiter aget.

19. De Jacob (*l*) erit qui dominetur, & perdet reliquias civitatis.

20. Cumque vidisset Amalec, assumens parabolam, ait: Principium Gentium Amalec (*m*), cujus extrema perdentur.

21. Vidit quoque Cinæum (*n*): & assumpta parabola, ait: Robustum quidem est habitaculum tuum: sed si in petra posueris nidum tuum,

22. Et fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere? Assur enim capiet te (*o*).

23. Assumptaque parabola iterum locutus est: Heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus? (*p*)

24. * Venient in trieribus de Italia (*q*), superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, * Dan. 11. 30.
& ad extremum etiam ipsi peribunt.

25. Surrexitque Balaam, & reversus est in locum suum: Balac quoque via, qua venerat, rediit.

CAPUT XXV.

Hebræi propter fornicationem cum Moabitis & Madianitis puniuntur, interfectis 24000. Phinees plagam sistit; atque illi firmatur sacerdotium.

1. MOrabatur * autem eo tempore Israel in * Jos. 3. 1.
Settim (*a*), & fornicatus est populus cum filiabus Moab,

2. Quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adoraverunt deos earum,

3. * Initiatusque est Israel Beelphegor: & * Jos 22. 17.
iratus Dominus,

4. Ait ad Moysen: * Tolle cunctos princi- * Deut. 4.
pes populi (*b*) & suspende eos contra solem 3.
in patibulis: ut avertatur furor meus ab Israel.

5. Dixitque Moyses ad Judices Israel: * Oc- * Exod. 32.
cidat unusquisque proximos suos, qui initiati 27.
sunt Beelphegor.

6. Et ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi.

7. * Quod

6. (*d*) Progressus gratiæ in anima his quatuor similitudinibus pulchre exprimuntur. 1. Est humilitas: *Qui emittis fontes in convallibus*, Psalm. 103. Humilitas nos a concupiscentia tuetur. 2. *Ut horti juxta fluvios irrigui*: semper orans, & aquam e cælo expectans. 3. *Ut Tabernacula quæ fixit Dominus*: se ut advenam, & in castris pugnantem considerat. 4. *Quasi cedri prope aquas*: ut nostra conversatio, cor nostrum sit in cælo, & divinæ gratiæ aquis irrigati, fide, spe & caritate erigimur.

7. (*e*) Pergit in metaphora de hortis & arboribus juxta fluvium plantatis, quibus populum comparat: *Et semen ejus erit super aquas multas*: ut semen quod cadit super terram irriguam, multiplicabitur. *Tolletur propter Agag Rex ejus*. Hebr. *Exaltabitur præ Agag Rex ejus*. Reges Amalecitæ vocabantur Agag, quibus potiores erant Reges Israel. Hæc Hieronymus interpretatur de Saule, qui Regno privatus est, quod Agag regem Amalecitarum non occidisset.

8. (*f*) Populos; *hostes illius*, hostes suos. *Et perforabunt*: Hebr. *Et sagittis suis conterent*, hostes nimirum.

9. (*g*) Hebr. Incurvavit se se: si accubuerit, ut dormiat, quis audebit eum provocare?

14. (*h*) Ex cap. 31. consilium id fuit, ut per mulieres induceret Israelitas ad peccandum.

17. (*i*) Loquitur de Messia, quem Judæi Barcochab, idest, filium Stellæ appellant, ad hanc Prophetiam alludentes, *Orietur Stella ex Jacob, consurget virga*: de Regno Christi loquitur. *Vastabit omnes filios Seth*; totum mundum suo subjiciet Imperio; siquidem Noe erat e stirpe Seth, vel Regio aliqua Moabitis vicina indicatur. Stella propter fœlicitatis splendorem, & virga propter Regni potestatem dicitur.

18. (*k*) Hoc ipsum Gen. 25. prædictum fuit, & impletum 2. Reg. vers. 8.

19 (*l*) Hoc vaticinium spectat ad Christum, & alludit ad Davidem. *Qui dominetur*. Hebr. exsurget ex Jacob, *& perdet reliquias civitatis*. An civitas illa est Roma ipsa, cujus idololatriam Christus evertit? An civitas Idum, Humeæ, 2. Reg. 11. an denique civitates omnes indicat, quasi diceret ex infidelibus fideles efficiet?

20. (*m*) *Principium* bellorum Israel, primus hostis Israel.

21 (*n*) Unde originem suam ducebat Jethro. *Si in petra posueris*: etiamsi in rupe habitares, expugnaberis.

22 (*o*) Cinæos e Tribu Nephthali transferet.

23. (*p*) Hebr. *Postquam hoc posuerit Deus, quis vivet?* ex Amalecitis nimirum.

24 (*q*) Hebr. *Et naves de manu*: id est, de littore Kittim. Ea voce Italos intelligit Hieronymus; alii Græcos. 1. Machab. de Alexandro dicitur: *Exivit de terra Cethim*, atque ab eo oppressi sunt Assyrii. Loca quæque maritima, & insulæ ab Hebræis dicuntur Cittim. In Cypro insula urbs erat Citium, quæ Phœnicum erat colonia.

1. & 2. (*a*) Hæc fuit postrema mansio. Juxta consilium Balaam, cap. præcedenti vers. 14. CAPUT XXV.

4. (*b*) Qui jubeant suspendi ad Solem: aut coram Sole, & palam, reos nimirum hujus flagitii: aut jubet suspendi Principes, qui huic impietati favissent; adeo ut alii Principes, seu capita populi, alii Judices.

* Psal.105. 30. 1. Mach. 2. 26. 1.Cor.10.8 7. * Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filii Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione (c),

8. Ingressus est post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet & mulierem in locis genitalibus. Cessavitque plaga a filiis Israel:

9. Et occisi sunt vigintiquatuor millia hominum (d).

10. Dixitque Dominus ad Moysen:

11. Phinees filius Eleazari filii Aaron sacerdotis avertit iram meam a filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo.

* Eccli.45. 30. 1 Mach. 2. 54. 12. Idcirco loquere ad eum: * Ecce do ei pacem fœderis mei,

13. Et erit tam ipsi (e) quam semini ejus pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiavit scelus filiorum Israel.

14. Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione & tribu Simeonis.

15. Porro mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi, filia Sur principis nobilissimi Madianitarum.

16. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

* Inf.31. 2. 17. * Hostes vos sentiant (f) Madianitæ, & percutite eos:

18. Quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decepere insidiis per idolum Phogor, & Cozbi filiam ducis Madian sororem suam, quæ percussa est in die plagæ (g) pro sacrilegio Phogor.

CAPUT XXVI.

Israelitæ quotquot majores erant 20. annis numerantur, iisque terra brevi erat dividenda.

1. POstquam noxiorum sanguis effusus est, dixit Dominus ad Moysen & Eleazarum filium Aaron sacerdotem:

* Sup. 1. 2. & 3. 2. * Numerate omnem summam filiorum Israel (a) a viginti annis & supra, per domos & cognationes suas, cunctos, qui possunt ad bella procedere.

3. Locuti sunt itaque Moyses & Eleazar sacerdos in campestribus (b) Moab super Jordanem contra Jericho, ad eos, qui erant

4. A viginti annis & supra, sicut Dominus imperaverat (c), quorum ipse est numerus:

* Gen.46.9 5. Ruben primogenitus Israel: * hujus filius, Henoch, a quo familia Henochitarum: & Phallu, a quo familia Phalluitarum: Exod.6. 14. 1. Par.5. 3.

6. Et Hesron, a quo familia Hesronitarum: & Charmi, a quo familia Charmitarum.

7. Hæ sunt familiæ de stirpe Ruben: quarum numerus inventus est, quadraginta tria millia, & septingenti triginta.

8. Filius Phallu, Eliab.

9. Hujus filii, Namuel & Dathan & Abiron: isti sunt Dathan & Abiron principes populi, * qui surrexerunt contra Moysen & Aaron in seditione Core, quando adversus Dominum rebellaverunt: * Sup. 16. 1. 2.

10. Et aperiens terra os suum devoravit Core, morientibus plurimis, quando combussit ignis ducentos quinquaginta viros. Et factum est grande miraculum,

11. Ut, Core pereunte, filii illius non perirent.

12. Filii Simeon (d) per cognationes suas: Namuel, ab hoc familia Namuelitarum: Jamin, ab hoc familia Jaminitarum: Jachin, ab hoc familia Jachinitarum.

13. Zare, ab hoc familia Zareitarum: Saul, ab hoc familia Saulitarum.

14. Hæ sunt familiæ de stirpe Simeon, quarum omnis numerus fuit, viginti (e) duo millia ducenti.

15. Filii Gad per cognationes suas: Sephon, ab hoc familia Sephonitarum: Aggi, ab hoc familia Aggitarum: Suni, ab hoc familia Sunitarum:

16. Ozni, ab hoc familia Oznitarum: Her, ab hoc familia Heritarum:

17. Arod, ab hoc familia Aroditarum: Ariel, ab hoc familia Arielitarum.

18. Istæ sunt familiæ Gad, quarum omnis numerus fuit, quadraginta millia quingenti.

19. * Filii Juda, Her, & Onan, qui ambo mortui sunt in Terra Chanaan. * Gen. 38. 3. & 4.

20. Fueruntque filii Juda, per cognationes suas: Sela, a quo familia Selaitarum: Phares, a quo familia Pharesitarum: Zare, a quo familia Zareitarum.

21. Porro filii (f) Phares: Hesron, a quo familia Hesronitarum: & Hamul, a quo familia Hamulitarum.

22. Istæ sunt familiæ Juda, quarum omnis numerus fuit, septuaginta sex millia quingenti.

23. Filii Issachar, per cognationes suas: Thola, a quo familia Tholaitarum: Phua, a quo familia Phuaitarum:

24. Jasub, a quo familia Jasubitarum: Semran, a quo familia Semranitarum.

25. Hæ

7. (c) Non privata auctoritate, sed jubente Mose, qui dixerat ad judices Israel: *Occidat unusquisque proximos suos*. Deus suos primum, tum Madianitas punit.

9. (d) Apostolus 1. Cor. 10. numerat tantum 23000. sed respondere potest mille ex Principibus suspensos, & 23000. e plebe jussu Dei, & plaga divinitus immissa periisse.

13. (e) Phinees, *quam semini ejus pactum Sacerdotii sempiternum*. Interruptio quædam fuit tempore Heli ex stirpe Ithamar patrui Phinees; sed Summum Sacerdotium redditum est Sadoch ex stirpe Phinees per Davidem & Salomonem, atque in ea mansit familia usque ad Herodis tempora.

17. (f) Ultio Madianitarum ad tempora usque Davidis dilata est.

18. (g) Non eadem plaga fuit a Deo immissa.

CAPUT XXVI. 2. (a) Census ille tertio factus est paulo minor eo, qui cap. 1 factus fuerat, nempe 1820 hominibus: hic census ad sortes Tribuum brevi faciundas præparabat. *A viginti annis*, majoribus 20 annis prœlia tribuebantur, non mulieribus.

3. (b) In confinio.

4. (c) Hebr. Mosi & filiis Israel, qui egressi sunt de terra Ægypti: adeo ut facta fuerit enumeratio ut ab initio. Core pereunte, filii non perierunt, quod patris crimen detestarentur. Unde ab illa turba Deus eos subduxit.

12. (d) Genes. 46. Exodi 6. numerantur sex filii Simeonis: hoc loco & 1 Paralip 4. tantum quinque: omittitur hoc loco textus Ahod, quod mortuus fuerit sine liberis, aut extincta fuerit familia.

14. (e) Numerata sunt cap. primo, 59300. sed quia pars eorum major principi suo Zambri se adjunxit, ac propterea exterminata fuerant.

21. (f) Phares familia adeo excreverat, ut in duas partes dividere oportuerit, ut Manasse vers. 29. & Benjamin v. 40. Hesron & Hamul hic [illegible] loco Her. & Onan, nepotum Jacob. [illegible] 1. Paral. 24. familiæ ex Aaronis stirpe recensentur.

25. Hæ sunt cognationes Issachar, quarum numerus fuit, sexaginta quatuor millia trecenti.

26. Filii Zabulon per cognationes suas: Sared, a quo familia Sareditarum: Elon, a quo familia Elonitarum: Jalel, a quo familia Jalelitarum.

27. Hæ sunt cognationes Zabulon, quarum numerus fuit, sexaginta millia quingenti.

28. Filii Joseph per cognationes suas, Manasse & Ephraim.

29. De Manasse ortus est Machir, a quo familia Machiritarum. * Machir genuit Galaad, a quo familia Galaaditarum (g). [* Jos. 17. 1.]

30. Galaad habuit filios: Jezer (h), a quo familia Jezeritarum: & Helec, a quo familia Helecitarum:

31. Et Asriel, a quo familia Asrielitarum: & Sechem, a quo familia Sechemitarum:

32. Et Semida, a quo familia Semidaitarum: * & Hepher, a quo familia Hepheritarum. [* Infr. 17. 1.]

33. Fuit autem Hepher pater Salphaad, qui filios non habebat, sed tantum filias, quarum ista sunt nomina: * Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Thersa. [* Ibidem.]

34. Hæ sunt familiæ Manasse, & numerus earum, quinquaginta (i) duo millia septingenti.

35. Filii autem Ephraim per cognationes suas, fuerunt hi: Suthala, a quo familia Suthalaitarum: Becher, a quo familia Becheritarum: Thehen, a quo familia Thehenitarum.

36. Porro filius Suthala fuit Heran (k), a quo familia Heranitarum.

37. Hæ sunt cognationes filiorum Ephraim, quarum numerus fuit, triginta duo millia quingenti.

38. Isti sunt filii Joseph per familias suas. Filii Benjamin (l) in cognationibus suis: Bela, a quo familia Belaitarum: Asbel, a quo familia Asbelitarum: Ahiram, a quo familia Ahiramitarum:

39. Supham (m) a quo familia Suphamitarum: Hupham, a quo familia Huphamitarum.

40. Filii Bela: Hered, & Noeman. De Hered, familia Hereditarum: de Noeman, familia Noemanitarum.

41. Hi sunt filii Benjamin per cognationes suas, quorum numerus fuit, quadraginta quinque millia sexcenti.

42. Filii Dan per cognationes suas: Suham, a quo familia Suhamitarum: hæ sunt cognationes Dan per familias suas.

43. Omnes fuere Suhamitæ, quorum numerus erat, sexaginta quatuor millia quadringenti.

44. Filii Aser per cognationes suas: Jemna, a quo familia Jemnaitarum: Jessui, a quo familia Jessuitarum: Brie, a quo familia Brieitarum.

45. Filii Brie: Heber, a quo familia Heberitarum: & Melchiel, a quo familia Melchielitarum.

46. Nomen autem filiæ Aser, fuit Sara.

47. Hæ cognationes filiorum Aser, & numerus eorum, quinquaginta tria millia quadringenti.

48. Filii Nephthali per cognationes suas: Jesiel, a quo familia Jesielitarum: Guni, a quo familia Gunitarum:

49. Jeser, a quo familia Jeseritarum: Sellem a quo familia Sellemitarum.

50. Hæ sunt cognationes filiorum Nephthali per familias suas: quorum numerus, quadraginta quinque millia quadringenti.

51. Ista est summa filiorum Israel, qui recensiti sunt, sexcenta millia, & mille septingenti triginta.

52. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

53. Istis dividetur terra juxta numerum vocabulorum (n) in possessiones suas.

54. Pluribus majorem partem dabis, (o) & paucioribus minorem: singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio:

55. Ita duntaxat ut sors Terram tribubus dividat & familiis.

56. Quidquid sorte contigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores.

57. * Hic quoque est numerus filiorum Levi (p) per familias suas: Gerson, a quo familia Gersonitarum: Caath, a quo familia Caathitarum: Merari, a quo familia Meraritarum. [* Exod. 6. 17.]

58. Hæ sunt familiæ Levi: Familia Lobni, familia Hebroni, familia Moholi, familia Musi, familia Core. At vero Caath genuit Amram:

59. Qui habuit uxorem Jochabed filiam Levi, quæ nata est ei in Ægypto: hæc genuit Amram viro suo filios, Aaron & Moysen, & Mariam sororem eorum.

60. De Aaron orti sunt Nadab & Abiu, & Eleazar & Ithamar:

61. * Quorum Nadab & Abiu mortui sunt, cum obtulissent ignem alienum coram Domino. [* Sup. 3. 4. Lev. 10. 2. 1. Par. 24. 2]

62. Fueruntque omnes qui numerati sunt, viginti tria millia generis masculini, ab uno mense (q) & supra: quia non sunt recensiti inter filios Israel, nec eis cum cæteris data possessio est.

63. Hic

29. (g) Qui Machiritæ dicebantur.
30. (h) Cujus fit mentio Josue 17. Pronepotes Joseph, ubi familiarum capita recensentur, quo Josepho honos habeatur.
34. (i) Adeo excrevit hæc tribus, quæ ante erat 20000 ex prophetia Jacob Genes. 49. 22.
36. (k) Qui Eran, Lib. 1. Paral. 7. ex hac stirpe progna- tus erat) sive nepos Ephraim.
38. (l) Numerantur tantum quinque, cum decem fuerint Genes. 46. Itaque ex iis quinque tantummodo familiam habuerunt. Ahiram, quinque tantum filii Benjamin recensentur, tametsi decem Genes. 46. numerentur. Quinque igitur sine liberis obierunt.
39. (m) Lib. 1. Paral. 7. Supha, in propriis nominibus sæpe magna est mutatio, quæ interdum ex litterarum quarumdam mutatione, aut transpositione oritur.

53. (n) Familiarum. Major habita est ratio soli fertilitatis in hac divisione, quam extensionis. Sic tribus Benjamin licet multitudine major, admodum contracta fuit.
54. (o) Per te, vel successorem tuum, cui id mandabis. *Singulis, sicut nunc recensiti sunt, tradetur possessio*: singulis familiis, non hominibus.
57. (p) Quinque tantum numerantur præcipuæ familiæ, cum octo essent Exod. 6. Cum enim non accepturæ essent sortem cum aliis Tribubus, ea profecto non numerantur, ubi de bello agitur.
62. (q) Quod jussisset Deus cap. 3. computari Levitas cum primogenitis aliarum Tribuum, & pauci essent Levitæ, jubet Deus eos censeri ab uno mense, ut æquarent numerum primogenitorum: cum alii aliarum Tribuum a viginti annis censerentur.

63. Hic est numerus filiorum Israel, qui descripti sunt a Moyse & Eleazaro sacerdote, in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho (r).

* 1. Cap. 10. 5. 64. * Inter quos nullus fuit eorum, qui ante numerati sunt a Moyse & Aaron in deserto Sinai.

* Sup. 14. 23. & 24. 65. * Prædixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in solitudine. Nullusque remansit ex eis, nisi Caleb (f) filius Jephone, & Josue filius Nun.

CAPUT XXVII.

Lex nova sancitur, ut deficiente prole masculo filiæ succedant parentibus in hæreditatem. Moses jubetur in montem Abarim scendere, atque ex eo loco terram Chanaan prospicere.

* Sup. 26. 33. & 33. Infr. 36. 1. Jos. 17. 1. 1. Accesserunt (a) * autem filiæ Salphaad, filii Hepher, filii Galaad, filii Machir, filii Manasse, qui fuit filius Joseph: quarum sunt nomina, Maala, & Noa, & Hegla, & Melcha, & Thersa.

2. Steteruntque coram Moyse & Eleazaro Sacerdote, & cunctis principibus populi ad ostium tabernaculi (b) fœderis, atque dixerunt:

* Sup. 16. 1. 3. Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quæ * concitata est contra Dominum sub Core, sed in peccato suo mortuus est: hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habuit filium? Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri.

4. Retulitque Moyses causam earum ad judicium Domini.

5. Qui dixit ad eum:

6. Justam rem postulant filiæ Salphaad: da eis possessionem inter cognatos patris sui, & ei in hæreditatem succedant.

7. Ad filios autem Israel loqueris hæc:

8. Homo cum mortuus fuerit absque (c) filio, ad filiam ejus transibit hæreditas.

9. Si filiam non habuerit, habebit successores fratres (d) suos.

10. Quod si & fratres non fuerint, dabitis hæreditatem fratribus patris ejus.

11. Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his, qui ei proximi sunt (e): eritque hoc filiis Israel sanctum lege perpetua, sicut præcepit Dominus Moysi.

12. Dixit quoque Dominus ad Moysen: * Ascende in montem istum Abarim (f), & contemplare inde Terram, quam daturus sum filiis Israel. * Deut. 32. 49.

13. Cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, sicut ivit frater tuus Aaron:

14. * Quia offendistis me in deserto Sin in contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram ea super aquas: hæ sunt aquæ contradictionis in Cades deserti Sin. * Sup. 20. 12. Deut. 32. 51.

15. Cui respondit Moyses:

16. Provideat Dominus (g) Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc:

17. Et possit exire & intrare ante eos (h), & educere eos vel introducere: ne sit populus Domini sicut oves absque pastore.

18. Dixitque Dominus ad eum: * Tolle Josue filium Nun, virum in quo est Spiritus, & pone manum tuam super eum (i). * Deut. 3. 21.

19. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote & omni multitudine:

20. Et dabis ei præcepta (k) cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis synagoga filiorum Israel.

21. Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum ejus egredietur (l) & ingredietur ipse, & omnes filii Israel cum eo, & cætera multitudo.

22. Fecit Moyses ut præceperat Dominus. Cumque tulisset Josue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote & omni frequentia populi.

23. Et impositis capiti ejus manibus, cuncta replicavit quæ mandaverat Dominus.

C A-

63. (r) Hebr. *Supra Jordanem Jericho*. Pars fluvii nomen ab urbe accepit.

65. (f) Excipe Levitas: nam multi ex iis remanserunt.

CAPUT XXVII. 1. (a) Sic Deus res disponit, ut ex earum occasione leges decernat: neque enim singulis casibus providendum, antequam eveniant.

2. & 3. (b) Ubi erat Tabernaculum Mosis, *Peccato*. In peccato murmurationis, quod omnibus commune fuit: nam propter illud peccatum in terram promissionis non pervenere.

8 (c) Non succedebant filiæ apud Hebræos, cum erant masculi, uti nec succedunt in multis regionibus, in prædiis: terra promissionis erat instar fundi Deo uni subjecti.

9. & 10. (d) Pater præ liberis succedebat. *Fratres*, supple, nec sorores, nec avos: patrui succedunt præ filiis fratrum, ut propiores ei, a quo bona veniebant; idem mos in Africam forsan per Phœnices pervenit.

11. (e) Masculis, *qui ei proximi sunt*. Maritus uxori succedebat, dote excepta, quæ aut liberorum erat, aut uxoris cognatorum. Sic post sorores neque feminæ, neque masculi bonis uxoris succedebant. Idem est jus 12. tabularum & Atticorum: nati ex ancilla, aut ex concubina, neque agnati, neque cognati censebantur.

12. (f) Mons ille propter diversa ejus juga, diversa habet nomina.

16 (g) Administrationem populi Deo commendat, nulla carnis & sanguinis habita ratione: ac subinde illustre Episcopis & Pastoribus præbet exemplum. Non *hæreditariam tradere Ecclesiæ Principatum, nec eligere illum, quem humanus commendat affectus; sed Dei judicio totum de successoris electione permittere. Dominus Deus spirituum*, animarum; *omnis carnis*, omnium hominum: qui corda & spiritus novit, præficiat hominem. Deo relinquit electionem, nec suos, nec fratris filios evehit.

17. (h) Qui eorum sit Dux in bello, & in negotiis civilibus.

18 (i) Electio & Ordinatio fit impositione manuum. Auctoritatem divinam hominis ministerio accipit.

20. (k) Qua ratione regat populum, *& partem gloriæ tuæ*, auctoritatis, & decoris. Hebr. Et *dabis de gloria tua super eum*; insignia Magistratus. August. *Nec quia dixit de gloria, ideo minutum est quod habebat: sic enim accipiendum est, ac si diceret, facies eum socium gloriæ tuæ*. Ideirco non datum est Josue, quod Mosi, quod interdum Sacerdotii obiret functiones.

21. (l) Vox *ejus* ad Sacerdotem refertur. Pontifex solemni ritu consulet Deum, Josue ejus responsis parebit. Sic enim est in Hebræo: *Et in conspectu Eleazari Sacerdotis stabit, & rogabit eum in judicio Urim coram Domino*. Petet Sacerdos, ac juxta sermonem Sacerdotis venient ipse, & omnes filii Israel. Judicium Urim vocat ornatum Pontificis; a parte totum designat. Quod si enim Eleazar consulere debet Dominum, ut sciat Josue quid sibi faciendum sit, & responsum Dei referre debeat Eleazar ad Josue; manifestum est vocem ejus ad Eleazarum referri oportere, ita ut hic sit sensus; ad verbum Eleazari, quod ei a Domino consulto responsum fuerit, egredietur & ingredietur Josue, id est, aget quod agendum erit.

CAPUT XXVIII.

Victimæ diebus festis offerendæ præscribuntur.

1. DIxit quoque Dominus ad Moysen:

2. Præcipe filiis Israel, & dices ad eos: Oblationem meam & panes, & incensum (*a*) odoris suavissimi offerte per tempora sua.

3. Hæc sunt sacrificia, quæ offerre debetis:
* Exod. 29. 38. * Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternum:

4. Unum offeretis mane, & alterum ad vesperum:

5. Decimam partem ephi similæ, quæ conspersa sit oleo purissimo, & habeat quartam partem hin.

6. Holocaustum juge est quod obtulistis in monte Sinai (*b*) in odorem suavissimum incensi Domini:

7. Et libabitis vini quartam partem hin per agnos singulos in Sanctuario Domini.

8. Alterumque agnum similiter offeretis ad vesperam juxta omnem ritum (*c*) sacrificii matutini, & libamentorum ejus, oblationem suavissimi odoris Domino.

* Matth. 12. 5. 9. * Die autem sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio, & liba

10. Quæ rite funduntur per singula sabbata (*d*) in holocaustum sempiternum.

11. In calendis (*e*) autem offeretis holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos septem immaculatos,

12. Et tres decimas similæ oleo conspersæ in sacrificio per singulos vitulos: & duas decimas similæ oleo conspersæ per singulos arietes:

13. Et decimam decimæ (*f*) similæ ex oleo in sacrificio per agnos singulos: holocaustum suavissimi odoris atque incensi est Domino.

14. Libamenta autem vini, quæ per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt: media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per agnum: hoc erit holocaustum per omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt.

15. Hircus quoque offeretur Domino (*g*) pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis.

* Exod. 12. 18. Lev. 23. 5. 16. * Mense autem primo, quartadecima die mensis, Phase Domini erit,

17. Et quintadecima die solemnitas: septem diebus vescentur azymis.

18. Quarum dies prima venerabilis & sancta (*h*) erit: omne opus servile non facietis in ea.

19. Offeretisque incensum holocaustum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem:

20. Et sacrificia singulorum ex simila (*i*) quæ conspersa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietem,

21. Et decimam decimæ per agnos singulos, id est, per septem agnos.

22. Et hircum pro peccato unum, ut expietur pro vobis,

23. Præter holocaustum matutinum (*k*) quod semper offeretis.

24. Ita facietis per singulos dies septem dierum in fomitem ignis (*l*), & in odorem suavissimum Domino, qui surget de holocausto, & de libationibus singulorum.

25. Dies quoque septimus celeberrimus & sanctus erit vobis: omne opus servile non facietis in eo.

26. Dies etiam primitivorum (*m*) quando offeretis novas fruges Domino, expletis hebdomadibus, venerabilis & sancta erit: omne opus servile non facietis in ea.

27. Offeretisque holocaustum (*n*) in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos septem:

28. Atque in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, per arietes duas,

29. Per agnos decimam decimæ, qui simul sunt agni septem: hircum quoque

30. Qui mactatur pro expiatione: præter holocaustum sempiternum & liba ejus.

31. Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis.

CAPUT XXIX.

Quæ victimæ sint immolandæ in festo tubarum, in festo expiationis & tabernaculorum, hoc capite præcipiuntur.

1. MEnsis etiam septimi prima dies venerabilis & sancta erit vobis: omne opus servile non facietis in ea, quia dies clangoris est & tubarum (*a*).

2. Offe-

CAPUT XXVIII. 2. (*a*) Cum in hoc capite agatur tantummodo de cruentis sacrificiis; per panem Hebræi intelligunt escas, ut per incensum victimas, quæ incenduntur, & cremantur. Atque hoc est generale præceptum de sacrificiis debito ritu faciendis. Alii per oblationem & panes sacrificia farinacea intelligunt. Hebr. *In oblationibus meis ignitis*. Sacrificia toties repetita nos docent, quanta cura & diligentia nos & nostra Deo indesinenter offerre debeamus, expiare peccata, Deo gratias agere, ac certis temporum intervallis dies festos & solemnes observare.

6. (*b*) Per 38 annos in deserto non sacrificarunt, unde hinc legem renovatam oportuit. . . . *Incensi Domini*, quod igne incenditur.

8. (*c*) Cum sit sacrificium cibarium, & libamen, quemadmodum & agni qui mane fuit oblatus.

10. (*d*) Forte singulis hebdomadæ diebus. Hebr. *Holocaustum Sabbati in Sabbato suo, præter holocaustum juge & libamen ejus*. Unde holocaustum de quo hic agitur, distinctum videtur a quotidiano holocausto.

11. (*e*) In Neomeniis; ac subinde dubitari solet, an Neomeniarum dies festi essent: non enim inter dies festos numerantur. Levit. 23. adeo ut opera civilia licita essent, uti & peregrinationes. At saltem verbum Dei audiebant. 4. Reg. 4.

13. (*f*) Hebr. *Decimam decimæ*, id est, singulas decimas cuique agno: nam superius singulis agnis dat decimam, vel decima pars Ephi designatur, cum Ephi sit pars decima Cori.

15. (*g*) Non Lunæ, ut fieri solebat a vicinis gentibus.

18. (*h*) Solemnitates vocantur sanctæ, quod una convenirent, ut legem divinam audirent.

20. (*i*) Ita Septuaginta Interpretes. Hebr. *Et donum eorum simila conspersa oleo*: id est, simul cum vitulis offeretis.

23. (*k*) Quod est juge holocaustum: de vespertino dubitari non poterat, quemadmodum de matutino, propter multa alia sacrificia matutina.

24. (*l*) In alimentum ignis: Hebr. *Panis Sacrificii odor suavissimus Domino*: Panis pro esca & carnibus sumitur.

26. (*m*) In qua offerebantur primæ fruges maturæ: die Pentecostes.

27. (*n*) Nec enim unum sacrificium obstabat alteri quod faciendum erat.

CAPUT XXIX. 1. (*a*) Quibus admonebantur, ut se præpararent ad festa, quæ hoc mense erant celebranda. Clangor ille ab ortu solis usque ad noctem durabat, ut Israelitæ se ad festa illius mensis pararent.

2. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum de armento unum, arietem unum, & agnos anniculos immaculatos septem:

3. Et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos (*b*), duas decimas per arietem,

4. Unam decimam per agnum, qui simul sunt agni septem:

5. Et hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi,

6. Præter holocaustum calendarum cum sacrificiis suis, & holocaustum sempiternum cum libationibus solitis: eisdem cæremoniis offeretis in odorem suavissimum incensum Domino.

* Lev. 16. 29. & 23. 7. 7. * Decima quoque dies mensis hujus septimi erit vobis sancta atque venerabilis, & affligetis animas vestras: omne opus servile non facietis in ea.

8. Offeretisque holocaustum Domino in odorem suavissimum, vitulum de armento unum, arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem:

9. Et in sacrificiis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem,

10. Decimam decimæ per agnos singulos, qui sunt simul agni septem:

11. Et hircum pro peccato, absque his quæ offerri pro delicto solent in expiationem, & holocaustum sempiternum, cum sacrificio (*c*) & libaminibus eorum.

12. Quintadecima vero die mensis septimi, quæ vobis sancta erit atque venerabilis, omne opus servile non facietis in ea, sed celebrabitis solemnitatem Domino septem diebus (*d*).

13. Offeretisque holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

14. Et in libamentis eorum, similæ oleo conspersæ tres decimas per vitulos singulos, qui sunt simul vituli tredecim: & duas decimas arieti uno (*e*), id est, simul arietibus duobus,

15. Et decimam decimæ (*f*) agnis singulis, qui sunt simul agni quatuordecim:

16. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, & sacrificio, & libamine ejus.

17. In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

18. Sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis:

19. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque & libamine ejus.

20. Die tertio offeretis vitulos undecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

21. Sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis:

22. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque & libamine ejus.

23. Die quarto offeretis vitulos decem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

24. Sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis:

25. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus & libamine.

26. Die quinto offeretis vitulos novem, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

27. Sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis:

28. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus & libamine.

29. Die sexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

30. Sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis:

31. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus & libamine.

32. Die septimo offeretis vitulos septem, & arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim:

33. Sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis:

34. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus & libamine.

35. Die octavo, qui est celeberrimus (*g*), omne opus servile non facietis,

36. Offerentes holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulum unum, (*h*) arietem unum, agnos anniculos immaculatos septem:

37. Sacrificiaque & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos rite celebrabitis:

38. Et hircum pro peccato, absque holocausto sempiterno, sacrificioque ejus & libamine.

39. Hæc offeretis Domino in solemnitatibus vestris: præter vota & oblationes spontaneas in holocausto (*i*), in sacrificio, in libamine, & in hostiis pacificis.

CAPUT XXX.

De votis, & de eorum irritatione.

1. NArravitque Moyses filiis Israel omnia quæ ei Dominus imperarat:

2. Et locutus est ad principes tribuum filiorum Israel: Iste est sermo quem præcepit Dominus:

3. Si

3. (*b*) Hebr. *Vitulum*: Unus enim tantummodo offerebatur.

11. (*c*) Cum Mincha, seu Libamentis. Hæc autem libamina farinæ, vini & olei figurabant fidelium unitatem ex diversis granis.

12. (*d*) Non quod toto hoc tempore ab omni opere cessare tenerentur, sed offerebant sacrificia, & in tabernaculis suis manebant.

14. (*e*) Unicuique ex duobus: duas decimas offerebant pro singulis arietibus, non duas pro utroque: id est, *simul arietibus duobus*.

15. (*f*) Seu gomor, aut decimam partem Ephi, quod est pars decima Cori.

35. (*g*) Hebr. *hatsereth* עצרת. *Dies est retentionis erit vobis*. Unde in Calendario Hebræorum hoc Festum appellatur *Retentionis*: quod forte retinerentur, eo die Jerosolymis, ut hoc festum celebrarent; aut quod retinerentur, ne opus servile facerent; aut denique quod cum aliis festis id commune esset, ac nulla peculiari nota designaretur, hoc nomen Festo tributum est.

36. (*h*) Die ultimo præ cæteris solemni pauciora offerebant sacrificia. Sic Deus a multitudine carnalium sacrificiorum ad cultum spiritalem volebat eos paullatim convertere.

39. (*i*) Hebr. In holocaustis vestris, in omnibus factorum ordinem & ritum servabitis.

3. Si quis virorum votum Domino voverit (*a*), aut se constrinxerit juramento: non faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit, implebit.

4. Mulier si quippiam voverit, & se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari: si cognoverit pater votum quod pollicita est, & juramentum quo obligavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit:

5. Quidquid pollicita est & juravit (*b*), opere complebit.

6. Sin autem, statim ut audierit, contradixerit pater: & vota & juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater.

7. Si maritum habuerit, & voverit aliquid, & semel de ore ejus verbum egrediens animam ejus obligaverit juramento (*c*):

8. Quo die audierit vir, & non contradixerit, voti rea erit, reddetque quodcumque promiserat.

9. Sin autem audiens statim contradixerit: & irritas fecerit (*d*) pollicitationes ejus, verbaque quibus obstrinxerat animam suam: propitius erit ei Dominus.

10. Vidua & repudiata quidquid voverint, reddent.

11. Uxor in domo viri cum se voto constrinxerit & juramento,

12. Si audierit vir, & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcumque promiserat.

13. Sin autem extemplo contradixerit, non tenebitur promissionis rea: quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius erit.

14. Si voverit, & juramento se constrinxerit, ut per jejunium, vel ceterarum rerum abstinentiam (*e*), affligat animam suam, in arbitrio viri erit ut faciat, sive non faciat.

15. Quod si audiens vir tacuerit, & in alteram diem (*f*) distulerit sententiam: quidquid voverat atque promiserat, reddet: quia statim ut audivit, tacuit.

16. Sin autem contradixerit postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem ejus (*g*).

17. Istæ sunt leges, quas constituit Dominus Moysi, inter virum & uxorem, inter patrem & filiam, quæ in puellari adhuc ætate est, vel quæ manet in parentis domo (*h*).

CAPUT XXXI.

Cæsis Madianitis Deo jubente, virgines solæ reservantur; præda ex æquo dividitur pugnantibus & plebi.

1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Ulciscere prius filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum.

3. Statimque Moyses, * Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint ultionem Domini (*a*) expetere de Madianitis. * Sup. 25. 17.

4. Mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel qui mittantur ad bellum.

5. Dederuntque millenos de singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum ad pugnam:

6. Quos misit Moyses cum Phinees (*b*) filio Eleazari sacerdotis vasa quoque sancta, & tubas ad clangendum tradidit ei.

7. Cumque pugnassent contra Madianitas atque vicissent, omnes mares occiderunt (*c*),

8. * Et reges (*d*) eorum Evi, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe, quinque principes gentis: Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio, * Jos. 13. 21.

9. Ceperuntque mulieres eorum, & parvulos, omniaque pecora, & cunctam supellectilem: quidquid habere potuerant depopulati sunt:

10. Tam urbes quam viculos & castella flamma consumpsit.

11. Et tulerunt prædam, & universa quæ ceperant tam ex hominibus quam ex jumentis.

12. Et adduxerunt ad Moysen, & Eleazarum sacerdotem, & ad omnem multitudinem filiorum Israel: reliqua autem utensilia portaverunt ad castra in campestribus Moab juxta Jordanem contra Jericho.

13. Egressi sunt autem Moyses, & Eleazer sacerdos, & omnes principes synagogæ, in occursum eorum extra castra.

14. Iratusque Moyses principibus exercitus, tribunis, & centurionibus qui venerant de bello,

15. Ait:

CAPUT XXX.

3. (*a*) Dummodo sit de re licita, & homo sit sui juris, non in alterius potestate. *Non faciet irritum*, id est, præstabit *quod promisit*, Hebr. *Exiens ex ore suo*. Contendunt doctores Hebræi, votum non obligare, nisi verbis exprimatur.

5. (*b*) Nam silentio suo videtur confirmare.

7. (*c*) In Hebræo nulla fit mentio juramenti. Id forte intelligitur de muliere, quæ antequam nuberet, votum vovit, quod executioni, quando nupsit, mandatum non fuit, quodque adeo maritus potest rescindere.

9. (*d*) Hoc in loco de voto ante nuptias a puella facto verbum facit, idque a marito irritari posse, si jura sua imminuat: v. autem 11. legem de muliere jam nupta præcipere.

14. (*e*) Hoc non esse in Hebræo, sed quod sequitur, observat Mariana, qui ex hoc loco infert, non modo vota realia, sed etiam personalia uxoris, aut filiæ esse sub viri potestate. *Si voverit, & juramento se constrinxerit*, id est, sive voverit, sive juramento promiserit; at *per jejunium*, a thesi generali ad hypothesim descendit, quod frequentiora sint exempla; nam mariti ejusmodi votis sæpius reluctantur.

15. (*f*) Hebr. *De die in diem*, id est, plures dies tacuit vir.

16. (*g*) Mulier quidem absolvetur a voto suo, vir autem peccati reus erit, si temere votum uxoris irritaverit. De filiis maribus nihil statuit. Hebræi tria votorum genera distinguunt; primum eorum quæ Lege continentur: secundum eorum quæ donando corpori Domino nuncupantur; tertium est eorum quæ vi fiunt, aut ex ignorantia, vel persuasione. Loci vero, aut temporis consuetudinem in iis dissolvendis servandam volunt. Iidem negant votum ligare, nisi id verbis sit expressum. Quod autem subjicitur, liberam esse uxorem aut filiam, si votum non impleverit, existimat Tirinus, id locum habere in votis, quæ commode impleri non possunt, nisi id rescindat pater aut maritus: ut si de jejunio, peregrinatione, aut aliis similibus voverit: at si quid voverit facile implendum inscio marito, & quod eum non jure offendat, ut brevem orationem, levem eleemosynam, &c. votum illud potest & debet exequi. *Postquam rescivit*: LXX. post elapsum diem: quod utique alii sic interpretantur, cum maritus silentio suo votum approbavit, si postea illud velit dissolvere, portabit iniquitatem ejus, id est, uxoris.

17. (*h*) Nondum emancipata, aut viro tradita.

CAPUT XXXI.

3. (*a*) Quia jussu Domini suscepta est, vel ultio populi Domini.

6. (*b*) Seu ipse dux fuerit, seu Josuem comitaretur. *Vasa quoque & tubas*: Arcam etiam, quam ad bellum portabant.

7. (*c*) Qui fuga non sunt elapsi. *Mares*, qui in acie capti sunt.

8. (*d*) Seu ille fuerit Madianites, ut quidam volunt, seu apud Madianitas hospitio retentus; seu eo redierit, ut malediceret Israelitis. *Reges*, qui sub eodem rege pugnabant, eoque occiso, ut totidem Reguli imperabant.

15. Ait: Cur feminas (e) reservastis?

* Sup. 25. 18. 16. * Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & prævaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor, unde & percussus est populus?

* Judic. 21. 11. 17. * Ergo cunctos interficite quidquid est generis masculini, etiam in parvulis: & mulieres, quæ noverunt (f) viros in coitu, jugulate:

18. Puellas autem & omnes feminas virgines reservate vobis (g):

19. Et manete extra castra septem diebus. Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio & septimo.

20. Et de omni præda, sive vestimentum fuerit, sive vas, & aliquid in utensilia præparatum, de caprarum pellibus, & pilis, & ligno expiabitur.

21. Eleazar quoque sacerdos, ad viros exercitus, qui pugnaverant, sic locutus est: Hoc est præceptum legis, * quod mandavit Dominus Moysi: * Levit. 6. 28. & 11. 33. & 15. 12.

22. Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum,

23. Et omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur: quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur:

24. Et lavabitis vestimenta vestra die septimo, & purificati postea castra intrabitis.

25. Dixit quoque Dominus ad Moysen:

26. Tollite summam eorum, quæ capta sunt, ab homine usque pecus, tu & Eleazar sacerdos & principes vulgi:

27. Dividesque ex æquo prædam inter eos qui pugnaverunt, egressique sunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem,

28. Et separabis partem Domino ab his qui pugnaverunt & fuerunt in bello, unam animam de quingentis, tam ex hominibus quam ex bobus & asinis & ovibus,

29. Et dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia primitiæ Domini sunt.

30. Ex media quoque parte filiorum Israel accipies quinquagesimum caput hominum, & boum, & asinorum, & ovium, cunctorum animantium, & dabis ea Levitis, qui excubant in custodiis tabernaculi Domini.

31. Feceruntque Moyses & Eleazar, sicut præceperat Dominus.

32. Fuit autem præda, quam exercitus ceperat, ovium sexcenta septuaginta quinque millia,

33. Boum septuaginta duo millia,

34. Asinorum sexaginta millia & mille:

35. Animæ hominum sexus feminei, quæ non cognoverant viros, triginta duo millia.

36. Dataque est media pars his qui in prælio fuerant, ovium trecenta triginta septem millia quingentæ:

37. E quibus in partem Domini supputatæ sunt oves sexcentæ septuaginta quinque.

38. Et de bobus triginta sex millibus, boves septuaginta & duo:

39. De asinis triginta millibus quingentis, asini sexaginta unus:

40. De animabus hominum sedecim millibus, cesserunt in partem Domini triginta duæ animæ.

41. Tradiditque Moyses numerum primitiarum Domini Eleazaro sacerdoti, sicut fuerat ei imperatum,

42. Ex media parte filiorum Israel, quam separaverat his qui in prælio fuerant.

43. De media vero parte, quæ contigerat reliquæ multitudini, id est, de ovibus trecentis triginta septem millibus quingentis,

44. Et de bobus triginta sex millibus,

45. Et de asinis triginta millibus quingentis,

46. Et de hominibus sedecim millibus,

47. Tulit Moyses quinquagesimum caput, & dedit Levitis, qui excubabant in tabernaculo Domini, sicut præceperat Dominus.

48. Cumque accessissent principes exercitus ad Moysen, & tribuni, centurionesque, dixerunt:

49. Nos servi tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra: & ne unus quidem defuit.

50. Ob hanc causam offerimus in donariis Domini singuli quod in præda auri potuimus invenire, periscelides & armillas, anulos & dextralia, ac murænulas, ut depreceris pro nobis Dominum.

51. Susceperuntque Moyses & Eleazar sacerdos omne aurum in diversis speciebus,

52. Pondo sedecim millia, septingentos quinquaginta siclos a tribunis & centurionibus.

53. Unusquisque enim quod in præda rapuerat, suum erat (h).

54. Et susceptum intulerunt in tabernaculum testimonii, in monimentum filiorum Israel coram Domino.

CAPUT XXXII.

Filiis Ruben, & Gad, necnon dimidiæ tribui Manasse portio datur trans Jordanem.

1. Filii autem Ruben & Gad habebant pecora multa, & erat illis in jumentis infinita substantia. Cumque vidissent Jazer, & Galaad aptas animalibus alendis terras,

2. Venerunt ad Moysen, & ad Eleazarum sacerdotem, & principes multitudinis, atque dixerunt:

3. Ataroth, & Dibon, & Jazer, & Nemra, Hesebon, & Eleale, & Saban, & Nebo, & Beon,

4. Terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israel, regio uberrima est ad pastum animalium: & nos servi tui habemus jumenta plurima:

5. Precamurque si invenimus gratiam coram te, ut des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Jordanem.

6. Quibus respondit Moyses: Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis?

7. Cur

15. & 16. (e) In vita conservastis. *Suggestionem*: Hic erat consilium quod cap. 24. innuit: *Dabo consilium*, &c. nempe ut mitteret feminas ad Judæos.

17. (f) Nam viros deceperant, ac periculum erat, ne iterum eos in fraudem illicerent.

18. (g) In conjuges vobis & filiis futuras, aut primarias, aut secundarias, vel in ancillas.

53. (h) Hebr. *Viri exercitus rapuerunt quisque sibi*. Principes obtulerant aurum: nam alii milites retinuerunt quod ceperant; præda autem quæ omnibus fuit communicata, erat tantummodo hominum & animantium.

7. Cur subvertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus?

8. Nonne ita egerunt patres vestri, quando misi de Cadesbarne ad explorandam Terram?

* Sup. 13. 24. 9. * Cumque venissent usque ad Vallem botri, lustrata omni regione, subverterunt cor filiorum Israel, ut non intrarent fines, quos eis Dominus dedit.

10. Qui iratus juravit, dicens:

11. Si videbunt homines isti (a), qui ascenderunt ex Ægypto, a viginti annis & supra, Terram, quam sub juramento pollicitus sum Abraham, Isaac, & Jacob: & noluerunt sequi me,

12. Præter Caleb filium Jephone Cenezæum, & Josue filium Nun: isti impleverunt voluntatem meam (b).

13. Iratusque Dominus adversum Israel, circumduxit eum per desertum quadraginta annis, donec consumeretur universa generatio, quæ fecerat malum in conspectu ejus.

14. Et ecce, inquit, vos surrexistis (c) pro patribus vestris, incrementa & alumni hominum peccatorum, ut augeretis furorem Domini contra Israel.

15. Quod si nolueritis sequi eum, in solitudine populum derelinquet, & vos causa eritis necis omnium.

16. At illi prope accedentes, dixerunt: Caulas ovium fabricabimus, & stabula jumentorum, parvulis (d) quoque nostris urbes munitas:

17. Nos autem ipsi armati & accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua. Parvuli nostri, & quidquid habere possumus, erunt in urbibus muratis, propter habitatorum insidias.

18. Non revertemur in domos nostras, usque dum possideant filii Israel hæreditatem suam:

19. Nec quidquam quæremus trans Jordanem, quia jam habemus nostram possessionem in orientali ejus plaga.

* Jos. 1. 14. 20. Quibus Moyses ait: * Si facitis quod promittitis, expediti pergite coram (e) Domino ad pugnam:

21. Et omnis vir bellator armatus Jordanem transeat, donec subvertat Dominus inimicos suos,

22. Et subjiciatur ei omnis Terra: tunc eritis inculpabiles apud Dominum & apud Israel, & obtinebitis regiones, quas vultis, coram Domino (f).

23. Sin autem quod dicitis, non feceritis, nulli dubium est quin peccetis in Deum: & scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos.

24. Ædificate ergo urbes parvulis vestris, & caulas, & stabula ovibus ac jumentis: & quod polliciti estis implete.

25. * Dixeruntque filii Gad & Ruben ad Moysen: Servi tui sumus, faciemus quod jubet dominus noster. * Jos. 4. 12.

26. Parvulos nostros, & mulieres, & pecora, ac jumenta relinquemus in urbibus Galaad (g):

27. Nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum, sicut tu domine loqueris:

28. Præcepit ergo Moyses Eleazaro sacerdoti, & Josue filio Nun, & principibus familiarum per tribus Israel, & dixit ad eos.

29. * Si transierint filii Gad & filii Ruben vobiscum Jordanem omnes armati ad bellum coram Domino, & vobis fuerit Terra subjecta: date eis Galaad in possessionem. * Deut. 3. 18. Jos. 13. 8. & 22. 4.

30. Sin autem noluerint transire armati vobiscum in Terram Chanaan, inter vos habitandi accipiant loca.

31. Responderuntque filii Gad, & filii Ruben: Sicut locutus est dominus servis suis, ita faciemus:

32. Ipsi armati pergemus coram Domino in Terram Chanaan, & possessionem jam suscepisse nos confitemur trans Jordanem.

33. * Dedit itaque Moyses filiis Gad & Ruben, & dimidiæ tribui Manasse filii Joseph regnum Sehon regis Amorrhæi, & regnum Og regis Basan, & terram eorum cum urbibus suis per circuitum. * Jos. 13. 4.

34. Igitur extruxerunt filii Gad, Dibon, & Ataroth, & Aroer,

35. Et Ethroth, & Sophan, & Jazer, & Jegbaa.

36. Et Bethnemra, & Betharan, urbes munitas, & caulas pecoribus suis.

37. Filii vero Ruben ædificaverunt Hesebon, & Eleale, & Chariathaim,

38. Et Nabo, & Baalmeon versis nominibus, Sabama quoque: imponentes vocabula urbibus, quas extruxerant.

39. * Porro filii Machir, filii Manasse, perrexerunt in Galaad, & vastaverunt eam interfecto Amorrhæo habitatore ejus. * Gen. 50. 22.

40. Dedit ergo Moyses Terram Galaad Machir filio Manasse, qui habitavit in ea.

41. Jair autem filius Manasse (h) abiit, & occupavit vicos ejus, quos appellavit Havoth-Jair, id est, Villas Jair.

42. Nobe quoque perrexit, & apprehendit Chanath cum viculis suis: vocavitque eam ex nomine suo Nobe.

CA-

CAPUT XXXII.

11. (a) Usitata in Scripturis locutio, quæ aut negationem includit, aut reticentiam in juramento adhiberi solitam; *si videbunt*: non sim verax.

12. (b) Ergo justi multa faciunt, in quibus nihil est vitiosum.

14. (c) Mores parentum vestrorum induistis. *Incrementa & alumni hominum peccatorum*: Pullulatio eorum nude proposita hoc meruit responsum.

16. (d) Vox illa ædificare, instaurationem significat.

20. (e) Domino inspiciente, & duce, vel coram arca Domini.

22. & 23. (f) Annuente Domino. *Apprehendet*: Non erit impunitum; peccatum erat diffidentiæ.

26. & 27. (g) In tota forte nostra, voce Galaad largius sumpta. *Extruxerunt*, instauraverunt.

41. (h) Abnepos, 1. Paral. 2. *Filius*, e posteris. Filius Manasses ex matre, non item ex patre, qui fuit Hetron. Filius Judæ, cum filiis Manasse junctus hanc regionem adeptus est.

CAPUT XXXIII.

Israelitarum in deserto recensentur mansiones 42.

1. HÆ sunt mansiones filiorum Israel (*a*), qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas in manu Moysi & Aaron,

2. Quas descripsit Moyses (*b*) juxta castrorum loca, quæ Domini jussione mutabant.

3. Profecti igitur de Ramesse mense primo, quintadecima die mensis primi, altera die Phase, filii Israel in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptiis.

4. Et sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus (nam & in diis eorum exercuerat ultionem) (*c*)

5. Castrametati sunt in Soccoth.

6. Et de Soccoth venerunt in Etham, quæ est in extremis finibus solitudinis.

* Exod. 14. 2. 7. * Inde egressi venerunt contra Phihahiroth, quæ respicit Beelsephon, & castrametati sunt ante Magdalum.

8. Profectique de Phihahiroth, transierunt per medium mare in solitudinem: & ambulantes tribus diebus per desertum Etham, castrametati sunt in Mara.

* Exod. 15. 27. 9. * Profectique de Mara venerunt in Elim, ubi erant duodecim fontes aquarum, & palmæ septuaginta: ibique castrametati sunt.

10. Sed & inde egressi, fixerunt tentoria super Mare rubrum. Profectique de Mari rubro,

11. Castrametati sunt in deserto Sin.

12. Unde egressi venerunt in Daphca.

13. Profectique de Daphca, castrametati sunt in Alus.

14. Egressique de Alus, in Raphidim fixere
* Exod. 17. 1. tentoria, * ubi populo defuit aqua ad bibendum.

15. Profectique de Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinai.

* Exod. 19. 1. 16. Sed & de solitudine * Sinai egressi, venerunt ad sepulcra concupiscentiæ.

* Sup. 11. 34. 17. * Profectique de sepulcris concupiscentiæ, castrametati sunt in Haseroth.

* Sup. 13. 1. 18. * Et de Haseroth venerunt in Rethma.

19. Profectique de Rethma, castrametati sunt in Remmomphares.

20. Unde egressi, venerunt in Lebna.

21. De Lebna, castrametati sunt in Ressa.

22. Egressique de Ressa, venerunt in Ceelatha.

23. Unde profecti castrametati sunt in monte Sepher.

24. Egressi de monte Sepher, venerunt in Arada.

25. Inde proficiscentes, castrametati sunt in Maceloth.

26. Profectique de Maceloth, venerunt in Thahath.

27. De Thahath, castrametati sunt in Thare.

28. Unde egressi, fixere tentoria in Methca.

29. Et de Methca, castrametati sunt in Hesmona.

30. Profectique de Hesmona, venerunt in Moseroth.

31. Et de Moseroth, castrametati sunt in Benejaacan.

32. * Profectique de Benejaacan, venerunt in montem Gadgad. * Deut. 10. 7.

33. Unde profecti, castrametati sunt in Jetebatha.

34. Et de Jetebatha, venerunt in Hebrona.

35. Egressique de Hebrona, castrametati sunt in Asiongaber.

36. * Inde profecti venerunt in desertum Sin, hæc est Cades. * Sup. 20. 1.

37. Egressique de Cades, castrametati sunt in monte Hor, in extremis finibus Terræ Edom.

38. * Ascenditque Aaron sacerdos in montem Hor, jubente Domino: & ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis, * Sup. 20. 25. Deut. 32. 50.

39. Cum esset annorum centum viginti trium (*d*).

40. Audivitque Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, in Terram Chanaan venisse filios Israel.

41. Et profecti de monte Hor, castrametati sunt in Salmona.

42. Unde egressi, venerunt in Phunon.

43. Profectique de Phunon, castrametati sunt in Oboth.

44. Et de Oboth, venerunt in Ijeabarim, quæ est in finibus Moabitarum.

45. Profectique de Ijeabarim, fixere tentoria in Dibongad.

46. Unde egressi, castrametati sunt in Helmondeblathaim.

47. Egressique de Helmondeblathaim, venerunt ad montes Abarim contra Nabo.

48. Profectique de montibus Abarim, transierunt ad campestria Moab, supra Jordanem contra Jericho.

49. Ibique castrametati sunt de Bethsimoth usque ad Abelsatim in planioribus locis Moabitarum,

50. Ubi locutus est Dominus ad Moysen:

51. Præcipe filiis Israel, & dic ad eos: Quando transieritis Jordanem, intrantes Terram Chanaan,

52. Disperdite cunctos habitatores Terræ illius: * confringite titulos, & statuas (*e*) comminuite, atque omnia excelsa vastate, * Deut 7. 5. Judic. 2. 2.

53. Mundantes terram, & habitantes in ea: ego enim dedi vobis illam in possessionem,

54. Quam

CAPUT XXXIII.

1. (*a*) Alii vertunt profectiones. Quadraginta duæ illæ mansiones videntur tantummodo intelligi de iis locis, in quibus castrametati fuerunt tabernacula, non de iis locis ubi ad quietem capessendam, aut cibum capiendum aliquantulum morabantur. Nam sæpe multis diebus iter faciebant, priusquam ad unam ex eis mansionibus pervenirent: per mansiones illas, varios virtutum gradus in hujus vitæ decursu peragrandos, quo ad terram promissam veniamus, Origenes, Ambrosius, & Hieronymus figuratos considerant.

2. (*b*) Ergo ipse auctor est Pentateuchi; *Altera die secundi primi*, postridie agni immolati.

4. (*c*) Vox, *Nam*, videtur abundare, non est in Hebræo: prostrata sunt idola Ægyptiorum eadem nocte qua egressi sunt.

39. (*d*) Moses vixit 120. annos; Aaron major erat natu tribus annis; hinc adeo liquet, hoc ipso anno mortuum esse Aaron.

52. (*e*) Tituli erant aræ, aut columnæ: vox prior Hebraica *Tselamim* צלמים imagines, posterior *Massecoth* מסכות statuas conflatiles significat. *Disperdite cunctos*, ne pravis exemplis eos corrumperent: *excelsa ædificabant*, columnas, quas ut LXX. vertunt in montium verticibus collocatas, quibus simulacra imponebant.

54. Quam dividetis vobis forte (*f*). Pluribus dabitis latiorem, & paucis angustiorem. Singulis, ut fors ceciderit, ita tribuetur hæreditas. Per tribus & familias possessio dividetur.

55. Sin autem nolueritis interficere habitatores Terræ: qui remanserint, erunt vobis quasi clavi in oculis, & lanceæ in lateribus (*g*), & adversabuntur vobis in Terra habitationis vestræ:

56. Et quidquid illis cogitaveram facere vobis faciam (*h*).

C A P U T XXXIV.

Terra promissæ limites definiuntur.

1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2. Præcipe filiis Israel, & dices ad eos: Cum ingressi fueritis Terram Chanaan, & in possessionem vobis forte ceciderit, his finibus terminabitur.

* Jos. 15. 1. 3. * Pars meridiana incipiet a solitudine Sin (*a*), quæ est juxta Edom: & habebit terminos contra Orientem mare salsissimum.

4. Qui circuibunt australem plagam per ascensum Scorpionis (*b*), ita ut transeant in Senna, & perveniant a meridie usque ad Cadesbarne, unde egredientur confinia ad villam nomine Adar, & tendent usque ad Asemona.

5. Ibitque per gyrum terminus Asemona usque ad Torrentem Ægypti (*c*) & maris magni littore finietur.

6. Plaga autem occidentalis a mari magno incipiet, & ipso fine claudetur (*d*).

7. Porro ad septentrionalem plagam a mari magno termini incipient, pervenientes usque ad montem altissimum.

8. A quo venient in Emath usque ad terminos Sedada:

9. Ibuntque confinia usque ad Zephrona, & villam Enan: hi erunt termini in parte Aquilonis.

10. Inde metabuntur fines contra orientalem plagam de villa Enan usque Sephama,

11. Et de Sephama descendent termini in Rebla (*e*) contra fontem Daphnim: inde pervenient contra Orientem ad mare Cenereth,

12. Et tendent usque ad Jordanem, & ad ultimum salsissimo claudentur mari. Hanc habebitis Terram per fines suos in circuitu.

13. Præcepitque Moyses filiis Israel, dicens: Hæc erit Terra, quam possidebitis forte, & quam jussit Dominus dari novem tribubus, & dimidiæ tribui.

14. Tribus enim filiorum Ruben per familias suas, & tribus filiorum Gad juxta cognationum numerum, media quoque tribus Manasse,

15. Id est, duæ semis tribus, acceperunt partem suam trans Jordanem contra Jericho ad orientalem plagam.

16. Et ait Dominus ad Moysen:

17. * Hæc sunt nomina virorum, qui Terram vobis divident, Eleazar sacerdos, & Josue filius Nun, * Jos. 14. 1. & 1.

18. Et singuli principes de tribubus singulis,

19. Quorum ista sunt vocabula: De tribu Juda, Caleb filius Jephone.

20. De tribu Simeon, Samuel filius Ammiud.

21. De tribu Benjamin, Elidad filius Chaselon.

22. De tribu filiorum Dan, Bocci filius Jogli.

23. Filiorum Joseph de tribu Manasse, Hanniel filius Ephod.

24. De tribu Ephraim, Camuel filius Sephthan.

25. De tribu Zabulon, Elisaphan filius Pharnach.

26. De tribu Issachar, dux Phaltiel filius Ozan.

27. De tribu Aser, Ahiud filius Salomi.

28. De tribu Nephthali, Phedael filius Ammiud.

29. Hi sunt, quibus præcepit Dominus ut dividerent filiis Israel Terram Chanaan.

C A-

54. (*f*) Situs regionum in forte, quantitatis vero in magna aut parva hominum multitudine ratio habebatur. Unde Tribui Judæ, quod esset numerosior, longe major obtigit regio.

55. (*g*) Perniciem vobis afferent. *Clavi in oculis*, LXX. aculei, σκόλοπες provocabunt vos ad idololatriam, cum eorum ritus conspiceretis. & *lanceæ in lateribus*; LXX. jacula βολίδες.

56. (*h*) Quomodo, inquies, in fine cap. 2. & initio c. 3. dicitur Deus dimisisse gentes illas, ut ex iis experiretur Israelem, utrum viam Dei custodiret, itemque ut eos erudiret ad prælium? Resp. Deum permisisse peccatum eorum, quo Chananæos delere noluerunt, eaque pœna hos mulctasse, ut cum Israelitæ hos delere postea voluerant, non potuerint: sed convertit Deus illam pœnam in bonum, & in prædictas utilitates.

CAPUT XXXIV. 3. (*a*) Per Tsade, ne quis existimet illud esse desertum, cujus fit mentio Exodi 16. Descriptionem terminorum incipit ab Australi latere, & angulo qui meridianum latus cum orientali connectit: *contra Orientem*, versus Orientem; *Mare salsissimum*, lacum Asphaltitem, seu mare mortuum. Ab hoc lacu termini orientales Judææ desumuntur, qui ad septentrionem habent mare Cenereth, postea Genezareth dictum. Hi sunt termini Judææ, quæ postea erat dividenda. Quod si duas Tribus Ruben & Gad cum dimidia Tribu Manasses addideris, tum alii erunt fines terræ sanctæ. Nam ab Aquilone, Phœnicia, Libano & Syria Damasci; ab ortu, Arabia; ab Austro, deserto Sin, & Ægypto; ab Occasu, mari mediterraneo terminabatur, uti dictum fuit in Prolegomenis. Certos limites præscripsit Deus, ut cupiditati eorum modum statueret, ne ultra quam par esset Tribus fines proferrent, simul ut agnoscerent non virtute sua, sed Dei benignitate hanc terram possidere. Addit Hieron. scribens contra Pelagium: *Hinc perspicue demonstrari non in operibus nostris, atque justitia, sed Dei misericordia nos conservari.*

4. (*b*) Hebr. *Acrabim*. עקרבים, nomen est loci proprium a multitudine scorpionum, aut curvitate collium sic dicti. Urbs fuit in Idumæa *Acrabata* nuncupata, cujus fit mentio 1. Machab. 5. Si non est nomen loci, hic potest esse sensus: termini vestri sic flectentur in gyrum.

5. (*c*) Hic rivus est prope Rhinocoruram, qui terram Judæ & Simeonis a via Ægypti discriminat. Hebr. *flumen*, vel Nilum, vel illius propaginem.

6. (*d*) Versus occidentem non est alius terminus, quam mare mediterraneum. *Usque ad montem altissimum*, qui Amanus a nonnullis appellatur.

11. (*e*) Alias *Reblatha* ubi Nabuchodonosor aliquando fixit stativa sua. 4. Reg. 25. *Contra fontem Daphnim*, hanc urbem existimant quidam Interpretes esse ad lacum Genezareth; alii ad lacum Meron.

CAPUT XXXV.

Urbes 84. jubentur Levitis dari, & suburbana alendis pecoribus; ex iis sex homicidis in asylum assignandæ, atque eorum causa sancte examinanda.

1. HÆc quoque locutus est Dominus ad Moysen in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho:

* Jos. 21. 2. 2. * Præcipe filiis Israel ut dent Levitis de possessionibus suis

3. Urbes ad habitandum, & suburbana earum per circuitum: ut ipsi in oppidis maneant, & suburbana (a) sint pecoribus ac jumentis:

4. Quæ a muris civitatum forinsecus, per circuitum, mille passuum spatio tendentur (b).

5. Contra Orientem duo millia erunt cubiti (c), & contra Meridiem similiter erunt duo millia: ad mare quoque, quod respicit ad Occidentem, eadem mensura erit, & septentrionalis plaga æquali termino finietur: eruntque urbes in medio, & foris suburbana.

* Jos. 20. 2. Deut. 4. 41. 6. * De ipsis autem oppidis, quæ Levitis dabitis, sex erunt in fugitivorum auxilia separata, ut fugiat ad ea qui fuderit sanguinem: & exceptis his, alia quadraginta duo oppida,

7. Id est, simul quadraginta octo cum suburbanis suis.

8. Ipsæque urbes, quæ dabuntur de possessionibus filiorum Israel, ab his qui plus habent, plures auferentur: & qui minus, pauciores: singuli juxta mensuram hæreditatis suæ dabunt oppida Levitis.

9. Ait Dominus ad Moysen:

* Deut. 19. 1. Jos. 20. 2. 10. Loquere filiis Israel, & dices ad eos: * Quando transgressi fueritis Jordanem in Terram Chanaan,

11. Decernite quæ urbes esse debeant in præsidia fugitivorum, qui nolentes sanguinem fuderint.

12. In quibus cum fuerit profugus, cognatus occisi (d) non poterit eum occidere, donec stet in conspectu multitudinis, & causa illius judicetur.

* Deut. 4. 41. Jos. 20. 7. & 8. 13. * De ipsis autem urbibus, quæ ad fugitivorum subsidia separantur,

14. Tres erunt trans Jordanem, & tres in Terra Chanaan,

15. Tam filiis Israel quam advenis atque peregrinis, ut confugiat ad eas qui nolens sanguinem fuderit.

16. Si quis ferro percusserit, & mortuus fuerit qui percussus est: reus erit homicidii, & ipse morietur.

17. Si lapidem jecerit, & ictus occubuerit: similiter punietur:

18. Si ligno percussus interierit: percussoris sanguine vindicabitur.

19. Propinquus occisi, homicidam interficiet (e): statim ut apprehenderit eum, interficiet.

20. * Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias: * Deut. 19. 11.

21. Aut cum esset inimicus, manu percusserit, & ille mortuus fuerit: percussor, homicidii reus erit: cognatus occisi statim ut invenerit eum, jugulabit.

22. Quod si fortuitu, & absque odio,

23. Et inimicitiis, quidquam horum fecerit,

24. Et hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem & propinquum sanguinis quæstio ventilata:

25. Liberabitur innocens de ultoris manu, & reducetur per sententiam in urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec sacerdos magnus, qui oleo sancto unctus est, moriatur (f):

26. Si interfector extra fines urbium, quæ exulibus deputatæ sunt,

27. Fuerit inventus, & percussus ab eo qui ultor est sanguinis: absque noxa erit qui eum occiderit.

28. Debuerat enim profugus usque ad mortem Pontificis in urbe residere: postquam autem ille obierit, homicida revertetur in terram suam.

29. Hæc sempiterna erunt, & legitima in cunctis habitationibus vestris.

30. Homicida sub testibus punietur: ad unius testimonium nullus condemnabitur.

31. Non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis, statim & ipse morietur.

32. Exules & profugi ante mortem Pontificis nullo modo in urbes suas reverti poterunt:

33. Ne polluatis Terram habitationis vestræ, quæ insontium cruore maculatur: nec aliter expiari potest, nisi per ejus sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit.

34. Atque ita emundabitur vestra possessio, me commorante vobiscum: ego enim sum Dominus qui habito inter filios Israel.

CA-

CAPUT XXXV.

3. (a) Spatium erat extra muros mille cubitorum ad ornatum urbis, & pratum pecoribus destinatum.

4. (b) Hebr. Non passus, sed cubiti dantur, ac verisimile est semidiametrum fuisse in omnes partes mille cubitorum; a muro urbis & extra mille cubiti. urbis Leviticæ circumjectus ager erat in omnes partes mille cubitorum.

5. (c) Hebr. *Ad angulum, seu latus orientis duo millia in cubito:* At forte Hieronymus superius passum posuit, ut singuli duos cubitos continerent, & primo specie discrepantes loci conciliarentur. Sed melius ac tutius est de diametro priorem versum intelligere; quæ ex quavis parte mille cubitorum, & integra erat duo mille cubitorum, citra & ultra urbem; posterior vero de ambitu intelligi potest, qui in circulo triplex est diametri.

12. (d) Hinc liquet id licuisse cognatis occisi homicidam interficere. Sed quæri solet, in qua urbe de homicida judicium fieri soleret. Resp. id videri probabile judicium in ea urbe factum, ubi homicidium perpetratum fuisset, ex v. 25. *Reducetur per sententiam in urbem ad quam confugerat.*

19. (e) Hæc est permissio, non præceptum; sed ante adhibito judicio, ex vers. 22. & vers. 30. homicida sub testibus puniebatur.

25. (f) Ut interea temporis propinquorum ira leniatur. Vera autem caussa & mystica a Sancto Spiritu intenta ea fuit, nobis ut significaretur veri Pontificis mortem esse humani peccati solutionem, neque morte Christi reditum in patriam esse confectatos. Hieron. Lib. 3. contra Pelag. *Donec moriatur Sacerdos magnus, & ad inferna descendens liberet animas fugitivorum.* Servius in Lib. 6. Æneidos, ait in Templo Aricino fugitivum morte Sacerdotis ab exilio liberari solitum. Caussa autem illius, qui in urbem asyli confugerat, discuti solebat ad portam civitatis, in qua homicidium patratum fuerat, ubi testes erant, & indicia, non in porta urbis refugii. Ex asyli loco cum fida custodia adducebatur reus, eadem securitate ad urbem asyli reducendus. Mors summi sacerdotis adeo luctuosa Judæis esse debuit, ut eo luctu alii dolores velut obducerentur.

CAPUT XXXVI.

Tribus per connubia non misceantur, ne possessiones confundantur.

* Sup. 27. 2. 1. ACcesserunt * autem & principes familiarum Galaad filii Machir, filii Manasse de stirpe filiorum Joseph: locutique sunt Moysi coram principibus Israel, atque dixerunt:

2. Tibi domino nostro præcepit Dominus ut Terram sorte divideres filiis Israel, & ut filiabus Salphaad fratris nostri dares possessionem debitam patri:

3. Quas si alterius tribus homines uxores acceperint, sequetur possessio sua, & translata ad aliam tribum, de nostra hæreditate minuetur.

4. Atque ita fiet, ut cum jubilæus (*a*), id est, quinquagesimus annus remissionis advenerit, confundatur sortium distributio, & aliorum possessio ad alios transeat.

5. Respondit Moyses filiis Israel, & Domino præcipiente, ait: Recte tribus filiorum Joseph locuta est.

6. Et hæc lex super filiabus Salphaad a Domino promulgata est: * Nubant quibus volunt, tantum ut suæ tribus hominibus: * Tob. 7. 14.

7. Ne commisceatur possessio filiorum Israel de tribu in tribum. Omnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatione sua (*b*):

8. Et cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient (*c*): ut hæreditas permaneat in familiis,

9. Nec sibi misceantur tribus, sed ita maneant

10. Ut a Domino separatæ sunt. Feceruntque filiæ Salphaad, ut fuerat imperatum:

11. Et nupserunt, Maala, & Thersa, & Hegla, & Melcha, & Noa, filiis patrui sui (*d*)

12. De familia Manasse, qui fuit filius Joseph: & possessio, quæ illis fuerat attributa, mansit in tribu & familia patris earum.

13. Hæc sunt mandata atque judicia, quæ mandavit Dominus per manum Moysi ad filios Israel, in campestribus Moab supra Jordanem contra Jericho.

CAPUT XXXVI. 4. (*a*) Etiamsi fuerit annus Jubilæus, non restituetur.

7. (*b*) Videtur ea Lex pertinere ad eas feminas, quæ hæreditatem acceperunt patris sui, quod fratres non haberent: nam ratio Legis hæc adfertur. *Ut hæreditas permaneat in familiis.* Deinde occasione filiarum Salphaad hæc Lex sancita est, ac quæstio de hujusmodi feminis erat proposita; nec exempla desunt in Scripturis eorum, qui uxores ex aliis Tribubus duxerunt, ut David Michol filiam Saul. An forte David & alii finem Legi propositum, non litteram spectaverunt? Quod enim Legi occasionem dederat, periculum aberat. Judicum capit. ultimo jurant aliæ tribus se filias suas Benjamites nuptum non daturas; cum Levitæ nullam haberent hæreditatem, cum aliis tribubus poterant jungere connubia.

8. (*c*) Hebr. *Omnis filia hæreditans possessionem ex Tribu filiorum Israel, uni ex familia Tribus patris sui erit in uxorem.* Non igitur cunctis feminis ea Lex imponitur, sed iis tantum, quæ ob defectum prolis masculæ succedebant patri in hæreditate.

11. (*d*) Hebr. *Filiis patruorum suorum.* consobrinis. Unde Beata Virgo parentum hæres fuit, & fortasse unica: ac Joseph illi fuit propinquus maxime. Quæritur an licita fuerint connubia inter consobrinos. Hæc Theodosius prohibuit matrimonia, inter Judæos licita videntur, exemplum habemus in Iacob, & Lib. 1. Paralipom. 23. Matrimonia inter patruum & fratris filiam apud Romanos non nisi posterioribus temporibus fuerunt usitata, ex Tacito & Svetonio; Claudius a Senatu postulavit, ut sibi fas esset fratris filiam ducere.



LIBER DEUTERONOMII, HEBRAICE ELLE HADDEBARIM.

IN hoc Libro Moses historiæ tribus superioribus Libris comprehensæ, nempe Exodi, Levitici & Numerorum, summam facit: Leges quoque latas a Deo exponit, & novas addit: unde & Deuteronomium, *quasi* Lex secunda, *appellatur. Hieron. in Epistola ad Paulinum*, Deuteronomium quoque secunda Lex, & Evangelicæ Legis præfiguratio: nonne sic ea habet, quæ priora sunt, ut tamen nova sint omnia de veteribus? *Eadem quidem est Lex quæ in monte Sinai data est post exitum ex Ægypto, sed cum iidem se indignos præbuissent, qui terram a Deo promissam possiderent, horum filiis Moses paullo ante obitum suum renovato fœdere Legem Dei exposuit.*

Mosem ipsum esse hujus Libri Auctorem tot argumentis probatum fuit in Præfatione, ut in dubium id revocari non possit, cum in limine hujus Libri, & in fine id ipsum testetur; ac Liber Legis per antonomasiam passim in Scripturis appelletur; ut cap. 8. Lib. 2. Esdræ, & Lib. 1. cap. 5. Cum Zorobabel populum reduxisset, cuncta juxta Legis Mosis hominis Dei præscriptum facta fuisse, altare erectum, juge Sacrificium oblatum, & Festa solemnia celebrata: adeo ut ante Esdræ adventum Lex Mosis cognita esset, non ab Esdra inventa, non mutata in iis maxime, quæ alicujus sunt momenti. Unde & Esdræ stylus a stylo Deuteronomii, & Librorum Mosis omnino diversus est; facta pene omnia, prodigia, cultus divinus, Leges in Prophetis sunt cognita, quæ corrumpere, aut mutare non ausus esset Esdras, nec potuisset, etiamsi voluisset.

CAPUT PRIMUM.

Summa eorum quæ Israeli per quadraginta annos in deserto contigerant.

1. HÆc sunt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel (*a*) trans Jordanem in solitudine campestri, contra Mare rubrum, inter Pharan & Thophel, & Laban & Haseroth, ubi auri est plurimum:

2. Undecim diebus de Horeb (*b*) per viam montis Seir usque ad Cadesbarne.

3. Quadragesimo anno, undecimo mense (*c*), prima die mensis locutus est Moyses ad filios Israel omnia quæ præceperat illi Dominus, ut diceret eis:

4.* Postquam percussit Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon: & Og regem Basan, qui mansit in Astaroth (*d*), & in Edrai, *Num. 21. 24.

5. Trans Jordanem in Terra Moab. Cœpitque Moyses explanare legem (*e*), & dicere:

6. Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb, dicens: Sufficit vobis quod in hoc monte mansistis (*f*):

7. Rever-

CAPUT I. 1. (*a*) Probabile est Mosem apud principes populi, qui totam multitudinem repræsentabant, ut Episcopi Ecclesiam in Conciliis exprimunt, sermonem habuisse. Quamquam ex cap. 29 vers. 16. omnis populus aderat, isque potuerit vocem Mosis audire non sine miraculo claram & fortem. *Trans Jordanem*, habita ratione terræ promissæ: Hebr. *In transitu Jordanis contra Zuph*, seu in loco sito mare rubrum, seu loco nomine ubi est *aurum plurimum*. LXX. vertunt, *auri fodinæ*. *In solitudine campestri*, in vasto Arabiæ deserto contra mare rubrum, locus est mari rubro oppositus, in ea deserti parte quæ ad mare tendit.

2. (*b*) Undecim dierum itinere a monte Sinai, seu monte Horeb [illegible] ad Cadesbarne est intervallum. Undecim [illegible], [illegible]. Dies tantum itineris spectat, non eos quibus in variis stationibus manserunt, ut meminerint eos potuisse breviori tempore ad terram promissam pervenire, nisi toties rebellassent.

3. (*c*) Si a Nisan initium ducatur, mensis est Januarius; si a mense Tisri, mensis erit Julius, vel Augustus. Paullo ante obitum Mosis, qui contigit die septimo mensis duodecimi.

4. (*d*) Mons est excelsus, ubi magna erat ovium copia, quæ *Astaroth* vocitantur.

5. (*e*) Non enim proprie Moses fuit Legislator, sed Dei Internuncius ad populum. Tamen vocatur Lex Mosis, quod illam a Deo acceptam promulgavit, & populo proposuerit. Non est hoc in loco Legis nuda repetitio, sed ea est cum expositione conjuncta.

6. (*f*) Satis multo tempore hic mansistis, discedite.

7. Revertimini, & venite ad montem Amorrhæorum (g), & ad cætera quæ ei proxima sunt campestria atque montana & humiliora loca contra Meridiem, & juxta littus maris, Terram Chananæorum, & Libani, usque ad flumen magnum Euphraten.

8. En, inquit, tradidi vobis: ingredimini & possidete eam, super qua juravit Dominus patribus vestris, Abraham, Isaac, & Jacob, ut daret illam eis, & semini eorum post eos.

9. Dixique vobis illo in tempore:

* Exod. 18. 18. 10. * Non possum solus sustinere vos; quia Dominus Deus vester multiplicavit vos, & estis hodie sicut stellæ cæli, plurimi.

11. (Dominus Deus patrum vestrorum addat (h) ad hunc numerum multa millia, & benedicat vobis sicut locutus est.)

12. Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus ac jurgia.

13. Date ex vobis viros sapientes & gnaros (i), & quorum conversatio sit probata in tribubus vestris, ut ponam eos vobis principes.

14. Tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere.

15. Tulique de tribubus vestris viros sapientes & nobiles, & constitui (k) eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula.

16. Præcepique eis, dicens: Audite illos,
* Joann. 7. 24. & * quod justum est judicate: sive civis sit ille, sive peregrinus.

* Inf. 16. 19. Levit. 19. 15. Prov. 24. 23. Eccli. 42. 1. Jac. 2. 1. 17. * Nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam (l), quia Dei judicium est. Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam.

18. Præcepique omnia quæ facere deberetis.

19. Profecti autem de Horeb, transivimus per eremum terribilem & maximam quam vidistis, per viam montis (m) Amorrhæi, sicut præceperat Dominus Deus noster nobis. Cumque venissemus in Cadesbarne,

20. Dixi vobis: Venistis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster daturus est nobis.

21. Vide Terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi: ascende & possideeam, sicut locutus est Dominus Deus noster patribus tuis: noli timere, nec quidquam paveas.

* Num. 13. 22. * Et accessistis (n) ad me omnes, atque dixistis: Mittamus viros qui considerent Terram: & renuntient per quod iter debeamus ascendere, & ad quas pergere civitates.

23. Cumque mihi sermo placuisset, misi ex vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis.

24. Qui cum perrexissent, & ascendissent in montana, venerunt usque ad Vallem botri: & considerata terra,

25. Sumentes de fructibus ejus, ut ostenderent ubertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt: Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis.

26. Et noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri

27. Murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis: Odit (o) nos Dominus, & idcirco eduxit nos de Terra Ægypti, ut traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret.

28. Quo ascendemus? nuntii terruerunt cor nostrum, dicentes: Maxima multitudo est, & nobis statura procerior: urbes magnæ, & ad cælum usque munitæ, filios Enacim vidimus ibi.

29. Et dixi vobis: Nolite metuere, nec timeatis eos:

30. Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit (p), sicut fecit in Ægypto cunctis videntibus.

31. Et in solitudine (ipse vidisti) portavit te Dominus Deus tuus, ut solet homo gestare parvulum filium suum, in omni via, per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum.

32. Et ne sic quidem credidistis Domino Deo vestro,

33. * Qui præcessit vos in via, & metatus est locum, in quo tentoria figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem, & die per columnam nubis. * Exod. 13. 21. Num. 14. 14.

34. Cumque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus juravit, & ait:

35. * Non videbit quispiam de hominibus generationis hujus pessimæ Terram bonam, quam sub juramento pollicitus sum patribus vestris: * Num. 14. 23. Ps. 94. 11.

36. Præter Caleb filium Jephone: ipse enim videbit eam, & ipsi dabo Terram, quam calcavit, & filiis ejus, quia secutus est Dominum.

37. Nec miranda indignatio (q) in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc:

38. Sed Josue filius Nun minister tuus, ipse intrabit pro te: hunc exhortare & robora, & ipse sorte Terram dividet Israeli.

39. Par-

7. (g) Hebr. *Vertite vos, accingite vos ad iter*. Hoc versiculo fines terræ promissæ designantur: *Campestria, montana & humiliora loca contra meridiem*: Latus Australe; *Et juxta littus maris*: Limes est Occidentalis. *Et Libani*: Septentrionalis est plaga: *Usque ad magnum flumen Euphraten*. Longe angustioribus finibus terra promissa terminatur Num. 34. sed duplex est terra promissa, una hæreditaria, quam ut propriam habitarunt, eaque a Dan usque ad Bersabee patet; altera vectigalis & tributaria, quæ sub Davide & Salomone usque ad Euphraten porrigitur. *Revertimini*: Redite in viam quam deseruistis versus montem Horeb, ad meridiem, habita ratione terræ promissæ.

11. (h) Augeat vos pari numero, ex Hebræo.

13. (i) Sapientes & prudentes; illi multa didicerunt, hi cognitis utuntur: *Et quorum conversatio sit probata in Tribubus*: ægre enim plebs se submittit ignotis.

15. (k) Elegit populus, sed Dei jussu & providentia, & Mosis ministerio.

17. (l) Hebr. *Non timebitis a facie viri*, metu potentum non pervertetis judicium. *Quia Dei judicium est*, vice Dei fungimini: Deus personam cujusquam non accipit. Cum personæ conditio ad caussam pertinet, ea debet in judicio considerari: sed si quis divitem absolvat, qui injuriam pauperi intulit, quod sit dives & potens, is personæ acceptione peccat.

19. (m) Qui recta ducit ad montes Amorrhæorum in Cadesbarne, in desertum Pharan. Ea loca commemorat, ubi infructi fuerant.

22. (n) Exploratores missi exigente populi incredulitate.

27. (o) Nox a persuasio se Deo crudelite exosum.

30. (p) Septuag. Interpret. *Debellabit eos vobiscum*, Συνεκπολεμήσει αὐτοὺς μεθ' ὑμῶν. Augustin. quæst. 3. *Satis ostenditur ita esse adjutorem Deum, ut etiam homines agant aliquid*.

37. (q) In caussa fuerunt cur Moses dubitaverit, cum eorum videret incredulitatem: nam addubitare cœpit, an Deus præstaret quod promiserat, vel quia in id consenserat, ut exploratores mitterentur.

39. Parvuli vestri, de quibus dixistis quod captivi ducerentur, & filii qui hodie boni ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur: & ipsis dabo Terram, & possidebunt eam.

40. Vos autem revertimini, & abite in solitudinem per viam Maris rubri.

*Num. 14. 40. 41. * Et respondistis mihi: Peccavimus Domino: ascendemus & pugnabimus, sicut præcepit Dominus Deus noster. Cumque instructi armis pergeretis in montem,

*Num. 14. 42. 42. Ait mihi Dominus: Dic ad eos: * Nolite ascendere, neque pugnetis; non enim sum vobiscum, ne cadatis coram inimicis vestris.

43. Locutus sum, & non audistis: sed adversantes imperio Domini, & tumentes superbia, ascendistis in montem.

44. Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, & obviam veniens persecutus est vos, sicut solent apes persequi: & cecidit de Seir usque Horma.

45. Cumque reversi ploraretis coram Domino, non audivit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere.

46. Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore.

CAPUT II.

Iter per fines Idumææ Israelitis prohibetur; victoria de Sehon rege Hesebon reportata, & alia Dei in populum Hebræum collata beneficia memorantur.

1. PRofectique inde venimus in solitudinem, quæ ducit ad Mare rubrum, sicut mihi dixerat Dominus: & circuivimus montem Seir longo tempore.

2. Dixitque Dominus ad me:

3. Sufficit vobis circuire montem istum: ite contra Aquilonem:

4. Et populo præcipe, dicens: Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau (a), qui habitant in Seir, & timebunt vos.

5. Videte ergo diligenter ne moveamini contra eos: neque enim dabo vobis de terra eorum quantum potest unius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir.

6. Cibos emetis ab eis pecunia (b), & comedetis: aquam emptam haurietis, & bibetis.

7. Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuum tuarum: novit iter tuum, quomodo transieris solitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, & nihil tibi defuit.

8. Cumque transissemus fratres nostros filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestrem de Elath, & de Asiongaber, venimus ad iter, quod ducit in desertum Moab.

9. Dixitque Dominus ad me: Non pugnes contra Moabitas, nec ineas adversus eos prælium: non enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia filiis Lot tradidi Ar in possessionem.

10. Emim primi fuerunt (c) habitatores ejus, populus magnus, & validus, & tam excelsus, ut de Enacim stirpe,

11. Quasi gigantes, crederentur, & essent similes filiorum Enacim. Denique Moabitæ appellant eos Emim.

12. In Seir autem prius habitaverunt Horrhæi: quibus expulsis atque deletis, habitaverunt filii Esau, sicut fecit Israel in terra possessionis suæ (d), quam dedit illi Dominus.

13. Surgentes ergo ut transiremus torrentem Zared (e), venimus ad eum.

14. Tempus autem, quo ambulavimus de Cadesbarne usque ad transitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit: donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut juraverat Dominus:

15. Cujus manus fuit adversum eos, ut interirent de castrorum medio.

16. Postquam autem universi ceciderunt pugnatores,

17. Locutus est Dominus ad me, dicens:

18. Tu transibis hodie terminos Moab, urbem nomine Ar:

19. Et accedens in vicina filiorum Ammon, cave ne pugnes contra eos, nec movearis ad prælium: non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filiis Lot dedi eam in possessionem.

20. Terra gigantum reputata est: & in ipsa olim habitaverunt gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim (f),

21. Populus magnus, & multus, & proceræ longitudinis, sicut Enacim, quos delevit Dominus a facie eorum: & fecit illos habitare pro eis,

22. Sicut fecerat filiis Esau (g), qui habitant in Seir, delens Horrhæos, & terram eorum illis tradens, quam possident usque in præsens.

23. Hevæos quoque, qui habitabant in Haserim usque Gazan, Cappadoces expulerunt: (h) qui egressi de Cappadocia deleverunt eos, & habitaverunt pro illis.

24. Surgite, & transite torrentem Arnon: ecce tradidi in manu tua Sehon regem Hesebon Amorrhæum, & terram ejus incipe possidere, & committe adversus eum prælium.

25. Ho-

CAP. II. 4. (a) Qui primum negaverant Num. 20 sed postea permiserunt transitum per extremos fines. Deo ita volente, Idumæi transitum negaverant, ut cogerentur Israelitæ per longos anfractus & circuitus errare, usque toties obmurmurantes & rebellantes paullatim in solitudine morerentur. Sed postea Idumæi tot prodigiis in gratiam Israelitarum editis perculsi, non ausi sunt iis transeundi facultatem denegare.

6. (b) Manna quidem iis præsto erat, sed poterant quoque aliis uti cibis. *Aquam emptam haurietis*, e puteis jam effossis.

10. (c) Vox illa *Hebræa* אמים, terribiles significat. Ex hoc loco concludi potest post diluvium extitisse gigantes, qui Græcorum fabulis occasionem præbuere.

12. (d) Moses spiritu prophetico afflatus loquitur, vel ea verba addita sunt ab Esdra, aut ab alio Scriptore Hagiographo: aut forte loquitur de expugnatis regionibus Sehon Regis Amorrhæorum, & Og Regis Basan.

13. (e) Qui desinit in mare tuitam.

20. (f) Vox Hebræa זַמְזֻמִּים *Zomzommim*, flagitiosos significat.

22. (g) Hoc est, quemadmodum fecerunt filii Esau habitantes in Seir.

23. (h) Qui una cum Philisthæis has regiones invaserant, & Gazam occuparant, Jud. 16. Non ii qui in Asia minore, quique a Jpheth sunt oriundi: hi quippe a Mesraim sunt prognati: unde & Caphtorim, qui una cum Philisthiim has regiones occuparunt. *Caphtoræos* esse Cappadoces, e veteribus colligunt.

25. Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cælo: ut audito nomine tuo paveant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur.

* Num. 21. 21. 26. * Misi ergo nuntios de solitudine Cademoth ad Sehon regem Hesebon verbis pacificis, dicens:

27. Transibimus per terram tuam, publica gradiemur via: non declinabimus neque ad dexteram, neque ad sinistram.

28. Alimenta pretio vende nobis, ut vescamur: aquam pecunia tribue, & sic bibemus. Tantum est ut nobis concedas transitum,

29. Sicut fecerunt (i) filii Esau, qui habitant in Seir, & Moabitæ, qui morantur in Ar: donec veniamus ad Jordanem, & transeamus ad Terram, quam Dominus Deus noster daturus est nobis.

30. Noluitque Sehon rex Hesebon dare nobis transitum: quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum ejus, & obfirmaverat cor illius, ut traderetur in manus tuas, sicut nunc vides.

*Amos 1.9. 31. Dixitque Dominus ad me: * Ecce cœpi tibi tradere Sehon, & terram ejus, incipe possidere eam.

32. Egressusque est Sehon obviam nobis cum omni populo suo ad prælium in Jasa.

33. Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis: percussimusque eum cum filiis suis & omni populo suo.

34. Cunctasque urbes in tempore illo cepimus, interfectis habitatoribus earum, viris ac mulieribus & parvulis: non reliquimus in eis quidquam

35. Absque jumentis, quæ in partem venere prædantium: & spoliis urbium, quas cepimus

36. Ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon (k), oppido quod in valle situm est, usque Galaad. Non fuit vicus & civitas, quæ nostras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noster nobis.

37. Absque terra filiorum Ammon, ad quam non accessimus (l): & cunctis quæ adjacent torrenti Jeboc, & urbibus montanis, universisque locis, a quibus nos prohibuit Dominus Deus noster.

CAPUT III.

Regum Sehon & Og ditiones divisæ inter tribus Ruben, Gad, & dimidiam tribum Manassæ.

* Num. 21. 33. Infr. 29. 7. 1. Itaque conversi ascendimus per iter Basan: * egressusque est Og rex Basan in occursum nobis cum populo suo ad bellandum in Edrai.

2. Dixitque Dominus ad me: Ne timeas eum: quia in manu tua traditus est cum omni populo ac terra sua: faciesque ei * sicut fecisti * Num. 21. 34.
Sehon regi Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon.

3. * Tradidit ergo Dominus Deus noster in * Num. 21. 35.
manibus nostris etiam Og regem Basan, & universum populum ejus: percussimusque eos usque ad internecionem,

4. Vastantes cunctas civitates illius uno tempore: non fuit oppidum, quod nos effugeret: sexaginta urbes, omnem regionem Argob (a) regni Og in Basan.

5. Cunctæ urbes erant munitæ muris altissimis, portisque & vectibus, absque oppidis innumeris, quæ non habebant muros.

6. Et delevimus eos, sicut feceramus Sehon regi Hesebon, disperdentes omnem civitatem, virosque ac mulieres & parvulos:

7. Jumenta autem & spolia urbium diripuimus.

8. Tulimusque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem: a torrente Arnon usque ad montem Hermon,

9. Quem Sidonii Sarion vocant, & Amorrhæi Sanir: * *Infr. 4. 48.

10. Omnes civitates, quæ sitæ sunt in planitie, & universam Terram Galaad & Basan usque ad Selcha, & Edrai civitates regni Og in Basan.

11. Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus ejus ferreus (b), qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.

12. Terramque possedimus tempore illo ab Aroer, quæ est super ripam torrentis Arnon, usque ad mediam partem montis Galaad: & civitates illius * dedi Ruben & Gad. * Num. 32. 29.

13. Reliquam autem partem Galaad, & omnem Basan regni Og, tradidi mediæ tribui Manasse, omnem regionem Argob: cunctaque Basan vocatur Terra gigantum.

14. Jair filius Manasse possedit omnem regionem * Argob usque (c) ad terminos Gessuri * Num. 32. 41.
& Machati. Vocavitque ex nomine suo Basan, Havoth Jair, id est, Villas Jair, usque in præsentem diem.

15. Machir (d) quoque dedi Galaad.

16. Et tribubus Ruben & Gad dedi de Terra Galaad usque ad torrentem Arnon medium torrentis, & confinium usque ad torrentem Jeboc, qui est terminus filiorum Ammon:

17. Et planitiem solitudinis, atque Jordanem, & terminos Cenereth usque ad mare deserti, quod est salsissimum, ad radices montis Phasga contra Orientem.

18. Præ-

29. (i) Moabitæ initio, sed postea mutarunt sententiam.

36. (k) Hebr. *Super labium torrentis Arnon*. Vox eadem *Nahal*. נחל, in eodem versu pro *torrente* prius, tum pro *valle* sumitur.

37. (l) Jeboc locus est, in quo Jacob luctatus est cum Angelo, Genes. 32. Josue quidem cap. 13. legimus regionem Ammon concessam esse Tribui Gad: sed ita appellatur, quod olim Ammonitarum fuisset, quam postea invaserunt Amorrhæi, uti & partem regionis Ammonitarum.

CAP. III. 4. (a) Eadem est regio cum Basan, in qua erant pascua lætissima, solus quippe Og in ea regione superrerat e stirpe gigantum. *In Basan*, aliquid supplendum, qui regnabat in Basan.

11. (b) Nonnulli putant fuisse ejus sepulcrum, aut cratem, in qua fuit positus, ut post mortem cum aromatibus comburetur. Alii utrumque additum ab auctore Hagiographo opinantur, nempe de lecto ferreo, *Usque ad præsentem diem*. August. Lib. 22. contra Faustum: *Nec Deus cum jubebat ista, sæviebat, sed digna dignis retribuebat*. Solus Og dicitur superstes fuisse e stirpe gigantum. Alii quidam erant gigantes ex cap. 13. Num. Sed hi erant magis celebrati, ex quibus alii suam duxerant originem Rapha ex Enac. *Qui est in Rabbath*, quæ postea dicta est Philadelphia. LXX. in arce filiorum Ammon, nempe in urbe regia.

14. (c) Hæc verba addita fuisse ab Esdra quidam opinantur, tametsi id minime est necessarium: nam complures menses ab iis rebus gestis ad mortem usque Mosis effluxerunt.

15. (d) Hoc est, Machir posteris.

L 2

18. Præcepique vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus vester dat vobis Terram hanc in hæreditatem, expediti præcedite fratres vestros filios Israel omnes viri robusti:

19. Absque uxoribus, & parvulis, atque jumentis. Novi enim quod plura habeatis pecora, & in urbibus remanere debebunt, quas tradidi vobis,

20. Donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit: & possideant ipsi etiam Terram, quam daturus est eis trans Jordanem: tunc revertetur unusquisque in possessionem suam, quam dedi vobis.

*Num. 27. 18. 21. * Josue quoque in tempore illo præcepi, dicens: Oculi tui viderunt quæ fecit Dominus Deus vester duobus his regibus: sic faciet omnibus regnis, ad quæ transiturus es.

22. Ne timeas eos: Dominus enim Deus vester pugnabit pro vobis.

23. Precatusque sum Dominum in tempore illo, dicens:

24. Domine Deus, tu cœpisti ostendere servo tuo magnitudinem tuam, manumque fortissimam: neque enim est alius Deus, vel in cælo, vel in terra, qui possit facere opera tua, & comparari fortitudini tuæ.

25. Transibo igitur (c), & videbo Terram hanc optimam trans Jordanem, & montem istum egregium, & Libanum.

26. Iratusque est Dominus mihi propter vos, nec exaudivit me, sed dixit mihi: Sufficit tibi: nequaquam ultra loquaris de hac re ad me.

27. Ascende cacumen Phasgæ, & oculos tuos circumfer ad Occidentem, & ad Aquilonem, Austrumque & Orientem, & aspice: * nec enim transibis Jordanem istum. *Infr. 31. 2. & 34. 4.

28. Præcipe Josue, & corrobora eum atque conforta: quia ipse præcedet populum istum, & dividet eis Terram, quam visurus es.

29. Mansimusque in valle contra fanum Phogor.

CAPUT IV.

Moses populum excitat ad observationem mandatorum Dei; urbes refugii pro homicidis non voluntariis trans Jordanem decernit.

1. ET nunc Israel audi præcepta & judicia (a), quæ ego doceo te: ut faciens ea, vivas, & ingrediens possideas Terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis.

2. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor (b), nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri quæ ego præcipio vobis.

3. * Oculi vestri viderunt omnia quæ fecit Dominus contra Beelphegor (c), quomodo contriverit omnes cultores ejus de medio vestri. *Num. 25. 4. Jos. 22. 17.

4. Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro, vivitis universi usque in præsentem diem.

5. Scitis quod docuerim vos præcepta atque justitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in Terra, quam possessuri estis:

6. Et observabitis & implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis (d), ut audientes universa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna.

7. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi (e), sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.

8. Quæ est enim alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaque judicia, & universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?

9. Custodi igitur temetipsum, & animam tuam solicite. Ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis eas filios ac nepotes tuos,

10. A die in quo stetisti coram Domino Deo tuo in Horeb, quando Dominus locutus est mihi, dicens: Congrega ad me populum, ut audiant sermones meos, & discant timere me omni tempore quo vivunt in terra, doceantque filios suos.

11. * Et accessistis ad radices montis, qui ardebat usque ad cælum: erantque in eo tenebræ, & nubes, & caligo. *Exod. 19. 18.

12. Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum ejus audistis, & formam penitus non vidistis.

13. Et ostendit vobis pactum suum, quod præcepit ut faceretis, * & decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis. *Exod. 20. 21. 22. & 23. capitibus.

14. Mihique mandavit in illo tempore ut docerem vos cæremonias & judicia, quæ facere deberetis in Terra, quam possessuri estis.

15. Custodite igitur solicite animas vestras. * Non vidistis aliquam similitudinem, in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb (f) de medio ignis: *Exod. 24. 10.

16. Ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel feminæ,

17. Similitudinem omnium jumentorum, quæ sunt super terram, vel avium sub cælo volantium,

18. At-

25. (c) Precatus Deum ut sibi liceat transire in terram promissam, non curiositate, sed caritate impulsus, ne populus sub alio duce in graviorem culpam incurrat; vel certe videre cupiebat terram, non Patriarcharum modo incolatu, sed Redemptoris ortu, vita, miraculis & morte consecrandam. Nesciebat etiam an prædictio divina esset definitiva, an comminatoria tantum, ut sæpe fit in Scriptura. Et montem, an mons ille est Libanus, an potius Bethel, non procul a Jordane, an montana regio Chananæa?

CAP. IV. 1. (a) Illa ad ritum sacrorum, hæc ad Leges spectant. Ut facias ea & vivas: Vita præsenti & prospera.

2. (b) Addere, est aliter facere, quam jussum est; minuere, est non facere quod jubetur. Nec prohibet Deus quin nova fanciantur præcepta pro temporum & locorum opportunitate; sed tantum ut nihil immutetur circa substantiam cultus divini. Itaque hæc nihil contra traditiones Ecclesiæ.

3. (c) Hebr. In Baal Phegor. Phegor, est nomen proprium idoli Moabitarum, Num. 25. Baal, est commune nomen idolorum: Dominum significat; nam idolo tanquam domino servi se subjiciebant.

6. (d) Sapientia in mentis illustratione, & cognitione Dei; intelligentia in judicio & prudentia consistit. Erat populus sapiens, cum perstabat in cultu veri Dei, quamquam multi essent insipientes. Sapientem vocat, qui ea quæ sunt fidei & religionis novit, habita Dei ipsius ratione, atque officia caritatis & justitiæ erga proximum, intelligentem vero, qui prudens est, nec decipi se patitur.

7. & 8. (e) Propitios & intentos ad benefaciendum. Judicia: Leges æquitati magis consonæ.

15. (f) Audistis Deum loquentem, sed nullam ejus figuram vidistis; neque adeo illum debetis aliqua similitudine aut imagine exprimere.

18. Atque reptilium, quæ moventur in terra, sive piscium qui sub terra morantur in aquis:

19. Ne forte elevatis oculis ad cælum, videas Solem & Lunam, & omnia astra cæli, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.

20. Vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea Ægypti, ut haberet populum hæreditarium, sicut est in præsenti die.

* Sup. 1. 37. 21. * Iratusque (*g*) est Dominus contra me propter sermones vestros, & juravit ut non transirem Jordanem, nec ingrederer Terram optimam, quam daturus est vobis.

22. Ecce morior in hac humo, non transibo Jordanem: vos transibitis, & possidebitis terram egregiam.

23. Cave ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum: & facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ fieri Dominus prohibuit (*h*):

* Hebr. 12. 29. 24. * Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est (*i*), Deus æmulator.

25. Si genueritis filios ac nepotes, & moratі fueritis in Terra, deceptique feceritis vobis aliquam similitudinem, patrantes malum coram Domino Deo vestro, ut eum ad iracundiam provocetis:

26. Testes (*k*) invoco hodie cælum & terram, cito perituros vos esse de Terra, quam transito Jordane possessuri estis: non habitabitis in ea longo tempore, sed delebit vos Dominus,

27. Atque disperget in omnes gentes, & remanebitis pauci in nationibus, ad quas vos ducturus est Dominus.

28. Ibique servietis diis, qui hominum manu fabricati sunt, ligno & lapidi qui non vident, nec audiunt, nec comedunt, nec odorantur.

29. Cumque quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.

30. Postquam te invenerint omnia quæ prædicta sunt, novissimo tempore reverteris ad Dominum Deum tuum (*l*), & audies vocem ejus.

31. Quia Deus misericors, Dominus Deus tuus est: non dimittet te, nec omnino delebit, neque obliviscetur pacti, in quo juravit patribus tuis.

32. Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te ex die quo creavit Deus hominem super terram, a summo cælo usque ad summum ejus, si facta est aliquando hujuscemodi res, aut unquam cognitum est,

33. Ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti & vidisti (*m*):

34. Si fecit Deus ut ingrederetur, & tolleret sibi Gentem de medio nationum, per tentationes, signa, atque portenta, per pugnam, & robustam manum, extentumque brachium, & horribiles visiones, juxta omnia quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto, videntibus oculis tuis:

35. Ut scires quoniam Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum.

36. De cælo te fecit audire vocem suam, ut doceret te, & in terra ostendit tibi ignem suum maximum, & audisti verba illius de medio ignis,

37. Quia dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos. * Eduxitque te præce- * Exod. 13.
dens in virtute sua magna ex Ægypto, 21.

38. Ut deleret nationes maximas & fortiores te in introitu tuo: & introduceret te, daretque tibi terram earum in possessionem, sicut cernis in præsenti die.

39. Scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo quod Dominus ipse sit Deus in cælo sursum, & in terra deorsum, & non sit alius.

40. Custodi præcepta ejus atque mandata, quæ ego præcipio tibi: ut bene sit tibi, & filiis tuis post te, & permaneas multo tempore super Terram, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

41. * Tunc separavit Moyses tres civitates * Num. 35.
trans Jordanem ad orientalem plagam, 14.

42. Ut confugiat ad eas qui occiderit nolens proximum suum, nec sibi fuerit inimicus ante unum & alterum diem, & ad harum aliquam urbium possit evadere:

43. * Bosor in solitudine, quæ sita est in * Josue 8.
terra campestri de tribu Ruben: & Ramoth in Galaad, quæ est in tribu Gad: & Golan in Basan, quæ est in tribu Manasse.

44. Ista est lex, quam proposuit Moyses coram filiis Israel,

45. Et hæc testimonia (*n*) & cæremoniæ atque judicia, quæ locutus est ad filios Israel, quando egressi sunt de Ægypto.

46. Trans Jordanem in valle contra fanum Phogor in terra Sehon regis Amorrhæi, qui habitavit in Hesebon, quem percussit Moyses. Filii quoque Israel egressi ex Ægypto

47. Possederunt terram ejus, & terram Og regis Basan, duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Jordanem ad solis ortum:

48. Ab Aroer, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, usque ad montem Sion, qui est & Hermon (*o*),

49. Omnem planitiem trans Jordanem ad orientalem plagam, usque ad mare solitudinis (*p*), & usque ad radices montis Phasga.

C A-

21. (*g*) Exemplo suo admonet ne peccent, cum Deus illi non pepercerit in re, quæ adeo levis videbatur.

23. (*h*) Hebr. *Et faciatis vobis sculptile, similitudinem omnis rei, quam præcepit tibi Dominus Deus tuus*, scilicet ne faceres. Ac proinde tantum vetat ne simulacra fiant, ut colantur; non enim artem pingendi, aut sculpendi prohibet.

24. (*i*) Injurias sibi illatas punit gravibus pœnis; neque sinit animam sibi dicatam alienorum deorum cultu impune violari. Aug. in. lib. contra Adimantum cap. 13. *Ex eo quod Deus ignis est edax, facit ut eum amemus; ex eo autem quod Deus zelans est, ipse nos amat.*

26. & 29. (*k*) Quod semper permaneant. *Tribulatione*; Contritione cordis.

30. & 32. (*l*) In fine temporum. *Summo*, ab ortu solis ad occasum usque.

33. (*m*) Nec mortuus es: idque instar miraculi fuit, quod tu vocem Dei terribilem audires in monte Sinai, & viveres.

45. (*n*) Quibus testatur per legem & verbum suum nobis adesse, & nos ipsi curæ esse.

48. (*o*) Hebr. Hic *Sion*, per Sin; mons autem *Sion* in Jerusalem per Tsade scribitur: Psalm. 132. *Sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion*. Ex hoc & supra 3. capite liquet eumdem montem Hermon, Sarion, Sanir, & Sion appellari. Mons autem ille Sion limes erat Tribus Manasse ex parte Orientis.

49. (*p*) Non erat antea solitudo, sed regio erat peramœna. Hebr. mare planitiei.

CAPUT V.

Moses Decalogi præcepta, quæque acta fuerint in Monte Sina, cum Decalogus tabulis lapideis incisus est, commemorat.

1. Vocavitque Moyses omnem Israelem (*a*), & dixit ad eum: Audi Israel cæremonias atque judicia, quæ ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, & opere complete.

2. Dominus Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb.

3. Non cum patribus nostris iniit pactum (*b*), sed nobiscum qui in præsentiarum sumus, & vivimus.

4. Facie ad faciem locutus est nobis (*c*) in monte de medio ignis.

5. Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos (*d*) in tempore illo, ut annuntiarem vobis verba ejus: timuistis enim ignem, & non ascendistis in montem, & ait:

* Exod. 20. 2. Levit. 26. 1. Ps. 80. 11.
6. * Ego Dominus Deus tuus (*e*), qui eduxi te de Terra Ægypti de domo servitutis.

* Exod. 20. 3. Ps. 80. 10.
7. * Non habebis deos alienos (*f*) in conspectu meo.

* Exod. 20. 4. Levit. 26. 1. Psal 96. 7.
8. * Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium, quæ in cælo sunt desuper, & quæ in terra deorsum, & quæ versantur in aquis sub terra.

* Exod. 34. 14.
9. * Non adorabis ea, & non coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus: Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum (*g*) super filios in tertiam & quartam generationem his qui oderunt me,

10. Et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, & custodientibus præcepta mea.

* Exod. 20. 7. Levit. 19. 12. Matth. 5. 33.
11. * Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra (*h*): quia non erit impunitus qui super re vana nomen ejus assumpserit.

12. Observa diem sabbati, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus.

13. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.

* Gen. 2. 2. Exod. 20. 10. Heb. 4. 4
14. * Septimus dies sabbati est, id est, requies Domini Dei tui. Non facies in eo quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, servus & ancilla, & bos, & asinus, & omne jumentum tuum, & peregrinus qui est intra portas tuas: ut requiescat servus tuus, & ancilla tua, sicut & tu.

15. Memento quod & ipse servieris in Ægypto (*i*), & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcirco præcepit tibi ut observares diem sabbati.

* Exod. 20. 12. Eccli. 3. 9. Matth. 15. 4. Marc. 7. 10. Ephes. 6. 2.
16. * Honora patrem tuum & matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, & bene sit tibi in Terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi.

17. Non occides.

18. Neque mœchaberis.

19. Furtumque non facies.

20. Nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

* Matth. 5. 28. Rom. 7. 7.
21. * Non concupisces uxorem proximi tui: non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, & universa quæ illius sunt.

22. Hæc verba (*k*) locutus est Dominus ad omnem multitudinem vestram in monte de medio ignis & nubis & caliginis, voce magna, nihil addens amplius: & scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi.

23. Vos autem postquam audistis vocem de medio tenebrarum, & montem ardere vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuum, & majores natu, atque dixistis:

24. Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster majestatem & magnitudinem suam: vocem ejus audivimus de medio ignis, & probavimus hodie quod loquente Deo cum homine, vixerit homo.

25. Cur ergo moriemur, & devorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus ultra vocem Domini Dei nostri, moriemur.

26. Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur sicut nos audivimus, & possit vivere?

27. Tu magis accede: & audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi: loquerisque ad nos, & nos audientes faciemus ea.

28. Quod cum audisset Dominus, ait ad me: Audivi vocem verborum populi hujus quæ locuti sunt tibi: bene omnia sunt locuti.

29. Quis det talem eos habere mentem (*l*), ut timeant me, & custodiant universa mandata mea in omni tempore, ut bene sit eis & filiis eorum in sempiternum?

30. Vade

CAP. V. 1. (*a*) Doces nimirum & principes: vel certe singulari, ut dictum est, miraculo omnes vocem Mosis audiebant.

3. (*b*) Pepigit quidem Deus pactum cum Abraham, Isaac & Jacob: sed impletum est in vobis; vel non iniit pactum, id est, non tantum cum illis iniit pactum; sic illud Genes. 32. *Non vocabitur nomen tuum Jacob*, sed etiam Israel. Alii cum Abraham pactum fidei initum volunt, non *Legis* faciendæ: melius lectasse pactum in Horeb non tam cum eorum Patribus factum, qui illud violaverunt, quam cum eorum filiis, qui Patrum loco terra promissa potituri erant.

4. (*c*) Non dixit, vidimus: nam vocem loquentis audiebant, speciem nullam videbant. Num. 12. *Facie ad faciem*, sine internuntio. Et modo adeo sensibili, ut de ejus præsentia dubitare non possent.

5. (*d*) Ergo Sancti esse possunt sequestri, & intercessores. *Et non ascendistis in montem, & ait*: Hebr. dicendo: Non ascendistis in montem, cum diceret. *Et ait*: Hæc verba ad vers. 4. referuntur per hyperbaton quoddam in Scripturis frequens.

6. (*e*) Verborum sensum refert Moses: cum verba ipsa Exodi 20. sint consignata. *Neque id est in mendacio deputandum, si aliis quibuslibet verbis eadem voluntas manifestatur*. August. quæst. 8.

7. (*f*) Non sit tibi Deus alienus, Chald. in meo conspectu, me spectante.

9. (*g*) Hieronymus in cap. 18. Ezechielis, adversus Hæreticos justitiam Dei vindicat, quod punitionem Patrum differat in tertiam & quartam generationem, nec statim puniat, sed expectet dum resipiscant: *Non enim truculentiæ est, & severitatis, tam tenere usque ad tertiam & quartam generationem; sed signum misericordiæ, pœnam differre peccati*. Præterquam punit filios, cum parentes imitantur.

11. (*h*) Sept. Interpret. *In vanum*, vers. 19 eadem vox ponitur, ut mendacium significet; hoc loco eamdem habet vim, ut pejerando nomen Dei non usurpetur: quamquam eo irreverenter abuti etiam prohibetur.

15. (*i*) Novam rationem affert cur sabbatum sit observandum, quod Deus Israelitas a servitute eduxerit in requiem: unde subdit: *Idcirco præcepit tibi, ut observares diem sabbati*.

22. (*k*) Non ait, verba omnia: nam sensum verborum Exodi 20. affert potius, quam verba ipsa: *Nihil addens amplius*, populo nihil amplius locutus, sed uni Mosi.

29. (*l*) Forma est optandi usitata apud Hebræos; utinam talem semper habeant mentem, qualem nunc præ se ferunt, & verbis suis declarant. Deus quo ut humano more loquitur, ut insinuet se velle, ut homines salutari timore repleantur. Deum movere voluntates nostras alliciendo & persuadendo, ait Maimonides, non uti res naturales. Talem mentem, humano more loquitur, & quod sibi gratum est insinuat.

30. Vade & dic eis : Revertimini in tentoria vestra.

31. Tu vero hic sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & cæremonias atque judicia: quæ docebis eos, ut faciant ea in Terra, quam dabo illis in possessionem.

32. Custodite igitur & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis : non declinabitis neque ad dexteram, neque ad sinistram:

33. Sed per viam, quam præcepit Dominus Deus vester, ambulabitis, ut vivatis, & bene sit vobis, & protelentur dies in terra possessionis vestræ.

CAPUT VI.

Primum & maximum Dei præceptum de amore Dei ex toto corde inculcat Moses.

1. HÆc sunt præcepta, & cæremoniæ, (a) atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus vester ut docerem vos, & faciatis ea in Terra, ad quam transgredimini possidendam:

2. Ut timeas Dominum Deum tuum, & custodias omnia mandata & præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi, & filiis, ac nepotibus tuis, cunctis diebus vitæ tuæ, ut prolongentur dies tui.

3. Audi Israel, & observa ut facias quæ præcepit tibi Dominus, & bene sit tibi, & multipliceris amplius, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte & melle manantem.

4. Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus unus est (b).

* Infr. 11. 1. Matth. 22. 37. Marc. 12. 30. Luc. 10. 27.

5. * Diliges Dominum Deum tuum (c) ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.

6. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo:

7. Et narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.

8. Et ligabis ea (d) quasi signum in manu tua, eruntque & movebuntur inter oculos tuos,

9. Scribesque ea in limine, & ostiis domus tuæ.

10. Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram, pro qua juravit patribus tuis Abraham, Isaac, & Jacob : & dederit tibi civitates magnas & optimas, quas non ædificasti,

11. Domos plenas cunctarum opum quas non extruxisti, cisternas quas non fodisti, vineta & oliveta quæ non plantasti,

12. Et comederis, & saturatus fueris:

13. Cave diligenter, ne obliviscaris Domini, qui eduxit te de Terra Ægypti, de domo servitutis. * Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis (e). * Infr. 10. 20. Matth. 4. 10. Luc. 4. 8.

14. Non ibitis post deos alienos cunctarum Gentium, quæ in circuitu vestro sunt:

15. Quoniam Deus æmulator, Dominus Deus tuus in medio tui : nequando irascatur furor Domini Dei tui contra te, & auferat te de superficie terræ.

16. * Non tentabis Dominum (f) Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. * Matth. 4. 7. Luc. 4. 12.

17. Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia & cæremonias, quas præcepit tibi:

18. Et fac quod placitum est & bonum in conspectu Domini, ut bene sit tibi : & ingressus possideas terram optimam, de qua juravit Dominus patribus tuis,

19. Ut deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est.

20. Cumque interrogaverit te filius tuus cras, dicens : Quid sibi volunt testimonia hæc, & cæremoniæ, atque judicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis?

21. Dices ei : Servi eramus Pharaonis (g) in Ægypto, & eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti.

22. Fecitque signa atque prodigia magna & pessima in Ægypto contra Pharaonem, & omnem domum illius in conspectu nostro,

23. Et eduxit nos inde, ut introductis daret Terram, super qua juravit patribus nostris.

24. Præcepitque nobis Dominus ut faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum nostrum, ut bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ, sicut est hodie.

25. Eritque nostri misericors (h), si custodierimus & fecerimus omnia præcepta ejus coram Domino Deo nostro, sicut mandavit nobis.

CA-

CAP. VI. 1. (a) *Præcepta* ad mores : *Cæremoniæ* ad ritus sacros : *Judicia* ad civile regimen spectant.

4. (b) Hoc est velut commune principium, ex quo concluditur eum solum colendum esse, & timendum, præ omnibus amandum.

5. (c) Summus amor Dei præcipitur; non intensive, sed appretiative, ut vocant: nempe ut Deum omnibus anteponamus: *Ex toto corde*, videtur Hebraismus, adeo ut hæc omnia idem significent: sed ut res ipsa magis exprimatur, & inculcetur: *Ex tota fortitudine*, Hebr. *Ex toto valde tuo*; quantum poteris, ex omni conatu. Quod si enim ille amor debitus sit, res objectæ cor nostrum occupabunt; omnis alius amor eo referri debet: *Illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit*. Augustin. Lib. 2. de Doctrin. Christian. cap. 22.

8. (d) Legem Dei mente retinebis : eaque in conspectu tuo sic erunt, ac si frontali, aut brachiali, aut domus tuæ limini essent insculpta.

13. (e) Quando jurandum est, non per alia.

16. (f) Hebr. *Non exacerbabis*. Tentat Deum, qui se periculo exponit citra necessitatem. Christus tentatori ipsi hunc locum proferenti id respondit. Hoc fit cum agimus corde duplici, nec fides plena eius verbis adhibetur. Sic filii Israel Deum tentaverunt in deserto, cum de veritate divinarum promissionum dubitarunt. Adamus Deum tentavit, cum experiri voluit an moreretur, si vetitum fructum ederet.

21. & 22. (g) Triplici ratione ostendit eos Deo obsequi debere: 1. Ob accepta ab eo beneficia; 2. Propter ea quæ a Domino expectabant; 3. Ob Dei in illos amorem, & singularem providentiam. *Pessima*, id est gravissima.

25. (h) Hebr. *Justitia erit nobis*: Vox Hebraica *Tsedaca*, צדקה justitiam & misericordiam significat apud Rabbinos, & in Scripturis, ut Matth. 5. *Attendite ne justitiam vestram faciatis*: Græce *eleemosynam*, quod misericordia nostra, aut eleemosyna ex justitia quadam debeatur.

L 4

CAPUT VII.

Deleri Chananæos, & eorum idola comminui jubet Deus: cuncta prospera promittit præcepta servantibus.

1. CUm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, & deleverit Gentes multas coram te (*a*), * Hethæum, & Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum, septem Gentes multo majoris numeri quam tu es, & robustiores te:

* Exod. 23. 23. & 33. 2.

2. Tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas usque ad internecionem. * Non inibis cum eis fœdus (*b*), nec misereberis earum,

* Exod. 22. 32. & 34. 15. 16.

3. Neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo:

4. Quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat diis alienis: irasceturque furor Domini, & delebit te cito.

5. Quin potius hæc facietis eis: * Aras eorum subvertite, & confringite statuas, lucosque succidite, & sculptilia comburite.

* Exod. 23. 24. Infr. 12. 3. & 16. 21.

6. * Quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te * elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.

* Inf. 14. 2. * Inf. 26. 18.

7. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis junctus est Dominus, & elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores:

8. Sed quia dilexit vos Dominus, & custodivit juramentum, quod juravit patribus vestris: eduxitque vos in manu forti, & redemit de domo servitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti.

9. Et scies, quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus fortis & fidelis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus se, & his qui custodiunt præcepta ejus, in mille generationes:

10. Et reddens odientibus se statim, (*c*) ita ut disperdat eos, & ultra non differat, protinus eis restituens quod merentur.

11. Custodi ergo præcepta & cæremonias atque judicia, quæ ego mando tibi hodie ut facias.

12. Si postquam audieris hæc judicia, custodieris ea & feceris, custodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi, & misericordiam quam juravit patribus tuis:

13. Et diliget te, ac multiplicabit, benedicetque fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo, atque vindemiæ, oleo, & armentis, gregibus ovium tuarum super Terram, pro qua juravit patribus tuis, ut daret eam tibi.

14. Benedictus eris inter omnes populos. * Non erit apud te sterilis utriusque sexus (*d*), tam in hominibus quam in gregibus tuis.

* Exod. 23. 26.

15. Auferet Dominus a te omnem languorem: & infirmitates Ægypti pessimas, quas novisti, non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis.

16. Devorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus, nec servies diis eorum, ne sint in ruinam tui.

17. Si dixeris in corde tuo: Plures sunt gentes illæ quam ego, quomodo potero delere eas?

18. Noli metuere, sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni, & cunctis Ægyptiis,

19. Plagas maximas, quas viderunt oculi tui, & signa atque portenta, manumque robustam, & extentum brachium, ut educeret te Dominus Deus tuus: sic faciet cunctis populis, quos metuis.

20. * Insuper & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes atque disperdat, qui te fugerint, & latere potuerint.

* Exod. 23. 28 Jos. 24 12.

21. Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus & terribilis:

22. Ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim (*e*) atque per partes. Non poteris eas delere pariter: ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ.

23. Dabitque eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: & interficiet illos donec penitus deleantur.

24. Tradetque reges eorum in manus tuas, & disperdes nomina eorum sub cælo (*f*): nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos.

25. * Sculptilia eorum igne combures: non concupisces argentum & aurum, de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas, propterea quia abominatio est Domini Dei tui.

* 2 Mac. 12. 40.

26. Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut & illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, & velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, quia anathema est.

CAPUT VIII.

Beneficia a Deo in deserto collata in populum, & pœnæ transgressoribus inflicta referuntur, ut ad legis custodiam acrius excitentur.

1. OMne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, cave diligenter ut facias: ut possitis vivere (*a*), & multiplicemini, ingressique possideatis Terram, pro qua juravit Dominus patribus vestris.

2. Et

CAP. VII. 1. (*a*) Septem tantummodo nationes recenset hoc in loco, cum Genes. 15. numeraverit decem: adeo ut tres jam ante deletæ fuerint, aut cum aliis permistæ. Jubet Deus eas deleri Gentes, quod mensuram criminum implessent, neve Israelitas exemplo suo perverterent.

2. (*b*) Ita ut in eadem terra habitent tecum.

10. (*c*) Loquitur de populo suo, non de infidelibus: præsertim cum punitio non est ad interitum, sed ad correptionem; vel ad interitum pastorum qui gravius delinquerunt, ut cæteri a peccato deterreantur. Pro *statim*, Hebr. *ad faciem suam*, id est, certo & indubitate. Atque ut Deus interdum expectet, ætas integra hominis coram Deo est instar momenti.

14. (*d*) Hæc verba non præceptum continent, sed ad benedictionem pertinent.

22. (*e*) Poterat Deus Gentes illas subito delere: sed Israelitæ sibi tribuissent, & superbiæ occasionem hinc cepissent.

24. & 25. (*f*) Delebis memoriam eorum. *Anathema:* Succisio, dignus qui succidatur.

CAP. VIII. 5. (*a*) Status quietus vita dicitur. Proverb. 23 *anni vitæ*, pro annis bonis usurpantur.

2. Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te, atque tentaret (*b*), & nota fierent quæ in tuo animo versabantur, utrum custodires mandata illius, an non.

3. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum Manna, quod ignorabas tu & patres tui: ut ostenderet tibi quod non * in solo pane vivat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.

* Matth. 4. 4. Luc. 4. 4.

4. Vestimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus (*c*), en quadragesimus annus est,

5. Ut recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudivit te,

6. Ut custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis ejus, & timeas eum.

7. Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram rivorum aquarumque & fontium: in cujus campis & montibus erumpunt fluviorum abyssi:

8. Terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, & malogranata, & oliveta nascuntur: terram olei ac mellis (*d*).

9. Ubi absque ulla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris: cujus lapides ferrum sunt (*e*), & de montibus ejus æris metalla fodiuntur:

10. Ut cum comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo (*f*) pro terra optima, quam dedit tibi.

11. Observa, & cave ne quando obliviscaris Domini Dei tui, & negligas mandata ejus atque judicia & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie:

12. Ne postquam comederis & satiatus fueris, domos pulcras ædificaveris, & habitaveris in eis.

13. Habuerisque armenta boum, & ovium greges, argenti & auri, cunctarumque rerum copiam,

14. Elevetur cor tuum (*g*), & non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de Terra Ægypti, de domo servitutis:

15. Et ductor tuus fuit in solitudine magna atque terribili, * in qua erat serpens flatu adurens (*h*), & scorpio ac dipsas, & nullæ omnino aquæ: * qui eduxit rivos de petra durissima,

* Num. 10. 5. & 21. 6. * Exod. 17. 6.

16. * Et cibavit te Manna in solitudine, quod nescierunt patres tui. Et postquam afflixit ac probavit, ad extremum misertus est tui,

* Exod. 16. 15.

17. Ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea, & robur manus meæ, hæc mihi omnia præliterunt.

18. Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit, ut impleret pactum suum, super quo juravit patribus tuis, sicut præsens indicat dies.

19. Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos, colueris que illos & adoraveris: ecce nunc prædico tibi quod omnino dispereas.

20. Sicut Gentes, quas delevit Dominus in introitu tuo, ita & vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.

CAPUT IX.

Moses in memoriam revocat vituli aurei adorationem, murmura & alia in deserto admissa delicta, ut deinceps melius sapiant.

1. Audi Israel: Tu transgredieris hodie (*a*) Jordanem, ut possideas nationes maximas & fortiores te, civitates ingentes, & ad cælum usque muratas,

2. Populum magnum atque sublimem, filios Enacim, quos ipse vidisti, & audisti, quibus nullus potest ex adverso resistere.

3. Scies ergo hodie quod Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis devorans atque consumens, qui conterat eos & deleat atque disperdat ante faciem tuam velociter, sicut locutus est tibi.

4. Ne dicas in corde tuo, cum deleverit eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: Propter justitiam meam introduxit me Dominus ut terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes.

5. Neque enim propter justitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris ut possideas terram earum: sed quia illæ egerunt impie, introeunte te deletæ sunt: & ut compleret verbum suum Dominus, quod sub juramento pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac, & Jacob.

6. Scito ergo quod non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimæ cervicis sis populus.

7. Memento, & ne obliviscaris quomodo ad iracundiam provocaveris Dominum Deum tuum in solitudine. Ex eo die, quo egressus es ex Ægypto usque ad locum istum, semper adversum Dominum contendisti.

8. * Nam & in Horeb provocasti eum, & iratus delere (*b*) te voluit,

* Exod. 17. 6. & 19. 1. & 31. 18. & 32. 15.

9. Quando ascendi in montem, ut acciperem tabulas lapideas, tabulas pacti quod pepigit vobiscum Dominus: & perseveravi in monte quadraginta diebus ac noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens.

10. * Deditque mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, & continentes omnia verba quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quando concio populi congregata est.

* Exod. 31. 18.

11. Cum-

2. (*b*) Figurata est locutio, nam per notitiam intelligitur rei jam notæ, sed latentis, manifestatio. Deus scire & expertus dicitur, quando latens animi affectio per facta se prodit.

4. (*c*) Forte pes pro calceo lumitur.

8. (*d*) Quidam interpretantur mel dactylorum, quod Arabes absolute mel vocant: negant enim voce Hebræa mel apum exprimi.

9. (*e*) Ferro & cupro abundat.

10. (*f*) Hinc mos cibos benedicendi, & gratias agendi.

14. (*g*) Hieron. in cap. 16. Ezech. *Superbia, saturitas panis, rerum omnium abundantia, otium & deliciæ peccatum Sodomiticum est, & propter hoc sequitur Dei oblivio.*

15. (*h*) Vox *Flatu*, in Hebræo deest. Serpentes alii afflatu, alii morsu aduere perhibentur, quos *dipsadas* vocant, qui sitim concitant: διψὰς Græce, Hebr. *Tsimaon* צמאון Hebræi locum aridum interpretantur sine aqua, *dipsadem* serpentem urentem. *Dipsas* a διψᾶν, quod est sitire: quod ab eo serpente icti magno sitis ardore crucientur.

CAP. IX.

1. (*a*) Jordanem transmittes intra paucos dies.

8. (*b*) Voluntate præparationis, uti vers. 20 de Aarone: *Et voluit eum conterere*. Hoc in Exodo non habetur: neque in Scripturis omnia suis locis narrantur; sic quæ Apostolus Hebr. 12. refert, *Exterritus sum, & tremebundus*, in Exodo non habentur.

11. Cumque transissent quadraginta dies, & totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis,

* Exod 32. 7. 12. Dixitque mihi: * Surge, & descende hinc cito: quia populus tuus, quem eduxisti de Ægypto, deseruerunt velociter viam, quam demonstrasti eis, feceruntque sibi conflatile.

13. Rursumque ait Dominus ad me: Cerno quod populus iste duræ cervicis sit:

14. Dimitte me ut conteram eum, & deleam nomen ejus de sub cælo, & constituam te super Gentem, quæ hac major & fortior sit.

15. Cumque de monte ardente descenderem, & duas tabulas fœderis utraque tenerem manu,

16. Vidissemque vos peccasse Domino Deo vestro, & fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam ejus, quam vobis ostenderat:

17. Projeci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro.

18. Et procidi ante Dominum sicut prius, quadraginta diebus & noctibus panem non comedens, & aquam non bibens, propter omnia peccata vestra quæ gessistis contra Dominum, & eum ad iracundiam provocastis:

19. Timui enim indignationem & iram illius, qua adversum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudivit me Dominus etiam hac vice.

20. Adversum Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere, & pro illo similiter deprecatus sum.

21. Peccatum autem vestrum quod feceratis, id est vitulum, arripiens, igne combussi, & in frusta comminuens, omninoque in pulverem redigens, projeci in torrentem, qui de monte descendit.

* Num. 11. 1. & 16. 2. & 21. 5. 22. * In incendio quoque & in tentatione (c), & in Sepulcris concupiscentiæ provocastis Dominum:

23. Et quando misit vos de Cadesbarne, dicens: Ascendite, & possidete Terram, quam dedi vobis, & contempsistis imperium Domini Dei vestri, & non credidistis ei, neque vocem ejus audire voluistis:

24. Sed semper fuistis rebelles a die qua nosse vos cœpi.

25. Et jacui coram Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos ut fuerat comminatus:

26. Et orans dixi: Domine Deus, ne disperdas populum tuum, & hæreditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti.

27. Recordare servorum tuorum, Abraham, Isaac, & Jacob: ne aspicias duritiam populi hujus, & impietatem atque peccatum:

28. Ne forte dicant habitatores terræ, de qua eduxisti nos: Non poterat Dominus introducere eos in Terram, quam pollicitus est eis, & oderat illos: idcirco eduxit, ut interficeret eos in solitudine.

29. Qui sunt populus tuus & hæreditas tua, quos eduxisti in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento.

CAPUT X.

Ut prioribus tabulis confractis secundæ fuerint instauratæ; renovatum fœdus Moses refert, & præcepta morum iis tradit.

1. IN * tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, & ascende ad me in montem, faciesque arcam ligneam (a), * Exod 34. 1.

2. Et scribam in tabulis verba quæ fuerunt in his, quas ante confregisti, ponesque eas in arca.

3. Feci igitur arcam de lignis Settim. Cumque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem, habens eas in manibus.

4. Scripsitque in tabulis juxta id, quod prius scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est: & dedit eas mihi.

5. Reversusque de monte, descendi, & posui tabulas in arcam, quam feceram, quæ hucusque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus.

6. * Filii autem Israel moverunt castra (b) ex Beroth filiorum Jacan in Mosera, ubi * Aaron mortuus ac sepultus est, pro quo, sacerdotio functus est Eleazar filius ejus. * Num. 33. 31. Num. 20. 28. & 29

7. Inde venerunt in Gadgad: de quo loco profecti, castrametati sunt in Jetebatha, in Terra aquarum atque torrentium.

8. Eo tempore separavit tribum Levi, ut portaret arcam fœderis Domini, & staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius usque in præsentem diem.

9. Quam ob rem non habuit Levi partem, neque possessionem cum fratribus suis: quia ipse Dominus possessio ejus est, sicut promisit ei Dominus Deus tuus.

10. Ego

22. & 23. (c) Cum aquam peterent. *Diebus*: An tertiam exegerit quadragesimam, cum impetrata pro populo venia reversus est in montem cum duabus tabulis lapideis, ubi Decalogus iterum digito Dei fuit incisus, an duæ tantum fuerint quadragesimæ, a multis dubitatur.

CAP. X. 1. (a) Arca fuit constructa a Mose post acceptas a Deo duas tabulas Legis, Exod. 34. Sed ante jusserat Deus ut Arca construeretur. Exod. 25. *Et scribam in tabulis verba*. August. quæst. 15. *Cum ergo in Exodo ipse Moses in tabulis decem Legis verba scripsisse narretur, quomodo hic in Deuteronomio Deus in tabulis eadem verba scripsisse recolitur? . . . . Ibi ergo & tabulæ opus Dei erant, & scriptura earum digito Dei facta; secundas tabulas ipse Moses jubetur excidere ut ipsæ certo opere humano intelligantur excisæ: quamvis Deus eas ipse scripserit, sicut promisit, cum juberet excidi. Porro autem si diligentior attendatur, ideo utrumque dictum est in secundis tabulis, quia & Deus facit per gratiam suam opus Legis in homine, & homo per fidem suam suscipiens gratiam Dei, pertinens ad Testamentum Novum, cooperator est adjutoris Dei*. Priores tabulæ Vetus. Novæ Testamentum Novum significant, ut identidem observat Augustinus.

6 (b) Occasione tabularum Legis & Arcæ: quæ sequuntur usque ad vers. 10. per parenthesim inseruntur. *Ex Beroth in Mosera, ubi Aaron mortuus est*. Hor & Mosera idem est mons, aut Hor, in quo sepultus est Aaron, mons est pars una regionis Mosera, seu Moseroth, ut vocatur Num. 33. Sic Beroth filiorum Jacan idem est locus, qui Bene Jacan, alibi nominatur. Atque illud satis est verisimile quod conjicit Bonfrerius, filios Israel semel ex Moseroth in Bene Jacan ivisse, atque hinc rursus venisse in Moseroth. *Venerunt*, pro venerant, & castrametati fuerant, positum est. Nam Hebræi carent præterito plusquam perfecto. In monte Hor obiit Aaron: locus vicinus, ubi castra posita sunt, dictus est Moser. Quod vers. 8. de separatione Levitiæ tribus, non de antiqua separatione, sed de quadam recenti quæ contigerat, quæque occasio fuit firmandæ hujus separationis, dictum fuit: aut certe Moses seriem prioris narrationis resumit, postquam per parenthesim, aut digressionem locutus est de multiplici castrametatione.

10. Ego autem steti in monte, sicut prius, quadraginta diebus (c) ac noctibus: exaudivitque me Dominus etiam hac vice, & te perdere noluit.

11. Dixitque mihi: Vade, & præcede populum, ut ingrediatur, & possideat Terram, quam juravi patribus eorum ut traderem eis.

12. Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ac servias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua:

13. Custodiasque mandata Domini, & cæremonias ejus, quas ego hodie præcipio tibi, ut bene sit tibi?

14. En Domini Dei tui cælum est, & cælum cæli, terra, & omnia quæ in ea sunt:

15. Et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amavit eos, elegitque semen eorum post eos, id est vos, de cunctis Gentibus: sicut hodie comprobatur.

16. Circumcidite igitur præputium cordis vestri (d), & cervicem vestram ne induretis amplius:

17. Quia Dominus Deus vester, ipse est Deus
deorum, & Dominus dominantium, Deus ma-
* 2. Par. 19. gnus & potens, & terribilis, qui * personam
7. non accipit, nec munera.
Job 34. 19. Sap. 6. 8. 18. Facit judicium pupillo & viduæ, amat
Eccli. 35. peregrinum, & dat ei victum atque vestitum.
15. Act. 10. 34. 19. Et vos ergo amate peregrinos, quia &
Rom. 2. 11. ipsi fuistis advenæ in Terra Ægypti.
Gal. 2. 6. 20. * Dominum Deum tuum timebis, & ei
* Sup. 6. 13. Matth. 4. soli servies: ipsi adhærebis, jurabisque in no-
10. mine illius.
Luc. 4. 8. 21. Ipse est laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia & terribilia, quæ viderunt oculi tui.
* Gen. 46. 22. * In septuaginta animabus descenderunt
27. patres tui in Ægyptum: & ecce nunc multipli-
Exod. 1. 5. cavit te Dominus Deus tuus sicut astra cæli.

CAPUT XI.

Quæ bona eos maneant si præcepta Dei custodiant, quæ mala si eadem perrumpant, populum docet Moses; illis benedictio certa est, his maledictio.

1. AMa itaque Dominum Deum tuum, & observa præcepta ejus & cæremonias, judicia atque mandata, omni tempore.

2. Cognoscite hodie (a) quæ ignorant filii vestri, qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri, magnalia ejus & robustam manum, extentumque brachium,

3. Signa & opera quæ fecit in medio Ægypti Pharaoni regi, & universæ terræ ejus,

4. Omnique exercitui Ægyptiorum, & equis ac curribus: quomodo operuerint eos aquæ maris Rubri, cum vos persequerentur, & deleverit eos Dominus usque in præsentem diem:

5. Vobisque quæ fecerit in solitudine donec veniretis ad hunc locum:

6. Et * Dathan atque Abiron filiis Eliab, * Num. 16. 1.
qui fuit filius Ruben: quos * aperto ore suo * Num. 16.
terra absorbuit cum domibus & tabernaculis, 31.
& universa substantia eorum, quam habebant in medio Israel.

7. Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit,

8. Ut custodiatis universa mandata illius, quæ ego hodie præcipio vobis, & possitis introire, & possidere Terram, ad quam ingredimini,

9. Multoque in ea vivatis tempore: quam sub juramento pollicitus est Dominus patribus vestris, & semini eorum, lacte & melle manantem.

10. Terra enim, ad quam ingrederis possidendam, non est sicut Terra Ægypti, de qua existi, ubi jacto semine in hortorum morem (b) aquæ ducuntur irriguæ:

11. Sed montuosa est & campestris, de cælo expectans pluvias.

12. Quam Dominus Deus tuus semper invisit, & oculi illius in ea sunt a principio anni usque ad finem ejus.

13. * Si ergo obedieritis mandatis meis, * Sup. 10.
quæ ego hodie præcipio vobis, ut diligatis Do- 12.
minum Deum vestrum, & serviatis ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra:

14. Dabit pluviam terræ vestræ temporaneam & serotinam (c), ut colligatis frumentum, & vinum, & oleum,

15. Fœnumque ex agris ad pascenda jumenta, & ut ipsi comedatis ac saturemini.

16. Cavete ne forte decipiatur cor vestrum, & recedatis a Domino, serviatisque diis alienis, & adoretis eos:

17. Iratusque Dominus claudat cælum, & pluviæ non descendant, nec terra det germen suum, pereatisque velociter de Terra optima, quam Dominus daturus est vobis.

18. * Ponite hæc verba mea in cordibus & * Sup. 6. 6.
in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus (d), & inter oculos vestros collocate.

19. Do-

10. (c) Non ter, sed bis Moses fuit in monte, licet tertio hac de re loquatur: sed de secunda vice hoc loco agit, de qua superiori capite, v. 18. adeo ut hic versus recto ordine ante initium capitis ponendus videatur, si que hysteron proteron.

16. (d) Sept. Interpret. *τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν*, duritiam cordis, noxia quæque & impia desideria. Moses non ut Veteris Legis Legislator, sed ut Prædicator Evangelicus videtur loqui. Nam verba ejus solent esse veritatis figuræ, ut circumcisio carnis, quæ Lege præcipitur, erat figura circumcisionis cordis, quam in Evangelio Christus præcipit.

CAP. XI. 2. (a) Considerate. *Qui non viderunt disciplinam*, qua Dominus vos erudivit: non viderant eorum filii nati in deserto prodigia quæ Dominus in Ægypto fecerat.

10 & 11. (b) Terram promissam cum Ægypto sic comparat, ut illam præferat, non ob fertilitatem, sed quia magnis laboribus in Ægypto, ex Nilo aquæ per sulcos ducebantur irriguæ, in terra Chanaan pluvia de cælo terram irrigabat: unde admonetur homo, ut de cælo semper expectet auxilium, cujus tet facile oblivisceretur, si propria industria terram irrigaret. *Invisit*, intentus ad benefaciendum.

14. (c) Primam ut terra germinet, posteriorem ut maturescat; illam autumni, hanc veris tempore largietur, & per intervalla cum opus fuerit. In sensu allegorico pluvia temporanea in Veteri Lege, serotina in Mysterio incarnationis effusa. *Quod Incarnationis Mysterium quia annuntiare non desinit, ora cordis audientium velut ex imbre serotino infundit*, Gregorius Lib. 20. Moral cap. 2. Vel cum Hieronymo, *Temporaneam pluviam excipimus cum fide, serotinam, ubi in horrea æterna, tanquam Christi frumentum post messem reponemur. Qui temporaneas pluvias non receperunt, & absque pluviis fecere sementem, fructus in ultimo tempore non recipient.* Hæc Hieronymus in cap. 6. Osee.

18. (d) Non aliud significat, quam ubique & semper præ oculis habenda esse Dei præcepta. hæc enim ad litteram tum fecisse Israelitas non legimus, sed sermo est parabolicus, ut ex rebus corporeis spirituales intelligantur. Ligat in manibus, qui in omni opere studet mandata Dei exequi: habet præ oculis mentis, scribit in limine & postibus, qui ingrediens domum & exiens, mandata Dei cogitatione revolvit.

19. Docete filios vestros ut illa meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris atque surrexeris.

20. Scribes ea super postes & januas domus tuæ:

21. Ut multiplicentur dies tui, & filiorum tuorum in Terra, quam juravit Dominus patribus tuis, ut daret eis, quamdiu cælum imminet terræ (e).

22. Si enim custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea, ut diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus viis ejus, adhærentes ei,

23. Disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciem vestram, & possidebitis eas, quæ majores & fortiores vobis sunt.

*Jos. 1. 3. 24. * Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit. A deserto, & a Libano, a flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri.

25. Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum & formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis.

26. En propono in conspectu vestro hodie benedictionem & maledictionem:

27. Benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ ego hodie præcipio vobis:

28. Maledictionem, si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis, & ambulaveritis post deos alienos, quos ignoratis.

29. Cum vero introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram, ad quam pergis habitandam, pones benedictionem super montem Garizim, maledictionem super montem Hebal:

30. Qui sunt trans Jordanem, post viam quæ vergit ad solis occubitum in Terra Chananæi, qui habitat in campestribus contra Galgalam, quæ est juxta vallem tendentem & intrantem procul.

31. Vos enim transibitis Jordanem, ut possideatis Terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut habeatis & possideatis illam.

32. Videte ergo ut impleatis cæremonias atque judicia, quæ ego hodie ponam in conspectu vestro.

CAPUT XII.

Non in montibus, aut lucis, sed in eo quem Dominus elegerit loco sacrificia sunt offerenda: a sanguine & cibis immundis penitus abstinendum.

1. HÆc sunt præcepta atque judicia, quæ facere debetis in Terra, quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi, ut possideas eam cunctis diebus, quibus super humum gradieris.

2. Subvertite omnia loca (a), in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum.

3. * Dissipate aras eorum, & confringite statuas, lucos igne comburite, & idola comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis. *Sup. 7. 5. 1. Mach. 11. 40.

4. Non facietis ita Domino Deo vestro (b):

5. Sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis:

6. Et offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum, & vota atque donaria, primogenita boum & ovium.

7. Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri: ac lætabimini in cunctis, ad quæ miseritis manum vos & domus vestræ: in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester.

8. Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie (c), singuli quod sibi rectum videtur.

9. Neque enim usque in præsens tempus venistis ad requiem, & possessionem, quam Dominus Deus vester daturus est vobis.

10. Transibitis Jordanem, & habitabitis in Terra, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, ut requiescatis a cunctis hostibus per circuitum: & absque ullo timore habitetis

11. In loco (d) quem elegerit Dominus Deus vester, ut sit nomen ejus in eo: illuc omnia, quæ præcipio, conferetis, holocausta, & hostias, ac decimas, & primitias manuum vestrarum: & quidquid præcipuum est in muneribus, quæ vovebitis Domino.

12. Ibi epulabimini coram Domino (e) Deo vestro, vos & filii ac filiæ vestræ, famuli & famulæ, atque Levites qui in urbibus vestris commoratur: neque enim habet aliam partem & possessionem inter vos.

13. Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris:

14. Sed in eo, quem elegerit Dominus, in una tribuum tuarum offeres hostias, & facies quæcumque præcipio tibi.

15. Sin

21. (e) Quæ promissio fuit ex conditione suspensa: sed hi pactum violarunt.

CAP. XII. 2. (a) Ne populus incitaretur ad similem cultum, neve deorum multitudinem coleret, vetat ne in diversis locis Deum verum adorarent, sed ut in eumdem convenirent locum

4 & 5. (b) Ut sub omni arbore Deum colatis. Arcam fœderis, ex qua invocantes audiebat, & responsa dabat.

8 (c) Quia tunc non poterant omnia quæ præscripta erant, exacte servari, præsertim quoad locum, nam loquitur de sacrificiis, quæ in multis locis offerebant, quod nulla in deserto esset fixa & stabilis sedes.

11. (d) Hæc jungenda sunt versiculo præcedenti, Habitabis in loco: vel ex Hebr. & LXX In loco, est initium periodi. Et erit locus quem elegerit Dominus Deus vester, &c. Illuc conferetis omnia . . . . primitias manuum vestrarum. Aquila, Symmachus, Theodotio vocem Hebræam Terumot, תרומות, quam Hieronym. primitias, vertunt ἀπαρχὰς oblationes spontaneas, ac decimas. Quidam interpretantur de decimis decimarum, quæ summo Sacerdoti dabantur.

12. (e) In Tabernaculo, aut Templo, aut in urbe, ubi erit Tabernaculum.

15. Sin autem comedere volueris, & te esus carnium delectaverit, occide, & comede juxta benedictionem Domini Dei tui, quam dedit tibi in urbibus tuis: sive immundum fuerit (*f*), hoc est, maculatum & debile: sive mundum, hoc est, integrum & sine macula, quod offerri licet, sicut capream & cervum, comedes,

16. Absque esu dumtaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes.

17. Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti (*g*) & vini, & olei tui, primogenita armentorum & pecorum, & omnia quæ voveris, & sponte offerre volueris, & primitias manuum tuarum:

18. Sed coram Domino Deo tuo comedes ea, in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, tu & filius tuus & filia tua, & servus & famula, atque Levites qui manet in urbibus tuis: & lætaberis & reficieris coram Domino Deo tuo in cunctis, ad quæ extenderis manum tuam.

19. Cave ne derelinquas Leviten in omni tempore quo versaris in terra.

* Gen. 28. 14. Exod. 34. 24. Isa. 19. 8. 20. * Quando dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut locutus est tibi, & volueris vesci carnibus, quas desiderat anima tua (*h*):

21. Locus autem, quem elegerit Dominus Deus tuus ut sit nomen ejus ibi, si procul fuerit, occides de armentis & pecoribus, quæ habueris, sicut præcepi tibi, & comedes in oppidis tuis, ut tibi placet.

22. Sicut comeditur caprea & cervus, ita vesceris eis: & mundus & immundus in commune vescentur.

23. Hoc solum cave, ne sanguinem comedas: sanguis enim eorum pro anima est: & idcirco non debes animam comedere cum carnibus:

24. Sed super terram fundes quasi aquam,

25. Ut bene sit tibi & filiis tuis post te, cum feceris quod placet in conspectu Domini.

26. Quæ autem sanctificaveris, & voveris Domino, tolles, & venies ad locum, quem elegerit Dominus:

27. Et offeres oblationes tuas carnem & sanguinem super altare Domini Dei tui, sanguinem hostiarum fundes in altari: carnibus autem ipse vesceris.

28. Observa & audi omnia quæ ego præcipio tibi, ut bene sit tibi & filiis tuis post te in sempiternum, cum feceris quod bonum est & placitum in conspectu Domini Dei tui.

* Infr. 19. 1. 29. * Quando disperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris possidendas, & possederis eas, atque habitaveris in terra earum:

30. Cave ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subversæ, & requiras ceremonias earum, dicens: Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita & ego colam.

31. Non facies similiter Domino Deo tuo (*i*). Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios & filias, & comburentes igni.

32. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam (*k*), nec minuas.

CAPUT XIII.

Quisquis cultum deorum alienorum suaserit, licet amicus sit, aut tibi sanguine conjunctus, is lapidibus est obruendus: urbs etiam quæ alienum colit Deum, omnino delenda.

1. SI surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum,

2. Et evenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur deos alienos quos ignoras, & serviamus eis:

3. Non audies verba prophetæ illius aut somniatoris: quia tentat vos Dominus (*a*) Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.

4. Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, & mandata illius custodite, & audite vocem ejus: ipsi servietis, & ipsi adhærebitis.

5. Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur (*b*): quia locutus est ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de Terra Ægypti, & redemit vos de domo servitutis: ut errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus: & auferes malum de medio tui.

6. Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus vel filia, sive uxor, quæ est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens: Eamus, & serviamus diis alienis, quos ignoras tu, & patres tui,

7. Cunctarum in circuitu gentium, quæ juxta, vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ,

8. Non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus ut miserearis & occultes eum,

9. Sed statim interficies (*c*): * sit primum manus tua super eum, & postea omnis populus mittat manum. * Inf. 17. 7.

10. Lapidibus obrutus necabitur: quia voluit te abstrahere a Domino Deo tuo, qui eduxit te de Terra Ægypti, de domo servitutis:

11. Ut

15. (*f*) Habita ratione sacrificiorum.

17. (*g*) Hæc enim Deus ut propria sibi reservavit: nullam in eis partem habebant nisi in loco, ubi sacrificia offerebantur, cum iis dabatur.

20. (*h*) Hebr. clarius: *In omni desiderio animæ tuæ comedes carnes*. Sobrie quidem & modeste.

31. (*i*) Duo prohibet, cultum idolorum, & usum cæremoniarum Ethnicarum.

32. (*k*) In cultu Dei, non absolute, aut generatim. Cum objicerent Manichæi multa Legi a Christo addita fuisse, respondet Augustin. Lib. 17. contra Faustum, cap. 2. Christum Legem ipsam implevisse per caritatem, quæ est plenitudo legis; nam per caritatem solam Lex impletur, ut veritas per eum est revelata, qua Prophetiæ implentur. Gratia, inquit, *pertinet ad caritatis plenitudinem, veritas ad Prophetiarum impletionem. Et quia utrumque per Christum, ideo non venit solvere legem, aut Prophetas, sed adimplere, non ut Legi adderentur quæ deerant, sed ut fierent quæ scripta erant.* Idque fuse demonstrat Lib. 19. cap. 9. & 10.

CAP. XIII. 3. (*a*) Gregor. Lib. 28. cap. 5. *Tentare quippe Dei, est magnis nos jussionibus interrogare, & nostram obedientiam nosse nos facere.*

5. (*b*) Supplicii justa caussa additur: *Quia locutus est, ut vos averteret.*

9. (*c*) Publice accusatum & convictum, non privata auctoritate: nam mox additur: *Sit primum manus tua super illum, & postea omnis populus mittat manum.*

11. Ut omnis Israel audiens timeat, & nequaquam ultra faciat quippiam hujus rei simile.

12. Si audieris (*d*) in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos:

13. Egressi sunt filii Belial de medio tui, & averterunt habitatores urbis suæ, atque dixerunt: Eamus, & serviamus diis alienis quos ignoratis:

14. Quære sollicite & diligenter, rei veritate perspecta, si inveneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam,

15. Statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii, & delebis eam, ac omnia quæ in illa sunt, usque ad pecora.

16. Quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus, & cum ipsa civitate succendes, ita ut universa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus: non ædificabitur amplius,

17. Et non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua: ut avertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tui, multipliceque te sicut juravit patribus tuis,

18. Quando audieris vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.

CAPUT XIV.

Quæ Levitici capite 11. lex sancitur de mundis & immundis animalibus, hoc loco renovatur; de primis, secundis, & tertiis decimis statuitur.

1. Filii estote Domini Dei vestri (*a*): non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo:

* Sap. 7. 6. Infr. 26. 18. 2. * Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo: & te elegit ut sis ei in populum peculiarem, de cunctis gentibus quæ sunt super terram.

* Levit. 11. 4. 3. * Ne comedatis quæ immunda sunt.

4. Hoc est animal, quod comedere debetis, bovem, & ovem, & capram,

5. Cervum & capream (*b*), bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum.

6. Omne animal, quod in duas partes findit ungulam, & ruminat, comedetis.

7. De his autem quæ ruminant, & ungulam non findunt, comedere non debetis, ut camelum, leporem, chœrogryllum: hæc quia ruminant, & non dividunt ungulam, immunda erunt vobis.

8. Sus quoque quoniam dividit ungulam, & non ruminat, immunda erit: carnibus eorum non vescemini, & cadavera non tangetis.

9. Hæc comedetis ex omnibus quæ morantur in aquis: Quæ habent pinnulas & squamas, comedite:

10. Quæ absque pinnulis & squamis sunt, ne comedatis, quia immunda sunt.

11. Omnes aves mundas comedite.

12. Immundas ne comedatis: aquilam scilicet, & gryphem, & haliæetum,

13. Ixion (*c*), & vulturem, ac milvum juxta genus suum:

14. Et omne corvini generis,

15. Et struthionem, ac noctuam, & larum, atque accipitrem juxta genus suum:

16. Herodium ac cygnum, & ibin,

17. Ac mergulum, porphyrionem, & nycticoracem,

18. Onocrotalum (*d*), & charadrium, singula in genere suo: upupam quoque & vespertilionem.

19. Et omne quod reptat & pennulas habet, immundum erit, & non comedetur.

20. Omne quod mundum est, comedite.

21. Quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei: quia tu populus sanctus Domini Dei tui es. * Non * Exod. 23. 19. & 34. 26.
coques hædum in lacte matris suæ.

22. Decimam partem separabis de cunctis frugibus tuis (*e*) qui nascuntur in terra per annos singulos,

23. Et comedes in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit, ut in eo nomen illius invocetur, decimam frumenti tui, & vini & olei, & primogenita de armentis & ovibus tuis: ut discas timere Dominum Deum tuum omni tempore.

24. Cum autem longior fuerit via, & locus quem elegerit Dominus Deus tuus, tibique benedixerit, nec potueris ad eum hæc cuncta portare,

25. Vendes omnia, & in pretium rediges, portabisque manu tua, & proficisceris ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus:

26. Et emes ex eadem pecunia quidquid tibi placuerit, sive ex armentis, sive ex ovibus, vinum quoque & siceram, & omne quod desiderat anima tua: & comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu & domus tua:

27. Et Levites qui intra portas tuas est, cave ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua.

28. Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore, & sepones intra januas tuas.

29. Ve-

12. (*d*) Id quidem spectat ad solos Magistratus.

CAP. XIV. 1. (*a*) Hebr. *Banim attem ladonai*. בנים אתם ליהוה. *Filii estis Dei*, vel *Deo*. Non ergo similitudines alieni cultus in[illegible]. cujusmodi est incisio, aut calvitium in morte propinquorum.

5. (*b*) Sylvestrem: *bubalum*, bovem itidem sylvestrem: *tragelaphum*, hircum facie, cervum magnitudine, *pygargum*, &c. pleræque voces Hebraicæ sunt ignotæ: neque de his magnopere laborandum est.

13. (*c*) Genus quoddam vulturis, sed albi.

18. (*d*) Avem cygno similem esse volunt.

22. (*e*) Quæritur quomodo id fieri posset, cum decimæ darentur Levitis. Resp. Estius, Judæos munus aliquod secum deferre Jerosolymam cum decimis, aut primitiis, ne apparerent vacui in conspectu Domini: unde offerre solebant hostiam pacificam, de qua illud intelligendum. *Comedes in conspectu Domini Dei tui*. Mariana ex quodam Hebræo hunc locum aliter exponit. Duæ erant decimæ, prima dabatur Levitis, secunda de reliquis fructibus sumebatur, ut in itinere, cum ascenderent in Templum, vel in sacrificiis consumeretur: tertia erat decima pauperum singulis tribus annis, de qua v. 28. *Et separabis aliam decimam*. August. quæst. 20 *Satis ostendit extra esse illam, quam voluit eum ipsum qui offert, manducare cum suis & Levitis in eo loco, quem Dominus elegisset. Hanc enim, & aliam decimam intra januas suas eum ponere præcepit, non ad eum locum eam deferre, ubi Dominus se voluit invocari.*

29. Venietque Levites (*f*) qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, & peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent & saturabuntur: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.

CAPUT XV.

De anno septimo, seu remissionis: de primogenitis animalium Deo offerendis leges iterantur.

1. SEptimo anno facies remissionem (*a*),
2. Quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit, quia annus remissionis est Domini.
3. A peregrino & advena exiges: civem & propinquum repetendi non habebis potestatem.
4. Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos (*b*): ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in possessionem.
5. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris universa quæ jussit, & quæ ego hodie præcipio tibi, benedicet tibi, ut pollicitus est.
6. Fœnerabis gentibus multis (*c*), & ipse a nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis, & tui nemo dominabitur.
7. Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum,
* Matth. 5. 42. Luc. 6. 34. 8. Sed aperies eam pauperi, * & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris.
9. Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio (*d*), & dicas in corde tuo: Appropinquat septimus annus remissionis: & avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.
10. Sed dabis ei: nec ages quippiam callide in ejus necessitatibus sublevandis: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miseris.
* Matth. 26. 11. 11. * Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra.
* Exod. 21. 2. Jer. 34. 14. 12. * Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & sex annis servierit (*e*) tibi, in septimo anno dimittes eum liberum:
13. Et quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris:
14. Sed dabis viaticum de gregibus, & de area, & torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi.
15. Memento quod & ipse servieris in Terra Ægypti, & liberaverit te Dominus Deus tuus, & idcirco ego nunc præcipio tibi.
16. Sin autem dixerit: Nolo egredi: eo quod diligat te, & domum tuam, & bene sibi apud te esse sentiat:
17. Assumes subulam, & perforabis aurem ejus in janua domus tuæ, & serviet tibi usque in æternum: ancillæ quoque similiter facies (*f*).
18. Non avertas ab eis oculos tuos, quando dimiseris eos liberos: quoniam juxta mercedem mercenarii per sex annos servivit tibi: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus quæ agis.
19. De primogenitis, quæ nascuntur in armentis, & in ovibus tuis, quidquid est sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bovis (*g*), & non tondebis primogenita ovium.
20. In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos, in loco quem elegerit Dominus, tu & domus (*h*) tua.
21. * Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliqua parte deforme vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo. * Lev. 22. 20. & 21. Eccli. 35. 14.
22. Sed intra portas urbis tuæ comedes illud: tam mundus quam immundus similiter vescentur eis, quasi caprea, & cervo.
23. Hoc solum observabis, ut sanguinem eorum non comedas, sed effundes in terram quasi aquam.

CAPUT XVI.

De festis Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum; item de constituendis per urbes singulas judicibus statuitur.

1. OBserva mensem novarum frugum, & verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.

2. Im-

29. (*f*) Augustin. *Hinc certè manifeste verum est non istam decimam Deum fieri voluisse communem ei qui offert, & his quibus impendenda est: sed illis solis erogare eam jussit, qui aliud non haberent, in quibus præcipue Levitem posuit.*

CAP. XV. 1. (*a*) Illud saltem non licebat, debita exigere. Quod si debitor solvendo non esset, tum absoluta erat & perfecta remissio. Sed debitum illud intelligendum est de mutuo; aut vendito, non de commodato, quod alienum est, non debitum.

4. (*b*) Quo quidem eos admonet, ut sint liberales in dando, aut certe in mutuando: idque non pugnat cum vers. 11. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ.* Hæc enim est nuda assertio, non præceptum; illud vero præceptum non spectat ad magistratus, quasi non debeant tolerare mendicos; sed ad ipsos pertinet divites, qui admonentur, ut sint benefici, adeo ut pauperes mendicare non cogantur, sed publicis & privatis subsidiis subleventur. Hic itaque est scopus hujus præcepti, ut nullus ad mendicitatem redigatur; quod in bene constituta republica servari debet.

6. (*c*) Fœnerari hoc loco est mutuo dare, ut patet ex illa antithesi, *Et ipse a nullo accipies mutuum.*

9. (*d*) Impium id vocat. Hebr. *Belial*, בליעל. Quod avarus diceret prudentiam, instante anno remissionis nolle mutuo dare. Unde Augustin. ait quæst. 21. *Quomodo misericorditer remissurus est illo anno quo redimendum est, si crudeliter cogitat illo tempore dandum non esse, quo dandum est:*

12. (*e*) Augustin. *Emptor non anno remissionis remitti voluit, quem septimum quemque observari oportebat ab omnibus, sed anno septimo emptionis ejus, quotocumque anno illorum septimus ille annus occurreret.* Aliis probabilius videtur id de septimo anno, quo generalis erat remissio, intelligi oportere.

17. (*f*) Quod de ancilla dicitur, non referendum est ad illud, *Perforabis*; sed ad illud, *Viaticum dabis.*

19. (*g*) Greg. Lib. 1. Ezech. Hom. 2. *In infirma ætate arandum non est: quoad usque etenim infirmi sumus, contegere nos intra nosmetipsos debemus, ut dum tenera bona citius ostendimus, amittamus.*

20. (*h*) De primogenitis femininí sexus intellige: nam de masculis non edebat Laicus.

2. Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus (a), in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi.

3. Non comedes in eo panem fermentatum: Septem diebus comedes absque fermento, afflictionis panem, quoniam in pavore egressus es de Ægypto: ut memineris diei egressionis tuæ de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ.

4. Non apparebit fermentum in omnibus terminis tuis septem diebus, & non remanebit de carnibus ejus quod immolatum est vespere in die primo usque mane.

5. Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi;

6. Sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi: immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.

7. Et coques, & comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, maneque consurgens (b) vades in tabernacula tua.

8. Sex diebus comedes azyma (c): & in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus.

9. Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris:

10. Et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres juxta benedictionem Domini Dei tui:

11. Et epulaberis coram Domino Deo tuo, tu, filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua, & Levites qui est intra portas tuas, advena ac pupillus & vidua, qui morantur vobiscum: in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi:

12. Et recordaberis quoniam servus fueris in Ægypto: custodiesque ac facies quæ præcepta sunt.

13. Solemnitatem quoque tabernaculorum celebrabis per septem dies, quando collegeris de area & torculari fruges tuas:

14. Et epulaberis in festivitate tua, tu, filius tuus, & filia, servus tuus & ancilla, Levites quoque & advena, pupillus ac vidua qui intra portas tuas sunt.

15. Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis, in loco quem elegerit Dominus: benedicetque tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, & in omni opere manuum tuarum, erisque in lætitia.

16. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit: in Solemnitate azymorum, in Solemnitate hebdomadarum, & in Solemnitate tabernaculorum. * Non apparebit ante Dominum vacuus: * Exod 23. 15. & 34. 20. Eccli 35.6.

17. Sed offeret unusquisque secundum quod habuerit juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.

18. Judices & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas: ut judicent populum justo judicio,

19. Nec in alteram partem declinent. * Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum (d). * Exod. 23. 8. Lev. 19 15. Sup. 1. 17. Eccli. 20 31.

20. Juste quod justum est persequeris (e): ut vivas & possideas Terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi.

21. Non plantabis lucum, & omnem arborem juxta altare Domini Dei tui.

22. Nec facies tibi, neque constitues statuam: quæ odit Dominus Deus tuus.

CAPUT XVII.

Omnis idololatria extremo est punienda supplicio; difficiles causæ circa legis observationem ad sacerdotes deferantur. Rex si constituatur, is de gente propria, non de aliena, eligendus. Quis ille & qualis esse debeat.

1. NOn immolabis Domino Deo tuo ovem & bovem, in quo est macula, aut quippiam vitii: quia abominatio est Domino Deo tuo.

2. Cum reperti fuerint apud te, intra unam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, & transgrediantur pactum illius,

3. Ut vadant & serviant diis alienis, & adorent eos, Solem & Lunam, & omnem militiam cæli, quæ non præcepi:

4. Et hoc tibi fuerit nuntiatum, audiensque inquisieris diligenter, & verum esse repereris, & abominatio facta est in Israel:

5. Educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuæ (a), & lapidibus obruentur.

6. * In ore duorum, aut trium testium peribit qui interficietur. Nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium. * Inf. 19 15. Matth. 18. 16. 2. Cor. 13 1.

7. Manus testium prima interficiet eum, * & manus reliqui populi extrema mittetur: ut auferas malum de medio tui. * Sup. 13 9.

8. Si difficile (b) & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram: & judicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus.

9. * Ve-

CAP. XVI. 2. (a) Phase hoc loco accipitur pro septem diebus solemnitatis, quibus varia fiebant sacrificia. *Quid ergo*, inquit Augustinus, *hic sibi volunt boves? An propter alia sacrificia ipsis diebus azymorum immolanda?* quæst. 24.

7. (b) Quod solemnitatem omnem Paschalem consequitur, non proximo die a comestione Agni. *Vades in tabernacula tua*. Redibis in urbem & domum tuam.

8 & 10. (c) Sex dies non ad panes azymos, sed ad cessationem ab omni opere servili referuntur, quod septimo die vetitum erat. *Oblationem*: Supple, juxta oblationem.

19. (d) Hebr. *Pervertunt*: Loquuntur quæ non debent. Quod si justis id accidit, quid de aliis sentiendum?

20. (e) Solam justitiam, nihil præterea quæres in judicio. Hinc Gregorius Lib 9 Moral. *Injuste quippe quod justum est, exequitur, qui ad defensionem justitiæ, non virtutis immolatione, sed amore præmii temporalis excitatur*.

CAPUT XVII. 5. (a) Ubi fiet judicium: extra portas supplicium.

8. (b) Modo Sacerdotem, modo Judicem appellat, quod in populo Dei duplex esset Magistratus, sacer & civilis. *Sanguinem*: Dum alii excusant ut involuntarium, alii ut voluntarium, & puniendum existimant homicidium. Hieron. 2 Paralip 19 vertit, *inter cognationem & cognationem*: cum quæstio difficilis circa hæreditates, aut res alias oriebatur: *Inter caussam & caussam*, in re civili. *Inter lepram & lepram*, cum de ritibus agitur.

* 1 Par. 19. 8. 9. * Venieſque ad ſacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.

10. Et facies quodcumque dixerint qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te

11. Juxta legem ejus (c); ſequeriſque ſententiam eorum: nec declinabis ad dexteram neque ad ſiniſtram.

12. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael:

13. Cunctuſque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.

14. Cum ingreſſus fueris Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaveriſque in illa, & dixeris: Conſtituam ſuper me regem (d), ſicut habent omnes per circuitum nationes:

15. Eum conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non ſit frater tuus.

16. Cumque fuerit conſtitutus, non multiplicabit ſibi equos (e), nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero ſublevatus, præſertim cum Dominus præceperit vobis, ut nequaquam amplius per eamdem viam revertamini.

17. Non habebit uxores plurimas (f), quæ alliciant animum ejus, neque argenti & auri immenſa pondera.

18. Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar a ſacerdotibus Leviticæ Tribus,

19. Et habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt.

20. Nec elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram vel ſiniſtram, ut longo tempore regnet ipſe, & filii ejus ſuper Iſrael.

CAPUT XVIII.

Sacerdotes & Levitæ nihil in terra promiſſa præter decimas, oblationes & victimas poſſideant: omnis ſuperſtitio vetatur: veri Prophetæ audiendi, falſi puniendi.

1. NOn * habebunt ſacerdotes & Levitæ, & omnes qui de eadem tribu ſunt, partem & hæreditatem cum reliquo Iſrael, quia ſacrificia Domini, & oblationes ejus comedent, * Num. 18. 20. 23. 1 Cor. 9. 13. Sup. 10. 9.

2. Et nihil aliud accipient de poſſeſſione fratrum ſuorum: Dominus enim ipſe eſt hæreditas eorum, ſicut locutus eſt illis.

3. Hoc erit judicium ſacerdotum (a) a populo, & ab his qui offerunt victimas: ſive bovem, ſive ovem immolaverint, dabunt ſacerdoti armum ac ventriculum:

4. * Primitias frumenti, vini, & olei, & lanarum partem (b) ex ovium tonſione. * Num. 18. 21.

5. Ipſum enim elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, ut ſtet, & miniſtret nomini Domini ipſe, & filii ejus in ſempiternum.

6. Si exierit Levites (c) ex una urbium tuarum ex omni Iſrael in qua habitat, & voluerit venire, deſiderans locum quem elegerit Dominus,

7. Miniſtrabit in nomine Domini Dei ſui, ſicut omnes fratres ejus Levitæ, qui ſtabunt eo tempore coram Domino.

8. Partem ciborum eamdem accipiet (d), quam & ceteri: excepto eo, quod in urbe ſua ex paterna ei ſucceſſione debetur.

9. Quando ingreſſus fueris Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, cave ne imitari velis abominationes illarum gentium:

10. * Nec inveniatur in te qui luſtret filium ſuum, aut filiam, ducens per ignem: aut qui ariolos ſciſcitetur, & obſervet ſomnia atque auguria, nec ſit maleficus, * Lev. 20. 27.

11. Nec incantator, nec qui pythones conſulat, nec divinos, * aut quærat a mortuis veritatem. * 1 Reg. 28. 7.

12. Omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu tuo.

13. Perfectus eris, & abſque macula cum Domino Deo tuo.

14. Gentes iſtæ, quarum poſſidebis terram, augures & divinos audiunt: tu autem a Domino Deo tuo aliter inſtitutus es.

15. * PROPHETAM de gente tua & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus (e) Deus tuus: ipſum audies, * Joan. 1. 45. Act. 3. 22.

16. Ut

11. (c) Juxta Legem Dei. Non quod ad privatos ſum pertineat expendere, an Sacerdos juxta Legem Dei pronuntiaverit; ſic enim eſſet Judicis ſui Judex: ſed ſequi debemus ſententiam, quod ſit juxta Legem Dei, qui id præcipit.

14. (d) Auguſt. quæſt. 26 *Quæri poteſt, cur diſplicuerit populus Deo, quando Regem deſideravit, cum hic inveniatur eſſe promiſſus; ſed magis hic intelligendum ex merito non fuiſſe ſecundum voluntatem Dei, quia hoc fieri non præcepit, ſed deſiderantibus permiſit.*

16. (e) Nimia eorum copia prohibetur, ne iis in bello nimis confidat, aut in ſuperbiam erigatur.

17. (f) Ut Salomon; aliquas habere poterat, ut David. *Quæ alliciant animum ejus*, quæ flectant eum ad vitia, ut contigit Salomoni.

CAPUT XVIII. 3. (a) Hoc debetur Sacerdotibus; hæc erit eorum portio. *Armum & ventriculum*: Hebr. & LXX. *Armum, & maxillas, & ventriculum.*

4. (b) Primitiarum nomine: ſiquidem inter annuos fructus habetur lanarum tonſio.

6. & 7. (c) Si Levites cupiat vitam exigere in miniſterio Tabernaculi, aut Templi, ut a Samuele factum. Tempore ſuo per vices inſerviet.

8. (d) Hebr. *Partem ut partem comedent*, id eſt, non minor portio illis, quam ceteris Levitis dabitur: *Excepto eo quod in urbe ſua ex paterna ſucceſſione debetur*: Ita ut in patria ſua, paterna prædia, domos ſuburbanas, pecora, & ſi quid erat acquiſitum, poſſideat. Hebr. Præter venditiones *ſuper patres*, id eſt, niſi loca ſua, & poſſeſſorem eorum patres vendiderint, vel emerint: nam emptoribus facile ſtati vult.

15. (e) Ut loquatur de Prophetis univerſim, & oſtendat nihil illos neceſſe eſſe divinos conſulere, vel augures, cum nunquam defuturi ſint veri Prophetæ: tamen præcipue de Chriſto loqui, ut Petrus Actor. 3. & Stephanus Actor. 7. interpretantur. *Sicut me*: Similem mei: quem per omnia audiretis, ſicut me audire debuiſtis: ad hunc locum alludere videtur Pater Cæleſtis Matth. 17. 5. *Ipſum audite*; & Chriſtus ipſe Jo. 5. verſ. 46. *De me ille ſcripſit.*

M

* Exod. 20. 21. 16. Ut petisti a Domino Deo tuo * in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar.

17. Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti.

* Joan. 1. 45. 18. * Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi.

19. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam (*f*).

20. Propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur.

21. Quod si tacita cogitatione responderis: Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus?

22. Hoc habebis signum: Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non evenerit (*g*): hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confinxit: & idcirco non timebis eum.

CAPUT XIX.

Tres urbes refugii assignandæ, & crescente populo tres aliæ postea designandæ. Homicida voluntarius inde extrahendus est, & occidendus.

1. Cum disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, quarum tibi traditurus est terram, & possederis eam, habitaverisque in urbibus ejus & in ædibus:

* Num. 35. 11. Jos. 20. 2. 2. * Tres civitates separabis tibi in medio Terræ (*a*), quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem,

3. Sternens diligenter viam (*b*): & in tres æqualiter partes totam Terræ tuæ provinciam divides: ut habeat e vicino qui propter homicidium profugus est, quo possit evadere.

4. Hæc erit lex homicidæ fugientis, cujus vita servanda est: Qui percusserit proximum suum nesciens, & qui heri & nudiustertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur:

5. Sed abiisse cum eo simpliciter in silvam ad ligna cædenda, & in succisione lignorum securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit, & occiderit: hic ad unam supradictarum urbium confugiet, & vivet:

6. Ne forsitan proximus ejus, cujus effusus est sanguis, dolore stimulatus, persequatur, & apprehendat eum si longior via fuerit, & percutiat animam ejus, qui non est reus mortis: quia nullum contra eum, qui occisus est, odium prius habuisse monstratur.

7. Idcirco præcipio tibi, ut tres civitates æqualis inter se spatii dividas.

8. * Cum autem dilataverit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut juravit patribus tuis, & dederit tibi cunctam Terram, quam eis pollicitus est, * Gen. 28. 14. Exod. 34. 24. Sup. 12. 20.

9. (Si tamen custodieris mandata ejus, & feceris quæ hodie præcipio tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus omni tempore) addes tibi tres alias civitates, & supradictarum trium urbium numerum duplicabis:

10. Ut non effundatur sanguis innoxius in medio Terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sanguinis reus.

11. * Si quis autem odio habens proximum suum, insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, & mortuus fuerit, fugeritque ad unam de supradictis urbibus, * Num. 35. 20.

12. Mittent seniores civitatis illius, & arripient eum de loco effugii, tradentque in manu proximi, cujus sanguis effusus est, & morietur.

13. Non misereberis ejus, & auferes innoxium sanguinem de Israel, ut bene sit tibi.

14. Non assumes, & transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in Terra, quam acceperis possidendam.

15. * Non stabit testis unus contra aliquem (*c*), quidquid illud peccati & facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. * Sup. 17. 6. Matth. 18. 16. 2. Cor. 13. 1.

16. Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis,

17. Stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum & judicum qui fuerint in diebus illis.

18. * Cumque diligentissime perscrutantes, invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium: * Dan. 13. 62.

19. Reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui:

20. Ut audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere.

21. Non misereberis ejus, * sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. * Exod. 21. 23. 24. Lev. 24. 20. Matth. 5. 38.

CA-

19. (*f*) Christus novam Legem, ut Moses veterem constituit; & ultio de Judæis, qui Legem a Christo accipere noluerunt, impleta est in eorum dispersione.

22. (*g*) Hoc quidem signum non fallit: at si forte evenerit, quod Pseudo-Propheta prædixit, tum ad alia signa est confugiendum, ut si conetur a Lege Dei avertere populum, aut ad Idololatriam inducere.

CAP. XIX. 2. (*a*) Jam ante tres Civitates in Tribubus Ruben, Gad, & dimidia Manasse erant assignatæ; tres quoque in aliis sunt designatæ inter limites terræ Chanaan: videtur vers. 9. tres aliæ extra terminos Terræ Sanctæ, si ditionem suam usque ad Euphratem producerent, in hunc usum destinatæ; promissio autem divina de finibus Judæorum proferendis non absoluta fuit, sed ex conditione suspensa, quam eodem in loco exprimit: *Si tamen custodieris mandata ejus.* Unde promissiones factæ Abrahæ, Genes. 15. Isaaco cap. 26. & Jacobo cap. 28. videntur nonnullis non absolute, sed ex conditione suspensæ, quæ hoc loco expressa est.

3. (*b*) Ut ad asylum via non sit impedita.

15. (*c*) Nam facile unus calumniator contra alium invenitur, non ita facile duo, aut tres: atque unus testis testimonia sibi consentientia facilius proferet, quam duo, aut tres testes mendaces, qui diligenter examinati, ex circumstantiis sæpius deprehenduntur mendaces.

CAPUT XX.

Quæ facienda sint cum bellum geritur & instat pugna. Jura belli quomodo servanda sint. In urbe expugnata ne infantes occidantur, nisi in Chananæa; arbores frugiferæ ne excidantur.

1. SI exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus & currus, & majorem quam tu habeas adversarii exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Dominus Deus tuus tecum est, qui eduxit te de Terra Ægypti.

2. Appropinquante autem jam prælio, stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum:

3. Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos:

4. Quia Dominus Deus vester in medio vestri est (*a*), & pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.

5. Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt: * Quis est homo qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam (*b*)? vadat, & revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eam.

*1. Mac. 3. 56.

6. Quis est homo qui plantavit vineam, & necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat, & revertatur in domum suam: ne forte moriatur in bello, & alius homo ejus fungatur officio.

7. Quis est homo qui despondit uxorem, & non accepit eam? vadat, & revertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eam.

8. His dictis addent reliqua, & loquentur ad populum: * Quis est homo formidolosus, & corde pavido? vadat, & revertatur in domum suam, ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.

*Judic. 7. 3.

9. Cumque siluerint duces exercitus, & finem loquendi fecerint, unusquisque suos ad bellandum cuneos præparabit.

10. Si quando accesseris ad expugnandam civitatem (*c*), offeres ei primum pacem.

11. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo.

12. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam.

13. Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam in manu tua, percuties omne quod in ea generis masculini est, in ore gladii,

14. Absque mulieribus & infantibus, jumentis & ceteris, quæ in civitate sunt. Omnem prædam exercitui divides, & comedes de spoliis hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.

15. Sic facies cunctis civitatibus, quæ a te procul valde sunt, & non sunt de his urbibus, quas in possessionem accepturus es.

16. De his autem civitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere.

17. Sed interficies in ore gladii, Hethæum videlicet, & Amorrhæum & Chananæum, Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus:

18. Ne forte doceant vos facere cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt diis suis, & peccetis in Dominum Deum vestrum.

19. Quando obsederis civitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis ut expugnes eam, non succides arbores, de quibus vesci potest, nec securibus per circuitum debes vastare regionem: quoniam lignum est, & non homo (*d*), nec potest bellantium contra te augere numerum.

20. Si qua autem ligna non sunt pomifera, sed agrestia, & in ceteros apta usus, succide, & instrue machinas, donec capias civitatem, quæ contra te dimicat.

CAPUT XXI.

De expiando occulto homicidio; de muliere in bello capta; de filio contumaci & perdito.

1. QUando inventum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis cadaver occisi, & ignorabitur cædis reus,

2. Egredientur majores natu, & judices (*a*) tui, & metientur a loco cadaveris singularum per circuitum spatia civitatum:

3. Et quam viciniorem ceteris esse perspexerint, seniores civitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit jugum, nec terram scidit vomere,

4. Et ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, quæ numquam arata est, nec sementem recepit: & cædent in ea cervices vitulæ (*b*):

5. Acce-

CAP. XX. 4. (*a*) August. quæst. 30. *Ecce quemadmodum & in spiritalibus conflictibus sperandum & petendum est adjutorium Dei, non ut nos nihil faciamus, sed adjuti cooperemur; sic enim ait, debellabit vobiscum, ut & ipsos alluros quod agendum esset, ostenderet.*

5. (*b*) Hebr. *Initiavit*: Nondum instituit in ea convivio, ad usum destinavit. Tria hominum genera dimittuntur e prælio, primum eorum, qui novam sibi domum ædificaverant, & necdum eam incoluerant; secundum eorum, qui vineam plantaverant, & necdum fecerant communem, seu profanis usibus servientem. Nam tribus primis annis non licebat ejus fructus attingere. Quarti anni fructus tamquam primitiæ Deo erant consecrati; quinto anno jam in usum domini sui veniebant. Tertium genus hominum, qui excedebant e prælio, ad eos spectabat, qui sibi uxores desponderant & necdum nuptias celebrarant. *Hi omnes domum redire jussi, ne desiderio rerum, quæ sibi tam charæ erant, remissius agerent. Sed quoniam his rebus tenetur humanus affectus, & magni æstimantur hæc ab hominibus, intelligendum ad hoc ista dici in bellum procedentibus, ut quisquis animo his tenetur, appareat eum reverti, ne propter hoc minus fortiter agat, dum timet ne ante moriatur, quam domum dedicaverit, aut de vinea sua biberit, aut sponsam suam duxerit. Sed hæc, ut dixi, instituta sunt propter eorum animos explorandos.* August. quæst. 4. Hieron. Lib. 1. contra Jovin. *Non enim potest Domini servire militiæ servus uxoris.*

10. (*c*) De iis agitur urbibus extra terram permissam positis.

19. (*d*) Existimat Mariana Hieronymum in hoc versu magis paraphrastem agere, quam interpretem. Summi est Legislatorem nolle arbores succidi in hostico, id vero est non pacem, sed bellum velle.

CAP. XXI. 2. (*a*) Præmissa de auctore cædis inquisitione.

4. (*b*) Nulla in hac cæde erat facienti in ritu: vitula sine jugo, cui cervices abscinduntur, homicidam exprimit, hominem sine jugo.

* 5. Accedentque sacerdotes filii Levi, quos elegerit Dominus Deus tuus ut ministrent ei, & benedicant in nomine ejus, & ad verbum eorum, omne negotium, & quidquid mundum, vel immundum est, judicetur.

6. Et venient majores natu civitatis illius ad interfectum, lavabuntque manus suas super vitulam, quæ in valle percussa est,

7. Et dicent: Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt:

8. Propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti (c) Domine, & ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel? Et auferetur ab eis reatus sanguinis:

9. Tu autem alienus eris ab innocentis cruore, qui fusus est, cum feceris quod præcepit Dominus.

10. Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captivosque duxeris,

11. Et videris in numero captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, voluerisque habere uxorem,

12. Introduces eam in domum tuam: quæ radet cæsariem (d), & circumcidet ungues,

13. Et deponet vestem, in qua capta est: sedensque in domo tua, flebit patrem & matrem suam uno mense: & postea intrabis ad eam, dormiesque cum illa, & erit uxor tua.

14. Si autem postea non sederit animo tuo, dimittes eam liberam (e), nec vendere poteris pecunia, nec opprimere per potentiam: quia humiliasti eam.

15. Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus,

16. Volueritque substantiam inter filios suos dividere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ,

*1.Par.5.1. 17. * Sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia (f): iste est enim principium liberorum ejus, & huic debentur primogenita.

18. Si genuerit homo filium contumacem & protervum, qui non audiat patris aut matris imperium, & coercitus obedire contempserit:

19. Apprehendent eum, & ducent ad seniores civitatis illius, & ad portam judicii,

20. Dicentque ad eos: Filius noster iste protervus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ atque conviviis:

21. Lapidibus eum obruet populus civitatis: & morietur, ut auferatis malum de medio vestri, & universus Israel audiens pertimescat.

22. Quando peccaverit homo quod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo:

23. Non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur: * quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno (g): & nequaquam contaminabis Terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem. * Gal.3.13.

CAPUT XXII.

Variæ leges proponuntur, quæ ad violatam conjugii fidem, aut ad vim illatam virgini spectant.

1. NOn * videbis bovem (a) fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo, * Exod.23.4.

2. Etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum: duces in domum tuam, & erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus, & recipiat.

3. Similiter facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui, quæ perierit: si inveneris eam, ne negligas quasi alienam.

4. Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo.

5. Non induetur mulier veste virili (b), nec vir utetur veste feminea: abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc.

6. Si ambulans per viam, in arbore vel in terra nidum avis inveneris, & matrem pullis vel ovis desuper incubantem: non tenebis eam cum filiis (c),

7. Sed abire patieris, captos tenens filios: ut bene sit tibi, & longo vivas tempore.

8. Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum (d): ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in præceps ruente.

9. Non

8. (c) Christus ipse ut Sacerdos & victima hanc orationem ad Patrem fudit, Pater dimitte eis.

12. (d) Hæ cærimoniæ videntur ad luctum, & ad humilem habitum attinere, uti & illa: Et circumcidet ungues. Hebr. Et faciet ungues. Hebræi aliter interpretantur: Curtos faciet ungues, nempe ut eo temporis spatio capillis præcisis, & ablatis unguibus, decore imminuto vir ardorem suum remitteret. Hoc ipsum in spirituali sensu exponunt Patres de profanis scientiis. *Quid mirum*, ait Hieronymus Epist. 84. *si sapientiam sæcularem de ancilla, atque captivam Israelitidem facere cupio, & quidquid in ea mortuum est idololatriæ, voluptatis, erroris præcido?*

14. (e) Id permittitur duro & cervicoso populo, sed præcipitur ut libera dimittatur, nec vendatur. *Nec opprimere per potentiam*: Hebr. *Nec opprimere servitio.*

17. (f) Hoc enim erat jus primogeniti.

23. (g) Ita habent LXX. κεκατηραμένος ὑπὸ Θεοῦ πᾶς κρεμάμενος ἐπὶ ξύλου, & ita citatur ab Apostolo, Gal. 3. Nam Christum in hoc mysterio præfiguratum docet. Sensus litteralis is est; quicumque suspensus est vel in cruce, vel fune intercluso spiritu, quasi spectaculum maledictionis ex peccato profectæ exponebatur, adeo ut Dei imaginem deformaret, neque adeo cadaver in hominum conspectu diu esset relinquendum, sed statim & ex hominum conspectu auferendum. Hebr. *Kilelat Elohim*, קללת אלהים *Maledictio Domini est*: quod mors illa sit peccati [illegible] & maledictionis effectus. Christus hanc peccati maledictionem portare voluit, ut peccatum deleret, & benedictionem Dei restitueret: quod in aliis hominibus erat peccati punitio, in Christo fuit peccati expiatio. Non enim, ait Ambrosius, *ille maledictus, sed in te maledictus, qui peccatum non noverat, sed pro nobis peccatum factus est, qui in suo corpore nostra maledicta suscepit, ut crucifigeret.*

CAPUT XXII.

1. (a) Chrysost. Serm. 13. *Summæ inhumanitatis est, non tantum non curam hominibus impendere, quam Judæi jumentis.*

5. (b) Nam vestis mutatio ad flagitia plurima munit aditum. Mulier vestis mutatione pudorem facile exuit, ut vir muliebris effeminatos mores induit.

6. (c) Cum vetat, ne invento avis nido, mater cum pullis capiatur. [illegible] etiam in animantes exercendam, & multo magis erga fratres induxit. *Sic Deus vetuerat ne alligaretur os bovi triturantis, quo facilius in pecudibus præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur.* Tertull. Lib. 2. contra Marcionem.

8. (d) Hebr. *Facies septum tecto tuo*: Domorum in culmine solaria erant, quæ sepiri lorica jubet.

9. Non feres vineam tuam altero femine : ne & fementis quam fevifti, & quæ nafcuntur ex vinea, pariter fanctificentur (e).

10. Non arabis in bove fimul & afino (f).

11. Non indueris veftimento, quod ex lana linoque contextum eft (g).

* Num. 15. 38. 12. * Funiculos in fimbriis facies per quatuor angulos pallii tui, quo operieris.

13. Si duxerit vir uxorem, & poftea odio habuerit eam,

14. Quæfieritque occafiones quibus dimittat eam, objiciens ei nomen peffimum, & dixerit : Uxorem hanc accepi, & ingreffus ad eam non inveni virginem :

15. Tollent eam pater & mater ejus, & ferent fecum figna virginitatis ejus ad feniores urbis qui in porta funt :

16. Et dicet pater : filiam meam dedi huic uxorem : quam quia odit,

17. Imponit ei nomen peffimum, ut dicat : Non inveni filiam tuam virginem : & ecce hæc funt figna virginitatis filiæ meæ. Expandent veftimentum coram fenioribus civitatis.

18. Apprehendentque fenes urbis illius virum, & verberabunt illum,

19. Condemnantes infuper centum ficlis argenti, quos dabit patri puellæ : quoniam diffamavit nomen peffimum fuper virginem Ifrael : habebitque eam uxorem, & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ fuæ.

20. Quod fi verum eft quod objicit, & non eft in puella inventa virginitas :

21. Ejicient eam extra fores domus patris fui, & lapidibus obruent viri civitatis illius, & morietur : quoniam fecit nefas in Ifrael, ut fornicaretur in domo patris fui : & auferes malum de medio tui.

* Lev. 20. 10. 22. * Si dormierit vir cum uxore alterius : uterque morietur, id eft, adulter & adultera, & auferes malum de Ifrael.

23. Si puellam virginem defponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea,

24. Educes utrumque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur : puella, quia non clamavit, cum effet in civitate : vir, quia humiliavit uxorem proximi fui : & auferes malum de medio tui.

25. Sin autem in agro reppererit vir puellam, quæ defponfata eft, & apprehendens concubuerit cum ea, ipfe morietur folus :

26. Puella nihil patietur, nec eft rea mortis, quoniam ficut latro confurgit contra fratrem fuum, & occidit animam ejus, ita & puella perpeffa eft.

27. Sola erat in agro : clamavit, & nullus affuit qui liberaret eam.

28. Si invenerit vir puellam (h) virginem, quæ non habet fponfum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit :

29. * Dabit qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta ficlos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam : non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ fuæ. * Exod. 22. 16.

30. Non accipiet homo uxorem patris fui, nec revelabit operimentum ejus.

CAPUT XXIII.

De iis qui ab Ecclefia Domini funt arcendi, ufura prohibetur, item fornicatio; votum ftatim folvendum.

1. NOn intrabit eunuchus (a) attritis, vel amputatis tefticulis & abfciffo veretro, ecclefiam Domini.

2. Non ingredietur mamzer, hoc eft, de fcorto natus in ecclefiam Domini, ufque ad decimam generationem.

3. * Ammonites & Moabites etiam poft decimam generationem non intrabunt ecclefiam Domini, in æternum : * 2. Efd. 13. 1.

4. Quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via quando egreffi eftis de Ægypto : & * quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mefopotamia Syriæ, ut malediceret tibi : * Num. 22. 5. Jof. 24. 9.

5. Et noluit Dominus Deus tuus audire Balaam, vertitque maledictionem ejus in benedictionem tuam, eo quod diligeret te.

6. Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona (b) cunctis diebus vitæ tuæ in fempiternum.

7. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eft : nec Ægyptium, quia advena fuifti in terra ejus (c).

8. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in ecclefiam Domini.

9. Quando egreffus fueris adverfus hoftes tuos in pugnam, cuftodies te ab omni re mala.

10. Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus fit fomnio, egredietur extra caftra,

11. Et non revertetur, priufquam ad vefperam lavetur aqua (d) : & poft folis occafum regredietur in caftra.

12. Habe-

9 (e) Per antiphrafim, contaminentur, ac ne pereant proventus feminis, & fructus vineæ, dum fibi mutuo nocent. Deinde cavendum erat, ne fructus diverfi qui Deo erant confervandi, confunderentur, cum alii anno primo, alii anno quarto Deo offerrentur: nam fructus vitis primo triennio ut immundi habebantur: deinde voluit Deus nimiam hominum aviditatem coercere.

10. (f) Quod eorum vires fint inæquales. Deinde bos inter munda animalia, afinus inter immunda habebatur.

11. (g) Tum peccatum erat his uti veftibus, nunc non item, quod tum id effet prohibitum : fed quod figuratur his veftibus, ne ea mifceantur, quæ feparari oportet, & per has veftes figurantur. *Numquam licet*, inquit Auguftin. Lib. 6. contra Fauftum, cap. 9 *inordinate vivere, & diverfi generis profeffiones velle mifcere omnimodo peccatum eft, & fi quid inconvenienter ex diverfo genere in vita cujufque contexitur, ut habitum Virginis Deo confecratæ cum habitu mulieris nuptæ, & diverfos ftatus confundere.*

28. (h) Eft cafus diverfus ab eo qui Exodi 22. proponitur. Nam hic agitur de vi illata, in Exodo de concubitu, qui blanditiis, aut promiffis fuit impetratus. *Non poterit dimittere eam*, fi illa voluerit manere in conjugio, ex Philone.

1. (a) Jure Civium non utetur, nifi forte ob præclara merita: ut Rahab, Jofue 6. Achior Ammonites, Judith 14. præterquam de jure ad publicos cœtus, aut dignitates adeundi, hoc loco agi fatis probabile videtur, Auguft. quæft. 35. *Quæftio eft quomodo intraverit Ruth, quæ Moabitis fuerit, de qua etiam caro Domini originem ducit*. Refpondet 1. Generationes ab Abraham ad Ruth ufque decem effe, ac forte iftam intraturam myftice effe prophetatum. Refpondet 2. Viros non feminas excludi. Quantum fterilitas animæ, quæ nullum exerit bonum, Deo difpliceat, exprimere voluit. CAPUT XXIII.

6. (b) Hoc populo Dei præceptum, non privatis quibufque, nifi ut cum iis non communicarent, nec commercia exercerent.

7 (c) Et per aliquod tempus benigne habitus.

11. (d) Lavabitur, non baptizabitur.

12. Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ,

13. Gerens paxillum in balteo: cumque sederis (e), fodies per circuitum, & egesta humo operies

14. Quo relevatus es (Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum (f), ut eruat te, & tradat tibi inimicos tuos) & sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis ne derelinquat te.

15. Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit.

16. Habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, & in una urbium tuarum requiescet: ne contristes eum.

17. Non erit meretrix (g) de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel.

18. Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis, in domo Domini Dei tui, quidquid illud est quod voveris: quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum.

19. Non fœnerabis fratri tuo (h) ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem:

20. Sed alieno. Fratri autem tuo absque usura, id quo indiget, commodabis: ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo in Terra, ad quam ingredieris possidendam.

21. Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.

22. Si nolueris polliceri, absque peccato eris.

23. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es.

24. Ingressus vineam proximi tui, comede uvas (i) quantum tibi placuerit: foras autem ne efferas tecum.

25. Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, & manu conteres: falce autem non metes.

CAPUT XXIV.

De libello repudii, de pignore, de pauperibus.

1. SI * acceperit homo uxorem, & habuerit eam (a), & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. * Matth. 5. 31. & 19. 7. Marc. 10. 4.

2. Cumque egressa alterum maritum duxerit,

3. Et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit:

4. Non poterit prior maritus recipere eam in uxorem: quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino (b): ne peccare facias Terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendam.

5. Cum acceperit homo nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis injungetur publicæ, sed vacabit absque culpa domi suæ (c), ut uno anno lætetur cum uxore sua.

6. Non accipies loco pignoris inferiorem, & superiorem molam: quia animam suam opposuit tibi.

7. Si deprehensus fuerit homo solicitans fratrem suum (d) de filiis Israel, & vendito eo acceperit pretium, interficietur, & auferes malum de medio tui.

8. Observa diligenter ne incurras plagam lepræ (e), sed facies quæcumque docuerint te sacerdotes Levitici generis, juxta id quod præcepi eis, & imple solicite:

9. * Mementote quæ fecerit Dominus Deus vester Mariæ in via cum egrederemini de Ægypto. * Num. 12. 10.

10. Cum repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus ut pignus auferas:

11. * Sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit: * Exod. 22. 26.

12. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus,

13. Sed statim reddes ei ante solis occasum: ut dormiens in vestimento suo, benedicat tibi, & habeas justitiam coram Domino Deo tuo.

14. * Non

13. (e) Cum alvum exonerare volueris. Castra sunt Ecclesia ipsa, aut Fidelis qui adversus carnem, mundum & dæmonem indefinenter pugnare debet, & purum se ab omnibus sordibus animæ tueri. Greg. Lib. 3. Moral. cap. 13. Naturæ corruptibilis pondere gravati a mentis nostræ utero quædam quasi ventris gravamina ejicimus: sed portare paxillum sub balteo debemus, videlicet acutum circa nos stimulum compunctionis, qui incessanter terram mentis nostræ pœnitentiæ dolore confodiat, & hoc quod a nobis fœtidum erumpit, abscondat.

14. & 15. (f) Propter arcam. Trades; donec ira ejus resederit, eum injuste eum vexat; aut forte de iis agitur, qui aliis gentibus serviebant, & in terram Israel confugiebant: quæ erat commoda occasio alienigenis fidem Israelitarum amplectendi, ex familiari cum iis consuetudine.

17. (g) Ecce, inquit Augustinus, ubi manifeste prohibuit fornicari, & viros, & feminas.

19. & 20. (h) Pecuniam. Sed alieno: Fratri autem tuo absque usura, id quo indiget commodabis. Prohibetur usura erga fratres, permittitur erga alienos; præcipitur mutuum erga fratres in necessitate positos.

24. (i) Hebræi non de omnibus promiscue, sed de operariis mercede conductis id intelligunt.

CAPUT XXIV.

1. (a) Sept. Interpret. Cohabitaverit. Propter aliquam fœditatem. Ob aliquod insigne vitium corporis, aut animi. Det illi libellum, repudii: id permissum fuisse Judæis ob duritiem cordis, ne uxores suas necarent, colligitur ex verbis Domini, Matth. 19. Libellus quoque repudii præcipitur, ut in dissidium animus præcepi libelli subscriptione refractus absisteret, & quid mali esset uxorem dimittere cogitaret. August. Lib. de Bon. conjug.

4. (b) Videretur enim prior maritus id alteri concessisse, ut uxore sua uteretur ad tempus; unde reditus ad priorem damnatur, cum alteri nupsit; Et abominabilis facta est, habita ratione prioris viri, qui eam vellet recipere.

5. & 6. (c) Ut amor inter eos magis firmetur. Pignoris: Vetat ne res omnino ad usum vitæ necessariæ pignoris loco capiantur.

7. (d) Ut eum vendat alienigenis, vel eum in servitutem rapiendo: Auferes malum. Græc. τὸν πονηρὸν, malignum, hominem scilicet, ut Corinth. 5 13. Augustin. Hoc enim nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.

8. (e) Si Sacerdotibus parere dedigneris.

* Lev. 19. 13. Tob. 4. 15. 14. * Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, sive advenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est:

15. Sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.

* 4. Reg. 14. 6. 2. Par. 25. 4. Ezech. 18. 20. 16. * Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus (*f*), sed unusquisque pro peccato suo morietur.

17. Non pervertes judicium advenæ & pupilli, nec auferes pignoris loco viduæ vestimentum.

18. Memento quod servieris in Ægypto, & eruerit te Dominus Deus tuus inde. Idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem.

19. Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reverteris ut tollas illum: sed advenam, & pupillum, & viduam auferre patieris, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum.

20. Si fruges collegeris olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non reverteris ut colligas: sed relinques advenæ, pupillo, ac viduæ.

21. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos, sed cedent in usus advenæ, pupilli, ac viduæ.

22. Memento quod & tu servieris in Ægypto, & idcirco præcipio tibi ut facias hanc rem.

CAPUT XXV.

De Judicibus, ut juste judicent, lex statuitur: ut fratri mortuo sine liberis frater suscitet semen, & uxor defuncti non nubat alteri; justa sint pondera; nomen Amalech deleatur.

1. SI fuerit causa inter aliquos, & interpellaverint judices: quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt: quem impium, condemnabunt impietatis,

2. Sin autem eum, qui peccavit, dignum viderint plagis: prosternent, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit & plagarum modus:

* 2. Cor. 11. 24. 3. Ita dumtaxat, * ut quadragenarium numerum non excedant: ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.

* 1. Cor. 9. 9. 1. Tim. 5. 18. 4. * Non ligabis os bovis terentis (*a*) in area fruges tuas.

* Matth. 22. 24. Marc. 12. 19. Luc. 20. 28. 5. * Quando habitaverint fratres simul (*b*), & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater ejus, & suscitabit semen fratris sui:

6. Et primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel.

7. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, & interpellabit majores natu, dicetque: * Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel: nec me in conjugem sumere. * Ruth 4. 5.

8. Statimque accersiri eum facient, & interrogabunt. Si responderit: Nolo eam uxorem accipere:

9. Accedet mulier ad eum coram senioribus, & tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris sui.

10. Et vocabitur nomen illius in Israel, Domus discalceati.

11. Si habuerint inter se jurgium viri duo, & unus contra alterum rixari cœperit, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum, & apprehenderit verenda ejus:

12. Abscides manum illius, nec flecteris super eam ulla misericordia.

13. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus:

14. Nec erit in domo tua modius major & minor.

15. Pondus habebis justum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi: ut multo vivas tempore super Terram, quam Dominus Deus tuus dederit tibi:

16. Abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.

17. * Memento quæ fecerit tibi Amalech in via quando egrediebaris ex Ægypto: * Exod. 17. 8.

18. Quomodo occurrerit tibi: & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame & labore confectus, & non timuerit Deum.

19. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subjecerit cunctas per circuitum nationes, in Terra, quam tibi pollicitus est: delebis nomen ejus sub cælo. Cave ne obliviscaris.

CAPUT XXVI.

Primitiæ frugum, & decimæ quibus solvendæ; quæ decimæ servandæ sint in usum pauperum.

1. CUmque intraveris Terram, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est possidendam, & obtinueris eam, atque habitaveris in ea:

2. Tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo (*a*), pergesque ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen ejus:

3. Acce-

16 (*f*) Hoc præcepto tenentur Judices; sed Deus qui summus est vitæ & necis Dominus, vult interdum ut filii pœna temporali patrum peccata luant: ut in posteris Saulis factum legimus.

CAPUT XXV. 4. (*a*) Id est, Triturantis. Hoc loco utitur Paulus 1. Cor. 9. ut probet Prædicatores Evangelii ex Prædicatione sua vivere posse: adeo ut primaria Dei intentio ea sit, ut doceat nos victum & stipendia non iis neganda esse, qui nostra caussa laborant. Hieron. in cap. 3. Michææ: *Permittitur tibi, o Sacerdos, ut vivas de Altari, non ut luxuries.* Bovi trituranti os non clauditur, *scimus ita: & tamen libertia hac Apostolus non abutitur, nolle & dit laberat manibus suis ne cui gravis sit, & habens victum vestimentumque, contentus est.*

5 (*b*) Quando ejusdem Tribus & familiæ fuerint, qui fere eodem in loco habitare solent: uxor defuncti sine liberis nubit propinquiori, quique nascetur filius, ejus censebitur qui mortuus fuerit ut numerus familiarum non minuatur, nec hæreditates confundantur.

CAPUT XXVI. 2 (*a*) In canistro; Græcam vocem Hieronymus sumsit ex LXX.

3. Accedefque ad facerdotem, qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum: Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quod ingreffus fum in Terram, pro qua juravit patribus noftris, ut daret eam nobis.

4. Sufcipienfque facerdos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini Dei tui:

5. Et loqueris in confpectu Domini Dei tui: Syrus perfequebatur patrem meum (*b*), qui defcendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus eft in pauciffimo numero: crevitque in gentem magnam ac robuftam & infinitæ multitudinis.

6. Affixeruntque nos Ægyptii, & perfecuti funt imponentes onera graviffima:

7. Et clamavimus ad Dominum Deum patrum noftrorum: qui exaudivit nos, & refpexit humilitatem noftram, & laborem, atque anguftiam:

8. Et eduxit nos de Ægypto in manu forti, & brachio extento, in ingenti pavore, in fignis atque portentis,

9. Et introduxit ad locum iftum, & tradidit nobis Terram lacte & melle manantem.

10. Et idcirco nunc offero primitias frugum Terræ, quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in confpectu Domini Dei tui, & adorato Domino Deo tuo.

11. Et epulaberis in omnibus bonis, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi, & domui tuæ, tu & Levites, & advena qui tecum eft.

12. Quando compleveris decimam cunctarum frugum tuarum, anno decimarum tertio, dabis Levitæ, & advenæ, & pupillo & viduæ, ut comedant intra portas tuas, & faturentur:

13. Loquerifque in confpectu Domini Dei tui: Abftuli quod fanctificatum eft (*c*) de domo mea, & * dedi illud Levitæ & advenæ, & pupillo ac viduæ, ficut juffifti mihi: non præterivi mandata tua, nec fum oblitus imperii tui.

* Sup. 14. 29.

14. Non comedi (*d*) ex eis in luctu meo, nec feparavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quidquam in re funebri. Obedivi voci Domini Dei mei, & feci omnia ficut præcepifti mihi.

15. * Refpice de fanctuario tuo, & de excelfo cælorum habitaculo, & benedic populo tuo Ifrael, & Terræ, quam dedifti nobis, ficut jurafti patribus noftris, terræ lacte & melle mananti.

* Isa. 63. 15. Baruch 2. 16.

16. Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi ut facias mandata hæc atque judicia: & cuftodias & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.

17. Dominum elegifti hodie (*e*), ut fit tibi Deus, & ambules in viis ejus, & cuftodias cæremonias illius, & mandata atque judicia, & obedias ejus imperio.

18. * Et Dominus elegit te hodie ut fis ei populus peculiaris, ficut locutus eft tibi, & cuftodias omnia præcepta illius:

* Sup. 7. 6.

19. Et faciat te excelfiorem cunctis gentibus (*f*) quas creavit, in laudem, & nomen, & gloriam fuam: ut fis populus fanctus Domini Dei tui, ficut locutus eft.

CAPUT XXVII.

Ritus benedictionis in monte Garizim faciendæ exftructo prius altari, ut ritus maledictionis in monte Hebal.

1. Præcepit autem Moyfes & feniores Ifrael, populo dicentes: Cuftodite omne mandatum quod præcipio vobis hodie.

2. Cumque tranfieritis Jordanem in Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, & calce lævigabis eos,

3. Ut poffis in eis fcribere omnia verba legis hujus (*a*), Jordane tranfmiffo: ut introeas Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, terram lacte & melle manantem, ficut juravit patribus tuis.

4. Quando ergo tranfieritis Jordanem, erigite lapides, quos ego hodie præcipio vobis in monte Hebal, & lævigabis eos calce:

5. Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo, de lapidibus quos * ferrum non tetigit,

6. Et de faxis informibus & impolitis: & offeres fuper eo holocaufta Domino Deo tuo.

* Exod. 20. 25. Jos. 8. 31.

7. Et immolabis hoftias pacificas, comedefque ibi, & epulaberis coram Domino Deo tuo.

8. Et fcribes fuper lapides omnia verba Legis hujus plane & lucide.

9. Dixeruntque Moyfes & facerdotes Levitici generis ad omnem Ifraelem: Attende, & audi Ifrael: hodie factus es populus Domini Dei tui:

10. Audies vocem ejus, & facies mandata atque juftitias, quas ego præcipio tibi.

11. Præcipitque Moyfes populo in die illo, dicens:

12. Hi ftabunt * ad benedicendum (*b*) populo fuper montem Garizim, Jordane tranfmiffo: Simeon, Levi, Judas, Iffachar, Jofeph, & Benjamin.

* Sup. 11. 29.

13. Et e regione ifti ftabunt ad maledicendum in monte Hebal: Ruben, Gad, & Afer, & Zabulon, Dan, & Nephthali.

14. * Et pronuntiabunt Levitæ, dicentque ad omnes viros Ifrael excelfa voce:

* Dan. 9. 11.

15. Ma-

5. (*b*) Vox illa *Syrus de Laban* qui perfecutus eft Jacob, intelligitur, quem dura fervitute diu oppreffit. Pagninus & Vatablus fic vertunt, *Syrus perdbat pater meus*; Jacob nimirum, qui diu habitavit in Syria.

13 (*c*) Decimæ quas Deus feparari & pauperibus dari juffit, quæque aliis annis in Templo confumebantur, tertio anno ad egenos convertebantur: nam eo anno fecundæ decimæ in ufum pauperum cedebant.

14. (*d*) Non comedi ex iis immundus exiftens ex luctu & funere; neque ex iis convivia funebria inftruxi, neque quicquam attuli, quod immundum effet. LXX *Non dedi ex eis mortuo*. Augult. *An per hoc prohibet parentalia, quæ obfervare gentes folent?*

17. (*e*) Hebr. *Exaltafti hodie*.

19. (*f*) Hoc proprie ad Chriftianos, feu ad veros Ifraelitas fpectat, non ad Judæos.

CAPUT XXVII.

3. (*a*) Lapidibus calce non oblitis. Lex. feu Deuteronomium non potuiffet infcribi. Hoc novo ritu fœdus inter Deum & populum in primo terræ promiffæ ingreffu inftauratur, & ftabile monumentum hujus fœderis erigitur.

12. (*b*) Sacerdotes & Levitæ ftabant ad benedicendum inter montem Garizim & Hebal, converfi ad Garizim benedicebant, converfi ad montem Hebal maledictiones alta voce pronuntiabant adverfus prævaricatores Legis: maledictiones a Chrifto Matth. 25. & alibi expreffæ, fub iftis maledictionibus tamquam fub figuris continentur. Atque hæc cæremonia typus eft extremi judicii, quod Chriftus, qui verus eft Jofue, in ingreffu futuræ vitæ pronuntiabit inter oves a dextris, & hædos a finiftris pofitos.

15. Maledictus homo, qui facit sculptile & conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito: & respondebit omnis populus, & dicet: Amen.

16. Maledictus qui non honorat patrem suum, & matrem: & dicet omnis populus: Amen.

17. Maledictus qui transfert terminos proximi sui: & dicet omnis populus: Amen.

18. Maledictus qui errare facit cæcum in itinere: & dicet omnis populus: Amen.

19. Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli, & viduæ: & dicet omnis populus: Amen.

20. Maledictus qui dormit cum uxore patris sui, & revelat operimentum lectuli ejus: & dicet omnis populus: Amen.

21. Maledictus qui dormit cum omni jumento: & dicet omnis populus: Amen.

22. Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ: & dicet omnis populus: Amen.

23. Maledictus qui dormit cum socru sua: & dicet omnis populus: Amen.

24. Maledictus qui clam percusserit proximum suum: & dicet omnis populus: Amen.

25. Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis: & dicet omnis populus: Amen.

26. Maledictus qui non permanet in sermonibus Legis hujus, nec eos opere perficit: & dicet omnis populus: Amen.

CAPUT XXVIII.

Servantibus legem bona multa, ut eam violantibus mala quamplurima.

1. SI autem audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque custodias omnia mandata ejus, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra.

2. Venientque super te universæ benedictiones istæ, & apprehendent te: si tamen præcepta ejus audieris.

3. Benedictus tu in civitate & benedictus in agro (*a*).

4. Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusque jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caulæ ovium tuarum.

5. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ (*b*).

6. Benedictus eris tu ingrediens & egrediens.

7. Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt adversum te, corruentes in conspectu tuo: per unam viam venient contra te, & per septem fugient a facie tua.

8. Emittet Dominus benedictionem super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum: benedicetque tibi in terra, quam acceperis.

9. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctum, sicut juravit tibi: si custodieris mandata Domini Dei tui, & ambulaveris in viis ejus.

10. Videbuntque omnes terrarum populi quod nomen Domini invocatum sit super te (*c*), & timebunt te.

11. Abundare te faciet Dominus omnibus bonis, fructu uteri tui, & fructu jumentorum tuorum, fructu terræ tuæ, quam juravit Dominus patribus tuis ut daret tibi (*d*).

12. Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cælum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo: benedicetque cunctis operibus manuum tuarum. Et fœnerabis gentibus multis, & ipse a nullo fœnus accipies.

13. Constituet te Dominus in caput, & non in caudam: & eris semper supra, & non subter: si tamen audieris mandata Domini Dei tui quæ ego præcipio tibi hodie, & custodieris & feceris,

14. Ac non declinaveris ab eis, nec ad dexteram, nec ad sinistram, nec secutus fueris deos alienos, neque colueris eos.

15. * Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, ut custodias, & facias omnia mandata ejus & cæremonias, quas ego præcipio tibi hodie, venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te.

* *Lev.* 26. 14. *Thren.* 2. 17. *Baruch* 1. 10. *Malach.* 2. 2.

16. Maledictus eris in civitate, maledictus in agro.

17. Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ.

18. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, armenta boum tuorum, & greges ovium tuarum.

19. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens.

20. Mittet Dominus super te famem & esuriem, & increpationem in omnia opera tua, quæ tu facies: donec conterat te, & perdat velociter, propter adinventiones tuas pessimas in quibus reliquisti me.

21. Adjungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris possidendam.

22. Percutiat te Dominus egestate (*e*), febri & frigore, ardore & æstu, & aere corrupto ac rubigine, & persequatur donec pereas.

23. Sit cælum, quod supra te est, æneum: & terra, quam calcas, ferrea.

24. Det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, & de cælo descendat super te cinis, donec conteraris.

25. Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos: per unam viam egrediaris (*f*) contra eos, & per septem fugias, & dispergaris per omnia regna terræ.

26. Sit-

CAPUT XXVIII.

3. (*a*) In omnibus bonis: nam commercio & agricultura opes omnes constant: cuncta tibi prospere succedent.

5. (*b*) Quas ex bonis in futurum asservandas reposueris.

10. (*c*) Quod vere sis populus Dei.

11. (*d*) Mutuum dabis: non enim in Hebræo, nec in LXX. ulla fit mentio usuræ. Benedictiones omnes ad Israelitas novi fœderis proprie spectant, ut dicit Augustin. Lib. contra Adim. cap. 18.

22. (*e*) Vox Hebræa macilentiam significat. Quæ sequuntur voces, varia genera morborum significant; de quibus, ait Mariana, non magis oportet laborare, quam in nominibus lapidum, avium, animalium, quæ non minus Hebræis quam nobis sunt ignota: Antiquitas enim veluti o[illegible] prætendit. Quod reliquum est capitis, non tam comminationes, quam Prophetias malorum, quæ Judæis acciderint, continet.

25. (*f*) Certo ordine adversus hostem procedes, sed perturbato ordine fugies per diversas vias.

26. Sitque cadaver tuum in escam cunctis volatilibus cæli, & bestiis terræ, & non sit qui abigat.

27. Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, & partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque & prurigine: ita ut curari nequeas.

28. Percutiat te Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis,

29. Et palpes in meridie (g) sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas. Omnique tempore calumniam sustineas, & opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te.

30. Uxorem accipias, & alius dormiat cum ea. Domum ædifices, & non habites in ea. Plantes vineam, & non vindemies eam.

31. Bos tuus immoletur coram te, & non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo, & non reddatur tibi. Oves tuæ dentur inimicis tuis, & non sit qui te adjuvet.

32. Filii tui & filiæ tuæ tradantur alteri populo, videntibus oculis tuis, & deficientibus ad conspectum eorum tota die, & non sit fortitudo in manu tua.

33. Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos comedat populus quem ignoras: & sis semper calumniam sustinens, & oppressus cunctis diebus,

34. Et stupens ad terrorem eorum quæ videbunt oculi tui.

35. Percutiat te Dominus ulcere pessimo in genibus & in suris, sanarique non possis a planta pedis usque ad verticem tuum.

36. Ducet (h) te Dominus, & regem tuum, quem constitueris super te, in gentem, quam ignoras tu & patres tui: & servies ibi diis alienis, ligno, & lapidi.

37. Et eris perditus in proverbium ac fabulam omnibus populis, ad quos te introduxerit Dominus.

* Mich. 6. 15. Aggæi 1. 16. 38. * Sementem multam jacies in terram, & modicum congregabis: quia locustæ devorabunt omnia.

39. Vineam plantabis, & fodies: & vinum non bibes, nec colliges ex ea quippiam: quoniam vastabitur vermibus.

40. Olivas habebis in omnibus terminis tuis, & non ungeris oleo: quia defluent, & peribunt.

41. Filios generabis & filias, & non frueris eis: quoniam ducentur in captivitatem.

42. Omnes arbores tuas & fruges terræ tuæ rubigo consumet.

43. Advena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritque sublimior: tu autem descendes, & eris inferior.

44. Ipse fœnerabit tibi, & tu non fœnerabis ei. Ipse erit in caput, & tu eris in caudam.

45. Et venient super te omnes maledictiones istæ, & persequentes apprehendent te, donec intereas: quia non audisti vocem Domini Dei tui, nec servasti mandata ejus & cæremonias, quas præcepit tibi.

46. Et erunt in te signa atque prodigia, & in semine tuo usque in sempiternum:

47. Eo quod non servieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitia, propter rerum omnium abundantiam:

48. Servies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, & siti, & nuditate, & omni penuria: & ponet jugum ferreum super cervicem tuam, donec te conterat.

49. Adducet (i) Dominus super te Gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in similitudinem aquilæ volantis cum impetu: cujus linguam intelligere non possis:

50. Gentem procacissimam, quæ non deferat seni, nec misereatur parvuli,

51. Et devoret fructum jumentorum tuorum, ac fruges Terræ tuæ: donec intereas, & non relinquat tibi triticum, vinum, & oleum, armenta boum, & greges ovium: donec te disperdat,

52. Et conterat in cunctis urbibus tuis, & destruantur muri tui firmi atque sublimes, in quibus habebas fiduciam in omni Terra tua. Obsideberis intra portas tuas in omni Terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus:

53. * Et comedes (k) fructum uteri tui, & carnes filiorum tuorum & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus Deus tuus, in angustia & vastitate qua opprimet te hostis tuus: * Thren. 4. 10. Baruch 2. 3.

54. Homo delicatus in te, & luxuriosus valde, invidebit fratri suo, & uxori, quæ cubat in sinu suo,

55. Ne det eis de carnibus filiorum suorum, quas comedet: eo quod nihil aliud habeat in obsidione & penuria, qua vastaverint te inimici tui intra omnes portas tuas.

56. Tenera mulier & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere, propter mollitiem & teneritudinem nimiam, invidebit viro suo, qui cubat in sinu ejus, super filii & filiæ carnibus,

57. Et illuvie secundarum, quæ egrediuntur de medio feminum ejus, & super liberis qui eadem hora nati sunt: comedent enim eos clam propter rerum omnium penuriam in obsidione & vastitate, qua opprimet te inimicus tuus intra portas tuas.

58. Nisi custodieris, & feceris omnia verba Legis hujus, quæ scripta sunt in hoc volumine, & timueris nomen ejus gloriosum & terribile, hoc est, Dominum Deum tuum:

59. Augebit Dominus plagas tuas, & plagas seminis tui, plagas magnas & perseverantes, infirmitates pessimas & perpetuas,

60. Et convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuisti, & adhærebunt tibi:

61. Insuper & universos languores, & plagas, quæ non sunt scripta in volumine Legis hujus, inducet Dominus super te, donec te conterat:

62. Et remanebitis pauci numero, qui prius eratis sicut astra cæli præ multitudine, quoniam non audisti vocem Domini Dei tui.

63. Et

29 (g) Quod evenit Judæis, qui Solem justitiæ toti orbi affulgentem, soli ipsi non vident.
36. (h) Quod evenit in captivitate Babylonica.
49 (i) Hæc impleta sunt in excidio Jerosolymæ.
53. (k) Fames hactenus variis temporibus & maxime in obsidione Jerusalem describitur. Augustin. contra Advers. Legis & Prophet. qui has expressiones ferre non poterant: *Quis digne eloqui possit, quam sit multis execrabilior fœditas, pœnas exhorrescere meritorum, & merita non cavere pœnarum?*

63. Et sicut ante lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vosque multiplicans: sic lætabitur disperdens vos atque subvertens (*l*), ut auferamini de Terra, ad quam ingrediers possidendam.

64. Disperget te Dominus in omnes populos a summitate terræ usque ad terminos ejus: & servies ibi diis alienis, quos & tu ignoras & patres tui, lignis & lapidibus.

65. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore:

66. Et erit vita tua quasi pendens (*m*) ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.

67. Mane dices: Quis mihi det vesperum? & vespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea, quæ tuis videbis oculis.

68. Reducet te Dominus classibus in Ægyptum, per viam de qua dixit tibi ut eam amplius non videres. Ibi venderis inimicis tuis in servos & ancillas, & non erit qui emat.

C A P U T XXIX.

Idem est argumentum quod superioris capitis, propositis cum præmiis, tum pœnis legem observantibus, aut eam violantibus.

1. HÆc sunt verba fœderis quod præcepit Dominus Moysi ut feriret cum filiis Israel in Terra Moab: præter illud fœdus, quod cum eis pepigit in Horeb.

2. Vocavitque Moyses omnem Israel (*a*), * Exod. 19. 4.
& dixit ad eos: * Vos vidistis universa, quæ fecit Dominus coram vobis in Terra Ægypti Pharaoni, & omnibus servis ejus, universæque terræ illius,

3. Tentationes (*b*) magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa, portentaque ingentia,

4. Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possunt audire, usque in præsentem diem.

* Sup. 8. 2.
5. * Adduxit vos quadraginta annis per desertum: non sunt attrita vestimenta (*c*) vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.

6. Panem non comedistis, vinum & siceram non bibistis: ut sciretis quia ego sum Dominus Deus vester.

7. * Et venistis ad hunc locum: egressusque est Sehon rex Hesebon, & Og rex Basan, occurrentes nobis ad pugnam. Et percussimus eos, * Sup. 3. 1.

8. Et tulimus terram eorum, ac tradidimus possidendam Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manasse.

9. Custodite ergo verba pacti hujus, & implete ea: ut intelligatis universa quæ facitis.

10. Vos statis hodie cuncti coram Domino Deo vestro, principes vestri, & tribus, ac majores natu, atque doctores, omnis populus Israel,

11. Liberi & uxores vestræ, & advena qui tecum moratur in castris, exceptis (*d*) lignorum cæsoribus, & his qui comportant aquas:

12. Ut transeas (*e*) in fœdere Domini Dei tui, & in jurejurando quod hodie Dominus Deus tuus percutit tecum:

13. Ut suscitet te sibi in populum, & ipse sit Deus tuus, sicut locutus est tibi, & sicut juravit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Jacob.

14. Nec vobis solis ego hoc fœdus ferio, & hæc juramenta confirmo,

15. Sed cunctis præsentibus & absentibus.

16. Vos enim nostis quo modo habitaverimus in Terra Ægypti, & quo modo transierimus per medium nationum, quas transeuntes,

17. Vidistis abominationes & sordes, id est, idola eorum, lignum & lapidem, argentum & aurum quæ colebant.

18. Ne forte sit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cujus cor aversum est hodie a Domino Deo nostro: ut vadat & serviat diis illarum Gentium, & sit inter vos radix germinans (*f*) fel & amaritudinem.

19. Cumque audierit verba juramenti hujus, benedicat (*g*) sibi in corde suo, dicens: Pax erit mihi: & ambulabo in pravitate cordis mei: & absumat ebria sitientem,

20. Et Dominus non ignoscat ei, sed tunc quam maxime furor ejus fumet, & zelus contra hominem illum, & sedeant super eum omnia maledicta, quæ scripta sunt in hoc volumine: & deleat Dominus nomen ejus sub cælo,

21. Et

63. (*l*) Sap. 1. *Deus non lætatur in perditione vivendum;* Non vult eam per se, sed justum supplicium peccatoris.

66. & 67. (*m*) Eris in perpetuo vitæ discrimine. *Dices:* Quotidie putabis te occidendum. Idque SS. PP. de Christo exponunt, ut sit sermo ad Judæos ipsi Christi temporibus: Vita tua, id est, Christus, *erit pendens*, in Cruce, ante oculos tuos: *&* id est, non credes in eum, per quem unum vitam consequi potes: quod impletum est in Judæis. Cyprianus de Idolorum vanitate: *Quod autem hoc Judæorum populus intelligere non potuit, delictorum meritum fuit. Sic erant sapientia & intelligentia cæcitate multati, ut qui vita indigni essent, haberent vitam ante oculos suos, nec viderent.*

CAPUT XXIX.
2. (*a*) Omnes rursus adesse jussit: neque enim est verisimile, ait Menochius, omnia quæ in hoc Libro habentur, a Mose uno spiritu nulla interposita quiete esse dicta.

3. & 4. (*b*) Flagellis quibus percussit Ægyptios. Cor intelligens: Vestro vitio factum est, ut Deus non dederit vobis cor intelligens; nam ejus lumini semper rebelles fuistis. August. *Viderunt corpore, corde non viderunt, quia oculi dicuntur & cordis.*

5. (*c*) August. quæst. 51. Hinc apparet *tantum vini in suis impedimentis potuisse portare Israelitas, quando exierunt de Ægypto, quod possent cito consumere. Nam si omnino nihil secum tulissent, unde esset illud, de quo dictum est, Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere? nec enim hoc de aqua diceretur.*

11. (*d*) Hebr. & LXX *A lignorum cæsoribus usque ad comportantem aquam suam.* Adeo ut ne illi quidem abfuerint, cum fœdus ad omnes pertineret: sed forte *exceptis*, id est, ut præterm ttantur lignatores, aquatores, omnes nobiles & ignobiles interfuerunt.

12. (*e*) Alludit ad ritum quo jungebantur fœdera: qui fœdus faciebant, inter partes hostiæ diversas transire solebant, addita exsecratione, ut discerperetur in partes, qui prior fœdus violaret.

18. (*f*) Hebr. *Venenum & absynthium*: qui sibi & aliis caussa est idololatriæ.

19. (*g*) Vana spe se jactet: *Et ambulabo in pravitate cordis mei:* Alii *in cogitatione* vertunt, obsequar cupiditati cordis mei. *Et absumat ebria sitientem*: Mihi indulgebo; caro vincat, quæ *ebriæ* nomine designatur, ut *sitientis* voce mens ipsa indicatur. Hæc sunt verba hominis de prayantis, vel proverbium est, quod alii aliter explicant. Bonfrerius putat hanc vocem, *terra*, suppleri oportere; *absumat terra ebria sitientem*; quæ prius sitiens erat, seipsam perdat, dum pluviis inebriatur; cum scilicet aliquis id desiderat, quod concessum sibi perniciem affert. LXX. *Perdit peccator innocentem*, quem suo exemplo in scelus, & in ruinam trahit. Radix illa germinans fel, homo ille perditus insontem in scelus rapiat, dum impietate sua incitatur, & sibi pacem pollicetur.

21. Et conſumat (*h*) eum in perditionem ex omnibus tribubus Iſrael, juxta maledictiones, quæ in libro Legis hujus ac fœderis continentur.

22. Dicetque ſequens generatio, & filii qui naſcentur deinceps, & peregrini, qui de longe venerint, videntes plagas Terræ illius, & infirmitates, quibus eam afflixerit Dominus,

23. Sulphure & ſalis ardore comburens, ita ut ultra non ſeratur, nec virens quippiam germiner, in exemplum * ſubverſionis Sodomæ (*i*) & Gomorrhæ, Adamæ & Seboim, quas ſubvertit Dominus in ira & furore ſuo.

* Gen. 19. 24.

24. Et dicent omnes Gentes: * Quare ſic fecit Dominus Terræ huic? quæ eſt hæc ira furoris ejus immenſa?

* 3. Reg. 9. 8. Jer. 22. 8.

25. Et reſpondebunt: Quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum quando eduxit eos de Terra Ægypti:

26. Et ſervierunt diis alienis, & adoraverunt eos, quos neſciebant, & quibus non fuerant attributi:

27. Idcirco iratus eſt furor Domini contra Terram iſtam, ut induceret ſuper eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine ſcripta ſunt:

28. Et ejecit eos de terra ſua in ira & in furore, & in indignatione maxima, projecitque in terram alienam, ſicut hodie comprobatur.

29. Abſcondita, Domino Deo noſtro: quæ (*k*) manifeſta ſunt, nobis & filiis noſtris uſque in ſempiternum, ut faciamus univerſa verba Legis hujus.

CAPUT XXX.

Moſes ad pœnitentiam adhortatur lapſos; bonum & malum, proſpera & adverſa res in manu eorum poſita ſunt, vita & mors; cælum & terram ut teſtes invocat.

1. CUM ergo venerint ſuper te omnes ſermones iſti, benedictio, ſive maledictio (*a*), quam propoſui in conſpectu tuo: & ductus pœnitudine cordis tui in univerſis gentibus, in quas diſperſerit te Dominus Deus tuus,

2. Et reverſus fueris ad eum, & obedieris ejus imperiis, ſicut ego hodie præcipio tibi, cum filiis tuis, in toto corde tuo, & in tota anima tua:

3. Reducet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, ac miſerebitur tui, & rurſum congregabit te de cunctis populis, in quos te ante diſperſit.

4. Si ad cardines cæli fueris diſſipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus,

5. * Et aſſumet, atque introducet in Terram, quam poſſederunt patres tui, & obtinebis eam: & benedicens tibi, majoris numeri te eſſe faciet quam fuerunt patres tui.

* 1 Mach. 19.

6. Circumcidet (*b*) Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui: ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut poſſis vivere.

7. Omnes autem maledictiones has convertet ſuper inimicos tuos, & eos qui oderunt te & perſequuntur.

8. Tu autem reverteris, & audies vocem Domini Dei tui: facieſque univerſa mandata quæ ego præcipio tibi hodie.

9. Et abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, in ſobole uteri tui, & in fructu jumentorum tuorum, in ubertate terræ tuæ, & in rerum omnium largitate. Revertetur enim Dominus, ut gaudeat ſuper te in omnibus bonis, ſicut gaviſus eſt in patribus tuis.

10. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris præcepta ejus & cæremonias, quæ in hac Lege conſcripta ſunt: & revertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.

11. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra (*c*) te eſt, neque procul poſitum,

12. Nec in cælo ſitum, ut poſſis dicere: * Quis noſtrum valet ad cælum aſcendere (*d*), ut deferat illud ad nos, & audiamus atque opere compleamus.

* Rom. 10. 6.

13. Neque trans mare poſitum, ut cauſeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos uſque deferre: ut poſſimus audire & facere quod præceptum eſt?

14. Sed juxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.

15. Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & e contrario mortem & malum:

16. Ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & cuſtodias mandata illius ac cæremonias atque judicia: & vivas atque multiplicet te, benedicatque tibi in Terra, ad quam ingredieris poſſidendam.

17. Si autem averſum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque errore deceptus adoraveris deos alienos, & ſervieris eis:

18. Prædico tibi hodie, quod pereas, & parvo tempore moreris in Terra, ad quam, Jordane tranſmiſſo, ingredieris poſſidendam.

19. Teſtes invoco hodie cælum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & ſemen tuum:

20. Et

---

21. (*h*) Hebr. *Et dividet eum in malum ex omnibus Tribubus Iſrael.*

23. (*i*) Hinc nonnulli colligunt Deum pluiſſe ſuper Sodomam ſulphur & ſalem; unde & hoc mare ſalſum eſt & bituminoſum.

29. (*k*) Vox relativa, *quæ*, non eſt in Hebræo: Dei arcana nobis revelata ſunt ante occulta, Legis nimirum præcepta & voluntas Dei.

CAPUT XXX.

1. (*a*) Benedictio, ſi mandata ſervaveris; maledictio, ſi hæc violaveris.

6. (*b*) Auguſt. quæſt. 53. *Evidens pollicitatio gratiæ; promittit enim Deus ſe eſſe facturum, quod ſolet jubere ut fiat.* Legit autem Auguſtinus: *Et circumpurgabit Dominus cor tuum.*

11. (*c*) Ut poſſis te excuſare, quaſi non poſſis ea noſſe, & opere implere. Hinc nonnulli perperam concludunt ſacram Scripturam ubique claram eſſe & apertam, ut nihil opus ſit interprete. Hoc quidem in loco agitur tantum de Deuteronomio. Quod autem ait Petrus Actor. 15. *Jugum Legis neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus:* difficultatem in præceptorum multitudine & gravitate poſitam indicat, cum parcior eſſet gratia Sacramentis, non ut in nova Lege. Annecta Auguſt. quæſt. 54 *Sed quæri poteſt, cur ea ſuperius mandata dixerit, quæ ſcripta ſunt in Libro Legis hujus, niſi quia in his omnibus ſpiritalia ſignificantur ad Novum Teſtamentum pertinentia, ſi bene intelligantur? Unde hæc verba, Prope eſt verbum in ore tuo,* interpretatur Apoſtolus Rom. 10. de verbo Fidei.

12. (*d*) Quod Chriſtus nondum e cælo deſcendiſſet per Incarnationem, neque per Reſurrectionem aſcendiſſet

10. Et diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhæreas (ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum) ut habites in Terra, pro qua juravit Dominus patribus tuis, Abraham, Isaac, & Jacob, ut daret eam illis.

CAPUT XXXI.

Josue in locum Mosis substituitur: Deuteronomium exscribi jubet, & septimo quoque anno coram populo legi, idque ad latus Arcæ asservari.

1. ABiit itaque Moyses, & locutus est omnia verba hæc ad universum Israel,

2. Et dixit ad eos: Centum viginti annorum sum hodie, non possum ultra egredi, & ingredi (a), præsertim cum & Dominus dixe-
* Num.27. 2. rit mihi: * Non transibis Jordanem istum.

Sup 1. 37. 3. Dominus ergo Deus tuus transibit ante te: ipse delebit omnes gentes has in conspectu tuo, & possidebis eas: & Josue iste transibit ante te, sicut locutus est Dominus.

* Num. 21. 24. 4. Facietque Dominus eis * sicut fecit Sehon & Og regibus Amorrhæorum, & terræ eorum, delebitque eos.

* Sup. 7. 2. 5. Cum ergo & hos tradiderit vobis, * similiter facietis eis sicut præcepi vobis.

6. Viriliter agite, & confortamini: nolite timere, nec paveatis ad conspectum eorum: quia Dominus Deus tuus ipse est ductor tuus, & non dimittet, nec derelinquet te.

7. Vocavitque Moyses Josue, & dixit ei co-
* Jos. 1. 6. 3. Reg. 2. 2. ram omni Israel: * Confortare, & esto robustus: tu enim introduces populum istum in Terram, quam daturum se patribus eorum juravit Dominus, & tu eam sorte divides.

8. Et Dominus qui ductor est vester, ipse erit tecum: non dimittet, nec derelinquet te: noli timere, nec paveas.

9. Scripsit itaque Moyses legem hanc, & tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam fœderis Domini, & cunctis senioribus Israel.

10. Præcepitque eis, dicens: Post septem annos, anno remissionis, in solemnitate tabernaculorum,

11. Convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus, leges verba Legis hujus coram omni Israel, audientibus eis,

12. Et in unum omni populo congregato, tam viris quam mulieribus, parvulis, & advenis, qui sunt intra portas tuas, ut audientes discant, & timeant Dominum Deum vestrum, & custodiant, impleantque omnes sermones Legis hujus.

13. Filii quoque eorum qui nunc ignorant, ut audire possint, & timeant Dominum Deum suum cunctis diebus quibus versantur in terra, ad quam vos, Jordane transmisso, pergitis obtinendam.

14. Et ait Dominus ad Moysen: Ecce prope sunt dies mortis tuæ: voca Josue, & state in tabernaculo testimonii, ut præcipiam ei. Abierunt ergo Moyses & Josue, & steterunt in tabernaculo testimonii:

15. Apparuitque Dominus ibi in columna nubis, quæ stetit in introitu tabernaculi.

16. Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce tu dormies cum patribus tuis, & populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in Terra, ad quam ingreditur ut habitet in ea: ibi derelinquet me, & irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo.

17. Et irascetur furor meus contra eum in die illo: & derelinquam eum, & abscondam faciem meam ab eo, & erit in devorationem: invenient eum omnia mala & afflictiones, ita ut dicat in illo die: Vere quia non est Deus mecum, invenerunt me hæc mala.

18. Ego autem abscondam, & celabo faciem meam in die illo, propter omnia mala quæ fecit, quia secutus est deos alienos.

19. Nunc itaque scribite vobis canticum istud, & docete filios Israel: ut memoriter teneant, & ore decantent, & sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel.

20. Introducam enim eum in Terram, pro qua juravi patribus ejus, lacte & melle manantem. Cumque comederint, & saturati, crassique fuerint, avertentur ad deos alienos, & servient eis: detrahentque (b) mihi, & irritum facient pactum meum.

21. Postquam invenerint eum mala multa & afflictiones, respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit oblivio ex ore seminis sui. Scio enim cogitationes ejus, quæ facturus sit hodie, antequam introducam eum in Terram, quam ei pollicitus sum.

22. Scripsit ergo Moyses canticum, & docuit filios Israel.

23. Præcepitque Dominus Josue filio Nun, & ait: Confortare, & esto robustus: tu enim introduces filios Israel in Terram, quam pollicitus sum, & ego ero tecum.

24. Postquam ergo scripsit Moyses verba Legis hujus in volumine, atque complevit:

25. Præcepit Levitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens:

26. Tollite librum istum, & ponite eum in latere arcæ fœderis Domini Dei vestri: ut sit ibi contra te in testimonium.

27. Ego enim scio contentionem tuam, & cervicem tuam durissimam. Adhuc vivente me, & ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum: quanto magis cum mortuus fuero?

28. Congregate ad me omnes majores natu per tribus vestras, atque doctores, & loquar audientibus eis sermones istos, & invocabo contra eos cælum & terram.

29. Novi enim quod post mortem meam inique agetis, & declinabitis cito de via, quam præcepi vobis: & occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conspectu Domini, ut irritetis eum per opera manuum vestrarum.

30. Locutus est ergo Moyses, audiente universo cœtu Israel, verba carminis hujus, & ad finem usque complevit.

CA-

CAPUT XXXI. 2. (a) Versari vobiscum.
20. & 27. (b) Hebr. *Irritabunt me. Durissimam; Qui nolunt vocanti respondere, cervicem non flectunt.*

CAPUT XXXII.

Canticum Mosis morituri, quo Legis & Pentateuchi velut summarium quoddam continetur, idque est omnino paraeneticum. Jubetur Moses in montem Abarim conscendere, ut inde terram promissam prospiciat.

1. Audite cæli (*a*) quæ loquor, audiat terra verba oris mei.

2. Concrescat (*b*) ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.

3. Quia nomen Domini invocabo: date magnificentiam (*c*) Deo nostro.

4. Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, justus & rectus.

5. Peccaverunt (*d*) ei, & non filii ejus in sordibus: generatio prava atque perversa.

6. Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens? nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?

* Job 8. 8. 7. * Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.

8. Quando dividebat (*e*) Altissimus gentes: quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.

9. Pars (*f*) autem Domini, populus ejus: Jacob funiculus hæreditatis ejus.

10. Invenit eum in Terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis: circumduxit eum, & docuit: & custodivit quasi pupillam oculi sui.

11. Sicut aquila provocans (*g*) ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.

12. Dominus solus dux ejus fuit: & non erat cum eo Deus alienus.

13. Constituit (*h*) eum super excelsam terram: ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.

14. Butyrum de armento, & lac de ovibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan: & hircos cum medulla (*i*) tritici, & sanguinem uvæ biberet meracissimum.

15. Incrassatus est dilectus, & recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo.

16. Provocaverunt eum in diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.

17. Immolaverunt dæmoniis, & non Deo, diis quos ignorabant: novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.

18. Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.

19. Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est: quia provocaverunt eum filii sui & filiæ.

20. Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum: generatio enim perversa est, & infideles filii.

21. Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, & irritaverunt in vanitatibus suis:
& * ego provocabo (*k*) eos in eo qui non *Jer. 15 14.
est populus, & in gente stulta irritabo il- Rom. 10.
los. 19.

22. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima: devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.

23. Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo (*l*) in eis.

24. Consumentur fame, & devorabunt (*m*) eos aves morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.

25. Foris vastabit eos gladius, & intus pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.

26. Dixi: Ubinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

27. Sed propter iram inimicorum distuli: ne forte superbirent hostes eorum, & dicerent: Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia.

28. Gens absque consilio est, & sine prudentia.

29. * Utinam saperent, & intelligerent, ac *Jer 9. 12.
novissima providerent.

30. Quomodo persequatur unus mille, & duo fugent decem millia? nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos?

31. Non (*n*) enim est Deus noster ut dii eorum: & inimici nostri sunt judices.

32. De

CAPUT XXXII.

1. (*a*) Cæli & terræ incolæ. Angeli & homines: sic attentos vult magna dicturus.

2. (*b*) Hebr. *Stillet ut pluvia verbum meum*. Ut Herba recens imbre crescit, sic mentes vestræ ex verbis meis proficiant.

3. & 4. (*c*) Honorem ejus majestati debitum reddite. *Judicia*. Quæ facit, justa sunt omnia.

5. (*d*) Peccaverunt in sordibus: seu criminibus se contaminarunt. Augustin. quæst. 55. *Peccare in Deum est in iis peccare, quæ ad Dei cultum pertinent ... Sic enim peccabant filii Heli .... Peccare autem Domino .... hi mihi videntur non immerito dici, qui prius peccati sui pœnitentiam non agunt, ut glorificetur ignoscens Dominus.*

8. (*e*) Quando in Babelica divisione suam cuique genti assignavit regionem: Hebr. *Quando hæreditare fecit Altissimus Gentes. Quando separabat filios Adam*: aliis alio dimissis. *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel*: Iam tunc cogitavit de populo Israelitico, & [illegible] illi tribuere terram Chanaan. *Juxta numerum filiorum Israel*; quæ par esset illis alendis. LXX. *Juxta numerum Angelorum Dei*. August. in Psalm. 134. *Quamvis ipse omnes Angelos condiderit, ceteras Angelis commisit, sibi istam possidendam, servandamque deputavit.*

9. (*f*) Hebr. *Quia pars Domini populus ejus: Jacob funiculus hæreditatis ejus*. Alludit ad modum terræ dividendæ tum temporis usitatum ducto funiculis.

11. (*g*) Hebr. *Sicut Aquila excitans nidum suum*. id est pullos nidi sui.

13. (*h*) Hebr. *Equitare fecit eum super excelsa terræ*: Omnia illi fecit pervia, vel *excelsa terræ*, pro eximiis & fertili sumitur: *ut sugeret mel de petra*; adeo ut loca inculta apibus & oleo abundarent.

14. (*i*) Hebr. *Cum adipe renum tritici*: grana vocat renes. *Arietum filiorum Basan*, qui in regione Basan fertili sunt enutriti.

21. (*k*) Ex Gentibus Ecclesiam formans, eos ad zelotypiam salutarem & æmulationem provocabo.

23. (*l*) Hebr. *Consumam*: Exhauriam, ne una quidem sagitta in pharetra supersit.

24. (*m*) Hebr. *Et comesti pruna, & excidio amarissimo*: Morbis ardentibus consumentur. In Hebræo nulla fit avium mentio.

31. (*n*) Non is est qui peccata nostra dissimulet. *Et inimici nostri sunt judices*: Cujus rei testes sunt inimici nostri, qui ejus severitatem sunt experti.

32. De vinea (o) Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: uva eorum uva fellis, & botri amarissimi.

33. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.

34. Nonne hæc condita (p) sunt apud me, & signata in thesauris meis?

* Eccli. 28. 1. Rom. 12. 19. Heb. 10. 30. 35. * Mea est ultio, & ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum: juxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora.

* 2. Mac. 7. 6. 36. Judicabit Dominus populum suum, & * in servis suis miserebitur: videbit (q) quod infirmata sit manus, & clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt.

* Jer. 2. 28. 37. Et dicet: * Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam?

38. De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum: surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.

* 1. Reg. 2. 6. Tob. 13. 2. Sap. 16. 13. * Job 10. 7. Sap. 16. 15. 39. Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: * ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego sanabo, * & non est qui de manu mea possit eruere.

40. Levabo ad cælum manum meam, & dicam: Vivo ego in æternum.

41. Si acuero ut fulgur (r) gladium meum, & arripuerit judicium manus mea: reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam.

42. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes, de cruore occisorum, & de captivitate, nudati inimicorum capitis.

* 2. Mach. 7. 6. 43. * Laudate (s) gentes populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur: & vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui.

44. Venit ergo Moyses, & locutus est omnia verba cantici hujus in auribus populi, ipse & Josue filius Nun.

45. Complevitque omnes sermones istos, loquens ad universum Israel.

46. Et dixit ad eos: Ponite corda vestra in omnia verba, quæ ego testificor vobis hodie: ut mandetis ea filiis vestris custodire & facere, & implere universa (t) quæ scripta sunt legis hujus:

47. Quia non incassum præcepta sunt vobis, sed ut singuli in eis viverent: quæ facientes longo perseveretis tempore in Terra, ad quam, Jordane transmisso, ingredimini possidendam.

48. Locutusque est Dominus ad Moysen in eadem die, dicens:

49. Ascende in montem istum Abarim, id est, transituum, in montem Nebo, qui est in terra Moab contra Jericho: & vide Terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israel obtinendam, & morere in monte.

50. Quem conscendens jungeris populis tuis, * sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, & appositus populis suis: * Num. 20. 26. & 27. 13.

51. * Quia prævaricati estis contra me, in medio filiorum Israel, ad aquas contradictionis in Cades deserti Sin: & non sanctificastis me inter filios Israel. * Num. 20. 12. & 27. 14.

52. E contra videbis (u) terram, & non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israel.

CAPUT XXXIII.

Moyses iturus in montem, & moriturus, benedicit populo; quæque sunt futura prædicit.

1. HÆc est benedictio, qua benedixit Moyses, homo Dei, filiis Israel ante mortem suam.

2. Et ait: Dominus de Sinai (a) venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia. In dextera ejus ignea lex.

3. Dilexit populos, * omnes sancti in manu (b) illius sunt: & qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius. * Sap. 3. 1.

4. Legem præcepit nobis Moyses, hæreditatem multitudinis Jacob.

5. Erit apud rectissimum rex (c), congregatis principibus populi cum tribubus Israel.

6. Vivat Ruben, & non moriatur (d), & sit parvus in numero.

7. Hæc est Judæ benedictio: Audi Domine vocem Judæ (e), & ad populum suum introduc eum: manus ejus pugnabunt pro eo, & adjutor illius contra adversarios ejus erit.

8. Levi quoque ait: Perfectio (f) tua, & doctrina tua viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, & judicasti ad aquas contradictionis.

9. Qui

32. (o) Hebr. *De vite Sodomorum vitis eorum*: Ex pravis majoribus pejores filii: vel populus qui mihi fuerat vinea electa, factus est vinea Sodomorum. Id ipsum Isaias cap. 5. Et Jeremias cap. 2. iisdem pene verbis exprimunt. *De suburbanis*: De agris.

34. & 36. (p) Ultionem differo, tametsi scelerum populi non oblitus. *Judicabit*, ulciscetur, *Dominus*. Hebr. *Jehova*, יהוה.

36. (q) Videbit id futurum, ut resistere non valeant inimicis suis: Vires exhaustas. *Et clausi*: Mœnibus inclusi omnes in potestatem hostium venerunt: Hebr. *Nihil clausum & derelictum*: Ultioni nempe relictum. Gregor. Lib. 6. Moral. *Percutit ut sanet*. Quia idcirco foris verbera admovet, ut intus vulnera delictorum curet.

41. & 42. (r) Hebr. *Si acuero fulgur gladii mei: Et arripuerit judicium manus mea*: Et cœpero exercere judicium. *Capitis*: Captivorum capita nudabantur.

43. (s) Quod tam propitium & justum habeat Deum: Hebr. *Laudate gentes populus ejus*, Deum scilicet.

46. (t) Id est, in volumine Legis: Hebr. *Omnia verba Legis hujus*.

52. (u) Sept. Interpret. *Quoniam e regione videbis terram*: Quod jungendum cum ea voce, *Ascende*.

CAPUT XXXIII. 2. (a) Cum inde Legem dedit: *Apparuit de monte Pharan*; ubi LXX. *Suo repletus spiritu*. Divinus splendor primum in iis montibus apparens, paullatim accedere visus est: *Et cum eo Sanctorum, millia Angelorum*, supple, sunt. *Ignea Lex*, quod igne micante lata fuerit.

3. (b) Ut eos protegat: *Et qui appropinquant pedibus ejus*: qui appropinquaverunt ad radices montis. *Accipient de doctrina ejus*: acceperunt. Nam apud Hebræos tempora facile commutantur.

5. (c) Erit & in Israel Rex, vel, fuit apud dilectum Rex, seu Dux & Gubernator populi Moses. Vel Deus per Legem regnabit in populo suo, cum Principes una cum Tribubus conjuncti fuerint, & concordes.

6. (d) Alludit ad Prophetiam Jacob Genes. 49. qui de Ruben dixerat, *Effusus es sicut aqua, non crescas*. Simeonis benedictio hic omittitur in Hebræo, & in Vulgata, non item apud LXX. qui sic habent καὶ Συμεὼν ἔστω πολὺς ἐν ἀριθμῷ? *Et Simeon sit multus numero*.

7. (e) Tribus Judæ deprecantis, ut terra promissa potiatur. *Et ad populum suum introduc eum*: Ad partem terræ illi destinatam. *Manus ejus*, Dei. Hæc Prophetia ad Christum pertinet, qui e Tribu Juda erat nasciturus, & Israelis Protector futurus.

8. (f) Hebr. *Thumim & Urim*, תמיך ואוריך, quæ erant in Rationali depicta: *Viro sancto suo*, Aaroni data sunt. *Et judicasti apud aquas contradictionis*: quæ fuit ejus mora.

9. Qui dixit (*g*) patri suo, & matri suæ: Nescio vos; & fratribus suis: Ignoro vos: & nescierunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt,

10. Judicia tua o Jacob, & legem tuam o Israel: ponent thymiama in furore tuo, & holocaustum super altare tuum.

11. Benedic Domine fortitudini ejus, & opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum ejus: & qui oderunt eum, non consurgant.

12. Et Benjamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo (*h*): quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.

13. Joseph quoque ait: De benedictione Domini in terra ejus, de pomis (*i*) cæli, & rore, atque abysso subjacente.

14. De pomis fructuum solis ac lunæ:

15. De vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum:

16. Et de frugibus terræ, & de plenitudine ejus. Benedictio illius, * qui apparuit in rubo, veniat super caput Joseph, & super verticem nazaræi inter fratres suos. * Exod 3. 2.

17. Quasi primogeniti tauri (*k*) pulcritudo ejus, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabit Gentes usque ad terminos terræ: hæ sunt multitudines Ephraim: & hæc millia Manasse.

18. Et Zabulon ait: Lætare Zabulon (*l*) in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis.

19. Populos vocabunt ad montem (*m*): ibi immolabunt victimas justitiæ. Qui inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.

20. Et Gad ait: Benedictus in latitudine (*n*) Gad: quasi leo requievit, cepitque brachium & verticem.

21. Et vidit principatum (*o*) suum, quod in parte sua doctor esset repositus: qui fuit cum principibus populi, & fecit justitias Domini, & judicium suum cum Israel.

22. Dan quoque ait: Dan (*p*) catulus leonis, fluet largiter de Basan.

23. Et Nephthali dixit: Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini: mare & meridiem possidebit (*q*).

24. Aser quoque ait: Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum.

25. Ferrum & æs calceamentum (*r*) ejus. Sicut dies juventutis tuæ, ita & senectus tua.

26. Non est deus alius ut Deus rectissimi (*s*): ascensor cæli auxiliator tuus. Magnificentia ejus discurrunt nubes.

27. Habitaculum (*t*) ejus sursum, & subter brachia sempiterna: ejiciet a facie tua inimicum, dicetque: Conterere.

28. Habitabit Israel confidenter, & solus. Oculus Jacob in terra frumenti & vini, cælique caligabunt rore (*u*).

29. Beatus es tu Israel: quis similis tui popule, qui salvaris in Domino? scutum auxilii tui, & gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.

CAPUT XXXIV.

Moyses e monte Nebo terram Chanaan contemplatus moritur, & a Deo occulte sepelitur in valle Moab: huic Josue succedit: fletur a populo; non alius similis Mosi Propheta postea surrexit in Israel.

1. ASCENDIT * ergo Moyses de campestribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasga contra Jericho: ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad usque Dan, * Sup 3 27. & 32 49. 2. Mach. 2. 4.

2. Et universum Nephthali, terramque Ephraim & Manasse, & omnem terram Juda usque ad mare novissimum,

3. Et australem partem, & latitudinem campi Jericho civitatis palmarum usque Segor.

4. Dixitque Dominus ad eum: * Hæc est terra, pro qua juravi Abraham, Isaac, & Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam. * Gen 12. 7. & 15. 18.

5. Mortuusque (*x*) est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino:

6. Et sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem.

7. Moy-

9. & 10. (*g*) Levitæ sævierunt in impios. *Judicia*. Hebr. Docebunt *Judicia tua Jacob*.

12. (*h*) Hebr. *super eum*; quod intra fines hujus Tribus Templum sit ædificatum: unde subdit, *Quasi in thalamo*, &c. quod Templum esset velut thalamus Dei, qui ut sponsus Israelis erat.

13. (*i*) Vox Hebræa מגד, *Meged*, *delicias* etiam significat: fertilitatem terræ Joseph designat.

17. (*k*) Tertullianus adversus Judæos c. 11 hæc ad Christum refert, cujus Joseph typus fuit: *Hac virtute crucis, & hoc more cornutus universas gentes, & nunc ventilat, per fidem auferens a terra in cælum, & tunc ventilabit per judicium, dejiciens de cælo in terram.*

18. (*l*) Habitavit ad mare: hinc ad commercia ineunda exibit. *Issachar in tabernaculis suis*, habitabit, nec egredietur ad commercia ineunda. Sic Jacob de eo dixit: *Vidit requiem quod esset bona*.

19. (*m*) Ad Templum in monte positum deducent gentes. *Inundationem maris quasi lac sugent*. Hebr. *Affluentiam maris sugent*, propter commercia; *& thesauros absconditos arenarum*, propter fodinas metallorum & gemmas, vel in ea regione, vel in iis ad quas navibus ibant. Christus prædicavit in iis regionibus, ac præcipui Apostoli ex iis Tribubus erant oriundi, adeo ut vocatio gentium ad montem Sion, sive ad Ecclesiam videatur a Spiritu Sancto designata.

20. (*n*) In prosperitate. *Quasi leo requievit*, non timens hostes: *Cepitque brachium & verticem*: Fortes adversarios suos & Reges: aut forte indicat futuros in Tribu Gad prædones, qui non contenti parte sua, totum rapient.

21. (*o*) Excellentiam suam: *Quod in parte sua doctor esset repositus*: Quod Moyses ibi esset sepultus, licet locus nesciretur: *Qui fuit cum Principibus populi* Dux & Comes ceterorum Principum.

22. (*p*) Vel ad totam Tribum, vel ad Samsonem id pertinet. *Fluet largiter de Basan*: Nam pars hujus Tribus sedem sibi attributam reliquit, ad Aquilonem versus Libanum, & ad fontes Jordanis se recepit, ubi urbem Dan condiderunt.

23. (*q*) Opes quæ per mare advehuntur; solum habebit uberrimum, & opes a mari importatas.

25. (*r*) Multum æris & ferri in ea regione, eaque calcabit.

26. (*s*) O Israelitæ: *Ascensor cæli auxiliator tuus*: Hebr. *equitans cælos in auxilium tuum*.

27. (*t*) Habitaculum ejus in cælo, ut tegat te, & inferius habet brachia sempiterna statutum, & opera, quibus pugnet pro te; brachia extensa ad opem tibi ferendam.

28. (*u*) Copiam roris promittit, qui ubi copiosus est, nebula tegit Solem.

5. & 6. (*x*) Hujus ergo narrationis ultimæ Moses non est auctor. *Sepelivit*, Angelorum ministerio. *Et non cognovit homo sepulcrum ejus*: Ne Israelitæ ad idololatriam pronversi, eum pro Deo colerent. Hinc disceptatio Michaelem inter & Diabolum, cujus fit mentio in Judæ Epistola. Diabolus contendebat ut corpus Mosis publico funere sepeliretur, ut Hebræos ad idololatriam alliceret; cui restitit Michael Archangelus. CAPUT XXXIV.

7. Moyses centum & viginti annorum erat quando mortuus est: non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.

8. Fleveruntque eum filii Israel in campestribus Moab triginta diebus: & completi sunt dies planctus lugentium Moysen.

9. Josue vero filius Nun repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus (b) suas. Et obedierunt ei filii Israel, feceruntque sicut præcepit Dominus Moysi.

10. Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem,

11. In omnibus signis atque portentis, quæ misit per eum, ut faceret in Terra Ægypti Pharaoni, & omnibus servis ejus, universæque terræ illius,

12. Et cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram universo Israel.

9. (b) Hoc initium est impositionis manuum, qua cælestia dantur bona, ut in consecratione Sacerdotum.

LIBER JOSUE,

HEBRAICE

JEHOSUA.

Hujus Libri hæc fere summa est, ingressus populi Dei in terram promissam; expugnatæ urbes, & victoriæ de hostibus reportatæ, cuiusque tribus sors a Josue designata. Ut Moses Veteris, sic Josue fuit Novi Fœderis, & Christi Domini typus. Nam ut sub Mosis regimine populus contumax semper erat, & ad rebellionem promptus; sic sub Josue docilis fuit, & ad obsequium paratus: adeo ut Novi Testamenti gratia Josue temporibus refulgeat, cum veri Abrahæ filii patriam promissam ingressi Dei vocem audiunt, eique obsequuntur.

De hujus Libri Auctore magna est inter eruditos controversia. Theodoretus eum excerptum fuisse ex Libro Justorum, *qui laudatur cap.* 10. *existimat; alii a Samuele, aut ab Esdra scriptum opinantur. Communior sententia est hunc Librum e Josue ipso fuisse conscriptum, qui non solum nomine, sed etiam rebus gestis Christi Domini figura fuit, ob id maxime quod populum Dei in terram promissionis introduxit. Id vero persuadent hæc postremi capitis verba:* Scripsit quoque Josue omnia verba hæc in volumine legis Domini. *Tametsi hæc verba ad ea præcise quæ in hoc capite continentur, de fœdere Deum inter & populum renovato, satis commode referri possunt. Ad exemplum Mosis res a se gestas litteris consignavit, & opus suum libris Mosis subjecit. Hujus Libri cum alibi in Scripturis passim, tum maxime Lib. 3. Regum cap. 3. fit mentio, ubi sacer textus innuit Josue maledictionem adversus eum qui ædificaverit Jericho, impletam fuisse in persona Hiel de Bethel.*

Quod autem cap. 4. loquens Auctor hujus libri de duodecim lapidibus in medio Jordanis alveo positis, sic ait: Sunt ibi usque in præsentem diem: *& c. 6. de Circumcisione facta hæc habet:* Vocatum est nomen loci illius Galgala usque in præsentem diem. *Sic cap.* 10. *citatur Liber* Justorum. *Josue recentior, aut æqualis, cum Auctor meminerit pugnæ Gabaonitarum. Cap.* 19. *narratur expeditio Danitarum adversus Lizen, quæ post mortem Josue contigit, ut liquet ex capite octavo libri Judicum. Quin modus iste loquendi cap.* 17. 14. Non fuit antea, nec postea tam longa dies, *cum scilicet sol stetit in medio cæli, longius videtur temporis spatium exigere, quam illud quod ab hoc miraculo ad mortem usque Josue effluxit.*

Hæc, inquam, & alia non evincunt hunc Librum a Josue non fuisse conscriptum, sed ejus acta fuisse postea a Scribis, aut ab Esdra recognita, interjectis aliquot verbis connexionis, aut explicationis gratia. Liber Justorum fuit carmen Epinicium post reportatas victorias compositum, & inter Hebræos promulgatum: aut forte liber fuit Paræneticus, qui Israelitas ad pie sancteque vivendum informabat. Josue admodum senex hunc Librum edidit: hinc frequens illa temporis notatio, usque ad præsentem diem, *uti Matth. 27. de agro Haceldama legimus.*

Quod autem de expeditione Danitarum infertur, id unum esse potest ex additamentis, quæ huc illuc Esdras ad pleniorem rerum intelligentiam sparsit. Cum enim, ut sapienter observat Illustriss. Huetius, assignatam Danitis portionem descripsisset Josue, aliamque postea armis quæsiissent, merito id Esdras, aut quisquis alius Scriptor Hagiographus supplendum duxit. Clausulam si detrahas, constabit sententia, neque suspensus erit sensus. Sic duos versus in cap. 21. intrusos reperies, quos vetusta Hebræorum exemplaria non agnoscunt, teste Davide Kimhi. Videtur quoque inserta clausula versibus 14. & quinque sequentibus cap. 15. ut videtur Huetio. Qui aliam quoque diluit objectionem, quod c. 19. fiat mentio terræ Chabul, cui id nominis impositum fuerit post multas ætates a Rege Tyri Hiram, Lib. 3. Regum, cap. 9. Sed docet vir doctissimus non eamdem esse utramque terram Chabul. Altera enim est regiuncula viginti constans oppidis, altera est vicus in confiniis Ptolemaidis, utraque in Tribu Aser; eas distinxit Josephus Lib. 8. Antiq. cap. 1.

CAPUT PRIMUM.

Josue a Domino excitatus monet populum ut ad Jordanis transitum omnes se parent, quidve faciendum sit intra triduum: promissæ terræ fines describit.

1. ET factum est (*a*) post mortem Moysi servi Domini, ut loqueretur Dominus ad Josue filium Nun, ministrum Moysi, & diceret ei:

2. Moyses servus meus mortuus est: surge (*b*), & transi Jordanem istum tu, & omnis populus tecum, in Terram, quam ego dabo filiis Israel.

* Deut 11. 24 — 3. * Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam (*c*), sicut locutus sum Moysi.

4. A deserto & Libano (*d*) usque ad fluvium magnum Euphraten, omnis terra Hethæorum usque ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester.

* Inf. 3. 7. Heb. 13. 5. — 5. Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ: * sicut fui cum Moyse, ita ero tecum: non dimittam, nec derelinquam te.

* Deut 31. * 23 3. Reg. 2. 2 — 6. * Confortare, & esto robustus: tu enim sorte divides populo huic Terram, pro qua juravi patribus suis, ut traderem eam illis.

7. Confortare igitur, & esto robustus valde: ut custodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses servus meus: ne declines ab ea ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas (*e*) cuncta quæ agis.

8. Non recedat (*f*) volumen Legis hujus ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias & facias omnia quæ scripta sunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.

9. Ecce (*g*) præcipio tibi, confortare, & esto robustus. Noli metuere, & noli timere: quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris.

10. Præcepitque Josue principibus populi, dicens: Transite per medium castrorum, & imperate populo, ac dicite:

11. Præparate (*h*) vobis cibaria: quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, & intrabitis ad possidendam Terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis.

12. Rube-

CAPUT I. 1. (*a*) Dum adhuc justa persolverentur Mosi, ut videtur Salviano: nam magnam celeritatem textus indicat, aut certe statim post funebrem ejus luctum: vox, *Et*, ex usu linguæ Hebraicæ initium est narrationis; nisi ea conjunctio hunc librum cum fine superioris conjungat. *Ministrum Mosi*: in iis quæ ad Dei cultum spectabant, qui ob eam rem Spiritum Dei acceperat ex cap. 27. Numerorum. *Filium Nun*, Hebr. Naun, נון.

2. (*b*) Diligentiam adhibe.

3. (*c*) Quos Deus pœnæ damnavit, eorum res pro rebus nullius habentur, in quibus possessio jus dat.

4. (*d*) Terræ sanctæ terminos designat a Meridie & Septentrione, *usque ad fluvium magnum Euphraten*, qui est ad Orientem: *omnis terra Hethæorum usque ad Mare magnum*: per Hethæos alias sex gentes intelligit. Chananææ, seu terræ promissæ termini sunt ab Oriente Syria, ab Austro desertum Pharan, & Ægyptus; ab Occidente Mare Mediterraneum, quod in Scriptura Magnum appellatur; a Septentrione mons Libanus, vel potius Antilibanus.

7. (*e*) Ut prudenter agas. Toto hoc capite Deus animum addit Josue, tum ut legem custodiat, tum ut omnem exuat metum: atque illi pollicetur: nunquam futurum ut eum deserat, dummodo sit fidelis, adeo ut in tutela Dei & ejus protectione omnem spem suam ponat, & fiduciam: Legis divinæ observatione hæc spes divinæ protectionis innititur. *Ne declines ab ea ad dexteram, vel sinistram*: vera sapientia, aut intelligentia cum simplicitate, aut rectitudine cordis conjuncta est.

8. (*f*) Volumen legis præ oculis habe, hanc semper meditare.

9. (*g*) Nonne præcipio tibi? nihil est quod metuas.

11. (*h*) Filii Isr. ei una cum manna usi sunt aliis cibis, cum præsto erant. *Quoniam post diem tertium transibitis Jordanem*: hæc dicta sunt per prolepsim, seu anticipationem: triduum enim intelligitur post reditum exploratorum: nam exploratores aliquandiu hæserant ad Jordanem: quæ igitur referuntur capite sequenti, huic mandato præponi debent. Quare Josue id videtur populo præcepisse, ut pararent cibaria, cum ad Jordanem pervenissent. Augustinus paulo aliter triduum illud interpretatur, quæst. 2. *Hinc ergo*, inquit, *intelligitur, humanam fuisse dispositionem, quam fecit populo nuntiari, ut cibaria præpararent, tamquam post tres dies memoratum flumen transituri: potuit enim hoc sicut homo sperare fieri posse, si exploratores celeriter venissent: nec incredibile debet videri etiam, illos, cum quibus Deus loquebatur, aliquid ex humana dispositione agere voluisse, in qua sibi Deum tamen fuisse rectorem, eorumque ex illius, a quo verebantur providentia, consilia esse mutata*. Quod exemplo Mosis confirmat, qui causas populi ante soceri adventum solus audiebat.

12. Rubenitis quoque & Gaditis, & dimidiæ tribui Manaſſe ait:

13. Mementote ſermonis, quem præcepit vobis Moyſes famulus Domini, dicens: Dominus Deus veſter dedit vobis requiem, & omnem terram.

* Num. 32. 26. 14. * Uxores veſtræ, & filii, ac jumenta manebunt in Terra, quam tradidit vobis Moyſes trans Jordanem: vos autem tranſite (*i*) armati ante fratres veſtros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis,

15. Donec det Dominus requiem fratribus veſtris ſicut & vobis dedit, & poſſideant ipſi quoque Terram, quam Dominus Deus veſter daturus eſt eis: & ſic revertimini in Terram poſſeſſionis veſtræ, & habitabitis in ea, quam vobis dedit Moyſes famulus Domini trans Jordanem contra ſolis ortum.

16. Responderuntque ad Joſue, atque dixerunt: Omnia quæ præcepiſti nobis, faciemus: & quocumque miſeris, ibimus:

17. Sicut obedivimus in cunctis Moyſi, ita obediemus & tibi: tantum ſit Dominus Deus tuus tecum, ſicut fuit cum Moyſe.

18. Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit (*k*) cunctis ſermonibus, quos præceperis ei, moriatur: tu tantum confortare, & viriliter age.

CAPUT II.

Miſſos a Joſue exploratores Rahab benigne excipit & occultat, qui incolumes redeunt in caſtra.

1. MIſit (*a*) igitur Joſue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abſcondito: & dixit eis: Ite, & conſiderate Ter-
* Heb. 11. 31. Jac. 2. 25. ram, urbemque Jericho. * Qui pergentes ingreſſi ſunt domum mulieris meretricis, nomine Rahab, & quieverunt apud eam.

2. Nuntiatumque eſt regi Jericho, & dictum: Ecce viri ingreſſi ſunt huc per noctem de filiis Iſrael, ut explorarent Terram.

3. Miſitque rex Jericho ad Rahab, dicens: Educ viros, qui venerunt ad te, & ingreſſi ſunt domum tuam: exploratores quippe ſunt, & omnem Terram conſiderare venerunt.

* Joſu. 6. 17. 4. * Tollenſque mulier viros, abſcondit, & ait: Fateor, venerunt ad me, ſed neſciebam unde eſſent:

5. Cumque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, neſcio quo abierunt: perſequimini cito, & comprehendetis eos.

6. Ipſa autem fecit aſcendere viros in ſolarium domus ſuæ, operuitque (*b*) eos ſtipula lini, quæ ibi erat.

7. Hi autem qui miſſi fuerant, ſecuti ſunt eos per viam, quæ ducit ad vadum Jordanis: illiſque egreſſis ſtatim porta clauſa eſt.

8. Necdum obdormierant qui latebant, & ecce mulier aſcendit ad eos, & ait:

9. Novi quod Dominus tradiderit vobis Terram: etenim irruit in nos terror veſter, & elanguerunt omnes habitatores Terræ.

10. Audivimus quod * ſiccaverit Dominus aquas Maris rubri ad veſtrum introitum, quando egreſſi eſtis ex Ægypto: * & quæ feceritis duobus Amorrhæorum regibus, qui erant trans Jordanem, Sehon & Og, quos interfeciſtis. * Exod. 14. 21. * Num. 21. 24.

11. Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor noſtrum, nec remanſit in nobis ſpiritus ad introitum veſtrum: Dominus (*c*) enim Deus veſter, ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum.

12. * Nunc ergo jurate (*d*) mihi per Dominum, ut quomodo ego miſericordiam feci vobiſcum, ita & vos faciatis cum domo patris mei: detiſque mihi verum ſignum, * Joſu. 6. 22.

13. Ut ſalvetis patrem meum & matrem, fratres ac ſorores meas, & omnia quæ illorum ſunt, & eruatis animas noſtras a morte.

14. Qui reſponderunt ei: Anima (*e*) noſtra ſit pro vobis in mortem, ſi tamen non prodideris nos: cumque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te miſericordiam & veritatem.

15. Demiſit ergo eos per funem de feneſtra: domus enim ejus hærebat muro.

16. Dixitque ad eos: Ad montana conſcendite, ne forte occurrant vobis revertentes: ibique latitate tribus diebus, donec redeant, & ſic ibitis per viam veſtram.

17. Qui dixerunt ad eam: Innoxii erimus a juramento hoc, quo adjuraſti nos:

18. Si ingredientibus nobis Terram, ſignum fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaveris (*f*) eum in feneſtra, per quam demiſiſti nos: & patrem tuum ac matrem, fratreſque & omnem cognationem tuam, congregaveris in domum tuam.

19. Qui oſtium domus tuæ egreſſus fuerit, ſanguis ipſius erit in caput ejus, & nos erimus alieni. Cunctorum autem ſanguis, qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput noſtrum, ſi eos aliquis tetigerit.

20. Quod

14. (*i*) In prima acie: certi erant de victoria, ſed pugnandum tamen iis fuit, eiſque Deus officii admonuit. Quæ Joſue accepit a Deo, hæc populo præſcribit.

18. (*k*) Contumaciter ſe habuerit. Moriatur: Poteſtatibus a Deo conſtitutis, ut ipſius vicario, parendum eſt.

CAP. II. 1. (*a*) Miſerat, antequam populo eſſet denuntiata profectio, quodque veriſimillimum eſt, denuntiatio in ſuperiori capite per anticipationem poſita fuit. *Setim* eſt ultima manſio Hebræorum. *Ingreſſi domum mulieris meretricis*, alii vertunt, *cauponæ*: ut victualia ſecum ſumerent... tamen ... dum ... Rahab vero ex Sanctis Patribus figura fuit Eccleſiæ. Verum quidem eſt ex lege ordinaria non licere cuiquam prodere patriam: ſed eam excepit exploratores Rahab ſpeciali Dei inſtinctu, non ut urbem proderet, ſed ut ipſa cum domo ſua ab imminenti & indubitato excidio ſalva fieret. Et de eam fide ſalvam & incolumem fuiſſe docet Paulus, Hebr. 11. & Jacobus eam juſtificatam ex operibus teſtatur, cum ... exploratores benigne excepit, & ... per aliam ... mendacium ... Tum enim in illo ... admiſſum fuit, ex Auguſtino, Lib. contra Mendacium cap. 17. At ſi quid ab ea peccatum ſit, Deus illi condonavit. Rahab quæ a Deo facta fuere miracula in gratiam Iſraelitarum ſecum reputans, non ut Chananæa, ſed quaſi e plebe Iſraelitica, ita ſe gerit, ut ſtirpi ſuæ & familiæ conſulat, nec fides ejus pietatis naturalis ſenſum extinguat. Alii quidem Chananæi eodem terrore quo Rahab ipſa erant perculſi: ſed timor illis animos tantummodo demittebat, nec quærebant idonea malis imminentibus remedia. Exploratores vado tranſierunt Jordanem.

6. (*b*) Hebr. *Abſcondit eos in linis ligni ordinatis ei in tecto*; quæ conſtructio inverſa eſt, pro, *in ligno lini*, ſeu, ut vertit Hieronymus, *in ſtipula lini*. Manipulos lini ſiccabant in tecto, ſeu in ſolario; inter eos manipulos Rahab abſconderat exploratores.

11. (*c*) Hinc merito fidem illius mulieris commendat Apoſtolus.

12. (*d*) Miſſi a populo eum obſtringunt in iis quæ publicum ſtatum non violant.

14. (*e*) Deus nos male perdat, ſi fidem feſellerimus.

18. (*f*) Qui extra domum inventus fuiſſet, is omnino erat periturus. Extra Eccleſiam nulla eſt ſalus.

20. Quod si nos prodere volueris, & sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc juramento, quo adjurasti nos.

21. Et illa respondit: Sicut locuti estis, ita fiat: dimittensque eos ut pergerent, appendit (g) funiculum coccineum in fenestra.

22. Illi vero ambulantes pervenerunt ad montana, & manserunt ibi tres dies, donec reverterentur qui fuerant persecuti: quærentes enim per omnem viam, non repererunt eos.

23. Quibus urbem ingressis, reversi sunt, & descenderunt exploratores de monte: &, transmisso Jordane, venerunt ad Josue filium Nun, narraveruntque ei omnia quæ acciderant sibi,

24. Atque dixerunt: Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus nostras, & timore prostrati sunt cuncti habitatores ejus.

CAPUT III.

Siccato flumine, & præeunte Arca, transit populus.

1. IGitur Josue de nocte consurgens movit castra: egredientesque de Setim, venerunt ad Jordanem ipse & omnes filii Israel, & morati sunt ibi tres dies.

2. Quibus evolutis, transierunt præcones per castrorum medium,

3. Et clamare cœperunt: Quando videritis arcam fœderis Domini Dei vestri & sacerdotes (a) stirpis Leviticæ portantes eam, vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes:

4. Sitque inter vos & arcam spatium (b) cubitorum duum millium: ut procul videre possitis, & nosse per quam viam ingrediamini: quia prius non ambulastis per eam: & cavete ne appropinquetis ad arcam.

5. Dixitque Josue ad populum: Sanctificamini (c): cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia.

6. Et ait ad sacerdotes: Tollite arcam fœderis, & præcedite populum. Qui jussa complentes, tulerunt, & ambulaverunt ante eos.

7. Dixitque Dominus ad Josue: Hodie incipiam exaltare te coram omni Israel: ut
* Sup. 1. 5. sciant quod * sicut cum Moyse fui, ita & tecum sim.

8. Tu autem præcipe sacerdotibus, qui portant arcam fœderis, & dic eis: Cum ingressi fueritis partem aquæ Jordanis, state in ea.

9. Dixitque Josue ad filios Israel: Accedite huc, & audite verbum Domini Dei vestri.

10. Et rursum: In hoc, inquit, scietis (d) quod Dominus Deus vivens in medio vestri est, & disperdet in conspectu vestro Chananæum & Hethæum, Hevæum & Pherezæum, Gergesæum quoque & Jebusæum, & Amorrhæum.

11. * Ecce, arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Jordanem. * Act. 7. 45.

12. Parate duodecim viros de tribubus Israel, singulos per singulas tribus.

13. Et cum posuerint vestigia pedum suorum, sacerdotes qui portant arcam Domini Dei universæ terræ, in aquis Jordanis, aquæ quæ inferiores sunt, decurrent atque deficient: quæ autem desuper veniunt, in una mole consistent.

14. Igitur egressus est populus de tabernaculis suis, ut transiret Jordanem: & sacerdotes, qui portabant arcam fœderis, pergebant ante eum.

15. Ingressisque eis Jordanem, & pedibus eorum in parte aquæ tinctis, (Jordanis (e) autem ripas alvei sui tempore * messis impleverat) * Eccli. 24. 36.

16. Steterunt aquæ descendentes in loco uno, & ad instar montis intumescentes apparebant (f) procul ab urbe, quæ vocatur Adom usque ad locum Sarthan: quæ autem inferiores erant, in Mare solitudinis (quod nunc vocatur mortuum) descenderunt, usquequo omnino deficerent.

17. Populus autem incedebat contra Jericho: & sacerdotes, qui portabant arcam fœderis Domini, stabant super siccam humum in medio Jordanis accincti, omnisque populus per arentem alveum transibat.

CAPUT IV.

Quæ acta fuerint post Jordanis transitum, enarrantur; duodecim lapides e Jordane exsiccato ad posteritatis memoriam colliguntur; uti alii duodecim in medio Jordanis alveo eriguntur.

1. QUibus transgressis, dixit Dominus ad Josue:

2. Elige duodecim viros singulos per singulas tribus:

3. Et

21. (g) Augustinus in Psalmum 86 explicans illa verba: *Memor ero Rahab &c. Cui dictum est*, inquit, *ut per fenestram mitteret coccum, id est, ut in fronte haberet signum sanguinis Christi, salvata est ibi, & Ecclesiam gentium significavit.*

CAP. III. 3. (a) Levitæ portabant arcam, id quoque faciebant interdum Sacerdotes.

4. (b) Neque ab arca vult eos multum recedere, neque propius accedere propter illius reverentiam. August. quæst. 3. *De longe jussum est arcam præcedere, ut posset a populo videri. Tam grande quippe agmen, si post eam proxime pergeret, non eam videret praeire, non nosset qua sequeretur. Ex hoc autem facto intelligendum est, quod columna illa nubis, quæ solebat movendis castris signum dare, & iter ostendere, jam recesserat, nec eis apparebat. Hinc factum ut etiam traduum illud ex humana dispositione prædiceretur.* Concludit August. *Nunc ergo duce Jesu arcam Domini sequuntur, nube subtracta, tamquam velamine ablato.*

5. (c) Chald. *Præparate vos, videbitis mirabilia*: aut jubet ut se purificent, lavent vestimenta, & ab uxoribus abstineant; idque maxime ut corda mundent timore & amore Dei, in quo spem suam collocent.

10. (d) Loquitur de miraculo mox futuro. Hinc colligitur vera miracula in confirmationem erroris fieri non posse: alioqui non certo scirent Israelitæ ex hoc miraculo Deum in medio sui esse. Permagni intererat, ut Dei magnitudo ac potentia eorum animos præveniret, ne trepidarent in Jordanis, qui exundaverat, transitu. Versiculus 13. videtur cum v. 10. conjungendus, atque hunc ille præcedet. Tum enim præsentem adesse Deum certo scient, cum aquas sub Sacerdotum accessu videbant.

15. (e) Quod veris tempore solvantur nives Libani. Septuaginta verterunt, ὡσεὶ ἡμέραι θερισμοῦ πυρῶν, sicut dies messis frumentorum, *ut in diebus messis*: tunc excrevit fluvius, ut solet in diebus messis; quæ lectio, inquit Mariana, cum Hebraica satis consentit. Et quidem ex cap. 4. die decima Nisan transierunt Jordanem; necdum erat messis triticeæ tempus, sed hordeaceæ tantum. Sancti Patres in hoc miraculo Jordanis versus originem suam refluentis, Baptismi mysterium agnoscunt. Sic Gregorius Homilia 26. *Per Jordanem baptizatorum forma signatur*: quod August. in Psalmum 113. fusius persequitur: *Quisquis principium suum deserit, & a suo Creatore avertitur, tamquam fluvius in mare illabitur in hujus sæculi amaricantem malitiam.* Tum idutile homini esse ait, cum retro ad principium suum, Deum scilicet a se desertum revertitur per Baptismum, qui in Jordane primum fuit consecratus.

16. (f) Atque ita intumuerunt, ut ex iis locis circa mare Tiberiadis positis videri possent. Hebr. *Procul valde in Adom urbe, quæ ex latere Sarthan*; non dicit apparuisse, sed intumuisse usque ad eam urbem, cui nomen Sarthan.

3. Et præcipe eis, ut tollant de medio Jordanis alveo, ubi steterunt pedes sacerdotum, duodecim durissimos lapides, quos ponetis in loco castrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria.

4. Vocavitque Josue duodecim viros, quos elegerat de filiis Israel, singulos de singulis tribubus,

5. Et ait ad eos: Ite ante arcam Domini Dei vestri ad Jordanis medium, & portate inde singuli singulos lapides in humeris vestris, juxta numerum filiorum Israel,

6. Ut sit signum inter vos: & quando interrogaverint vos filii vestri cras, dicentes: Quid sibi volunt isti lapides?

7. Respondebitis eis: Defecerunt aquæ Jordanis ante arcam fœderis Domini, cum transiret eum: idcirco positi sunt lapides isti in monumentum filiorum Israel usque in æternum (*a*).

8. Fecerunt ergo filii Israel sicut præcepit eis Josue, portantes de medio Jordanis alveo duodecim lapides, ut Dominus ei imperarat, juxta numerum filiorum Israel, usque ad locum, in quo castrametati sunt, ibique posuerunt eos.

9. Alios quoque duodecim lapides posuit Josue in medio Jordanis alveo, ubi steterunt sacerdotes, qui portabant arcam fœderis: & sunt ibi usque in præsentem diem.

10. Sacerdotes autem, qui portabant arcam, stabant in Jordanis medio (*b*), donec omnia complerentur, quæ Josue, ut loqueretur ad populum, præceperat Dominus, & dixerat ei Moyses. Festinavitque populus, & transiit.

11. Cumque transissent omnes, transivit & arca Domini, sacerdotesque pergebant ante populum (*c*).

12. Filii quoque Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, armati præcedebant filios Is-
* Num. 32. 28. rael, * sicut eis præceperat Moyses:

13. Et quadraginta pugnatorum millia per turmas, & cuneos, incedebant (*d*) per plana atque campestria urbis Jericho.

14. In die illo magnificavit Dominus Josue coram omni Israel, ut timerent eum, sicut timuerant Moysen, dum adviveret.

15. Dixitque ad eum:

16. Præcipe sacerdotibus, qui portant arcam fœderis, ut ascendant de Jordane.

17. Qui præcepit eis, dicens: Ascendite de Jordane.

18. Cumque ascendissent portantes arcam fœderis Domini, & siccam humum calcare cœpissent, reversæ sunt aquæ in alveum suum, & fluebant sicut ante consueverant.

19. Populus autem ascendit de Jordane, decimo die mensis primi, & castrametati sunt in Galgalis contra Orientalem plagam urbis Jericho.

20. Duodecim quoque lapides, quos de Jordanis alveo sumpserant, posuit Josue in Galgalis,

21. Et dixit ad filios Israel: Quando interrogaverint filii vestri cras patres suos, & dixerint eis: Quid sibi volunt lapides isti?

22. Docebitis eos, atque dicetis: Per arentem alveum transivit Israel Jordanem istum,

23. Siccante Domino Deo vestro aquas ejus in conspectu vestro, donec transiretis:

24. * Sicut fecerat prius in Mari rubro, * Exod. 14. 21.
quod siccavit donec transiremus:

25. Ut discant omnes terrarum populi fortissimam Domini manum, ut & vos timeatis (*e*) Dominum Deum vestrum omni tempore.

CAPUT V.

Circumcisio fit in Galgalis; a populo Phase celebratur: deficit Manna: Angelus Josue se videndum præbet.

1. POstquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitabant trans Jordanem ad Occidentalem plagam, & cuncti reges Chanaan, qui propinqua possidebant magni maris loca, quod siccasset Dominus fluenta Jordanis coram filiis Israel donec transirent, dissolutum est cor eorum, & non remansit in eis spiritus, timentium introitum filiorum Israel.

2. Eo tempore ait Dominus ad Josue: Fac tibi cultros lapideos (*a*), & circumcide secundo filios Israel.

3. Fecit quod jusserat Dominus, & circumcidit filios Israel in colle præputiorum.

4. Hæc autem causa est secundæ circumcisionis: Omnis populus, qui egressus est de Ægypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus,

5. Qui omnes circumcisi erant. Populus autem qui natus est in deserto,

6. Per quadraginta annos itineris latissimæ solitudinis incircumcisus fuit: donec consumerentur qui non audierant vocem Domini, & quibus ante juraverat ut non ostenderet eis terram lacte & melle manantem.

7. Horum

CAP. IV. 7. (*a*) Voces Græcas interpretari licet, usque in sæculum: ex Augustino, Ecclesiæ a duodecim Apostolis fundatæ perpetuitatem adumbrabant hi lapides.

10. (*b*) Arca transitum aperuit in medio alvei, & immota substitit humeris Sacerdotum innixa, donec populus cum omnibus impedimentis in oppositam ripam pervenisset: tum rursus ad duo millia cubitorum præcessit. Interim Josue intra alveum Jordanis constitit, transeuntique populo Dei hoc beneficium, & alia in populum collata in memoriam revocavit. *Donec omnia complerentur*; verba sunt Josue populum adhortantis. *Festinavitque populus*, cum multorum fides debilis esset, ac subinde timerent, ne aquæ sublatæ reciderent. Quadraginta millia armatorum præcedebant acie instructa: tum arca in secundo ordine portabatur; in tertio ordine sequebatur quod reliquum erat populi.

11. (*c*) Post transitum Jordanis, Arcam & Sacerdotes in primo agmine fuisse, non in medio, verisimile est.

13. (*d*) Addit textus Hebr. *Coram Domino*, seu coram Arca.

25. (*e*) Ut timor ille permaneat, non momentaneus, sed constans, & altè mentibus vestris sit infixus.

CAP. V. 2. (*a*) Hebr. *Cultros acutos*: dubitatur an ferrei essent, seu chalybei, an lapidei? Judæi ferro circumcidunt. *Circumcide secundo*: revoca consuetudinem circumcidendi longo tempore intermissam, aut quia bis tantum facta est circumcisio solemnis, una ab Abraham, altera a Josue: aliis temporibus privatim circumcidebantur: vel potius prior facta est in Ægypto, eaque solemnis; secunda in Galgalis. August. quæst. 6. *In hoc præcepto quæritur cur dixerit, iterum: non enim unus homo bis circumcidendus erat. Sed quia unus populus erat in quibusdam circumcisus, in quibusdam non circumcisus; ideo dictum est, iterum, ut circumcisus, iterum circumcideretur, non homo, sed populus*. Deinde non adeo necessaria erat circumcisio, quando populus in deserto erat ab omnibus aliis secretus. Ex iis liquet lege positiva circumcisioni Judæos ita fuisse obstrictos, ut etiam cum vitæ periculo eam subire tenerentur: cum autem leges positivæ fuerunt intermissæ, novo legislatoris præcepto renovari debent, ut observentur.

7. Horum filii (*b*) in locum successerunt patrum, & circumcisi sunt a Josue: quia sicut nati fuerant, in præputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat.

8. Postquam autem omnes circumcisi sunt, manserunt in eodem castrorum loco, donec sanarentur.

9. Dixitque Dominus ad Josue: Hodie abstuli opprobrium (*c*) Ægypti a vobis. Vocatumque est nomen loci illius Galgala, usque in præsentem diem.

10. Manseruntque filii Israel in Galgalis, & fecerunt Phase (*d*), quartadecima die mensis ad vesperum, in campestribus Jericho:

11. Et comederunt de frugibus Terræ die altero, azymos panes, & polentam ejusdem anni.

12. Defecitque (*e*) manna postquam comederunt de frugibus Terræ, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel, sed comederunt de frugibus præsentis anni Terræ Chanaan.

13. Cum autem esset Josue in agro urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum stantem contra se, evaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noster es, an adversariorum (*f*)?

14. Qui respondit: Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio.

15. Cecidit Josue pronus in terram. Et adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?

* Exod. 3. 5. Act. 7. 33. 16. * Solve, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, sanctus est. Fecitque Josue ut sibi fuerat imperatum.

CAPUT VI.

Jericho capta penitus deletur; sola Rahab cum suis servatur incolumis. Josue illi maledicit, qui hanc urbem reædificaverit.

1. Jericho autem clausa erat atque munita, timore filiorum Israel, & nullus egredi audebat aut ingredi.

2. Dixitque Dominus ad Josue: Ecce dedi in manu tua Jericho, & regem ejus, omnesque fortes viros.

3. Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietis (*a*) sex diebus.

4. Septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus est in jubilæo, & præcedant arcam fœderis: septiesque circuibitis civitatem, & sacerdotes clangent buccinis (*b*).

5. Cumque insonuerit vox tubæ longior atque concisior, & in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, & muri funditus corruent civitatis, ingredienturque singuli per locum contra quem steterint.

6. Vocavit ergo Josue filius Nun sacerdotes, & dixit ad eos: Tollite arcam fœderis, & septem alii sacerdotes tollant septem jubilæorum buccinas, & incedant ante arcam Domini.

7. Ad populum quoque ait: Ite, & circuite civitatem, armati, præcedentes arcam Domini.

8. Cumque Josue verba finisset, & septem sacerdotes septem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini,

9. Omnisque præcederet armatus exercitus, reliquum vulgus arcam sequebatur, ac buccinis omnia concrepabant.

10. Præceperat autem Josue populo, dicens: Non clamabitis, nec audietur vox vestra, neque ullus sermo ex ore vestro egredietur: donec veniat dies in quo dicam vobis: Clamate, & vociferamini.

11. Circuivit ergo arca Domini civitatem semel per diem, & reversa in castra, mansit ibi.

12. Igitur Josue de nocte consurgente, tulerunt sacerdotes arcam Domini,

13. Et septem ex eis septem buccinas, quarum in jubilæo usus est: præcedebantque arcam Domini ambulantes atque clangentes: & armatus populus ibat ante eos, vulgus autem reliquum sequebatur arcam, & buccinis personabat.

14. Circuieruntque civitatem secundo die semel, & reversi sunt in castra. Sic fecerunt sex diebus.

15. Die autem septimo, diluculo consurgentes, circuierunt urbem, sicut dispositum erat, septies.

16. Cumque septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Josue ad omnem Israel: Vociferamini: tradidit enim vobis Dominus civitatem.

17. Sitque civitas hæc anathema (*c*): & omnia quæ in ea sunt, Domino: sola Rahab meretrix vivat, cum universis, qui cum ea in domo sunt: * abscondit enim nuntios quos direximus. * Sap. 2. 6. Hebr. 11. 31.

18. Vos

7. (*b*) Ea promissa sunt consecuti, quæ patres amiserant.

9. (*c*) Præputia, cum quibus multi egressi fuerant ex Ægypto. Vel opprobrium Ægypti appellat, quod si essent præputiati, vicini autem populi essent circumcisi.

10 (*d*) Tertium illud Pascha ab iis celebratum fuit, primum ante exitum ex Ægypto, secundum in Sina ex peculiari Dei mandato, tertium in Galgalis, postquam circumcisi fuerunt. *Galgala* significat *devolutum*, quod opprobrium Israel ibi fuerit ablatum

12. (*e*) Sacramenta omnia cessabunt, & spiritalia legis novæ adjumenta, cum in terram promissam ingressi fuerimus. Cessant extraordinaria, ubi ordinariis locus est.

13. (*f*) E nostris castris, an Chananæorum? respondit, *nequaquam*: de neutro sum grege, sed *Princeps exercitus Domini*. Michael Princeps Synagogæ, ut credibile est: vel, nequaquam, non sum adversariorum.

CAP. VI. 3. (*a*) Ut liqueret unius Dei potentia urbem expugnari, & fides Hebræorum interim exerceretur: ac verisimile est hoc ipsum ab Angelo mandatum fuisse. Dies Sabbati non exceptus fuit, quod id operis a lege non esset prohibitum. Hinc Tertullianus adversus Marcionem: *Sabbato opera humana prohibentur, non divina; divina autem sunt, quæ Deus jubet.*

4 (*b*) Quod hoc bellum nihil tristitiæ, sed gaudium magnum allaturum esset Hebræis, ut in Jubilæo; quod ad promissam terram, ut in suam possessionem mitterentur. Tubæ illæ a Sacerdotibus inflatæ, quibus muri Jerichuntini subversi sunt, ministrorum Christi prædicationem exhibent, qua Idololatria eversa est, universo orbe consentiente. Arca quæ huic clangori robur addidit, Christus est, qui in medio Ecclesiæ semper adest, eique vires præstat. Jericho hujus mundi est figura, ejus cives magno terrore compulsi ad Deum non confugiunt, qui unus servare eos potest: sed humana tantum quærunt præsidia.

17. (*c*) Vox Hebræa *Cherem* חרם id significat, quod ita Deo dicatur, ut penitus deleri debeat: quo alii exemplum sumerent, & terrorem incuterent. Arca fœderis Christi humanitatem & incarnationem designat, tubæ Sacerdotum voces Apostolorum & Prædicatorum Evangelii. Augustinus lib. 12. contra Faustum, cap. 31. *Sicut nunc per tempora quæ septem dierum vicissitudine dilabuntur, Testamentum Dei circumit toto orbe terrarum, ut in fine temporum mors novissima inimica destruatur, & ex impiorum perditione unica domus, tamquam unica Ecclesia liberetur, mundata a turpitudine fornicationis per fenestram confessionis, in sanguine remissionis.*

18. Vos autem cavete, ne de his, quæ præcepta sunt, quippiam contingatis, & sitis prævaricationis rei, & omnia castra Israel sub peccato sint atque turbentur.

19. Quidquid autem auri & argenti fuerit, & vasorum æneorum ac ferri, Domino consecretur, repositum in thesauris ejus.

* Hebr. 11. 30. 20. * Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt: & ascendit unusquisque per locum,
* 2 Mac. 12. 15. qui contra se erat: * ceperuntque civitatem,

21. Et interfecerunt omnia quæ erant in ea, a viro usque ad mulierem, ab infante usque ad senem. Boves quoque & oves & asinos in ore (*d*) gladii percusserunt.

* Sup. 2. 1. 14. 22. Duobus (*e*) autem viris, qui * exploratores missi fuerant, dixit Josue: Ingredimini domum mulieris meretricis, & producite eam, & omnia quæ illius sunt, sicut illi juramento firmastis.

* Hebr. 11. 31. 23. * Ingressique juvenes, eduxerunt Rahab, & parentes ejus, fratres quoque, & cunctam supellectilem ac cognationem illius, & extra castra Israel manere fecerunt.

* Inf. 8. 2. 24. * Urbem autem, & omnia quæ erant in ea, succenderunt; absque auro & argento, & vasis æneis, ac ferro, quæ in ærarium Domini consecrarunt.

25. Rahab vero meretricem, & domum patris ejus, & omnia quæ habebat, fecit Josue vivere, & habitaverunt in medio Israel usque (*f*) in præsentem diem: eo quod abscondcrit nuntios, quos miserat ut explorarent Jericho. In tempore illo, imprecatus est Josue, dicens:

* 3 Reg. 16. 34. 26. * Maledictus (*g*) vir coram Domino, qui suscitaverit & ædificaverit civitatem Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciat, & in novissimo liberorum ponat portas ejus.

27. Fuit ergo Dominus cum Josue, & nomen ejus vulgatum est in omni terra.

CAPUT VII.

Fuga Hebræorum qui urbem Hai oppugnatu missi fuerant. Qui prævaricator fuerat, sorte deprehensus pœnas dedit.

* Inf. 22. 20. 1. **F**ilii (*a*) * autem Israel prævaricati sunt mandatum, & usurpaverunt de anathe-
* 1. Par. 2. 7. mate. * Nam Achan filius Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda, tulit aliquid de anathemate: iratusque est Dominus contra filios Israel.

2. Cumque mitteret Josue de Jericho viros contra Hai, quæ est juxta Bethaven, ad Orientalem plagam oppidi Bethel, dixit eis: Ascendite, & explorate Terram. Qui præcepta complentes exploraverant Hai.

3. Et reversi dixeruut ei: Non ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia virorum pergant, & deleant civitatem: quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes paucissimos?

4. Ascenderunt ergo tria millia pugnatorum. Qui statim terga vertentes,

5. Percussi sunt a viris urbis Hai, & corruerunt (*b*) ex eis triginta sex homines: persecutique sunt eos adversarii de porta usque ad Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes: pertimuitque cor populi, & instar aquæ liquefactum est.

6. Josue vero scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram arca Domini usque ad vesperam, tam ipse, quam omnes senes Israel: miseruntque pulverem super capita sua,

7. Et dixit Josue: Heu Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manu Amorrhæi, & perderes? utinam ut cœpimus, mansissemus trans Jordanem (*c*).

8. Mi Domine Deus quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga vertentem?

9. Audient Chananæi, & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terra: & quid facies (*d*) magno nomini tuo?

10. Dixitque Dominus ad Josue: Surge, cur jaces (*e*) pronus in terra?

11. Peccavit Israel, & prævaricatus est pactum meum: tuleruntque de anathemate, & furati sunt atque mentiti, & absconderunt inter vasa sua.

12. Nec poterit Israel stare ante hostes suos, eosque fugiet: quia pollutus est anathemate: non ero ultra vobiscum, donec conteratis eum qui hujus sceleris reus est.

13. Surge, sanctifica populum, & dic
eis: * Sanctificamini in crastinum: hæc enim * Lev. 10. 7. Sup. 3. 5.
dicit Dominus Deus Israel: Anathema in medio tui est Israel: non poteris stare coram Num. 11. 18
hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc 1. Reg. 16. 5.
contaminatus est scelere.

14. Acce-

21. (*d*) Acies gladii os vocatur, quod cuncta devoret. Nihil Josue ex direptione urbis cepit, quod non prædandi, sed ex Dei mandato puniendi Chananæorum scelera bellum inferret.

22. (*e*) Fidem datam omnibus servari oportere, exemplo suo docet Josue.

25. (*f*) Quidam dubitant, utrum hæc verba a Josue pronuntiata, an ab Esdra addita fuerint.

26. (*g*) Hæc verba non solum imprecatoria fuerunt, sed etiam prophetica, eaque impleta sunt, Lib. 3. Regum c. 16. Atque has diras Deus ratas habuit. Idcirco autem hæc civitas sic devota fuit solitudini, ut memoria tam celebris victoriæ maneret.

CAP. VII. 1. (*a*) Et filii Israel, Achan nimirum cum suis: nam sine aliorum ope hæc non potuissent congerere, quæ hoc in capite memorantur.

5. (*b*) Quærit Augustinus, *Quomodo juste peccatum unius in aliis vindicetur contra legem Deuteronomii 24. sancitam a Deo?* Respondet. *Hanc legem datam esse hominibus: Sed Dei judicia non sunt ejusmodi, qui pœnas visibiles juste dispensat.* Quæst. octava: *An illud judicantibus hominibus est præceptum, ne quemquam pro altero puniant? Nec tamen credendum est etiam pœnis, quæ post mortem irrogantur, alium pro alio posse damnari: sed in his tantum rebus irrogari pœnam, quæ finem fuerant habituræ, etiamsi non eo modo finirentur. Visibiles igitur afflictiones hominum, sive mortes, quoniam his, quibus inferuntur, & obesse, & prodesse possunt, novit Dominus, in occulto providentiæ suæ, quemadmodum juste quibusdam dispenset, etiam cum aliorum peccata in aliis vindicet: scilicet pœnas vero invisibiles, quæ non nisi nocent, & prodesse non possunt, ita nullus, Deo judice, pro alienis peccatis luit, sicut homine judice nullus nisi sua culpa istas visibiles decet.*

7. (*c*) Ut aliqui cœperant ibi trans Jordanem sedes quærere: hoc utique præ magno affectu locutus est, non promissis divinis diffisus: unde peregit orare.

9. (*d*) Futurum est ut nomen tuum inter gentes blasphemetur. Sancti in orationibus suis gloriam divini nominis ante omnia præ oculis habent. Si nos negligis, nomen tuum despicere dicent te non potuisse implere promissa tua. Furati sunt: Furatum est, id omne quod surripitur, quodque ad nos non pertinet ex lege Dei. Peccatum illud prima specie non admodum videtur grave; sed Deo jubenti, aut prohibenti non parere, leve peccatum non est.

10. (*e*) Nullus est hic deprecandi locus.

14. Accedetisque mane singuli per tribus vestras: & quamcumque tribum sors invenerit, accedet per cognationes suas, & cognatio per domos, domusque per viros.

15. Et quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igni (*f*) eum omni substantia sua: quoniam prævaricatus est pactum Domini, & fecit nefas in Israel.

16. Surgens itaque Josue mane, applicuit (*g*) Israel per tribus suas, & inventa est tribus Juda.

17. Quæ cum juxta familias suas esset oblata, inventa est familia Zare. Illam quoque per domos offerens, reperit Zabdi:

18. Cujus domum in singulos dividens viros, invenit (*h*) Achan filium Charmi, filii Zabdi, filii Zare de tribu Juda.

19. Et ait Josue ad Achan: Fili mi, da (*i*) gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas.

20. Respunditque Achan Josue, & dixit ei: Vere ego peccavi Domino Deo Israel, & sic & sic feci:

21. Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum: & concupiscens abstuli, & abscondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque fossa humo operui.

22. Misit ergo Josue ministros: qui currentes ad tabernaculum illius, repererunt cuncta abscondita in eodem loco, & argentum simul.

23. Auferentesque de tentorio tulerunt ea ad Josue, & ad omnes filios Israel, projeceruntque ante Dominum.

24. Tollens itaque Josue Achan filium Zare, argentumque & pallium, & auream regulam, filios quoque & filias ejus, boves & asinos, & oves, ipsumque tabernaculum, & cunctam supellectilem: (& omnis Israel cum eo) duxerunt eos ad vallem Achor:

25. Ubi dixit Josue: Quia turbasti (*k*) nos, exturbet te Dominus in die hac. Lapidavitque eum omnis Israel: & cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt.

* 2.Reg.18. 17. 26. Congregaveruntque super eum * acervum magnum lapidum, qui permanet usque in præsentem diem. Et aversus est furor Domini ab eis. Vocatumque est nomen loci illius, Vallis Achor, usque hodie.

CAPUT VIII.

Expugnata Hai, Rex suspenditur: altari erecto, offertur holocaustum; Josue Deuteronomium legit coram populo, cui benedicit.

1. Dixit autem Dominus ad Josue: Ne timeas, neque formides: tolle tecum omnem multitudinem pugnatorum, & consurgens ascende in oppidum Hai: ecce tradidi in manu tua regem ejus, & populum, urbemque & terram.

2. Faciesque urbi Hai, & regi ejus, * sicut fecisti Jericho, & regi illius: prædam vero, & omnia animantia diripietis vobis: pone insidias urbi post eam. * Sup.6.24.

3. Surrexitque Josue, & omnis exercitus bellatorum cum eo, ut ascenderent in Hai: & electa triginta millia virorum fortium misit nocte.

4. Præcepitque eis, dicens: Ponite insidias (*a*) post civitatem: nec longius recedatis: & eritis omnes parati:

5. Ego autem, & reliqua multitudo, quæ mecum est, accedemus ex adverso contra urbem. Cumque exierint contra nos, * sicut * Sup.7.4.
ante fecimus (*b*), fugiemus, & terga vertemus:

6. Donec persequentes ab urbe longius protrahantur: putabunt enim nos fugere sicut prius.

7. Nobis ergo fugientibus, & illis persequentibus, consurgetis de insidiis, & vastabitis civitatem: tradetque eam Dominus Deus vester in manus vestras.

8. Cumque ceperitis, succendite eam, & sic omnia facietis, ut jussi.

9. Dimisitque eos, & perrexerunt ad locum insidiarum, sederuntque inter Bethel & Hai, ad occidentalem plagam urbis Hai: Josue autem nocte illa in medio mansit populi,

10. Surgensque diluculo recensuit (*c*) socios, & ascendit cum senioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum.

11. Cumque venissent, & ascendissent ex adverso civitatis, steterunt ad septentrionalem urbis plagam, inter quam & eos erat vallis media.

12. Quinque autem millia viros elegerat, & posuerat in insidiis inter Bethel & Hai, ex occidentali parte ejusdem civitatis:

13. Omnis vero reliquus exercitus ad Aquilonem aciem dirigebat, ita ut novissimi illius multitudinis occidentalem plagam urbis attingerent. Abiit ergo Josue nocte illa, & stetit in vallis medio.

14. Quod

15. (*f*) Primum lapidatus est cum suis, tum cadavera igne combusta.

16. (*g*) Ad arcam.

18. (*h*) Proverb. 16. *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur.*

19. (*i*) Agnosce peccatum tuum, & justum Dei judicium, qui peccatum tuum jam prodidit. Habemus hic formam examinis reorum. Nulla autem alia ratione adduci potuit homo, ut crimen capitale fateretur, nisi ea præjudicio quodam immortalitatis animæ.

25. (*k*) Est hic allusio ad nomen *Achan*. Hebr. enim *achar*, עכר, est turbare

CAP.VIII. 4. (*a*) Non triginta millia armatorum posita sunt in insidiis, sed ex iis quinque millia, ut versu 12 habetur. Hinc liquet insidias in bello licitas esse. Falli potest hostis, non mendaciis, aut falsis promissis, sed veri occultatione. Augustinus quæst. 10. *Cum autem justum bellum susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis vincat, nihil ad justitiam interest.*

5. (*b*) Uti fecerunt tria millia, quæ ante fugerunt. Cur autem Deus præceperit Judeis, ut hostibus struerent insidias, hanc rationem affert Theodoretus quæst. 8. ne Israelitæ divino [illegible] [illegible] segnes & inertes manerent, quasi urbes omnes sic [illegible] caperent, ut Jericho solo tubarum clamore.

10. (*c*) Lustravit: nam eo temporis spatio vix numerare potuisset.

14. Quod cum vidisset rex Hai, festinavit mane, & egressus est cum omni exercitu civitatis, direxitque aciem contra desertum, ignorans quod post tergum laterent insidiæ.

15. Josue vero & omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum, & fugientes per solitudinis viam.

16. At illi vociferantes pariter, & se mutuo cohortantes, persecuti sunt eos. Cumque recessissent a civitate,

17. Et ne unus quidem in urbe Hai & Bethel remansisset, qui non persequeretur Israel (sicut eruperant aperta oppida relinquentes,)

18. Dixit Dominus ad Josue: Leva clypeum (*d*), qui in manu tua est, contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam.

19. Cumque elevasset clypeum ex adverso civitatis, insidiæ, quæ latebant, surrexerunt confestim: & pergentes ad civitatem, ceperunt, & succenderunt eam.

20. Viri autem civitatis, qui persequebantur Josue, respicientes & videntes fumum urbis ad cælum usque conscendere, non potuerunt ultra huc illucque diffugere: præsertim cum hi qui simulaverant fugam, & tendebant ad solitudinem, contra persequentes fortissime restitissent.

21. Vidensque Josue & omnis Israel quod capta esset civitas, & fumus urbis ascenderet, reversus percussit viros Hai.

22. Siquidem & illi qui ceperant & succenderant civitatem, egressi ex urbe contra suos, medios hostium ferire cœperunt. Cum ergo ex utraque parte adversarii cæderentur, ita ut nullus de tanta multitudine salvaretur,

23. Regem quoque urbis Hai apprehenderunt viventem, & obtulerunt Josue.

24. Igitur omnibus interfectis, qui Israelem ad deserta tendentem fuerant persecuti, & in eodem loco gladio corruentibus, reversi filii Israel percusserunt civitatem.

25. Erant autem qui in eodem die conciderant a viro usque ad mulierem, duodecim millia hominum, omnes urbis Hai.

26. Josue vero non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum donec interficerentur omnes habitatores Hai.

27. Jumenta autem & prædam civitatis diviserunt sibi filii Israel, sicut præceperat Dominus Josue.

28. Qui succendit urbem, & fecit eam tumulum sempiternum:

29. Regem quoque ejus suspendit (*e*) in patibulo usque ad vesperam & solis occasum. Præcepitque Josue, & deposuerunt cadaver ejus de cruce: projeceruntque in ipso introitu civitatis, congesto super eum magno acervo lapidum, qui permanet usque in præsentem diem.

30. Tunc ædificavit Josue altare Domino Deo Israel in monte Hebal:

31. * Sicut præceperat Moyses famulus Domini filiis Israel, & scriptum est in volumine legis Moysi: Altare vero de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit: & obtulit super eo holocausta Domino, immolavitque (*f*) pacificas victimas. * Exod. 20. 25. Deut. 27. 5.

32. Et scripsit super lapides Deuteronomium (*g*) legis Moysi, quod ille digesserat coram filiis Israel.

33. Omnis autem populus, & majores (*h*) natu, ducesque ac judices stabant ex utraque parte arcæ, in conspectu sacerdotum qui portabant arcam fœderis Domini, ut advena, ita & indigena. Media pars eorum juxta montem Garizim, & media juxta montem Hebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini. Et primum quidem benedixit populo Israel.

34. Post hæc legit omnia verba benedictionis & maledictionis, & cuncta quæ scripta erant in Legis volumine.

35. Nihil ex his, quæ Moyses jusserat, reliquit intactum, sed & universa replicavit coram omni multitudine Israel, mulieribus ac parvulis & advenis, qui inter eos morabantur.

CAPUT IX.

Chananæi adversus Hebræos ineunt fœdus. Gabaonitæ illo fœdere cum Hebræis, quos deceperunt, perpetuo famulitio addicuntur.

1. QUibus auditis, cuncti reges trans Jordanem, qui versabantur in montanis & campestribus, in maritimis ac littore magni maris, hi quoque qui habitabant juxta Libanum, Hethæus, & Amorrhæus (*a*), Chananæus, Pherezæus, & Hevæus, & Jebusæus,

2. Congregati sunt pariter, ut pugnarent contra Josue, & Israel uno animo, eademque sententia.

3. At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta, quæ fecerat Josue Jericho & Hai:

4. Et callide cogitantes, tulerunt sibi cibaria, saccos veteres asinis imponentes, & utres vinarios scissos atque consutos,

5. Calceamentaque perantiqua, quæ ad indicium vetustatis pittaciis (*b*) consuta erant, induti veteribus vestimentis, panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant, & in frusta comminuti:

6. Perre-

18. (*d*) Ita Septuaginta, alii vertunt *hastam*: probabile est Josue clypeum suum hasta in altum sustulisse, ut loco insidiarum conspici posset ut signum, quo manerentur urbem hostibus vacuam invadere. Deinde hinc Israelitas docere voluit, victoriam ex hostibus divino auxilio acceptam referre.

29. (*e*) Prius interfectum: negat Grotius, suspensionem ibi pœnam fuisse: sed corpora in eum modum ostentui exponebantur.

31. (*f*) Per Sacerdotes.

32. (*g*) Non totam legem, sed Decalogum repetitum, Deuter. cap. 15. cum rebus majoris momenti, cujusmodi forte erant benedictiones, & maledictiones. Hebr. *Misne thorat*. משנה תורה, *quasi secundam legem dixeris, aut duplicatam*, seu novum exemplar Deuteronomii. Simile quiddam est Deuter. cap. 17. vers. 18.

33. (*h*) Senatores, duces, seu scribas qui senatui intererant.

1. (*a*) Gergesæi hoc loco omittuntur, atque ex decem gentibus, quarum terræ promissæ sunt Abrahamo, nunc plures, nunc pauciores recensentur, quod eas omnes Hebræi non possederint, nisi regnantibus Davide & Salomone, atque interdum præcipuæ ex iis tantummodo numerentur, ac quædam post Abrahami tempora nomen mutaverint. CAP. IX.

5. (*b*) Centonibus e corio: segmenta sunt panni, aut corii. Gall. *Des pieces de cuir*. *Panes quoque duri erant, & in frusta comminuti*: alii mucidos vertunt. Hæc Gabaonitarum prudentia, & exitus ipse spectari possunt ut quædam fidei ipsorum remuneratio. Nam potentiam agnoscunt Dei Israel, id quoque persuasum habent ab eo præcipi, sæderum leges servari oportere: de Jericho & Hai ne verbum quidem addunt. Quin etiam ex hac historia concludi potest linguam Hebræam, seu Chananæam tum longe lateque diffusam fuisse.

6. Perrexeruntque ad Josue, qui tunc morabatur in castris Galgalæ, & dixerunt ei, atque simul omni Israeli: De terra longinqua venimus, pacem vobiscum facere cupientes. Responderuntque viri Israel ad eos, atque dixerunt:

7. Ne forte in terra, quæ nobis sorte debetur, habitetis, & non possimus fœdus (c) inire vobiscum.

8. At illi ad Josue: Servi, inquiunt, tui sumus. Quibus Josue ait: Quinam estis vos? & unde venistis?

9. Responderunt: De terra longinqua valde venerunt servi tui in nomine Domini Dei tui. Audivimus enim famam potentiæ ejus, cuncta quæ fecit in Ægypto,

* Num. 21. 13. 10. * Et duobus regibus Amorrhæorum qui fuerant trans Jordanem, Sehon regi Hesebon, & Og regi Basan qui erat in Astaroth:

11. Dixeruntque nobis seniores, & omnes habitatores terræ nostræ: Tollite in manibus cibaria ob longissimam viam, & occurrite eis, & dicite: Servi vestri sumus, fœdus inite nobiscum.

12. En, panes quando egressi sumus de domibus nostris, ut veniremus ad vos, calidos sumpsimus, nunc sicci facti sunt, & vetustate nimia comminuti.

13. Utres vini novos implevimus, nunc rupti sunt & soluti: vestes & calceamenta quibus induimur, & quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita sunt, & pene consumpta.

14. Susceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non interrogaverunt (d).

*2. Reg. 21. 2. 15. * Fecitque Josue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus est quod non occiderentur: principes quoque multitudinis juraverunt eis.

16. Post dies autem tres initi fœderis, audierunt quod in vicino habitarent, & inter eos futuri essent.

17. Moveruntque castra filii Israel, & venerunt in civitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula sunt, Gabaon, & Caphira, & Beroth, & Carjathjarim.

18. Et non percusserunt eos, eo quod jurassent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israel. Murmuravit itaque omne vulgus contra principes.

19. Qui responderunt eis: Juravimus (e) illis in nomine Domini Dei Israel, & idcirco non possumus eos contingere.

20. Sed hoc faciemus eis: Reserventur quidem ut vivant, ne contra nos ira Domini concitetur, si pejeraverimus:

21. Sed sic vivant, ut in usus universæ multitudinis ligna cædant (f), aquasque comportent. Quibus hæc loquentibus:

22. Vocavit Gabaonitas Josue, & dixit eis: Cur nos decipere fraude voluistis, ut diceretis: Procul valde habitamus a vobis, cum in medio nostri sitis?

23. Itaque sub maledictione eritis, & non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei.

24. Qui responderunt: Nuntiatum est nobis servis tuis, quod promisisset Dominus Deus tuus Moysi servo suo, ut traderet vobis omnem Terram, & disperderet cunctos habitatores ejus. Timuimus igitur valde, & providimus animabus nostris, vestro terrore compulsi, & hoc consilium inivimus.

25. Nunc autem in manu tua sumus: quod tibi bonum & rectum videtur, fac nobis.

26. Fecit ergo Josue ut dixerat, & liberavit eos de manu filiorum Israel, ut non occiderentur.

27. Decrevitque in illo die eos esse in ministerio cuncti populi, & altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes, usque in præsens tempus, in loco quem Dominus elegisset.

CAPUT X.

Quinque Reges, qui Gabaonitas obsederant, Josue vincit, immoto Sole per unius diei spatium.

1. QUæ cum audisset Adonisedec (a) rex Jerusalem, quod scilicet cepisset Josue Hai, & subvertisset eam (sicut enim fecerat Jericho & regi ejus, sic fecit Hai, & regi illius) & quod transfugissent Gabaonitæ ad Israel, & essent fœderati eorum,

2. Timuit valde. Urbs enim magna erat Gabaon, & una civitatum regalium, & major oppido Hai, omnesque bellatores ejus fortissimi.

3. Misit ergo Adonisedec rex Jerusalem ad Oham regem Hebron, & ad Pharam regem Jerimoth, ad Japhia quoque regem Lachis, & ad Dabir regem Eglon, dicens:

4. Ad me ascendite, & ferte præsidium, ut expugnemus Gabaon, quare transfugerit ad Josue, & ad filios Israel.

5. Congregati igitur ascenderunt quinque reges Amorrhæorum, rex Jerusalem, rex Hebron, rex Jerimoth, rex Lachis, rex Eglon, simul cum exercitibus suis, & castrametati sunt circa Gabaon, oppugnantes eam.

6. Habitatores autem Gabaon urbis obsessæ miserunt ad Josue, qui tunc morabatur in castris apud Galgalam, & dixerunt ei: Ne retrahas manus tuas ab auxilio servorum tuorum: ascende cito, & libera nos, ferque præsidium: convenerunt enim adversum nos omnes reges Amorrhæorum, qui habitant in montanis.

7. Ascen-

7. (c) Sociale, quo plena libertas conceditur.
14 & 15. (d) Itaque nimium præcipitanter egerunt, divinum oraculum non consuluerunt. Non occiderentur; in deditionem eos accepit.
19. (e) Propter reverentiam divini nominis tenebantur juramentum servare, quod simpliciter & nulla apposita conditione fecerant; tametsi nulli fraus sua patrocinari debet: non enim fraus ipsa Gabaonitarum iis patrocinata est, sed juramentum Israelitarum. Num. 33. v. 31. preceperat Deus omnes interficere: sed lex illa ad eos pertinebat tantum, qui resisterent, vel saltem qui in cultu idolorum permanerent. Ambrosius Lib. 3. de Officiis, negat licuisse Israeli fœdus cum Gabaonitis sancitum violare; *Ne dum alienam perfidiam arguit, suam fidem solveret.*

21. (f) Ad publicos usus tabernaculi & altaris; sic populo obmurmuranti factum est satis. Ob dolum operis servilibus addicuntur. Hinc discimus qua fide pacis & fœderum leges servandæ sint, cum nec Gabaonitarum dolus, nec præcipitatio eorum, qui pactum inierunt, nec divina jussio gentes illas exterminandi, datam fidem solvere potuerint. Non peculiari Dei mandato opus fuit, ut sancitum fœdus servaretur a lex ipsa naturalis illius executioni fuit satis idonea. Quæ imposita est Gabaonitis lex, fidem datam non infregit: sed ea fuit fraudis justa punitio. Cum autem idololatriam omnem abjecerint, præcipua eos delendi caussa defuit.

CAP. X. 1. (a) Vox illa *Adonisedec*, dominum justitiæ, ut *Melchisedech* regem justitiæ significat. Amorrhæi peculiarem sibi Provinciam obtinebant: sed specialis Provinciæ nomen ad alias derivatur.

7. Ascenditque Josue de Galgalis, & omnis exercitus bellatorum cum eo, viri fortissimi.

8. Dixitque Dominus ad Josue: Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi illos: nullus ex eis tibi resistere poterit.

9. Irruit itaque Josue super eos repente, tota nocte ascendens de Galgalis:

* 1. Reg. 7. 10. 10. Et * conturbavit eos Dominus a facie Israel: contrivitque plaga magna in Gabaon, ac persecutus est eos per viam ascensus Beth-horon, & percussit usque Azeca & Maceda.

11. Cumque fugerent filios Israel, & essent in descensu Beth-horon, Dominus misit super eos lapides magnos de cælo usque ad Azeca: & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel.

12. Tunc locutus est Josue Domino, in die, qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol (*b*) contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon.

* Eccli. 46. 5. Isa. 28. 21. 13. Steteruntque * Sol & Luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro justorum? Stetit itaque Sol in medio cæli, & non festinavit occumbere spatio unius diei.

14. Non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel.

15. Reversusque (*c*) est Josue cum omni Israel in castra Galgalæ.

16. Fugerant enim quinque reges, & se absconderant in spelunca urbis Maceda.

17. Nuntiatumque est Josue quod inventi essent quinque reges latentes in spelunca urbis Maceda.

18. Qui præcepit sociis, & ait: Volvite saxa ingentia ad os speluncæ, & ponite viros industrios, qui clausos custodiant:

19. Vos autem nolite stare, sed persequimini hostes, & extremos quosque fugientium cædite: nec dimittatis eos urbium suarum intrare præsidia, quos tradidit Dominus Deus in manus vestras.

20. Cæsis ergo adversariis plaga magna, & usque ad internecionem pene consumptis, hi, qui Israel effugere potuerunt, ingressi sunt civitates munitas.

21. Reversusque est omnis exercitus ad Josue in Maceda, ubi tunc erant (*d*) castra, sani & integro numero: nullusque contra filios Israel mutire ausus est.

22. Præcepitque Josue, dicens: Aperite os speluncæ, & producite ad me quinque reges, qui in ea latitant.

23. Feceruntque ministri ut sibi fuerat imperatum: & eduxerunt ad eum quinque reges de spelunca, regem Jerusalem, regem Hebron, regem Jerimoth, regem Lachis, regem Eglon.

24. Cumque educti essent ad eum, vocavit omnes viros Israel, & ait ad principes exercitus qui secum erant: Ite, & ponite pedes super colla regum istorum. Qui cum perrexissent, & subjectorum colla pedibus calcarent,

25. Rursum ait ad eos: Nolite timere, nec paveatis, confortamini & estote robusti: sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, adversum quos dimicatis.

26. Percussitque Josue, & interfecit eos, atque suspendit (*e*) super quinque stipites: fueruntque suspensi usque ad vesperum.

27. * Cumque occumberet Sol, præcepit sociis ut deponerent eos de patibulis. Qui depositos projecerunt in speluncam, in qua latuerant, & posuerunt super os ejus saxa ingentia, quæ permanent usque in præsens. * Deut. 21. 23.

28. Eodem quoque die Macedam cepit Josue, & percussit eam in ore gladii, regemque illius interfecit, & omnes habitatores ejus: non dimisit in ea saltem parvas reliquias. Fecitque regi Maceda, sicut fecerat regi Jericho.

29. Transivit autem cum omni Israel de Maceda in Lebna, & pugnabat contra eam:

30. Quam tradidit Dominus cum rege suo in manus Israel: percusseruntque urbem in ore gladii, & omnes habitatores ejus: non dimiserunt in ea ullas reliquias. Feceruntque regi Lebna, * sicut fecerant regi Jericho. * Sup. 6. 2.

31. De Lebna transivit in Lachis cum omni Israel: & exercitu per gyrum disposito oppugnabat eam.

32. Tradiditque Dominus Lachis in manus Israel, & cepit eam die altero, atque percussit in ore gladii, omnemque animam, quæ fuerat in ea, sicut fecerat Lebna.

33. Eo tempore ascendit Horam rex Gazer, ut auxiliaretur Lachis: quem percussit Josue cum omni populo ejus usque ad internecionem.

34. Transivitque de Lachis in Eglon, & circumdedit,

35. Atque expugnavit eam eadem die: percussitque in ore gladii omnes animas, quæ erant in ea juxta omnia quæ fecerat Lachis.

36. Ascendit quoque cum omni Israel de Eglon in Hebron, & pugnavit contra eam:

37. Cepit eam, & percussit in ore gladii, regem (*f*) quoque ejus, & omnia oppida regionis illius, universasque animas, quæ in ea fuerant commoratæ: non reliquit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Eglon, sic fecit & Hebron, cuncta quæ in ea reperit consumens gladio.

38. Inde reversus in Dabir,

39. Ce-

12. (*b*) In Cantico Habacuc vers. 3. *Sol & Luna steterunt in habitaculo suo . . . Et Luna contra vallem Ajalon.* Erat vallis interjecta inter duas illas urbes. Id vero probabile est hoc miraculum Sole ad occasum declinante accidisse, ac diem illum artificialem fuisse 24. horarum; adeo ut hic dies alios duos æquaverit. Ecclesiastici 46. *Fiducia habitantes in sede locutus est Jesus. Stet Sol.* Hebr. *Sol in Gabaon sile.* Vatablus in meridie stetisse Solem opinatur. Sol, aut terra, aut non tumuae moveatur, vera semper est Scripturæ locutio, quod usitato hominum sermoni & consuetudini contentiat. Sic loquitur Scriptura, ut homines vulgo loquuntur, & mente concipiunt. Ita August. scribens in cap. 9. Geneseos. Hebræi, quos citat Masius, nullum hic agnoscunt miraculum, sed quamdam velut phrasim poeticam, quasi Sol expectasset, donec facta esset hostium internecio. Sed sacer textus cum in hoc loco, tum alibi id clarius exprimit, quam ut ad figuratum loquendi modum flecti possit: neque id etiam fit verisimile quod addit Grotius, post Solis occasum speciem ejus in nube supra horizontem ostentante per repercussum ostendisse.

15. (*c*) Hoc per anticipationem dicitur, & in fine capitis repetitur, cum Josue retulit iis perastis quæ sequuntur: aut forte Josue jam reverti inceperat, cum nuntium accepit de quinque regibus.

21. (*d*) Ea noste: nam castra fixa erant in Galgalis.

26. (*e*) Post eorum necem jussit suspendi corpora.

37. (*f*) Novum regem qui post necem prioris fuerat constitutus: aut certe mentio regis occisi ad speluncam iteratur.

39. Cepit eam atque vastavit: regem quoque ejus atque omnia per circuitum oppida percussit in ore gladii: non dimisit in ea ullas reliquias: sicut fecerat Hebron & Lebna & regibus earum, sic fecit Dabir & regi illius.

40. Percussit itaque Josue omnem Terram montanam & meridianam atque campestrem, & Asedoth, cum regibus suis; non dimisit in ea ullas reliquias, sed omne quod spirare poterat interfecit, sicut præceperat ei Dominus Deus Israel,

41. A Cadesbarne (g) usque Gazam. Omnem Terram Gosen usque Gabaon,

42. Universosque reges, & regiones eorum uno impetu cepit atque vastavit: Dominus enim Deus Israel pugnavit pro eo.

43. Reversusque est cum omni Israel ad locum castrorum in Galgala.

CAPUT XI.

Bellum contra Regem Jabin & alios qui ad Aquilonem positi erant, prosequitur Josue.

1. Quæ cum audisset Jabin rex Asor, misit ad Jobab regem Madon, & ad regem Semeron, atque ad regem Achsaph:

2. Ad reges quoque Aquilonis, qui habitabant in montanis & in planitie contra Meridiem Ceneroth (a), in campestribus quoque & in regionibus Dor juxta mare:

3. Chananæum quoque ab Oriente & Occidente, & Amorrhæum atque Hethæum ac Pherezæum & Jebusæum in montanis: Hevæum quoque qui habitabat ad radices Hermon in Terra Maspha.

4. Egressique sunt omnes cum turmis suis, populus multus nimis sicut arena quæ est in littore maris, equi quoque & currus immensæ multitudinis.

5. Conveneruntque omnes reges isti in unum ad Aquas Merom (b), ut pugnarent contra Israel.

6. Dixitque Dominus ad Josue: Ne timeas eos: cras enim hac eadem hora ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israel: equos eorum subnervabis, & * currus igne combures.

7. Venitque Josue, & omnis exercitus cum eo, adversus illos ad Aquas Merom subito, & irruerunt super eos,

8. Tradiditque illos Dominus in manus Israel. Qui percusserunt eos, & persecuti sunt usque ad Sidonem magnam, & aquas Maserephoth, campumque Masphe, qui est ad Orientalem illius partem. Ita percussit omnes, ut nullas dimitteret ex eis reliquias:

9. Fecitque sicut præceperat ei Dominus, equos eorum subnervavit, currusque combussit igni.

10. Reversusque statim cepit Asor (c): & regem ejus percussit gladio. Asor enim antiquitus inter omnia regna hæc principatum tenebat.

11. Percussitque omnes animas, quæ ibidem morabantur: non dimisit in ea ullas reliquias, sed usque ad internecionem universa vastavit, ipsamque urbem peremit incendio.

12. Et omnes per circuitum civitates, regesque earum cepit, percussit atque delevit, * sicut præceperat ei Moyses famulus Domini. * Deut. 7. 1.

13. Absque urbibus, quæ erant (d) in collibus, & in tumulis sitæ, ceteras succendit Israel: unam tantum Asor munitissimam flamma consumpsit.

14. Omnemque prædam istarum urbium ac jumenta diviserunt sibi filii Israel, cunctis hominibus interfectis.

15. * Sicut præceperat Dominus Moysi servo suo, ita præcepit Moyses Josue, & ille universa complevit: non præteriit de universis mandatis, nec unum quidem verbum quod jusserat Dominus Moysi. * Exod. 14. 11. Deut. 7. 1.

16. Cepit itaque Josue omnem Terram montanam, & meridianam, terramque Gosen, & planitiem, & Occidentalem plagam, montemque Israel (e), & campestria ejus:

17. Et partem montis quæ ascendit Seir usque Baalgad per planitiem Libani subter montem Hermon: omnes reges eorum cepit, percussit, & occidit.

18. Multo tempore pugnavit (f) Josue contra reges istos.

19. Non fuit civitas quæ se traderet filiis Israel, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit.

20. Domini enim sententia (g) fuerat, ut indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent, & non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi.

21. In illo tempore venit Josue, & interfecit Enacim de montanis, Hebron, & Dabir, & Anab, & de omni monte Juda & Israel, urbesque eorum delevit.

22. Non reliquit ullum de stirpe Enacim, in Terra filiorum Israel: absque civitatibus Gaza, & Geth, & Azoto, in quibus solis relicti sunt.

23. Cepit ergo Josue omnem Terram, sicut locutus est Dominus ad Moysen, & tradidit eam in possessionem filiis Israel secundum partes & tribus suas: * quievitque Terra a præliis. * Infr. 14. 15.

C A-

41. (g) Est Judææ terminus versus Austrum.

CAP. XI. 2. (a) Mare Tiberiadis, seu Genezareth. Regiones Chananæorum describuntur variis nominibus.

5. & 6. (b) Supra Mare Tiberiadis. *Subnervabis*: poplitum nervos secides, ut in pugna essent inutiles: etsi agriculturæ adhuc utiles esse poterant. Juxta leges politicas id videtur utilius futurum fuisse, si Josue pueros, equos & tecta conservasset: sed prima lex politica fuit parere Deo jubenti. Et quidem hoc utilius fuit infantibus & pueris, mori antequam pravæ parentum educationi permitterentur.

10. (c) Urbs erat in Galilæa gentium.

13. (d) Chald. *Quæ erant in fortitudine sua*: quibus belli injuria pepercit: ex iis unam tantum Asor combussit, quod caput esset regionis, ac timende occasio esset perpetui belli. Ceteras succendit Israel, quod teneri sine valido præsidio non possent.

16. (e) Montem Samariæ, qui postea secessione facta sub Jeroboam Mons Israel dictus est: itaque est prolepsis.

18. & 19. (f) Per sex annos. *Civitas*: Augustinus q. 17. *Quæritur, quomodo hoc verum sit, cum nec temporibus postea Judicum, nec temporibus Regum omnes omnino illarum septem gentium civitates capere potuerint Hebræi. Sed aut sic intelligendum est, quod ad nullam civitatem bellando accessit Jesus, quam non ceperit; aut certe nulla non capta est, scilicet, earum, quæ in regionibus supra commemoratæ fuerunt.* Ante correctionem Sixti legebatur, *Non fuit civitas quæ non se traderet*: sed cum Scriptura Gabaonitas excipiat, palam est legendum esse, *quæ se traderet*: idque ex versu sequenti vigesimo facile colligitur.

20. (g) Augustinus quæst. 18. *Divino altoque judicio juste fieri minime dubitandum est, cum deserit Deus, & possidet inimicus.* Nisi Josue eos populos internecione delevisset, adversus Israelem conjuratione facta rebellassent. Quod postea evenit, cum Josue admodum sene Israelitæ complures populos sibi subjicere contenti, vos extirpare noluerunt.

CAPUT XII.

Recensentur Reges a Mose & Josue debellati.

1. HI sunt reges, quos percusserunt filii Israel, & possederunt Terram eorum trans Jordanem ad solis ortum, a torrente (*a*) Arnon usque ad montem Hermon, & omnem Orientalem plagam, quæ respicit solitudinem.

2. Sehon rex Amorrhæorum, qui habitavit in Hesebon, dominatus est ab Aroer, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, & mediæ partis in valle, dimidiæque Galaad, usque ad eorrentem Jaboc (*b*), qui est terminus filiorum Ammon:

3. Et a solitudine usque ad Mare Ceneroth contra Orientem, & usque ad Mare deserti, quod est mare salsissimum, ad Orientalem plagam per viam quæ ducit Bethsimoth: & ab australi parte, quæ subjacet Asedoth, Phasga.

4. Terminus Og regis Basan, de reliquiis Raphaim, qui habitavit in Astaroth, & in Edrai, & dominatus est in monte Hermon, & in Salecha, atque in universa Basan, usque ad eerminos

5. Gessuri, & Machati, & dimidiæ partis Galaad: terminos Sehon regis Hesebon.

6. Moyses famulus Domini, & filii Israel percusserunt eos, tradiditque Terram eorum Moyses in possessionem Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manasse.

7. Hi sunt reges Terræ, quos percussit Josue, & filii Israel, trans Jordanem ad Occidentalem plagam, a Baalgad (*c*) in campo Libani, usque ad montem, cujus pars ascendit in Seir: tradiditque eam Josue in possessionem tribubus Israel, singulis partes suas,

8. Tam in montanis quam in planis atque campestribus. In Asedoth, & in solitudine, ac in Meridie Hethæus fuit & Amorrhæus, Chananæus & Pherezæus, Hevæus, & Jebusæus.

9. Rex Jericho unus (*d*): rex Hai, quæ est ex latere Bethel, unus:

10. Rex Jerusalem unus, rex Hebron unus,

11. Rex Jerimoth unus, rex Lachis unus,

12. Rex Eglon unus, rex Gazer unus,

13. Rex Dabir unus, rex Gader unus,

14. Rex Herma unus, rex Hered unus,

15. Rex Lebna unus, rex Odullam unus,

16. Rex Maceda unus, rex Bethel (*e*) unus,

17. Rex Taphua unus, rex Opher unus,

18. Rex Aphec unus, rex Saron unus,

19. Rex Madon unus, rex Asor unus,

20. Rex Semeron unus, rex Achsaph unus,

21. Rex Thenac unus, rex Mageddo unus,

22. Rex Cades unus, rex Jachanan (*f*) Carmeli unus,

23. Rex Dor, & provinciæ Dor unus, rex Gentium Galgal (*g*) unus,

24. Rex Thersa unus: omnes reges triginta unus.

CAPUT XIII.

Terra promissa termini designantur, & divisio imperatur.

1. JOsue senex (*a*), provectæque ætatis erat, & dixit Dominus ad eum: Senuisti, & longævus es, terraque latissima derelicta est, quæ necdum sorte divisa est:

2. Omnis (*b*) videlicet Galilæa, Philisthiim, & universa Gessuri,

3. A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum, usque ad terminos Accaron contra Aquilonem: Terra (*c*) Chanaan, quæ in quinque regulos Philisthiim dividitur, Gazæos, & Azotios, Ascalonitas, Gethæos, & Accaronitas.

4. Ad Meridiem vero sunt Hevæi, omnis Terra Chanaan, & Maara Sidoniorum usque Apheca & terminos Amorrhæi,

5. Ejusque confinia (*d*). Libani quoque regio contra Orientem a Baalgad sub monte Hermon, donec ingrediaris Emath.

6. Omnium qui habitant in monte a Libano usque ad aquas Maserephoth, universique Sidonii. Ego sum qui delebo eos a facie filiorum Israel. Veniat ergo in partem hæreditatis Israel, sicut præcepi tibi.

7. Et nunc divide Terram in possessionem novem tribubus, & dimidiæ tribui Manasse,

8. Cum qua Ruben & Gad possederunt Terram, * quam tradidit eis Moyses famulus Domini, trans fluenta Jordanis, ad Orientalem plagam. * Num. 32. 33.

9. Ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, & in vallis medio, universaque campestria Medaba, usque Dibon.

10. Et cunctas civitates Sehon, regis Amorrhæi, qui regnavit in Hesebon usque ad terminos filiorum Ammon.

11. Et Galaad, ac terminum Gessuri & Machati, & omnem montem Hermon, & universam Basan, usque ad Salecha,

12. Omne regnum Og in Basan, qui regnavit in Astaroth & Edrai, ipse fuit de reliquiis Raphaim: percussitque eos Moyses, atque delevit.

13. No-

CAP. XII. 1. (*a*) Qui separat Moabitas ab Amorrhæis, qui sunt cis Jordanem.

2. & 4. (*b*) Torrens est qui dividit Galaad ab Ammonitis. *Raphaim*: e stirpe Gigantum.

7. (*c*) Urbs est in campo Libani prope montem Hermon.

9. (*d*) Primus ponitur, quod primus post transitum Jordanis expugnatus & occisus fuerit.

16. (*e*) Civitas Bethel capta non fuit, nisi post mortem Josue.

22. (*f*) Gigantum, qui partim cæsi sunt, partim alio commigrarunt.

23. (*g*) Rex habitantium ad Galgal unus, qui forte non regnabat in aliqua civitate, sed populus ejus sparsim habitabat circa eam regionem quæ Galgal dicebatur. Unus & triginta reges recensentur in tam angusta regione, quod reges dicerentur, qui uni civitati & circumjectis aliquot oppidis aut vicis præessent. Græcæ Editiones numerant tantummodo 29. reges.

CAP. XIII. 1. (*a*) Hebr. *Josue senuit*, & *venit in dies*. Forma loquendi Hebraica, *venire in dies*, pro longævum esse. *Quæ necdum sorte divisa est*; nondum possessa a filiis Israel.

2. (*b*) Hebr. Omnes Galilææ: Septuaginta & Chaldeus per vocem Hebræam *Geliloth*, non *Galilæam* Provinciam, sed fines & terminos designant; ita ut hic sit sensus: Omnes fines Philisthiim relicti sunt, seu omnes regiones eorum: ita ut vox Philisthiim sit in genitivo casu. *Universa Gessuri* versus Syriam sita ad Aquilonem: *A fluvio turbido*; rivum esse Nili volunt Interpretes, qui prope Basan in mare Pelusiacum se exonerat. Nilum hoc nomine vocat Jeremias cap. 2. 18. Hebr. *A Sichor qui supra Ægyptum*; Sichor quemvis fluvium turbidum significat.

3. (*c*) Forte ad terram Chananæam. Hebr. *Ad Chananæum*.

5. & 11. (*d*) Hebr. *Terra Ghibli*. Septuaginta non pro confiniis accipiunt, sed ut nomen proprium loci: *Terminum: confinia Gessuri*.

13. Nolueruntque disperdere filii Israel Gessuri & Machati: & habitaverunt in medio Israel usque in præsentem diem.

14. * Tribui autem Levi non dedit possessionem: sed sacrificia & victimæ Domini Dei Israel, ipsa est ejus hæreditas, sicut locutus est illi. *Num. 18. 20.

15. Dedit ergo Moyses possessionem tribui filiorum Ruben juxta cognationes suas.

16. Fuitque terminus eorum ab Aroer, quæ sita est in ripa torrentis Arnon, & in valle ejusdem torrentis media: universam planitiem, quæ ducit Medaba,

17. Et Hesebon, cunctosque viculos earum, qui sunt in campestribus: Dibon quoque, & Bamothbaal, & oppidum Baalmaon,

18. Et Jassa, & Cedimoth, & Mephaat,

19. Et Cariathaim, & Sabama, & Sarathasar in monte convallis.

20. Bethphogor & Asedoth, Phasga & Bethjesimoth,

21. Et omnes urbes campestres, universaque regna Sehon regis Amorrhæi, qui regnavit in Hesebon, * quem percussit Moyses cum principibus Madian: Hevæum, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe duces Sehon (e) habitatores Terræ. *Num. 31. 8.

22. Et Balaam filium Beor ariolum occiderunt filii Israel gladio cum ceteris interfectis.

23. Factusque est terminus filiorum Ruben Jordanis fluvius. Hæc est possessio Rubenitarum per cognationes suas urbium & viculorum.

24. Deditque Moyses tribui Gad & filiis ejus per cognationes suas possessionem, cujus hæc divisio est.

25. Terminus Jaser, & omnes civitates Galaad, & dimidiam partem terræ filiorum Ammon, usque ad Aroer, quæ est contra (f) Rabba.

26. Et ab Hesebon usque Ramoth, Masphe & Betonim: & a Manaim usque ad terminos Dabir.

27. In valle quoque Betharan, & Bethnemra, & Sochoth, & Saphon reliquam partem regni Sehon regis Hesebon: hujus quoque finis, Jordanis est usque ad extremam partem maris Cenereth trans Jordanem ad Orientalem plagam.

28. Hæc est possessio filiorum Gad per familias suas, civitates, & villæ earum.

29. Dedit & dimidiæ tribui Manasse, filiisque ejus juxta cognationes suas possessionem.

30. Cujus hoc principium est: a Manaim universam Basan, & cuncta regna Og regis Basan, omnesque vicos Jair, qui sunt in Basan, sexaginta oppida:

31. Et dimidiam partem Galaad, & Astaroth, & Edrai urbes regni Og in Basan: filiis Machir, filii Manasse, dimidiæ parti filiorum Machir juxta cognationes suas.

32. Hanc possessionem divisit Moyses in campestribus Moab trans Jordanem contra Jericho ad Orientalem plagam.

33. * Tribui autem Levi non dedit possessionem: quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus, ut locutus est illi. *Num. 18. 20.

CAPUT XIV.

Sermo de terra divisione continuatur. Item de Calebi possessione.

1. HOc est, quod possederunt (a) filii Israel in Terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar sacerdos, & Josue filius Nun, & principes familiarum per tribus Israel:

2. Sorte omnia dividentes (b), * sicut præceperat Dominus in manu Moysi, novem tribubus, & dimidiæ tribui. *Num. 34. 13.

3. Duabus enim tribubus & dimidiæ dederat Moyses trans Jordanem possessionem: absque Levitis (c), qui nihil terræ acceperunt inter fratres suos:

4. Sed in eorum successerunt locum filii Joseph in duas divisi tribus, Manasse & Ephraim: nec acceperunt Levitæ aliam in Terra partem, nisi urbes ad habitandum & suburbana (d) earum ad alenda jumenta & pecora sua.

5. Sicut præceperat Dominus Moysi, ita fecerunt filii Israel, & diviserunt Terram.

6. Accesserunt itaque filii Juda ad Josue in Galgala, locutusque est ad eum Caleb (e) filius Jephone Cenezæus: * Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen hominem Dei de me & te in Cadesbarne. *Num. 14. 24.

7. Quadraginta annorum eram quando misit me Moyses famulus Domini de Cadesbarne, ut considerarem Terram, nuntiavique ei quod mihi verum videbatur.

8. Fratres autem mei, qui ascenderant mecum, dissolverunt cor populi: & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum meum.

9. Juravitque Moyses in die illo, dicens: Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum: quia secutus es Dominum Deum meum.

10. Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est usque in præsentem diem. Quadraginta (f) & quinque anni sunt, * ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moysen, quando ambulabat Israel per solitudinem: hodie octoginta quinque annorum sum, *Deut. 2. 14.

11. Sic valens, ut eo valebam tempore quando ad explorandum missus sum: * illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum quam ad gradiendum. *Eccli 46. 11.

12. Da

21. (e) Regali erant vectigales Sehon.
25. (f) E regione Rabba, prope torrentem Jaboc, ut Aroer est ad torrentem Arnon versus meridiem.

CAP. XIV. 1. (a) Hebr. *Et hæc quæ acceperunt hæreditate filii Israel.*
2. (b) Sors ipsa divinam voluntatem exhibebat; nec ulla esset dubitationis occasio, cum regiones aliæ aliis essent propinquiores, ac [illegible] dividerentur, quas nonnulli possidebant: filii Israel. Qui fuerit tum temporis regimen Israelitarum, ex hujus [illegible] colligitur. Summus Sacerdos primas tenebat, cum principe Josue, deinde familiarum capita.
3. (c) Jus decimarum dedit illis Deus, sed alias possessiones non habebant.
4. (d) Non arva, non vinea, inquit Grotius, sed pascua, eaque ipsa ubi potius quam fructus.
6. (e) Pater fuit Jephone filius Cenez, aut forte Cenez in ea stirpe celebris fuit: unde Othoniel patruelis Caleb eo nomine postea designatur. Narratio excepta de terræ divisione abrumpitur, ut historia de possessione data primo & fidelissimo exploratori Caleb inseratur.
10. (f) Hinc colligunt nonnulli septem annorum spatio divisam esse terram a Josue. Nam secundo anno missi sunt exploratores, & 38. annis vagati sunt in deserto. Alii quinque, aut sex annos tantum numerant, quod anni, qui numerantur absentes non integri fuerint.

12. Da ergo mihi montem istum, quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt, & urbes magnæ atque munitæ: si forte sit Dominus mecum, & potuero delere (g) eos: sicut promisit mihi.

13. Benedixitque ei Josue: & tradidit ei Hebron in possessionem.

14. Atque ex eo fuit Hebron Caleb filio Jephone Cenezæo usque in præsentem diem: quia secutus est Dominum Deum Israel.

15. Nomen Hebron ante vocabatur Carjatharbe (h): Adam maximus ibi inter Enacim situs est: & Terra cessavit a præliis.

CAPUT XV.

Sors tribus Juda; tum victoria Calebi, qui filiam suam Othonieli nuptum dat.

* Num. 34. 3.

1. Igitur sors filiorum Judæ per cognationes suas ista fuit: * A termino Edom, desertum Sin (a) contra Meridiem, usque ad extremam partem australis plagæ.

2. Initium (b) ejus a summitate maris salsissimi, & a lingua ejus, quæ respicit Meridiem.

3. Egrediturque contra ascensum Scorpionis (c), & pertransit in Sina: ascenditque in Cadesbarne, & pervenit in Esron, ascendens ad Addar, & circuiens Carcaa.

4. Atque inde pertransiens in Asemona, & perveniens ad Torrentem (d) Ægypti: eruntque termini ejus mare magnum. Hic erit finis meridianæ plagæ.

5. Ab Oriente vero erit initium, mare salsissimum usque ad extrema Jordanis (e): & ea quæ respiciunt ad Aquilonem, a lingua maris usque ad eumdem Jordanis fluvium.

6. Ascenditque terminus in Beth-hagla (f), & transit ab Aquilone in Beth-araba: ascendens ad lapidem Boen filii Ruben.

7. Et tendens usque ad terminos Debera de Valle Achor, contra Aquilonem respiciens Galgala, quæ est ex adverso ascensionis Adommim, ab australi parte torrentis: transitque aquas, quæ vocantur Fons solis: & erunt exitus ejus ad Fontem Rogel.

8. Ascenditque per convallem filii Ennom ex latere Jebusæi ad Meridiem, hæc est Jerusalem: & inde se erigens ad verticem montis, qui est contra Geennom ad Occidentem in summitate vallis Raphaim contra Aquilonem.

9. Pertransitque a vertice montis usque ad fontem aquæ Nephtoa: & pervenit usque ad vicos montis Ephron: inclinaturque in Baala, quæ est Carjathjarim, id est, urbs sylvarum.

10. Et circuit (g) de Baala contra Occidentem, usque ad montem Seir: transitque juxta latus montis Jarim ad Aquilonem in Cheslon: & descendit in Bethsames, transitque in Thamna.

11. Et pervenit contra Aquilonem partis Accaron ex latere: inclinaturque Sechrona, & transit montem Baala: pervenitque in Jebneel, & magni maris contra Occidentem fine concluditur.

12. Hi sunt termini filiorum Juda per circuitum in cognationibus suis.

13. Caleb vero filio Jephone dedit partem in medio filiorum Juda, sicut præceperat ei Dominus: Carjatharbe (h) patris Enac, ipsa est Hebron.

* Judic. 1. 10. Num. 13. 23.

14. * Delevitque ex ea Caleb tres filios Enac, Sesai, & Ahimam, & Tholmai de stirpe Enac.

15. Atque inde conscendens venit ad habitatores Dabir, quæ prius vocabatur Carjath-sepher, id est, civitas litterarum (i).

16. Dixitque Caleb: Qui percusserit Carjath-sepher, & ceperit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.

17. Cepitque eam Othoniel filius Cenez frater (k) Caleb junior: deditque ei Axam filiam suam uxorem.

18. Quæ,

12. (g) Non privatis viribus, sed publica auctoritate vult bellum suscipere: est hic retrogressio quædam ad ea quæ scripta sunt cap. 10. 36.

15. (h) Arbe videtur esse proprium nomen viri, qui in ea civitate regnavit, & fuit pater Enac. *Adam maximus ibi inter Enacim situs est*: Adam est nomen appellativum significans hominem: Arbe, qui erat ingens Gigas, ibi inter ceteros gigantes situs est. Etsi mons Hebron in Scriptura non diserte promissus videatur, quod omnes circumstantiæ non semper exprimantur: is tamen in promissione facta Caleb omnino continetur: ut terra quam calcaverat pes ejus, cum exploraturus venerat eam regionem, hæc foret ejus possessio. Quod autem *Enacim* in ea regione adhuc esse Caleb insinuat, non pugnat cum superioribus, ubi deleti dicuntur: nam plures ex iis alio confugerant, qui forte sunt reversi, quod loca male munita invenerint. Ac fieri potest, ut nomen *Hebron*, quod antea regionis fuit vocabulum, præcipue civitati inditum fuerit.

CAP. XV. 1. (a) Terminari dicitur ad meridiem ex parte Idumææ, deserto *Sin*, non per Samech, sed per Thsade, ita ut alterum in magno deserto esse insinuet: quod iterum exprimit his verbis, *Usque ad extremam partem Australis plagæ*. Accurate admodum describuntur limites tribus Judæ ut aliarum principis: partes magis ex æstimatione, quam ex mensura factæ sunt, inquit Josephus.

2. (b) A fine lacus Asphaltitis, describit lineam australem, quæ ducitur ab extremo lacus, seu a lingua, aut promontorio, quod instar linguæ excurrit in mare; Gall. *une langue de terre*.

3. (c) Sic montes vicinos vocant, ob collium & cacuminum curvitatem: *Et pertransit in Sina*: urbem a qua forte desertum *Sin* nomen habuit: *Ascenditque in Cades Barne*, urbem ab alia ejusdem nominis in deserto Pharan diversam: *Et circuiens Carcaa*, flexu quodam procedit Judæ portionem innuit, non in rectam lineam duci. *Ascensum scorpionis*; Græci vertunt ut nomen proprium; estque pars Idumææ dicta Acrabatane, Lib. 1. Machab. cap. 5. vers. 3. Proprium nomen forte duxit a frequentia scorpionum.

4. (d) A Nilo parum distantem. *Hic erit finis meridianæ plagæ*: hæc linea australis ad mare mediterraneum terminatur. Torrens ille Ægypti urbem Rhinocoluram alluit, ilque Ægyptum a Palæstina disterminat.

5. (e) Ubi influit in mare mortuum. Sic linea Orientalis tribus Juda maris mortui littore continetur: *Et ea quæ respiciunt ad Aquilonem*. Hebr. *Et terminus ad angulum septentrionalem a lingua maris a fine Jordanis*: ubi linea orientalis finitur, inde dicitur septentrionalis. Lingua vocatur, aut pars extrema ejus maris, aut promontorium, vel rupes excurrens in mare.

6. (f) Geneseos 50. 10. dicitur Area *Atad* inter Jericho & mare salsum. *Ascendens ad lapidem Boen filii Ruben*: forte Boen nomen huic loco dedit ob præclarum aliquod facinus.

10. (g) Latus septentrionale tribus Judæ magnos habet flexus; *Usque ad montem Seir*, qui alius est a monte Idumææ.

13. (h) Non urbem ipsam, sed agrum circumjectum hoc nomine designari censet Grotius, quod urbs esset Levitarum, ex cap. 21. 13.

15. (i) Forte Schola publica erat in ea, capta & expugnata a Caleb. Cap. 10. v. 15. 36. Hebron dicitur capta a Josue, hoc capite v. 14. dicitur expugnata a Caleb: verisimile est a Josue captam, quia ejus auctoritate & concessu eam expugnavit Caleb, idque dictum fuisse capite 10. per anticipationem: nisi forte ab hostibus recuperata fuit, tum recepta ab Hebræis.

17. (k) Verisimile est Othonielem dici fratrem Caleb juniorem, sed patruelem: juxta Hebr. reddi potest, *Othoniel filius Cenez fratris Caleb*. Cenez ita dictus est avi nomine: sed probabilius est Othonielem fuisse consobrinum Caleb.

18. Quæ, cum pergerent simul, suasa est a viro suo ut peteret a patre suo agrum, suspiravitque ut sedebat in asino. Cui Caleb: Quid habes, inquit?

19. At illa respondit: Da mihi benedictionem (*l*): Terram australem & arentem dedisti mihi, junge & irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius & inferius.

20. Hæc est possessio tribus filiorum Juda per cognationes suas.

21. Erantque civitates (*m*) ab extremis partibus filiorum Juda juxta terminos Edom a Meridie: Cabseel & Eder & Jagur,

22. Et Cina & Dimona & Adada,

23. Et Cades & Asor, & Jethnam,

24. Ziph & Telem & Baloth,

25. Asor nova & Carjoth, Hesron, hæc est Asor.

26. Amam, Sama, & Molada,

27. Et Asergadda & Hassemon & Bethphelet,

28. Et Hasersual & Bersabee & Baziothia,

29. Et Baala & Iim & Esem,

30. Et Eltholad & Cesil & Harma,

31. Et Siceleg & Medemena & Sensenna,

32. Lebaoth & Selim & Aen & Remon. Omnes civitates viginti (*n*) novem, & villæ earum.

33. In campestribus vero: Estaol & Sarea & Asena,

34. Et Zanoe & Ængannim & Taphua & Enaim,

35. Et Jerimoth & Adullam, Socho & Azeca,

36. Et Saraim & Adithaim & Gedera & Gederothaim: urbes quatuordecim (*o*), & villæ earum,

37. Sanan & Hadassa & Magdalgad,

38. Delean & Masepha & Jecthel,

39. Lachis & Bascath & Eglon,

40. Chebbon & Leheman & Cethlis,

41. Et Gideroth & Beth-dagon & Naama & Maceda: civitates sedecim, & villæ earum.

42. Labana & Ether & Asan,

43. Jephtha & Esna & Nesib,

44. Et Ceila & Achsib & Maresa: civitates novem, & villæ earum.

45. Accaron cum vicis & villulis suis.

46. Ab Accaron usque ad mare: omnia quæ vergunt ad Azotum & viculos ejus.

47. Azotus cum vicis & villulis suis. Gaza cum vicis & villulis suis, usque ad torrentem Ægypti, & mare magnum terminus ejus.

48. Et in monte: Samir & Jether & Socoth

49. Et Danna & Carjath-senna, hæc est Dabir:

50. Anab & Istemo & Anin,

51. Gosen & Olon & Gilo: civitates undecim, & villæ earum.

52. Arab & Ruma & Esaan,

53. Et Janum & Beth-thaphua & Apheca,

54. Athmatha & Carjath-arbe, hæc est Hebron, & Sior: civitates novem, & villæ earum.

55. Maon & Carmel & Ziph & Jota,

56. Jezrael & Jucadam & Zanoe,

57. Accain, Gabaa & Thamna: civitates decem, & villæ earum.

58. Halhul & Bessur & Gedor,

59. Mareth & Beth-anoth & Eltecon: civitates sex, & villæ earum.

60. Cajath-baal, hæc est Carjathjarim urbs silvarum, & Arebba: civitates duæ, & villæ earum.

61. In deserto Beth-araba, Meddin, & Sachacha,

62. Et Nebsan, & civitas salis, & Engaddi: civitates sex, & villæ earum.

63. Jebusæum (*p*) autem habitatorem Jerusalem non potuerunt filii Juda delere: habitavitque Jebusæus cum filiis Juda in Jerusalem usque in præsentem diem.

CAPUT XVI.

Sors filiorum Joseph. Hi non interfecerunt Chananæum qui habitabat in Gazer.

1. Cecidit quoque sors filiorum Joseph ab Jordane contra Jericho & aquas ejus ab Oriente (*a*): solitudo quæ ascendit de Jericho ad montem Bethel:

2. Et egreditur de Bethel Luza (*b*): transitque terminum Archi, Atharoth.

3. Et descendit ad Occidentem juxta terminum Jephleti, usque ad terminos Bet-horon inferioris, & Gazer: finiunturque regiones ejus mari magno:

4. Possederuntque filii Joseph Manasses & Ephraim.

5. Et factus est terminus filiorum Ephraim per cognationes suas: & possessio eorum contra Orientem Atharoth-addar usque Beth-horon superiorem.

6. Egrediunturque confinia in mare (*c*): Machmethath vero Aquilonem respicit, & circuit terminos contra Orientem in Thanath-selo: & pertransit ab Oriente Janoe:

7. De-

19. (*l*) Chald. *Hereditatem Irriguum superius & inferius*: Hebr. *Vertices aquarum*. Fontium scaturigines, & superiores in clivo, & inferiores, quibus planiora loca irrigari possent. Dedit illi Caleb irriguum in dotem ex liberalitate, non ex lege, aut ex more.

21. (*m*) Hebr. *Civitates a fine*: inversa est constructio pro, erant a fine, seu ab extremo, civitates tribus filiorum Juda fines Edom in Austro Cableel & Eder, unde verti potest partem filiorum Juda: nam ex cap. 19. Judæ oppida erant 19.

32. (*n*) Plures tamen numerantur: civitates quidem fuerunt viginti novem, reliquæ erant forte vici adjacentes: unde subjicit, *Omnes civitates viginti novem, & villæ earum, Aen & Remon*, quæ postea in unam urbem coaluere.

36. (*o*) Numerantur quindecim, sed inter eas vicus unus recensetur.

63. (*p*) Pars una Jerusalem, quæ *Salem* dicebatur, & septentrionalis ad tribum Benjamin pertinebat; pars altera australis, quæ *Jebus*, fuit tribus Judæ: hæc narrantur per anticipationem. At ipsa Sion expugnari non potuit nisi a Davide. Quia etiam forsan Jebusæi urbem Jerusalem receperant, ut Enacim urbem Hebron: utrumque ne populus otio diffluens ad idola se converteret, aut certe ob ejus peccata hæ civitates non sunt statim expugnatæ. Jebusæus extirpari penitus non potuit, isque est typus veteris hominis, quem destruere debemus cum vitiis ejus & concupiscentiis. Sed lex illa sic omni ex parte impleri nequit, quia maneat semper lex in membris nostris, quæ repugnat legi Dei. Ex hoc & versiculo 18. nonnulli colligunt hunc librum post Davidis tempora conscriptum fuisse. Qua de re diximus in Præfatione Geneseos & hujus libri.

CAP. XVI. 1. (*a*) Fuit sors Joseph. *Solitudo quæ ascendit*: verbum, *ascendit*, non ad solitudinem, sed ad sortem refertur, ex Masio.

2. (*b*) In Luzam, funiculus mensorius, seu linea terminorum. Hic Bethel a Luza distinguitur, aut forte egreditur de Bethel, quæ antea dicta est Luza.

6. (*c*) Mediterraneum: inde linea ducitur ad Septentrionem per Jordanis ripam.

7. Descenditque de Janoe in Atharoth & Naaratha: & pervenit in Jericho, (*d*) egrediturque ad Jordanem.

8. De Taphua pertransit contra mare in Vallem arundineti, suntque egressus ejus in mare salsissimum (*e*). Hæc est possessio tribus filiorum Ephraim per familias suas.

9. Urbesque separatæ (*f*) sunt filiis Ephraim in medio possessionis filiorum Manasse, & villæ earum.

10. Et non interfecerunt (*g*) filii Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer: habitavitque Chananæus in medio Ephraim usque in diem hanc tributarius.

CAPUT XVII.

Dimidiæ tribus Manasse sors designatur, & filiarum Salphaad.

1. CEcidit autem sors tribui Manasse: (ipse enim est primogenitus Joseph) Machir primogenito (*a*) Manasse patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitque possessionem Galaad & Basan:

* Num. 26. 30. 2. * Et reliquis filiorum Manasse juxta familias suas, filiis Abiezer, & filiis Helec, & filiis Esriel, & filiis Sechem, & filiis Hepher, & filiis Semida. Isti sunt filii Manasse filii Joseph, mares, per cognationes suas.

* Num. 27. 1. & 36. 11. 3. * Salphaad vero filio Hepher filii Galaad filii Machir filii Manasse non erant filii, sed solæ filiæ: quarum ista sunt nomina, Maala & Noa & Hegla & Melcha & Thersa.

4. Veneruntque in conspectu Eleazari sacerdotis, & Josue filii Nun, & principum, dicentes: Dominus præcepit per manum Moysi, ut daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum. Deditque eis juxta imperium Domini possessionem in medio fratrum patris earum.

5. Et ceciderunt funiculi Manasse, decem (*b*), absque Terra Galaad & Basan trans Jordanem.

6. Filiæ enim Manasse possederunt hæreditatem in medio filiorum ejus. Terra autem Galaad cecidit in sortem filiorum Manasse qui reliqui erant.

7. Fuitque terminus Manasse ab Aser (*c*), Machmethath quæ respicit Sichem: & egreditur ad dexteram juxta habitatores Fontis Taphuæ.

8. Etenim in sorte Manasse ceciderat Terra Taphuæ, quæ est juxta terminos Manasse filiorum Ephraim.

9. Descenditque terminus Vallis (*d*) arundineti in meridiem torrentis civitatum Ephraim, quæ in medio sunt urbium Manasse: terminus Manasse ab Aquilone torrentis, & exitus ejus pergit ad mare:

10. Ita ut possessio Ephraim sit ab Austro, & ab Aquilone Manasse, & utramque claudat mare, & conjungantur sibi in tribu Aser ab Aquilone, & in tribu Issachar ab Oriente.

11. Fuitque hæreditas Manasse in Issachar & in Aser, Bethsan & viculis ejus, & Jeblaam cum viculis suis, & habitatores Dor cum oppidis suis, habitatores quoque Endor cum viculis suis: similiterque habitatores Thenac cum viculis suis, & habitatores Mageddo cum viculis suis, & tertia pars urbis Nopheth.

12. Nec potuerunt (*e*) filii Manasse has civitates subvertere, sed cœpit Chananæus habitare in terra sua.

13. Postquam autem convaluerunt filii Israel, subjecerunt Chananæos, & fecerunt sibi tributarios, nec interfecerunt eos.

14. Locutique sunt filii Joseph ad Josue, & dixerunt: Quare dedisti mihi possessionem sortis & funiculi unius, cum sim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus?

15. Ad quos Josue ait: Si populus multus es, ascende in silvam, & succide (*f*) tibi spatia in Terra Pherezæi & Raphaim: quia angusta est tibi possessio montis Ephraim.

16. Cui responderunt filii Joseph: Non poterimus ad montana conscendere, cum ferreis curribus utantur Chananæi, qui habitant in Terra campestri, in qua sitæ sunt Bethsan cum viculis suis, & Jezrael mediam possidens vallem.

17. Dixitque Josue ad domum Joseph, Ephraim & Manasse: Populus multus es, & magnæ fortitudinis, non habebis sortem unam,

18. Sed transibis ad montem, & succides (*g*) tibi, atque purgabis ad habitandum spatia: & poteris ultra procedere cum subverteris Chananæum, quem dicis ferreos habere currus, & esse fortissimum.

CA-

7. (*d*) Ad fines Jericho: nam urbs ipsa erat tribus Benjamin. *Egrediturque ad Jordanem*: finis hujus lineæ est Jordanis pars extrema.

8. (*e*) Serarius existimat vocem, *Salsissimum*, irrepsisse: nam hoc loco agitur de mari Mediterraneo: nec tribus Ephraim attingit mare mortuum propter interjectam tribum Benjamin.

9. (*f*) Præter hunc tractum datæ sunt tribui Ephraim quædam urbes ex iis quæ ad tribum Manasses pertinebant. Sic tribus Juda de tribu Benjamin quasdam urbes possedit ob multitudinem hominum: nam sorte tota regio in partes æquales divisa fuerat, sed cum tribus quædam aliis essent numerosiores, Josue, quique ei aderant, quasdam urbes ex iis quæ minores erant, subduxere, quas majoribus tribuerunt.

10. (*g*) Initio forte non potuerunt eos subvertere: postea cum invaluissent numero Israelitæ, delere eos potuere: sed cupiditate ducti tributarios fecere contra præceptum Domini, Num. 2. 39. Gazer sero venit in potestatem Israelitarum, 3. Reg. 9. Urbs erat opulenta, in qua multi erant negotiatores. Gregorius Libro quarto Moralium, capite 22. *Dum inter alta sublimia, vitia quædam parva retinemus, quasi Chananæum vivere in terra nostra concedimus: qui tamen nobis tributarius efficitur, quia hoc ipsum vitium, quod subigere non possumus, ad usum nostræ utilitatis humiliter retorquemus.*

CAPUT XVII. 1. (*a*) Unigenitus fuit; sed ita loqui solet Scriptura, ut vocet primogenitos, qui nullos habent fratres. *Et reliquis filiorum Manasse*: hi sortem habuere cis Jordanem.

5. (*b*) Familiæ erant sex; ex iis una non habuit filios, sed quinque filias, quæ unam ex sex partibus habuerunt: verum hæc in quinque partes divisa est: hinc funiculi seu portiones decem.

7. & 8. (*c*) A finibus tribus Aser. *Ephraim*: Taphua est quædam regio tribus Manasse, quæ parte attingit urbes Ephraim: quæ nempe datæ sunt Ephraim in territorio tribus Manasse, ex capite 16.

9. & 11. (*d*) Sept. Interpret. Ad Vallem. *Hæreditas*: habuit in his duabus tribubus urbes contermina & vicos qui hic recensentur: *Bethsan*, quæ postea Scythopolis dicta: *Et tertia pars urbis Nopheth*, tractus, seu regionis, ut existimat Masius.

12. (*e*) Seu quod potiores essent, seu ob rationem quæ Judicum 2. vers. 20. habetur, *Quia irritum fecit gens ista pactum meum, . . . & ego non delebo gentes in terra sua*: LXX. *In terra hac*.

14. (*f*) Extirpatis dumis montem cole: popularem tumultum prudenter compescit Josue. Terras & regiones ibi assignat non sine labore acquirendas. Ita Christus hæreditatem suam sic nobis distribuit, ut eam non otiosi adeamus, sed contra hostes nostros decertemus, vires nobis quibus vincamus, subministrans.

18. (*g*) Non populares, sed hostes expellite, ut loca vacua occupetis.

CAPUT XVIII.

Mittuntur qui describant Terram reliquis septem tribubus assignandam. Sors tribus Benjamin definitur.

1. Congregatique (*a*) sunt omnes filii Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonii, & fuit eis Terra subjecta.

2. Remanserant (*b*) autem filiorum Israel septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones suas.

3. Ad quos Josue ait: Usquequo (*c*) marcetis ignavia, & non intratis ad possidendam Terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis?

4. Eligite de singulis tribubus ternos viros, ut mittam eos, & pergant atque circumeant Terram, & describant eam juxta numerum uniuscujusque multitudinis: referantque ad me quod descripserint.

5. Dividite vobis Terram in septem partes: Judas sit in terminis suis ab australi plaga, & domus Joseph ab Aquilone.

6. Mediam (*d*) inter hos Terram in septem partes describite: & huc venietis ad me, ut coram Domino Deo vestro mittam vobis hic sortem:

7. Quia non est inter vos pars Levitarum, sed sacerdotium Domini est eorum hæreditas. Gad autem & Ruben, & dimidia tribus Manasse, jam acceperant possessiones suas trans Jordanem ad Orientalem plagam: quas dedit eis Moyses famulus Domini.

8. Cumque surrexissent viri, ut pergerent ad describendam Terram, præcepit eis Josue, dicens: Circuite Terram, & describite eam, ac revertimini ad me: ut hic coram Domino, in Silo, mittam vobis sortem.

9. Itaque perrexerunt: & lustrantes eam, in septem partes diviserunt, scribentes in volumine. Reversique sunt ad Josue in castra Silo.

10. Qui misit sortes coram Domino in Silo, divisitque Terram filiis Israel in septem partes.

11. Et ascendit (*e*) sors prima filiorum Benjamin per familias suas, ut possiderent Terram inter filios Juda & filios Joseph.

12. Fuitque terminus eorum contra Aquilonem a Jordane: pergens juxta latus Jericho septentrionalis plagæ, & inde contra Occidentem ad montana conscendens, & perveniens ad solitudinem Bethaven,

13. Atque pertransiens juxta * Luzam ad Meridiem, ipsa est Bethel: descenditque in Ataroth-addar in montem, qui est ad Meridiem Beth-horon inferioris: * Gen. 28. 19.

14. Et inclinatur circuiens contra mare (*f*) ad Meridiem montis qui respicit Beth-horon contra Africum: suntque exitus ejus in Carjathbaal, quæ vocatur & Carjathjarim, urbem filiorum Juda. Hæc est plaga contra mare, ad Occidentem.

15. A Meridie autem ex parte Carjathjarim egreditur terminus contra mare, & pervenit usque ad fontem aquarum Nephtoa.

16. Descenditque in partem montis, qui respicit vallem filiorum Ennom: & est contra septentrionalem plagam in extrema parte vallis Raphaim. Descenditque in Geenom (id est, vallem Ennom) juxta latus Jebusæi ad Austrum: & pervenit ad Fontem Rogel,

17. Transiens ad Aquilonem, & egrediens ad Ensemes, id est, Fontem solis:

18. Et pertransit usque ad tumulos, qui sunt e regione Ascensus Adommim: descenditque ad Aben-boen, id est, lapidem Boen filii Ruben: & pertransit ex latere Aquilonis ad campestria: descenditque in planitiem,

19. Et prætergreditur contra Aquilonem Bethhagla: suntque exitus ejus contra linguam maris salsissimi ab Aquilone in fine Jordanis ad australem plagam:

20. Qui est terminus illius ab Oriente (*g*): Hæc est possessio filiorum Benjamin per terminos suos in circuitu, & familias suas.

21. Fueruntque civitates ejus, Jericho (*h*) & Beth-hagla & Vallis Casis,

22. Beth Araba & Samaraim & Bethel,

23. Et Avim & Aphara & Ophera,

24. Villa Emona & Ophni & Gabee: civitates duodecim, & villæ earum,

25. Gabaon & Rama & Beroth,

26. Et Mesphe & Caphra & Amosa,

27. Et Recem, Jarephel & Tharela,

28. Et Sela, Eleph & Jebus (*i*), quæ est Jerusalem, Gabaath & Carjath: civitates quatuordecim, & villæ earum. Hæc est possessio filiorum Benjamin juxta familias suas.

CA-

CAPUT XVIII.

1. (*a*) Qui totius populi personam sustinebant: eo translatum est ex Galgalis tabernaculum, ut commodius adiri posset: nam Galgala erat fere in terminis terræ sanctæ. Silo est civitas in tribu Ephraim, atque ibi mansit tabernaculum usque ad finem pene Samuelis: nam 1. Reg. 27. erat in Nobe.

2. (*b*) Jam utique sorte & tentorum judicio divisa erat terra omnis: sed verisimile est otium esse inter alias tribus ea de re dissensionem, ac plerosque in uberi solo Galgalis manere maluisse, quam tot præliorum adire pericula, nec terræ sibi datæ adisse possessionem: quos vers. 3. acriter reprehendit Josue.

3. (*c*) Increpat eos ob socordiam: cum enim data iis esset a Deo terra illa, id unum supererat, ut ejus adirent possessionem.

6. (*d*) Hæc verba neque Hebræus textus, neque Septuaginta habent: suspicatur Serarius vocem illam, *mediam*, in Latinis positam pro, *aliam*: nam terra quæ dividenda erat septem tribubus, non media erat inter tribum Juda, & duas tribus Ephraim & Manasse. Quod superest regionis, dividite coram Domino, coram arca.

11. & 12. (*e*) Ex urna sublata est. *Terminus*: terminus septentrionalis tribus Benjamin.

14. (*f*) Hebræi, *Ad angulum maris*, id est, occidentis: nam Benjamin ad mare usque non excurrebat: unde per mare intelligitur occidens: contra mare, est versus occasum. *Ad Meridiem montis*: ad partem australem montis ejus: linea transit ad meridiem hujus montis, & mons ipse est ad meridiem urbis Beth-horon. Postquam descripsit lineas septentrionalem & occidentalem, describit meridionalem.

20. (*g*) Jordanis ripa est terminus: Orientalis tribus Benjamin qua ascendit a mari mortuo ad Jericho.

21. (*h*) Urbs quidem solo æquata fuerat, sed ejus territorium divisum fuit, & tribui Benjamin contigit civitas destructa; sed locus habitari poterat & coli, tametsi muris non cingeretur. Et Bethel altera est ejusdem nominis in Tribu Ephraim.

28. (*i*) Sed forte cessit postea tribui Juda, ob multitudinem populi Juda; nec potuerat tota in potestatem Benjamitarum redigi: pars septentrionalis erat in tribu Benjamin. Jebus dicta est, quasi urbs Jebus, aut Jebusæorum. Illud etiam est probabile, veterem urbem in parte tribus Benjamin extitisse, sed accessionem ei factam ex parte tribus Juda.

CAPUT XIX.

Sex Tribuum sortes assignantur.

1. ET egressa (a) est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas: fuitque hæreditas

2. Eorum in medio possessionis filiorum Juda: Bersabee & Sabee (b) & Molada,

3. Et Hasersual, Bala & Asem,

4. Et Eltholad, Bethul & Harma,

5. Et Siceleg & Beth-marchaboth & Hasersusa,

6. Et Beth-lebaoth & Sarohen: civitates tredecim, & villæ earum:

7. Ain & Remmon & Athar & Asan: civitates quatuor, & villæ earum:

8. Omnes viculi per circuitum urbium istarum usque ad Baalath-beer-ramath contra australem plagam. Hæc est hæreditas filiorum Simeon juxta cognationes suas,

9. In possessione & funiculo filiorum Juda: quia major erat, & idcirco filii Simeon possederunt in medio (c) hæreditatis eorum.

10. Cecidit que sors tertia filiorum Zabulon per cognationes suas: & factus est terminus possessionis eorum usque Sarid.

11. Ascenditque (d) de Mari & Merala, & pervenit in Debbaseth, usque ad torrentem qui est contra Jeconam.

12. Et revertitur de Sared contra Orientem in fines Ceseleththabor: & egreditur ad Dabereth, ascenditque contra Japhie.

13. Et inde pertransit usque ad Orientalem plagam Gethhepher (e) & Thacasin: & egreditur in Remmon, Amthar & Noa.

14. Et circuit ad Aquilonem Hanathon: suntque egressus ejus vallis Jephtahel,

15. Et Cateth & Naalol & Semeron & Jedala & Bethlehem: civitates duodecim, & villæ earum.

16. Hæc est hæreditas tribus filiorum Zabulon per cognationes suas, urbes & viculi earum.

17. Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas.

18. Fuitque ejus hæreditas Jezrael & Casaloth & Sunem,

19. Et Hapharaim & Seon & Anaharath,

20. Et Rabboth & Cesion, Abes,

21. Et Rameth, & Engannim, & Enhadda, & Bethpheses.

22. Et pervenit terminus ejus usque Thabor (f) & Sehesima & Bethsames: eruntque exitus ejus Jordanis: civitates sedecim, & villæ earum.

23. Hæc est possessio filiorum Issachar per cognationes suas, urbes & viculi earum.

24. Ceciditque sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas:

25. Fuitque terminus eorum Halcath & Chali & Bethen & Axaph

26. Et Elmelech & Amaad & Messal: & pervenit usque ad Carmelum (g) maris & Sihor & Labanath,

27. Ac revertitur contra Orientem Bethdagon: & pertransit usque Zabulon & Vallem Jephthael contra Aquilonem in Bethemec & Nehiel. Egrediturque ad lævam Cabul,

28. Et Abran & Rohob & Hamon & Cana, usque ad Sidonem magnam.

29. Revertiturque in Horma usque ad civitatem munitissimam Tyrum, & usque Hosa: eruntque exitus ejus in mare (h) de funiculo Achziba:

30. Et Amma & Aphec & Rohob: civitates viginti duæ, & villæ earum.

31. Hæc est possessio filiorum Aser per cognationes suas, urbesque & viculi earum.

32. Filiorum Nephthali sexta sors cecidit per familias suas:

33. Et cœpit terminus de Heleph & Elon in Saananim, & Adami, quæ est Neceb, & Jebnael usque Lecum: & egressus eorum usque ad Jordanem.

34. Revertiturque terminus contra Occidentem in Aznotthabor, atque inde egreditur in Hucuca, & pertransit in Zabulon contra Meridiem, & in Aser contra Occidentem, & in Juda (i) ad Jordanem contra ortum solis:

35. Civitates munitissimæ, Assedim, Ser, & Emath & Reccath & Cenereth,

36. Et Edema & Arama, Asor

37. Et Cedes & Edrai, Enhasor

38. Et Jeron & Magdalel, Horem & Bethanath, & Bethsames: civitates (k) decem & novem, & villæ earum.

39. Hæc est possessio tribus filiorum Nephthali per cognationes suas, urbes & viculi earum.

40. Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima:

41. Et fuit terminus possessionis ejus Saraa & Esthaol, & Hirsemes, id est, civitas solis.

42. Selebin & Ajalon & Jethela,

43. Elon & Themna & Acron,

44. Elthece, Gebbeton & Balaath

45. Et Jud & Bane & Barach & Gethremmon:

46. Et Mejarcon & Arecon, cum termino qui respicit Joppen,

47. Et

CAP. XIX. 1. (a) Hujus tribus termini non describuntur juxta mundi plagas, quod habitarent in medio filiorum Juda.

2. (b) Duplex est nomen unius civitatis: alioqui essent quatuordecim, non tredecim. Unde 1. Paralip. 4. alterum ex eis omittitur vocabulum.

9. (c) Rationem mox affert: *Quia major erat*: Hebr. *Major erat ipsi*: seu major præ multitudine hominum. Ac verisimile est tribum Juda plures debellasse Chananæos, aut certe qui tribuum divisioni præfuerant, plus æquo tribu Juda dederunt, adeo ut partem suæ sortis ultro cesserint.

11. (d) Usque ad vers. 17. tribus Zabulon, & illius fines describuntur.

13. (e) Patria est Jonæ Prophetæ, 4. Reg. 14.

22. (f) Hic mons est in tribu Zabulon, & prope illam Nazareth: eo tamen ducitur linea Issachar, cujus sors describitur. *Exitus ejus*: limes extremus est Jordanis ad Orientem.

26. (g) Ut distinguatur a Carmelo qui est in tribu Juda, ad Austrum: sed Carmelus cujus hoc loco fit mentio, est prope Ptolemaida.

29. (h) Extremus limes tribus Aser est mare: *A funiculo Achziba*: Incipiens a termino, seu funiculo Achziba usque ad Tyrum & Sidonem.

34. (i) Videtur Juda esse nomen loci. Non quod tribus Nephthali esset contermina tribui Judæ: sed quod iter fit exceditum per Jordanem a tribu Juda ad Nephthali. Thabor ter ponitur in hoc capite: & videntur esse tres montes locis suis distincti. *Cenereth*: seu Genezareth.

38. & 41. (k) Plures numerantur, sed eæ sunt potiores, ut vers. 15. *Hirsemes*, civitas solis.

47. Et ipso fine concluditur (*l*). Ascenderuntque filii Dan, & pugnaverunt contra Lesem, ceperuntque eam: & percusserunt eam in ore gladii, & possederunt, & habitaverunt in ea, vocantes nomen ejus Lesem-Dan, ex nomine Dan patris sui.

48. Hæc est possessio tribus filiorum Dan, per cognationes suas, urbes & viculi earum.

49. Cumque complesset (*m*) sorte dividere Terram singulis per tribus suas, dederunt filii Israel possessionem Josue filio Nun in medio sui,

50. Juxta præceptum Domini: urbem quam postulavit, Thamnath. (*n*) Saraa in monte Ephraim: & ædificavit civitatem, habitavitque in ea.

51. Hæ sunt possessiones, quas sorte diviserunt Eleazar (*o*) sacerdos, & Josue filius Nun, & principes familiarum, ac tribuum filiorum Israel in Silo, coram Domino ad ostium tabernaculi testimonii, partitique sunt Terram.

CAPUT XX.

Sex refugii civitates constituuntur; quique ad eas possint confugere.

1. ET locutus est Dominus ad Josue, dicens: Loquere filiis Israel, & dic eis:

* Num. 35. 10. Deut. 19. 2. 2. Separate (*a*) urbes fugitivorum, * de quibus locutus sum ad vos per manum Moysi;

3. Ut confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius: & possit evadere iram proximi, qui ultor est sanguinis:

4. Cum ad unam harum confugerit civitatum, stabit ante portam civitatis, & loquetur senioribus urbis illius ea, quæ se comprobent innocentem: sicque suscipient eum, & dabunt ei locum ad habitandum.

5. Cumque ultor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manus ejus: quia ignorans percussit proximum ejus, nec ante biduum, triduumve ejus probatur inimicus.

6. Et habitabit in civitate illa, donec stet ante judicium, (*b*) causam reddens facti sui, & moriatur sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore: tunc revertetur homicida, & ingredietur civitatem & domum suam de qua fugerat.

7. Decreveruntque Cedes in Galilæa montis Nephthali, & Sichem in monte Ephraim, & Carjatharbe, ipsa est Hebron in monte Juda.

8. Et trans Jordanem contra orientalem plagam Jericho, * statuerunt Bosor, quæ sita est in campestri solitudine de tribu Ruben, & Ramoth in Galaad de tribu Gad, & Gaulon in Basan de tribu Manasse. * Deut. 4. 43.

9. Hæ civitates constitutæ sunt cunctis filiis Israel, & advenis qui habitabant inter eos: ut fugeret ad eas qui animam nescius percussisset, & non moreretur in manu proximi, effusum sanguinem vindicare cupientis, donec staret ante populum (*c*) expositurus causam suam.

CAPUT XXI.

Levitis civitates assignantur. Impleta Dei promissione, Hebræi quæsitis fruuntur, & pace.

1. ACcesseruntque principes familiarum Levi ad Eleazarum sacerdotem, & Josue filium Nun, & ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israel:

2. Locutique sunt ad eos in Silo Terræ Chanaan, atque dixerunt: * Dominus præcepit (*a*) per manum Moysi, ut darentur nobis urbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda jumenta. * Num. 35. 2.

3. Dederuntque filii Israel de possessionibus suis juxta imperium Domini, civitates & suburbana earum.

4. Egressaque est sors in familiam Caath (*b*) filiorum Aaron sacerdotis de tribubus Juda, & Simeon, & Benjamin, civitates tredecim:

5. Et reliquis (*c*) filiorum Caath, id est, Levitis, qui superfuerant de tribubus Ephraim, & Dan, & dimidia tribu Manasse, civitates decem.

6. Porro filiis Gerson egressa est sors, ut acciperent de tribubus Issachar & Aser & Nephthali, dimidiaque tribu Manasse in Basan civitates numero tredecim.

7. Et filiis Merari per cognationes suas de tribubus Ruben & Gad & Zabulon urbes duodecim.

8. Dederuntque filii Israel Levitis civitates & suburbana earum, sicut præcepit Dominus per manum Moysi, singulis sorte tribuentes.

9. De tribubus filiorum Juda & Simeon dedit Josue civitates: * quarum ista sunt nomina. * 1. Par. 6. 2.

10. Filiis Aaron per familias Caath Levitici generis (prima enim sors illis egressa est)

11. Car-

47. (*l*) Hebr. *Et exiit terminus filiorum Dan ab ipsis*, hoc est, a loco ipis designato: nam plures alio profecti sunt. *Lesem* cap. 18. Judicum *Lais* appellatur: id vero post mortem Josue evenit; adeo ut hoc Danitarum facinus non a Josue, sed ab aliquo Scriptore Hagiographo forte adjectum fuerit, ut quædam aliæ circumstantiæ. *Dan* etiam dicta est, & postea Cæsarea Philippi. Ex nomine Dan patris sui, aut ex nomine tribus nomen accepit.

49. (*m*) Quamvis Josue dux esset populi, tamen non sibi vindicavit partem aliquam terræ, sed postulavit a populo locum exiguum & dirutum, postquam aliis bene prospectum fuit.

50. (*n*) Cum Sancta Paula loca in Scripturis celebrata inviseret, *satis mirata est*, ait Hieronymus Epistol. 27. *quod distributor possessionum sibi montana & aspera delegisset*.

51. (*o*) Ex hoc loco quidam colligunt Josue non sua tantum auctoritate usum, sed una cum Eleazaro & tribuum principibus cuncta ordinasse.

CAP. XX. 1. (*a*) De quibus Numerorum 35. & Deuteronomii 19. Homicidis tantum urbes illæ concedebantur, quod majus iis immineret periculum a propinquis occisorum. *Per manum Mosis*, per Mosen: id est, ut Moses præcepit.

6. (*b*) Sept. Interpret. *Et non moriatur homicida a persequente sanguinem, quoadusque consisterit coram Synagoga in judicium*. *Et moriatur Sacerdos magnus*: cur non Ducis aut Regis, sed Sacerdotis mors expectanda? Quod Sacerdotium futurum esset perpetuum usque ad mortem Christi, non item regimen politicum, quod varium & identidem mutatum fuit: sed vera hæc fuit ratio, quod sub hac figura nobis adumbretur vera libertas, quam nobis mors Christi peperit.

9. (*c*) Hebr. *Ante cœtum*: quod additur, *expositurus causam suam*, deest in Hebræo, & explicationis gratia additum videtur ab interprete.

CAP. XXI. 2. (*a*) Prius assignanda fuit tribubus sua cuique portio, tum ex singulis eligendæ civitates, quæ Levitis darentur ad habitandum.

4. (*b*) Quatuor factæ sunt Levitarum partes: prima fuit Sacerdotum, qui omnes Aaronis posteri fuerunt, & de stirpe Caath, sed non de posteris Aaron; tertia Gersonitarum, quarta posterorum Merari.

5. (*c*) Hebr. *Et filiis Caath reliquis ex familiis*: de filiis Caath qui non erant ex posteris Aaron. Territorium manebat penes tribus, agri juxta pascua Levitis cedebant, ut videtur Grotio; sed alii aliud censent. Urbes quæ Levitis & Sacerdotibus datæ sunt, vel binomines fuerunt, vel ex iis aliquæ tractu temporis mutarunt vocabula.

11. Carjath-arbe patris Enach, quæ vocatur Hebron, in monte Juda, & suburbana ejus per circuitum.

* Sup. 14. 14. 12. * Agros vero & villas ejus dederat Caleb filio Jephone ad possidendum.

1. Par. 6. 56. 13. Dedit ergo filiis Aaron sacerdotis Hebron (*d*) confugii civitatem, ac suburbana ejus: & Lobnam cum suburbanis suis:

14. Et Jether, & Estemo,

15. Et Holon, & Dabir,

16. Et Ain, & Jeta, & Beth-sames, cum suburbanis suis: civitates novem de tribubus, ut dictum est, duabus.

17. De tribu autem filiorum Benjamin, Gabaon & Gabae,

18. Et Anathoth & Almon, cum suburbanis suis: civitates quatuor.

19. Omnes simul civitates filiorum Aaron sacerdotis, tredecim, cum suburbanis suis.

20. Reliquis vero per familias filiorum Caath Levitici generis, hæc est data possessio.

21. De tribu Ephraim urbes confugii, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, & Gazer

22. Et Cibsaim & Beth-horon, cum suburbanis suis, civitates quatuor.

23. De tribu quoque Dan, Elthceo & Gabathon

24. Et Ajalon & Geth-remmon, cum suburbanis suis, civitates quatuor.

25. Porro de dimidia tribu Manasse, Thanach & Gethremmon, cum suburbanis suis, civitates duæ.

26. Omnes civitates decem, & suburbana earum, datæ sunt filiis Caath inferioris (*e*) gradus.

27. Filiis quoque Gerson Levitici generis dedit de dimidia tribu Manasse confugii civitates, Gaulon in Basan, & Bosram, cum suburbanis suis civitates duas.

28. Porro de tribu Issachar, Cesion & Dabereth

29. Et Jaramoth & Engannim, cum suburbanis suis, civitates quatuor.

30. De tribu autem Aser, Masal & Abdon

31. Et Helcath & Rohob, cum suburbanis suis, civitates quatuor.

32. De tribu quoque Nephthali civitates confugii, Cedes in Galilæa & Hammoth Dor & Carthan, cum suburbanis suis, civitates tres.

33. Omnes urbes familiarum Gerson, tredecim, cum suburbanis suis.

34. Filiis autem Merari Levitis inferioris gradus per familias suas data est de tribu Zabulon, Jecnam & Cartha

35. Et Damna & Naalol, civitates quatuor cum suburbanis suis.

36. De tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho civitates refugii, Bosor in solitudine, Misor (*f*) & Jaser & Jethson & Mephaath, civitates quatuor cum suburbanis suis.

37. De tribu Gad civitates confugii, Ramoth in Galaad, & Manaim & Hesebon (*g*) & Jazer, civitates quatuor cum suburbanis suis.

38. Omnes urbes filiorum Merari per familias & cognationes suas, duodecim.

39. Itaque civitates universæ Levitarum in medio possessionis filiorum Israel fuerunt quadraginta (*h*) octo

40. Cum suburbanis suis, singulæ per familias distributæ.

41. Deditque Dominus Deus Israeli omnem Terram (*i*), quam traditurum se patribus eorum juraverat: & possederunt illam, atque habitaverunt in ea.

42. Dataque est ab eo pax in omnes per circuitum nationes, nullusque eis hostium resistere ausus est, sed cuncti in eorum ditionem redacti sunt.

43. Ne unum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse promiserat, irritum fuit, sed rebus expleta sunt omnia.

CAPUT XXII.

Quæ trans Jordanem erant Tribus ob erectum altare ad Jordanem aliis tribubus in suspicionem schismatis venerunt, sed purgarunt se justa excusatione allata.

1. EOdem tempore vocavit Josue Rubenitas, & Gaditas, & dimidiam tribum Manasse,

2. Dixitque ad eos: Fecistis omnia quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini: mihi quoque in omnibus obedistis,

3. Nec reliquistis fratres vestros longo tempore, usque in præsentem diem, custodientes imperium Domini Dei vestri.

4. Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem & pacem, sicut pollicitus est: revertimini, & ite in tabernacula vestra, & in Terram possessionis, * quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Jordanem: * Num. 32. 33. Sup. 13. 8.

5. Ita

13. (*d*) At quomodo id cohæret cum iis quæ dicta sunt capite 14. ubi Hebron data est in possessionem Caleb? difficultatem ante diluerat vers. 12. Agros vero & villas dederat Caleb filio Jephone ad possidendum. Suburbana datæ sunt Levitis, aut filiis Aaron, non agri & villæ quæ ad illum pertinebant, cujus erat civitas. Unde Abulensis merito existimat Levitas in urbibus assignatis jus tantum habitandi habuisse cum suburbanis.

26. (*e*) Qui non erant Sacerdotes: Hebr. *Reliquis*: Sic vocat eos qui non erant Sacerdotes ex progenie Caath.

36. (*f*) In solitudine, quæ alio nomine *Misor* appellatur: adeo ut forte *Misor* eadem sit cum *Bosor*: secus quinque civitates essent, non quatuor. Tot vero urbes datæ sunt Levitis incolendæ, ut dispersi sanam doctrinam alios edocerent.

37. (*g*) Cur Gaditis detracta, cum esset in tribu Ruben? civitates in confinio positæ poterant nunc uni, nunc alteri tribui dari quoad usum.

39. (*h*) Nempe sex illæ ab initio refugis assignatæ, & hæ 42. quæ hic memorantur.

41. (*i*) Assignavit, & temporibus suis terram promissam iis dedit, tametsi singulis tribubus quædam superfuerint acquirenda. Sed cuncti in eamdem ditionem redacti sunt. Septem quidem gentes passim memorantur, ut Exod. 33. August. q. 21. *Harum ergo septem gentium terram visatur Deus Patribus promisisse . . . . ceteras enim quæ longinquius extra istas gentes invenirentur, voluit fieri tributarias eorum, si non resisterent.* Quod additur, *Nullusque ei hostium resistere ausus est.* Augustinus: *Quæ vivo adhuc Josue non eis quidem cedebant reliquiæ illarum gentium: sed nulla earum eos in terris, ubi consederant, bello lacessere audebat ... non restitit quisquam ante aciem eorum: cum simul sub unius ducis imperio bellum gererent, antequam singulis tribubus sua defendenda dividerentur loca.* Quin etiam ut ipse concludit Augustinus: *Omnis ergo illis data est terra: quia & illa pars quæ nondum fuerat in possessionem data, jam data fuerat in quamdam exercitationis utilitatem, ne forte ignaviæ dedita se totos rerum carnalium cupiditati traderent.* Ex quibus id concludi merito potest, Israelitis non ita esse præscriptum, ut incolas omnes delerent, quin illi eximerentur, qui ultro se subjiciebant. Quod utique ex cap. 11. vers. 20. intelligi potest. *Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, ut pugnarent contra Israel, & caderent, & non mererentur ullam clementiam.*

5. Ita dumtaxat, ut custodiatis attente, & opere compleatis mandatum & legem quam præcepit vobis Moyses famulus Domini, ut diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus viis ejus, & observetis mandata illius, adhæreatisque ei, ac serviatis in omni corde, & in omni anima vestra.

6. Benedixitque (a) eis Josue, & dimisit eos. Qui reversi sunt in tabernacula sua.

7. Dimidiæ autem tribui Manasse possessionem Moyses dederat in Basan: & idcirco mediæ, quæ superfuit, dedit Josue sortem inter ceteros fratres suos trans Jordanem ad Occidentalem plagam. Cumque dimitteret eos in tabernacula sua, & benedixisset eis,

8. Dixit ad eos: In multa substantia atque divitiis revertimini ad sedes vestras, cum argento, & auro, ære ac ferro, & veste multiplici: dividite prædam hostium cum fratribus vestris.

9. Reversique sunt, & abierunt filii Ruben, & filii Gad, & dimidia tribus Manasse, a filiis Israel de Silo, quæ sita est in Chanaan, ut intrarent Galaad (b) Terram possessionis suæ, quam obtinuerant juxta imperium Domini in manu Moysi.

10. Cumque venissent ad tumulos (c) Jordanis in Terram Chanaan, ædificaverunt juxta Jordanem altare infinitæ magnitudinis.

11. Quod cum audissent filii Israel, & ad eos certi nuntii detulissent ædificasse filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse altare in Terra Chanaan, super Jordanis tumulos, contra (d) filios Israel:

12. Convenerunt omnes in Silo, ut ascenderent & dimicarent contra eos.

13. Et interim miserunt ad illos in Terram Galaad Phinees filium Eleazari sacerdotis,

14. Et decem principes cum eo, singulos de singulis tribubus.

15. Qui venerunt ad filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse in Terram Galaad, dixeruntque ad eos:

16. Hæc mandat omnis populus Domini: Quæ est ista transgressio (e)? Cur reliquistis Dominum Deum Israel, ædificantes altare sacrilegum, & a cultu illius recedentes?

* Num. 25. 3. Deut. 4. 3. 17. An parum vobis est * quod peccastis in Beel-phegor, & usque in præsentem diem macula hujus sceleris in nobis permanet? (f) multique de populo corruerunt.

18. Et vos hodie reliquistis Dominum, & cras in universum Israel ira ejus desæviet.

19. Quod si putatis immundam esse Terram possessionis vestræ, transite ad Terram, in qua tabernaculum Domini est, & habitate inter nos: tantum ut a Domino, & a nostro consortio non recedatis, ædificato altari præter altare Domini Dei nostri.

20. * Nonne Achan filius Zare præteriit mandatum Domini, & super omnem populum Israel ira ejus incubuit? Et ille erat unus homo, atque utinam solus periisset in scelere suo. * Sup. 7. 1.

21. Responderuntque filii Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse, principibus legationis Israel:

22. Fortissimus Deus Dominus, Fortissimus Deus Dominus, ipse novit, & Israel simul intelliget: si prævaricationis animo hoc altare construximus, non custodiat nos, sed puniat nos in præsenti:

23. Et si ea mente fecimus, ut holocausta, & sacrificium, & pacificas victimas super eo imponeremus, ipse quærat & judicet:

24. Et non ea magis cogitatione atque tractatu, ut diceremus. Cras dicent filii vestri filiis nostris: Quid vobis & Domino Deo Israel?

25. Terminum posuit Dominus inter nos & vos, o filii Ruben, & filii Gad, Jordanem fluvium: & idcirco partem non habetis in Domino. Et per hanc occasionem avertent filii vestri filios nostros a timore Domini. Putavimus itaque melius,

26. Et diximus: Extruamus nobis altare, non in holocausta, neque ad victimas offerendas,

27. Sed in testimonium inter nos & vos, & sobolem nostram vestramque progeniem, ut serviamus Domino, & juris nostri sit offerre & holocausta, & victimas, & pacificas hostias: & nequaquam dicant cras filii vestri filiis nostris: Non est vobis pars in Domino.

28. Quod si voluerint dicere, respondebunt eis: Ecce altare Domini, quod fecerunt patres nostri, non in holocausta, neque in sacrificium, sed in testimonium nostrum, ac vestrum.

29. Absit a nobis hoc scelus, ut recedamus a Domino, & ejus vestigia relinquamus, extructo altari ad holocausta, & sacrificia, & victimas offerendas, præter altare Domini Dei nostri, quod extructum est ante tabernaculum ejus.

30. Quibus auditis, Phinees sacerdos, & principes legationis (g) Israel, qui erant cum eo, placati sunt: & verba filiorum Ruben & Gad, & dimidiæ tribus Manasse, libentissime susceperunt.

31. Dixitque Phinees filius Eleazari sacerdos ad eos: Nunc scimus quod nobiscum sit Dominus, quoniam alieni estis a prævaricatione hac, & liberastis filios Israel de manu Domini.

32. Reversusque est cum principibus a filiis Ruben & Gad de Terra Galaad, finium Chanaan, ad filios Israel, & retulit eis.

33. Pla-

CAPUT XXII.

6. & 8. (a) Omne bonum eis apprecando. *Fratribus*: qui Jordanem non transierant, præ infirmitate vel, ut agros colerent: vel abite cum ea parte prædæ quæ vos contingit.

9. (b) Vox illa in Scriptura aliquando *montem* & interdum *urbem*, ut Numerorum 32. interim regionem ad Jordanem usque protentam significat.

10. (c) Ad limites Jordanis qui sunt in terra Chanaan. *Altare infinitæ magnitudinis*: Hebr. *Magnum ad conspectum*, hoc est, visu dignum & spectabile.

11 (d) Hebr. *In transitu filiorum Israel*. Septuaginta. *Et contra adventum filiorum Israel*, hoc est, in ulteriori ripa Jordanis.

16. (e) Hinc liquet quam magnum sit scelus Deum sic colere, ut regulæ ab eo præscriptæ violentur, præsertim cum schisma sequitur & scissio.

17 (f) Dimissum quidem erat peccatum, sed pœnis temporalibus postea punitum, ut Numerorum cap. 20. Inobedientiæ Israelitarum Deus sic ignovit, ut ab ingressu terræ promissæ omnes fuerint prohibiti. Augustinus: *Parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna*.

30. (g) Sept. Interpret. Omnes principes conventus, seu senatus, & minorum magistratuum primi.

33. Placuitque sermo cunctis audientibus. Et laudaverunt Deum filii Israel, & nequaquam ultra dixerunt, ut ascenderent contra eos, atque pugnarent, & delerent Terram possessionis eorum.

34. Vocaveruntque filii Ruben, & filii Gad, altare quod extruxerant, Testimonium nostrum, quod Dominus ipse sit Deus.

CAPUT XXIII.

Josue senex adhortatur Israelitas ad servanda Dei præcepta.

1. EVoluto autem multo tempore, postquam pacem dederat Dominus Israeli, subjectis in gyro nationibus (a) universis, & Josue jam longævo, & persenilis ætatis:

2. Vocavit Josue omnem Israelem, majoresque natu, & principes ac duces, & magistros, dixitque ad eos: Ego senui, & progressioris ætatis sum:

3. Vosque cernitis omnia quæ fecerit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, quo modo pro vobis ipse pugnaverit:

4. Et nunc (b) quia vobis sorte divisit omnem Terram, ab Orientali parte Jordanis usque ad mare magnum, multæque adhuc supersunt nationes:

5. Dominus Deus vester disperdet (c) eas, & auferet a facie vestra, & possidebitis Terram, sicut pollicitus est.

6. Tantum confortamini, & estote soliciti, ut custodiatis cuncta quæ scripta sunt in volumine legis Moysi: & non declinetis ab eis neque ad dexteram neque ad sinistram:

7. Ne postquam intraveritis ad Gentes, quæ inter vos futuræ sunt, juretis in nomine deorum earum, & serviatis eis, & adoretis illos:

8. Sed adhæreatis Domino Deo vestro: quod fecistis usque in diem hanc.

9. Et tunc auferet Dominus Deus in conspectu vestro gentes magnas & robustissimas, & nullus vobis resistere poterit.

10. Unus e vobis persequetur hostium mille viros: quia Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit, sicut pollicitus est.

11. Hoc tantum diligentissime prævavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum.

12. Quod si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia, atque amicitias copulare:

13. Jam nunc scitote quod Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestram, sed sint vobis in foveam ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes (d) in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de Terra hac optima, quam tradidit vobis.

14. * En ego hodie ingredior viam universæ Terræ, & toto animo cognoscetis, quod de omnibus verbis, quæ se Dominus præstiturum vobis esse pollicitus est, unum non præterierit incassum. * 3 Reg. 2. 2.

15. Sicut ergo implevit opere quod promisit, & prospera cuncta venerunt: sic adducet super vos quidquid malorum comminatus est, donec vos auferat atque disperdat de Terra hac optima, quam tradidit vobis,

16. Eo quod prætereritis pactum Domini Dei vestri, quod pepigit vobiscum, & servieritis diis alienis, & adoraveritis eos: cito atque velociter consurget in vos furor Domini, & auferemini ab hac Terra optima, quam tradidit vobis.

CAPUT XXIV.

Beneficia a Deo in Israelitas collata Josue commemorat. Fœdere populi cum Deo renovato ipse moritur. Josephi ossa sepeliuntur.

1. COngregavitque Josue omnes tribus Israel in Sichem, (a) & vocavit majores natu, ac principes, & judices, & magistros: steteruntque in conspectu Domini:

2. Et ad populum sic locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, * Thare pater Abraham, & Nachor: servieruntque (b) diis alienis. * Gen. 11. 26.

3. * Tuli ergo patrem vestrum Abraham de Mesopotamiæ (c) finibus: & adduxi eum in Terram Chanaan: multiplicavique semen ejus, * Gen. 12. 1.

4. * Et dedi ei Isaac: * Illique rursum dedi Jacob & Esau. * E quibus, Esau dedi montem Seir ad possidendum: * Jacob vero, & filii ejus descenderunt in Ægyptum. * Gen. 21. 2. * Gen. 25. 25. * Gen. 36. 8. * Gen. 46. 6.

5. * Misique Moysen & Aaron, & percussi Ægyptum multis signis atque portentis. * Exod. 3. 10.

6. * Eduxique vos & patres vestros de Ægypto, & venistis ad mare: persecutique sunt Ægyptii patres vestros cum curribus & equitatu, usque ad Mare rubrum. * Exod. 12. 37.

7. Clamaverunt autem ad Dominum filii Israel: * qui posuit tenebras inter vos & Ægyptios, & adduxit super eos mare, & operuit eos. Viderunt (d) oculi vestri cuncta quæ in Ægypto fecerim, & habitastis in solitudine multo tempore: * Exod. 14. 9.

8. Et introduxi vos in Terram Amorrhæi, qui habitabat trans Jordanem. * Cumque pugnarent contra vos, tradidi eos in manus vestras, & possedistis Terram eorum, atque interfecistis eos. * Num. 21. 29.

9. Surre-

CAPUT XXIII.

1. (a) Hebr. *Postquam requiem dedit Dominus Israeli ab omnibus inimicis suis.*

4. (b) Hebr. *Considerate*, ne postquam intraveritis ad gentes commisceamini cum illis.

5. (c) Quod reliquum est terræ vobis promissæ possidebitis, si in timore Dei permanseritis.

13. (d) Hebr. *Spinæ*. *Offendiculum in latere vestro*: Hebr. *Flagellum in lateribus vestris*. Sicubi huic sæculi moribus vitæ rationem aptare volumus, ab eo vincimur. Cum vitiis & pravis moribus sæculi indesinenter nobis pugnandum est: secus erunt velut spinæ in oculis: excæcabunt nos, & in foveam, aut in laqueum nos conjicient.

CAPUT XXIV.

1. (a) Sept. Interpret. *In Silo*: & quidem tabernaculum erat in Silo, unde in Sichem translata fuit arca, ubi Abraham primum altare erexerat Domino: quam etiam in agro Sichem erat Silo.

2. (b) Thare & Nachor, non Abraham, nisi forte ad tempus.

3. (c) Mesopotamiæ nomen videtur hoc loco, uti & Act. 7. & 8. latiore significatu sumi pro ea regione quæ ultra Euphraten porrecta Chaldæam, Babyloniam & Syriam complectitur.

7. (d) Nam qui in exitu ex Ægypto 20. annos nondum nati erant, quique prodigia facta viderant, hi poterant adhuc esse superstites.

9. Surrexit (*e*) autem Balac filius Sephor
* Num. 22. 5. rex Moab, & pugnavit contra Israelem. * Misitque & vocavit Balaam filium Beor, ut malediceret vobis:

10. Et ego nolui audire eum, sed e contrario per illum benedixi vobis, & liberavi vos de manu ejus.

* Sup. 3. 14. & 6. 2. & 11. 3. 11. * Transistisque Jordanem, & venistis ad Jericho. Pugnaveruntque (*f*) contra vos viri civitatis ejus, Amorrhæus, & Pherezæus, & Chananæus, & Hethæus, & Gergesæus, & Hevæus, & Jebusæus: & tradidi illos in manus vestras.

* Exod. 23. 28. Deut. 7. 20. Sap. 12. 20. 12. * Misique ante vos crabrones: & ejeci eos de locis suis, duos reges Amorrhæorum, non in gladio nec in arcu tuo.

13. Dedique vobis Terram, in qua non laborastis, & urbes quas non ædificastis, ut habitaretis in eis: vineas & oliveta, quæ non plantastis.

* 1. Reg. 7. 3. Tob. 14. 10. 14. * Nunc ergo timete Dominum, & servite ei perfecto corde, atque verissimo: & auferte deos, quibus servierunt (*g*) patres vestri in Mesopotamia & in Ægypto, ac servite Domino.

15. Sin autem malum vobis videtur ut Domino serviatis, optio (*h*) vobis datur: eligite hodie quod placet, cui servire potissimum debeatis, utrum diis, quibus servierunt patres vestri in Mesopotamia, an diis Amorrhæorum, in quorum Terra habitatis: ego autem & domus mea serviemus Domino.

16. Responditque populus, & ait: Absit a nobis ut relinquamus Dominum, & serviamus diis alienis.

17. Dominus Deus noster ipse eduxit nos, & patres nostros, de Terra Ægypti, de domo servitutis: fecitque videntibus nobis signa ingentia, & custodivit nos in omni via, per quam ambulavimus, & in cunctis populis, per quos transivimus.

18. Et ejecit universas gentes, Amorrhæum habitatorem Terræ, quam nos intravimus. Serviemus igitur Domino, quia ipse est Deus noster.

19. Dixitque Josue ad populum: Non poteritis (*i*) servire Domino: Deus enim sanctus, & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis.

20. Si dimiseritis Dominum, & servieritis diis alienis, convertet se, & affliget vos, atque subvertet postquam vobis præstiterit bona.

21. Dixitque populus ad Josue: Nequaquam ita ut loqueris, erit, sed Domino serviemus.

22. Et Josue ad populum, Testes, inquit, vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum ut serviatis ei. Responderuntque: Testes.

23. Nunc ergo, ait, auferte deos (*k*) alienos de medio vestri, & inclinate corda vestra ad Dominum Deum Israel.

24. Dixitque populus ad Josue: Domino Deo nostro serviemus, & obedientes erimus præceptis ejus.

25. Percussit ergo Josue in die illo fœdus, & proposuit populo præcepta atque judicia in Sichem.

26. Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine Legis Domini: & tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum (*l*), quæ erat in Sanctuario Domini:

27. Et dixit ad omnem populum: En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audierit (*m*) omnia verba Domini, quæ locutus est vobis: ne forte postea negare velitis, & mentiri Domino Deo vestro.

28. Dimisitque populum, singulos in possessionem suam.

29. Et post hæc mortuus (*n*) est Josue filius Nun servus Domini, centum & decem annorum:

30. Sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ in Thamnath-sare, quæ est sita in monte Ephraim, a septentrionali parte montis Gaas.

31. Servivitque Israel Domino cunctis diebus Josue, & seniorum (*o*) qui longo vixerunt tempore post Josue, & qui noverunt omnia opera Domini quæ fecerat in Israel.

32. * Ossa quoque Joseph, quæ tulerant filii Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri, * quem emerat Jacob a filiis Hemor patris Sichem, centum novellis ovibus, & fuit in possessionem filiorum Joseph. * Gen. 50. 24. Exod. 13. 19. * Gen. 33. 19.

33. Eleazar quoque filius Aaron mortuus est: & sepelierunt eum in Gabaath Phinees filii ejus, quæ data est ei in monte Ephraim.

9. (*e*) Non vi, sed malis artibus bellum contra Israelitas paravit.

11. & 12. (*f*) Dirutis muris Jerichuntinis adversus Israelitas pugnasse non est dubitandum, iique ad pugnandum erant dispositi & parati, cum portas clauserunt. August. quæst. 26. præterquam vox Hebræa sæpe bellum, non pugnam significat; LXX. *Bellum in nos fecere*. *Crabrones*: ut pollicitus fuerat Exod. 23.

14. (*g*) Quod nonnulli ex Israelitis quædam idola in bello capta retinerent.

15. (*h*) Considerate utri serviatis, an mutis idolis & infirmis, an Deo omnipotenti.

19. (*i*) Sine speciali Dei auxilio, ex vobis ipsis nimium estis infirmi. Augustinus quæst. 28. *Quo audito isti de ejus adjutorio & misericordia præsumere debuerunt . . . . Isti in se potius præsumere delegerunt, quod Deo possent sine ulla offensione servire.* Ex parte Josue hæc fuit stipulatio, ut v. 21. ex parte populi sponsio.

23. (*k*) Idola in bello capta. *Nunc ergo*: Hebraismus: Cum hæc ita sunt.

26. (*l*) Sept. Interpret. Quæ erat in *Sanctuario Domini*, quæ ambitu atrii tabernaculi conclusa erat. Ac forte ea ipsa quercus fuit, sub qua in agro Sichem consedit Abraham, cum venit in Chanaan, Geneseos 12. & sub qua Jacob posuit idola, Geneseos 35. Lapis erectus est in monumentum rei actæ.

27. (*m*) Lapis nimirum: *Ut audias terra verba oris mei*, per prosopopœiam. Quod autem vers. 26. habetur. *Scripsit quoque verba hæc in volumine Legis Domini*: quæritur de quo volumine mentio fiat, an liber ille perierit? Respond. duo esse pacta eaque scripta, unum Deuteronomii 29. & seq. alterum hoc capite memoratum; superesse vero librum, in quo utrumque pactum descriptum est, Pentateuchus nempe iis auctus, quæ Josue adjecit, nimirum libro hoc, qui Josue nomen præfert. Aut Josue codici qui apud Arcam servabatur, jussit adscribi hæc promissa. Ita conjicit Grotius.

29. (*n*) Reliqua addita sunt ab Esdra, aut ab alio scriptore Hagiographo.

31. (*o*) Qui in populo regendo adjutores fuerunt Josue.

LIBER JUDICUM, HEBRAICE SOPHETIM.

Samuelem esse hujus Libri auctorem probabile admodum videtur, quem forte ex Scribarum Sacrorum, aut Judicum ipsorum commentariis contexuit. Cum enim Hebraicam Rempublicam regendam suscepisset, Judicum qui præfuerunt historiam conservatam voluit. Hunc Librum esse vetustissimum hinc liquet: quod ex eo sumpta sint permulta in Psalmis, & in aliis Canonicis libris contenta. Sic illa verba Psalm. 67. vers. 8. Deus cum egredereris in conspectu populi tui, *desumpta sunt ex cap.* 5. *uti illa Psalmi* 96. Montes fluxerunt a facie Domini, *ex cap.* 13. *Sic illa* 2. *Reg.* 11. 21. Quis percussit Abimelech filium Jerobaal? *ex cap.* 9. *sunt deprompta, ut alia omittam quamplurima.*

Quæ populo Hebræo acciderunt antequam Regum imperio subderentur, hic Liber complectitur. Tum populi regimen erat Theocraticum: Nam Deum pro rege habebant, qui Judices iis præficiebat, iique populum sic regebant, ut nec leges sancirent; nec tributa, aut vectigalia imponerent, nec Regum gestarent insignia, nec demum jure hæreditario succederent, sed cuncta ex lege Dei administrarent. Vox Hebræa שופטים Sophetim, *summos Magistratus, seu duces cum summa potestate significat, quos Latini in Punica Historia Punico vocabulo* Suffetes *vocant. Ubi tales extra ordinem viros Deus non excivit, ait Grotius erat dissolutum reipublicæ corpus, nec quicquam in commune agebatur. Tribus singulæ res suas suo periculo, aut commodo gerebant.* Quibus temporibus, *ait Augustinus Libro* 18. *de Civitate Dei cap.* 23. alternaverunt apud eos & humilitates laborum pro eorum peccatis, & prosperitates consolationum propter miserationem Dei; & sicut se habebant peccata populi, & misericordia Dei, alternaverunt prospera & adversa bellorum. *Plerique enim ex judicibus, paucis exceptis, a Deo dati sunt populo Hebræo, aut electi, ut eum ab hostium jugo & servitute liberarent, ac jus unicuique redderent.*

Quod opponunt nonnulli ex cap. 18. *Jud. v.* 30. *de idolo Michæ,* Posueruntque sibi sculptile usque ad diem captivitatis suæ: *ut probent hunc Librum post captivitatem decem tribuum scriptum fuisse, id, inquam, nihil est. Nam ut optime respondet Huetius Episcopus Abrincensis, de illa captivitate loquitur, cum arca capta est a Philisthæis sub Heli Sacerdote, & Arca ablata fuit de Silo: sublato enim idolo, sublatus est quoque illius Sacerdos, & belli jure captus cum magna Israelitarum multitudine, juxta illud Psalm.* 77. *vers.* 60. Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus, & tradidit in captivitatem virtutem eorum.

Quod autem eodem in loco Libri Judicum hæc habeantur, In diebus illis non erat Rex in Israel, *non hinc sequitur jam fuisse Reges in Israel, cum ea scriberentur: sed hanc captivitatem contigisse, antequam Reges Deus Israelitis præfecisset. Hæc siquidem verba ad præcedentia referuntur. Infelix illud prælium, & Regum creatio, Samuelis temporibus evenerunt. Hinc tamen justa est suspicio hunc Librum a Samuele, aut ab alio Propheta, regnante Saule, ante Davidis regnum esse conscriptum. Quod quidem ex cap.* 1. *vers.* 21. *suspicari licet. Nam Jebusæi nondum ex urbe Jerusalem ejecti fuerant, cum Auctor hæc scribebat; ii vero a Davide ejecti sunt,* 2. *Reg.* 5. *Neque hæc sententia a recepta apud Judæos opinione abhorret, qui Samuelem hujus Libri statuunt auctorem.*

At,

At, inquit Spinosa, non idem est auctor, qui ultimum Josue, & secundum hujus Libri caput conscripsit: nam si filum historiæ suæ sequi voluisset, caput secundum superioribus annectere debuisset.

Respondet vir doctissimus, primo capite Judicum gentes eas referri, quæ sedibus suis dimoveri non potuerunt; capite vero sequenti causas affert, cur Israelitæ eos debellare non valuerint, ob scelera nimirum ab iis admissa post Josue obitum: quibus comprobandis verba ex capite ultimo Josue repetit. Magno quidem argumento extremam cap. 24. partem Josue, & duo prima capita Judicum ab eadem manu esse profecta, atque hæc duo prima capita ad pleniorem sequentium intellectum viam munire. Hoc in libro ut in aliis historicis sub nuda & simplici rerum gestarum narratione singularis Dei providentia erga populum Israeliticum ubique se prodit.

CAPUT PRIMUM.

Juda duce debellatur Adonibezech, & plurimæ civitates expugnantur.

1. POst mortem Josue consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes: Quis (*a*) ascendet ante nos contra Chananæum, & erit dux belli?

2. Dixitque Dominus: Judas ascendet: ecce tradidi Terram in manus ejus.

3. Et ait Judas Simeoni fratri suo: Ascende mecum in sortem meam, & pugna contra Chananæum, ut & ego pergam tecum in sortem tuam. Et abiit cum eo Simeon.

4. Ascenditque Judas, & tradidit Dominus Chananæum, ac Pherezæum in manus eorum: & percusserunt in Bezec (*b*) decem millia virorum.

5. Inveneruntque Adonibezec in Bezec, & pugnaverunt contra eum, ac percusserunt Chananæum & Pherezæum.

6. Fugit autem Adonibezec: quem persecuti comprehenderunt, cæsis (*c*) summitatibus manuum ejus ac pedum.

7. Dixitque Adonibezec: Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus. Adduxeruntque eum in Jerusalem, & ibi mortuus est.

8. Oppugnantes ergo filii Juda Jerusalem, ceperunt (*d*) eam, & percusserunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem.

9. Et postea descendentes pugnaverunt contra Chananæum, qui habitabat in montanis, & ad meridiem, & in campestribus.

10. * Pergensque Judas contra Chananæum, qui habitabat in Hebron (cujus nomen fuit antiquitus Carjath-arbe) percussit Sesai, & Ahiman, & Tholmai: * Jos. 15. 14.

11. Atque inde profectus abiit ad habitatores Dabir, cujus nomen vetus erat Carjath-sepher, id est, civitas litterarum.

12. Dixitque (*e*) Caleb: Qui percusserit Carjath-sepher, & vastaverit eam, dabo ei Axam filiam meam uxorem.

13. Cumque cepisset eam Othoniel filius Cenez frater Caleb minor (*f*), dedit ei Axam filiam suam conjugem.

14. Quam pergentem in itinere monuit vir suus ut peteret a patre suo agrum. Quæ cum suspirasset sedens in asino, dixit ei Caleb: Quid habes?

15. At illa respondit: Da mihi benedictionem, quia terram arentem dedisti mihi: da & irriguam aquis. Dedit ergo ei Caleb irriguum superius, & irriguum inferius.

16. Filii (*g*) autem Cinæi cognati Moysi ascenderunt de civitate palmarum, cum filiis Juda, in desertum sortis ejus, quod est ad meridiem Arad, & habitaverunt cum eo.

17. Abiit autem Judas cum Simeone fratre suo, & percusserunt simul Chananæum, qui habitabat in Sephaath, & interfecerunt eum. Vocatumque est nomen urbis, Horma, id est, anathema.

18. Ce-

CAPUT I.

1. (*a*) Non agitur de duce futuro, sed de tribu quæ contra Chananæum pugnare inciperet. *Et erit dux belli*, Hebr. *Ad pugnandum cum eo*. Chananæo scilicet.

4 & 5. (*b*) Urbs erat Bethleh in finitima: *Tradidit*: tradiderat. videtur esse retrogressio quædam ad ea quæ narrantur Josue 15. *Bezec*: Dominum Bezec.

6. (*c*) Sept. Interpret. *Præcisis pollicibus*: *Septuaginta reges*, id diversis temporibus, cum alii aliis succederent, factum esse admodum credibile est.

8. (*d*) Pars altera ejus ad tribum Juda pertinebat. Quæ dicuntur Josue 15. forte per anticipationem sunt dicta: quamquam eo in loco id tantummodo habetur, quod Jebusæos penitus delere non potuerint: aut certe bis capta est Jerusalem, primum a Josue, tum post illius mortem a filiis Juda, cum Chananæi eam invasissent. Vox Hebræa est in duali, quasi fuerint duæ urbes Jerusalem. Atque idem dicendum videtur de Hebron: adeo ut Caleb de tribu Juda cæsis tribus filiis Enacantis iterum illam expugnarit. Cujus expeditionis in libro Josue per anticipationem, & ex occasione facta est mentio: vel percussit *Sesai &c.* id est, percusserat duce Calebo, Josue 15 vivente adhuc Josue.

12. (*e*) Hæc quoque Josue 15. narrat per anticipationem. August. quæst. 3. *Id enim videtur credibilius post mortem Josue factum: tunc autem per prolepsim, id est, præoccupationem commemoratur.*

13. (*f*) Plerique legunt, fratris Caleb minoris, ita ut Cenez esset frater Caleb minor, & pater Othonielis; neque Hebræa huic lectioni repugnant.

16. (*g*) Posteri Jethro, *cognati Moysi*: Hebr. *Soceri*. *Ascenderunt de civitate palmarum*, de Jericho: *Cum filiis Juda*: Hebr. *Ad filios Juda*; ab iis invitati. *In desertum sortis ejus*: verisimile est vitam eremiticam in solitudine, in tabernaculis jam tum ab iis inceptam, ac vitæ solitariæ amore illectos regionem fertilem cum deserta & sterili commutasse: *Et habitaverunt cum eo*, Hebr. *cum populo*, nempe Israelitarum.

18. Cepitque Judas Gazam (*h*) cum finibus suis, & Ascalonem, atque Accaron cum terminis suis.

19. Fuitque Dominus cum Juda, & montana possedit: nec potuit (*i*) delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant.

* Num. 14. 24. Jos. 15. 14. 20. Dederuntque Caleb Hebron (*k*), * sicut dixerat Moyses, qui delevit ex ea tres filios Enac.

21. Jebusæum (*l*) autem habitatorem Jerusalem non deleverunt filii Benjamin: habitavitque Jebusæus cum filiis Benjamin in Jerusalem, usque in præsentem diem.

22. Domus quoque Joseph ascendit in Bethel, fuitque Dominus cum eis.

23. Nam cum obsiderent urbem, quæ prius Luza vocabatur,

24. Viderunt hominem egredientem de civitate, dixeruntque ad eum: Ostende nobis introitum civitatis, & faciemus tecum misericordiam.

25. Qui cum ostendisset eis, percusserunt urbem in ore gladii: hominem autem illum, & omnem cognationem ejus, dimiserunt.

26. Qui dimissus, abiit in Terram Hethim, & ædificavit ibi civitatem, vocavitque eam Luzam: quæ ita appellatur usque in præsentem diem.

27. Manasses quoque non delevit Bethsan, & Thanac cum viculis suis, & habitatores Dor, & Jeblaam, & Mageddo cum viculis suis, cœpitque Chananæus habitare cum eis.

28. Postquam autem confortatus est Israel, fecit eos tributarios, & delere noluit.

29. Ephraim etiam non interfecit Chananæum, qui habitabat in Gazer, sed habitavit cum eo.

30. Zabulon non delevit habitatores Cetron, & Naalol: sed habitavit Chananæus in medio ejus, factusque est ei tributarius.

31. Aser quoque non delevit habitatores Accho, & Sidonis, Ahalab, & Achazib, & Helba, & Aphec, & Rohob:

32. Habitavitque in medio Chananæi habitatoris illius terræ, nec interfecit eum.

33. Nephthali quoque non delevit habitatores Bethsames, & Bethanath: & habitavit inter Chananæum habitatorem Terræ, fueruntque ei Bethsamitæ, & Bethanitæ tributarii.

34. Arctavitque Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum ut ad planiora descenderent:

35. (*m*) Habitavitque in monte Hares, quod interpretatur testaceo, in Ajalon & Salebim. Et aggravata est manus domus Joseph, factusque est ei tributarius.

36. Fuit autem terminus Amorrhæi ab Ascensu Scorpionis, petra, & superiora loca.

CAPUT II.

Populus per Angelum Dei reprehenditur. Quis fuerit status populi Israelitici sub Judicibus?

1. Ascenditque Angelus (*a*) Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in Terram, pro qua juravi patribus vestris: & pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum vobiscum in sempiternum:

2. Ita dumtaxat ut non feriretis fœdus cum habitatoribus Terræ hujus, sed aras eorum subverteretis: & noluistis audire vocem meam: cur hoc fecistis?

3. Quam ob rem nolui delere eos a facie vestra: ut habeatis hostes (*b*), & dii eorum sint vobis in ruinam.

4. Cumque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israel: elevaverunt ipsi vocem suam, & fleverunt.

5. Et vocatum est nomen loci illius: Locus flentium, sive lacrymarum: immolaveruntque ibi hostias Domino.

6. * Dimisit (*c*) ergo Josue populum, & abierunt filii Israel unusquisque in possessionem suam, ut obtinerent eam: * Jos. 24. 28.

7. Servieruntque Domino cunctis diebus ejus, & seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore, & noverant omnia opera Domini, quæ fecerat cum Israel.

8. Mortuus est autem Josue filius Nun, famulus Domini, centum & decem annorum,

9. Et sepelierunt eum in finibus possessionis suæ in Thamnathsare in monte Ephraim, a septentrionali plaga montis Gaas.

10. Omnisque illa generatio congregata est ad patres suos: & surrexerunt alii, qui non noverant Dominum (*d*), & opera quæ fecerat cum Israel.

11. Fece-

18. (*h*) Hæ civitates ab Israelitis non leguntur inhabitatæ: sed eas in potestatem suam redegerunt, ac tributarias fecerunt.

19. (*i*) Præ terrore curruum, Deo ita permittente, ne in prosperis fierent elatiores. Hebr. *Non ad expellendos habitatores vallis.*

20. (*k*) August. quæst. 6. *Jam hoc dictum est in libro Jesu Nave, quoniam & illo vivo factum est: sed hic recapitulando commemoratum est, cum de tribu Juda, unde fuit Caleb, Scriptura loqueretur.* Alii id dictum putant de Josue per anticipationem.

21. (*l*) Quæritur quomodo id conciliari possit cum vers. 8. ubi dicitur eadem civitas a Juda capta, & incensa. *Sed cognoscendum est*, ait Augustin. quæst. 7. *istam civitatem communem habuisse duas tribus Judam & Benjamin, sicut ostendit ipsa divisio terrarum, quæ facta est a Jesu Nave . . . . Intelligendum est ergo a Juda quidem civitatem captam & incensam interfectis qui illic reperti fuerant; sed non omnes Jebusæos extinctos, sive quia erant extra illam civitatem, sive quia fugere poterant, quos reliquos Jebusæos admissos esse a filiis Benjamin, quibus cum Juda erat civitas illa communis, in ea simul habitasse.*

35 (*m*) Sic defuit iis animus, ut eas delerent gentes. *Et aggravata est manus*: Amorrhæus factus est tributarius tribui Joseph.

CAP. II.

1. (*a*) Seu verus fuerit Angelus, qui in persona Dei loquebatur, seu Propheta aliquis, ut Chaldæus posuit. *De Galgalis*: ut meminissent beneficiorum Dei, & circumcisionis eo in loco factæ, simul & pacti cum Deo initi. *Ad locum flentium*, qui locus hoc loco per anticipationem dictus est: nonnulli existimant fuisse Silo, quod eo in loco immolaverint; nisi forte jussu Angeli altare alio in loco tum erexerint, & immolarint.

3. (*b*) Quid mali sit consecutum ex eo quod fuerint gentes relictæ, non Dei intentionem his verbis significat: quod in Hebræo clarius est: *Non ejiciam eos ante vos, sed erunt vobis in spinas & laqueum.* Quasi Deus ita exprobraret: Id vestræ prævaricationi imputate, si gentes non deleverim, hoc vobis præceperam: sed cupiditate adducti & avaritia vectigales eas fecistis, tum jugum vestrum excutientes rebellaverunt, & e servis vestris facti sunt domini, ac tyranni.

6 (*c*) Pro *dimiserat*: nam multo ante id factum esse, ex iis, quæ sequuntur, patet: *Surrexerunt alii, &c.* Non igitur in vivis erat Josue, cum hæc acta sunt. Augustinus quæst. 14. *Hæc per recapitulationem narrari nulla dubitatio.* Atque hæc duo prima capita videntur esse instar præfationis, in qua quædam inferuntur antea facta.

10. (*d*) Ut Dominum, quod eum non colerent.

11. Feceruntque filii Israel malum in conspectu Domini, & servierunt Baalim.

12. Ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de Terra Ægypti: & secuti sunt deos alienos, deosque populorum, qui habitabant in circuitu eorum, & adoraverunt eos: & ad iracundiam concitaverunt Dominum,

13. Dimittentes eum, & servientes Baal (*e*) & Astaroth.

14. Iratusque Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium: qui ceperunt eos, & vendiderunt (*f*) hostibus, qui habitabant per gyrum: nec potuerunt resistere adversariis suis:

15. Sed quocumque pergere voluissent, manus Domini super eos erat, sicut locutus est, & juravit eis: & vehementer afflicti sunt.

16. Suscitavitque Dominus judices (*g*), qui liberarent eos de vastantium manibus: sed nec eos audire voluerunt,

17. Fornicantes cum diis alienis, & adorantes eos. Cito deseruerunt viam, per quam ingressi fuerant patres eorum: & audientes mandata Domini, omnia fecere contraria.

18. Cumque Dominus judices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cæde vastantium.

19. Postquam autem mortuus esset judex, revertebantur, & multo faciebant pejora quam fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, servientes eis, & adorantes illos. Non dimiserunt adinventiones suas, & viam durissimam, per quam ambulare consueverunt.

20. Iratusque est furor Domini in Israel, & ait: Quia irritum fecit gens ista pactum meum, quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire contempsit:

21. Et ego non delebo gentes, quas dimisit Josue, & mortuus est:

22. Ut in ipsis experiar Israel, utrum custodiant viam Domini, & ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum, an non.

23. Dimisit ergo Dominus omnes nationes has, & cito subvertere noluit, nec tradidit in manus Josue.

CAPUT III.

Causæ afferuntur cur hostes omnes populi Israelitici penitus deleti non fuerint sub Josue. Hi sæpius prævaricati, per extraneos Reges identidem afflicti, per Judices Othoniel, Aod, & Samgar liberantur.

1. HÆ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, & omnes qui non noverant (*a*) bella Chananæorum:

2. Ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi:

3. Quinque satrapas (*b*) Philisthinorum, omnemque Chananæum, & Sidonium, atque Hevæum, qui habitabat in monte Libano, de monte Baal-hermon usque ad introitum Emath.

4. Dimisitque eos, ut in ipsis experiretur Israelem, utrum audiret mandata Domini quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non.

5. Itaque filii Israel habitaverunt in medio Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, & Jebusæi:

6. Et duxerunt uxores filias eorum, ipsique filias suas filiis eorum tradiderunt, & servierunt diis eorum.

7. Feceruntque malum in conspectu Domini, & obliti sunt Dei sui, servientes Baalim & Astaroth.

8. Iratusque contra Israel Dominus, tradidit eos in manus Chusan-rasathaim regis Mesopotamiæ (*c*), servieruntque ei octo annis.

9. Et clamaverunt ad Dominum: qui suscitavit eis salvatorem, & liberavit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, fratrem (*d*) Caleb minorem:

10. Fuitque in eo Spiritus Domini, & judicavit Israel. Egressusque est ad pugnam, & tradidit Dominus in manus ejus Chusan-rasathaim regem Syriæ, & oppressit eum.

11. Quievitque terra quadraginta (*e*) annis, & mortuus est Othoniel filius Cenez.

12. Addiderunt autem filii Israel facere malum in conspectu Domini: qui confortavit adversum eos Eglon regem Moab: quia fecerunt malum in conspectu ejus.

13. Et

13. (*e*) Nomen idoli commune est, & dominum significat: *Et Astaroth*, Asthartes erat dea Sidoniorum, 3. Reg. 11. Hinc Cicero Lib. 3. de natura deorum, ait Asthartem Venerem esse eam, quæ Adonidi nupsit, Syriæ & Tyri filiam. Augustinus: *Baal Punici videntur dicere Dominum, unde Baalsamor, quasi Dominum cæli intelliguntur dicere.*

14. (*f*) Hebr. & LXX. *Vendidit*: Deus eos tradidit hostibus more vendentium.

16. (*g*) Vindices populi, & Principes, qui bella contra hostes gererent, & jus populo dicerent. Magistratus erat perpetuus & monarchicus, sed Aristocratia temperatus: hi fuerunt quatuordecim. *Sed nec eos audire voluerunt*: quamdiu vivebant Judices, hos ad tempus audiebant, ut dicitur v. 18. *Cumque Dominus Judices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia*: sed iis mortuis, ad impietatem redibant, ut dicitur vers. 19.

CAP. III. 1. (*a*) Qui ea non experti fuerant, nec superioris temporis bella noverant: utile erat huic populo bellis exerceri, ne per luxum & ignaviam ad idola deflecterent: eamdem ob caussam Deus permittit hæreses, & piorum persecutiones, ut Ecclesia exerceatur. August. quæst. 17. *Non quia optabile aliquid est bellum, sed quia pietas laudabilis est in bello.* Patres eorum speciale Dei auxilium semper experti sunt, & prodigia in eorum gratiam facta fuerant: sed cum se indignos Dei auxilio præbuissent, tunc bella iis erant subeunda ex lege ordinaria, & varia subeunda certamina.

3. (*b*) Præfectos, aut Principes: *Satrapa* est vox Persica, qua Q. Curtius sæpe utitur. *De monte Baal-hermon*: mons sic dictus ab idolo prope Antilibanum ad septentrionem Palestinæ.

8. (*c*) Hebr. *Syriæ duorum fluminum*: quod inter Euphraten & Tigrim sit posita. *Servierunt*, id est, coacti sunt tributis gravioribus pacem ab eo redimere.

9. & 10. (*d*) Hebr. *Fratris Caleb minoris*; ita ut forte Othoniel filius fuerit fratris Caleb, & illius gener. *Syriæ*; Mesopotamiæ & Syriæ Principem.

11. (*e*) Nonnulli ita exponunt ex Hebræo: Terræ pax reddita est anno quadragesimo, post eam videlicet pacem quam Josue tot victoriis acquisivit, ex cap. 11. Josue. Vox illa *Quievit*, otium a bello significat: nam forte 18. anni servitutis, quorum fit mentio vers. 8. continentur his 40. annis, quibus quieverunt a bello, a cæde, & incendio. Cum Deus Israelitarum durum captivitatis jugum vult solvere, mittit Judices qui eos liberent, in cultu divino conservent, ac demum prosperitatem iis afferant.

13. Et copulavit (*f*) ei filios Ammon & Amalec: abiitque & percussit Israel, atque possedit Urbem palmarum.

14. Servieruntque filii Israel Eglon regi Moab decem & octo annis:

15. Et postea clamaverunt ad Dominum: qui suscitavit eis salvatorem vocabulo Aod, filium Gera, filii Jemini, qui utraque manu pro dextera utebatur. Miseruntque filii Israel per illum munera Eglon regi Moab.

16. Qui fecit sibi gladium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus, & accinctus est eo subter sagum in dextro femore.

17. Obtulitque munera Eglon regi Moab. Erat autem Eglon crassus nimis.

18. Cumque obtulisset ei munera, prosecutus (*g*) est socios, qui cum eo venerant.

19. Et reversus de Galgalis (*h*), ubi erant idola, dixit ad Regem: Verbum secretum habeo ad te, o Rex. Et ille imperavit silentium: egressisque omnibus, qui circa eum erant,

20. Ingressus est Aod ad eum: sedebat autem in æstivo cœnaculo solus, dixitque: Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno.

21. Extenditque Aod sinistram manum, & tulit sicam de dextero femore suo, infixitque eam in ventre ejus

22. Tam valide, ut capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur. Nec eduxit gladium, sed ita ut percusserat, reliquit in corpore: statimque per secreta naturæ alvi stercora proruperunt.

23. Aod autem clausis diligentissime ostiis cœnaculi, & obfirmatis sera,

24. Per posticum egressus est. Servique regis ingressi viderunt clausas fores cœnaculi, atque dixerunt: Forsitan purgat alvum in æstivo cubiculo.

25. Expectantesque diu donec erubescerent, & videntes quod nullus aperiret, tulerunt clavem: & aperientes invenerunt dominum suum in terra jacentem mortuum.

26. Aod autem, dum illi turbarentur, effugit, & pertransiit Locum idolorum, unde reversus fuerat. Venitque in Seirath:

27. Et statim insonuit buccina in monte Ephraim: descenderuntque cum eo filii Israel, ipso in fronte gradiente.

28. Qui dixit ad eos: Sequimini me: tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas in manus nostras. Descenderuntque post eum, & occupaverunt vada Jordanis quæ transmittunt in Moab: & non dimiserunt transire quemquam:

29. Sed percusserunt Moabitas in tempore illo, circiter decem millia, omnes robustos & fortes viros: nullus eorum evadere potuit.

30. Humiliatusque est Moab in die illo sub manu Israel: & quievit Terra octoginta (*i*) annis.

31. Post hunc fuit Samgar filius Anath, qui percussit de Philisthiim sexcentos viros vomere (*k*): & ipse quoque defendit Israel.

CAPUT IV.

Sisaram principem militiæ regis Jabin, Debbora Prophetissa, & Barac in prælio vincunt: hunc fugientem occidit Jahel uxor Haber Cinæi.

1. ADdideruntque filii Israel facere malum in conspectu Domini post mortem Aod,

2. * Et tradidit illos Dominus in manus *1.Reg.12.9.
Jabin regis Chanaan, qui regnavit in Asor (*a*): habuitque ducem exercitus sui nomine Sisaram; ipse autem habitabat in Haroseth gentium.

3. Clamaverunt filii Israel ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppresserat eos.

4. Erat autem Debbora (*b*) prophetis uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore.

5. Et sedebat sub palma, quæ nomine illius vocabatur, inter Rama & Bethel in monte Ephraim: ascendebantque ad eam filii Israel in omne judicium.

6. Quæ misit & vocavit Barac filium Abinoem de Cedes Nephthali: dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Israel, vade, & duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum de filiis Nephthali, & de filiis Zabulon:

7. Ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison, Sisaram principem exercitus Jabin, & currus ejus, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua.

8. Dixitque ad eam Barac: Si venis mecum, vadam (*c*): si nolueris venire mecum, non pergam.

9. Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara. Surrexit itaque Debbora, & perrexit cum Barac in Cedes.

10. Qui,

13. (*f*) Sibi; LXX. Et congregavit ad se. Eglon sociavit sibi Ammonitas: *Possedit urbem Palmarum*, Jericho, agrum ejus: nam urbs fuerat diruta.

18. (*g*) Hebr. *Dimisit populum, qui munus tulerat*; deinde quasi cum eo abiturus, hos est subsecutus, postea rediit solus.

19. (*h*) Eo usque socios erat prosecutus; sed quasi aliquid oblitus esset, reversus est solus. *Verbum secretum habeo ad te Rex.* Augustinus quæst. 20 *Sed potest non esse mendacium, quandoquidem verbi nomine solet etiam factum appellare Scriptura; & revera ita erat.* Factum illud Aod, tyrannicidium scilicet privata auctoritate factum, nullatenus excusat. Nam Aod jam a Deo factus fuerat Judex & Princeps populi ex vers. 15. & jussu Domini hostem violentum regni invasorem occidit. Unde & verum dixit, teste Augustino quæst. 20. *Verbum Dei habeo ad te Rex.* Sed merito articulus ille Joannis Hus a Concilio Constantiensi damnatus est: *Quilibet tyrannus licite potest a quocunque subdito interfici.* Quæ enim in Veteri Testamento facta sunt Deo jubente, ut sacrificium Abrahæ, in exemplum trahi non debent. Davidis erga Saulum veneratio, & pœna qua illius interfectorem affecit, magno sunt argumento omnem adversus legitimum Principem rebellionem Deo exosam esse.

30. (*i*) Terræ pax restituta fuit anno octogesimo a pace, quam Othoniel constituit. Alii aliter exponunt.

31. (*k*) Vox Hebræa *hastam* significare potest, quam præfixam ferro armentarii gestant. Negat Genebrardus Samgar fuisse judicem.

CAP. IV.

2. (*a*) Urbs illa a Josue vastata est, sed eam postea Chananæi instauraverunt. *Ipse autem habitabat in Haroseth gentium*: quidam vertunt in *silvas gentium*. Propter confluentes ex vicinis regionibus gentes sic dicta est.

4. & 5. (*b*) Non præerat potestate, sed populus ultro ad eam controversias suas deferebat, quod spiritu prophetiæ esset afflata. *Sedebat*, habitabat juxta palmetum

8. (*c*) Fuit hæc in Barac quædam dubitatio, aut diffidentia auxilii divini: aut forte propriæ infirmitatis conscius noluit ire nisi una cum Debbora.

10. Qui, accitis Zabulon & Nephthali, ascendit cum decem millibus pugnatorum, habens Debboram in comitatu suo.

11. Haber autem Cinæus recesserat quondam a ceteris Cinæis fratribus suis filiis Hobab, cognati Moysi: & tetenderat tabernacula usque ad vallem, quæ vocatur Sennim, & erat juxta Cedes.

12. Nuntiatumque est Sisaræ quod ascendisset Barac filius Abinoem, in montem Thabor:

13. Et congregavit nongentos falcatos currus, & omnem exercitum de Haroseth gentium ad torrentem Cison.

14. Dixitque Debbora ad Barac: Surge, hæc est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas: en ipse ductor est tuus. Descendit itaque Barac de monte Thabor, & decem millia pugnatorum cum eo.

* P. Cap. 15. * Perterruitque Dominus Sisaram, & omnes currus ejus, universamque multitudinem in ore gladii ad conspectum Barac; in tantum, ut Sisara de curru desiliens, pedibus fugeret.

16. Et Barac persequeretur fugientes currus, & exercitum usque ad Haroseth gentium, & omnis hostium multitudo usque ad internecionem caderet.

17. Sisara autem fugiens pervenit ad tentorium Jahel uxoris Haber Cinæi (*d*). Erat enim pax inter Jabin regem Azor, & domum Haber Cinæi.

18. Egressa igitur Jahel in occursum Sisaræ, dixit ad eum: Intra ad me domine mi: intra, ne timeas. Qui ingressus tabernaculum ejus, & opertus ab ea pallio,

19. Dixit ad eam: Da mihi, obsecro, paulum aquæ, quia sitio valde. Quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum.

20. Dixitque Sisara ad eam: Sta ante ostium tabernaculi: & cum venerit aliquis interrogans te, & dicens: Numquid hic est aliquis? Respondebis: Nullus est.

21. Tulit itaque Jahel uxor Haber clavum tabernaculi, assumens pariter & malleum: & ingressa abscondite, & cum silentio, (*e*) posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram: qui soporem morti consocians defecit, & mortuus est.

22. Et ecce Barac sequens Sisaram veniebat: egressaque Jahel in occursum ejus, dixit ei: Veni, & ostendam tibi virum, quem quæris. Qui cum intrasset ad eam, vidit Sisaram jacentem mortuum, & clavum infixum in tempore ejus:

23. Humiliavit ergo Deus in die illo Jabin regem Chanaan coram filiis Israel:

24. Qui crescebant quotidie, & forti manu opprimebant Jabin regem Chanaan, donec delerent eum.

CAPUT V.

Epinicium, seu carmen de reportata victoria canit Debbora.

1. Cecineruntque Debbora & Barac filius Abinoem in illo die, dicentes:

2. Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino.

3. Audite reges, auribus percipite principes: Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel.

4. Domine cum exires (*a*) de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est, cælique ac nubes distillaverunt aquis.

5. Montes fluxerunt (*b*) a facie Domini, & Sinai a facie Domini Dei Israel.

6. In diebus Samgar filii Anath, in diebus Jahel, quieverunt (*c*) semitæ: & qui ingrediebantur per eas, ambulaverunt per calles devios.

7. Cessaverunt (*d*) fortes in Israel, & quieverunt: donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel.

8. Nova bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subvertit. clypeus & hasta si apparuerint (*e*) in quadraginta millibus Israel.

9. Cor meum diligit principes Israel: qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino.

10. Qui ascenditis super nitentes asinos (*f*), & sedetis in judicio, & ambulatis in via, loquimini.

11. Ubi collisi sunt currus, & hostium suffocatus est exercitus, ibi narrentur justitiæ Domini & clementia in fortes Israel: tunc descendit populus Domini ad portas (*g*), & obtinuit principatum.

12. Sur-

17 (*d*) Pars Cinæorum in solitudinem Arad, pars in tribum Zabulon secesserat. De facto hujus mulieris, quæ Sisaræ promiserat securitatem, dubitatur, recte ne fecerit, an secus. Pius pro salute populi affectus est laudabilis: quod autem fallaciter promiserit securitatem, *Intra ad me, ne timeas*, excusari non potest, nisi forte peculiaris afflatu inspiratione divina, qua ad hoc præclarum facinus permota fuerit, aut promissio contra salutem publicam non valuerit. Interfectio autem Sisaræ fuit laudabilis, etsi forte circumstantia promissionis vitiata. *Erat enim pax inter Jabin Regem Azor, & domum Haber Cinæi*. hoc est, Haber vivebat in pace, non oppressus a Jabin: non quod fœdere essent conjuncti. Deinde Jahel potuit aliunde accipere quæ Debbora prædixerat, fore ut eo ipso die Dominus Regem Jabin in manus Barac traderet: unde excusari potest eo prorsus modo, quo Rahab. Utcumque ea res se habeat, Scriptura hanc mulierem multis ornat laudibus, zelum scilicet ejus pro salute populi.

21. (*e*) Ex eo genere clavorum, qui ad retinenda vela tabernaculorum in terram defigi solent. Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 32. *Quæ est illa mulier plena fiduciæ, hostis tempora ligno transfigens, nisi fides Ecclesiæ, cruce Christi regna diaboli perimens?*

CAP. V. 4. (*a*) Cum duceres populum per terras Idumæorum, magnum iis incussisti terrorem: *cælique ac nubes*, totus tremebat orbis: postquam eduxisti populum tuum e deserto in terram Chananæorum, tum hi magno terrore sunt perculsi, a priscis miraculis incipit, ut ad postremum & nuper editum veniat.

5. (*b*) Quasi liquefacti.

6. (*c*) Cum itinera omnia essent latronibus obsessa. Tempus ab Aod usque ad Jahelis facinus breviter perstringit, ut Israelem spatio viginti annorum sic perterritum fuisse ostendat, ut nemo se itineribus committere auderet. Samgar quidem 600 Philisthæos aratri vomere interfecerat; sed vix per annum Judicis munere functus est, si vere Judex is fuit.

7. (*d*) Tanta erat virorum fortium penuria. Hebr. *Cessaverunt villæ*: nemo in villis habitare audebat, cuncti se continebant intra urbes munitas.

8. (*e*) Non apparuerunt, nullus erat qui arma sumeret: cum Chananæi Israelitis arma ademissent. unde socii Barac fere inermes erant.

10. (*f*) Hebr. Super asinas albas, iis sedentes iter faciebant optimates; alinos aut mulos, qui in Palæstina fortes sunt & magni, equorum loco insidebant. Vos qui ambulatis in via negotiandi causa, aut vos qui pedites iter agitis, vos qui ante præ metu siebatis, jam loquamini, benedicite Dominum.

11. (*g*) Liberi introeuntes & exeuntes: vel ad portas hostium Populus victor descendit.

12. Surge, surge Debbora, surge, surge, & loquere canticum: surge Barac, & apprehende captivos tuos filii Abinoem.

13. Salvatæ sunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicavit.

14. Ex Ephraim delevit (*h*) eos in Amalec, & post eum ex Benjamin in populos tuos o Amalec: de Machir principes descenderunt, & de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum.

15. Duces Issachar fuere cum Debbora, & Barac vestigia sunt secuti: qui quasi in præceps ac barathrum se discrimini dedit: diviso (*i*) contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.

16. Quare (*k*) habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum? diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.

17. Galaad trans Jordanem quiescebat (*l*), & Dan vacabat navibus: Aser habitabat in littore maris, & in portubus morabatur.

18. Zabulon vero & Nephthali obtulerunt animas suas morti in regione Merome (*m*).

19. Venerunt reges & pugnaverunt, pugnaverunt reges Chanaan in Thanach juxta aquas Mageddo (*n*), & tamen nihil tulere prædantes.

20. De cælo (*o*) dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine & cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.

21. Torrens Cison traxit cadavera eorum, torrens Cadumin (*p*), torrens Cison: conculca anima mea robustos.

22. Ungulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortissimis hostium.

23. Maledicite terræ Meroz (*q*), dixit Angelus Domini: Maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortissimorum ejus.

24. Benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber Cinæi, & benedicatur (*r*) in tabernaculo suo.

25. Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum.

26. Sinistram manum misit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram, quærens in capite vulneri locum, & tempus valide perforans.

27. Inter pedes ejus ruit: defecit, & mortuus est: volvebatur ante pedes ejus, & jacebat exanimis & miserabilis.

28. Per fenestram respiciens, ululabat mater ejus: & de cœnaculo loquebatur: Cur moratur regredi currus ejus? quare tardaverunt pedes quadrigarum illius?

29. Una sapientior ceteris uxoribus ejus, hæc socrui verba respondit:

30. Forsitan nunc dividit spolia, & pulcherrima feminarum eligitur ei: vestes diversorum colorum Sisaræ traduntur in prædam, & supellex varia ad ornanda colla congeritur.

31. Sic pereant omnes inimici tui Domine: qui autem diligunt te, sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilent.

32. Quievitque Terra per quadraginta annos (*f*).

CAPUT VI.

Israël a Madianitis vexatus clamat ad Dominum, qui Gedeonem mittit, ut eos post multa signa liberet a dura servitute.

1. Fecerunt autem filii Israel malum in conspectu Domini: qui tradidit illos in manu Madian septem annis,

2. Et oppressi sunt valde ab eis. Feceruntque sibi antra & speluncas in montibus, & munitissima ad repugnandum loca.

3. Cumque sevisset Israel, ascendebat Madian & Amalec, ceterique orientalium nationum:

4. Et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis cuncta vastabant (*a*) usque ad introitum Gazæ: nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel: non oves, non boves, non asinos.

5. Ipsi enim & universi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, & instar locustarum universa complebant, innumera multitudo hominum, & camelorum, quidquid tetigerant devastantes.

6. Humiliatusque est Israel valde in conspectu Madian.

7. Et clamavit ad Dominum postulans auxilium contra Madianitas.

8. Qui misit ad eos virum prophetam, & locutus est: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego vos feci conscendere de Ægypto, & eduxi vos de domo servitutis,

9. Et liberavi de manu Ægyptiorum, & omnium inimicorum, qui affligebant vos: ejecique eos ad introitum vestrum, & tradidi vobis Terram eorum.

10. Et

14. (*h*) Deus opera tribus Ephraim usus est, ut deleret Amalecitas, qui Chananæis in auxilium venerant. *De Machir principes descenderunt*: e tribu Manasse, & ex aliis tribubus vicinis.

15. (*i*) In diversas sententias distracto, dum alii a bello abstinendum, alii in prælium eundum censerent.

16. (*k*) Inde ostium, hinc Israelitarum, neutris faves: Ut audias sibilos gregum; inter ovium tuarum balatus desidens, *Inter duos terminos*: Vatabl. *Inter duas caulas*.

17. (*l*) Tribus ultra Jordanem positæ privatis commodis intentæ rempublicam non curabant. *Et Dan vacabat navibus*, negotiationi suæ.

18. (*m*) In planitie monti Thabor subjecta. Hebr. *Super altitudines*, juxta montem Thabor.

19. (*n*) In regione vicina monti Thabor, qua præterfluunt aquæ torrentis Cison.

20. (*o*) Deus pugnavit pro populo suo contra hostes. Pluviæ, venti, grandines pugnaverunt contra eos. *Stellæ manentes in ordine suo*: Hebr. *Stellæ a suis aggeribus pugnaverunt contra eos*; metaphora ducta a militibus, qui pugnant ex editiore loco: forte prælium de nocte commissum est. Vel Angeli per stellas designantur, qui astra matutina. Job 38. vocitantur.

21. (*p*) Torrens Cison in duas partes dividitur; quæ ad Orientem defluit, & in lacum Genezareth se exonerat, Cadumim appellatur ex Serario. Conculca anima mea robustos, qui antea Israelitas misere opprimebant; quod utique non fastu aut sævitia, sed animo Dei beneficiorum memore effatur.

23. (*q*) Urbs erat vicina prælii loco, quæ in hoc bello Israelitas juvare noluerat; locus ille oblivione sepultus fit.

24. (*r*) Benedicitur Jahel ob præclarum facinus in suo tabernaculo perpetratum. Hoc in loco Scriptura eos laudat, qui fideli sunt suo munere, ut omnes ad fortius agendum animentur. Quidquid utile esse potest infirmitati nostræ sublevandæ, adhibet Scriptura, ut figuras, prosopopœias, & alia hujus generis.

32. (*f*) A bello faciendo; sed post Barac per septennium oppressi sunt a Madianitis.

CAP. VI. 4. (*a*) Hebr. *Castra ponebant ante eos, & vastabant fruges terræ*.

10. Et dixi: Ego Dominus Deus vester, ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et noluistis audire vocem meam.

11. Venit autem Angelus Domini, & sedit sub quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Joas patrem familiæ Ezri (*b*). Cumque Gedeon filius ejus excuteret atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian,

12. Apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum, virorum fortissime.

13. Dixitque ei Gedeon: Obsecro, mi domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt (*c*) nos hæc omnia? ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manu Madian.

14. Respexitque ad eum Dominus (*d*), & ait: * Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian: scito quod miserim te.

*1. Reg. 12. 11.

15. Qui respondens ait: Obsecro, mi Domine, in quo liberabo Israel? ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei.

16. Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum: & percuties Madian quasi unum virum.

17. Et ille, Si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum quod tu sis qui loqueris ad me.

18. Nec recedas hinc, donec revertar ad te, portans sacrificium, & offerens tibi (*e*). Qui respondit: Ego præstolabor adventum tuum.

19. Ingressus est itaque Gedeon, & coxit hædum, & de farinæ modio azymos panes: carnesque ponens in canistro, & jus carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, & obtulit ei.

20. Cui dixit Angelus Domini: Tolle carnes & azymos panes, & pone (*f*) supra petram illam, & jus desuper funde. Cumque fecisset ita,

21. Extendit Angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azymos: ascenditque ignis de petra, & carnes, & azymosque panes consumpsit: Angelus autem Domini evanuit ex oculis ejus.

22. Vidensque Gedeon quod esset Angelus Domini, ait: Heu mi Domine Deus: quia vidi Angelum Domini facie ad faciem.

23. Dixitque ei Dominus: Pax tecum: ne timeas, non morieris.

24. Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud, Domini pax, usque in præsentem diem. Cumque adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Ezri,

25. Nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum septem (*g*), destruesque aram Baal, quæ est patris tui: & nemus, quod circa aram est, succide:

26. Et ædificabis altare Domino Deo tuo in summitate petræ hujus, super quam ante sacrificium posuisti: tollesque taurum secundum, & offeres holocaustum super struem lignorum, quæ de nemore succideris.

27. Assumptis ergo Gedeon decem viris de servis suis, fecit sicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris sui, & homines illius civitatis, per diem noluit id facere, sed omnia nocte complevit.

28. Cumque surrexissent viri oppidi ejus mane, viderunt destructam aram Baal, lucumque succisum, & taurum alterum impositum super altare, quod tunc ædificatum erat.

29. Dixeruntque ad invicem: Quis hoc fecit? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum est: Gedeon filius Joas fecit hæc omnia.

30. Et dixerunt ad Joas: Produc filium tuum huc, ut moriatur: quia destruxit aram Baal, & succidit nemus.

31. Quibus ille respondit: Numquid ultores estis Baal, ut pugnetis pro eo? qui adversarius (*h*) est ejus, moriatur antequam lux crastina veniat: si Deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram ejus.

32. Ex illo die vocatus est Gedeon, Jerobaal, eo quod dixisset Joas: Ulciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram ejus.

33. Igitur omnis Madian, & Amalec, & Orientales populi congregati sunt simul: & transeuntes Jordanem, castrametati sunt in valle Jezrael (*i*).

34. Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer, ut sequeretur se.

35. Misitque nuntios in universum Manassen, qui & ipse secutus est eum: & alios nuntios in Azer & Zabulon & Nephthali, qui occurrerunt ei.

36. Dixitque Gedeon ad Deum: Si salvum facis (*k*) per manum meam Israel, sicut locutus es,

37. Po-

11. & 12. (*b*) Alii vertunt ad Joas Abraitam, quæ una erat ex familiis tribus Manasse. *In Ephra*; duplex erat oppidum hujus nominis, unum in tribu Benjamin, idem cum Ophera, cujus fit mentio Josue 18. 23. & alterum, cujus hoc loco fit mentio in tribu Manasse. *Dominus tecum, virorum fortissime*: ideirco erat fortissimus, quod Dominus esset cum eo. Quod in Dei tutela & protectione spem omnem suam poneret.

13 (*c*) Hoc non ex diffidentia, sed quia noverat divinæ protectionis certissimum illud esse argumentum, victoriam de hostibus reportatam, & prodigia in gratiam populi Dei a Deo facta.

14. & 15. (*d*) Angelus qui Dominum exhibebat. *Familia* Hebr. *Millenarium meum*, in quo scilicet domus patris mei numeratur, minimum est.

18. (*e*) Sept. Interpret. *ἐνώπιόν σου*, *Coram te*, eo enim tantum animo fuit, ut hospiti cibum apponeret: phrasi Scripturæ usitata vocatur *sacrificium*, quod *sacrificare* idem sit ac *mactare*. Sic 1. Regum, cap. 25. vers. 11. *Tollam carnes pecorum meorum, quæ occidi tonsoribus meis*; vox græca *τέθυκα*, *immolavi*, *sacrificavi*: quæ autem Gedeon tulit in cibum, Angelus vertit in sacrificium.

20. (*f*) Nec peccavit Gedeon, etiamsi sacrificium obtulerit extra locum a Deo præscriptum, cum ille Sacerdos non esset: verum id fecit Angelo Dei approbante, quem Prophetam esse primum crediderat, ac Deus cum eo dispensavit. Augustinus quæst. 35. *Unde intelligendum est non cum Angelo, sed per Angelum sacrificium offerre voluisse*; si vox illa *sacrificii*, pro vero sacrificio ponatur, non pro sola mactatione: sed ara illa erecta est in monumentum.

25. (*g*) Tot annorum quot servitus Israel sub Madianitis tenuerat. Jussu Dei, non propria voluntate altare erexit, & tauros immolavit. Hinc Augustinus quæst. 36. *Ita quippe Deus legitima illa constituit, ut leges non sibi, sed hominibus daret. Unde quod præter illa ipse præcepit, non a transgressoribus, sed potius a piis & obedientibus impletum intelligendum est.*

31. (*h*) Chald. *Qui litigaverit pro eo*; vindicet ipse se Baal, si Deus est. Unde Gedeon dictus est Jerobaal, quod voluerit cum Baal contendere.

33. (*i*) In tribu Manasse: nam aliud erat oppidum ejus nominis prope Jordanem & montem Gelboe.

36. (*k*) Petitio signi cum ex diffidentia de promissis divinis oritur, mala est; secus si ea ex familiaritate cum Deo, ex desiderio manifestandæ gloriæ Dei, augendæ fidei studio, & majoris ad agendum alacritatis, aut discutiendi ex animo omnem dubitationem. Non petiit signum Gedeon, cum propriæ vitæ adiit periculum, & aram Baal evertit; tum enim de vita sua tantummodo agebatur: sed ubi de totius gentis discrimine res est, tum signum petit, & datur ei futuræ gentium ad Deum conversionis insignis figura.

37. Ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel.

38. Factumque est ita. Et de nocte consurgens, expresso vellere, concham rore implevit.

39. Dixitque rursus ad Deum: Ne irascatur furor tuus contra me si adhuc semel tentavero signum quærens in vellere. Oro ut solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens.

40. Fecitque Deus nocte illa ut postulaverat: & fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terra.

CAPUT VII.

Jussu Dei Gedeon lustrat hostium castra, aciem instruit, caeduntur hostes.

1. IGitur Jerobaal qui & Gedeon, de nocte consurgens, & omnis populus cum eo, venit ad fontem qui vocatur Harad: erant autem castra Madian in valle ad septentrionalem plagam collis excelsi.

2. Dixitque Dominus ad Gedeon: Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus ejus: ne glorietur contra me Israel, & dicat: Meis viribus liberatus sum.

* Deut. 20. 8. 1. Mac. 3. 56.

3. Loquere ad populum, & cunctis audientibus prædica: * Qui formidolosus & timidus est, revertatur. Recesseruntque de monte Galaad, & reversi sunt de populo viginti duo millia virorum: & tantum decem millia remanserunt.

4. Dixitque Dominus ad Gedeon: Adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos: & de quo dixero tibi ut tecum vadat, ipse pergat: quem ire prohibuero, revertatur.

5. Cumque descendisset populus ad aquas, dixit Dominus ad Gedeon: Qui lingua lambuerint aquas, sicut solent (a) canes lambere, separabis eos seorsum: qui autem curvatis genibus biberint, in altera parte erunt.

6. Fuit itaque numerus eorum qui manu ad os projicientes (b) lambuerant aquas, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat.

7. Et ait Dominus ad Gedeon: In trecentis viris qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian: omnis autem reliqua multitudo revertatur in locum suum.

8. Sumptis itaque pro numero cibariis & tubis, omnem reliquam multitudinem abire præcepit ad tabernacula sua: & ipse cum trecentis viris se certamini dedit. Castra autem Madian erant subter in valle.

9. Eadem nocte (c) dixit Dominus ad eum: Surge, & descende in castra: quia tradidi eos in manu tua.

10. Sin autem solus ire formidas: descendat tecum Phara puer tuus.

11. Et cum audieris quid loquantur, tunc confortabuntur manus tuæ, & securior ad hostium castra descendes. Descendit ergo ipse & Phara puer ejus in partem castrorum, ubi erant armatorum vigiliæ (d).

12. Madian autem & Amalec, & omnes Orientales populi, fusi jacebant in valle, ut locustarum multitudo: cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena quæ jacet in littore maris.

13. Cumque venisset Gedeon, narrabat aliquis somnium (e) proximo suo: & in hunc modum referebat quod viderat: Vidi somnium, & videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volvi, & in castra Madian descendere: cumque pervenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subvertit, & terræ funditus coæquavit.

14. Respondit is, cui loquebatur: Non est hoc aliud, nisi gladius Gedeonis filii Joas viri Israelitæ: tradidit enim Dominus in manus ejus Madian, & omnia castra ejus.

15. Cumque audisset Gedeon somnium, & interpretationem (f) ejus, adoravit: & reversus est ad castra Israel, & ait: Surgite, tradidit enim Dominus in manus nostras castra Madian.

16. Divisitque trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum.

17. Et dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem castrorum, & quod fecero sectamini.

18. Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite & conclamate (g), Domino & Gedeoni.

19. Ingressusque est Gedeon, & trecenti (h) viri qui erant cum eo in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ, & custodibus suscitatis, cœperunt buccinis clangere, & complodere inter se lagenas.

20. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas, clamaveruntque: Gladius Domini & Gedeonis:

21. Stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra turbata (i) sunt, & vociferantes, ululantesque fugerunt:

22. Et

CAP. VII. 5. (a) Proverbium est Ægyptium: Canis bibit, & fugit. Hoc præceptum a Deo datum est, ait Josephus, ut persuasum id haberent, non suis viribus, sed Dei benignitate victoriam debere.

6. (b) Non in terra prostrati, sed ut canes qui currendo bibunt: hi fuerunt trecenti.

9. (c) Hebr. *Ipsa nocte*, seu nocte insequente.

11. (d) Hebr. *Ad extremum partem armatorum qui in castris*, supple, erant: in Hebræo nihil de vigiliis armatorum: forte id addidit Hieronymus explicationis gratia.

13. (e) Hoc somnium significabat Israelitas sub Madianitis male passos in perniciem Madianitarum instar flammæ erupturos. *Cumque pervenisset ad tabernaculum*: ad tabernacula omnia, vel ad illud quod erat magis insigne.

15. & 16. (f) Hebr. שברו *Sibro, fracturam ejus*; nempe somnii interpretatio ita vocatur, metaphora ducta a fructibus duri corticis, quo fracto sui copiam faciunt: *Surgite*, properate, Hebraismus. *Lampades*, tædas.

18. (g) Deus ipse in hoc prælio pugnat, & Gedeone utitur tamquam ministro: Dominus victoriam reportabit.

19. (h) Hebr. & LXX. *Venit Gedeon & centum viri*; nam trecenti erant in tres turmas divisi: Gedeon cum sua turma primus accessit. Quod si decem millia virorum pugnæ [illegible], victoriam vel Ducis prudentiæ, vel militum fortitudini, non Deo tribuissent.

21. & 22. (i) Aug. quæst. 49. *Præfigurantur Sancti, qui thesaurum evangelici luminis in vasis fictilibus habent, ut sicut Apostolus dicit, quibus* [illegible] *fractis, major eorum gloria* [illegible] *evangelicæ prædicationis inimicos* [illegible] *Christi claritate superarunt.* Cade, per dissensionem inter se suffocantes.

22. Et nihilominus insistebant trecenti viri
* Ps. 82. 10. buccinis personantes. * Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, & mutua se cæde truncabant,

23. Fugientes usque ad Bethsetta, & crepidinem Abelmehula in Tebbath. Conclamantes autem viri Israel de Nephthali, & Aser, & omni Manasse, persequebantur Madian.

24. Misitque Gedeon nuntios in omnem montem Ephraim, dicens: Descendite in occursum Madian, & occupate aquas usque Bethbera atque Jordanem. Clamavitque omnis Ephraim (k), & præoccupavit aquas atque Jordanem usque Bethbera.

* Ps. 82. 12. 25. * Apprehensosque duos viros Madian,
Isa. 10. 26. Oreb, & Zeb, interfecit Oreb in petra Oreb, Zeb vero in torculari Zeb. Et persecuti sunt Madian, capita Oreb & Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Jordanis.

CAPUT VIII.

Gedeon Ephraimitas blandioribus verbis placat; insequitur fugientes Madianitas, devictis Zeb & Salmana; recusat principatum; prædam dividit; Israelitarum peccatum.

1. Dixeruntque ad eum viri Ephraim: Quid est hoc quod facere voluisti, ut nos non vocares, cum ad pugnam pergeres contra Madian? jurgantes fortiter, & prope vim inferentes.

2. Quibus ille respondit: Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? nonne melior est racemus (a) Ephraim, vindemiis Abiezer?

3. In manus vestras Dominus tradidit principes Madian, Oreb, & Zeb: quid tale facere potui, quale vos fecistis? Quod cum locutus esset, requievit spiritus eorum, quo tumebant contra eum.

4. Cumque venisset Gedeon ad Jordanem, transivit eum cum trecentis viris, qui secum erant: & præ lassitudine, fugientes persequi non poterant.

5. Dixitque ad viros Soccoth (b): Date, obsecro, panes populo, qui mecum est, quia valde defecerunt: ut possimus persequi Zebee, & Salmana reges Madian.

6. Responderunt principes Soccoth: Forsitan palmæ (c) manuum Zebee & Salmana in manu tua sunt, & idcirco postulas ut demus exercitui tuo panes.

7. Quibus ille ait: Cum ergo tradiderit Dominus Zebee & Salmana in manus meas, conteram carnes vestras cum spinis tribulisque deserti.

8. Et inde conscendens, venit in Phanuel: locutusque est ad viros loci illius similia. Cui & illi responderunt, sicut responderant viri Soccoth.

9. Dixit itaque & eis: Cum reversus fuero victor in pace, destruam turrim hanc.

10. Zebee autem & Salmana requiescebant cum omni exercitu suo. Quindecim enim millia viri remanserant ex omnibus turmis Orientalium populorum, cæsis centum viginti millibus bellatorum educentium gladium.

11. * Ascendensque Gedeon per viam eorum, * Osee 10. 14.
qui in tabernaculis morabantur (d), ad Orientalem partem Nobe, & Jegbaa, percussit castra hostium, qui securi erant, & nihil adversi suspicabantur.

12. Fugeruntque Zebee & Salmana, quos persequens Gedeon comprehendit, turbato omni exercitu eorum.

13. Revertensque de bello ante solis ortum (e),

14. Apprehendit puerum de viris Soccoth: interrogavitque eum nomina principum & seniorum Soccoth, & descripsit septuaginta septem viros.

15. Venitque ad Soccoth (f) & dixit eis: En Zebee & Salmana super quibus exprobrastis mihi, dicentes: Forsitan manus Zebee & Salmana in manibus tuis sunt, & idcirco postulas ut demus viris qui lassi sunt & defecerunt, panes.

16. Tulit ergo seniores civitatis, & spinas deserti ac tribulos: & contrivit cum eis, atque comminuit viros Soccoth.

17. Turrim quoque Phanuel subvertit, occisis habitatoribus civitatis.

18. Dixitque ad Zebee & Salmana: Quales fuerunt viri, quos occidistis in Thabor (g)? Qui responderunt: Similes tui, & unus ex eis quasi filius regis.

19. Quibus ille respondit: Fratres mei fuerunt, filii matris meæ: vivit Dominus, quia si servassetis eos, non vos occiderem.

20. Dixitque Jether primogenito suo: Surge, & interfice eos. Qui non eduxit gladium: timebat enim, quia adhuc puer erat.

21. Dixeruntque Zebee & Salmana: Tu surge, & irrue in nos: quia juxta ætatem robur est hominis. Surrexit Gedeon, * & interfecit * Psal. 82. 12.
Zebee & Salmana: & tulit ornamenta ac bullas (h), quibus colla regalium camelorum decorari solent.

22. Dixeruntque omnes viri Israel ad Gedeon: Dominare nostri tu, & filius tuus, & filius filii tui: quia liberasti nos de manu Madian.

23. Quibus ille ait: Non dominabor (i) vestri, nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus.

24. Dixitque ad eos: Unam petitionem postulo a vobis: Date mihi inaures ex præda vestra. Inaures enim aureas Ismaelitæ habere consueverant.

25. Qui responderunt: Libentissime dabimus. Expandentesque super terram pallium, projecerunt in eo inaures de præda:

26. Et

24. (k) Qui convocatus fuit.

CAP. VIII. 2. (a) Vestra racematio superat nostram vindemiam: nam cepistis Madianitarum duces Oreb & Zeb: Vindemias Abiezer, qui in vestra urbe sunt debitores, non te familiæ fortissimis præstant. Sic molli responsione eorum fregit iram.

5. (b) Quæ vox tabernacula significat. Ita dicta est, quod Jacob e Mesopotamia rediens, ibi tabernacula fixerit, Genes. 33. estque in tribu Gad.

6. (c) Non cepisti reges, qui bellum instaurabant, & in nos sævient, si vobis commeatum suppeditemus: frustra de reportata victoria gloriamini, cum sitis tam pauci.

11. (d) Irruit per eam partem ubi Arabes tendebant tabernacula.

13. (e) Adeo ut intra unam noctem reportata fuerit victoria.

15. (f) Qui populo Dei auxilium denegarunt, iisdem pœnis, quibus hostes ipsi fortuito obnoxii, tum quidem Reges vi[illegible] his mactabantur suppliciis.

18. (g) In speluncis & rupibus, ad quas confugerant fugientes Madianitas.

21. (h) Hebr. שהרונים Sahronim, Lunulas: insigne forsan erat [illegible] [illegible] Turcarum.

23. (i) R[illegible] Rex velles ipse Deus, qui populum hunc quasi hæreditatem suam gubernat: forma regiminis ante Saulem non erat regia.

26. Et fuit pondus postulatarum inaurium, mille septingenti auri sicli, absque ornamentis, & monilibus, & veste purpurea, quibus reges Madian uti soliti erant, & præter torques aureas camelorum.

27. Fecitque ex eo Gedeon Ephod (*k*), & posuit illud in civitate sua Ephra. Fornicatusque est omnis Israel in eo, & factum est Gedeoni & omni domui ejus in ruinam.

28. Humiliatus est autem Madian coram filiis Israel, nec potuerunt ultra cervices elevare: sed quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon præfuit.

29. Abiit itaque Jerobaal filius Joas, & habitavit in domo sua:

30. Habuitque septuaginta filios, qui egressi sunt de femore ejus: eo quod plures haberet uxores.

31. Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimelech.

32. Mortuusque est Gedeon filius Joas in senectute bona, & sepultus est in sepulcro Joas patris sui in Ephra de familia Ezri.

33. Postquam autem mortuus est Gedeon, aversi sunt filii Israel, & fornicati sunt cum Baalim. Percusseruntque cum Baal fœdus, ut esset eis in deum:

34. Nec recordati sunt Domini Dei sui, qui eruit eos de manibus inimicorum suorum omnium per circuitum:

35. Nec fecerunt misericordiam cum domo Jerobaal Gedeon juxta omnia bona, quæ fecerat Israeli.

C A P U T IX.

Abimelech Gedeonis filius occisis septuaginta fratribus imperium usurpat; post perpetrata flagitia misere perit.

1. ABiit autem Abimelech filius Jerobaal in Sichem ad fratres (*a*) matris suæ, & locutus est ad eos, & ad omnem cognationem domus patris matris suæ, dicens:

2. Loquimini ad omnes viros (*b*) Sichem: Quid vobis est melius, ut dominentur vestri septuaginta viri omnes filii Jerobaal, an ut dominetur unus vir? simulque considerate quod os vestrum, & caro vestra sum.

3. Locutique sunt fratres matris ejus de eo ad omnes viros Sichem universos sermones istos, & inclinaverunt cor eorum post Abimelech, dicentes: Frater noster est.

4. Dederuntque illi septuaginta pondo argenti de fano Baalberith. Qui conduxit sibi ex eo viros inopes & vagos, secutique sunt eum.

5. Et venit in domum patris sui in Ephra, & occidit fratres suos filios Jerobaal septuaginta viros, super lapidem unum: remansitque Joatham filius Jerobaal minimus, & absconditus est.

6. Congregati sunt autem omnes viri Sichem, & universæ familiæ urbis Mello: abieruntque & constituerunt regem Abimelech juxta quercum, quæ stabat in Sichem.

7. Quod cum nuntiatum esset Joatham, ivit, & stetit in vertice montis Garizim: elevataque voce, clamavit, & dixit: Audite me viri Sichem, ita audiat vos Deus.

8. Ierunt ligna, ut ungerent super se regem: dixeruntque olivæ: Impera nobis.

9. Quæ respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua & dii utuntur, & homines, & venire ut inter ligna promovear?

10. Dixeruntque ligna ad arborem ficum: Veni, & super nos regnum accipe.

11. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusque suavissimos, & ire ut inter cetera ligna promovear?

12. Locutaque sunt ligna ad vitem, Veni, & impera nobis.

13. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cetera promoveri?

14. Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni & impera super nos.

15. Quæ respondit eis: Si vere me regem vobis constituitis, venite, & sub umbra mea requiescite (*c*): si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & devoret cedros Libani.

16. Nunc igitur, si recte & absque peccato constituistis super vos regem Abimelech, & bene egistis cum Jerobaal, & cum domo ejus, & reddidistis vicem beneficiis ejus, qui pugnavit pro vobis,

17. Et animam suam dedit periculis, ut erueret vos de manu Madian,

18. Qui

27. (*k*) Ut esset monimentum victoriæ: sed post ejus mortem fornicatus est populus. Gedeon forte peccavit per ignorantiam ex imprudenti zelo religionis, si omnem ornatum sacerdotalem ad Sacrificium Deo destinatum paravit, non attendens Deum præcepisse, ut uno tantum in loco sacrificia offerrentur: sed tamen is sancte obiit, attestante Scriptura: *Mortuus est in senectute bona*: hoc enim tantummodo de viris piis scribitur. Augustinus quæst. 42. *Quæritur quomodo post hoc tantum nefas, quod & Gedeon & populus admisit, reputentur tecta 40. anni . . . Sed intelligendum est sicut solet Scriptura per prolepsim dixisse, quod fecerit Ephod contra Dei legem Gedeon ex illo auro, quod fuerat hostibus devictis atque prostratis oblatum; quia uno loco dicere voluit, & unde erat aurum, & quid de illo factum sit: sed postea factum fine dierum Gedeon hoc peccatum, quando secuta sunt etiam mala, quæ deinde Scriptura contexuit.* Quod monimentum victoriæ fuerat, versum est in usum idololatriæ post mortem Gedeonis. Alii tamen non minus probabiliter excusant Gedeonem ab omni peccato; nusquam enim in lege prohibentur sacerdotalia ornamenta, præterquam in loco, ubi erat tabernaculum, præparare. Quin Gedeon id aptum voluit efficere, ut partæ victoriæ decus omne Deo referretur auctori, atque hoc voluit monimentum tanti beneficii a Deo accepti in domo sua superesse: neque his vestibus usus est, nec sacrificia obtulit: etsi post mortem Gedeonis, id ipsum occasio ruinæ toti Israeli & familiæ Gedeonis factum est: ut serpens æneus, quem Moses in deserto erexit jubente Deo, postea fuit idololatriæ occasio populo ad impietatem prono, sic familiæ Gedeonis ruina, ut Gedeonis ipsius exitium specitate potest. Idque ex proximo capite fit manifestum. Alii excusant Gedeonem, quod paraverat Ephod, non sacerdotale, sed politicum, qualis usus est David, Lib. 2. Reg. cap. 6.

1. (*a*) Ad cognatos. Ac malis artibus ambit principatum; sævitia & astutia, ut solent tyranni. CAP. IX.

2. (*b*) Hebr. בעלים, *Baalim*, id est, *Dominos*, seu proceres. *Quod os vestrum, & caro vestra sum*: vobis genere & sanguine conjunctus. *Dederuntque illi 70. pondo argenti de fano Baalberit*, 70. *Libras argenti*: quas ex idoli fano sustulerunt, & constituerunt Regem Abimelech mutata forma reipublicæ. Sed nec successio, nec electio fuit legitima. Sic impuria illa fœdera in bella civilia solent desinere. Hinc fratricidia, illinc ingrati erga Gedeonis domum animi, qui omnes debent meritas pœnas, tot beneficiorum, quæ a Deo acceperant, immemores. Baal coluerunt, e cujus fano magnam pecuniæ vim extraxerunt conscribendo exercitui. Non erat electio legitima; non enim populus Regem suo arbitratu facere debebat, & in hoc peccavit maxime Abimelech, quod populi partem a populo ipso abstraheret.

15. (*c*) Hebr. *Chasu* חסו. *Confidite*. Sub ea figura veteribus usitata Joatham civibus Sichem exprobrat quam temere & inconsulto neglectis viris ad regendum idoneis Abimelech regem constituerant.

18. Qui nunc surrexistis contra domum patris mei, & interfecistis filios ejus septuaginta viros super unum lapidem, & constituistis regem Abimelech filium ancillæ ejus super habitatores Sichem, eo quod frater vester sit:

19. Si ergo recte & absque vitio egistis cum Jerobaal, & domo ejus, hodie lætamini in Abimelech, & ille lætetur in vobis.

20. Sin autem perverse: egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichem, & oppidum (*d*) Mello: egrediaturque ignis de viris Sichem, & de oppido Mello, & devoret Abimelech.

21. Quæ cum dixisset, fugit, & abiit in Bera: habitavitque ibi ob metum Abimelech fratris sui.

22. Regnavit itaque Abimelech super Israel tribus annis:

23. Misitque Dominus spiritum pessimum (*e*) inter Abimelech & habitatores Sichem: qui cœperunt eum detestari,

24. Et scelus interfectionis septuaginta filiorum Jerobaal, & effusionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum, & in ceteros Sichimorum principes, qui eum adjuverant.

25. Posueruntque insidias adversus eum in summitate montium: & dum illius præstolabantur adventum, exercebant latrocinia, agentes prædas de prætereuntibus: nuntiatumque est Abimelech.

26. Venit autem Gaal filius Obed cum fratribus suis, & transivit in Sichimam. Ad cujus adventum erecti habitatores Sichem,

27. Egressi sunt in agros, vastantes (*f*) vineas, uvasque calcantes: & factis cantantium choris, ingressi sunt fanum dei sui, & inter epulas & pocula maledicebant Abimelech,

28. Clamante Gaal filio Obed: Quis est Abimelech, & quæ est Sichem, ut serviamus ei? numquid non est filius Jerobaal, & constituit principem Zebul servum suum super viros Emor patris Sichem? Cur ergo serviemus ei?

29. Utinam daret aliquis populum istum sub manu mea, ut auferrem de medio Abimelech. Dictumque est Abimelech: Congrega exercitus multitudinem, & veni.

30. Zebul enim princeps civitatis, auditis sermonibus Gaal filii Obed, iratus est valde,

31. Et misit clam ad Abimelech nuntios, dicens: Ecce, Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus suis, & oppugnat adversum te civitatem.

32. Surge itaque nocte cum populo qui tecum est, & latita in agro:

33. Et primo mane Oriente sole, irrue super civitatem: illo autem egrediente adversum te cum populo suo, fac ei quod potueris.

34. Surrexit itaque Abimelech cum omni exercitu suo nocte, & tetendit insidias juxta Sichimam in quatuor locis.

35. Egressusque est Gaal filius Obed, & stetit in introitu portæ civitatis. Surrexit autem Abimelech, & omnis exercitus eum eo de insidiarum loco.

36. Cumque vidisset populum Gaal, dixit (*g*) ad Zebul: Ecce de montibus multitudo descendit. Cui ille respondit: Umbras montium vides quasi capita hominum, & hoc errore deciperis.

37. Rursumque Gaal ait: Ecce populus de umbilico (*h*) terræ descendit, & unus cuneus venit per viam, quæ respicit quercum.

38. Cui dixit Zebul: Ubi est nunc os tuum, quo loquebaris? Quis est Abimelech ut serviamus ei? Nonne hic populus est, quem despiciebas? Egredere, & pugna contra eum.

39. Abiit ergo Gaal, spectante Sichimorum populo, & pugnavit contra Abimelech,

40. Qui persecutus est eum fugientem, & in urbem compulit (*i*): cecideruntque ex parte ejus plurimi, usque ad portam civitatis:

41. Et Abimelech sedit in Ruma: Zebul autem, Gaal & socios ejus expulit de urbe, nec in ea passus est commorari.

42. Sequenti ergo die egressus est populus in campum. Quod cum nuntiatum esset Abimelech,

43. Tulit exercitum suum, & divisit in tres turmas, tendens insidias in agris. Vidensque quod egrederetur populus de civitate, surrexit, & irruit in eos

44. Cum cuneo suo, oppugnans, & obsidens civitatem: duæ autem turmæ palantes per campum adversarios persequebantur.

45. Porro Abimelech omni die illo oppugnabat urbem: quam cepit, interfectis habitatoribus ejus, ipsaque destructa, ita ut sal in ea dispergeret (*k*).

46. Quod cum audissent qui habitabant in turre Sichimorum, ingressi sunt fanum dei sui Berith, ubi fœdus cum eo pepigerant, & ex eo locus nomen acceperat, qui erat munitus valde.

47. Abimelech quoque audiens viros turris Sichimorum pariter conglobatos,

48. Ascendit in montem Selmon cum omni populo suo: & arrepta securi, præcidit arboris ramum, impositumque ferens humero, dixit ad socios: Quod me videtis facere, cito facite.

49. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes, sequebantur ducem. Qui circumdantes præsidium, succenderunt: atque ita factum est, ut fumo & igne mille homines necarentur viri pariter & mulieres, habitatorum turris Sichem.

50. Abimelech autem inde proficiscens venit ad oppidum Thebes, quod circumdans obsidebat exercitu.

51. Erat autem turris excelsa in media civitate, ad quam confugerant simul viri ac mulieres, & omnes principes civitatis, clausa firmissime janua, & super turris tectum stantes per propugnacula.

52. Acce-

20 (*d*) Hebr. *Et domum Mello*: forte domus erat, ubi conventus gentis.

23 (*e*) Odii & aversionis: aut permisit ut dæmon ipse discordias inter Abimelech & Sichimitas spargeret: Psalm. 77. *Immissiones per angelos malos*.

27. (*f*) Hebr. *Vindemiantes suas vineas*, quod ante facere non audebant.

36. (*g*) Simulabat Zebul amicitiam cum Gaal, & clam monuerat Abimelech vers. 32. ut cum suis veniret in Sichem.

37. (*h*) De summis montibus: vel de colle qui instar umbilici eminebat.

40. (*i*) Duæ erant factiones in Sichem, una Zebul, altera Gaal sequebatur: victus Gaal non potuit statim expelli, sed postea expulsus est.

45. (*k*) Ut perpetuam ejus desolationem & sterilitatem indicaret: *Qui habitabant in turre Sichimorum*; quæ extra urbem erat sita.

52. Accedensque Abimelech juxta turrim, pugnabat fortiter: & appropinquans ostio, ignem supponere nitebatur.

*2.Reg.11.21. 53. * Et ecce una mulier fragmen molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus,

*1.Reg.31.4. 1 Par.10.4. 54. * Qui vocavit cito armigerum suum, & ait ad eum: Evagina gladium tuum, & percute me: ne forte dicatur quod a femina interfectus sim. Qui jussa perficiens, interfecit eum.

55. Illoque mortuo, omnes qui cum eo erant de Israel, reversi sunt in sedes suas:

56. Et reddidit Deus malum, quod fecerat Abimelech contra patrem suum, interfectis septuaginta fratribus suis.

57. Sichimitis quoque, quod operati erant, retributum est, & venit super eos maledictio Joatham filii Jerobaal.

CAPUT X.

Post Abimelech Thola dux eligitur. Hunc excipit Jair. Israelita in idololatriam reversi Philisthæis & Ammonitis traduntur: pœnitentia ducti liberantur.

1. POst Abimelech surrexit dux in Israel Thola (*a*) filius Phua patrui Abimelech, vir de Issachar, qui habitavit in Samir montis Ephraim:

2. Et judicavit Israelem viginti & tribus annis, mortuusque est, ac sepultus in Samir.

3. Huic successit Jair (*b*) Galaadites, qui judicavit Israelem per viginti & duos annos,

4. Habens triginta filios sedentes super triginta pullos asinarum, & principes triginta civitatum, quæ ex nomine ejus sunt appellatæ (*c*) Havoth-Jaïr, id est oppida Jair, usque in præsentem diem in Terra Galaad.

5. Mortuusque est Jair, ac sepultus in loco, cui est vocabulum Camon.

6. Filii autem Israel peccatis veteribus jungentes nova, fecerunt malum in conspectu Domini, & servierunt idolis, Baalim & Astaroth, & diis Syriæ ac Sidonis & Moab & filiorum Ammon & Philisthiim: dimiseruntque Dominum, & non coluerunt eum.

7. Contra quos Dominus iratus, tradidit eos (*d*) in manus Philisthiim & filiorum Ammon.

8. Afflictique sunt, & vehementer oppressi per annos decem & octo, omnes qui habitabant trans Jordanem in Terra Amorrhæi, qui est in Galaad:

9. In tantum, ut filii Ammon, Jordane transmisso, vastarent Judam & Benjamin & Ephraim: afflictusque est Israel nimis.

10. Et clamantes ad Dominum, dixerunt: Peccavimus tibi, quia dereliquimus Dominum Deum nostrum, & servivimus Baalim.

11. Quibus locutus est Dominus: Numquid non Ægyptii & Amorrhæi, filiique Ammon & Philisthiim,

12. Sidonii quoque & Amalec & Chanaan oppresserunt vos, & clamastis ad me, & erui vos de manu eorum?

13. Et tamen reliquistis me, & coluistis deos alienos: idcirco non addam ut ultra vos liberem:

14. Ite, & invocate (*e*) deos quos elegistis: ipsi vos liberent in tempore angustiæ.

15. Dixeruntque filii Israel ad Dominum: Peccavimus, redde tu nobis quidquid tibi placet: tantum nunc libera nos.

16. Quæ dicentes, omnia de finibus suis alienorum deorum idola projecerunt & servierunt Domino Deo: qui doluit (*f*) super miseriis eorum.

17. Itaque filii Ammon conclamantes in Galaad fixere tentoria: contra quos congregati filii Israel, in Maspha (*g*) castrametati sunt.

18. Dixeruntque principes Galaad singuli ad proximos suos: Qui primus ex nobis contra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux populi Galaad.

CAPUT XI.

Jephte Princeps eligitur: parat bellum contra Ammonitas: votum temere emittit: Ammonitas acie vincit.

1. FUit illo tempore Jephte Galaadites vir fortissimus atque pugnator, filius mulieris meretricis (*a*), qui natus est de Galaad.

2. Habuit autem Galaad uxorem, de qua suscepit filios: qui postquam creverant, ejecerunt Jephte, dicentes: Hæres in domo patris nostri esse non poteris (*b*), quia de altera matre natus es.

3. Quos ille fugiens atque devitans, habitavit in Terra Tob (*c*): congregatique sunt ad eum viri inopes, & latrocinantes, & quasi principem sequebantur.

4. In illis diebus pugnabant filii Ammon contra Israel.

5. Quibus acriter instantibus, perrexerunt majores natu de Galaad, ut tollerent in auxilium sui Jephte de Terra Tob:

6. Dixeruntque ad eum: Veni, & esto princeps noster (*d*), & pugna contra filios Ammon.

7. Qui-

CAP. X.

1. (*a*) Dux fuit solemni populi electione: in Hebræo additur, *Ut salvaret populum a tyrannide Abimelech, & ab idololatria. Vir de Issachar*: etsi hæ tribus tum fuerint inter se permistæ; aut Gedeon & Thola fratres fuerint ex eadem matre, non ex eodem patre. Nam Gedeon erat ex tribu Manasse. *Qui habitavit in Samir montis Ephraim*: in confinio Ephraim, sed in tribu Issachar.

3. (*b*) Alius est ab eo, cujus fit mentio Numer. 32. sed est filius *Segub*, qui indicatur Lib. 1. Paralipom. capit. 2. vers. 22.

4. (*c*) Id est, *oppida Jair*; vox Hebræa vicos potius quam oppida significat. Num. 32. Jair filius Manasse jam vicos Galaaditis a se occupatos appellaverat villas Jair: sed forte erant vici sine muris: Judex vero Jair eas muris cinxit, & ex villis fecit oppida eodem nomine insignita.

7. (*d*) Multis malis vexandos, non ut plane servirent.

14. (*e*) Ironia est, vel sarcasmus, seu verba exprobrantis cum irrisione. Nam Scriptura sæpe Deum inducit loquentem humano more, & utentem figuris inter homines usitatis. Idem vero dicendum est de hac Dei interminatione, quod de Ninivitis, atque ejusmodi prædictiones sunt conditionatæ.

16. (*f*) Cessavit Deus eos affligere.

17. (*g*) Urbs erat ultra Jordanem in tribu Manasse.

CAP. XI.

1. (*a*) Ita vertunt LXX. Eadem vox Hebræa, Josue c. 2. de Rahab, Zona, זונה, quæ cauponariam cum Chald. aut meretricem cum Aria Montano, aut concubinam cum Vatablo designare potest.

2. (*b*) Etsi concubinæ uxores essent, sine stipulatione, aut solemnitate viris junctæ, filii earum hæredes esse non poterant. Vel extranea erat mater, ut videtur Josepho.

3. (*c*) Quæ ex Josepho Lib. 5 Antiqu. cap 9 erat pars Galaaditis, aut nomen est reguli illius regionis. *Congregatique sunt ad eum viri inopes & latrocinantes*. Hebr. *Homines vacui*, qui prædas ex hostibus & infidelibus agebant. Apud priscos Latinos vox illa militem significabat, & latrocinari idem erat quod militare.

6. (*d*) Initio Galaaditarum tantum, aut Judæorum, qui trans Jordanem habitabant, fuit princeps electus.

* Gen. 26. 27. 7. Quibus ille respondit: * Nonne vos estis, qui odistis me, & ejecistis de domo patris mei, & nunc venistis ad me necessitate compulsi?

8. Dixeruntque principes Galaad ad Jephte: Ob hanc igitur causam nunc ad te venimus, ut proficiscaris nobiscum, & pugnes contra filios Ammon, sisque dux omnium qui habitant in Galaad.

9. Jephte quoque dixit eis: Si vere venistis ad me, ut pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritque eos Dominus in manus meas, ego ero vester princeps?

10. Qui responderunt ei: Dominus, qui hæc audit, ipse mediator ac testis est, quod nostra promissa faciemus.

11. Abiit itaque Jephte cum principibus Galaad, fecitque eum omnis populus principem sui. Locutusque est Jephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha.

12. Et misit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui ex persona sua dicerent: Quid mihi & tibi est, quia venisti contra me, ut vastares terram meam?

* Num. 21. 24. 13. Quibus ille respondit: * Quia tulit Israel terram meam, quando ascendit de Ægypto, a finibus Arnon usque Jaboc atque Jordanem: nunc ergo cum pace redde mihi eam.

14. Per quos rursum mandavit Jephte, & imperavit eis ut dicerent regi Ammon:

15. Hæc dicit Jephte: Non tulit Israel Terram Moab, nec Terram filiorum Ammon:

16. Sed quando de Ægypto conscenderunt, ambulavit per solitudinem usque ad Mare rubrum, & venit in Cades.

* Num. 20. 14. 17. * Misitque nuntios ad regem Edom, dicens: Dimitte me ut transeam per terram tuam. Qui noluit acquiescere precibus ejus. Misit quoque ad regem Moab, qui & ipse transitum præbere contempsit. Mansit itaque in Cades.

18. Et circuivit ex latere terram Edom, & Terram Moab: venitque contra orientalem plagam Terræ Moab, & castrametatus est trans Arnon: nec voluit intrare terminos
* Num. 21. 13. Moab: * Arnon quippe confinium est Terræ Moab.

19. Misit itaque Israel nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, qui habitabat in Hesebon, & dixerunt ei: Dimitte ut transeam per terram tuam usque ad fluvium.

20. Qui & ipse Israel verba despiciens, non dimisit eum transire per terminos suos: sed infinita multitudine congregata, egressus est contra eum in Jasa, & fortiter resistebat.

21. Tradiditque eum Dominus in manus Israel cum omni exercitu suo, qui percussit eum, & possedit omnem Terram Amorrhæi habitatoris regionis illius,

22. Et universos fines ejus de Arnon usque Jaboc, & de solitudine usque ad Jordanem.

23. Dominus ergo Deus Israel subvertit Amorrhæum, pugnante contra illum populo suo Israel, & tu nunc vis possidere terram ejus?

24. Nonne ea quæ possidet Chamos deus tuus, tibi jure debentur (e): Quæ autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem:

25. * Nisi forte melior es Balac filio Sephor rege Moab: aut docere potes, quod jurgatus sit contra Israel, & pugnaverit contra eum, * Num. 22. 2.

26. Quando habitavit in Hesebon, & viculis ejus, & in Aroer, & villis illius, vel in cunctis civitatibus juxta Jordanem, per trecentos (f) annos. Quare tanto tempore nihil super hac repetitione tentastis?

27. Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, indicens mihi bella non justa. Judicet (g) Dominus arbiter hujus diei, inter Israel, & inter filios Ammon.

28. Noluitque acquiescere rex filiorum Ammon verbis Jephte, quæ per nuntios mandaverat.

29. Factus est ergo super Jephte Spiritus Domini, & circuiens Galaad, & Manasse, Maspha quoque Galaad, & inde transiens ad filios Ammon,

30. Votum vovit Domino, dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas,

31. Quicumque (h) primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.

32. Transivitque Jephte ad filios Ammon, ut pugnaret contra eos: quos tradidit Dominus in manus ejus.

33. Percussitque ab Aroer usque dum venias in Mennith, viginti civitates, & usque ad Abel, quæ est vineis consita, plaga magna nimis: humiliatique sunt filii Ammon a filiis Israel.

34. Revertente autem Jephte in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis & choris: non enim habebat alios liberos.

35. Qua

24. (e) Noverat Chamos nihil esse, nihil possidere posse: sed respondet stulto juxta stultitiam ejus, & vanam opinionem.

26. (f) Scriptura refert id ipsum quod Jephte dixit. Hic modus exprimendi numeros frequens est in Scripturis: ex possessione longi temporis jus legitimum, seu titulus oritur.

27 (g) Inter populum suum & hostes illius judicat Deus. Jura & leges quæ populorum tranquillitatis conservandæ caussa sunt condita, tuetur.

31. (h) Hinc duplex quæstio oritur, prior an de morte corporali hoc votum nuncupatum fuerit, ut censent pene omnes veteres? an potius, ut Hebræis, & recentioribus multis videtur, filia Jephte eo modo oblata Deo fuerit, quo licebat hominem Deo offerre in perpetuum ministerium, Levitic. c. ult. Nam filia Jephte spatium petit duorum mensium, non ut mortem, sed ut virginitatem defleat. Deinde quod in Vulgata legimus vers. 40. convenisse quotannis filias Israel, ut plangerent filiam Jephte, ex Hebræo sic verti potest, ut alloquerentur, vel consolarentur filiam Jephte. Posterior quæstio est, an graviter peccaverit Jephte, cum votum temere emissum implevit: non peccasse magno est argumento, quod propterea non sit reprehensus: immo Hebr. 11. his annumeratur, qui per fidem placuerant Deo. Quod autem habemus in Vulgata, *Cum holocaustum offeram Domino*, Hebr. *Et erit Domino, & offeram illud holocaustum*, id est, *vel offeram*: egredi poterat e domo, quod offerri non potuisset, ut homo, vel canis: itaque juxta Hebræos vovet se donaturum Deo quod egrederetur primum, & si aptum id fuerit, holocaustum facturum. Quod hic in masculino genere exprimitur, in Hebræo est omnis generis. Unde Josephus vertit, *Quodcumque primum occurrerit*. Deinde illud frequens est Judæis, ut particula, *Et*, sensum habeat particulæ disjunctivæ, *aut offeram*.

35. Qua visa, scidit vestimenta sua, & ait: Heu me, filia mea, decepisti (i) me, & ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, & aliud facere non potero.

36. Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi ultione atque victoria de hostibus tuis.

37. Dixitque ad patrem: Hoc solum mihi præsta quod deprecor: Dimitte me ut duobus mensibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.

38. Cui ille respondit: Vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cumque abiisset cum sociis ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus.

39. Expletisque duobus mensibus, reversa est ad patrem suum, & fecit ei sicut voverat, quæ ignorabat virum. Exinde mos increbuit in Israel, & consuetudo servata est:

40. Ut post anni circulum conveniant in unum filiæ Israel, & plangant (k) filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor.

CAPUT XII.

Ephratæi injuste adversus Jephte insurgentes & devicti: eo mortuo, Abesan, Ahialon & Abdon duces creantur.

1. ECce autem in Ephraim orta est seditio: nam transeuntes contra Aquilonem, dixerunt ad Jephte: Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon, vocare nos noluisti, ut pergeremus tecum? Igitur incendemus domum tuam.

2. Quibus ille respondit: Disceptatio erat mihi & populo meo contra filios Ammon vehemens: vocavique vos, ut præberetis mihi auxilium, & facere noluistis.

3. Quod cernens posui animam meam in manibus (a) meis, transivique ad filios Ammon, & tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, ut adversum me consurgatis in prælium?

4. Vocatis itaque ad se cunctis viris Galaad, pugnabat contra Ephraim: percusseruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat: Fugitivus (b) est Galaad de Ephraim, & habitat in medio Ephraim & Manasse.

5. Occupaveruntque Galaaditæ vada Jordanis, per quæ Ephraim reversurus erat. Cumque venisset ad ea de Ephraim numero, fugiens, atque dixisset: Obsecro ut me transire permittatis: dicebant ei Galaaditæ: Numquid Ephrathæus es: quo dicente: Non sum:

6. Interrogabant eum: Dic ergo Scibboleth (c), quod interpretatur Spica. Qui respondebat, Sibboleth: eadem littera spicam exprimere non valens. Statimque apprehensum jugulabant in ipso Jordanis transitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia.

7. Judicavit itaque Jephte Galaadites Israel (d) sex annis: & mortuus est, ac sepultus in civitate sua Galaad.

8. Post hunc judicavit Israel Abesan de Bethlehem,

9. Qui habuit triginta filios, & totidem filias, quas emittens foras, maritis dedit, & ejusdem numeri filiis suis accepit uxores, introducens in domum suam. Qui septem annis judicavit Israel.

10. Mortuusque est, ac sepultus in Bethlehem.

11. Cui successit Ahialon Zabulonites: & judicavit Israel decem annis:

12. Mortuusque est, ac sepultus in Zabulon.

13. Post hunc judicavit Israel Abdon, filius Illel, Pharathonites:

14. Qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis nepotes, ascendentes super septuaginta pullos asinarum, & judicavit Israel octo annis.

15. Mortuusque est, ac sepultus in Pharathon terræ Ephraim, in Monte Amalec.

CAPUT XIII.

Israel rursus in idololatriam lapsus servit Philisthæis 40. annis. Samson primum matri, tum patri promittitur nasciturus; cui nato benedixit Deus.

1. RUrsumque * filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini: qui tradidit eos in manus Philisthinorum quadraginta annis. * Sup. 10. 6.

2. Erat autem quidam vir de Saraa (a), & de stirpe Dan, nomine Manue, habens uxorem sterilem:

3. Cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam: Sterilis es & absque liberis: * sed concipies & paries filium. * Gen. 16. 11. 1. Reg. 1. 20. Luc. 1. 31.

4. * Cave

35. (i) Hebr. *Hicrathini*, הכרעתני, *prostravisti*. *humiliasti me* August. quæst. 49 *Quia ergo de isto facto Jephte in neutram partem sententiam Scriptura Dei protulit, ut noster intellectus in judicando exerceretur, possemus jam dicere Deo displicuisse tale votum, & ad illam productum esse vindictam, ut patri potissimum filia unica occurreret.* Cum tamen Scripturæ testimonia, quæ fidem Jephte commendant, ut Hebr. 11. & hoc in capite vers. 29. *Factum est ergo super Jephte Spiritus Domini*: cum hæc inquam, expendit Augustinus, sententiam cohibet. *Hanc rem*, inquit, *cautius perscrutemur, ne in ullam partem judicium temerarium proferamus*: ac tandem ita concludit: *Ista testimonia nos compellunt quærere potius cur factum sit, quam facile improbare quod factum est.* Tum ostendit in Jephte Christum Dominum esse figuratum, ut filiam in Ecclesia: quam Christus vovet Deo Patri ut hostiam viventem, quæ se in holocaustum indesinenter offeret. Atque in hoc etiam Jephte Christi Domini typus esse potuit, quod ut ille Ephraimitas, qui adversus eum insolenter se gesserant, pene ad internecionem deleverit; sic Christus in die judicii eos sine misericordia puniet, qui eum invidia & odio persequentes ut regem non agnoverint.

40. (k) Vox Hebræa *Tanna*, תנה, ex Rabbinis aliquando *confabulari*, *disserere*, significat. Virgines colloquiis, aut carminibus rem ipsam celebrabant. Alias etiam *Lamentari*; & ita vertunt Græci interpretes, *Sphiss*.

CAP. XII.

3. (a) Vitam meam exposui periculo mortis: quod in manibus quis habet, id paratum est expendere.

4. (b) Viles sunt Galaaditæ præ Ephraimitis: Et *habitat in medio Ephraim & Manasse*: inter has tribus Ephraim & Manasse habitat: ab utraque concludi poteris, ita ut non possis evadere.

6. (c) Sunt qui hac voce non tam *spicam*, quam amnis profluentem designari putant.

7. (d) Universum Israel. Initio Galaaditarum tantum princeps fuit, postea reliquæ tribus videntur illi paruisse, ita censet Augustinus quæst. 49 Non peculiari Dei vocatione Jephte vocatus videtur, ut populum Dei liberaret ab Ammonitarum sævitia: sed usitata hominum via principatum affectans: & tamen coram Deo hunc recepit principatum, ac multum æquitatis ac fidei in eo elucet.

CAPUT XIII.

2. (a) Recensetur Josue 15. inter urbes, quæ sunt in confinio tribuum Juda & Dan, aut certe ex agro Saraano & De stirpe Dan, e tribu Dan.

* Num. 6. 3. 4. 4. * Cave ergo ne bibas vinum ac siceram (*b*), nec immundum quidquam comedas:

5. Quia concipies, & paries filium, cujus non tanget caput novacula: erit enim Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris utero, & ipse incipiet (*c*) liberare Israel de manu Philisthinorum.

6. Quæ cum venisset ad maritum suum, dixit ei: Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. Quem cum interrogassem, quis esset, & unde venisset, & quo nomine vocaretur, noluit mihi dicere.

7. Sed hoc respondit: Ecce concipies & paries filium: cave ne vinum bibas, nec siceram, & ne aliquo vescaris immundo: erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua, ex utero matris suæ usque ad diem mortis suæ.

8. Oravit itaque Manue Dominum, & ait: Obsecro Domine, ut vir Dei, quem misisti, veniat iterum, & doceat nos quid debeamus facere de puero, qui nasciturus est.

9. Exaudivitque Dominus deprecantem Manue, & apparuit rursum Angelus Dei uxori ejus sedenti in agro. Manue autem maritus ejus non erat cum ea. Quæ cum vidisset Angelum,

10. Festinavit, & cucurrit ad virum suum: nuntiavitque ei, dicens: Ecce apparuit mihi vir, quem ante videram.

11. Qui surrexit, & secutus est uxorem suam, veniensque ad virum, dixit ei: Tu es qui locutus es mulieri? Et ille respondit: Ego sum.

12. Cui Manue: Quando, inquit, sermo tuus fuerit expletus, quid vis ut faciat puer? aut a quo se observare debebit?

13. Dixitque Angelus Domini ad Manue: Ab omnibus, quæ locutus sum uxori tuæ, abstineat se:

14. Et quidquid ex vinea nascitur, non comedat: vinum & siceram non bibat, nullo vescatur immundo: & quod ei præcepi, impleat atque custodiat.

15. Dixitque Manue ad Angelum Domini: Obsecro te ut acquiescas precibus meis, & faciamus (*d*) tibi hædum de capris.

16. Cui respondit Angelus: Si me cogis, non comedam panes tuos: si autem vis holocaustum facere, offer illud Domino. Et nesciebat Manue quod Angelus Domini esset.

17. Dixitque ad eum: Quod est tibi nomen, ut, si sermo tuus fuerit expletus, honoremus te?

* Gen. 32. 29. 18. Cui ille respondit: * Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?

19. Tulit itaque Manue hædum de capris, & libamenta, & posuit super petram, offerens (*e*) Domino, qui facit mirabilia: ipse autem & uxor ejus intuebantur.

20. Cumque ascenderet flamma altaris in cælum, Angelus Domini pariter in flamma ascendit (*f*). Quod cum vidissent Manue & uxor ejus, proni ceciderunt in terram,

21. Et ultra eis non apparuit Angelus Domini. Statimque intellexit Manue Angelum Domini esse,

22. Et dixit ad uxorem suam: Morte moriemur, quia vidimus Deum.

23. Cui respondit mulier: Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum & libamenta non suscepisset, nec ostendisset nobis hæc omnia, neque ea quæ sunt ventura, dixisset.

24. Peperit itaque filium, & vocavit nomen ejus Samson. Crevitque puer, & benedixit ei Dominus.

25. Cœpitque Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan inter Saraa (*g*) & Esthaol.

CAPUT XIV.

Samson uxorem ducit Philisthinam, leone interfecto, in cujus ore post a mel invenit: Hinc problema in nuptiis sodalibus proposuit.

1. Descendit ergo Samson in Thamnatha (*a*): vidensque ibi mulierem de filiabus Philisthiim,

2. Ascendit, & nuntiavit patri suo, & matri suæ, dicens: Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum: quam quæso ut mihi accipiatis uxorem.

3. Cui dixerunt pater & mater sua: Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philisthiim, qui incircumcisi sunt? Dixitque Samson ad patrem suum: Hanc mihi accipe: quia placuit oculis meis.

4. Parentes autem ejus nesciebant quod res a Domino fieret, & quæreret occasionem (*b*) contra Philisthiim: eo enim tempore Philisthiim dominabantur Israeli.

5. Descendit itaque Samson cum patre suo & matre in Thamnatha. Cumque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis (*c*) sævus & rugiens, & occurrit ei.

6. Irruit autem Spiritus (*d*) Domini in Samson, & dilaceravit leonem, quasi hædum in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu: & hoc patri & matri noluit indicare.

7. De-

4. (*b*) Quod speciale mandatum haberet ducendi Philisthinam contra legem Mosi.

5. (*c*) Cœpit liberare, non perfecit: post ejus mortem Israel a jugo Philisthæorum fuit liberatum.

15. & 18. (*d*) Coquamus tibi in cibum. *Mirabile* Occultum.

19. (*e*) Eo modo quo solent Laici offerre per Sacerdotes: Angelus enim proprie Deo sacrificavit: Non comedam panes tuos: nec cibo egeo, nec sacrificium acceptare possum, illud naturæ humanæ convenit; hoc ad unum Deum pertinet.

20. (*f*) Sic indicare voluit quis esset. Augustin. quæst. 54. *Quod fecit Angelus in altaris flamma, magis significasse intelligendum est illum magni consilii Angelum in forma servi, hoc est, in homine quem suscepturus erat, non accepturum sacrificium, sed ipsum sacrificium futurum.*

25. (*g*) Quod in agro Saraa habitare voluisse Samson. Josephus *fortem*, Hieronymus *solem* interpretatur. Typus fuit Christi, veri solis justitiæ, qui nova luce omnes recreavit; cujus nomen ex Isaiæ cap. 9. est *admirabile*, quique Nazaræus vocatus est.

CAPUT XIV. 1. (*a*) Oppidum fuit in monte Ephraim, in confinio Dan, Juda, & Ephraim, versus mare, cujus fit mentio Genes. 38. & Josue 15. Prohibentur Exod. 34. cum Chananæis connubia: sed veri a. liquet id factum Deo aspirante.

4. (*b*) Paulatim se exercebat ad heroica facta. *Parentes ejus nesciebant*: Itaque instinctu divino, aut ex peculiari revelatione Samson tum se gerebat.

5. (*c*) Augustin. in Psalm. 88. variis in locis hunc eventum ut typum eorum quæ acciderunt, cum prædicari cœpit Evangelium, nobis exhibet: cum scilicet Christus sponsam quærere voluit inter gentes, quæ instar leonis fremebant. *O cita autem illa senuate, jam in ipso regno gentium invenimus leges pro Ecclesia tamquam favum in ore leonis.*

6. (*d*) Fortitudinis contra hostes populi Israelitici, cujus specimen edidit in leonis interfectione: utebatur ea fortitudine incitante Domino.

7. Descenditque & locutus est mulieri, quæ placuerat oculis ejus.

8. Et post aliquot dies revertens ut acciperet eam, declinavit ut videret cadaver leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis.

9. Quem cum sumpsisset in manibus, comedebat in via: veniensque ad patrem suum & matrem, dedit eis partem, qui & ipsi comederunt: nec tamen eis voluit indicare quod mel de corpore leonis assumpserat.

10. Descendit itaque pater ejus ad mulierem, & fecit filio suo Samson convivium: sic enim juvenes facere consueverant.

11. Cum ergo cives loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta (e) ut essent cum eo.

12. Quibus locutus est Samson: Proponam vobis problema: quod si solveritis mihi intra septem dies convivii, dabo vobis triginta sindones, & totidem tunicas:

13. Sin autem non potueritis solvere, vos dabitis mihi triginta sindones, & ejusdem numeri tunicas. Qui responderunt ei: Propone problema, ut audiamus.

14. Dixitque eis: De comedente exivit cibus (f), & de forti egressa est dulcedo. Nec potuerunt per tres dies propositionem solvere.

15. Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem Samson: Blandire viro tuo, & suade ei ut indicet tibi quid significet problema: quod si facere nolueris, incendemus te, & domum patris tui. An idcirco vocastis nos ad nuptias ut spoliaretis?

16. Quæ fundebat apud Samson lacrymas, & querebatur dicens: Odisti me, & non diligis: idcirco problema, quod proposuisti filiis populi mei, non vis mihi exponere. At ille respondit: Patri meo & matri nolui dicere: & tibi indicare potero?

17. Septem igitur diebus convivii flebat ante eum: tandemque die septimo cum ei esset molesta, exposuit. Quæ statim indicavit civibus suis.

18. Et illi dixerunt ei die septimo ante solis occubitum: Quid dulcius melle, & quid fortius leone? Qui ait ad eos: Si non arasetis in vitula (g) mea, non invenissetis propositionem meam.

19. Irruit itaque in eum Spiritus Domini, descenditque Ascalonem, & percussit ibi triginta viros. Quorum ablatas vestes dedit iis, qui problema solverant. Iratusque nimis ascendit in domum patris sui.

20. Uxor autem ejus accepit maritum unum de amicis ejus & pronubis.

CAPUT XV.

Per vulpes 300. Philisthæorum segetes incendit, & alia iis infert mala, quæ hoc capite referuntur.

1. POst aliquantulum autem temporis, cum dies triticeæ messis instarent, venit Samson, invisere volens uxorem suam, & attulit ei hædum de capris. Cumque cubiculum ejus solito vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens:

2. Putavi quod odisses eam, & ideo tradidi illam amico tuo: sed habet sororem, quæ junior & pulcrior illa est, sit tibi pro ea uxor.

3. Cui Samson respondit: Ab hac die non erit culpa (a) in me contra Philisthæos: faciam enim vobis mala.

4. Perrexitque & cepit trecentas vulpes (b), caudasque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio:

5. Quas igne succendens, dimisit, ut huc illucque discurrerent. Quæ statim perrexerunt in segetes Philisthinorum. Quibus succensis, & comportatæ jam fruges, & adhuc stantes in stipula, concrematæ sunt, in tantum, ut vineas quoque & oliveta flamma consumeret.

6. Dixeruntque Philisthiim: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum est: Samson gener Thamnathæi: quia tulit uxorem ejus, & alteri tradidit, hæc operatus est. Ascenderuntque Philisthiim: & combusserunt tam mulierem quam patrem ejus.

7. Quibus ait Samson: Licet (c) hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam ultionem, & tunc quiescam.

8. Percussitque eos ingenti plaga, ita ut stupentes suram femori imponerent (d). Et descendens habitavit in spelunca petræ Etam.

9. Igitur ascendentes Philisthiim in Terram Juda castrametati sunt in loco, qui postea vocatus est Lechi, id est, maxilla, ubi eorum effusus est exercitus.

10. Dixeruntque ad eos de tribu Juda: Cur ascendistis adversum nos? Qui responderunt: Ut ligemus Samson, venimus, & reddamus ei quæ in nos operatus est.

11. Descenderunt ergo tria millia virorum de Juda, ad specum silicis Etam, dixeruntque ad Samson: Nescis quod Philisthiim imperent nobis? quare hoc facere voluisti? Quibus ille ait: Sicut fecerunt mihi, sic feci eis.

12. Ligare, inquiunt, te venimus, & tradere in manus Philisthinorum. Quibus Samson, Jurate, ait, & spondete mihi quod non occidatis me.

13. Di-

---

11. (e) Specie honoris: sed erant custodum loco.

14. (f) Augustin. Serm. 117. de temp. *Per mortuum leonem intellige Christum mortuum, e quo examen apum, seu fidelium, & dulcissimum mel exartum.*

18. (g) Si conjuge mea vestris blanditiis & minis ad vestra commoda non usi essetis, non *invenissetis propositionem meam*. August. serm. 107. de temp. *Utinam tam cautus ad servandam gratiam, tamque prudens ad cavendam mulierem, quam fortis ad superandam bestiam.*

CAP. XV. 1. (a) Prætextu privatæ injuriæ, publicam ultus est, ut Philisthæi in Israelitas non auderent adeo sævire. *Faciam vobis mala*, Hebr. *Si facero ego illis malum*.

4. (b) Palæstina vulpibus abundat: in iis capiendis forte aliorum opera usus est: Deo adjuvante 101 vulpes captæ sunt. *Et faces ligavit in medio*: tædas forte ex lignis resinosis: August. in Psalm. 8. *Vulpes, insidiosos, maximeque hæreticos significant, dolosos, fraudulentos, cavernosis anfractibus latentes & decipientes.*

7. (c) Hebr. *Si fecissetis sicut hoc; si occidissetis patrem & mulierem, supple, amica; parcerem vobis.*

8. (d) Qui habitus est præ marore stupentium: *Percussit eos plaga magna*. LXX. *Percussit eos in tibia supra femur*, juxta femur. Hebr. percussit eos in coxa una cum femore.

13. Dixerunt: Non te occidemus, sed vinctum trademus. Ligaveruntque eum duobus novis funibus, & tulerunt eum de petra Etam.

14. Qui cum venisset ad locum Maxillæ, & Philisthiim vociferantes occurrissent ei, irruit Spiritus Domini in eum: & sicut solent ad odorem ignis lina consumi, ita vincula quibus ligatus erat, dissipata sunt, & soluta.

15. Inventamque maxillam, id est, mandibulam (e) asini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros,

16. Et ait: In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum delevi eos, & percussi mille viros.

17. Cumque hæc verba canens complesset, projecit mandibulam de manu, & vocavit nomen loci illius Ramathlechi, quod interpretatur elevatio maxillæ.

18. Sitiensque valde, clamavit ad Dominum, & ait: Tu dedisti (f) in manu servi tui salutem hanc maximam, atque victoriam: en siti morior, incidamque in manus incircumcisorum.

19. Aperuit itaque Dominus molarem dentem (g) in maxilla asini, & egressæ sunt ex eo aquæ. Quibus haustis, refocillavit spiritum, & vires recepit. Idcirco appellatum est nomen loci illius, Fons invocantis de maxilla, usque in præsentem diem.

* Inf. 16. 31. 20. Judicavitque Israel in diebus Philisthiim viginti annis. *

CAPUT XVI.

Samson Gaza portas in montem sustulit; consuetudo cum Dalila illi exitio fuit; ab ea detonsus pristinum robur amisit; excæcatus a Philisthæis, recuperata cum crinibus fortitudine, 3000. hostes moriens interemit.

1. Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem (a), ingressusque est ad eam.

2. Quod cum audissent Philisthiim, & percrebuisset apud eos, intravisse urbem Samson, circumdederunt eum, positis in porta civitatis custodibus: & ibi tota nocte cum silentio præstolantes, ut facto mane exeuntem occiderent.

3. Dormivit autem Samson usque ad medium noctis: & inde consurgens, apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis, & sera, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron.

4. Post hæc amavit mulierem (b), quæ habitabat in Valle Sorec, & vocabatur Dalila.

5. Veneruntque ad eam principes Philisthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & disce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quo modo eum superare valeamus & vinctum affligere: quod si feceris, dabimus tibi singuli mille & centum argenteos.

6. Locuta est ergo Dalila ad Samson: Dic mihi, obsecro, in quo sit tua maxima fortitudo, & quid sit quo ligatus erumpere nequeas.

7. Cui respondit Samson: Si septem nerviceis funibus (c) necdum siccis, & adhuc humentibus, ligatus fuero, infirmus ero, ut ceteri homines.

8. Attuleruntque ad eam satrapæ Philisthinorum septem funes, ut dixerat: quibus vinxit eum,

9. Latentibus apud se insidiis, & in cubiculo finem rei expectantibus, clamavitque ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui rupit vincula, quo modo si rumpat quis filum de stuppæ tortum putamine (d), cum odorem ignis acceperit: & non est cognitum in quo esset fortitudo ejus.

10. Dixitque ad eum Dalila: Ecce illusisti mihi, & falsum locutus es: saltem nunc indica mihi quo ligari debeas.

11. Cui ille respondit: Si ligatus fuero novis funibus, qui numquam fuerunt in opere, infirmus ero, & aliorum hominum similis.

12. Quibus rursum Dalila vinxit eum, & clamavit: Philisthiim super te Samson, in cubiculo insidiis præparatis. Qui ita rupit vincula quasi fila telarum.

13. Dixitque Dalila rursum ad eum: Usquequo decipis me, & falsum loqueris? ostende quo vinciri debeas. Cui respondit Samson: Si septem crines (e) capitis mei cum licio plexueris, & clavum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero.

14. Quod cum fecisset Dalila, dixit ad eum: Philisthiim super te Samson. Qui consurgens de somno extraxit clavum cum crinibus & licio.

15. Dixitque ad eum Dalila: Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, & noluisti dicere in quo sit maxima fortitudo tua.

16. Cumque molesta esset ei, & per multos dies jugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, & ad mortem usque lassata est.

17. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: Ferrum numquam ascendit super caput meum, quia nazaræus, id est, consecratus Deo sum de utero matris meæ: si rasum (f) fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, & deficiam, eroque sicut ceteri homines.

18. Vi-

15. & 16. (e) Per mandibulam totum caput intelligit Musiara: satis procera sunt asini in iis locis. Aliis videtur totum cranium Simsonis.

18 (f) Samson licet humanis affectibus plus satis obnoxius, fidem tamen habuit cum humilitate conjunctam, qua cuncta Deo referebat accepta, & spem omnem suam in eo ponebat.

19 (g) Hebr. המכתש hammaltes, cavitatem, seu alveolum molaris dentis, seu gingivam, aperuit Dominus. *Fons invocantis de maxilla:* Hebr. *Fons invocantis, qui est in Lechi, usque ad diem hanc;* significat fontem perennem eo in loco postea extitisse, qui vocatur *Lechi* לחי id est, maxilla.

CAPUT XVI. 1. (a) Sic vertunt LXX. Chald. Cauponariam. Lex vetat mulieres Israelitas esse meretrices.

4. & 5. (b) Quæ uxor illius fuit. *Argenteos:* LXX. supplent siclos

7. (c) Hebr. *viminibus*, seu virgis virentibus. Iniquum postulatum mendacio eludit, ut fieri solet inter amantes.

9. (d) E filo vili: hæ duæ voces desunt in Hebræo, & in LXX.

13. (e) Hebr. *Machlephot*, מחלפות, *Cincinnos*. Quæritur an Samson graviter peccaverit seipsum occidendo cum Philisthæis. Resp. peccasse quod ille consecrationis suæ arcanum mulieri aperuerit; crebra quoque mendacia mulieris illecebris illinatus fecit: *Si septem crines capitis mei cum licio plexueris:* quo textores telam involvunt; *& clavum his circumligatum terræ fixeris:* hæc duo postrema verba desunt in Hebræo.

17. (f) Fœdere violato, quod ei cum Deo intercedebat.

18. Vidensque illa quod confessus ei esset omnem animum suum, misit ad principes Philisthinorum, ac mandavit: Ascendite adhuc semel, quia nunc mihi aperuit cor suum. Qui ascenderunt, assumpta pecunia, quam promiserant.

19. At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput. Vocavitque tonsorem, & rasit septem crines ejus, & cœpit abigere eum, & a se repellere: statim enim ab eo fortitudo discessit:

20. Dixitque: Philisthiim super te Samson. Qui de somno consurgens, dixit in animo suo: Egrediar sicut ante feci, & me excutiam, nesciens quod recessisset ab eo Dominus.

21. Quem cum apprehendissent Philisthiim, statim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.

22. Jamque capilli ejus renasci cœperant,

23. Et principes Philisthinorum convenerunt in unum ut immolarent hostias magnificas Dagon deo suo, & epularentur, dicentes: Tradidit deus noster inimicum nostrum Samson in manus nostras.

24. Quod etiam populus videns, laudabat deum suum, eademque dicebat: Tradidit deus noster adversarium nostrum in manus nostras, qui delevit terram nostram, & occidit plurimos.

25. Lætantesque per convivia, sumptis jam epulis, præceperunt ut vocaretur Samson, & ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos, feceruntque eum stare inter duas columnas.

26. Qui dixit puero regenti gressus suos: Dimitte me, ut tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & recliner super eas, & paululum requiescam.

27. Domus (*g*) autem erat plena virorum ac mulierum, & erant ibi omnes principes Philisthinorum, ac de tecto & solario circiter tria millia utriusque sexus spectantes ludentem Samson.

28. At ille invocato Domino ait: Domine Deus, memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus meus, ut ulciscar me de hostibus meis, & pro amissione duorum luminum unam ultionem recipiam.

29. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, & alteram læva tenens,

30. Ait: Moriatur (*h*) anima mea cum Philisthiim. Concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes, & ceteram multitudinem, quæ ibi erat: multoque plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat.

31. Descendentes autem fratres ejus & universa cognatio tulerunt corpus ejus, & sepelierunt inter Saraa & Esthaol in sepulcro patris sui Manue: judicavitque Israel viginti annis.

CAPUT XVII.

In hoc capite, incerti temporis narratur historia. Mater Michæ conflavit illi idolum, cum Lais occupata fuit a Danitis.

1. FUit eo tempore (*a*) vir quidam de monte Ephraim nomine Michas,

2. Qui dixit matri suæ: Mille & centum argenteos, quos separaveras tibi, & super quibus me audiente juraveras (*b*), ecce ego habeo, & apud me sunt. Cui illa respondit: Benedictus filius meus Domino.

3. Reddidit ergo eos matri suæ, quæ dixerat ei: Consecravi & vovi hoc argentum Domino, ut de manu mea suscipiat filius meus, & faciat sculptile atque conflatile: & nunc trado illud tibi.

4. Reddidit igitur eos matri suæ: quæ tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, ut faceret ex eis sculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michæ.

5. Qui ædiculam quoque in ea Deo separavit, & fecit ephod, & theraphim (*c*), id est, vestem sacerdotalem, & idola: implevitque unius filiorum suorum manum, & factus est ei sacerdos.

6. In diebus illis non erat rex (*d*) in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.

7. Fuit quoque alter adolescens (*e*) de Bethlehem Juda, ex cognatione ejus: eratque ipse Levites, & habitabat ibi.

8. Ingressusque de civitate Bethlehem, peregrinari voluit ubicumque sibi commodum repperisset. Cumque venisset in montem Ephraim, iter faciens, & declinasset parumper in domum Michæ,

9. Interrogatus est ab eo unde venisset. Qui respondit: Levita sum de Bethlehem Juda, & vado ut habitem ubi potuero, & utile mihi esse perspexero.

10. Di-

27. (*g*) Palatium erat amplum, ac forte Templum Dagon.

30. (*h*) Redditum est pristinum robur; nec privatam, sed publicam ultus est injuriam. August. contra Gaudentium L. 1. *De Samson aliud vobis non est fas credere, nisi quia Spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat*. Paulinus Epist. 4. *In Samsonis morte divum Sacramenta mysterii prælineata mirabimur, quia quod scriptum est, plures illum hostes stravisse morientem, principe loco eam dominicæ passionis interpretandam, qua diaboli domus cecidit, & regnum mortis solutum est*. Quæ sequuntur, ea multis videntur adjecta ab Auctore hagiographo, fere ut Liber Ruth, idque styli similitudo suadet: sunt eventus quidam in Libro Judicum prætermissi.

CAPUT XVII. 1. (*a*) Hæc duo verba desunt in Hebræo, sed ab interprete sunt addita. Ista, ante aut post Othonielis tempora contigisse nonnulli verisimilius putant, quam post Samsonem; nam ex cap. sequenti tribus Dan sortem suam nondum acceperat plenam, quam Samson Judex curasset suppleri. Deinde Jonathan vocatur ille Levites filius Gerson, filii Mosi, qui puer appellatur cap. 18. nec Scriptura semper temporum servat ordinem. *De monte Ephraim*: de Montanis. *Mille & centum argenteos*, siclos, *quos separaveras*, forsan quos furto sustuleras.

2. (*b*) Καὶ με ἐφ... *Et me devoveras*: diris eum devoverat, qui pecuniam illam haberet.

5. (*c*) Idolum humanæ figuræ. *Implevitque unius filiorum suorum manum*: unus Hebr. Idem est ac primas; implere manum, est consecrare; vel hostias tradidit filio ut offerret. *Theraphim* Græce simulacra, quæ formam habere Cherubinorum censet Hieronymus in Epist. ad Marcellam. Atque hæc vox media est inter bonas & malas imagines: *Et factus est ei Sacerdos*. Forsan sibi persuasit Michas privata religione colendum esse Deum, quod Sacerdotes officio suo defungi non possent ob itinera latronibus infesta. Ita suspicatur Grotius.

6. (*d*) Vox Regis latiore significatu sumitur pro judice, aut dictatore.

7. (*e*) In Hebr. *Et fuit puer*: vox alter deest. *Ex cognatione ejus*, Juda, qui habitabat in tribu Juda, vel quæ Bethlehem pertinebat ad familiam, seu tribum Juda.

10. Dixitque Michas : Mane apud me , & esto mihi parens ac sacerdos : daboque tibi per annos singulos decem argenteos , ac vestem duplicem , & quæ ad victum sunt necessaria.

11. Acquievit , & mansit apud hominem , fuitque illi quasi unus de filiis.

12. Implevitque Michas manum ejus , & habuit puerum sacerdotem apud se.

13. Nunc scio , dicens , quod benefaciet mihi Deus habenti Levitici generis sacerdotem.

C A P U T XVIII.

Sexcenti viri e tribu Dan ablato Michæ idolo una cum sacerdote urbem Lais ceperunt , ubi idololatria fuit excitata.

1. IN diebus illis non erat rex in Israel , & tribus Dan quærebat possessionem sibi , ut habitaret in ea : usque ad illum enim diem inter ceteras tribus sortem non acceperat (*a*).

2. Miserunt ergo filii Dan , stirpis & familiæ suæ quinque viros fortissimos de Saraa & Esthaol , ut explorarent terram , & diligenter inspicerent: dixeruntque eis : Ite , & considerate terram . Qui cum pergentes venissent in montem Ephraim , & intrassent domum Michæ , requieverunt ibi :

3. Et agnoscentes vocem adolescentis Levitæ , utentesque illius diversorio , dixerunt ad eum : Quis te huc adduxit ? quid hic agis ? quam ob causam huc venire voluisti ?

4. Qui respondit eis : Hæc & hæc præstitit mihi Michas , & me mercede conduxit , ut sim ei sacerdos.

5. Rogaverunt autem eum , ut consuleret (*b*) Dominum , ut scire possent an prospero itinere pergerent , & res haberet effectum.

6. Qui respondit eis : Ite in pace : Dominus respicit viam vestram , & iter quo pergitis.

7. Euntes igitur quinque viri venerunt (*c*) Lais : videruntque populum habitantem in ea absque ullo timore , juxta consuetudinem Sidoniorum , securum & quietum , nullo ei penitus resistente , magnarumque opum , & procul a Sidone atque a cunctis hominibus separatum.

8. Reversique ad fratres suos in Saraa & Esthaol , & quid egissent sciscitantibus responderunt :

9. Surgite , ascendamus ad eos : vidimus enim terram valde opulentam & uberem : nolite negligere , nolite cessare . Eamus , & possideamus eam , nullus erit labor.

10. Intrabimus ad securos , in regionem latissimam , tradetque nobis Dominus locum , in quo nullius rei est penuria eorum , quæ gignuntur in terra.

11. Profecti igitur sunt de cognatione Dan , id est , de Saraa & Esthaol sexcenti viri accincti armis bellicis.

12. Ascendentesque manserunt in Carjathjarim Judæ : qui locus ex eo tempore Castrorum Dan nomen accepit , & est post tergum Carjathjarim.

13. Inde transierunt in montem Ephraim . Cumque venissent ad domum Michæ ,

14. Dixerunt quinque viri , qui prius missi fuerant ad considerandam terram Lais , ceteris fratribus suis : Nostis quod in domibus istis sit ephod , & theraphim , & sculptile , atque conflatile : videte quid vobis placeat.

15. Et cum paullulum declinassent , ingressi sunt domum adolescentis Levitæ , qui erat in domo Michæ : salutaveruntque eum verbis pacificis.

16. Sexcenti autem viri ita ut erant armati , stabant ante ostium.

17. At illi , qui ingressi fuerant domum juvenis , sculptile , & ephod , & theraphim , atque conflatile tollere nitebantur , & sacerdos stabat ante ostium , sexcentis viris fortissimis haud procul expectantibus.

18. Tulerunt igitur qui intraverant , sculptile , ephod , & idola , atque conflatile . Quibus dixit sacerdos : Quid facitis ?

19. Cui responderunt : Tace , & pone digitum super os tuum : venique nobiscum , ut habeamus te patrem , ac sacerdotem . Quid tibi melius est , ut sis sacerdos in domo unius viri , an in una tribu & familia in Israel :

20. Quod cum audisset , acquievit sermonibus eorum , & tulit ephod , & idola , ac sculptile , & profectus est cum eis.

21. Qui cum pergerent , & ante se ire fecissent parvulos ac jumenta , & omne quod erat pretiosum ,

22. Et jam a domo Michæ essent procul , viri qui habitabant in ædibus Michæ conclamantes secuti sunt ,

23. Et post tergum clamare cœperunt . Qui cum respexissent , dixerunt ad Micham : Quid tibi vis ? cur clamas ?

24. Qui respondit : Deos meos , quos mihi feci , tulistis , & sacerdotem , & omnia quæ habeo , & dicitis : Quid tibi est ?

25. Dixeruntque ei filii Dan : Cave ne ultra loquaris ad nos , & veniant ad te viri animo concitati , & ipse cum omni domo tua pereas.

26. Et sic cœpto itinere perrexerunt . Videns autem Michas , quod fortiores se essent , reversus est in domum suam.

27. Sexcenti autem viri tulerunt sacerdotem , & quæ supra diximus : veneruntque in Lais ad populum quiescentem atque securum , & percusserunt eos in ore gladii : urbemque incendio tradiderunt ,

28. Nullo penitus ferente præsidium , eo quod procul habitarent a Sidone , & cum nullo hominum haberent quidquam societatis , ac negotii . Erat autem civitas sita in regione Rohob : quam rursum extruentes habitaverunt in ea ,

29. Vocato nomine civitatis Dan juxta vocabulum patris sui , quem genuerat Israel , quæ prius Lais dicebatur.

30. Po-

CAPUT XVIII. 1. (*a*) Non ei tanta portio , quanta opus erat pro hominum multitudine , contigerat , Danitis enim angusti fines erant.

5. (*b*) Verum Deum a Micha coli putarunt.

7. (*c*) Lais , quæ postea vocata est Dan.

30. Posueruntque sibi sculptile, & Jonathan filium Gersam filii (d) Moysi, ac filios ejus sacerdotes in tribu Dan, usque ad diem captivitatis suæ.

31. Mansitque (e) apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis non erat rex in Israel.

CAPUT XIX.

Hoc caput infandum scelus adversus uxorem Levitæ admissum a Benjamitis continet.

1. FUit (a) quidam vir Levites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem de Bethlehem Juda:

2. Quæ reliquit (b) eum, & reversa est in domum patris sui in Bethlehem, mansitque apud eum quatuor mensibus.

3. Secutusque est eam vir suus: volens reconciliari ei, atque blandiri, & secum reducere, habens in comitatu puerum & duos asinos: quæ suscepit eum, & introduxit in domum patris sui. Quod cum audisset socer ejus, eumque vidisset, occurrit ei lætus,

4. Et amplexatus est hominem. Mansitque gener in domo soceri tribus diebus, comedens cum eo & bibens familiariter.

5. Die autem quarto de nocte consurgens, proficisci voluit. Quem tenuit socer, & ait ad eum: Gusta prius pauxillum panis, & conforta stomachum, & sic proficisceris.

6. Sederuntque simul, ac comederunt & biberunt. Dixitque pater puellæ ad generum suum: Quæso te ut hodie hic maneas, pariterque lætemur.

7. At ille consurgens, cœpit velle proficisci. Et nihilominus obnixe eum socer tenuit, & apud se fecit manere.

8. Mane autem facto, parabat Levites iter. Cui socer rursum: Oro te, inquit, ut paululum cibi capias, & assumptis viribus, donec increscat dies, postea proficiscaris. Comederunt ergo simul.

9. Surrexitque adolescens, ut pergeret cum uxore sua & puero. Cui rursum locutus est socer: Considera quod dies ad occasum declivior sit, & propinquat ad vesperum: mane apud me etiam hodie, & duc lætum diem, & cras proficisceris, ut vadas in domum tuam.

10. Noluit gener acquiescere sermonibus ejus: sed statim perrexit, & venit contra Jebus, quæ altero nomine vocatur Jerusalem, ducens secum duos asinos onustos, & concubinam.

11. Jamque erant juxta Jebus, & dies mutabatur in noctem: dixitque puer ad dominum suum: Veni, obsecro, declinemus ad urbem Jebusæorum, & maneamus in ea.

12. Cui respondit dominus: Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non est de filiis Israel, sed transibo usque Gabaa:

13. Et cum illuc pervenero, manebimus in ea, aut certe in urbe Rama.

14. Transierunt ergo Jebus, & cœptum carpebant iter, occubuitque eis sol juxta Gabaa, quæ est in tribu Benjamin:

15. Diverteruntque ad eam, ut manerent ibi. Quo cum intrassent, sedebant in platea civitatis, & nullus eos recipere voluit hospitio.

16. Et ecce, apparuit homo senex, revertens de agro & de opere suo vesperi, qui & ipse de monte erat Ephraim, & peregrinus habitabat in Gabaa. Homines autem regionis illius erant filii Jemini (c).

17. Elevatisque oculis, vidit senex sedentem hominem cum sarcinulis suis in platea civitatis: & dixit ad eum: Unde venis? & quo vadis?

18. Qui respondit ei: Profecti sumus de Bethlehem Juda, & pergimus ad locum nostrum, qui est in latere montis Ephraim, unde ieramus in Bethlehem: & nunc vadimus ad domum Dei, nullusque sub tectum suum nos vult recipere,

19. Habentes paleas & fœnum in asinorum pabulum, & panem ac vinum in meos & ancillæ tuæ usus, & pueri qui mecum est: nulla re indigemus nisi hospitio.

20. Cui respondit senex: Pax tecum sit, ego præbebo omnia quæ necessaria sunt: tantum, quæso, ne in platea maneas.

21. Introduxitque eum in domum suam, & pabulum asinis præbuit: ac postquam laverunt pedes suos, recepit eos in convivium.

22. Illis epulantibus, & post laborem itineris, cibo & potu reficientibus corpora, venerunt viri civitatis illius, filii Belial, (id est, absque jugo) & circumdantes domum senis, fores pulsare cœperunt, clamantes ad dominum domus, atque dicentes: * Educ virum, * Gen. 19. 5.
qui ingressus est domum tuam, ut abutamur eo.

23. Egressusque est ad eos senex, & ait: Nolite, fratres, nolite facere malum hoc, quia ingressus est homo hospitium meum, & cessate ab hac stultitia:

24. Habeo (d) filiam virginem, & hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, ut humilietis eas, & vestram libidinem compleatis: tantum, obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum.

25. Nole-

30. (d) Hebræi & LXX. loco Mosi legunt Manasse: sed cum esset Levita, videtur legendum Mosi, nisi iste homo fuerit Manasses nomine. *Usque ad diem captivitatis suæ.* cum arca a Philisthæis capta est; non de captivitate decem tribuum loquitur. Non enim est credibile tempore Samuelis, Davidis & Salomonis idololatriam viguisse in tribu Dan, cum 1 Reg. 7. scriptum sit: *Quod omnis Israel requiesceret post Dominum, & serviret Deo soli.* Quod si Jonathan ille fuit nepos Mosis, necesse est ut brevi post Josue tempore hæc contigerint; sed magna sæpe occurrit in propriis nominibus varietas. Nec minus est probabile, hanc historiam circa Heli tempora accidisse.

31. (e) Tum vero mors Heli Sacerdotis contigit, postea Arca, quæ Domus Dei appellatur, e Silo translata est.

CAP XIX. 1. (a) Id superiori tempore contigit: nam Phinees filius Eleazari erat summus Sacerdos.

2. (b) Forte Vulgatus interpres legit olim Tiznach, תזנח, quod deserere significat, pro quo hodie legitur Tizne, תזנה, Hebr. *Fornicata est super eum*: apud eum Chald. *Contempsit eum.* Ambr. Lib. 3. de Offic. cap. 19. *Irata concubina ejus, & quibusdam, ut fieri solet, offensa rebus, redit in domum patris sui in Bethlehem Judæ.*

16. & 18. (c) E tribu Benjamin ac pessimi. *Domum*, quæ erat in Silo.

24 (d) Horrore criminis perculsus homo ille ut Lot, filiam prostituit, sed minus juste, aut prudenter: non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona. *Et hic homo habet concubinam*: quæ tamen vers. 1. uxor dicta est: concubina dicebatur, cum solemnes ritus non adhibiti fuerant: neque hæ voces uxoris & concubinæ inter se adeo pugnabant.

25. Nolebant acquiescere sermonibus illius: Quod cernens homo, eduxit ad eos concubinam suam, & eis tradidit illudendam: qua cum tota nocte abusi essent, dimiserunt eam mane.

26. At mulier, recedentibus tenebris, venit ad ostium domus, ubi manebat dominus suus, & ibi corruit.

27. Mane facto, surrexit homo, & aperuit ostium, ut cœptam expleret viam: & ecce concubina ejus jacebat ante ostium, sparsis in limine manibus.

28. Cui ille, putans eam quiescere, loquebatur; Surge, & ambulemus. Qua nihil respondente, intelligens quod erat mortua, tulit eam, & imposuit asino, reversusque est in domum suam,

29. Quam cum esset ingressus, arripuit gladium, & cadaver uxoris cum ossibus suis in duodecim partes ac frusta concidens, misit in omnes terminos Israel.

30. Quod cum vidissent singuli, conclamabant: Numquam res talis facta est in Israel, ex eo die quo ascenderunt patres nostri de Ægypto, usque in præsens tempus: ferte sententiam, & in commune decernite quid facto opus sit.

CAPUT XX.

Bellum ab Israelitis contra Benjamitas susceptum describitur.

1. EGressi itaque sunt omnes filii Israel, & pariter congregati, quasi vir unus, * de Dan usque Bersabee, & Terra Galaad, ad Dominum in Masphâ (a):

* Osee 9. 9.

2. Omnesque anguli populorum, & cunctæ tribus Israel in ecclesiam populi Dei convenerunt, quadraginta millia peditum pugnatorum.

3. (Nec latuit filios Benjamin, quod ascendissent filii Israel in Maspha.) Interrogatusque Levita, maritus mulieris interfectæ, quomodo tantum scelus perpetratum esset,

4. Respondit: Veni in Gabaa Benjamin cum uxore mea, illucque diverti:

5. Et ecce homines civitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, & uxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua est.

6. Quam arreptam, in frusta concidi, misique partes in omnes terminos possessionis vestræ: quia numquam tantum nefas, & tam grande piaculum factum est in Israel.

7. Adestis omnes filii Israel, decernite quid facere debeatis.

8. Stansque omnis populus, quasi unius hominis sermone respondit: Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisquam intrabit domum:

9. Sed hoc contra Gabaa in commune faciamus.

10. Decem viri eligantur e centum ex omnibus tribubus Israel, & centum de mille: & mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, & possimus pugnare contra Gabaa Benjamin, & reddere ei pro scelere, quod meretur.

11. Conveniтque universus Israel ad civitatem, quasi homo unus, eadem mente, unoque consilio.

12. Et miserunt (b) nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum est?

13. Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur, & auferatur malum de Israel. Qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israel audire mandatum:

14. Sed ex cunctis urbibus, quæ sortis suæ erant, convenerunt in Gabaa, ut illis ferrent auxilium, & contra universum populum Israel dimicarent.

15. Inventique sunt viginti quinque millia de Benjamin educentium gladium, præter habitatores Gabaa,

16. Qui septingenti erant viri fortissimi, ita sinistra ut dextra præliantes: & sic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoque possent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.

17. Virorum quoque Israel, absque filiis Benjamin, inventa sunt quadringenta millia educentium gladios, & paratorum ad pugnam.

18. Qui surgentes venerunt in domum Dei, hoc est, in Silo: consuluerunt que Deum, atque dixerunt: Quis erit (c) in exercitu nostro princeps certaminis contra filios Benjamin? Quibus respondit Dominus: Judas sit dux vester.

19. Statimque filii Israel surgentes mane, castrametati sunt juxta Gabaa:

20. Et inde procedentes ad pugnam contra Benjamin, urbem oppugnare cœperunt.

21. Egressique filii Benjamin de Gabaa, occiderunt (d) de filiis Israel die illo viginti duo millia virorum.

22. Rursum filii Israel & fortitudine & numero confidentes, in eodem loco, in quo prius certaverant, aciem direxerunt:

23. Ita tamen ut prius ascenderent & flerent coram Domino usque ad noctem: consuluerentque eum, & dicerent: Debeo ultra procedere ad dimicandum contra filios Benjamin fratres meos, an non? Quibus ille respondit: Ascendite (e) ad eos, & inite certamen.

24. Cumque filii Israel altera die contra filios Benjamin ad prælium processissent:

25. Etu-

CAP. XX. 1. & 2. (a) Ad eum consulendum: Maspha non procul erat a Silo: Maspha erat in tribu Benjamin, cum altera ejusdem nominis esset in Galaadite. *Anguli populorum*: principes populi.

12. (b) Id prudenter factum: sed Benjamitæ hoc facinus defendentes, magno se crimine contaminarant.

18. (c) Deum prius consulere debebant, an bellum esset suscipiendum.

21. (d) Vel ob idololatriæ crimen, quod in tribu Dan publicum erat, vel potius quod in numero & fortitudine sua confiderent, ut dicitur vers. 22. non in divino auxilio. Deinde locum ad pugnam minus commodum elegerant. Aliam adde rationem Hieronymus scribens in Prophetam Osee c. 10. Dant, inquit, *fecerunt iniquitates, vindicando hominem, & Dei sui injuriam negligendo.*

23. (e) Nondum victoriam pollicetur; unde & altitudinem judiciorum Dei admiratur Bernardus lib. 2. de Consid. cap. 1. nos adiit; sed quo inferiores certamine, eo fide superiores inventi sunt.

25. Eruperunt filii Beojamin de portis Gabaa: & occurrentes eis, tanta in illos cæde bacchati sunt, ut decem & octo millia virorum educentium gladium prosternerent.

26. Quamobrem omnes filii Israel venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino: jejunaveruntque die illo usque ad vesperam, & obtulerunt (*f*) ei holocausta, atque pacificas victimas,

27. Et super statu suo interrogaverunt. Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei,

28. Et Phinees filius Eleazari filii Aaron præpositus domus. Consuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt: Exire ultra debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres nostros, an quiescere? Quibus ait Dominus: Ascendite (*g*), cras enim tradam eos in manus vestras.

29. Posueruntque filii Israel insidias per circuitum urbis Gabaa:

30. Et tertia vice, sicut semel & bis, contra Benjamin exercitum produxerunt.

31. Sed & filii Benjamin audacter eruperunt de civitate, & fugientes adversarios longius persecuti sunt, ita ut vulnerarent ex eis sicut primo die & secundo, & cæderent per duas semitas vertentes terga, quarum una ferebatur in Bethel, & altera in Gabaa, atque prosternerent triginta circiter viros:

32. Putaverunt enim solito eos more cædere. Qui fugam arte simulantes, inierunt consilium ut abstraherent eos de civitate, & quasi fugientes ad supradictas semitas perducerent.

33. Omnes itaque filii Israel surgentes de sedibus suis, tetenderunt aciem in loco, qui vocatur Baalthamar. Insidiæ quoque, quæ circa urbem erant, paullatim se aperire cœperunt,

34. Et ab Occidentali urbis parte procedere. Sed & alia decem millia virorum de universo Israel habitatores urbis ad certamina provocabant. Ingravatumque est bellum contra filios Benjamin: & non intellexerunt quod ex omni parte illis instaret interitus.

35. Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israel, & interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia & centum viros, omnes bellatores & educentes gladium.

36. Filii autem Benjamin, cum se inferiores esse vidissent, cœperunt fugere. Quod cernentes filii Israel, dederunt eis ad fugiendum locum, ut ad præparatas insidias devenirent, quas juxta urbem posuerant.

37. Qui cum repente de latibulis surrexissent, & Benjamin terga cædentibus daret, ingressi sunt civitatem, & percusserunt eam in ore gladii.

38. Signum autem dederant filii Israel his quos in insidiis collocaverant, ut, postquam urbem cepissent, ignem accenderent: ut ascendente in altum fumo, captam urbem demonstrarent.

39. Quod cum cernerent filii Israel in ipso certamine positi (putaverunt enim filii Benjamin eos fugere, & instantius persequebantur, cæsis de exercitu eorum triginta viris)

40. Et viderent quasi columnam fumi de civitate conscendere: Benjamin quoque aspiciens retro, cum captam cerneret civitatem, & flammas in sublime ferri:

41. Qui prius simulaverant fugam, versa facie fortius resistebant. Quod cum vidissent filii Benjamin, in fugam versi sunt,

42. Et ad viam deserti ire cœperunt, illuc quoque eos adversariis persequentibus. Sed & hi qui urbem succenderant, occurrerunt eis.

43. Atque ita factum est, ut ex utraque parte ab hostibus cæderentur, nec erat ulla requies morientium. Ceciderunt, atque prostrati sunt ad orientalem plagam urbis Gabaa.

44. Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti sunt, decem & octo millia virorum, omnes robustissimi pugnatores.

45. Quod cum vidissent qui remanserant de Benjamin, fugerunt in solitudinem, & pergebant ad Petram, cujus vocabulum est Remmon. In illa quoque fuga palantes, & in diversa tendentes, occiderunt quinque millia virorum. Et cum ultra tenderent, persecuti sunt eos, & interfecerunt etiam alia duo millia.

46. Et sic factum est, ut omnes qui ceciderant de Benjamin in diversis locis, essent viginti quinque millia, pugnatores ad bella promptissimi.

47. Remanserunt itaque de omni numero Benjamin, qui evadere, & fugere in solitudinem potuerunt, sexcenti viri: sederuntque in Petra Remmon (*h*) mensibus quatuor.

48. Regressi autem filii Israel, omnes reliquias civitatis, a viris usque ad jumenta, gladio percusserunt, cunctasque urbes & viculos Benjamin vorax flamma consumpsit.

CAPUT XXI.

Deo placato per fletum & sacrificia, instauratur tribus Benjamin, & cavetur de nova sobole ex 400. virginibus.

1. JUraverunt quoque filii Israel in Maspha, & dixerunt: Nullus nostrum dabit filiis Benjamin de filiabus suis uxorem.

2. Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, & in conspectu ejus sedentes usque ad vesperam, levaverunt vocem, & magno ululatu cœperunt flere (*a*), dicentes:

3. Quare Domine Deus Israel factum est hoc malum in populo tuo, ut hodie una tribus auferretur a nobis?

4. Altera autem die diluculo consurgentes, extruxerunt altare (*b*): obtuleruntque ibi holocausta, & pacificas victimas, & dixerunt:

5. Quis non ascendit in exercitu Domini de universis tribubus Israel? Grandi enim juramento se constrinxerant, cum essent in Maspha, interfici eos qui defuissent.

6. Du-

26. (*f*) Decreto publico cultum Dei publicum ob negligentiam Sacerdotum, vel ob loca minus tuta intermissum restituerunt.

28. (*g*) Victoriam præstitit Deus postquam populum pessimorum nece purgavit.

47. (*h*) Urbs erat in prærupta rupe, non procul a Gabaa.

CAP. XXI.

2. (*a*) Expletam ultionem excepit miseratio.

4. (*b*) Sed intra tabernaculum, ob numerum sacrificantium.

6. Ductique pœnitentia (*c*) filii Iſrael ſuper fratre ſuo Benjamin, cœperunt dicere: Ablata eſt tribus una de Iſrael.

7. Unde uxores accipient? omnes enim in commune juravimus, non daturos nos his filias noſtras.

8. Idcirco dixerunt: Quis eſt de univerſis tribubus Iſrael, qui non aſcendit ad Dominum in Maſpha? Et ecce inventi ſunt habitatores Jabes Galaad in illo exercitu non fuiſſe.

9. (Eo quoque tempore cum eſſent in Silo, nullus ex eis ibi repertus eſt.)

10. Miſerunt itaque decem millia viros robuſtiſſimos, & præceperunt eis: Ite, & percutite habitatores Jabes Galaad in ore gladii, tam uxores quam parvulos eorum.

11. Et hoc erit quod obſervare debebitis:
* Num. 31. 17. & 18 * Omne generis maſculini, & mulieres quæ cognoverunt viros, interficite, virgines autem reſervate.

12. Inventæque ſunt de Jabes Galaad quadringentæ virgines, quæ neſcierunt viri thorum, & adduxerunt eas ad caſtra in Silo, in Terram Chanaan.

13. Miſeruntque nuntios ad filios Benjamin, qui erant in Petra Remmon, & præceperunt eis, ut eos ſuſciperent in pace.

14. Veneruntque filii Benjamin in illo tempore, & datæ ſunt eis uxores de filiabus Jabes Galaad: alias autem non repererunt, quas ſimili modo traderent.

15. Univerſuſque Iſrael valde doluit, & egit pœnitentiam ſuper interfectione unius tribus ex Iſrael.

16. Dixeruntque majores natu: Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt uxores? omnes in Benjamin feminæ conciderunt,

17. Et magna nobis cura, ingentique ſtudio providendum eſt, ne una tribus deleatur ex Iſrael.

18. Filias enim noſtras eis dare non poſſumus, conſtricti juramento (*d*) & maledictione, qua diximus: Maledictus qui dederit de filiabus ſuis uxorem Benjamin.

19. Ceperuntque conſilium, atque dixerunt: Ecce ſolemnitas Domini eſt in Silo anniverſaria, quæ ſita eſt ad Septentrionem urbis Bethel, & ad Orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad Meridiem oppidi Lebona.

20. Præceperuntque filiis Benjamin, atque dixerunt: Ite, & latitate in vineis.

21. Cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repente de vineis, & rapite ex eis ſinguli uxores ſingulas, & pergite in Terram Benjamin.

22. Cumque venerint patres earum, ac fratres, & adverſum vos queri cœperint, atque jurgari, dicemus eis: Miſeremini eorum: non enim rapuerunt eas jure bellantium atque victorum, ſed rogantibus ut acciperent, non dediſtis, & a veſtra parte peccatum eſt.


23. Feceruntque filii Benjamin, ut ſibi fuerat imperatum: & juxta numerum ſuum, rapuerunt ſibi de his, quæ ducebant choros, uxores ſingulas: abieruntque in poſſeſſionem ſuam, ædificantes urbes, & habitantes in eis.

24. Filii quoque Iſrael reverſi ſunt per tribus & familias in tabernacula ſua. In diebus illis non erat rex (*e*) in Iſrael: ſed unuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.

6. & 10. (*c*) Illud quidem bellum conſulto Deo ſuſceperant: ſed juſſi non fuerant totam delere tribum. Peccatiſſe, ob deſertam militiam.

18. (*d*) Dubitatur, an juramentum illud imprudenter factum eos obſtringeret. Non ea fuit mens jurantium, ut una tribus periret defectu uxorum: ſed quia ex erronea conſcientia ſe obſtrictos credidere, ad raptum improprie dictum confugerunt. Nam raptus ille fuit ex publico conſilio, nec invitis puellis, quin & conſenſum parentum non defuiſſe probabile eſt.

24. (*e*) Forte non erat judex, aut populi, ſed anarchiæ intervallum.



L I-

LIBER RUTH.

Hic Liber est velut appendix quædam libri Judicum. Quæ enim in eo commemorantur gesta, Judicum temporibus evenerunt: sed quo Judice, non liquet; uti nec de illius libri Auctore. Plerique Samuelem eum esse volunt, qui librum Judicum, & librum primum Regum ex communiori sententia conscripsit: neque abhorret a verisimili, hunc Librum ab eodem esse exaratum, ut Regis David stirpem & genus designaret. Quin etiam Theodoreti sententia admodum est probabilis, hunc Librum a Spiritu sancto dictatum esse propter Christi Domini Incarnationem, qui ex Ruth secundum carnem duxit originem.

Quo tempore hæc contigerint, dictu difficile est, quod a conjugio Salmonis cum Raab paucæ intersint generationes usque ad Davidem regem. An plures extiterunt Booz nomine, ut videtur Lyrano; an forte illud non est in Scripturis inusitatum, ut generationes non proximæ & immediatæ, sed mediatæ tantum recenseantur; an demum alia est Raab ab ea, cujus fit mentio in Libro Josue?

CAPUT PRIMUM.

Elimelech Bethlehemita fame urgente cum Noemi uxore peregrinatur in eam Arabiæ Petrææ regionem, quæ Moabitis dicta est.

1. In diebus unius judicis, quando judices præerant, facta est fames in Terra. Abiitque homo de Bethlehem Juda, ut peregrinaretur in regione Moabitide, cum uxore sua ac duobus liberis.

2. Ipse vocabatur Elimelech, & uxor ejus Noemi: & duo filii, alter Mahalon, & alter Chelion, Ephrathæi (*a*) de Bethlehem Juda. Ingressique regionem Moabitidem, morabantur ibi.

3. Et mortuus est Elimelech maritus Noemi: remansitque ipsa cum filiis.

4. Qui acceperunt uxores Moabitidas, quarum una vocabatur Orpha, altera vero Ruth. Manseruntque ibi decem annis,

5. Et ambo mortui sunt, Mahalon videlicet & Chelion: remansitque mulier orbata duobus liberis ac marito.

6. Et surrexit ut in patriam pergeret, cum utraque nuru sua, de regione Moabitide: audierat enim quod respexisset Dominus populum suum, & dedisset eis escas.

7. Egressa est itaque de loco peregrinationis suæ, cum utraque nuru: & jam in via revertendi posita in Terram Juda,

8. Dixit ad eas: Ite in domum matris vestræ, faciat vobiscum Dominus misericordiam, sicut fecistis cum mortuis & mecum.

9. Det vobis invenire requiem in domibus virorum, quos sortituræ estis. Et osculata est eas. Quæ elevata voce flere cœperunt,

10. Et dicere: Tecum pergemus ad populum tuum.

11. Quibus illa respondit: Revertimini filiæ meæ, cur venitis mecum? num ultra habeo filios in utero meo, ut viros ex me sperare possitis?

12. Revertimini filiæ meæ, & abite: jam enim senectute confecta sum, nec apta vinculo conjugali. Etiam si possem hac nocte concipere, & parere filios,

13. Si eos expectare velitis, donec crescant, & annos pubertatis impleant, ante eritis vetulæ quam nubatis. Nolite, quæso filiæ meæ: quia vestra angustia magis me premit, & egressa est manus Domini contra me.

14. Elevata igitur voce, rursum flere cœperunt: Orpha osculata est socrum, ac reversa est: Ruth adhæsit socrui suæ.

15. Cui dixit Noemi: En reversa est cognata tua ad populum suum, & ad deos suos, vade cum ea.

16. Quæ respondit: Ne adverseris mihi ut relinquam te & abeam: quocumque enim perrexeris, pergam: & ubi morata fueris, & ego pariter morabor. Populus (*b*) tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus.

17. Quæ te terra morientem susceperit, in ea moriar: ibique locum accipiam sepulturæ. Hæc mihi faciat (*c*) Dominus, & hæc addat, si non sola mors me & te separaverit.

18. Vi-

CAPUT I. 2. (*a*) Vox Ephrata aut Bethlehem ipsam significat, aut circumjectam regionem. Genes. 23. & 48. Rachel dicitur sepulta in Ephrata, mox additur: *Hæc est Bethlehem.*

16. (*b*) Hieronymus Epist. 25. *Vide quanti meriti sit deserta præstitisse solatium: ex ejus semine Christus oritur.* Regnantis idololatriæ temporibus magnum quiddam erat unum Deum credere: vera est & firma amicitia, quæ veræ religionis vinculo coalescit.

17. (*c*) Probabile est ea mala ante fuisse expressa, quæ nihil necesse fuit scribenti historiam exponere.

18. Videns ergo Noemi, quod obstinato animo Ruth decrevisset secum pergere, adversari noluit, nec ad suos ultra reditum persuadere.

19. Profectæque sunt simul, & venerunt in Bethlehem. Quibus urbem ingressis, velox apud cunctos fama percrebruit: dicebantque mulieres: Hæc est illa Noemi.

20. Quibus ait: Ne vocetis me Noemi (id est, pulcram) sed vocate me Mara (id est, amaram) quia amaritudine valde replevit me Omnipotens.

21. Egressa sum plena, & vacuam reduxit me Dominus. Cur ergo vocatis me Noemi, quam Dominus humiliavit, & afflixit Omnipotens?

22. Venit ergo Noemi cum Ruth Moabitide nuru sua, de terra peregrinationis suæ: ac reversa est in Bethlehem, quando primum hordea metebantur.

CAPUT II.

Ruth Moabitis labore suo Noemi socrum sustentat; spicas colligens messis tempore in agro Booz affinis sui, huic innotescit.

1. Erat autem viro Elimelech consanguineus (*a*), homo potens, & magnarum opum, nomine Booz.

2. Dixitque Ruth Moabitis ad socrum suam: Si jubes, vadam in agrum, & colligam spicas, quæ fugerint manus metentium (*b*), ubicumque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam. Cui illa respondit: Vade filia mea.

3. Abiit itaque & colligebat spicas post terga metentium. Accidit autem ut ager ille haberet dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimelech.

4. Et ecce, ipse veniebat de Bethlehem: dixitque messoribus: Dominus vobiscum. Qui responderunt ei: Benedicat tibi Dominus.

5. Dixitque Booz juveni, qui messoribus præerat: Cujus est hæc puella?

6. Cui respondit: Hæc est Moabitis, quæ venit cum Noemi, de regione Moabitide,

7. Et rogavit ut spicas colligeret remanentes, sequens messorum vestigia: & de mane usque nunc stat in agro, & ne ad momentum quidem domum reversa est.

8. Et ait Booz ad Ruth: Audi (*c*) filia, ne vadas in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco: sed jungere puellis meis,

9. Et ubi messuerint, sequere. Mandavi enim pueris meis, ut nemo molestus sit tibi: sed etiam si sitieris, vade ad sarcinulas, & bibe aquas (*d*), de quibus & pueri bibunt.

10. Quæ cadens (*e*) in faciem suam & adorans super terram, dixit ad eum: Unde mihi hoc, ut invenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse me dignateris peregrinam mulierem?

11. Cui ille respondit: Nuntiata sunt mihi omnia, quæ feceris socrui tuæ post mortem viri tui: & quod reliqueris parentes tuos, & terram in qua nata es, & veneris ad populum, quem antea nesciebas.

12. Reddat tibi Dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel, ad quem venisti, & sub cujus confugisti alas.

13. Quæ ait: Inveni (*f*) gratiam apud oculos tuos domine mi, qui consolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non sum similis unius puellarum tuarum.

14. Dixitque ad eam Booz: Quando hora vescendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto (*g*). Sedit itaque ad messorum latus, & congessit polentam sibi, comeditque & saturata est, & tulit reliquias.

15. Atque inde surrexit, ut spicas ex more colligeret. Præcepit autem Booz pueris suis, dicens: Etiamsi vobiscum metere voluerit (*h*), ne prohibeatis eam:

16. Et de vestris quoque manipulis projicite de industria, & remanere permittite, ut absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat.

17. Collegit ergo in agro usque ad vesperam: & quæ collegerat virga cædens & excutiens, invenit hordei quasi ephi mensuram, id est, tres modios.

18. Quos portans reversa est in civitatem, & ostendit socrui suæ: insuper protulit, & dedit ei de reliquiis cibi sui, quo saturata fuerat.

19. Dixitque ei socrus sua: Ubi hodie collegisti, & ubi fecisti opus? sit benedictus qui misertus est tui. Indicavitque ei apud quem fuisset operata: & nomen dixit viri, quod Booz vocaretur.

20. Cui respondit Noemi: Benedictus sit a Domino: quoniam eamdem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit & mortuis. Rursumque ait: Propinquus noster est homo.

21. Et Ruth, Hoc quoque, inquit, præcepit mihi, ut tamdiu messoribus ejus jungerer, donec omnes segetes meterentur.

22. Cui dixit socrus: Melius est, filia mea, ut cum puellis ejus exeas ad metendum, ne in alieno agro quispiam resistat tibi.

23. Juncta est itaque puellis Booz: & tamdiu cum eis messuit, donec hordea & triticum in horreis conderentur.

CA-

CAP. II. 1. (*a*) Sept. Interp. vertunt *notus*; propinquus fuit, sed ex alia tribu.

2. (*b*) Mos erat bene precari opus facientibus.

8. (*c*) Hebr. *Audisti filia mea*. Martiana evidentius ordinem verborum esse inversum, ac Booz prius dixisse, *Ne vadas in alterum agrum*, mox addidisse, *Nonne audisti filia*!

9. (*d*) Sept. Interp. *Bibe unde hauriunt pueri*.

10. (*e*) Se in terram dejecit, & prostravit. *Et nosse me dignateris peregrinam mulierem*: magna est hujus mulieris humilitas, magna Booz humanitas.

13. (*f*) Hebr. *Inveniam*. *Quæ non sum similis unius puellarum tuarum*: ancillarum tuarum.

14. (*g*) Chald. *In pulmento cocto in aceto*: tum acetum erat in usu messoribus recreandis. *Et congessit polentam sibi*; Hebr. *Et dedit ei tostum triticum*; *Et tulit reliquias*: hoc quod reliquum fuit, ad messores tulit.

15. (*h*) Hebr. *Etiam inter manipulos colligat*.

CAPUT III.

Ruth ex socrus suæ consilio nuptias a propinquo suo Booz verecunde petit; & lætum accipit responsum.

1. POstquam autem reversa est ad socrum suam, audivit ab ea: Filia mea, quæram tibi requiem (a), & providebo ut bene sit tibi.

2. Booz iste, cujus puellis in agro juncta es, propinquus noster est, & hac nocte aream hordei ventilat.

3. Lavare (b) igitur, & ungere, & induere cultioribus vestimentis, & descende in aream. Non te videat homo, donec esum potumque finierit.

4. Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum in quo dormiat: veniesque & discooperies pallium, quo operitur a parte pedum, & projicies te, & ibi jacebis: ipse autem dicet tibi quid agere debeas.

5. Quæ respondit: Quidquid præceperis, faciam.

6. Descenditque in aream, & fecit omnia, quæ sibi imperaverat socrus.

7. Cumque comedisset Booz, & bibisset, & factus esset hilarior (c), issetque ad dormiendum juxta acervum manipulorum, venit abscondite, & discooperto pallio a pedibus ejus, se projecit.

8. Et ecce, nocte jam media expavit homo, & conturbatus est: viditque mulierem jacentem ad pedes suos,

9. Et ait illi: Quæ es? Illaque respondit: Ego sum Ruth ancilla tua: expande pallium (d) tuum super famulam tuam, quia propinquus es.

10. Et ille, Benedicta, inquit, es a Domino filia, & priorem misericordiam posteriore superasti: quia non es secuta juvenes, pauperes sive divites.

11. Noli ergo metuere, sed quidquid dixeris mihi, faciam tibi. Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas (e) urbis meæ, mulierem te esse virtutis.

12. Nec abnuo me propinquum, sed est alius me propinquior (f).

13. Quiesce hac nocte: & facto mane, si te voluerit propinquitatis jure retinere, bene res acta est: sin autem ille noluerit, ego te absque ulla dubitatione suscipiam, vivit Dominus: dormi usque mane.

14. Dormivit itaque ad pedes ejus, usque ad noctis abscessum. Surrexit itaque antequam homines se cognoscerent mutuo, & dixit Booz: Cave ne quis noverit quod huc veneris.

15. Et rursum, Expande, inquit, pallium tuum, quo operiris, & tene utraque manu. Qua extendente, & tenente, mensus est sex modios hordei, & posuit super eam. Quæ portans ingressa est civitatem,

16. Et venit ad socrum suam. Quæ dixit ei: Quid egisti filia: Narravitque ei omnia, quæ sibi fecisset homo.

17. Et ait: Ecce sex modios hordei dedit mihi, & ait: Nolo vacuam te reverti ad socrum tuam.

18. Dixitque Noemi: Expecta filia donec videamus quem res exitum habeat: neque enim cessabit homo nisi compleverit quod locutus est.

CAPUT IV.

Booz coram senioribus civitatis agit cum cognato de Ruth accipienda in uxorem.

1. ASCendit ergo Booz ad portam (a), & sedit ibi. Cumque vidisset propinquum præterire, de quo prius sermo habitus est, dixit ad eum: Declina paulisper, & sede hic: vocans eum nomine suo. Qui divertit, & sedit.

2. Tollens autem Booz decem viros (b) de senioribus civitatis, dixit ad eos: Sedete hic.

3. Quibus sedentibus, locutus est ad propinquum: Partem agri fratris nostri Elimelech vendet ( ) Noemi, quæ reversa est de regione Moabitide:

4. Quod audire te volui, & tibi dicere coram cunctis sedentibus, & majoribus natu de populo meo. Si vis possidere jure propinquitatis: eme, & posside: sin autem displicet tibi, hoc ipsum indica mihi, ut sciam quid facere debeam: nullus enim est propinquus, excepto te, qui prior es: & me, qui secundus sum. At ille respondit: Ego agrum emam.

5. Cui dixit Booz: Quando emeris agrum de manu mulieris Ruth quoque Moabitidem, quæ uxor defuncti fuit, debes accipere (d): ut suscites nomen propinqui tui in hæreditate sua.

6. Qui respondit: Cedo juri propinquitatis: neque enim posteritatem familiæ meæ delere (e) debeo: tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor.

7. * Hic autem erat mos antiquitus in Israel inter propinquos, ut si quando alter alteri suo juri cedebat: ut esset firma concessio, solvebat homo calceamentum suum, & dabat proximo suo. Hoc erat testimonium cessionis in Israel. * Deut. 25. 7.

8. Dixit ergo propinquo (f) suo Booz: Tolle calceamentum tuum. Quod statim solvit de pede suo.

9. At

CAP. III. 1. (a) Nuptias: Hebr. Nonne *quæram tibi*? id est, vitam tuam sub mariti præsidio.

3. (b) Non peccaverunt Noemi & Ruth: non enim aliud quam legitimum matrimonium postularunt. Lavare & ungere erant formæ adminicula.

7. (c) Hebr. *Et bonum fuit cor ejus*: jucundum, hilaris erat, non ebrius.

9. (d) Hebr. *Alam tuam*: vestis ala dicitur, nam ut avis ala, sic homo veste tegitur: postulat ut accipiatur in uxorem honesta Hebræorum phrasi: in tutelam tuam, ut maritum me recipe.

11. (e) Ubi judicia & conventus.

12. (f) Non gradu forsitan, sed nascendi ordine prior.

CAP. IV. 1. (a) Ubi erant tribunalia.

2. (b) Verba erant adhiberi solita ad actus legitimos, ut matrimonii.

3. (c) Hebr. *Vendidit*, ita & LXX. Tu si volueris, redimes propinquitatis jure.

5. (d) Lex est Deuteronom. 25. successore consuetudine a fratribus ad propinquos alios producta. Si agrum habere vis, debes & viduam habere.

6. (e) Ut filii alieno vocentur nomine. Aliam uxorem noli mihi accersere, & alios in domum meam liberos adducere, ne pacem turbem familiæ meæ.

8. (f) Hebr. *Dixit propinquus Booz*, *posside tibi*, & solvit calceamentum suum.

9. At ille majoribus natu, & universo populo, Testes vos, inquit, estis hodie, quod possederim omnia quæ fuerunt Elimelech, & Chelion, & Mahalon, tradente Noemi:

10. Et Ruth Moabitidem, uxorem Mahalon, in conjugium sumpserim, ut suscitem nomen defuncti in hæreditate (g) sua, ne vocabulum ejus de familia sua ac fratribus & populo deleatur. Vos, inquam, hujus rei testes estis.

11. Respondit omnis populus, qui erat in porta, & majores natu: Nos testes sumus: faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel, & Liam, quæ ædificaverunt domum Israel: ut sit exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethlehem:

12. Fiatque domus tua, sicut domus Phares, * quem Thamar peperit Judæ, de semine quod tibi dederit Dominus ex hac puella.

* Gen. 38. 29.

13. Tulit itaque Booz Ruth, & accepit uxorem: ingressusque est ad eam, & dedit illi Dominus ut conciperet, & pareret filium.

14. Dixeruntque mulieres ad Noemi: Benedictus Dominus, qui non est passus ut deficeret successor familiæ tuæ, & vocaretur nomen ejus in Israel.

15. Et habeas qui consoletur animam tuam, & enutriat senectutem: de nuru enim tua natus est, quæ te diligit: & multo tibi melior est, quam si septem haberes filios.

16. Susceptumque Noemi puerum posuit in sinu suo, & nutricis ac gerulæ fungebatur officio.

17. Vicinæ autem mulieres congratulantes ei, & dicentes: Natus est filius Noemi: vocaverunt nomen ejus Obed: hic est pater Isai, patris David.

18. Hæ sunt generationes * Phares: Phares genuit Esron,

* 1. Par. 2. 5. & 4. 1. Matth. 1. 3.

19. Esron genuit Aram, Aram genuit Aminadab,

20. Aminadab genuit Nahasson, Nahasson genuit Salmon,

21. Salmon genuit Booz, Booz genuit Obed,

22. Obed genuit Isai, Isai genuit David.

10. (g) Ambr. Lib. 3. de fide cap. 5. *Historia simplex: sed alta mysteria; aliud enim gerebatur, aliud figurabatur.* Booz enim Christi, ut Ruth Ecclesiæ typus erat: *Solus ergo Christus*, pergit Ambrosius, *est sponsus, cui illa veniens ex gentibus sponsa ante inops atque jejuna, sed jam Christi messe dives, innubat, quæ manipulos fœcundæ segetis, verbique reliquias quem o ligat mentis interno, ut exhaustam illam viduam morte filii, atque inopem diffusi populi matrem novis pascat alimentis.* Ecclesia nimirum peregrina, ut Ruth, *cum collegisset granum Verbi Dei in medio Synagogæ, eo usa est, ut sibi, & Judæis ipsis conversis novam pararet alimoniam, non literæ, sed Spiritus vivificantis, quam nec sponsus, scilicet Christus, nec sponsa Synagoga invidérunt: utinam*, inquit, *se non ipsa excluderet.* Quod autem objici solet ex Lege Deuter. 23. 3. Moabitas vetari aditum in Ecclesiam Dei: ac proinde non licitum fuisse Booz ducere Ruth Moabitidem; facilis est & prompta responsio. Ruth natam esse ex patre Israelita ac liberos ad genus & ad stirpem patris referri. Hieron. in prœmio Osee loquens de Ruth. *Jacentem ad pedes, ad caput Evangelii transtulit.* Sic Ambr. Lib. 3. in Lucam: Hos igitur mores, atque hanc caritatem erga socrum, pietatem erga defunctum, religionem erga Deum cum cognovisset Booz proavus David, juxta legem Mosi, ut semen defuncti proximi suscitaret, eam sibi elegit uxorem.... Denique in typo has fuisse nuptias testatur benedictio seniorum dicentium: *Det Dominus mulierem, quæ intret domum tuam sicut Rachel, & sicut Liam....* Recte igitur Sanctus Matthæus, per Evangelium gentes ad Ecclesiam vocaturum auctorem ipsum Dominum gentilitiæ congregationis, alienigenarum generatorem secundum carnem assumpsisse memoravit ut jam tunc esset indicium, quod illa generatio ederet gentium vocatorem, quem sequerentur omnes ex alienigenis congregati, relinquentes paternam domum, & dicentes ei, qui nos ad Dei cultum vocaret, ut Paulo, aut cuicumque Episcopo: Populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus. Ergo Ruth sicut Lia & Rachel oblita populum suum, & domum patris, suis solvens vinculum legis ingressa est in Ecclesiam. Hactenus Ambrosius, qui hanc populi benedictionem, genus quoddam prophetiæ fuisse ait, quia Christum ex ejus stirpe nasciturum in Ephrata, seu Bethlehem declarabat. Quod vero commemoratio ejus Dominicæ prosapiæ fuerit inferenda, declarat mysterii altioris expressio, quia prophetatum ex genere ejus Ephrata Christum esse generandum, cum dicitur: Det tibi Dominus facere virtutem in Ephrata, & sit nomen in Bethlehem: quæ est enim virtus, nisi quæ per Christum sectum populum congregavit? Quod autem nomen, nisi quod Bethlehem patria Domini secundum carnem nascentis est facta?

LIBRI QUATUOR

REGUM.

EX quatuor libris Regum, duo priores ab Hebræis Samuelis nomine inscribuntur, eosque partim e Samuelis commentariis, partim e scriptis Prophetarum Gad & Nathan excerptos putant. Quæ tamen leguntur Lib. 1. cap. 7. v. 2. Erat autem annus jam vigesimus, *a Samuele annotari non potuerunt, cum septimo post Samuelis obitum anno, arca a David ex eo loco translata fuerit. Quæ etiam cap. 27. v. 6. leguntur;* Propter hanc caussam facta est Siceleg Regum Juda usque in diem hanc, *vix potuere e commentariis Gad & Nathan erui, cum Regum Juda vocabula post decem tribuum separationem usitata fuerint. Samuel librum primum majori ex parte composuit; Saulem & Davidem, quorum gesta duobus his libris continentur, non modo unxit, sed etiam præceptis suis & consiliis instituit.*

De Chronologia sacra in universum diximus in Prolegomenis, idque juxta textus Hebraici, qualem nunc habemus, & Septuaginta Interpretum supputationem. Vulgata editio cum Hebræo textu hac in re convenit, adeo ut nunc temporis illa annorum

norum series, quæ in Hebræo continetur, plerisque interpretibus ut certa & constans habeatur; tametsi veteres aliam inierunt rationem; sed in re obscurissima, qualis est temporum ratio, præsertim ab orbe condito ad Abrahamum usque, potius cohibenda est assensio, quam præcipitanda sententia. Quæ consecuta sunt tempora, in sacris Codicibus magis sunt definita, & major est inter textum Hebræum & Septuaginta versionem consensio; ubi videntur aliquantum dissidere, idoneis locis dicetur.



LIBER PRIMUS
SAMUELIS,
QUI & PRIMUS REGUM DICITUR.

Hic Liber Samuelis ortum & gesta, Saulis itidem & Davidis electionem & acta plurima complectitur.

CAPUT PRIMUM.

De patre Samuelis Elcana, & matre Anna, quæ cum sterilis esset, post orationem & vota peperit Samuelem, quem Deo obtulit.

1. FUIT vir unus de Ramathaimsophim (*a*), de monte Ephraim, & nomen ejus Elcana, filius Jeroham, filii Eliu, filii Thohu, filii Suph, Ephrathæus:

2. Et habuit duas uxores: nomen uni Anna, & nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filii: Annæ autem non erant liberi.

3. Et ascendebat vir ille de civitate sua statutis (*b*) diebus, ut adoraret & sacrificaret Domino exercituum in Silo. Erant autem ibi duo filii Heli, Ophni & Phinees, sacerdotes Domini.

4. Venit ergo dies, & immolavit Elcana, deditque Phennenæ uxori suæ, & cunctis filiis ejus, & filiabus partes:

5. Annæ autem dedit partem unam tristis (*c*), quia Annam diligebat. Dominus autem concluserat vulvam ejus.

6. Affligebat quoque eam æmula ejus, & vehementer angebat, in tantum, ut exprobraret quod Dominus conclusisset vulvam ejus:

7. Sicque faciebat per singulos annos, cum redeunte tempore ascenderent ad templum Domini: & sic provocabat eam. Porro illa flebat, & non capiebat cibum.

8. Dixit ergo ei Elcana vir suus: Anna, cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum? numquid non ego melior tibi sum, quam decem filii?

9. Surrexit autem Anna postquam comederat, & biberat in Silo. Et Heli sacerdote sedente super sellam ante postes templi Domini,

10. Cum esset Anna amaro animo (*d*), oravit ad Dominum, flens largiter,

11. Et votum vovit, dicens: Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, dederisque servæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus, & novacula non ascendet super caput ejus.

12. Factum est autem, cum illa multiplicaret preces coram Domino, ut Heli observaret os ejus.

13. Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur. Æstimavit ergo eam Heli temulentam (*e*),

14. Di-

CAPUT I. 1. (*a*) Vox illa *Ramathaim*, in duali numero ponitur, quod duæ essent urbes ejus nominis; ideoque additur *Sophim*, seu speculantium, ut ab altera ejusdem nominis distinguatur. *Ephrathæus*, loco & habitatione, cum esset Levita genere; erat enim Ramathe una ex civitatibus Levitarum. Fuit autem Elcana de filiis Core, ex Lib. 1. Paralip. 6. 17. non ex filiis Aaron: Psalm. 98. *Moses & Aaron in Sacerdotibus ejus, & Samuel inter eos qui invocant nomen Domini*, hoc est, inter Levitas.

3. (*b*) Gr. ex diebus, in dies, seu quotannis.

5. (*c*) Quod plures hostiæ oblatæ partes ei dare non posset, cum nullos haberet liberos. Phenenna Synagogæ, Anna Ecclesiæ typus fuit.

10. & 11 (*d*) Humilis est illius oratio & fervens. *Vovit*; filium vovit, ut Nazaræus esset, idque viro consulto, tametsi Scriptura hoc reticeat, sed facile intelligitur: votum erat non vulgare; nam perpetuo tabernaculi obsequio destinabatur. Si minus erat voto Nazaræus, saltem aliquid imitabatur, ait Grotius.

13 (*e*) Greg. in hunc locum, mansuetudinem Annæ commendat, ac subinde de Ecclesiæ ministris loquens: *Etsi*, inquit, *se irrationabiliter contra recte agentes gerunt, reverentia tamen superioris ordinis exigit, ut tunc honorentur, cum modum rationis excedunt.*

14. Dixitque ei: Usquequo ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades.

15. Respondens Anna, Nequaquam, inquit, domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque & omne quod inebriare potest, non bibi, sed effudi animam meam in conspectu Domini.

16. Ne reputes ancillam tuam quasi unam de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris & mœroris mei locuta sum usque in præsens.

17. Tunc Heli ait ei: Vade in pace: & Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum.

18. Et illa dixit: Utinam inveniat ancilla tua gratiam in oculis tuis. Et abiit mulier in viam suam, & comedit, vultusque illius non sunt amplius in diversa mutati (f).

19. Et surrexerunt mane, & adoraverunt coram Domino: reversique sunt, & venerunt in domum suam Ramatha. Cognovit autem Elcana Annam uxorem suam: & recordatus est ejus Dominus.

20. Et factum est post circulum dierum, concepit Anna, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel (g): eo quod a Domino postulasset eum.

21. Ascendit autem vir ejus Elcana, & omnis domus ejus, ut immolaret Domino hostiam solemnem, & votum suum,

22. Et Anna non ascendit: dixit enim viro suo: Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, ut appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi jugiter.

23. Et ait ei Elcana vir suus: Fac quod bonum tibi videtur, & mane donec ablactes eum: precorque ut impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, & lactavit filium suum, donec amoveret eum a lacte:

24. Et adduxit eum secum, postquam ablactaverat, in vitulis (h) tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo. Puer autem erat adhuc infantulus:

25. Et immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli.

26. Et ait Anna: Obsecro, mi domine, vivit (i) anima tua domine: ego sum illa mulier, quæ steti coram te hic orans Dominum.

27. Pro puero isto oravi, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum.

28. Idcirco & ego commodavi eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus (l) Domino. Et adoraverunt ibi Dominum. Et oravit Anna, & ait:

CAPUT II.

Annæ canticum; Samuel manet in templo; Anna tres adhuc filios & duas parit filias. Nimia Heli indulgentia in filios, qua de re increpatur a Propheta.

1. Exultavit (a) cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meum super inimicos meos: quia lætata sum in salutari tuo.

2. Non est sanctus, ut est Dominus: neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster.

3. Nolite multiplicare loqui sublimia, gloriantes: recedant vetera (b) de ore vestro: quia Deus scientiarum, Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.

4. Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.

5. Repleti prius, pro panibus se locaverunt: & famelici saturati sunt, donec (c) sterilis peperit plurimos: & quæ multos habebat filios, infirmata est.

6. * Dominus mortificat & vivificat (d), deducit ad inferos & reducit. * Deut. 32. 39.

7. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat. Tob. 13. 2. Sap. 16. 13.

8. Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem: ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Domini enim sunt cardines (e) terræ, & posuit super eos orbem.

9. Pedes sanctorum suorum servabit, & impii in tenebris conticescent: quia non in fortitudine sua roborabitur vir.

10. Dominum formidabunt adversarii ejus: & super ipsos in cælis tonabit (f): Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.

11. Et abiit Elcana Ramatha, in domum suam: puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli sacerdotis.

12. Porro filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum,

13. Neque officium sacerdotum ad populum: sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer (g) sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua,

14. Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum: & omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi. Sic faciebant universo Israeli venientium in Silo.

15. Etiam

13. (f) Adeo erat plena bonæ spei: Hebr. *Et facies non fuerunt ei amplius: facies* pro ira sumitur, aut tristitia.

20 & 21. (g) Quasi postulatum a Deo. *Solemnem*: Hebr. & LXX. *Hostiam dierum*, anniversariam.

24. (h) Cum vitulis Nazaræi votum solvitur in gratiarum actionem. LXX. *Vitulum triennalem* verterunt.

26 (i) Tam illud certum est, quam te vivere.

28 (l) Datus, quamdiu vixerit ministrabit coram Domino.

CAP. II. 1 (a) Anna divino afflata Spiritu canticum illud cecinit: *Exultavit cor meum*, lætatum est, *in Domino*, per Dominum: *& exaltatum est cornu meum*, cornu potentiam & gloriam in Scriptura significat. *Super inimicos meos*: Pheninnam & filii ejus hanc insultabant. *Lætata sum in salutari tuo*: LXX. *In salute*, quam mihi dedisti. Augustinus *Agnoscamus hic Ecclesiam* ... *Christianam*, istam Dei gratiam prophetico Spiritu sic locutam, a qua superbi alienantur ut cadant, qua humiles impleantur ut surgant.

3 (b) Vox Hebræa, *hatac*, עתק & vetera, & dura significat. *Quia scientiarum Dominus est*: nihil eum latet, ne cogitationes quidem nostræ: quæcumque vult, ea facit: Hebr. *Et ipsi diriguntur opera*: quomodo illa impedire potest.

5. (c) Adeo ut sterilis plurimos pepererit, Hebr. *Septem*: qui numerus pro multis poni solet. Ecclesia tot filiorum parens effecta est, cum Synagoga fuit infirmata.

6 (d) Veterem hominem & illius actus destruit, & renovati hominis vitam largitur. Paulinus carmine 12.

Moriamur, ne moriamur:

Lethalem vitam ... tali morte ...mus.

8. & 9 (e) Fundamenta terræ: quidquid vult, id efficit. *Pedes*, affectus, ne extollantur, aut seculi pulvere sordescant.

10 (f) De cælo enim hostes debellabit. *Sublimabit Cornu Christi sui*: Hebr. *Messiæ sui*: de vero Messia intelligit Chaldæus.

13. (g) Famulus qui carnes hostiarum postulabat.

15. Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis, & dicebat immolanti: Da mihi carnem, ut coquam sacerdoti: non enim accipiam a te carnem coctam, sed crudam.

16. Dicebatque illi immolans: Incendatur primum juxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua. Qui respondens ajebat ei: Nequaquam: nunc enim dabis, alioquin tollam vi.

17. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino: quia retrahebant homines a sacrificio Domini.

18. Samuel autem ministrabat ante faciem Domini, puer, accinctus ephod lineo.

19. Et tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus, ascendens cum viro suo, ut immolaret hostiam solemnem.

20. Et benedixit Heli Elcanæ & uxori ejus: dixitque ei: Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fœnore quod commodasti Domino. Et abierunt in locum suum.

21. Visitavit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias: & magnificatus est puer Samuel apud Dominum.

22. Heli autem erat senex valde, & audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israeli: & quomodo dormiebant cum mulieribus quæ observabant (*h*) ad ostium tabernaculi:

23. Et dixit eis: Quare facitis res hujuscemodi, quas ego audio, res pessimas, ab omni populo?

24. Nolite filii mei: non enim est bona fama, quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini.

25. Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris sui: quia voluit Dominus occidere eos.

26. Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Domino, quam hominibus.

27. Venit (*i*) autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum: Hæc dicit Dominus: Numquid non aperte revelatus sum domui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaonis?

28. Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret ephod coram me: & dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel.

29. Quare calce abjecistis victimam meam, & munera mea quæ præcepi ut offerrentur in templo: & magis honorasti filios tuos quam me, ut comederetis primitias omnis sacrificii Israel populi mei?

30. Propterea ait Dominus Deus Israel *: * 3. Reg. 2. 27.
Loquens locutus sum, ut domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo, usque in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc a me: sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

31. Ecce dies veniunt: & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui, ut non sit senex in domo tua.

32. Et videbis (*k*) æmulum tuum in templo, in universis prosperis Israel: & non erit senex in domo tua omnibus diebus.

33. Verumtamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo: sed ut deficiant oculi tui, & tabescat anima tua: & pars magna domus tuæ morietur, cum ad virilem ætatem venerit.

34. Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis, Ophni & Phinees: * In die uno morientur ambo. * Infr. 4. 11.

35. Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, & animam meam faciet: & ædificabo ei domum fidelem (*l*), & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.

36. Futurum est autem, ut quicumque remanserit in domo tua, veniat ut oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicatque: Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.

CAPUT III.

Samuel revelationem sibi a Deo factam aperit.

1. PUer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, & sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta.

2. Factum est ergo in die quadam, Heli jacebat in loco suo, & oculi ejus caligaverant, nec poterat videre:

3. Lucerna (*a*) Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei.

4. Et vocavit Dominus Samuel. Qui respondens, ait: Ecce ego.

5. Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego: vocasti enim me. Qui dixit: Non vocavi: revertere, & dormi. Et abiit, & dormivit.

6. Et

22. (*h*) Quæ congregabantur, ut offerrent hostiam, impletis diebus purificationis.

27. (*i*) Cum filii Pontificis violarent leges Sacerdotibus a Deo præscriptas, & pater nimia erga eos indulgentia uteretur, molliter eos increpans, missus est ad eum Propheta, qui excidium domus ejus & Pontificatus translationem Pontifici denuntiaret, ac fore ut Sacerdotium a domo Ithamari ad domum Eleazari rediret.

32. (*k*) Inter posteros Eleazari, & Ithamari, unde oriundus erat Heli, magna erat æmulatio: videbunt posteri tui æmulum tuum ex familia Eleazari Sadoc summum Sacerdotem: *Ædificabo ei domum fidelem*: efficiam ut in ejus familia summum Sacerdotium permaneat: nullus est hic sermo de Samuele, qui non fuit ex filiis Aaron, quique non sacrificavit, nisi forte ex dispensatione: *Et non erit senex*, qui præsit.

35. & 36. (*l*) Id est, stabilem. Offerat, qui petat a summo Sacerdote exiguum ministerium, ut inde modice vivat. LXX. *Veniat ad adorandum eum*, summum Sacerdotem, *in obolo argenti*, pro obolo argenti: futurum ait ut exiguam ministerii partem unde vivat postulet, vel offerat in tamphylacium. Hebr. *Minutum argenti*, præ paupertate: Mitte me, ad aliquam Sacerdotii functionem adhibe me, ut victum mereat.

3 (*a*) Samuel dormiebat in Templo Domini, cum adhuc lucerent omnes lucernæ, tota scilicet nocte Samuel dormiebat: quæ est periphrasis noctis: sic vera lectio in editione Sixtina restituta tollit omnem obscuritatem sublata voce autem, quæ vocabulo, Samuel, subjecta ambiguum efficiebat sensum: unde hinc tertius versiculus videtur inchoare. CAP. III.

6. Et adjecit Dominus rursum vocare Samuelem. Consurgensque Samuel, abiit ad Heli, & dixit: Ecce ego: quia vocasti me. Qui respondit: Non vocavi te fili mi: revertere, & dormi.

7. Porro Samuel necdum sciebat (*b*) Dominum, neque revelatus fuerat ei sermo Domini.

8. Et adjecit Dominus, & vocavit adhuc Samuelem tertio. Qui consurgens, abiit ad Heli,

9. Et ait: Ecce ego: quia vocasti me. Intellexit ergo Heli quia Dominus vocaret puerum: & ait ad Samuelem: Vade, & dormi: & si deinceps vocaverit te, dices: Loquere Domine, quia audit servus tuus. Abiit ergo Samuel, & dormivit in loco suo.

10. Et venit Dominus, & stetit (*c*): & vocavit, sicut vocaverat secundo, Samuel, Samuel. Et ait Samuel: Loquere Domine, quia audit servus tuus.

11. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israel: quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus.

12. In die illa suscitabo adversum Heli omnia quæ locutus sum super domum ejus: incipiam, & complebo.

13. Prædixi enim ei quod judicaturus essem domum ejus in æternum, propter iniquitatem, eo quod noverat indigne (*d*) agere filios suos, & non corripuerit eos.

14. Idcirco juravi domui Heli quod non expietur (*e*) iniquitas domus ejus victimis & muneribus usque in æternum.

15. Dormivit autem Samuel usque mane, aperuitque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare visionem Heli.

16. Vocavit ergo Heli Samuelem, & dixit: Samuel fili mi? Qui respondens, ait: Præsto sum.

17. Et interrogavit eum: Quis est sermo, quem locutus est Dominus ad te? oro te ne celaveris me. Hæc faciat (*f*) tibi Deus, & hæc addat, si absconderis a me sermonem ex omnibus verbis, quæ dicta sunt tibi.

18. Indicavit itaque ei Samuel universos sermones, & non abscondit ab eo. Et ille respondit: Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat.

19. Crevit autem Samuel, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram.

20. Et cognovit universus Israel a Dan, usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini.

21. Et addidit Dominus ut appareret in Silo, quoniam revelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, juxta (*g*) verbum Domini. Et evenit sermo Samuelis universo Israeli.

C A P U T IV.

Israelitis semel & iterum in prælio cæsis capitur arca, & duo filii Heli occiduntur. His auditis Heli e sella corruens moritur.

1. ET factum (*a*) est in diebus illis, convenerunt Philisthiim in pugnam: & egressus est Israel obviam Philisthiim in prælium, & castrametatus est juxta Lapidem adjutorii. Porro Philisthiim venerunt in Aphec,

2. Et instruxerunt aciem contra Israel. Inito autem certamine, terga vertit Israel Philisthæis: & cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quatuor millia virorum.

3. Et reversus est populus ad castra: dixeruntque majores natu de Israel: Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum.

4. Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim: erantque duo filii Heli cum arca fœderis Dei, Ophni & Phinees.

5. Cumque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, & personuit terra.

6. Et audierunt Philisthiim vocem clamoris, dixeruntque: Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognoverunt quod arca Domini venisset in castra.

7. Timueruntque Philisthiim, dicentes: Venit Deus in castra. Et ingemuerunt, dicentes:

8. Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius: væ nobis. Quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum? hi sunt Dii, qui percusserunt Ægyptum omni plaga, in deserto (*b*).

9. Confortamini, & estote viri, Philisthiim: ne serviatis Hebræis, sicut & illi servierunt vobis: confortamini, & bellate.

10. Pugnaverunt ergo Philisthiim, & cæsus est Israel, & fugit unusquisque in tabernaculum suum: & facta est plaga magna nimis: & ceciderunt de Israel triginta millia peditum.

11. Et arca Dei capta est: duo quoque filii Heli mortui sunt, Ophni & Phinees.

12. Currens autem vir de Benjamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste, & conspersus pulvere caput.

13. Cumque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor ejus pavens pro arca Dei. Vir autem ille postquam ingressus est, nuntiavit urbi: & ululavit omnis civitas.

14. Et

7. (*b*) Per revelationem propheticam, nondum sciebat quomodo Deus arcana sua Prophetis revelaret.

10. & 13. (*c*) Sub aliqua specie apparuit: *Sicut vocaverat secundo:* Hebr. Ut antea vocaverat. *Tinnient:* Hebraismus: maximo terrore percellentur.

13. (*d*) Sept. Interpret. *Noverat quod maledicentes Deo filii ejus:* hic unus est e locis, quæ correxerunt Judæi.

14. (*e*) Quod de pœna temporali intelligitur, eaque fuit multiplex. 1. Qui ex Heli orti, & orituri erant, magna ex parte ad seniles annos non pervenirent. 2. Quod Pontificali dignitate erant spoliandi. 3. Fore ut ex tantis opibus ad egestatem essent redigendi.

17. (*f*) Hæc mala in te recidant. Adjuratio & imprecatio ab Hebræis usurpata, id est, Deus severe te puniat.

21. (*g*) Hebr. *In verbo Domini*, in verbo Prophetæ.

1. (*a*) Hæc desunt in Hebræo; sed apud LXX. inveniuntur. *Juxta Lapidem adjutorii*, ubi castra posuit Israel: sic vocatur per anticipationem, quod postea Israelitæ eo in loco victoriam reportarint. CAP. IV.

8. (*b*) In mari rubro, quod deserto proximum est. Vox Hebræa, *Midbar* מדבר. & desertum & urbem significat; *in verbo*, seu solo sermone. De Deo loquuntur, non ut de hujus universi Domino, sed ut de Deo Hebræorum.

14. Et audivit Heli sonitum clamoris, dixitque: Quis est hic sonitus tumultus hujus? At ille festinavit, & venit, & nuntiavit Heli.

15. Heli autem erat nonaginta & octo annorum, & oculi ejus caligaverant, & videre non poterat.

16. Et dixit ad Heli: Ego sum qui veni de prælio, & ego qui de acie fugi hodie. Cui ille ait: Quid actum est fili mi?

17. Respondens autem ille, qui nuntiabat, Fugit, inquit, Israel coram Philisthiim, & ruina magna facta est in populo: insuper & duo filii tui mortui sunt, Ophni & Phinees: & arca Dei capta est.

18. Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum juxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est. Senex enim erat vir & grandævus: & ipse judicavit (c) Israel quadraginta annis.

19. Nurus autem ejus, uxor Phinees, prægnans erat, vicinaque partui: & audito nuntio quod capta esset arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus, incurvavit se & peperit: irruerant enim in eam dolores subiti.

20. In ipso autem momento mortis ejus, dixerunt ei quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animadvertit.

21. Et vocavit puerum, Ichabod (d) dicens: Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei, & pro socero suo & pro viro suo;

22. Et ait: Translata est gloria ab Israel, eo quod capta esset arca Dei.

CAPUT V.

Arca Dei ad Philisthinos deducta, & in templo Dagon posita, multa edit prodigia, idolum dejicit. Philisthæi varie puniti coguntur eam cum honore reducere.

1. PHilisthiim autem tulerunt arcam Dei, & asportaverunt eam a Lapide adjutorii in Azotum.

2. Tuleruntque Philisthiim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon (a), & statuerunt eam juxta Dagon.

3. Cumque surrexissent diluculo Azotii altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum.

4. Rursumque mane die altera consurgentes, invenerunt Dagon jacentem (b) super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abscissæ erant super limen:

5. Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant (c) sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum ejus, super limen Dagon in Azoto, usque in hodiernum diem.

6. Aggravata est autem manus Domini super Azotios, & demolitus est eos: * & percussit in secretiori parte natium Azotum, & fines ejus. Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in civitate. * Psal. 77. 66.

7. Videntes autem viri Azotii hujuscemodi plagam, dixerunt: Non maneat arca Dei Israel apud nos: quoniam dura est manus ejus super nos, & super Dagon deum nostrum.

8. Et mittentes congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum ad se, & dixerunt: Quid faciemus de arca Dei Israel? Responderuntque Gethæi: Circumducatur (d) arca Dei Israel. Et circumduxerunt arcam Dei Israel.

9. Illis autem circumducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas civitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat viros uniuscujusque urbis, a parvo usque ad majorem, & computrescebant (e) prominentes extales eorum. Inieruntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas.

10. Miserunt ergo arcam Dei in Accaron. Cumque venisset arca Dei in Accaron, exclamaverunt Accaronitæ, dicentes: Adduxerunt ad nos arcam Dei Israel, ut interficiat nos & populum nostrum.

11. Miserunt itaque & congregaverunt omnes satrapas Philisthinorum, qui dixerunt: Dimittite arcam Dei Israel, & revertatur in locum suum, & non interficiat nos cum populo nostro.

12. Fiebat enim pavor mortis in singulis urbibus, & gravissima valde manus Dei. Viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium: & ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis in cælum.

CA-

18. (c) Tum, ut videtur Auctori concordiæ inter Lib. Regum & Libros Paralip. Samuel natus annos 39. Israelis administrationem suscepit.

21. (d) Id est, Non gloria; nec statim mortua est, sed paullo post ad se reversa ex stupore filio nomen dedit ex eventu ipso quod periisset gloria Israel.

CAP. V. 2. (a) Dagon piscem significat: adeo ut hoc idolum formam piscis habuerit, saltem ex parte sui inferiori; nam manus habebat. Ut hostium spolia solent in templis collocari, statuerant arcam in templo Dagon.

4. (b) Hæc non pugnant cum iis quæ sequuntur: *Porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo*. Illud enim idolum ab umbilico ad partes imas desinebat in piscem, superiore vero parte species erat humana: unde truncatis capite & manibus restabat tantum figura piscis. Truncus autem non remanebat in loco sublimi, sed in pavimento, cum caput & manus ex gravi collisione versus limen fuerint devoluta. Quod vero non addatur, *Propter hanc causam &c. usque in hodiernum diem*, hinc male colligunt nonnulli hunc librum a Samuele non fuisse conscriptum: Ista enim evenerunt Samuele adolescente, & ab eo jam sene scripta sunt. Eadem locutio repetita occurrit capit. 27. & 30. quid a capit. 24. quæ sequuntur, a Prophetis Nathan & Gad scripta fuerint.

5. & 6. (c) Limen templi, sed illud transiliunt. Voluit Deus miraculi a se facti extare monumentum in ipsis ritibus Idololatrarum. *Ebullierunt*: hæc desunt in Hebræo, & in LXX. forte ante extiterunt, & codices illi fuerunt corrupti: cur enim mures aureos obtulissent ad expiationem, nisi ea plaga fuissent percussi? *Confusio mortis*: innumerabilis morientium multitudo. Morbus autem ille fuit aut dysenteria ex Josepho, aut ulcus serpens ex Aquila.

8. (d) Ex urbe in urbem, ut experirentur, an eadem mala circumferret.

9. (e) Partes ani extantes, ut fit in hæmorrhoidibus: pellibus animalium partes læsas tegebant. Inieruntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas, seu pulvillos.

CAPTU VI.

Arcam cum donariis votivis remittunt Philisthæi per vaccas lactantes ex consilio suorum Sacerdotum.

1. Fuit ergo arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus (*a*).

2. Et vocaverunt Philisthiim sacerdotes & divinos, dicentes: Quid faciemus de arca Domini? indicate nobis quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt?

3. Si remittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini: & scietis quare non recedat manus ejus a vobis.

4. Qui dixerunt: Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderuntque illi:

5. Juxta numerum provinciarum Philisthinorum quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga una fuit omnibus vobis, & satrapis vestris. Facietisque similitudines anorum vestrorum, & similitudines murium, qui demoliti sunt terram, & dabitis Deo Israel gloriam: si forte relevet manum suam a vobis, & a diis vestris, & a terra vestra.

6. Quare aggravatis corda vestra, sicut aggravavit Ægyptus, & Pharao cor suum? * nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos, & abierunt?

* Exod. 12. 31.

7. Nunc ergo arripite & facite plaustrum novum unum: & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum jugum, jungite in plaustro, & recludite (*b*) vitulos earum domi.

8. Tolletisque arcam Domini, & ponetis in plaustro, & vasa aurea, quæ exsolvistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus ejus: & dimittite eam ut vadat.

9. Et aspicietis: & si quidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames (*c*), ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem, minime: sciemus quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit.

10. Fecerunt ergo illi hoc modo: & tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, junxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluserunt domi.

11. Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, & capsellam, quæ habebat mures aureos & similitudines anorum.

12. Ibant autem in directum vaccæ, per viam quæ ducit Bethsames, & itinere uno gradiebantur, pergentes & mugientes: & non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram: sed & satrapæ Philisthiim sequebantur usque ad terminos Bethsames.

13. Porro Bethsamitæ metebant triticum in valle: & elevantes oculos suos, viderunt arcam, & gavisi sunt cum vidissent.

14. Et plaustrum venit in agrum Josue Bethsamitæ, & stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plaustri, vaccasque imposuerunt super ea holocaustum Domino.

15. Levitæ autem deposuerunt arcam Dei, & capsellam, quæ erat juxta eam, in qua erant vasa aurea, & posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, & immolaverunt victimas in die illa Domino.

16. Et quinque satrapæ Philisthinorum viderunt, & reversi sunt in Accaron in die illa.

17. Hi (*d*) sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim pro delicto, Domino: Azotus unum, Gaza unum, Ascalon unum, Geth unum, Accaron unum:

18. Et mures aureos secundum numerum urbium Philisthiim, quinque provinciarum, ab urbe murata, usque ad villam, quæ erat absque muro, & usque ad Abel (*e*) magnum, super quem posuerunt arcam Domini, quæ erat usque in illum diem in agro Josue Bethsamitis.

19. Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini: & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia (*f*) plebis. Luxitque populus, eo quod Dominus percussisset plebem plaga magna.

20. Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus? & ad quem ascendet a nobis?

21. Miseruntque nuntios ad habitatores Cariathjarim, dicentes: Reduxerunt Philisthiim arcam Domini, descendite, & reducite eam ad vos.

CAPUT VII.

Arca in domum Abinadab reducitur, ubi manet per 20. annos in Gabaa. Samuel pugnaturus contra Philisthæos castra ponit in Masphà, pugnat & vincit.

1. Venerunt ergo viri Cariathjarim (*a*), & reduxerunt arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium ejus sanctificaverunt, ut custodiret arcam Domini.

2. Et

CAP. VI.

1. (*a*) Ab Octobri ad Aprilem usque tempore messis tritici, cum pervenit ad agrum Bethsamitarum.

7. (*b*) Duas vaccas lactantes, ut alii vertunt ex Hebræo: eo spectabant hæc omnia, ut explorarent, an ab ipso Deo læso has plagas acc pissent.

9. (*c*) Si petierit fines Bethsamitarum.

17. (*d*) Hæ sunt quinque urbes, quæ Provinciis seu satrapis Philisthinorum præerant.

18. (*e*) Sept. Interpret. Ad lapidem magnum ubi currus steterat.

19. (*f*) Quod curiosi nimis denudatam velis arcam aspexissent. Hebr. *Percussit in populo septuaginta viros, quinquaginta millia virorum*: adeo ut sensus hic nonnullis genuinus videatur ex 50000. viris qui aderant, LXX. viros esse percussos: unde in Vulgata putant addendam esse hanc vocem, *aderant*: nam illud incredibile iis videtur tantam fuisse hominum multitudinem in oppido nonadmodum celebri. Alii aliter hunc locum interpretantur, ac tot homines occisos progressu temporis: nam arca aliquamdiu mansit apud Bethsamitas; locum corruptum fuisse circa numerum occisorum Abulensis opinatur.

CAP. VII.

1. (*a*) Gabaa erat pars urbis Cariathiarim, ut liquet ex versu sequenti: collis forte erat in ea urbe, quæ ex Josue capit. 15. erat in Tribu Juda: Tabernaculum adhuc erat in Silo, ex capit. 18. Judicum vers. 31. & 1. Regum 14.

2. Et factum est, ex qua die mansit arca Domini in Carjathjarim, multiplicati (b) sunt dies (erat quippe jam annus vigesimus) & requievit omnis domus Israel post Dominum.

3. Ait autem Samuel ad universam domum
* Deut. 6. 13. Matth. 4. 10. Israel, dicens: * Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestri, Baalim, & Astaroth: & præparate corda vestra Domino, & servite ei soli, & eruet vos de manu Philisthiim.

4. Abstulerunt ergo filii Israel Baalim & Astaroth, & servierunt Domino soli.

5. Dixit autem Samuel: Congregate universum Israel in Masphath, ut orem pro vobis Dominum.

6. Et convenerunt in Masphath: hauseruntque aquam, & effuderunt (c) in conspectu Domini, & jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino. Judicavitque Samuel filios Israel in Masphath.

7. Et audierunt Philisthiim quod congregati essent filii Israel in Masphath, & ascenderunt Satrapæ Philisthinorum ad Israel. Quod cum audissent filii Israel, timuerunt a facie Philisthinorum.

8. Dixeruntque ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum.

9. Tulit autem Samuel agnum lactentem unum, & obtulit (d) illum holocaustum integrum Domino: & clamavit Samuel ad Dominum pro Israel, & exaudivit eum Dominus.

10. Factum est autem, cum Samuel offerret holocaustum, Philisthiim inire prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt a facie Israel.

* Eccli. 46. 21. 11. * Egressique viri Israel de Masphath, persecuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos, usque ad locum, qui erat subter Bethchar.

12. Tulit autem Samuel lapidem unum, & posuit eum inter Masphath & inter Sen: & vocavit nomen loci illius, Lapis adjutorii. Dixitque: Hucusque auxiliatus est nobis Dominus.

13. Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt ultra ut venirent in terminos Israel. Facta est itaque manus Domini super Philisthæos, cunctis diebus Samuelis (e).

14. Et redditæ sunt urbes, quas tulerant Philisthiim ab Israel, Israeli, ab Accaron usque Geth, & terminos suos: liberavitque Israel de manu Philisthinorum, eratque pax inter Israel & Amorrhæum.

15. Judicabat (f) quoque Samuel Israelem cunctis diebus vitæ suæ:

16. Et ibat (g) per singulos annos circuiens Bethel & Galgala & Masphath, & judicabat Israelem in supradictis locis.

17. Revertebaturque in Ramatha: ibi enim erat domus ejus, & ibi judicabat Israelem: ædificavit etiam ibi altare Domino.

CAPUT VIII.

Cum filiis Samuelis ad res suas plus satis intenti male audirent, Regem sibi dari postulant Israelitæ: Deus jus Regis iis coram edicit.

1. Factum est autem cum senuisset Samuel, posuit filios suos judices Israel.

2. Fuitque nomen filii ejus primogeniti Joel: & nomen secundi Abia, judicum in Bersabee (a).

3. Et non ambulaverunt filii illius in viis ejus: sed declinaverunt post avaritiam, acceperuntque munera, & perverterunt judicium.

4. Congregati ergo universi majores natu Israel, venerunt ad Samuelem in Ramatha:

5. Dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, & filii tui non ambulant in viis tuis: * constitue (b) nobis regem, ut judicet nos, sicut & * Osee 13. 10. Act 13. 21.
universæ habent nationes.

6. Displicuit sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent: Da nobis regem, ut judicet nos. Et oravit Samuel ad Dominum.

7. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi: non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem (c) super eos.

8. Juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die qua eduxi eos de Ægypto usque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, & servierunt diis alienis, sic faciunt etiam tibi.

9. Nunc ergo vocem eorum audi: verumtamen contestare eos, & prædic eis jus (d) regis, qui regnaturus est super eos.

10. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat a se regem,

11. Et ait: Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum,

12. Et

2. (b) Post multos dies; Erat quippe jam annus vigesimus; Hebr. Et fuerunt viginti anni, quibus arca mansit in eo loco. Et requievit omnis domus Israel post Dominum. Hebr. luxit; pœnitentiam egit. Post Dominum; reversa est, ut vertunt LXX. Hoc in loco interpretes de numero annorum non consentiunt. In Actis Apost. capit. 13. regno Saulis 40. anni tribuuntur, conjunctis forte in unum annis, quibus Samuel & Saul Israeliticam gentem rexerunt. Sanctius existimat ex illis 40. annis Saulem regnasse tantum per biennium: aut, ut Gordonus, hos annos ex æquo dividunt, Samueli dant 20. annos, totidem Sauli. Arca anno a morte Heli proximo venit Carjathjarim, vigesimo post anno bellum feliciter gestum fuit contra Philisthæos, verum ea de re diximus in Prolegomenis.
6. (c) In signum effusi cordis ante Deum prostrati.
9. (d) Per Sacerdotem; aut forsan urgente necessitate Levita sacrificabat. Quamdiu arca non habuit sedem stabilem, licuit aliis in locis immolare.
13. & 14. (e) Id est, ad regnum usque Saulis. Urbes redditæ in quibusdam flatum sus [illegible], ex cap. 10. v. 5.
15. (f) Solus fuit per 20 annos, cum Saule ut Judex, sed sub rege, aut cum rege in iis maxime quæ ad Deum spectabant. Hinc male colligit Hobbesius hunc librum post mortem Samuelis scriptum fuisse. Respondet Huetius ab obitu Heli Sacerdotis ad illud usque tempus, quo hæc scribebat Samuel, judicia inter Hebræos exercuisse Samuelem.
16. (g) Regionem obibat, ut minor esset subditis labor, neque ad eum venire cogerentur.
CAP. VIII. 2. (a) Quæ urbs erat in extrema Judæa ad Austrum: ibi manebant, non ut Samuel, invisebant populos.
5. (b) Cum Samuel esset 60. annos natus.
7. (c) Nam hactenus regimen Israelitarum fuerat Theocraticum. Deus eos regebat per Judices tamquam per præfectos, qui eum consulebant. Regia potestas in illis regionibus erat prorsus despotica, sed constituti Judices juxta legis divinæ præscriptum populum gubernabant. Et quidem in Deuteronom. 17. regis constituendi ratio præscribitur, ex hypothesi quod regem habere vellent: facta quidem est illis potestas regem petendi, sed in Deuter. non iis concedit Deus, ut petant regem, qualem universæ habent nationes, qui ex animo suo, non ex divinis legibus regat. Peccarunt in eo quod ordinem a Deo constitutum inconsulto Deo mutare voluerunt. Ne regnem, solus, ut antea: nam sicut semper regnabat super Israel.
9. (d) Non quid reges jure possint, sed quid facturi sint. Hebr. Judicium: sic se gerent in judicando & gubernando.

12. Et constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum.

13. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, & focarias (e), & panificas.

14. Agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis.

15. Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis & famulis suis.

16. Servos etiam vestros, & ancillas, & juvenes optimos, (f) & asinos auferet, & ponet in opere suo.

17. Greges quoque vestros addecimabit, vosque eritis ei servi.

18. Et clamabitis in die illa a facie regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis regem.

19. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquam: rex enim erit super nos,

20. Et erimus nos quoque sicut omnes gentes: & judicabit nos rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.

21. Et audivit Samuel omnia verba populi, & locutus est ea in auribus Domini.

22. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, & constitue super eos regem. Et ait Samuel ad viros Israel: Vadat unusquisque in civitatem suam.

CAPUT IX.

Saul quærens asinas patris sui Samuelem adit, qui hospitio eum excipit.

1. ET erat vir de Benjamin nomine Cis, filius Abiel, (a) filii Seror, filii Bechorath, filii Aphia, filii viri Jemini, fortis robore.

2. Et erat ei filius vocabulo Saul, electus (b) & bonus: & non erat vir de filiis Israel melior illo: ab humero & sursum eminebat super omnem populum.

3. Perierant autem asinæ Cis patris Saul: & dixit Cis ad Saul filium suum: Tolle tecum unum de pueris, & consurgens vade, & quære asinas. Qui cum transissent per montem Ephraim,

4. Et per terram Salisa, & non invenissent, transierunt etiam per terram Salim, & non erant: sed & per terram Jemini, & minime repererunt.

5. Cum autem venissent in terram Suph, (c) dixit Saul ad puerum qui erant cum eo: Veni, & revertamur, ne forte dimiserit pater meus asinas, & solicitus sit pro nobis.

6. Qui ait ei: Ecce vir Dei est in civitate hac, vir nobilis: omne quod loquitur, sine ambiguitate venit: nunc ergo eamus illuc, si forte indicet nobis de via nostra, propter quam venimus.

7. Dixitque Saul ad puerum suum: Ecce ibimus: quid feremus ad virum Dei? panis defecit in sitarciis (d) nostris: & sportulam non habemus, ut demus homini Dei, nec quidquam aliud.

8. Rursum puer respondit Sauli, & ait: Ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti, demus homini Dei, ut indicet nobis viam nostram.

9. (Olim in Israel sic loquebatur unusquisque vadens consulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns) (e).

10. Et dixit Saul ad puerum suum: Optimus sermo tuus. Veni, eamus. Et ierunt in civitatem, in qua erat vir Dei.

11. Cumque ascenderent clivum civitatis, invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis: Num hic est Videns?

12. Quæ respondentes dixerunt illis: Hic est: ecce ante te, festina nunc: hodie enim venit in civitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso (f).

13. Ingredientes urbem, statim invenietis eum antequam ascendat excelsum ad vescendum. Neque enim comesurus est populus donec ille veniat: quia ipse benedicit hostiæ, & deinceps comedunt qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum.

14. Et ascenderunt in civitatem. Cumque illi ambularent in medio urbis, apparuit Samuel egrediens obviam eis, ut ascenderet in excelsum.

15. * Dominus (g) autem revelaverat auriculam Samuelis ante unam diem quam veniret Saul, dicens: *Act. 13. 21.

16. Hac ipsa hora, quæ nunc est, cras mittam virum ad te de terra Benjamin, & unges eum ducem super populum meum Israel: & salvabit populum meum de manu Philisthinorum: quia respexi populum meum, venit enim clamor eorum ad me.

17. Cumque aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei: Ecce vir quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.

18. Accessit autem Saul ad Samuelem in medio portæ, & ait: Indica, oro, mihi, ubi est domus Videntis.

19. Et respondit Samuel Sauli, dicens: Ego sum Videns: ascende ante me in excelsum, ut comedatis mecum hodie, & dimittam te mane: & omnia quæ sunt in corde tuo, indicabo tibi:

20. Et

13. & 14. (e) Coquinarias: panificas, pistrices. Tollet: Hinc liquet non agi de jure vero & legitimo, sed de usurpato, ut docet S. Thomas; cum 4. Regum 21. Achab & uxor ejus Jezabel id juris usurpassent, graves dederunt pœnas.

16. & 18. (f) Eleganti forma faciet ministros suos. Portæ: id est, in medio civitatis, ex Hebr. & vers. 14

CAP. IX. 1. (a) Lib. 1. Paralipom. cap. 8. Cis dicitur filius Ner, seu Abiel fuerit binomius, seu Abiel avus habuerit filios Cis patrem Saulis, & Ner patrem Abner de tribu Benjamin.

2. (b) Chald. juvenis pulcher: nam vox Hebræa non modo electum, sed & juvenem significat, ut vox altera & bonum, & pulcrum designat.

5. (c) Quæ erat Ramatha Samuelis patria.

7. (d) Vox Græca ἐκ τῶν σιταρκιῶν commeatum significat, eaque pro marsupio aut pera, in qua cibus reponitur, ab Hieronymo posita est.

9. (e) Hinc nonnulli colligunt hunc librum longo post Samuelem tempore fuisse compositum: verum id addi potuit ab Auctore Hagiographo.

12. (f) Per Excelsum intelligunt domum exstructam prope locum ubi hostiæ mactabantur: ibi parabatur convivium: Chald. In domo consessus: nullum tum fuisse certum ad sacrificia locum existimat Grotius ob frequentes migrationes.

15. (g) Dominus autem revelaverat auriculam Samuelis: Dominus indicaverat Samueli venturum Saulem.

20. Et de asinis, quas nudiustertius perdidisti, ne sollicitus sis, quia inventæ sunt. Et cujus erunt optima quæque Israel? nonne tibi & omni domui patris tui?

21. Respondens autem Saul, ait: Numquid non filius Jemini ego sum, de minima tribu Israel, & cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin? quare ergo locutus es mihi sermonem istum?

22. Assumens itaque Samuel Saulem, & puerum ejus, introduxit eos in triclinium, & dedit eis locum in capite eorum qui fuerant invitati: erant enim quasi triginta viri.

23. Dixitque Samuel coco: Da partem quam dedi tibi, & præcepi ut reponeres seorsum apud te.

24. Levavit autem cocus armum, & posuit ante Saul. Dixitque Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede: quia de industria servatum est tibi, quando populum vocavi. Et comedit Saul cum Samuele in die illa.

25. Et descenderunt de excelso in oppidum, & locutus est cum Saule in solario: stravitque Saul in solario, & dormivit.

26. Cumque mane surrexissent, & jam elucesceret, vocavit Samuel Saulem in solario, dicens: Surge, & dimittam te. Et surrexit Saul: egressique sunt ambo, ipse videlicet & Samuel.

27. Cumque descenderent in extrema parte civitatis, Samuel dixit ad Saul: Dic puero ut antecedat nos, & transeat: tu autem subsiste paulisper, ut indicem tibi verbum Domini.

C A P U T X.

Samuel ungit Saulem; quæ eventura sint ei prædicit; salutaria ei dat monita.

1. TUlit autem * Samuel lenticulam olei, & effudit super caput ejus, & deosculatus est eum, & ait: Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt. Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem. * Act. 13. 21.

2. Cum abieris hodie a me, invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel in finibus (a) Benjamin, in Meridie, dicentque tibi: Inventæ sunt asinæ, ad quas ieras perquirendas: & intermissis pater tuus asinis, sollicitus est pro vobis, & dicit: Quid faciam de filio meo?

3. Cumque abieris inde, & ultra transieris, & veneris ad quercum Thabor, invenient te ibi tres viri ascendentes ad Deum in Bethel (b), unus portans tres hædos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini.

4. Cumque te salutaverint, dabunt tibi duos panes, & accipies de manu eorum.

5. Post hæc venies in collem (c) Dei, ubi est statio Philisthinorum: & cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes.

6. Et insiliet in te Spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium.

7. Quando ergo evenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque invenerit manus tua, quia Dominus tecum est.

8. Et descendens ante me in Galgala (d), (ego quippe descendam ad te) ut offeras oblationem, & immoles victimas pacificas: septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & ostendam tibi quid facias.

9. Itaque cum avertisset humerum suum ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia signa hæc in die illa.

10. Veneruntque ad prædictum collem, & ecce cuneus prophetarum obvius ei: & insilivit super eum Spiritus Domini, & prophetavit in medio eorum.

11. Videntes autem omnes qui noverant eum heri & nudiustertius, quod esset cum prophetis, & prophetaret, dixerunt ad invicem: Quænam res accidit filio Cis? num & Saul inter prophetas?

12. Responditque alius ad alterum, dicens: Et quis pater (e) eorum? propterea versum est in proverbium: * Num & Saul inter prophetas? * Inf. 19. 24.

13. Cessavit autem prophetare, & venit ad excelsum.

14. Dixitque patruus Saul ad eum, & ad puerum ejus: Quo abistis? Qui responderunt: Quærere asinas: quas cum non reperissemus, venimus ad Samuelem.

15. Et dixit ei patruus suus: Indica mihi quid dixerit tibi Samuel.

16. Et ait Saul ad patruum suum: Indicavit nobis quia inventæ essent asinæ. De sermone autem regni non indicavit ei quem locutus fuerat ei Samuel.

17. Et convocavit Samuel populum ad Dominum in Maspha:

18. Et ait ad filios Israel: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego eduxi Israel de Ægypto, & erui vos de manu Ægyptiorum & de manu omnium regum qui affligebant vos.

19. Vos autem hodie projecistis Deum vestrum, qui solus salvavit vos de universis malis & tribulationibus vestris: & dixistis: * Nequaquam: sed regem constitue super nos. Nunc ergo state coram Domino per tribus vestras, & per familias. * Sup. 8. 19.

20. Et applicuit Samuel omnes tribus Israel, & cecidit sors tribus Benjamin.

21. Et applicuit tribum Benjamin & cognationes ejus, & cecidit cognatio Metri, & pervenit usque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum, & non est inventus.

22. Et

CAP. X. 2. (a) Rachel fuit sepulta non in Ephrata, seu Bethlehem: sed in via quæ ducit Ephratam. Genes. 35. eaque est in finibus Benjamin. Aliis videtur inversa constructio, eaque est ita ordinanda: Invenies duos viros in finibus Benjamin, juxta sepulcrum Rachel.

3. (b) Ascendentes ad locum ubi colitur Deus.

5. (c) Forte ad urbem Gabaa, ubi erat schola Prophetarum, aut Psallentium collegium. Saul autem dicitur mutatus in virum alterum, non quod vere Propheta factus fuerit, sed quod ex homine rustico evaserit canendi peritus, atque in eum insilierit Spiritus Domini; aut potius quod induerit cor regium & magnanimum, atque hostibus terrori fuerit. Quin & Deus momentaneum prophetiæ donum huic impertiit, ne dubitaret se regno esse destinatum: sed spiritum administrandi regni peculiarem postea in pœnam peccatorum ei abstulit.

8. (d) Jubetur expectare Samuelem septem diebus in Galgala.

12. (e) An non etiam qui prophetant sunt et humili loco sicut Saul? Responsio est ad eos qui mirabantur, quod prophetaret Saul.

22. Et consuluerunt post hæc Dominum, utrumnam venturus esset illuc. Respònditque Dominus: Ecce absconditus est domi.

23. Cucurrerunt itaque & tulerunt eum inde: stetitque in medio populi, & altior fuit universo populo ab humero & sursum.

24. Et ait Samuel ad omnem populum: Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. Et clamavit omnis populus, & ait: Vivat Rex.

25. Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, (*f*) & reposuit coram Domino: & dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam.

26. Sed & Saul abiit in domum suam in Gabaa: & abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda.

27. Filii vero Belial dixerunt: Num salvare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera: ille vero dissimulabat se audire.

CAPUT XI.

Saul bello indicto convocat populum; prælio commisso vincit Ammonitas: Rex confirmatur in Galgalis.

1. ET factum (*a*) est quasi post mensem, ascendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit adversum Jabes Galaad. Dixeruntque omnes viri Jabes ad Naas: Habeto nos fœderatos, & serviemus tibi.

2. Et respondit ad eos Naas Ammonites: In hoc feriam vobiscum fœdus, ut eruam omnium vestrum oculos dextros (*b*), ponamque vos opprobrium in universo Israel.

3. Et dixerunt ad eum seniores Jabes: Concede nobis septem dies, ut mittamus nuntios ad universos terminos Israel: & si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te.

4. Venerunt ergo nuntii in Gabaa Saulis: & locuti sunt verba hæc, audiente populo: & levavit omnis populus vocem suam, & flevit.

5. Et ecce Saul veniebat, sequens boves de agro, & ait: Quid habet populus quod plorat? Et narraverunt ei verba virorum Jabes.

6. Et insilivit Spiritus Domini in Saul, cum audisset verba hæc, & iratus est furor ejus nimis.

7. Et assumens utrumque bovem, concidit in frusta, misitque in omnes terminos Israel per manum nuntiorum, dicens: Quicumque non exierit, & secutus fuerit Saul & Samuel, sic fiet bobus ejus. Invasit ergo timor Domini populum, & egressi sunt quasi vir unus.

8. Et recensuit eos in Bezech: fueruntque filiorum Israel trecenta millia: virorum autem Juda triginta millia.

9. Et dixerunt nuntiis, qui venerant: Sic dicetis viris, qui sunt in Jabes Galaad: Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol. Venerunt ergo nuntii, & annuntiaverunt viris Jabes: qui lætati sunt.

10. Et dixerunt (*c*): Mane exibimus ad vos: & facietis nobis omne quod placuerit vobis.

11. Et factum est, cum dies crastinus venisset, constituit Saul populum in tres partes: & ingressus est media castra in vigilia matutina, & percussit Ammon usque dum incalesceret dies: reliqui autem dispersi sunt, ita ut non relinquerentur in eis duo pariter.

12. Et ait populus ad Samuelem: * Quis est iste qui dixit: Saul num regnabit super nos? Date viros, & interficiemus eos. * Sup. 10. 27.

13. Et ait Saul: Non occidetur (*d*) quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel.

14. Dixit autem Samuel ad populum: Venite, & eamus in Galgala, & innovemus ibi regnum.

15. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul coram Domino (*e*) in Galgala, & immolaverunt ibi victimas pacificas coram Domino. Et lætatus est ibi Saul, & cuncti viri Israel nimis.

CAPUT XII.

Samuel stabilito Saulis regno, suam coram populo probat integritatem, & gravi adhortatione præmissa, datis e cælo signis dicta sua confirmat.

1. DIxit autem Samuel ad universum Israel: Ecce audivi vocem vestram, juxta omnia quæ locuti estis ad me, & constitui super vos regem.

2. Et nunc rex graditur ante vos: ego autem senui, & incanui: porro filii mei vobiscum sunt (*a*): itaque conversatus coram vobis ab adolescentia mea usque ad hanc diem, ecce præsto sum.

3. * Loquimini de me coram Domino, & coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi: & contemnam illud hodie, restituamque vobis. * Eccli 46. 22.

4. Et dixerunt: Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicujus quippiam.

5. Dixitque ad eos: Testis est Dominus adversum vos, & testis Christus ejus in die hac, quia non inveneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt: Testis.

6. Et ait Samuel ad populum: Dominus, qui fecit (*b*) Moysen & Aaron, & eduxit patres nostros de Terra Ægypti.

7. Nunc ergo state, ut judicio contendam adversum vos coram Domino, de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum, & cum patribus vestris.

8. * Quo-

25. (*f*) Qui forte mutua Regum in subditos, & subditorum in Regem officia continebat. *Coram Domino*, fortassis prope arcam.

CAP. XI. 1. (*a*) Hæc verba desunt in Hebræo: sed in Codicibus LXX. emendatioribus reperiuntur.

2. (*b*) Quo eos ad pugnam efficeret inutiles: sinistra enim manu clypeum tenebant, qui oculi sinistri usum expeditum adimebant.

10. & 11. (*c*) Ammonitis. *Duo pariter*, id est, duo simul.

13. (*d*) Regi ea tantummodo condonare licebat, quæ ad illatam sibi injuriam pertinebant, ait Grotius.

15. (*e*) Coram altare Domini, ibi regnum Saulis publica unctione fuit confirmatum.

CAP. XII. 1. (*a*) Absentiam meam supplebunt: vel privati inter vos degent, nec successores erunt muneris mei.

6. (*b*) Qui eos Prophetiæ dono & aliis dotibus ornavit, supple, *adest*.

*Gen. 46. 5. 8. * Quomodo Jacob ingressus est in Ægyptum, & clamaverunt patres vestri ad Dominum: & misit Dominus Moysen & Aaron, & eduxit patres vestros de Ægypto, & collocavit eos in loco hoc.

* Judic. 4. 2. 9. Qui obliti sunt Domini Dei sui, * & tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Hasor, & in manu Philisthinorum, & in manu regis Moab, & pugnaverunt adversum eos.

10. Postea autem clamaverunt ad Dominum, & dixerunt: Peccavimus, quia dereliquimus Dominum, & servivimus Baalim & Astaroth: nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, & serviemus tibi.

* Judic. 6. 14. 11. * Et misit Dominus Jerobaal, & Badan, (c) & Jephte, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, & habitastis confidenter.

12. Videntes autem quod Naas rex filiorum Ammon venisset adversum vos, dixistis mihi:

* Sup. 8. 19. & 10. 19. * Nequaquam, sed rex imperabit nobis: cum Dominus Deus vester regnaret in vobis.

13. Nunc ergo præsto est rex vester, quem elegistis & petistis: ecce dedit vobis Dominus regem.

14. Si timueritis Dominum, & servieritis ei, & audieritis vocem ejus, & non exasperaveritis os Domini: eritis & vos, & rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum.

15. Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit manus Domini super vos, & super patres (d) vestros.

16. Sed & nunc state, & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro.

17. Numquid non messis tritici est hodie? invocabo Dominum, & dabit voces & pluvias: & scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem.

18. Et clamavit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces & pluvias in illa die.

19. Et timuit (e) omnis populus nimis Dominum & Samuelem, & dixit universus populus ad Samuelem: Ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur: addidimus enim universis peccatis nostris malum, ut peteremus nobis regem.

20. Dixit autem Samuel ad populum: Nolite timere, vos fecistis universum malum hoc: verumtamen nolite recedere a tergo Domini, sed servite Domino in omni corde vestro.

21. Et nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt.

22. Et non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum: quia juravit Dominus facere vos sibi populum.

23. Absit autem a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis, & docebo vos viam bonam & rectam.

24. Igitur timete Dominum, & servite ei in veritate, & ex toto corde vestro: vidistis enim magnifica quæ in vobis gesserit.

25. Quod si perseveraveritis in malitia: & vos & rex vester pariter peribitis.

CAPUT XIII.

Philisthæi magno apparatu bellum instaurant; Saul quod sacra fecerit in Galgala, a Samuele reprehenditur.

1. Filius unius (a) anni erat Saul cum regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit super Israel.

2. Et elegit sibi Saul tria millia de Israel: & erant cum Saul duo millia in Machmas, & in monte Bethel: mille autem cum Jonatha in Gabaa Benjamin: porro ceterum populum remisit unumquemque in tabernacula sua.

3. Et percussit Jonathas stationem (b) Philisthinorum, quæ erat in Gabaa. Quod cum audissent Philisthiim, Saul cecinit buccina in omni terra, dicens: Audiant Hebræi.

4. Et universus Israel audivit hujuscemodi famam: Percussit Saul stationem Philisthinorum: & erexit se Israel adversus Philisthiim. Clamavit ergo populus post Saul in Galgala.

5. Et Philisthiim congregati sunt ad præliandum contra Israel, triginta (c) millia curruum, & sex millia equitum, & reliquum vulgus, sicut arena quæ est in littore maris plurima. Et ascendentes castrametati sunt in Machmas ad Orientem Bethaven.

6. Quod cum vidissent viri Israel se in arcto positos, (afflictus enim erat populus) absconderunt se in speluncis, & in abditis, in petris quoque, & in antris, & in cisternis.

7. Hebræi autem transierunt (d) Jordanem in Terram Gad & Galaad. Cumque adhuc esset Saul in Galgala, universus populus perterritus est, qui sequebatur eum.

8. Et expectavit septem diebus juxta placitum Samuelis, * & non venit Samuel in Galgala, dilapsusque est populus ab eo. * Sup. 10. 8.

9. Ait

11. (c) Vulgo creditus Samson intelligi, quasi filius Dan, Beldan, alii putant hanc vocem subdititiam esse, ut & Birae, quæ deleta est in Sixtinis Bibliis. Alii idem videtur qui Jair, Jud. 9. 14.

15 & 17. (d) Chald. Sicut super patres vestros. Tritici, cum pluere non soleat in iis regionibus: eo miraculo ostendit petitionem regis inutilem fuisse, ut pluviam messis tempore. *Invocabo Dominum, & dabit voces*, tonitrua, *& pluvias*.

19. (e) Quod tonitrua præsentem mortem intentarent.

CAPUT XIII. 1. (a) Cald. *Sicut filius unius anni*, ob innocentiam & candorem animi: *Duobus annis regnavit*: in qua innocentia per duos annos permansit. Vel annus unus intercessit ab unctione Saulis ad confirmationem regni capit. 11. memoratam; ac duo deinde anni fluxerunt usque ad bellum cum Philisthæis, de quo in hoc capite agitur: sed postea elegit sibi satellites, & præsidium sumptibus populi alendum ex Genebrardo. Alii non minus probabiliter sic exponunt: annus unus effluxerat post devictos a Samuele Philisthæos: *Duobus autem annis regnavit super Israel*, id est a jugo Philisthinorum liber, qui totum Israelem gravi & diuturna servitute oppresserant: vel demum *filius unius anni erat Saul*, cum regnare cœpisset, cumque gesta sunt, quæ mox sunt enarrata. Saul annum egerat in regno: *duobus autem annis regnavit super Israel*. Quæ verba postrema si jungantur cum his quæ sequuntur, ii erit sensus, ut secundo regni anno copias illas militares coegerit.

3. (b) Præsidium: *Quæ erat in Gabaa*; hoc præsidio premebant Israelitas.

5. (c) Rejectis duabus postremis litteris hujus numeri, qui videtur major pro numero equitum, quique mox sequitur, legenda erunt tria millia curruum; ac facile error in litteras numerales irrepit, aut transpositio. Lyranus hoc ita interpretatur, ut fuerint triginta millia militum pugnantium e curribus. His aderant Tyrii ex cap. 46 Ecclesiastici, *Contrivit principes Tyriorum, & omnes duces Philisthiim*. *Ad Orientem Bethaven*: forte est Bethel, sic dictum per anticipationem, aut erat juxta Bethel.

7. (d) Pars quædam populi: nam alii latebras quæsierunt. Vel Hebræorum nomine ex tribus designantur, quæ erant trans Jordanem: *Hebræus* enim est transitor.

9. Ait ergo Saul: Afferte mihi holocaustum, & pacifica. Et obtulit holocaustum.

10. Cumque complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat: & egressus est Saul obviam ei ut salutaret eum.

11. Locutusque est ad eum Samuel: Quid fecisti? Respondit Saul: Quia vidi quod populus dilaberetur a me, & tu non veneras juxta placitos dies, porro Philisthiim congregati fuerant in Machmas,

12. Dixi: Nunc descendent Philisthiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placavi. Necessitate compulsus, obtuli holocaustum.

13. Dixitque Samuel ad Saul: Stulte (e) egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum,

14. Sed nequaquam regnum tuum ultra con-
* Act. 13. 22. surget. * Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor suum: & præcepit (f) ei Dominus, ut esset dux super populum suum, eo quod non servaveris quæ præcepit Dominus.

15. Surrexit autem Samuel, & ascendit de Galgalis in Gabaa Benjamin. Et reliqui populi ascenderunt post Saul obviam populo, qui expugnabant eos venientes de Galgala in Gabaa, in colle Benjamin. Et recensuit Saul populum, qui inventi fuerant cum eo, quasi sexcentos viros.

16. Et Saul & Jonathas filius ejus, populusque qui inventus fuerat cum eis, erat in Gabaa Benjamin: porro Philisthiim consederant in Machmas.

17. Et egressi sunt ad prædandum de castris Philisthinorum tres cunei. Unus cuneus pergebat contra viam Ephra ad Terram Sual.

18. Porro alius ingrediebatur per viam Bethhoron: tertius autem verterat se ad iter termini imminentis valli Seboim contra desertum.

19. Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni Terra Israel: caverant (g) enim Philisthiim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam.

20. Descendebat ergo omnis Israel ad Philisthiim, ut exacueret unusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum.

21. Retusæ (h) itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & securium, usque ad stimulum corrigendum.

22. Cumque venisset dies prælii, non est inventus ensis & lancea in manu totius populi, qui erat cum Saule & Jonatha, excepto Saul & Jonatha filio ejus.

23. Egressa est autem statio Philisthiim, ut transcenderet in Machmas (i).

CAPUT XIV.

Jonathas stationem Philisthinorum invadit, hostes turbat; Saul insequitur. Jonathas, quod gustasset parum mellis, ignorans Saulis prohibitionem, vix mortem evadit.

1. ET accidit quadam die ut diceret Jonathas filius Saul ad adolescentem armigerum suum: Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum, quæ est trans locum illum. Patri autem suo hoc ipsum non indicavit.

2. Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa sub malogranato, quæ erat in Magron: & erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum.

3. Et Achias filius Achitob (a) fratris Ichabod filii Phinees, * qui ortus fuerat ex Heli * Sup. 4. 21.
sacerdote Domini in Silo, portabat ephod. Sed & populus ignorabat quo isset Jonathas.

4. Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Jonathas transire ad stationem Philisthinorum, eminentes petræ ex utraque parte, & quasi in modum dentium scopuli hinc & inde prærupti, nomen uni Boses, & nomen alteri Sene:

5. Unus scopulus prominens ad Aquilonem ex adverso Machmas, & alter ad Meridiem contra Gabaa.

6. Dixit autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum: Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis: quia non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis.

7. Dixitque ei armiger suus: Fac omnia quæ placent animo tuo: perge quo cupis, & ero tecum ubicumque volueris.

8. Et ait Jonathas: Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis,

9. Si taliter locuti fuerint ad nos, manete donec veniamus ad vos: stemus (b) in loco nostro, nec ascendamus ad eos.

10. Si autem dixerint: Ascendite ad nos: ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris, hoc erit nobis signum.

11. Apparuit igitur uterque stationi Philisthinorum: dixeruntque Philisthiim: En Hebræi egrediuntur de cavernis, in quibus absconditi fuerant.

12. Et locuti sunt viri de statione ad Jonatham, & ad armigerum ejus, dixeruntque: Ascendite ad nos, & ostendemus vobis rem. Et ait Jonathas ad armigerum suum: Ascendamus, sequere me: * tradidit enim Dominus * 1. Mach. 4. 30.
eos in manus Israel.

13. Ascen-

13. (e) Dixerat enim Samuel cap. 10. *Septem diebus expectabis*. Septimo nondum elapso obtulit Saul sacrificium: non tamen videtur per hæc Samuelis verba plane rejectus, sed fuit comminatio ad effectum deducta cap. 15. Peccavit in eo quod timore humano potius, quam spe in Deum, & prudentia carnis adductus, Prophetæ non paruerit, nec postea culpam agnoverit, necessitatem prætexens. Peccatum Davidis specie quidem externa majus fuit; sed Deus cor ipsum & animum intuetur; pœnitentiam agit, coram Deo se demittit, seipsum accusat. Saulis culpa minor quidem prima specie apparet, sed ex superbia nascitur, quam non exuit, sed auget. Quod autem opponit Spinola hæc verba cap. 7. de Philisthæis, quod non appofuerint ultra ut venirent in terminos Israel; Respondet Huetius vocem Hebræam exiguum quandoque tempus, non perpetuum designare. *In sempiternum*: Vox Hebræa *Holam*, עלם, tempus inter annos Jubilæos interceptum proprie significat; hoc loco longum tempus designat.

14. & 15. (f) Sept. Interpr. *Præcipiet*; in Hebr. vox est in futuro. *Reliqui*: hæc usque ad vocem, *Benjamin*, desunt in Hebræo.

19. (g) Antiquis illis sæculis homines armari solebant fundis, vomeribus, arcu, sagittis. Probabile quidem est fabros ferrarios fuisse inter Hebræos, sed erant Philistæi, iique exorto bello ad suos se receperant, vel Philisthæi id caverant extorto ab Israelitis fœdere.

21. (h) Hebr. *Et erat lima dentata vomeribus & ligonibus, &c.* Fornaces non erant, sed lima tantum utebantur. *Usque ad stimulum corrigendum*, id est, acuendum.

23. (i) Ex Hebr. progressa est in Gabaa, ubi erat Saul, & egressa ex Machmas.

3. (a) Hic cap. 22. vocatur Achimelech.

9. (b) Hæc dixit Jonathas instinctu divino: nec quicquam moliri voluit Jonathas nisi ex jussu divino.

CAP. XIV

13. Ascendit autem Jonathas manibus & pedibus reptans, & armiger ejus post eum. Itaque alii cadebant ante Jonatham, alios armiger ejus interficiebat sequens eum.

14. Et facta est plaga prima, qua percussit Jonathas & armiger ejus, quasi viginti virorum, in media parte jugeri, quam par boum in die arare consuevit.

15. Et factum est miraculum in castris, per agros: sed & omnis populus stationis eorum, qui ierant ad prædandum, obstupuit, & conturbata est terra: & accidit quasi miraculum a Deo.

16. Et respexerunt speculatores Saul, qui erant in Gabaa Benjamin, & ecce multitudo prostrata, & huc illucque diffugiens.

17. Et ait Saul populo, qui erat cum eo: Requirite, & videte quis abierit ex nobis. Cumque requisissent, repertum est non adesse Jonatham, & armigerum ejus.

18. Et ait Saul ad Achiam: Applica (*c*) arcam Dei. (Erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Israel.)

19. Cumque loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philisthinorum: crescebatque paullatim, & clarius resonabat. Et ait Saul ad sacerdotem: Contrahe manum tuam.

20. Conclamavit ergo Saul, & omnis populus qui erat cum eo, & venerunt usque ad locum certaminis: & ecce versus fuerat gladius uniuscujusque ad proximum suum, & cædes magna nimis.

21. Sed & Hebræi qui fuerant cum Philisthiim heri & nudiustertius, ascenderantque cum eis in castris, reversi sunt ut essent cum Israel, qui erant cum Saul & Jonatha.

22. Omnes quoque Israelitæ, qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quod fugissent Philisthæi, sociaverunt se cum suis in prælio. Et erant cum Saul, quasi decem millia virorum.

23. Et salvavit Dominus in die illa Israel: pugna autem pervenit usque ad Bethaven.

24. Et viri Israel sociati sunt sibi (*d*) in die illa: adjuravit autem Saul populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar de inimicis meis. Et non manducavit universus populus panem:

25. Omneque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri.

26. Ingressus est itaque populus saltum, & apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum: timebat enim populus juramentum.

27. Porro Jonathas non audierat cum adjuraret pater ejus populum: extenditque summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis: & convertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi ejus.

28. Respondensque unus de populo, ait: Jurejurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodie: (defecerat autem populus)

29. Dixitque Jonathas: Turbavit pater meus terram: vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paullulum de melle isto:

30. Quanto magis si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quam reperit? nonne major plaga facta fuisset in Philisthiim?

31. Percusserunt ergo in die illa Philisthæos a Machmis usque in Ajalon. Defatigatus est autem populus nimis:

32. Et versus ad prædam tulit oves, & boves, & vitulos, & mactaverunt in terra: comeditque populus cum sanguine (*e*).

33. Nuntiaverunt autem Sauli dicentes, quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait: Prævaricati estis: volvite ad me jam nunc saxum grande.

34. Et dixit Saul: Dispergimini in vulgus, & dicite eis ut adducat ad me unusquisque bovem (*f*) suum & arietem, & occidite super istud, & vescimini, & non peccabitis Domino comedentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus unusquisque bovem in manu sua usque ad noctem: & occiderunt ibi.

35. Ædificavit autem Saul altare Domino: tuncque primum cœpit ædificare (*g*) altare Domino.

36. Et dixit Saul: Irruamus super Philisthæos nocte, & vastemus eos usque dum illucescat mane, nec relinquamus ex eis virum. Dixitque populus: Omne quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait sacerdos: Accedamus huc ad Deum.

37. Et consuluit Saul Dominum: Num persequar Philisthiim? si trades eos in manus Israel? Et non respondit ei in die illa.

38. Dixitque Saul: Applicate huc universos angulos populi: & scitote, & videte per quem acciderit peccatum hoc hodie.

39. Vivit Dominus salvator Israel, quia si per Jonatham filium meum factum est, absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo.

40. Et ait ad universum Israel: Separamini vos in partem unam, & ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera. Responditque populus ad Saul: Quod bonum videtur in oculis tuis fac.

41. Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel: Domine Deus Israel da indicium: quid est quod non responderis servo tuo hodie? Si in me, aut in Jonatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem: aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Jonathas & Saul, populus autem exivit.

42. Et ait Saul: Mittite sortem inter me, & inter Jonatham filium meum. Et captus est Jonathas.

43. Di-

18. & 19. (*c*) Accede ad arcam, & consule Dominum. *Contrahe*: manus inter orandum extenderat, jubet Deus ut cesset ab orando: res moram non patitur.

24. & 25. (*d*) Hebr. *Afflati sunt*, scilicet fame, & imprudenti voto Saulis: vel Israelitæ qui Philisthæis se adjunxerant ex vers. 21. Sauli sociati sunt. Nisi forte captivi commisso prælio, ita ut fit, ad suos confugerint. *Fluens*, abundat; hyperbole.

32. (*e*) Præ fame non expectabant donec sanguis defluxisset.

34. (*f*) Bovis nomine alia intelliguntur animalia.

35. & 38. (*g*) Cap. 13. jam immolaverat in altari aliena opera ædificato, non sua, inquit Abulensis: vel hæc sunt accipienda, ut ajunt, explicative; *ædificavit*, id est, cœpit ædificare, primus posuit lapidem ad ædificandum altare. *Angulos*, id est, principes.

43. Dixit autem Saul ad Jonatham: Indica mihi quid feceris. Et indicavit ei Jonathas, & ait: Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, & ecce ego morior.

44. Et ait Saul: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Jonatha.

45. Dixitque populus ad Saul: Ergone Jonathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? hoc nefas est: vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram, quia cum Deo operatus est hodie. Liberavit (*h*) ergo populus Jonathan, ut non moreretur.

46. Recessitque Saul, nec persecutus est Philisthiim: porro Philisthiim abierunt in loca sua.

47. Et Saul, confirmato (*i*) regno super Israel, pugnabat per circuitum adversum omnes inimicos ejus, contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & reges Soba, & Philisthæos: & quocumque se verterat, superabat.

48. Congregatoque exercitu, percussit Amalec (*k*), & eruit Israel de manu vastatorum ejus.

49. Fuerunt autem filii Saul, Jonathas, & Jessui, & Melchisua: & nomina duarum filiarum ejus, nomen primogenitæ Merob, & nomen minoris Michol.

50. Et nomen uxoris Saul, Achinoam filia Achimaas: & nomen principis militiæ ejus Abner, filius Ner, patruelis Saul.

51. Porro Cis fuit pater Saul, & Ner pater Abner, filius Abiel.

52. Erat autem bellum potens adversum Philisthæos omnibus diebus Saul. Nam quemcumque viderat Saul virum fortem, & aptum ad prælium, sociabat eum sibi.

CAPUT XV.

Saul jussus funditus delere Amalec, Agag regem & meliorem prædæ partem servat: propterea graviter reprehensus a Samuele, iterum reprobatur; Agag occiditur.

1. ET dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus, ut ungerem te in regem super populum ejus Israel: nunc ergo audi vocem Domini:

2. Hæc dicit Dominus exercituum: Recensui (*a*) quæcumque fecit Amalec Israeli,* quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto.

* Exod. 17. 8.

3. Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire universa ejus: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice a viro usque ad mulierem, & parvulum atque lactentem, bovem & ovem, camelum & asinum.

4. Præcepit itaque Saul populo, & recensuit eos quasi agnos: ducenta millia peditum, & decem millia virorum Juda.

5. Cumque venisset Saul usque ad civitatem Amalec, tetendit insidias in torrente.

6. Dixitque Saul Cinæo (*b*): Abite, recedite, atque descendite ab Amalec: ne forte involvam te cum eo: tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de Ægypto. Et recessit Cinæus de medio Amalec.

7. Percussitque Saul Amalec, ab Hevila, donec venias ad Sur, quæ est e regione Ægypti.

8. Et apprehendit Agag regem Amalec vivum: omne autem vulgus interfecit in ore gladii.

9. Et pepercit Saul & populus Agag, & optimis gregibus ovium & armentorum, & vestibus & arietibus, & universis quæ pulcra erant, nec voluerunt disperdere ea: quidquid vero vile fuit & reprobum, hoc demoliti sunt.

10. Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens:

11. Pœnitet me quod constituerim Saul regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non implevit. Contristatusque est Samuel, & clamavit ad Dominum tota nocte.

12. Cumque de nocte surrexisset Samuel, ut iret ad Saul mane, nuntiatum est Samueli, eo quod venisset Saul in Carmelum, & erexisset sibi fornicem (*c*) triumphalem, & reversus transisset, descendissetque in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul, & Saul offerebat holocaustum Domino de initiis prædarum quæ attulerat ex Amalec.

13. Et cum venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul: Benedictus tu Domino, implevi verbum Domini.

14. Dixitque Samuel: Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio?

15. Et ait Saul: De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ovibus & armentis ut immolarentur Domino Deo tuo: reliqua vero occidimus.

16. Ait autem Samuel ad Saul: Sine me, & indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me nocte. Dixitque ei: Loquere.

17. Et ait Samuel: Nonne cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? unxitque te Dominus in regem super Israel,

18. Et misit te Dominus in viam, & ait: Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum.

19. Quare ergo non audisti vocem Domini: sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini?

20. Et ait Saul ad Samuelem: Immo audivi vocem Domini, & ambulavi in via per quam misit me Dominus, & adduxi Agag regem Amalec, & Amalec interfeci.

21. Tulit

45. (*h*) Usus compensatione, ut peccatum, si quod erat, ex vita læsio pensaretur. Injustum erat Saulis jusjurandum, & temere factum.

47. (*i*) Id est, quasi recuperato, & pene excusso Philisthæorum jugo: adeo ut prædicta bella aliquandiu perdurasse videantur.

48. (*k*) Existimat vir doctus in his debellandis plures annos esse consumptos.

CAP. XV. 2. (*a*) Vox Hebræa *Pakadti*, פקדתי, *visitavi*, pro *visitabo*; eadem vox recordari, & ulcisci significat.

6. (*b*) Cinæi ex Jethro Mosis socero erant prognati. Qui partim cum Israelitis, partim cum Amalecitis habitabant, aut certe cum iis pacem habebant.

12. (*c*) In eo peccavit Saul, quod fornicem seu arcum, Hebr. manum, seu trophæum sibi, non Deo erexisset, quasi victoriam sibi ascribens, ac Deo jubenti per prophetam parere dedignatus culpam in alios transtulit.

21. Tulit autem de præda populus oves & boves, primitias eorum quæ cæsa sunt, ut immolet Domino Deo suo in Galgalis.

*Eccl 4.17. Osee 6. 6. Matth. 9. 13. & 12.7. 22. Et ait Samuel: * Numquid (d) vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimæ: & auscultare magis quam offerre adipem arietum.

23. Quoniam quasi (e) peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus ne sis rex.

24. Dixitque Saul ad Samuelem (f): Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum.

25. Sed nunc porta, quæso, peccatum meum, & revertere mecum, ut adorem Dominum.

26. Et ait Samuel ad Saul: Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, & projecit te Dominus ne sis rex super Israel.

27. Et conversus est Samuel ut abiret: ille autem apprehendit summitatem pallii ejus, quæ & scissa est.

* Infr. 28. 17. 28. Et ait ad eum Samuel: * Scidit Dominus regnum Israel a te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.

29. Porro Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo est ut agat pœnitentiam.

30. At ille ait: Peccavi: sed nunc honora me coram senioribus populi mei, & coram Israel, & revertere mecum, ut adorem Dominum Deum tuum.

31. Reversus ergo Samuel secutus est Saulem: & adoravit Saul Dominum.

32. Dixitque Samuel: Adducite ad me Agag regem Amalec. Et oblatus est ei Agag pinguissimus, & tremens. Et dixit Agag: Siccine separat amara mors?

33. Et ait Samuel: Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in Galgalis.

34. Abiit autem Samuel in Ramatha: Saul vero ascendit in domum suam in Gabaa.

35. Et non vidit Samuel ultra Saul usque ad diem mortis suæ: veruntamen lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat quod constituisset eum regem super Israel.

CAPUT XVI.

Reprobato Saule, David ungitur a Samuele: David coram Saule qui malo spiritu agitabatur adductus psallebat, & Saulis ægritudinem leniebat.

1. Dixitque Dominus ad Samuelem: Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum ne regnet super Israel? Imple cornu (a) tuum oleo, & veni, ut mittam te ad Isai Bethlehemitem: providi enim in filiis ejus mihi regem.

2. Et ait Samuel: Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait Dominus: Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices (b): Ad immolandum Domino veni.

3. Et vocabis Isai ad victimam (c), & ego ostendam tibi quid facias, & unges quemcumque monstravero tibi.

4. Fecit ergo Samuel, sicut locutus est ei Dominus. Venitque in Bethlehem, & admirati sunt seniores civitatis, occurrentes ei, dixeruntque: Pacificusne est ingressus tuus?

5. Et ait: Pacificus: ad immolandum Domino veni, sanctificamini, & venite mecum ut immolem. Sanctificavit ergo Isai & filios ejus, & vocavit eos ad sacrificium.

6. Cumque ingressi essent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino est Christus (d) ejus?

7. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus: quoniam abjeci eum, nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ parent, * Dominus autem intuetur cor. * Ps. 7. 10.

8. Et vocavit Isai Abinadab, & adduxit eum coram Samuele. Qui dixit: Nec hunc elegit Dominus.

9. Adduxit autem Isai Samma, de quo ait: Etiam hunc non elegit Dominus.

10. Adduxit itaque Isai septem filios suos coram Samuele: & ait Samuel ad Isai: Non elegit Dominus ex istis.

11. Dixitque Samuel ad Isai: Numquid jam completi sunt filii? Qui respondit: Adhuc reliquus est parvulus, & pascit oves. Et ait Samuel ad Isai: Mitte, & adduc eum: nec enim discumbemus (e) prius quam huc ille veniat.

12. Misit ergo, & adduxit eum. Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie: & ait Dominus: Surge, unge eum, ipse est enim.

13. Tulit ergo Samuel cornu olei, * & unxit (f) eum in medio fratrum ejus: & directus est Spiritus Domini a die illa in David, & deinceps: Surgensque Samuel abiit in Ramatha. * 2 Reg. 7. 8. Ps. 77. 70. & 88. 21. Act. 7. 46. & 13. 22.

14. Spi-

22. (d) Præferenda est obedientia victimis, cum hæc duo concurrunt. Gregor. Lib. 35. Moral. cap. 10. *Per victimam aliena caro, per obedientiam vero propria voluntas mactatur.*

23. (e) Nota similitudinis, *quasi*, deest in Hebræo, & bene suppletur hic, ut etiam alibi. Non enim exæquat hæc duo peccata, sed peccatum inobedientiæ exaggerat. Hebr. *Quoniam peccatum divinandi rebellio, & Idolum & Theraphim transgredi.* Hinc Gregor. *Nam inobedientes velut contempto divino altari ad aras dæmonum responsa captant, dum cordis sui præstigiosis, ac superbis admonitionibus credunt.*

24. & 25. (f) Non amplius invisit, ut solebat. Cap. 19. vers. 24. visus quidem est Samuel a Saule prophe ante in cuneo Prophetarum, sed ne illum quidem salutavit. *Porta:* Hebr. *aufer*, apud Deum cave.

CAPUT XVI. 1. (a) Non lenticulam, seu pyxidem lentiformem, ut in Saule cap. 10. sed cornu, quod abundantiam gratiæ Davidi conferendam insinuat.

2. (b) Vera quidem hæc erat caussa, sed non sola, nec præcipua. Quo quidem exemplo id liquet, nos si quid facimus ob plures caussas, eam solum nos aperire posse, quæ minimo periculo est obnoxia; idque ad prudentiam pertinet, non ad simulationem. Hinc etiam colligitur auctoritatem prophetæ efficere, ut ubicumque adest & imperat, id licite fiat.

3. (c) Chald. *Ad convivium*; nam post sacrificium de victimæ carnibus convivium instruebant.

6. (d) Is est, quem elegit Deus? Deum ut præsentem alloquitur, & consulit.

11. (e) Hebr. *Circumdabimus mensam*, ad cibum sumendum.

13. (f) Nec tamen sciebant caussam, sed pater solus & David, qui ex eo die rex non fuit, non enim anni regni David computantur nisi a morte Saulis. *Directus est spiritus ejus*; Hebr. *Tsilac*, תצלח, *prosperavit*; LXX. ἐφήλατο *insiliit*. Spiritum prophetiæ ac fortitudinis in eo mansisse innuitur.

14. Spiritus autem Domini recessit a Saul, & exagitabat (g) eum spiritus nequam, a Domino.

15. Dixeruntque servi Saul ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te.

16. Jubeat dominus noster, & servi tui, qui coram te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, & levius feras.

17. Et ait Saul ad servos suos: Providete ergo mihi aliquem bene psallentem, & adducite eum ad me.

18. Et respondens unus de pueris, ait: Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem, scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulcrum: & Dominus est cum eo.

19. Misit ergo Saul nuntios ad Isai, dicens: Mitte ad me David filium tuum, qui est in pascuis.

20. Tulit itaque Isai asinum plenum panibus, & lagenam vini, & hædum de capris unum, & misit per manum David filii sui Sauli.

21. Et venit David ad Saul, & stetit coram eo: at ille dilexit eum nimis, & factus (h) est ejus armiger.

22. Misitque Saul ad Isai, dicens: Stet David in conspectu meo: invenit enim gratiam in oculis meis.

23. Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & levius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.

CAPUT XVII.

Philisthæis ad pugnam congregatis, Goliath gigantem occidit David, & Philisthæi dissipantur.

1. Congregantes autem Philisthiim agmina sua in prælium, convenerunt in Socho Judæ: & castrametati sunt inter Socho & Azeca, in finibus Dommim.

2. Porro Saul & filii Israel congregati venerunt in Vallem terebinthi, & direxerunt aciem ad pugnandum contra Philisthiim.

3. Et Philisthiim stabant super montem ex parte hac, & Israel stabat supra montem ex altera parte: vallisque erat inter eos.

4. Et egressus est vir spurius (a) de castris Philisthinorum nomine Goliath, de Geth, altitudinis sex cubitorum & palmi:

5. Et cassis ærea super caput ejus, & lorica squamata induebatur; porro pondus loricæ ejus, quinque millia siclorum æris erat:

6. Et ocreas (b) æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros ejus.

7. Hastile autem hastæ ejus erat quasi liciatorium texentium: ipsum autem ferrum hastæ ejus sexcentos siclos habebat ferri: & armiger ejus antecedebat eum.

8. Stansque clamabat adversum phalangas Israel, & dicebat eis: Quare venistis parati ad prælium? Numquid ego non sum Philisthæus, & vos servi Saul? Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen.

9. Si quiverit pugnare (c) mecum, & percusserit me, erimus vobis servi: si autem ego prævaluero, & percussero eum, vos servi eritis, & servietis nobis.

10. Et ajebat Philisthæus: Ego exprobravi agminibus Israel hodie: Date mihi virum, & ineat mecum singulare certamen.

11. Audiens autem Saul, & omnes Israelitæ, sermones Philisthæi hujuscemodi, stupebant, & metuebant nimis.

12. David autem erat filius viri Ephrathæi, de quo * supra dictum est, de Bethlehem Juda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, & erat vir in diebus Saul senex, & grandævus inter viros. *Sup. 16. 1.

13. Abierunt autem tres filii ejus majores post Saul in prælium: & nomina trium filiorum ejus, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & secundus Abinadab, tertiusque Samma.

14. David autem erat minimus. Tribus ergo majoribus secutis Saulem,

15. Abiit David, & reversus (d) est a Saul ut pasceret gregem patris sui in Bethlehem.

16. Procedebat vero Philisthæus mane & vespere, & stabat quadraginta diebus.

17. Dixit autem Isai ad David filium suum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos,

18. Et decem formellas casei has deferes ad tribunum: & fratres tuos visitabis, si recte agant: & cum quibus ordinati sunt, disce.

19. Saul autem, & illi, & omnes filii Israel in Valle terebinthi pugnabant adversum Philisthiim.

20. Surrexit itaque David mane, & commendavit gregem custodi: & onustus abiit, sicut præceperat ei Isai. Et venit ad locum Magala, & ad exercitum, qui egressus ad pugnam vociferatus erat in certamine.

21. Direxerat enim aciem Israel, sed & Philisthiim ex adverso fuerant præparati.

22. Derelinquens ergo David vasa, quæ attulerat, sub manu custodis ad sarcinas, cucurrit ad locum certaminis, & interrogabat si omnia recte agerentur erga fratres suos.

23. Cum-

14. (g) Vexabat eum spiritus nequam, idque Dei nutu: obsessum fuisse a dæmone, communior est veterum sententia, qui ad tristitiam eum incitabat. Hos affectus temperabat musica, ac preces ipsæ, aut laudes divinæ, quas psallendo fundebat David, id efficacius operabantur.

21. (h) Saul repente ad solium regium evectus est, David per gradus.

CAPUT XVII. 4. (a) Sept. Interpret. δυνατος, fortis; Hebr. vir intermedius; inter duas acies stans; vel spurius dictus nullo certo patre. Cognomen illud fuisse gigantum, qui matrimonii contemptores incertos habebant patres, quidam Hebræi opinantur. Sept. Interpret. quatuor cubitorum & palmi majoris 9. pollicum. LXX. spithamæ, seu palmi extensi, non siclorum majorum: nam 108 librarum Romanarum extitisset, quod fidem omnem superat: sed minor erat siclus. David Christi, Goliath dæmonis typus fuit.

6. & 7. (b) Æneas laminas obductas. Liciatorium; hoc æquabat crassitie hastile hastæ ejus.

9. (c) Missus quidem est a Saule David ad singulare certamen: sed David ex divino instinctu se ultro obtulit, certus victoriæ: Percutiam rex ac justum erat bellum. Id tamen facere non debuit Saul incertus de eventu, sed neque ullum pactum intercesserat.

15. (d) Ex intervallo, aliquando cum patre, aliquando cum Saule fuit.

23. Cumque adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille spurius ascendens, Goliath nomine, Philisthæus, de Geth, de castris Philisthinorum: & loquente eo hæc eadem verba audivit David.

24. Omnes autem Israelitæ, cum vidissent virum, fugerunt a facie ejus, timentes eum valde.

25. Et dixit unusquisquam de Israel: Num vidistis virum hunc, qui ascendit? ad exprobrandum enim Israeli ascendit. Virum ergo, qui percusserit eum, ditabit rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris ejus faciet absque tributo in Israel.

26. Et ait David ad viros, qui stabant secum, dicens: Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Israel? quis enim est hic Philisthæus incircumcisus, qui exprobravit acies Dei viventis?

27. Referebat autem ei populus eumdem sermonem, dicens: Hæc dabuntur viro, qui percusserit eum.

28. Quod cum audisset Eliab frater ejus major, loquente eo cum aliis, iratus est contra David, & ait: Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oves illas in deserto? ego novi superbiam tuam, & nequitiam cordis tui: quia ut videres prælium, descendisti.

29. Et dixit David: Quid feci (e)? numquid non verbum est?

30. Et declinavit paulum ab eo ad alium: dixitque eumdem sermonem. Et respondit ei populus verbum sicut prius.

31. Audita sunt autem verba, quæ locutus est David, & annuntiata in conspectu Saul.

32. Ad quem cum fuisset adductus, locutus est ei: Non concidat cor cujusquam in eo: ego servus tuus vadam, & pugnabo adversus Philisthæum.

33. Et ait Saul ad David: Non vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare adversus eum: quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.

* Eccli. 47. 3. 34. Dixitque David ad Saul: * Pascebat servus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis:

35. Et persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi consurgebant adversum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebamque eos.

36. Nam & leonem & ursum interfeci ego servus tuus: erit igitur & Philisthæus hic incircumcisus, quasi unus ex eis. Nunc vadam (f), & auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philisthæus incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitui Dei viventis.

37. Et ait David: Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philisthæi hujus. Dixit autem Saul ad David: Vade, & Dominus tecum sit.

38. Et induit Saul David vestimentis (g) suis, & imposuit galeam æream super caput ejus, & vestivit eum lorica.

39. Accinctus ergo David gladio ejus super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere: non enim habebat consuetudinem. Dixitque David ad Saul: Non possum sic incedere, quia usum non habeo. Et deposuit ea,

40. Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus: & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit: & processit adversum Philisthæum.

41. Ibat autem Philisthæus incedens, & appropinquans adversum David, & armiger ejus ante eum.

42. Cumque inspexisset Philisthæus, & vidisset David, despexit eum. Erat enim adolescens: rufus, & pulcher aspectu.

43. Et dixit Philisthæus ad David: Numquid ego canis sum, quod tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philisthæus David in diis suis:

44. Dixitque ad David: Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cæli & bestiis terræ.

45. Dixit autem David ad Philisthæum: Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti

46. Hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum a te: & dabo cadavera castrorum Philisthiim hodie volatilibus cæli, & bestiis terræ: ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel.

47. Et noverit universa ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus: ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus nostras.

48. Cum ergo surrexisset Philisthæus, & veniret, & appropinquaret contra David, festinavit David, & cucurrit ad pugnam ex adverso Philisthæi.

49. Et misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, & funda jecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte: & infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem suam super terram.

50. * Prævaluitque David adversum Philisthæum in funda & lapide, percussumque Philisthæum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu David, * Eccli. 47. 4. 1. Mac. 4. 30.

51. Cucurrit, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium ejus, & eduxit eum de vagina sua: & interfecit eum, præciditque caput ejus. Videntes autem Philisthiim, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt.

52. Et consurgentes viri Israel & Juda vociferati sunt, & persecuti sunt Philisthæos usque dum venirent in vallem, & usque ad portas Accaron, cecideruntque vulnerati de Philisthiim in via Saraim, & usque ad Geth, & usque ad Accaron.

53. Et revertentes filii Israel postquam persecuti fuerant Philisthæos, invaserunt castra eorum.

54. Assu-

29 (e) Locutus quidem sum, sed ultra verba non processi.

36. (f) Hic versiculus non est in Hebræo, nec in Græco.

38. (g) Non quibus induebatur Saul vestibus: nam Davidi aptari non potuissent; sed aliis, quas dari jussit Saul.

54. Assumens autem David caput Philisthæi, attulit (*b*) illud in Jerusalem: arma vero ejus posuit in tabernaculo suo.

55. Eo autem tempore, quo viderat Saul David egredientem contra Philisthæum, ait ad Abner principem militiæ: De qua stirpe descendit (*i*) hic adolescens, Abner? Dixitque Abner: Vivit anima tua, rex, si novi.

56. Et ait rex: Interroga tu, cujus filius sit iste puer.

57. Cumque regressus esset David, percusso Philisthæo, tulit eum Abner, & introduxit coram Saule, caput Philisthæi habentem in manu.

58. Et ait ad eum Saul: De qua progenie es, o adolescens? Dixitque David: Filius servi tui Isai Bethlehemitæ ego sum.

CAPUT XVIII.

Jonatham inter & Davidem icto fœdere, Saul Davidem configere nititur; eum bello præficit, Michol filiam ei collocat.

1. ET factum est cum complesset loqui ad Saul, anima Jonathæ conglutinata est animæ David, & dilexit eum Jonathas quasi animam suam.

2. Tulitque eum Saul in die illa, & non concessit ei ut reverteretur in (*a*) domum patris sui.

3. Inierunt autem David & Jonathas fœdus: diligebat enim eum quasi animam suam.

4. Nam expoliavit se Jonathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam David, & reliqua vestimenta sua, usque ad gladium & arcum suum, & usque ad balteum.

5. Egrediebatur quoque David ad omnia quæcumque misisset eum Saul, & prudenter se agebat: posuitque eum Saul super viros belli, & acceptus erat in oculis universi populi, maximeque in conspectu famulorum Saul.

6. Porro cum reverteretur percusso Philisthæo David, egressæ (*b*) sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul regis in tympanis lætitiæ, & in sistris.

7. Et præcinebant mulieres ludentes, atque
* Infr. 21. 11. Eccli. 47. 7. dicentes: * Percussit Saul mille (*c*), & David decem millia.

8. Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis ejus sermo iste: dixitque: Dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei superest, nisi solum regnum?

9. Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David a die illa, & deinceps.

10. Post diem autem alteram invasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat (*d*) in medio domus suæ: David autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies: tenebatque Saul lanceam,

11. Et misit eam, putans quod configere posset David cum pariete: & declinavit David a facie ejus secundo.

12. Et timuit Saul David, eo quod Dominus esset cum eo, & a se recessisset.

13. Amovit ergo eum Saul a se, & fecit eum tribunum super mille viros: & egrediebatur, & intrabat in conspectu populi.

14. In omnibus quoque viis suis David prudenter agebat, & Dominus erat cum eo.

15. Vidit itaque Saul quod prudens esset nimis, & cœpit cavere eum.

16. Omnis autem Israel & Juda diligebat David: ipse enim ingrediebatur & egrediebatur ante eos.

17. Dixitque Saul ad David: Ecce filia mea major Merob, ipsam dabo tibi uxorem: tantummodo esto vir fortis, & præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens: Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philisthinorum.

18. Ait autem David ad Saul: Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, ut fiam gener regis?

19. Factum est autem tempus, cum deberet dari Merob filia Saul David, data est Hadrieli Molathitæ uxor.

20. Dilexit autem David Michol filia Saul altera. Et nuntiatum est Saul, & placuit ei.

21. Dixitque Saul: Dabo eam illi, ut fiat ei in scandalum, & sit super eum manus Philisthinorum. Dixitque Saul ad David: In duabus (*e*) rebus gener meus eris hodie.

22. Et mandavit Saul servis suis: Loquimini ad David clam me, dicentes: Ecce places regi, & omnes servi ejus diligunt te. Nunc ergo esto gener regis.

23. Et locuti sunt servi Saul in auribus David omnia verba hæc. Et ait David: Num parum videtur vobis, generum esse regis? Ego autem sum vir pauper & tenuis.

24. Et renuntiaverunt servi Saul, dicentes: Hujuscemodi verba locutus est David.

25. Dixit autem Saul: Sic loquimini ad David: Non habet rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, ut fiat ultio de inimicis regis. Porro Saul cogitabat tradere David in manus Philisthinorum.

26. Cumque renuntiassent servi ejus David verba, quæ dixerat Saul, placuit sermo in oculis David, ut fieret gener regis.

27. Et

54. (*b*) Finito hoc bello, aut forte postquam in regni possessionem venit; tum vero Jerusalem, arce recepta, penes Judæos erat.

55. (*i*) Non quærit Saul quis ille sit, sed cujus stirpis, cum fortem eum videat. Deinde potuit scriptor prius narrare quod posterius factum est; nec semper reges inquirunt de progenie domesticorum. Itaque hinc perperam concludit nonnemo hoc opus non genuinum esse Samuelis, quod ex cap. 16. jam accitus fuisset David in aulam Saulis. Primum enim Saule intemperiis agitato venit David in aulam, tum recrudescentia Philisthinorum bella Saulis animum alio abduxerant; iterum David ad patrem reversus est, donec Goliath interfecto in regiorum affeclarum numerum a Saule adscriptus est. Ita Huetius Episcopus Abrincensis. Fieri etiam potuit, ut mutato cultu corporis Saul in castra reversum non agnoverit, quem tum viderat, cum esset mentis inops. Auctor concordiæ inter Lib. Regum, & Lib. Paralip. hinc colligit id factum esse aliquot post annis quam aulam deseruisset David; jam aucta ætate vultus erat mutatus.

2 (*a*) Usque ad hujus belli finem.

6 (*b*) Quæ hæc vulgo continentur, prius conspexerunt. In sistris. LXX. in cymbalis; alii, in crepitaculis, quæ digitis percussa resonant.

7. (*c*) Id est, multos: & *David decem millia*, id est, multo plures.

10. (*d*) Stulta loquebatur spiritu maligno agitatus. Hieronim. in Trad. Hebr. *Desipiebat*, quasi emota mente videbatur.

21. & 25. (*e*) In una duarum filiarum. *Sponsalia*: Hebr. *Non vult Rex dotem*; nam viri uxores dotabant. LXX. *Non vult Rex dona sponsalia*.

CAPUT XVIII.

27. Et post paucos dies surgens David, abiit cum viris, qui sub eo erant. Et percussit ex Philisthiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumeravit ea regi, ut esset gener ejus. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam uxorem.

28. Et vidit Saul, & intellexit quod Dominus esset cum David. Michol autem filia Saul diligebat eum.

29. Et Saul magis cœpit timere David: factusque est Saul inimicus David cunctis diebus.

30. Et egressi sunt principes Philisthinorum: a principio autem egressionis eorum, prudentius se gerebat David quam omnes servi Saul, & celebre factum est nomen ejus nimis.

CAPUT XIX.

Jonathas patrem placat. David Philisthæos fugat. Saul intemperiis agitatus, iterum nititur Davidem lancea configere. Fugientem David satellites insequuntur.

1. Locutus est autem Saul ad Jonatham filium suum, & ad omnes servos suos, ut occiderent David. Porro Jonathas filius Saul diligebat David valde.

2. Et indicavit Jonathas David, dicens: Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter observa (*a*) te, quæso, mane, & manebis clam, & absconderis.

3. Ego autem egrediens stabo juxta patrem meum, in agro ubicumque fueris: & ego loquar de te ad patrem meum: & quodcumque videro, nuntiabo tibi.

4. Locutus est ergo Jonathas de David bona ad Saul patrem suum: dixitque ad eum: Ne pecces rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona sunt tibi valde.

5. Et posuit (*b*) animam suam in manu sua, & percussit Philisthæum, & fecit Dominus salutem magnam universo Israeli: vidisti, & lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens David, qui est absque culpa?

6. Quod cum audisset Saul, placatus voce Jonathæ, juravit: Vivit Dominus, quia non occidetur.

7. Vocavit itaque Jonathas David, & indicavit ei omnia verba hæc, & introduxit Jonathas David ad Saul, & fuit ante eum, sicut fuerat heri, & nudiustertius.

8. Motum est autem rursum bellum: & egressus David, pugnavit adversum Philisthiim: percussitque eos plaga magna, & fugerunt a facie ejus.

9. Et factus est spiritus Domini malus (*c*) in Saul. Sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam: porro David psallebat manu sua.

10. Nisusque est Saul configere David lancea in pariete, & declinavit David a facie Saul: lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, & David fugit, & salvatus est nocte illa.

11. Misit ergo Saul satellites suos in domum David, ut custodirent eum, & interficeretur mane. Quod cum annuntiasset David Michol uxor sua, dicens: Nisi salvaveris te nocte hac, cras morieris:

12. Deposuit eum per fenestram. Porro ille abiit & aufugit, atque salvatus est.

13. Tulit autem Michol statuam (*d*), & posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput ejus, & operuit eam vestimentis.

14. Misit autem Saul apparitores, qui raperent David: & responsum est quod ægrotaret.

15. Rursumque misit Saul nuntios ut viderent David, dicens: Afferte eum ad me in lecto, ut occidatur.

16. Cumque venissent nuntii, inventum est simulacrum super lectum, & pellis caprarum ad caput ejus.

17. Dixitque Saul ad Michol: Quare sic illusisti mihi, & dimisisti inimicum meum ut fugeret? Et respondit Michol ad Saul: Quia ipse locutus est mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te.

18. David autem fugiens, salvatus est, & venit ad Samuel in Ramatha, & nuntiavit ei omnia quæ fecerat sibi Saul: & abierunt ipse & Samuel, & morati sunt in Najoth.

19. Nuntiatum est autem Sauli a dicentibus: Ecce David in Najoth in Ramatha.

20. Misit ergo Saul lictores, ut raperent David: qui cum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, & Samuelem stantem super eos, factus est etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare (*e*) cœperunt etiam ipsi.

21. Quod cum nuntiatum esset Sauli, misit & alios nuntios: prophetaverunt autem & illi. Et rursum misit Saul tertios nuntios: qui & ipsi prophetaverunt. Et iratus iracundia Saul,

22. Abiit etiam ipse in Ramatha, & venit usque ad cisternam magnam, quæ est in Socho, & interrogavit, & dixit: In quo loco sunt Samuel & David? Dictumque est ei: Ecce in Najoth sunt in Ramatha.

23. Et abiit in Najoth in Ramatha, & factus est etiam super eum Spiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat usque dum veniret in Najoth in Ramatha.

24. Et expoliavit (*f*) etiam ipse se vestimentis suis, & prophetavit cum ceteris coram Samuele, & cecidit nudus tota die illa & nocte. Unde & exivit proverbium: * Num & Saul inter prophetas? *Sup. 10. 11.*

CA-

CAP. XIX. 2. & 3. (*a*) Observa te usque ad crastinæ diei matutinum tempus, & in certum locum te recipe. *Ubicumque*; quo pater ire consuevit.

5. & 6. (*b*) Vitæ suæ periculum adiit. *Victimæ*; Convivia inter cognatos, sacrificia pro eorum salute habita.

9. (*c*) Quidam Hebræi putant fuisse morbum atræ bilis, quo mens sese sua emota erat, idque ipsum fuisse quod prophetare dictum fuit cap. 18. *Spiritum vero Dei*, ut *montes Dei* appellari phrasi Hebraica.

13. (*d*) Hebr. *Thraphim*, תרפים, quod idolum plerumque, aliquando inanes imagines significat. *Et pellem pilosam caprarum*, aut cervicalis loco, aut potius ut glomerati pili formam capitis exhiberent.

20. (*e*) Abstona loqui, cum Samuel & alii Prophetæ laudarent Deum, & futura prædicerent.

24. (*f*) Exuit vestes regias, quibus a vulgo secernebatur. Sic David postea dicitur nudus ante arcam saltasse, cum Ephod indutus esset. Saul forte alienato sensu Samuelem non agnovit. *Cecidit nudus tota die illa & nocte*; quia more adorantium sæpe procidebat, ut interdum Prophetantes. Num. c. 24. Balaam id fecisse dicitur.

CAPUT XX.

Jonathas & David cognita Saulis mala voluntate illum fœdus renovant.

1. FUgit autem David de Najoth, quæ est in Ramatha, veniensque locutus est coram Jonatha: Quid feci? quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam?

2. Qui dixit ei: Absit, non morieris: neque enim faciet pater meus quidquam grande vel parvum, nisi prius indicaverit mihi: hunc ergo celavit me pater meus sermonem tantummodo? nequaquam erit istud.

3. Et juravit rursum Davidi. Et ille ait: Scit profecto pater tuus quia inveni gratiam in oculis tuis, & dicet: Nesciat hoc Jonathas, ne forte tristetur. Quinimmo vivit Dominus, & vivit anima tua, quia uno tantum (ut ita dicam) gradu, ego morsque dividimur.

4. Et ait Jonathas ad David: Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi.

5. Dixit autem David ad Jonathan: Ecce calendæ (*a*) sunt crastino, & ego ex more sedere soleo juxta regem ad vescendum: dimitte ergo me ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiæ.

6. Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogavit me David, ut iret celeriter in Bethlehem civitatem suam: quia victimæ solemnes ibi sunt universis contribulibus suis.

7. Si dixerit, Bene: pax erit servo tuo. Si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia ejus.

8. Fac ergo misericordiam in servum tuum: quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti: si autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introducas me.

9. Et ait Jonathas: Absit hoc a te: neque enim fieri potest, ut si certe cognovero completam esse patris mei malitiam contra te, non annuntiem tibi.

10. Responditque David ad Jonathan: Quis renuntiabit mihi, si quid forte responderit tibi pater tuus dure de me?

11. Et ait Jonathas ad David: Veni, & egrediamur foras in agrum. Cumque exissent ambo in agrum,

12. Ait Jonathas ad David: Domine Deus Israel, si investigavero (*b*) sententiam patris mei crastino, vel perendie: & aliquid boni fuerit super David, & non statim misero ad te, & notum tibi fecero,

13. Hæc faciat Dominus Jonathæ, & hæc addat. Si autem perseveraverit patris mei malitia adversum te, revelabo aurem tuam, & dimittam te, ut vadas in pace, & sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo.

14. Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini: si vero mortuus fuero,

15. Non auferes misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum, quando eradicaverit (*c*) Dominus inimicos David, unumquemque de terra: auferat Jonathan de domo sua, & requirat Dominus de manu inimicorum David.

16. Pepigit ergo Jonathas fœdus cum domo David: & requisivit Dominus de manu inimicorum David.

17. Et addidit Jonathas dejerare David, eo quod diligeret illum: sicut enim animam suam, ita diligebat eum.

18. Dixitque ad eum Jonathas: Cras calendæ sunt, & requireris:

19. Requiretur enim sessio tua usque perendie. Descendes ergo festinus, & venies in locum ubi celandus es in die qua operari licet (*d*), & sedebis juxta lapidem, cui nomen est Ezel.

20. Et ego tres sagittas mittam juxta eum, & jaciam quasi exercens me ad signum.

21. Mittam quoque & puerum, dicens ei: Vade, & affer mihi sagittas.

22. Si dixero puero: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est, & nihil est mali, vivit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero: Ecce sagittæ ultra te sunt: vade in pace, quia dimisit te Dominus.

23. De verbo autem quod locuti sumus ego & tu, sit Dominus inter me & te usque in sempiternum.

24. Absconditus est ergo David in agro, & venerunt calendæ, & sedit rex ad comedendum panem.

25. Cumque sedisset rex super cathedram suam (secundum consuetudinem) quæ erat juxta parietem, surrexit Jonathas, & sedit Abner ex latere Saul, vacuusque apparuit locus David.

26. Et non est locutus Saul quidquam in die illa: cogitabat enim quod forte evenisset ei, ut non esset mundus, nec purificatus.

27. Cum-

CAP. XX. 5. & 7. (*a*) Neomeniæ dies festus cras futurus est: *Dimitte ergo me ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiæ*. Quare illud tempus postulat? Existimat vir doctus Pezronius in Differt. 2. Historiæ Evangelicæ apud Hebræos Kalendas, seu Neomenias per duos dies celebrari solitas: prior erat die tricesimo mensis præcedentis, cum is erat plenus, nempe 30. dierum, ab ipsa conjunctione cum Sole: altera erat die prima mensis sequentis, scilicet a prima Lunæ Phasi. His diebus sacrificia offerri solebant: tunc vero abfuit ab aula David, & a conviviis, quæ Saul magnatibus parabat. Primo die non comparuit David, cumque impeditum fuisse Saul facile sibi persuasit: sed cum die altera ne tum quidem adesset, Saul qui ejus vitæ imminebat, excandescens mortuum eum interminatus est. Jonathas vero e mensa surrexit *& non comedit in die Calendarum secunda* vers. 34. scilicet secunda Neomenia, quia etiam festus erat dies, ac primus dies mensis civilis, quem a prima Phasi Lunæ inchoabant. *Malitia*; malum quod vult mihi dare.

12. (*b*) Hebr. *Investigabo patrem meum: Hæc faciat Dominus Jonathæ:* Jusjurandum Hebræis usitatum. Nisi fecero, mendax habear, male mihi sit.

15. (*c*) Locus obscurior, *Auferat Jonathan de domo sua*, desunt in Hebræo: LXX. ponunt negationem οὐκ ἐξαρεῖς, *non auferes*, quæ sensum faciliorem efficit; seu vixerit, seu moriturus sit Jonathas, Davidem sibi & suis faventem experietur. Hebr. *Non auferas misericordiam a domo mea in æternum*, cum eradicaverit Dominus inimicos tuos: *Et requirat Dominus de manu inimicorum David*; Quærat Deus de manu mea vicissim, si non servavero familiam David: fœdus est inter Davidem & Jonathan, ut neuter noceat alterius familiæ. Vel potius, *Et requirat Dominus*: id est, vindictam sumat Dominus de inimicis David.

19. (*d*) Non erat festum solemne, sed ex consuetudine non licebat servile opus facere die Neomeniæ: *Juxta lapidem, cui nomen est Ezel:* lapis viatoribus signum erat.

27. Cumque illuxisset dies secunda post calendas, rursus apparuit vacuus locus David. Dixitque Saul ad Jonathan filium suum: Cur non venit filius Isai, nec heri, nec hodie, ad vescendum?

28. Respónditque Jonathas Sauli: Rogavit me obnixe, ut iret in Bethlehem,

29. Et ait: Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in civitate, unus de fratribus meis accersivit me: nunc ergo si inveni gratiam in oculis tuis, vadam cito, & videbo fratres meos. Ob hanc causam non venit ad mensam regis.

30. Iratus autem Saul adversum Jonathan, dixit ei: Fili mulieris (*e*) virum ultro rapientis, numquid ignoro quia diligis filium Isai in confusionem tuam, & in confusionem ignominiosæ matris tuæ?

31. Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque jam nunc mitte, & adduc eum ad me: quia filius mortis est.

32. Respondens autem Jonathas Sauli patri suo, ait: Quare morietur? quid fecit?

33. Et arripuit Saul lanceam ut percuteret eum. Et intellexit Jonathas quod definitum esset a patre suo, ut interficeret David.

34. Surrexit ergo Jonathas a mensa in ira furoris, & non comedit in die calendarum secunda panem. Contristatus est enim super David, eo quod confudisset eum pater suus.

35. Cumque illuxisset mane, venit Jonathas in agrum juxta placitum David, & puer parvulus cum eo,

36. Et ait ad puerum suum: Vade, & affer mihi sagittas, quas ego jacio. Cumque puer cucurrisset, jecit aliam sagittam trans puerum.

37. Venit itaque puer ad locum jaculi, quod miserat Jonathas: & clamavit Jonathas post tergum pueri, & ait: Ecce ibi est sagitta porro ultra te.

38. Clamavitque iterum Jonathas post tergum pueri, dicens: Festina velociter, ne steteris. Collegit autem puer Jonathæ sagittas, & attulit ad dominum suum.

39. Et quid ageretur, penitus ignorabat: tantummodo enim Jonathas & David rem noverant.

40. Dedit ergo Jonathas arma sua puero, & dixit ei: Vade, & defer in civitatem.

41. Cumque abiisset puer, surrexit David de loco, qui vergebat ad Austrum, & cadens pronus in terram, adoravit tertio: & osculantes se alterutrum, fleverunt pariter, David autem amplius.

42. Dixit ergo Jonathas ad David: Vade in pace: quæcumque juravimus (*f*) ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus sit inter me & te, & inter semen meum & semen tuum usque in sempiternum.

43. Et surrexit David, & abiit: sed & Jonathas ingressus est civitatem.

CAPUT XXI.

David profugus venit ad Achimelech. Fame urgente comedit panes sanctificatos.

1. VEnit autem David in Nobe (*a*) ad Achimelech sacerdotem: & obstupuit Achimelech, eo quod venisset David. Et dixit ei: Quare tu solus, & nullus est tecum?

2. Et ait David ad Achimelech sacerdotem: Rex præcepit mihi sermonem, & dixit: Nemo sciat rem, propter quam missus es a me, & cujusmodi præcepta tibi dederim: nam & pueris condixi (*b*) in illum & illum locum.

3. Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inveneris.

4. Et respondens sacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi (*c*) sunt pueri, maxime a mulieribus?

5. Et respondit David sacerdoti, & dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri, & nudiustertius, quando egrediebamur, & fuerunt vasa (*d*) puerorum sancta. Porro via hæc polluta est, sed & ipsa hodie sanctificabitur in vasis.

6. * Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem: neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi. *Matth. 12. 3. & 4.

7. Erat autem ibi vir quidam de servis Saul, in die illa, intus in tabernaculo Domini: & nomen ejus Doeg Idumæus, potentissimus pastorum Saul.

8. Dixit autem David ad Achimelech: Si habes hic ad manum hastam, aut gladium? quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum: sermo enim regis urgebat.

9. Et dixit sacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in Valle terebinthi, est involutus pallio post ephod: si istum vis tollere, tolle: neque enim hic est alius absque eo. Et ait David: Non est huic alter similis, da mihi eum.

10. Surrexit itaque David, & fugit in die illa a facie Saul: & venit ad Achis regem Geth:

11. Dixeruntque servi Achis ad eum cum vidissent David: Numquid non iste est David rex (*e*) terræ? nonne huic cantabant per choros, dicentes: * Percussit Saul mille, & David decem millia? *Sup. 18. 7.

12. Po-

30. (*e*) Ex Hebræo, fili pravæ mulieris, ad summam usque contumaciam.

42. (*f*) Supple, memineris: est enim præ affectu animi oratio elliptica.

CAP XXI. 1. (*a*) Urbs erat sacerdotalis, ubi erat tabernaculum, & arca in Cariathiarim. Achimelech idem esse creditur, qui Achias cap. 14. pronepos Heli, ac videtur Abjathar ejus filius interfuisse cum venit David, ex cap 2. Marci, potuit Abjathar una cum patre fungi Sacerdotis officio: vel Achimelech erat binomius, ex Lib. 1. Paralip. cap. 18. *Quare tu solus?* cum tam paucis.

2. (*b*) Quem nolo dicere: aliquid occultum hæ voces significant.

4. (*c*) De panibus propositionum solis Sacerdotibus edere fas erat; sed excusabat necessitas.

5. & 7. (*d*) Corpora sic vocantur ab Apostolo 2. Cor. 4. *Porro via hæc polluta est*; profana, cum ad Philisthæos iret; puram habebat mentem. *Sed & ipsa hodie sanctificabitur*; panis ille erit sanctus in nostris corporibus, nec polluetur: nam ipsa nos excusat necessitas. *Potentissimus*, LXX. pascens mulos Saul.

11. & 13. (*e*) Dux, vox enim illa quandoque sumitur improprie, ut Deuteronom. cap. 23. 5. *Et collabebatur*. Hebr. *finxit se furere, in manibus eorum*, ab illis circumdatus.

12. Posuit autem David sermones istos in corde suo, & extimuit valde a facie Achis regis Geth.

13. Et immutavit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum: & impingebat in ostia portæ, defluebantque salivæ ejus in barbam.

14. Et ait Achis ad servos suos: Vidistis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me?

15. An desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum, ut fureret me præsente? hiccine ingredietur domum meam?

CAPUT XXII.

David ad Regem Moab profectus, inde in terram Juda revertitur; Saul occidit sacerdotes, præter Abiathar.

1. ABiit ergo David inde, & fugit in speluncam Odollam (*a*). Quod cum audissent fratres ejus, & omnis domus patris ejus, descenderunt ad eum illuc.

2. Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo: & factus est eorum princeps, fueruntque cum eo quasi quadringenti viri.

3. Et profectus est David inde in Masphа, quæ est Moab: & dixit ad regem Moab: Maneat, oro, pater meus & mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus.

4. Et reliquit eos ante faciem regis Moab: manseruntque apud eum cunctis diebus, quibus David fuit in præsidio (*b*).

5. Dixitque Gad propheta ad David: Noli manere in præsidio, proficiscere, & vade in Terram Juda. Et profectus est David, & venit in saltum Haret.

6. Et audivit Saul quod apparuisset David, & viri qui erant cum eo. Saul autem cum maneret in Gabaa, & esset in nemore (*c*), quod est in Rama, hastam manu tenens, cunctique servi ejus circumstarent eum,

7. Ait ad servos suos qui assistebant ei: Audite nunc filii Jemini (*d*): numquid omnibus vobis dabit filius Isai agros & vineas, & universos vos faciet tribunos, & centuriones:

8. Quoniam conjurastis omnes adversum me: & non est qui mihi renuntiet, maxime cum & filius meus fœdus inierit cum filio Isai? Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi: eo quod suscitaverit filius meus servum meum adversum me, insidiantem mihi usque hodie.

9. Respondens autem Doeg Idumæus, qui assistebat, & erat primus inter servos Saul, Vidi, inquit, filium Isai in Nobe apud Achimelech filium Achitob sacerdotem.

10. Qui consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei: sed & gladium Goliath Philisthæi dedit illi.

11. Misit ergo rex ad accersendum Achimelech sacerdotem filium Achitob, & omnem domum patris ejus, sacerdotum, qui erant in Nobe, qui universi venerunt ad regem.

12. Et ait Saul ad Achimelech: Audi fili Achitob. Qui respondit: Præsto sum domine.

13. Dixitque ad eum Saul: Quare conjurastis adversum me, tu & filius Isai, & dedisti ei panes & gladium, & consuluisti pro eo Deum, ut consurgeret adversum me, insidiator usque hodie permanens?

14. Respondensque Achimelech regi, ait: Et quis in omnibus servis tuis, sicut David fidelis, & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua?

15. Num hodie cœpi pro eo consulere Deum? absit hoc a me: ne suspicetur rex adversus servum suum rem hujuscemodi, in universa domo patris mei: non enim scivit servus tuus quidquam super hoc negotio, vel modicum vel grande.

16. Dixitque rex: Morte morieris Achimelech, tu, & omnis domus patris tui.

17. Et ait rex emissariis, qui circumstabant eum: Convertimini, & interficite sacerdotes Domini: nam manus eorum cum David est: scientes quod fugisset, & non indicaverunt mihi. Noluerunt autem servi regis extendere manus suas in sacerdotes Domini.

18. Et ait rex ad Doeg: Convertere tu, & irrue (*e*) in sacerdotes. Conversusque Doeg Idumæus, irruit in sacerdotes, & trucidavit in die illa octogintaquinque viros vestitos ephod lineo.

19. Nobe autem civitatem sacerdotum percussit in ore gladii, viros & mulieres, & parvulos, & lactentes, bovemque & asinum, & ovem in ore gladii.

20. Evadens autem unus filius Achimelech, filii Achitob, cujus nomen erat Abjathar (*f*), fugit ad David,

21. Et annuntiavit ei quod occidisset Saul sacerdotes Domini.

22. Et ait David ad Abjathar: Sciebam in die illa, quod cum ibi esset Doeg Idumæus, proculdubio annuntiaret Sauli: ego sum reus omnium animarum patris tui.

23. Mane mecum, ne timeas: si quis quæsierit animam meam, quæret & animam tuam, mecumque servaberis.

CAPUT XXIII.

Cum David Ceilam a Philisthæis liberasset, profugus in desertum Ziph se recipit; sed proditum a Ziphæis Saul persequitur, qui ob incursionem Philisthinorum revocatur.

1. ET annuntiaverunt David, dicentes: Ecce Philisthiim oppugnant Ceilam (*a*), & diripiunt areas.

2. Consuluit ergo David Dominum, dicens: Num vadam, & percutiam Philisthæos istos? Et ait Dominus ad David: Vade, & percuties Philisthæos, & Ceilam salvabis.

3. Et

CAPUT XXII.

1. & 2. (*a*) In tribu Juda sitam. *Oppressi*: qui miseri erant, non iniqui.

4. (*b*) In arce aliqua.

6. (*c*) Hebr. *In arbore*: singulari loco plurali utitur LXX. *In colle nemoroso*.

7 (*d*) E tribu Benjamin milites & custodes corporis sui se legerat.

18. (*e*) Deus permisit ut Saul tyrannice sæviret in Sacerdotes innocuos; simul peccata Ophni & Phinees, ut prædixerat per Prophetam cap. 2. ultus est.

20 & 21. (*f*) Quod si per anticipationem dictum, ex c. 23. cum David esset in Ceila, vel fugit in Ceilam, ex cap. seq. vers. 6. urbs erat in tribu Juda. *Reus*, Caussa exitii.

CAPUT XXIII.

1 (*a*) Quæ erat in tribu Juda.

3. Et dixerunt viri, qui erant cum David, ad eum: Ecce nos hic in Judæa consistentes timemus: quanto magis si ierimus in Ceilam adversum agmina Philisthinorum?

4. Rursum ergo David consuluit Dominum. Qui respondens, ait ei: Surge, & vade in Ceilam: ego enim tradam Philisthæos in manu tua.

5. Abiit ergo David, & viri ejus in Ceilam, & pugnavit adversum Philisthæos, & abegit jumenta eorum, & percussit eos plaga magna: & salvavit David habitatores Ceilæ.

6. Porro eo tempore, quo fugiebat Abjathar filius Achimelech ad David in Ceilam, ephod secum habens descenderat.

7. Nuntiatum est autem Sauli quod venisset David in Ceilam, & ait Saul: Tradidit eum Deus in manus meas, conclususque est, introgressus urbem in qua portæ & seræ sunt.

8. Et præcepit Saul omni populo ut ad pugnam descenderet in Ceilam: & obsideret David, & viros ejus.

9. Quod cum David rescisset, quia præpararet ei Saul clam malum, dixit ad Abjathar sacerdotem: Applica (b) Ephod.

10. Et ait David: Domine Deus Israel, audivit famam servus tuus, quod disponat Saul venire in Ceilam, ut evertat urbem propter me:

11. Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus? & si descendet Saul, sicut audivit servus tuus? Domine Deus Israel indica servo tuo. Et ait Dominus: Descendet.

12. Dixitque David: Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus: Tradent.

13. Surrexit ergo David & viri ejus quasi sexcenti, & egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti: nuntiatumque est Sauli quod fugisset David de Ceila, & salvatus esset: quam ob rem dissimulavit exire.

14. Morabatur autem David in deserto in locis firmissimis, mansitque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco: quærebat eum tamen Saul cunctis diebus: & non tradidit eum Deus in manus ejus.

15. Et vidit David quod egressus esset Saul ut quæreret animam ejus. Porro David erat in deserto Ziph in silva.

16. Et surrexit Jonathas filius Saul, & abiit ad David in silvam, & confortavit manus ejus in Deo: dixitque ei:

17. Ne timeas: neque enim inveniet te manus Saul patris mei, & tu regnabis super Israel, & ego ero tibi secundus, sed & Saul pater meus scit hoc.

18. Percussit ergo uterque fœdus coram Domino: mansitque David in silva: Jonathas autem reversus est in domum suam.

*Infr. 26. 1. 19. * Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Nonne ecce David latitat apud nos in locis tutissimis silvæ, in Colle Hachila, quæ est ad dexteram deserti?

20. Nunc ergo, sicut desideravit anima tua ut descenderes, descende: nostrum autem erit ut tradamus eum in manus regis.

21. Dixitque Saul: Benedicti vos a Domino, quia doluistis vicem meam.

22. Abite ergo, oro, & diligentius præparate, & curiosius agite, & considerate locum ubi sit pes ejus, vel quis viderit eum ibi: recogitat enim de me, quod callide insidier ei.

23. Considerate & videte omnia latibula ejus, in quibus absconditur: & revertimini ad me ad rem certam, ut vadam vobiscum. Quod si etiam in terram se abstruserit, perscrutabor eum in cunctis millibus Juda (c).

24. At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul: David autem & viri ejus erant in deserto Maon, in campestribus, ad dexteram Jesimon.

25. Ivit ergo Saul & socii ejus ad quærendum eum: & nuntiatum est David, statimque descendit ad petram, & versabatur in deserto Maon: quod cum audisset Saul, persecutus est David in deserto Maon.

26. Et ibat Saul ad latus montis ex parte una: David autem & viri ejus erant in latere montis ex parte altera: porro David desperabat (d) se posse evadere a facie Saul: itaque Saul, & viri ejus in modum coronæ cingebant David & viros ejus, ut caperent eos.

27. Et nuntius venit ad Saul, dicens: Festina, & veni, quoniam infuderunt se Philisthiim super terram.

28. Reversus est ergo Saul desistens persequi David, & perrexit in occursum Philisthinorum: propter hoc vocaverunt locum illum, Petram dividentem.

CAPUT XXIV.

David in Engaddi spelunca latitans Saulis oram vestimenti præscindit, & ne occideretur prohibet; rem omnem ei denuntiat, atque ei reconciliatur.

1. AScendit ergo David inde: & habitavit in locis tutissimis Engaddi (a).

2. Cumque reversus esset Saul, postquam persecutus est Philisthæos, nuntiaverunt ei, dicentes: Ecce, David in deserto est Engaddi.

3. Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israel, perrexit ad investigandum David & viros ejus, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus perviæ sunt.

4. Et venit ad caulas ovium, quæ se offerebant vianti: eratque ibi spelunca, quam ingressus est Saul, ut purgaret ventrem: porro David & viri ejus in interiore parte speluncæ latebant.

5. Et

9. & 19 (b) Indue Ephod. *Dexteram*: ad Austrum.
23. (c) Vox Hebræa, *Alphe*, אלפי, pro *oppido*, & pro *familia* sumitur.
26. (d) Vox Hebræa *Necpaz*, נחפז, & *festinare* & *formidare* significat: hinc interpres vertit *desperabat*, pro metuebat, ut evadere posset.

CAPUT XXIV. 1. & 3. (a) prope mare mortuum. *Ibicibus*: Ibices esse capras silvestres docet Plinius L. 8. cap. 43.

5. Et dixerunt servi David ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias (*b*) ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamydis Saul silenter.

6. Post hæc percussit (*c*) cor suum David, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.

7. Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia christus Domini est.

8. Et confregit David viros suos sermonibus, & non permisit eos ut consurgerent in Saul: porro Saul exurgens de spelunca, pergebat cœpto itinere.

9. Surrexit autem & David post eum: & egressus de spelunca, clamavit post tergum Saul, dicens: Domine mi rex. Et respexit Saul post se: & inclinans se David pronus in terram, adoravit,

10. Dixitque ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium, David quærit malum adversum te?

11. Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: & cogitavi (*d*) ut occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus: dixi enim: Non extendam manum meam in dominum meum, quia christus Domini est.

12. Quin potius pater mi, vide, & cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea: quoniam cum præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te: animadverte, & vide, quoniam non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccavi in te: tu autem insidiaris animæ meæ ut auferas eam.

13. Judicet Dominus inter me & te, & ulciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te.

14. Sicut & in proverbio antiquo dicitur: AB IMPIIS egredietur impietas: manus ergo mea non sit in te.

15. Quem persequeris, rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem unum.

16. Sit Dominus judex, & judicet (*e*) inter me & te: & videat, & judicet causam meam, & eruat me de manu tua.

17. Cum autem complesset David loquens sermones hujuscemodi ad Saul, dixit Saul: Numquid vox hæc tua est fili mi David? Et levavit Saul vocem suam, & flevit:

18. Dixitque ad David: Justior tu es quam ego: tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala.

19. Et tu indicasti hodie quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me.

20. Quis enim cum invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo quod hodie operatus es in me.

21. Et nunc quia scio quod certissime regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel:

22. Jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.

23. Et juravit David Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam: & David, & viri ejus ascenderunt ad tutiora loca.

CAPUT XXV.

Moritur Samuel. Historia de Nabal & uxore ejus Abigail narratur.

1. MOrtuus * est autem Samuel, & congregatus est universus Israel, & planxerunt eum, & sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. Consurgensque David descendit in desertum Pharan (*a*). * *Infr.* 28. 3. *Eccli.* 26. 23.

2. Erat autem vir quispiam in solitudine Maon, & possessio ejus in Carmelo, & homo ille magnus nimis: erantque ei oves tria millia, & mille capræ: & accidit ut tonderetur grex ejus in Carmelo.

3. Nomen autem viri illius erat Nabal: & nomen uxoris ejus Abigail: eratque mulier illa prudentissima & speciosa: porro vir ejus durus, & pessimus, & malitiosus: erat autem de genere Caleb.

4. Cum ergo audisset David in deserto quod tonderet Nabal gregem suum,

5. Misit decem juvenes, & dixit eis: Ascendite in Carmelum (*b*), & venietis ad Nabal, & salutabitis eum ex nomine meo pacifice.

6. Et dicetis: Sit fratribus meis & tibi pax, & domui tuæ pax, & omnibus quæcumque habes, sit pax.

7. Audivi quod tonderent pastores tui, qui erant nobiscum in deserto: numquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege, omni tempore quo fuerunt nobiscum in Carmelo.

8. Interroga pueros tuos, & indicabunt tibi. Nunc ergo inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis: in die enim bona venimus (*c*), quodcumque invenerit manus tua, da servis tuis, & filio tuo David.

9. Cumque venissent pueri David, locuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine David: & siluerunt.

10. Respondens autem Nabal pueris David, ait: Quis est David? & quis est filius Isai? hodie increverunt servi qui fugiunt dominos suos.

11. Tol-

5. (*b*) Hanc potestatem, quæ data est Davidi occidendi inimicum fuisse physicam, non moralem, censet Abulensis: non enim tunc fuisset inculpata sui tutela, sed hostilis, & non necessaria domini sui invasio, nec David ipse id sibi licere credidit. Alii putant, jure potuisse occidere, Deo permittente, & justæ defensionis jure: sed aliter visum est Davidi divino lumine illustrato.

6. & 8. (*c*) Cor David conturbavit, ne forte displicuisset Deo. *Confregit*: LXX. persuasit, placavit verbis modestis.

11. & 12. (*d*) Hebr. dixit quispiam ut occiderem te. *Insidiaris*; Hebr. vexas.

16. 20. & 23. (*e*) Tueatur me. *Bona*: in via recta. *Nomen*: posteritatem.

CAPUT XXV.

1. (*a*) Sept. Interpret. legunt *Maon*, in tribu Juda; ubi erat mons nomine Carmelus, & oppidum ejusdem nominis. *Possessio ejus in Carmelo*. Hebr. *opus ejus*, id est, substantia, quod cum labore quæratur: solitudo Maon vicina erat deserto Pharan.

5. (*b*) Mons est in tribu Juda prope desertum Pharan.

8. & 9. (*c*) Nihil opus est novis sumptibus. *Quod invenerit manus tua*. Quod facile ex tanta bonorum copia dare potestis. *Siluerunt*. Hebr. *Et quieverunt*.

11. Tollam ergo panes meos, & aquas (*d*) meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris quos nescio unde sint?

12. Regressi sunt itaque pueri David per viam suam, & reversi venerunt, & nunciaverunt ei omnia verba quæ dixerat.

13. Tunc ait David pueris suis: Accingatur unusquisque gladio suo. Et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctusque est & David ense suo: & secuti sunt David quasi quadringenti viri: porro ducenti remanserunt ad sarcinas.

14. Abigail autem uxori Nabal nuntiavit unus de pueris suis, dicens: Ecce David misit nuntios de deserto, ut benedicerent domino nostro: & aversatus est eos.

15. Homines isti, boni satis fuerunt nobis, & non molesti: nec quidquam aliquando periit omni tempore, quo fuimus conversati cum eis in deserto:

16. Pro muro erant nobis tam in nocte quam in die, omnibus diebus quibus pavimus apud eos greges.

17. Quam ob rem considera, & recogita quid facias: quoniam completa (*e*) est malitia adversum virum tuum, & adversum domum tuam, & ipse est filius Belial, ita ut nemo possit ei loqui.

18. Festinavit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos utres vini, & quinque arietes coctos, & quinque sata polentæ, & centum ligaturas uvæ passæ, & ducentas massas caricarum, & posuit super asinos:

19. Dixitque pueris suis: Præcedite me: ecce, ego post tergum sequar vos: viro autem suo Nabal non indicavit.

20. Cum ergo ascendisset asinum, & descenderet ad radices montis, David & viri ejus descendebant in occursum ejus: quibus & illa occurrit.

21. Et ait David: Vere frustra servavi omnia quæ hujus erant in deserto, & non periit quidquam de cunctis quæ ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum pro bono.

22. Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent usque mane, mingentem ad parietem (*f*).

23. Cum autem vidisset Abigail David, festinavit, & descendit de asino, & procidit coram David super faciem suam, & adoravit super terram,

24. Et cecidit ad pedes ejus, & dixit: In me sit, domine mi, hæc iniquitas (*g*): loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis, & audi verba famulæ tuæ.

25. Ne ponat, oro, dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal: quoniam secundum nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos misisti.

26. Nunc ergo, domine mi, vivit Dominus, & vivit anima tua, qui prohibuit te ne venires in sanguinem, & salvavit manum tuam tibi: & nunc fiant sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt domino meo malum.

27. Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo: & da pueris qui sequuntur te dominum meum.

28. Aufer iniquitatem famulæ tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia (*h*) Domini, domine mi, tu prœliaris: malitia ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ.

29. Si enim surrexerit aliquando homo persequens te, & quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo (*i*) viventium, apud Dominum Deum tuum: porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu & circulo fundæ.

30. Cum ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia quæ locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israel,

31. Non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te ultus fueris: & cum benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ.

32. Et ait David ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, & benedictum eloquium tuum,

33. Et benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem, & ulciscerer me manu mea.

34. Alioquin vivit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me ne malum facerem tibi: nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam, mingens ad parietem.

35. Suscepit ergo David de manu ejus omnia quæ attulerat ei, dixitque ei: Vade pacifice in domum tuam, ecce audivi vocem tuam, & honoravi faciem tuam.

36. Venit autem Abigail ad Nabal: & ecce erat ei convivium in domo ejus, quasi convivium regis, & cor Nabal jucundum: erat enim ebrius nimis: & non indicavit ei verbum pusillum aut grande usque mane.

37. Diluculo autem cum digessisset vinum Nabal, indicavit ei uxor sua verba hæc, & emortuum est cor ejus intrinsecus, & factus est quasi lapis.

38. Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est.

39. Quod cum audisset David mortuum Nabal, ait: Benedictus Dominus, qui judicavit causam opprobrii mei de manu Nabal, & servum suum custodivit a malo, & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput ejus. Misit ergo David, & locutus est ad Abigail, ut sumeret eam sibi in uxorem.

40. Et venerunt pueri David ad Abigail in Carmelum, & locuti sunt ad eam, dicentes: David misit nos ad te, ut accipiat te sibi in uxorem.

41. Quæ

11. (*d*) Sept. Interpres *Vinum*: quodvis genus potus per aquas designatur.

17. (*e*) In caput ejus decretum est aliquid mali.

22. (*f*) Ne canem quidem: Hebr. *Mastin*, משתין, quo nomine canes pastorum vocantur; forma loquendi proverbialis. Quod autem David formula Hebræis familiari, inimicis prospera, sibi adversa imprecatus est, nisi occideret Nabal, & innoxios interficeret, in eo peccavit: atque seipsum postea condemnat, quod de effundendo sanguine ob acceptam injuriam cogitaverit, vers. 33. *Mingentem ad parietem*, id est, hominem & canem; id enim utrique convenit.

24. 25. & 26. (*g*) Cogita me peccasse, mihi imputa. Secundum nomen suum, Hebraice, *Nabal* נבל, est homo stultus. *Ne venires in sanguinem*: David quidem nondum regnum adepto licebat se tueri, non autem se regio more ulcisci.

28. (*h*) Contra Philisthæos, sed suis parcens civibus.

29. (*i*) In loco vitæ. *Porro inimicorum tuorum anima rotabitur*; variis afflictionibus erat obnoxia.

41. Quæ consurgens adoravit prona in terram, & ait: Ecce famula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei.

42. Et festinavit, & surrexit Abigail, & ascendit super asinum, & quinque puellæ ierunt cum ea, pedissequæ ejus, & secuta est nuntios David: & facta est illi uxor.

43. Sed & Achinoam accepit David de Jezrahel: & fuit utraque uxor ejus.

44. Saul autem dedit Michol filiam suam uxorem David, Phalti filio Lais, qui erat de Gallim.

C A P U T XXVI.

David iterum a Ziphæis proditus lanceam & scyphum dormienti Sauli de nocte aufert, ac de monte clamat; cum Saule expostulat, qui placatus recedit.

* Sup. 23. 19. 1. ET * venerunt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes: Ecce, David absconditus est in colle Hachila, quæ est ex adverso solitudinis.

2. Et surrexit Saul, & descendit in desertum Ziph, & cum eo tria millia virorum de electis Israel, ut quæreret David in deserto Ziph.

3. Et castrametatus est Saul in Gabaa Hachila, quæ erat ex adverso solitudinis in via: David autem habitabat in deserto. Videns autem quod venisset Saul post se in desertum,

4. Misit exploratores, & didicit quod illuc venisset certissime.

5. Et surrexit David clam, & venit ad locum ubi erat Saul: cumque vidisset locum, in quo dormiebat Saul, & Abner filius Ner, princeps militiæ ejus, & Saulem dormientem in tentorio, & reliquum vulgus per circuitum ejus,

6. Ait David ad Achimelech Hethæum, & Abisai filium Sarujæ, fratrem Joab, dicens: Quis descendet mecum ad Saul in castra? Dixitque Abisai: Ego descendam tecum.

7. Venerunt ergo David & Abisai ad populum nocte, & invenerunt Saul jacentem & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput ejus: Abner autem & populum dormientes in circuitu ejus.

8. Dixitque Abisai ad David: Conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas: nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, & secundo opus non erit.

9. Et dixit David ad Abisai: Ne interficias eum: quis enim extendet manum suam in christum Domini, & innocens erit?

10. Et dixit David: Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit (*a*) eum, aut dies ejus venerit, ut moriatur, aut in prælium descendens perierit:

11. Propitius sit mihi Dominus ne extendam manum meam in christum Domini: nunc igitur tolle hastam, quæ est ad caput ejus, & scyphum aquæ, & abeamus.

12. Tulit igitur David hastam, & scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt: & non erat quisquam, qui videret, & intelligeret, & evigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor (*b*) Domini irruerat super eos.

13. Cumque transisset David ex adverso, & stetisset in vertice montis de longe, & esset grande intervallum inter eos,

14. Clamavit David ad populum, & ad Abner filium Ner, dicens: Nonne respondebis Abner? Et respondens Abner, ait: Quis es tu, qui clamas, & inquietas regem?

15. Et ait David ad Abner: Numquid non vir tu es? & quis alius similis tui in Israel? quare ergo non custodisti dominum tuum regem? ingressus est enim unus de turba ut interficeret regem, dominum tuum.

16. Non est bonum hoc, quod fecisti: vivit Dominus, quoniam filii mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum, christum Domini: nunc ergo vide ubi sit hasta regis, & ubi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput ejus.

17. Cognovit autem Saul vocem David, & dixit: Numquid vox hæc tua, fili mi David? & ait David: Vox mea, domine mi rex.

18. Et ait: Quam ob causam dominus meus persequitur servum suum? Quid feci? aut quod est malum in manu mea?

19. Nunc ergo audi, oro, domine mi rex, verba servi tui: Si Dominus incitat te adversum me, odoretur (*c*) sacrificium: si autem filii hominum, maledicti sunt in conspectu Domini: qui ejecerunt me hodie, ut non habitem in hæreditate Domini, dicentes: Vade, servi diis alienis.

20. Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino: quia egressus est rex Israel ut quærat pulicem unum, sicut persequitur perdix in montibus (*d*).

21. Et ait Saul: Peccavi, revertere fili mi David: nequaquam enim ultra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quod stulte egerim, & ignoraverim multa nimis.

22. Et respondens David, ait: Ecce hasta regis: transeat unus de pueris regis, & tollat eam.

23. Dominus autem retribuet unicuique secundum justitiam suam & fidem: tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in christum Domini.

24. Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni angustia.

25. Ait ergo Saul ad David: Benedictus tu fili mi David: & quidem faciens facies, & potens poteris. Abiit autem David in viam suam, & Saul reversus est in locum suum.

CA-

CAPUT XXVI. 10. & 11. (*a*) Tria mortis genera attingit, ex morbo, ex senectute & casu, nimirum in bello. *Propitius*, id est, avertat Dominus.

12. & 13. (*b*) Altus sopor, phrasi Hebraica. *Vir*, vir magnus.

19. (*c*) Si Deus peccatum meum punire vult, en me offero ut gratam Deo victimam: *Vade, servi diis alienis*: hoc factis innuunt.

20. (*d*) Vox, *persequitur*, passive sumitur: aut si in accusativo casu legi oporteat perdicem, ut pulicem, supplendus est, auceps, aut vultur. *Coram Domino*, Deo inspectante.

CAPUT XXVII.

David non ausus Sauli fidere, ad Achis regem Geth se recipit, qui ei urbem Siceleg concedit. Hinc excursiones facit contra Amalecitas.

1. ET ait David in corde suo: Aliquando incidam (a) una die in manus Saul: nonne melius est ut fugiam, & salver in Terra Philisthinorum, ut desperet Saul, cessetque me quærere in cunctis finibus Israel? fugiam ergo manus ejus.

2. Et surrexit David, & abiit ipse, & sexcenti viri cum eo, ad Achis (b) filium Maoch regem Geth.

3. Et habitavit David cum Achis in Geth, ipse & viri ejus; vir & domus (c) ejus; & David, & duæ uxores ejus, Achinoam Jezrahelitis, & Abigail uxor Nabal Carmeli.

4. Et nuntiatum est Sauli quod fugisset David in Geth, & non addidit ultra quærere eum.

5. Dixit autem David ad Achis: Si inveni gratiam in oculis tuis, detur mihi locus in una urbium regionis hujus, ut habitem ibi: cur enim manet servus tuus in civitate regis (d) tecum?

6. Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg: propter quam causam facta est Siceleg regum Juda, usque in diem hanc.

7. Fuit autem numerus dierum, quibus habitavit David in regione Philisthinorum, quatuor mensium (e).

8. Et ascendit David, & viri ejus, & agebant prædas ( ) de Gessuri, & de Gerai, & de Amalecitis: hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus, euntibus Sur usque ad Terram Ægypti.

9. Et percutiebat David omnem terram, nec relinquebat (g) viventem virum & mulierem: tollensque oves, & boves, & asinos, & camelos, & vestes, revertebatur, & veniebat ad Achis.

10. Dicebat autem ei Achis: In quem irruisti hodie. Respondebat David: Contra meridiem Judæ (h), & contra meridiem Jerameel, & contra meridiem Ceni.

11. Virum & mulierem non vivificabat David, nec adducebat in Geth, dicens: Ne forte loquantur adversum nos. Hæc fecit David: & hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitavit in regione Philisthinorum.

12. Credidit ergo Achis David, dicens: Multa mala operatus est contra populum suum Israel: erit igitur mihi servus sempiternus.

CAPUT XXVIII.

Philisthæi Sauli bellum inferunt: Saul consulit Pythonissam, jubet suscitari Samuelem, qui adversa omnia prædicit.

1. FActum est autem in diebus illis, congregaverunt Philisthiim agmina sua, ut præparentur ad bellum contra Israel: dixitque Achis ad David: Sciens nunc scito, quoniam mecum egredieris in castris tu, & viri tui.

2. Dixitque David ad Achis: Nunc scies quæ facturus est servus tuus. Et ait Achis ad David: Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus.

3. * Samuel autem mortuus (a) est, planxitque eum omnis Israel, & sepelierunt eum in Ramatha urbe sua. Et Saul abstulit magos, & ariolos de terra. * Sup. 25. 1. Eccl. 46. 23.

4. Congregatique sunt Philisthiim, & venerunt, & castrametati sunt in Sunam: congregavit autem & Saul universum Israel, & venit in Gelboe.

5. Et vidit Saul castra Philisthiim, & timuit, & expavit cor ejus nimis.

6. Consuluitque Dominum, & non respondit ei neque per somnia, (b) neque per sacerdotes, neque per prophetas.

7. Dixitque Saul servis suis: Quærite mihi mulierem habentem * pythonem ( ), & vadam ad eam, & sciscitabor per illam. Et dixerunt servi ejus ad eum: Est mulier pythonem habens in Endor. * Lev. 20. 27. Deut. 18. 11. Act. 16. 16.

8. Mutavit ergo habitum suum: vestitusque est aliis vestimentis, & abiit ipse, & duo viri cum eo, veneruntque ad mulierem nocte, & ait illi: Divina mihi in pythone, & suscita mihi quem dixero tibi.

9. Et ait mulier ad eum: Ecce, tu nosti quanta fecerit Saul, & quomodo eraserit magos & ariolos de terra; quare ergo insidiaris animæ meæ, ut occidar?

10. Et juravit ei Saul in Domino, dicens: Vivit Dominus, quia non eveniet tibi quidquam mali propter hanc rem.

11. Dixitque ei mulier: Quem suscitabo tibi? Qui ait: Samuelem mihi suscita.

12. Cum autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit (d) voce magna, & dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul.

13. Dixitque ei rex: Noli timere: quid vidisti? Et ait mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra.

14. Di-

CAPUT XXVII.

1. (a) Non dubitabat de promissione divina; sed Deus volebat ut ex prudentiæ legibus sibi caveret.

2. (b) Idem videtur esse, cujus fit mentio cap. 25. Tutus apud eum esse non poterat: sed, ut verisimile est, jam cum eo egerat, & sibi caverat.

3. (c) Quisque cum sua familia: nam diuturnam fore peregrinationem putabant.

5. (d) Hebr. Regni, seu in regia tua; nolo tibi esse onersi. Facta est Siceleg Regum Juda, bellis postea exortis.

7. (e) Nonnulli vertunt ex Hebræo, unius anni & quatuor mensium. Idque confirmari potest infra ex cap. 29. ver. 3.

8. (f) Quæri solet quo jure, cum nondum Rex esset Reip. jure legis divinæ, qua jussum fuit delere Amalecitas: dux erat a Saule constitutus, neque eum esse revocatum legimus. Hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus: secus habitabant in terra, quam a majoribus acceperant; itique erant injuriæ opportuni. Gessuritæ erant Chananæorum reliquiæ, uti & Gerzitæ, transpositis litteris Josue cap. 16. 3. Unde nec hostibus nocere voluit David, nec popularibus suis, ita Grotius.

9. (g) Ne ab ipsis proderetur.

10. (h) David a mendacio excusari nequit, tametsi necessitate aliqua impulsus: non enim omnes Sanctorum actiones sunt sanctæ.

CAPUT XXVIII.

3. (a) Vel mortuus erat, ex cap. 25. Saul abstulit, id est, abstulerat: *magos & ariolos*, LXX. ἐγγαστριμύθους, ventriloquos.

6. (b) Ut Jacobo & Josepho in Evangelio; *Neque per Sacerdotes*, ut Davidi per Abiathar; neque per Prophetas, ut antea Sauli respondebat per Samuelem.

7. (c) Quæ divinet per artem magicam.

12. (d) Videns Samuelem non arte magica, sed vi quadam divina apparere.

14. Dixitque ei : Qualis est forma ejus ? Quæ ait : Vir senex ascendit, & ipse amictus est pallio. Et intellexit Saul quod Samuel esset, & inclinavit se super faciem suam in terra, & adoravit (*e*).

15. Dixit autem Samuel (*f*) ad Saul : * Quare inquietasti me ut suscitarer ? Et ait Saul : Coarctor nimis : siquidem Philisthiim pugnant adversum me, & Deus recessit a me, & exaudire me noluit, neque in manu prophetarum, neque per somnia : vocavi ergo te, ut ostenderes mihi quid faciam. * Eccli. 46. 23.

16. Et ait Samuel : Quid interrogas me, cum Dominus recesserit a te, & transierit ad æmulum tuum?

17. Faciet enim tibi Dominus sicut locutus est in manu mea, & scindet regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David.

18. Quia non obedisti voci Domini, neque fecisti iram furoris ejus in Amalec : idcirco quod pateris, fecit tibi Dominus hodie.

19. Et dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philisthiim : cras autem tu & filii tui mecum eritis : sed & castra Israel tradet Dominus in manus Philisthiim.

20. Statimque Saul cecidit porrectus in terram : extimuerat enim verba Samuelis, & robur non erat in eo, quia non comederat panem tota die illa.

21. Ingressa est itaque mulier illa ad Saul, (conturbatus enim erat valde) dixitque ad eum : Ecce obedivit ancilla tua voci tuæ, & posui animam meam in manu mea : & audivi sermones tuos, quos locutus es ad me.

22. Nunc igitur audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te bucellam panis, ut comedens convalescas, & possis iter agere.

23. Qui renuit, & ait : Non comedam. Coegerunt autem eum servi sui & mulier, & tandem audita voce eorum surrexit de terra, & sedit super lectum.

24. Mulier autem illa habebat vitulum pascualem in domo, & festinavit, & occidit eum : tollensque farinam, miscuit eam, & coxit azyma,

25. Et posuit ante Saul & ante servos ejus. Qui cum comedissent, surrexerunt, & ambulaverunt per totam noctem illam.

CAPUT XXIX.

David cum Philisthæis profectus remittitur & jubetur abire Siceleg.

1. Congregata sunt ergo Philisthiim universa agmina in Aphec : sed & Israel castrametatus est super fontem, qui erat in Jezrael.

2. Et satrapæ quidem Philisthiim incedebant in centuriis & millibus : David autem & viri ejus erant in novissimo agmine cum Achis.

3. Dixeruntque principes Philisthiim ad Achis : Quid sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad principes Philisthiim : Num ignoratis David, qui fuit servus Saul regis Israel, & est apud me multis diebus, vel annis (*a*), & non inveni in eo quidquam ex die qua transfugit ad me usque ad diem hanc?

4. * Irati sunt autem adversus eum principes Philisthiim, & dixerunt ei : Revertatur vir iste, & sedeat in loco suo, in quo constituisti eum, & non descendat nobiscum in prælium, ne fiat nobis adversarius, cum præliari cœperimus : quomodo enim aliter poterit placare dominum suum, nisi in capitibus nostris? * Sup. 17. 8. 1. Par. 12. 19.

5. Nonne iste est David, cui cantabant in choris, dicentes : Percussit Saul in millibus suis, & David in decem millibus suis?

6. Vocavit ergo Achis David, & ait ei : Vivit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo : & exitus tuus, & introitus tuus mecum est in castris : & non inveni in te quidquam mali ex die qua venisti ad me, usque in diem hanc : sed satrapis non places.

7. Revertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos satraparum Philisthiim.

8. Dixitque David ad Achis : Quid enim feci, & quid invenisti in me servo tuo a die qua fui in conspectu tuo usque in diem hanc, ut non veniam, & pugnem (*b*) contra inimicos domini mei regis?

9. Respondens autem Achis, locutus est ad David : Scio quia bonus es tu in oculis meis, * sicut Angelus (*c*) Dei : sed principes Philisthinorum dixerunt : Non ascendet nobiscum in prælium. * 2. Reg. 14. 17. & 20. Item 19. 27.

10. Igitur consurge mane tu, & servi domini tui, qui venerunt tecum : & cum de nocte surrexeritis, & cœperit dilucescere, pergite.

11. Surrexit itaque de nocte David ipse & viri ejus, ut proficiscerentur mane, & reverterentur ad Terram Philisthiim : Philisthiim autem ascenderunt in Jezrael.

CA-

14. (*e*) Deum, non Samuelem : quamquam forte adoravit Samuelem, ut Abigail Davidem.

15. (*f*) An Samuel ipse apparuerit, an spectrum, disputari solet ; Scriptura Samuelem ipsum excitatum docet, non dæmonem. Unde Eccli. 46. loquens de Samuele : *Et post hoc dormivit, & notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem suam de terra in prophetia.* Idque factum est ita volente Deo, ac ne dæmon responderet, prævenit Samuel. Sic Ochoziæ mittente qui consulerent Beelzebub idolum Accaron, Deus misit Eliam, qui mortem Ochoziæ prædixit. Nec propterea Deus obsecutus est magicis incantationibus, sed obstitit ne dæmon responderet, ut in Balaam factum est. Quod autem mulier antea dixit : *Deos vidi ascendentes de terra*, est enallage, pluralis numerus phrasi Hebraica pro singulari sumitur. Sic Exod. 32. cum unus esset vitulus aureus, dicebant : *Hi sunt dii tui.* Vox Hebræa אלהים *Elohim*, in plurali exprimitur honoris caussa, licet unum Deum significet. Aliis placet fallacem fuisse spiritum, & deos ascendentes de terra fuisse spiritus illius comites, qui Samuelis formam induerat, sed tamen animam fuisse Samuelis, longe probabilius videtur ex sacro textu.

CAPUT XXIX.

3. (*a*) His diebus, vel annis : vel annum jam mecum fuit.

8. (*b*) David non pugnaturus fuisset contra populum suum, sed credibile est idipsi se facturum, quod fecit in Siceleg, cum simulabat se prælium agere contra Israelitis. Itaque ejus verba ad officiosa mendacia sunt referenda, vel generatim tantummodo loquebatur, aut interrogando. Sic admirabili Dei providentia David nec contra populum suum pugnare cogitur, nec adversus Regem Achis, cui adeo obstrictus erat, arma sumere.

9. (*c*) Proverbialis locutio Hebræorum, qua sæpe utebantur.

CAPUT XXX.

Cum David abesset, Amalecitæ Siceleg incenderunt, ablata præda. Hos David insequitur, & cædit recuperata præda, quam sociis dividit ex æquo.

* 1. Par. 12. 20.

1. CUmque * venissent (*a*) David & viri ejus in Siceleg die tertia Amalecitæ impetum fecerant ex parte australi in Siceleg, & percusserant Siceleg, & succenderant eam igni.

2. Et captivas duxerant mulieres ex ea, a minimo usque ad magnum: & non interfecerant quemquam (*b*), sed secum duxerant, & pergebant itinere suo.

3. Cum ergo venissent David & viri ejus ad civitatem, & invenissent eam succensam igni, & uxores suas, & filios suos, & filias ductas esse captivas,

4. Levaverunt David & populus qui erat cum eo voces suas, & planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ.

5. Siquidem & duæ uxores David captivæ ductæ fuerant, Achinoam Jezraelites, & Abigail uxor Nabal Carmeli.

6. Et contristatus est David valde: volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima uniuscujusque viri super filiis suis, & filiabus: confortatus est autem David in Domino Deo suo.

7. Et ait ad Abjathar sacerdotem filium Achimelech: Applica (*c*) ad me ephod. Et applicavit Abjathar ephod ad David,

8. Et consuluit David Dominum, dicens: Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus: Persequere: absque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.

9. Abiit ergo David ipse, & sexcenti viri qui erant cum eo, & venerunt usque ad Torrentem Besor: & lassi quidam substiterunt.

10. Persecutus est autem David ipse, & quadringenti viri: substiterant enim ducenti, qui lassi transire non poterant Torrentem Besor.

11. Et invenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad David: dederuntque ei panem ut comederet, & biberet aquam,

12. Sed & fragmen massæ caricarum (*d*), & duas ligaturas uvæ passæ. Quæ cum comedisset, reversus est spiritus ejus, & refocillatus est: non enim comederat panem, neque biberat aquam, tribus diebus & tribus noctibus.

13. Dixit itaque ei David: Cujus es tu? vel unde? & quo pergis? Qui ait: Puer Ægyptius ego sum, servus viri Amalecitæ: dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius.

14. Siquidem nos erupimus ad australem plagam Cerethi, & contra Judam, & ad Meridiem Caleb (*e*), & Siceleg succendimus igni.

15. Dixitque ei David: Potes me ducere ad cuneum istum? Qui ait: Jura mihi per Deum, quod non occidas me, & non tradas me in manus domini mei, & ego ducam te ad cuneum istum. Et juravit ei David.

16. Qui cum duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem universæ terræ, comedentes & bibentes, & quasi festum celebrantes diem, pro cuncta præda, & spoliis quæ ceperant de Terra Philisthiim, & de terra Juda.

17. Et percussit eos David a vespere usque ad vesperam alterius diei, & non evasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos, & fugerant.

18. Eruit ergo David omnia, quæ tulerant Amalecitæ, & duas uxores suas eruit.

19. Nec defuit quidquam a parvo usque ad magnum, tam de filiis quam de filiabus, & de spoliis, & quæcumque rapuerant, omnia reduxit David.

20. Et tulit universos greges (*f*) & armenta, & minavit ante faciem suam: dixeruntque: Hæc est præda David.

21. Venit autem David ad ducentos viros, qui lassi substiterant, nec sequi potuerant David, & residere eos jusserat in Torrente Besor: qui egressi sunt obviam David, & populo qui erat cum eo. Accedens autem David ad populum, salutavit eos pacifice.

22. Respondensque omnis vir pessimus & iniquus de viris, qui ierant cum David, dixit: Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda, quam eruimus: sed sufficiat unicuique uxor sua & filii: quos cum acceperint, recedant.

23. Dixit autem David: Non sic facietis, fratres mei, de his quæ tradidit nobis Dominus, & custodivit nos, & dedit latrunculos, qui eruperant adversum nos, in manus nostras:

24. Nec audiet vos quisquam super sermone hoc: æqua enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter divident.

25. Et factum est hoc ex die illa, & deinceps constitutum & præfinitum, & quasi lex in Israel usque in diem hanc.

26. Venit ergo David in Siceleg, & misit dona de præda senioribus Juda proximis suis, dicens: Accipite benedictionem de præda hostium Domini:

27. His qui erant in Bethel, & qui in Ramoth ad Meridiem, & qui in Jether,

28. Et qui in Aroer, & qui in Sephamoth, & qui in Esthamo,

29. Et qui in Rachal, & qui in urbibus Jerameel, & qui in urbibus Ceni (*g*),

30. Et qui in Arama, & qui in lacu (*h*) Asan, & qui in Athach,

31. Et qui in Hebron, & reliquis qui erant in his locis, in quibus commoratus (*i*) fuerat David ipse, & viri ejus.

CA-

CAPUT XXX.

1. (*a*) Post discessum David & sociorum, ut sequerentur Achis.
2. (*b*) Ex captivis
7. (*c*) Induere mea caussa, & me siste coram ephod, & consule Dominum.
12. (*d*) Ficuum aridarum.
14. (*e*) Posterorum Caleb in tribu Juda.

20. (*f*) In quibus jus non erat postliminii, seu ea vindicandi.
29. (*g*) Forte [illegible] atque hæc munera post mortem Saulis facta esse verisimillimum est.
30. (*h*) Hebr. Et qui in Chor-asan.
31. (*i*) Ut quæ passi erant detrimenta resarciret.

CAPUT XXXI.

Post infelicem pugnam ad Montes Gelboe contra Philisthæos, cæsi sunt Saul & Jonathas: viri Jabes Galaad eorum corpora sepeliunt.

1. PHilisthiim autem pugnabant adversum Israel: & fugerunt viri Israel ante faciem Philisthiim, & ceciderunt interfecti in Monte Gelboe (*a*).

* 1. Par. 10. 1. & 3. 2. * Irrueruntque (*b*) Philisthiim in Saul, & in filios ejus, & percusserunt Jonathan, & Abinadab, & Melchisua filios Saul,

3. Totumque pondus prælii versum est in Saul: & consecuti sunt eum viri sagittarii, & vulneratus est vehementer a sagittariis.

* 1. Par. 10. 4. 4. * Dixitque Saul ad armigerum suum, Evagina gladium tuum, & percute me: ne forte veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger ejus: fuerat enim nimio terrore perterritus. Arripuit itaque Saul gladium, & irruit super eum.

5. Quod cum vidisset armiger ejus, videlicet quod mortuus esset Saul: irruit (*c*) etiam ipse super gladium suum, & mortuus est cum eo.

6. Mortuus (*d*) est ergo Saul, & tres filii ejus, & armiger illius, & universi viri ejus in die illa pariter.

7. Videntes autem viri Israel, qui erant trans vallem, & trans (*e*) Jordanem, quod fugissent viri Israelitæ, & quod mortuus esset Saul & filii ejus, reliquerunt civitates suas, & fugerunt: veneruntque Philisthiim, & habitaverunt ibi.

8. Facta autem die altera, venerunt Philisthiim, ut spoliarent interfectos, & invenerunt Saul & tres filios ejus jacentes in Monte Gelboe.

9. Et præciderunt caput Saul, & spoliaverunt eum armis: & miserunt in Terram Philisthinorum per circuitum, ut annuntiaretur in templo idolorum, & in populis.

10. Et posuerunt arma ejus in templo Astaroth, corpus vero ejus suspenderunt in muro Bethsan.


11. * Quod cum audissent habitatores Jabes Galaad, quæcumque fecerant Philisthiim Saul, * 2. Reg. 2. 4.

12. Surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulaverunt tota nocte, & tulerunt cadaver Saul, & cadavera filiorum ejus de muro Bethsan: veneruntque Jabes Galaad, & combusserunt (*f*) ea ibi:

13. Et tulerunt ossa eorum, & sepelierunt in nemore Jabes, & jejunaverunt septem diebus.

CAPUT XXXI.

1. (*a*) Qui a monte Thabor duobus milliaribus distat.
2. (*b*) Adhæserunt Sauli, huic instabant.
5. (*c*) Quocirca juvenis ille Amalecites, qui ut gratiam iniret a Davide, nuntiavit Saulem a se interfectum, mentitus est: nam Scriptura testatur eum statim exstinctum fuisse postquam in gladium suum incubuit.
6. (*d*) Quocirca unus remansit Isboseth, & duo ex concubina. Mortuus Saul creditur duobus post Samuelem annis.
7. (*e*) Juxta Jordanem, numquam enim legimus Philisthæos Jordanem transiisse, ut urbes ultra fluvium positas occuparent. Hebr. *Quæ erant in transitu Jordanis*; ex ea parte, ubi erant Philisthæi.
12. (*f*) Nam inusitatum corpora comburere, ossa autem sepelire: fortasse erat in more positum, aut potius cum carnes putrescerent, cadavera præter morem combusserant.



LIBER SECUNDUS
SAMUELIS,
QUI SECUNDUS REGUM DICITUR.

CAPUT PRIMUM.

David occiso nuntio qui Saulem a se interfectum dicebat, Saulem cum Jonatha & aliis casis, scissis vestibus deflet, carmen funebre pronuntiat.

1. Factum est autem, postquam mortuus est Saul, ut David reverteretur a cæde Amalec, & maneret in Siceleg duos dies.

2. In die autem tertia, apparuit homo veniens de castris Saul veste conscissa, & pulvere conspersus caput: & ut venit ad David, cecidit super faciem suam, & adoravit.

3. Dixitque ad eum David: Unde venis? Qui ait ad eum: De castris Israel fugi.

4. Et dixit ad eum David: Quod est verbum quod factum est? indica mihi. Qui ait: Fugit populus ex prælio, & multi corruentes e populo mortui sunt: sed & Saul & Jonathas filius ejus interierunt.

5. Dixitque David ad adolescentem, qui nuntiabat ei: Unde scis quia mortuus est Saul, & Jonathas filius ejus?

6. Et ait adolescens, qui nuntiabat ei: Casu veni in montem Gelboe, & Saul incumbebat super hastam suam: porro currus & equites appropinquabant ei,

7. Et conversus post tergum suum, vidensque me vocavit. Cui cum respondissem: Adsum:

8. Dixit mihi: Quisnam es tu? Et ajo ad eum: Amalecites ego sum.

9. Et locutus est mihi: Sta super me, & interfice me: quoniam tenent me angustiæ, & adhuc tota anima mea in me est.

10. Stansque super eum, occidi (*a*) illum: sciebam enim quod vivere non poterat post ruinam: & tuli diadema quod erat in capite ejus, & armillam de brachio illius, & attuli ad te dominum meum huc.

11. Apprehendens autem David vestimenta sua scidit, omnesque viri, qui erant cum eo,

12. Et planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt usque ad vesperam, super Saul, & super Jonathan filium ejus, & super populum Domini, & super domum Israel, eo quod corruissent gladio.

13. Dixitque David ad juvenem qui nuntiaverat ei: Unde es tu? Qui respondit: Filius hominis advenæ Amalecitæ ego sum.

14. Et ait ad eum David: * Quare non timuisti mittere manum tuam ut occideres christum Domini? *Ps. 104 15.

15. Vocansque David unum de pueris suis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, & mortuus est.

16. Et ait ad eum David: Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est adversum te, dicens: Ego interfeci christum Domini.

17. Planxit autem David planctum hujuscemodi (*b*) super Saul, & super Jonatham filium ejus,

18. (Et præcepit ut docerent filios Juda arcum (*c*), sicut scriptum est in Libro justorum.) Et ait: Considera Israel pro his, qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati.

19. Incliti, Israel, super montes tuos interfecti sunt: quomodo ceciderunt fortes?

20. Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis: ne forte lætentur filiæ Philisthiim, ne exultent filiæ incircumcisorum.

21. Montes Gelboe (*d*), nec ros, nec pluvia veniant super vos, neque sint agri primitiarum: quia ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.

22. A sanguine interfectorum, ab adipe fortium, sagitta Jonathæ numquam rediit retrorsum (*e*), & gladius Saul non est reversus inanis.

23. Saul & Jonathas amabiles, & decori in vita sua, in morte quoque non sunt divisi: aquilis velociores, leonibus fortiores.

24. Fi-

CAPUT I. 10. (*a*) Postquam ipse in gladium incubuerat: sed probabilius est juvenem illum mentitum fuisse.

17. (*b*) Seu lamentationem, vel carmen lugubre.

18. (*c*) Ut docerent artem sagittariam, qua excellebant Philisthæi, neque desponderent animum, sed fortiter pugnarent, & artem [illegible] discerent. Ac forte titulus erat cantilenæ ad modos flebiles compositæ, seu Epicidii, vox illa arcus, quod in ea arcus vocabulum sæpe repetitum occurrat. Præcepit [illegible] hi versus canerentur. *Sicut scriptum est in libro Justorum*: Hebr. *in libro justi*: LXX. *ἐπὶ βιβλίου τοῦ εὐθοῦς*, *in libro recti*, seu in libro, in quo leges & ritus continentur, quique temporum injuria intercidit. *Considera Israel*: hæc desunt in Hebræo, vers. 19. & seq. hoc videtur esse Epicidii, seu carminis lugubris initium.

21. (*d*) Rebus inanimatis maledicit, ut Job 3. non quod id exoptet, sed ut animi sui dolorem designet. *Neque sint agri primitiarum*: sint adeo steriles, ut nullos fructus afferant, unde fiant oblationes in templo.

22. (*e*) Inutilis non fuit. Sic laudat Saulem, ut quæ laudem merentur, extollat, verum ipsam & justitiam non offendat: sed in laudes Jonathæ liberius excurrit.

24. Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.

25. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Jonathas in excelsis tuis occisus est?

26. Doleo super te frater mi Jonatha decore nimis, & amabilis super amorem (*f*) mulierum. Sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.

27. Quomodo ceciderunt robusti, & (*g*) perierunt arma bellica?

CAPUT II.

Consulto Dei oraculo David jussus ascendere in Hebron, ibi ungitur in Regem Judæ; Abner vero ungit Isboseth in Regem super Israel. Hinc bellum inter utramque domum Davidis, & Saulis.

1. IGitur post hæc consuluit David Dominum, dicens: Num ascendam in unam de civitatibus Juda? & ait Dominus ad eum: Ascende. Dixitque David: Quo ascendam? Et respondit ei: In Hebron.

2. Ascendit ergo David, & duæ uxores ejus, Achinoam Jezraelites, & Abigail uxor Nabal Carmeli:

3. Sed & viros, qui erant cum eo, duxit David singulos cum domo sua: & manserunt in oppidis Hebron.

* 1 Mac. 2. 57. Infr. 5. 3. 4. * Veneruntque viri Juda, & unxerunt (*a*) ibi David, ut regnaret super domum Juda. Et nuntiatum est David, quod viri Jabes Galaad sepelissent Saul.

5. Misit ergo David nuntios ad viros Jabes Galaad, dixitque ad eos: Benedicti vos a Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, & sepelistis eum.

6. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eo quod fecistis verbum istud.

7. Confortentur manus vestræ, & estote filii fortitudinis: licet enim mortuus sit dominus vester Saul, tamen me unxit domus Juda in regem sibi.

8. Abner autem filius Ner princeps exercitus Saul tulit Isboseth filium Saul, & circumduxit eum per castra,

9. Regemque constituit super Galaad & super Gessuri (*b*), & super Jezrael, & super Ephraim, & super Benjamin, & super Israel universum.

10. Quadraginta (*c*) annorum erat Isboseth filius Saul cum regnare cœpisset super Israel, & duobus annis regnavit: sola autem domus Juda sequebatur David.

11. Et fuit numerus dierum, quos commoratus est David, imperans in Hebron super domum Juda, septem annorum, & sex mensium.

12. Egressusque est Abner filius Ner, & pueri Isboseth filii Saul de castris in Gabaon.

13. Porro Joab filius Sarviæ, & pueri David egressi sunt, & occurrerunt (*d*) eis juxta piscinam Gabaon. Et cum in unum convenissent, e regione sederunt: hi ex una parte piscinæ, & illi ex altera.

14. Dixitque Abner ad Joab: Surgant (*e*) pueri, & ludant coram nobis. Et respondit Joab: Surgant.

15. Surrexerunt ergo, & transierunt numero duodecim de Benjamin, ex parte Isboseth filii Saul, & duodecim de pueris David.

16. Apprehensoque unusquisque capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarii, & ceciderunt simul: vocatumque est nomen loci illius: Ager robustorum, in Gabaon.

17. Et ortum est bellum durum satis in die illa: fugatusque est Abner, & viri Israel a pueris David.

18. Erant autem ibi tres filii Sarviæ, Joab, & Abisai, & Asael: porro Asael cursor velocissimus fuit, quasi unus de capreis, quæ morantur in silvis.

19. Persequebatur autem Asael Abner, & non declinavit ad dexteram neque ad sinistram omittens persequi Abner.

20. Respexit itaque Abner post tergum suum, & ait: Tu ne es Asael? Qui respondit: Ego sum.

21. Dixitque ei Abner: Vade ad dexteram, sive ad sinistram, & apprehende unum de adolescentibus, & tolle tibi spolia ejus. Noluit autem Asael omittere quin urgeret eum.

22. Rursumque locutus est Abner ad Asael: Recede, noli me sequi, ne compellar confodere te in terram, & levare non potero faciem meam ad Joab fratrem tuum.

23. Qui audire contempsit, & noluit declinare: percussit ergo eum Abner aversa hasta in inguine, & transfodit, & mortuus est in eodem loco: omnesque qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Asael, & mortuus erat, subsistebant.

24. Persequentibus autem Joab, & Abisai fugientem Abner, sol occubuit: & venerunt usque ad Collem aquæ ductus, qui est ex adverso vallis itineris deserti in Gabaon.

25. Congregatique sunt filii Benjamin ad Abner: & conglobati in unum cuneum, steterunt in summitate tumuli unius.

26. Et exclamavit Abner ad Joab, & ait: Num usque ad internecionem tuus mucro desæviet? an ignoras quod periculosa sit desperatio? usquequo non dicis populo ut omittat persequi fratres suos?

27. Et

26. (*f*) In hac comparatione ardorem amoris considera, non libidinem, & inordinatum affectum.

27. (*g*) Tantorum virorum cæde belli gloria obscurata fuit.

CAP. II. 4. (*a*) Usi sunt ministerio Abjathar Pontificis, aut alicujus Prophetæ: seniores quidem Israel eum postea unxerunt super universum Israel. Prima quidem unctio a Samuele facta, divinæ electionis fuit declaratio, per quam accepit jus ad regnum: sed usum & exercitium juris, seu jus in re accepit per postremas unctiones.

9. (*b*) Hebr. האשורי, *Assuri*, LXX. *Θασιρί*. Chald. Super tribum *Aser*.

10. (*c*) Quare natus videtur eo ipso anno, quo Samuel judicia munus obire cœpit. *Et duobus annis regnavit super Israel*: regnavit per septennium a morte Saulis ad plenum regnum Davidis: sed duo tantum anni fuerunt pacifici, reliqui in magna rerum perturbatione, cum David in dies suum regnum promoveret; legitime tamen uterque, David a Deo ipso electus; non constabat de unctione per Samuelem facta, ac jure hæreditario regnabat Isboseth. *Sola autem domus Juda*: in Hebræo est vox *ac*, אך. id est, *sane*, quæ in media sententia plerumque est exclusiva.

13. (*d*) Castra castris junxerunt.

14. (*e*) Ludicra fuit pugna, ex qua ducum pugna secuta est; aut potius pugna illa juvenum fuit singulare certamen.

27. Et ait Joab: Vivit Dominus, si locutus (*f*) fuisses, mane recessisset populus persequens fratrem suum.

28. Insonuit ergo Joab buccina, & stetit omnis exercitus, nec persecuti sunt ultra Israel, neque iniere certamen.

29. Abner autem & viri ejus abierunt per campestria, tota nocte illa: & transierunt Jordanem, & lustrata omni Bethoron, venerunt ad castra (*g*).

30. Porro Joab reversus, omisso Abner, congregavit omnem populum: & defuerunt de pueris David decem & novem viri, excepto Asaele.

31. Servi autem David percusserunt de Benjamin, & de viris qui erant cum Abner, trecentos sexaginta, qui & mortui sunt.

32. Tuleruntque Asael, & sepelierunt eum in sepulcro patris sui in Bethlehem: & ambulaverunt tota nocte Joab & viri qui erant cum eo, & in ipso crepusculo pervenerunt in Hebron.

CAPUT III.

Dissidium inter Abner & Isboseth: Abner agit cum David de Regno: Michol redditur Davidi; Abner occiditur a Joab, quod vehementer Davidem afflixit.

1. Facta est ergo longa concertatio (*a*) inter domum Saul, & inter domum David: David proficiscens, & semper seipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie.

* 1. Par. 3. 1. 2. * Natique sunt filii David in Hebron: fuitque primogenitus ejus Amnon de Achinoam Jezraelitide.

3. Et post eum Cheleab (*b*) de Abigail uxore Nabal Carmeli: porro tertius Absolon filius Maacha filiæ Tholmai regis Gessur.

4. Quartus autem Adonias, filius Haggith: & quintus Saphathia, filius Abital.

5. Sextus quoque Jethraam de Egla (*c*) uxore David: Hi nati sunt David in Hebron.

6. Cum ergo esset prælium inter domum Saul & domum David, Abner filius Ner regebat domum Saul.

7. Fuerat autem Sauli concubina nomine Respha, filia Aja. Dixitque Isboseth ad Abner:

8. Quare ingressus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Isboseth, ait: Numquid caput canis (*d*) ego sum adversum Judam hodie, qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui, & super fratres & proximos ejus, & non tradidi te in manus David, & tu requisisti in me quod argueres pro muliere hodie?

9. Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, nisi quomodo juravit Dominus David, sic faciam cum eo,

10. Ut transferatur regnum de domo Saul, & elevetur thronus David super Israel, & super Judam, a Dan usque Bersabee.

11. Et non potuit respondere ei quidquam, quia metuebat illum.

12. Misit ergo Abner nuntios ad David pro se dicentes: Cujus est Terra (*e*)? Et ut loquerentur: Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & reducam ad te universum Israelem.

13. Qui ait: Optime: ego faciam tecum amicitias: sed unam rem peto a te, dicens: Non videbis faciem meam antequam adduxeris Michol filiam Saul: & sic venies, & videbis me.

14. Misit autem David nuntios ad Isboseth filium Saul, dicens: * Redde uxorem meam Michol, quam despondi mihi centum (*f*) præputiis Philisthiim. * 1. Reg. 18. 27.

15. Misit ergo Isboseth, & tulit eam a viro suo Phaltiel, filio Lais.

16. Sequebaturque eam vir suus, plorans usque Bahurim: & dixit ad eum Abner: Vade, & revertere. Qui reversus est.

17. Sermonem quoque intulit Abner ad seniores Israel, dicens: Tam heri (*g*) quam nudiustertius quærebatis David ut regnaret super vos.

18. Nunc ergo facite: quoniam Dominus locutus est ad David, dicens: In manu servi mei David salvabo populum meum Israel de manu Philisthiim, & omnium inimicorum ejus.

19. Locutus est autem Abner etiam ad Benjamin. Et abiit ut loqueretur ad David in Hebron, omnia quæ placuerant Israeli, & universo Benjamin.

20. Venitque ad David in Hebron cum viginti viris: & fecit David Abner, & viris ejus qui venerant cum eo, convivium.

21. Et dixit Abner ad David: Surgam, ut congregem ad te dominum meum regem omnem Israel, & ineam tecum fœdus, & imperes omnibus, sicut desiderat anima tua. Cum ergo deduxisset David Abner, & ille isset in pace,

22. Statim pueri David, & Joab venerunt, cæsis latronibus, cum præda magna nimis: Abner autem non erat cum David in Hebron, quia jam dimiserat eum, & profectus fuerat in pace.

23. Et Joab, & omnis exercitus, qui erat cum eo, postea venerunt: nuntiatum est itaque Joab a narrantibus: Venit Abner filius Ner ad regem, & dimisit eum, & abiit in pace.

24. Et ingressus est Joab ad regem, & ait: Quid fecisti? Ecce venit Abner ad te: quare dimisisti eum, & abiit & recessit?

25. Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te ut deciperet te, & sciret exitum tuum, & introitum tuum, & nosset omnia quæ agis?

26. Egres-

27. (*f*) Hebr. *Nisi locutus fuisses*; quando dixisti, surgant pueri; nulla fuisset commissa pugna: tu prior provocasti.

29. (*g*) Hebr. *Mahanaim*, מחנים. & *castra* & nomen loci significat.

CAP. III. 1. (*a*) Studiis fortasse magis quam armis certatum, ut liquet ex vers. 28. superioris capitis. Hæc concertatio, auctori Concordiæ videtur durasse per 5. annos cum dimidio.

3. (*b*) 1 Paral. 3. 1. vocatur Daniel.

5. (*c*) Hæc non fuit Michol, cui ex cap. 16. nullus natus est filius: fors est, ut Egla, nulla alia insignis nota, nec genere nobilis, dicatur uxor David.

8. (*d*) An mecum sic agere debes tamquam cum vili cane?

12. (*e*) Hebr. *Ad quem terra?* verum est commune gentis, ut tu regnes. Et *erit manus mea tecum*, ego te pro virili juvabo.

14. (*f*) Centum pro Merob, totidem pro Michol dederat: ducentis quidem Philisthæis necis dederat David, sed centum tantummodo promiserat præputia, adeo ut numerum ultra promissionem duplicaverit.

17. (*g*) Id est, jam dudum.

26. Egressus itaque Joab a David, misit nuntios post Abner, & reduxit eum a cisterna Sira, ignorante David.

* 3. Reg. 2. 5. 27. Cumque rediisset * Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Joab ad medium portæ, ut loqueretur ei, in dolo: & percussit illum ibi in inguine (*h*), & mortuus est in ultionem sanguinis Asael fratris ejus.

28. Quod cum audisset David rem jam gestam, ait: Mundus ego sum, & regnum meum apud Dominum usque in sempiternum, a sanguine Abner filii Ner;

29. Et veniat super caput Joab, & super omnem domum patris ejus: nec deficiat (*i*) de domo Joab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum, & cadens gladio, & indigens pane.

30. Igitur Joab & Abisai frater ejus interfecerunt Abner, eo quod occidisset Asael fratrem eorum in Gabaon, in prælio.

31. Dixit autem David ad Joab, & ad omnem populum, qui erat cum eo: Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner. Porro rex David sequebatur feretrum.

32. Cumque sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam, & flevit super tumulum Abner: flevit autem & omnis populus.

33. Plangensque rex & lugens Abner, ait: Nequaquam ut mori solent ignavi, mortuus est Abner.

34. Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedibus aggravati: sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti. Congeminansque omnis populus flevit super eum.

35. Cumque venisset universa multitudo cibum capere cum David, clara adhuc die juravit David, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum solis gustavero panem vel aliud quidquam.

36. Omnisque populus audivit, & placuerunt eis cuncta quæ fecit rex in conspectu totius populi.

37. Et cognovit omne vulgus, & universus Israel in die illa, quoniam non actum fuisset a rege ut occideretur Abner filius Ner.

38. Dixit quoque rex ad servos suos: Num ignoratis quoniam princeps & maximus cecidit hodie in Israel?

39. Ego autem adhuc delicatus (*k*), & unctus rex: porro viri isti filii Sarujæ duri sunt mihi: retribuat Dominus facienti malum juxta malitiam suam.

CAPUT IV.

Duo militum præfecti dormientem interficiunt Isboseth; caput ejus ad David afferunt; cujus jussu occiduntur.

1. Audivit autem Isboseth filius Saul quod cecidisset Abner in Hebron: & dissolutæ sunt manus ejus, omnisque Israel perturbatus est.

2. Duo autem viri principes latronum (*a*) erant filio Saul, nomen uni Baana, & nomen alteri Rechab, filii Remmon Berothitæ de filiis Benjamin: siquidem & Beroth reputata est in Benjamin.

3. Et fugerunt Berothitæ in Gethaim, fueruntque ibi advenæ usque ad tempus illud.

4. Erat autem Jonathæ filio Saul filius debilis pedibus: quinquennis enim fuit, quando venit nuntius de Saul & Jonatha ex Jezrael. Tollens itaque eum nutrix sua, fugit: cumque festinaret ut fugeret, cecidit, & claudus effectus est: habuitque vocabulum Miphiboseth.

5. Venientes igitur filii Remmon Berothitæ, Rechab & Baana, ingressi sunt fervente die domum Isboseth: qui dormiebat super stratum suum meridie. Et ostiaria (*b*) domus purgans triticum, obdormivit.

6. Ingressi sunt autem domum latenter assumentes (*c*) spicas tritici, & percusserunt eum in inguine Rechab & Baana frater ejus, & fugerunt.

7. Cum autem ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lectum suum in conclavi, & percutientes interfecerunt eum: sublatoque capite ejus, abierunt per viam deserti tota nocte,

8. Et attulerunt caput Isboseth ad David in Hebron: dixeruntque ad regem: Ecce caput Isboseth filii Saul inimici tui, qui quærebat animam tuam: & dedit Dominus domino meo regi ultionem hodie de Saul, & de semine ejus.

9. Respondens autem David Rechab & Baana fratri ejus, filiis Remmon Berothitæ, dixit ad eos: Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia,

10. * Quoniam eum, qui annuntiaverat mihi, & dixerat: Mortuus est Saul: qui putabat se prospera nuntiare, tenui, & occidi eum in Siceleg, cui oportebat (*d*) mercedem dare pro nuntio. * Sup. 1. 14.

11. Quanto magis nunc cum homines impii interfecerunt virum innoxium in domo sua, super lectum suum, non quæram sanguinem ejus de manu vestra, & auferam vos de terra?

12. Præcepit itaque David pueris suis, & interfecerunt eos: præcidentesque manus & pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron: caput autem Isboseth tulerunt, & sepelierunt in sepulcro Abner in Hebron.

CA-

27 (*h*) In illis.

29. (*i*) Mos erat, inquit Grotius, diris defigere facinorosorum posteros.

39. (*k*) Annorum circiter 39. sed recens unctus; nec turbandam esse rempublicam in ipsis initiis existimabat: cum Joab & Abisai filii Sarujæ sororis David præessent exercitui. Hinc discimus principes aliquando quædam prave facta prudenter dissimulare. Unctus Rex, nondum stabilitus in regno, quod non successione, sed electione & unctione regno.

CAP. IV.

2. (*a*) Sic milites olim dictos docet Varro, *latrones* dicebantur prætoriani milites, quasi *laterones*, quod *latera* principis stiparent cohortium duces.

5. (*b*) Desunt hæc verba in Hebræo: sed ea sunt in LXX. Interpretibus, & verisimile est ea excidisse. Ostiaria purgabat triticum, ut polentam, seu opus dulciarium pararet ad Regis epulum.

6. (*c*) Specie mercatorum, ut habet Chaldæus: in Hebræo, &c. est vox similitudinis.

10 (*d*) Et ipsius, & aliorum judicio.

CAPUT V.

David super universum Israel ungitur; pulsis Jebusæis arcem Sion occupat; semel & iterum Philisthæos vincit.

1. ET venerunt universæ tribus (*a*) Israel
*1 Par.11.1. ad David in Hebron, dicentes: * Ecce nos, os tuum, & caro tua sumus.

2. Sed & heri & nudiustertius cum esset Saul rex super nos, tu eras educens & reducens Israel: dixit autem Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israel, & tu eris dux super Israel.

3. Venerunt quoque & seniores Israel ad regem in Hebron, & percussit cum eis rex David fœdus in Hebron coram (*b*) Domino: unxeruntque David in regem super Israel.

4. Filius triginta annorum erat David, cum
*3 Reg. 2. 11. regnare cœpisset, * & quadraginta (*c*) annis regnavit.

5. In Hebron regnavit super Judam septem annis (*d*) & sex mensibus: in Jerusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israel & Judam.

6. Et abiit (*e*) rex, & omnes viri qui erant cum eo, in Jerusalem, ad Jebusæum habitatorem terræ: dictumque est David ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos dicentes: Non ingredietur David huc.

7. Cepit autem David arcem Sion, hæc est civitas David.

8. Proposuerat enim David in die illa præmium, qui percussisset Jebusæum, & tetigisset domatum fistulas (*f*), & abstulisset cæcos & claudos odientes animam David: idcirco dicitur in proverbio: Cæcus & claudus non intrabunt in templum.

9. Habitavit autem David in arce, & vocavit eam Civitatem David: & ædificavit per gyrum a Mello (*g*) & intrinsecus.

10. Et ingrediebatur proficiens atque succrescens, & Dominus Deus exercituum erat cum eo.

*1.Par.14. 1. 11. * Misit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David, & ligna cedrina, & artifices lignorum, artificesque lapidum ad parietes: & ædificaverunt domum David:

12. Et cognovit David quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel, & quoniam exaltasset regnum ejus super populum suum Israel.

*1. Par. 3. 1. & 2. 13. * Accepit ergo David adhuc concubinas & uxores de Jerusalem, postquam venerat de Hebron: natique sunt David & alii filii & filiæ.

14. Et hæc nomina eorum, qui nati sunt ei in Jerusalem, Samua, & Sobab, & Nathan, & Salomon,

15. Et Jebahar, & Elisua, & Nepheg,

16. Et Japhia, & Elisama, & Elioda, & Eliphaleth.

17. Audierunt ergo Philisthiim quod unxissent David in regem super Israel: & ascenderunt universi ut quærerent David: quod cum audisset David, descendit in præsidium.

18. * Philisthiim autem venientes diffusi sunt in Valle Raphaim. *1.Par.14. 9.

19. Et consuluit David Dominum, dicens: Si ascendam ad Philisthiim? & si dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad David: Ascende, quia tradens dabo Philisthiim in manu tua.

20. * Venit ergo David in Baal-Pharasim, *Isa.28.21.
& percussit eos ibi, & dixit: Divisit Dominus inimicos meos coram me, sicut dividuntur aquæ. * Propterea vocatum est nomen loci *1.Par.14. 11.
illius, Baal-Pharasim.

21. Et reliquerunt ibi sculptilia sua: quæ tulit (*h*) David, & viri ejus.

22. Et addiderunt adhuc Philisthiim ut ascenderent, & diffusi sunt in Valle Raphaim.

23. Consuluit autem David Dominum: Si ascendam contra Philisthæos, & tradas eos in manus meas? Qui respondit: Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex adverso pyrorum (*i*).

24. Et cum audieris sonitum (*k*) gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philisthiim.

25. Fecit itaque David sicut præceperat ei Dominus, & percussit Philisthiim de Gabaa, usque dum venias Gezer.

CAPUT VI.

David arcam e domo Abinadab reducendam aggreditur: in ipso itinere Oza a Domino percutitur. Arca adducitur in civitatem David.

1. CONgregavit autem rursum David omnes electos ex Israel triginta millia (*a*).

2. * Surrexitque David, & abiit, & universus populus qui erat cum eo de viris Juda, ut *2.Par.13. 5.
adducerent arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum, sedentis in Cherubim super eam.

3. Et

CAP. V. 1. (*a*) Comitia publica, ex singulis tribubus principes convenerunt.

3. (*b*) Non quod ibi esset arca, sed gentis concilium, unxerunt que David in Regem.

4. (*c*) A morte Saulis ad Salomonem inunctum. Regnavit enim 40. annis cum dimidio ex vers. 5. & ingressus est Jerusalem anno ætatis 37.

5. (*d*) Sex menses reticentur; nam ubi major numerus memoratur, sæpe minor prætermittitur; quod observandum est in universa Scriptura.

6. (*e*) Expugnat arcem a Jebusæis occupatam in parte eminentiori montis Sion: his pulsis domum sibi in arce Sion elegit. Insultantes Jebusæi dixerunt Davidi: *Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos & claudos*: locus est difficilis, sed verisimile est cæcos & claudos in arce, quæ arte & natura munita erat, collocatos fuisse, quasi ab iis solis arx defendi posset. Neque illud abhorret a vero in ea arce alii milites bello inutiles factos, quos ad resistendum satis validos fore propter loci munitionem judicabant. *Non intrabunt in templum*, Hebr. In domum hanc, In arcem Sion.

8. (*f*) Seu canales aquæ emissariæ in tecto positos. Quod si Joab non primus ascendisset, justa erat caussa cur alium ducem in ejus locum David constitueret.

9. (*g*) Mello erat vallis profunda, quæ montem Sion a civitate inferiore separabat. David a Mello incipiens totum montem Sion per gyrum muro circumdedit. Aliis placet *Mello* fuisse forum, quod exstructum fuit a Davide, & ædificia in circuitu.

20. & 21. (*h*) Ut incenderet. *Baal-Pharasim*: Chaldæus, planitiem fortium. *Reliquerunt*, sculptilia, quæ secum attulerant.

23. (*i*) Vox Hebræa Bikaim, בכאים. *Moros* significat, aut *flentes* quod mori baccæ succo plenæ liquorem suum emittant ut lacrymas; unde alii vertunt *stillas* cadentes lacrymarum more.

24. (*k*) Hebr. *Vocem gressus mei*: sors est ut sonitus venti frondes agitantis esset argumentum præsentiæ divinæ.

CAP. VI. 1. (*a*) Gr. Septuaginta millia.

3. Et imposuerunt arcam Dei super plaustrum novum: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autem, & Ahio filii Abinadab, minabant plaustrum novum.

* 1. Reg. 7. 1. 4. * Cumque tulissent eam de domo (b) Abinadab, qui erat in Gabaa, custodiens arcam Dei Ahio præcedebat arcam.

5. David autem, & omnis Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis & citharis & lyris & tympanis & sistris & cymbalis.

6. Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit (c) Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam.

7. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi juxta arcam Dei.

* 1. Par. 13. 11. 8. * Contristatus est autem David, eo quod percussisset Dominus Ozam, & vocatum est nomen loci illius: Percussio Ozæ, usque in diem hanc.

9. Et extimuit David Dominum in die illa, dicens: Quomodo ingredietur ad me arca Domini?

10. Et noluit divertere ad se arcam Domini in civitatem David: sed divertit eam in domum Obededom (d) Gethæi.

11. Et habitavit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus: & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus.

12. Nuntiatumque est regi David quod benedixisset Dominus Obededom, & omnia ejus
* 1. Par. 15. 25. propter arcam Dei. * Abiit ergo David, & adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio: & erant cum David septem chori, & victima vituli.

* 1. Par. 15. 26. 13. * Cumque transcendissent qui portabant arcam Domini sex passus, immolabat (e) bovem & arietem,

14. Et David saltabat (f) totis viribus ante Dominum: porro David erat accinctus ephod lineo.

15. Et David, & omnis domus Israel ducebant arcam testamenti Domini, in jubilo, & in clangore buccinæ.

16. Cumque intrasset arca Domini in civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem David subsilientem, atque saltantem coram Domino, & despexit eum in corde suo.

17. Et introduxerunt arcam Domini, & imposuerunt eam in loco suo in medio tabernaculi, quod tetenderat ei David: & obtulit David holocausta & pacifica coram Domino.

18. Cumque complesset offerens holocausta & pacifica, benedixit populo in nomine Domini exercituum.

19. Et partitus est universæ multitudini Israel, tam viro quam mulieri, singulis collyridam panis unam, & assaturam bubulæ carnis unam, & similam frixam oleo: & abiit omnis populus, unusquisque in domum suam.

20. Reversusque est David ut benediceret domui suæ: & egressa Michol filia Saul in occursum David, ait: Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens (g) se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris.

21. Dixitque David ad Michol: Ante Dominum, qui elegit me potius quam patrem tuum, & quam omnem domum ejus, & præcepit mihi ut essem dux super populum Domini in Israel,

22. Et ludam, & vilior fiam plus quam factus sum: & ero humilis (h) in oculis meis: & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.

23. Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ.

CAPUT VII.

David cogitat de ædificanda domo, aut templo Domini. Quod propositum primum laudat Nathan Propheta: sed postea Deo jubente id prohibet.

1. FActum est autem cum sedisset rex in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem undique ab universis inimicis suis,

2. Dixit ad Nathan Prophetam: * Videsne quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium? * 1. Par. 17. 1.

3. Dixitque Nathan ad regem: Omne (a) quod est in corde tuo, vade, fac: quia Dominus tecum est.

4. Factum est autem in illa nocte: & ecce sermo Domini ad Nathan, dicens:

5. Vade, & loquere ad servum meum David: Hæc dicit Dominus: Numquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum?

6. Neque enim habitavi in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de Terra Ægypti, usque in diem hanc: sed ambulabam in tabernaculo, & in tentorio.

7. Per cuncta loca, quæ transivi cum omnibus filiis Israel, numquid (b) loquens locutus sum ad unam de tribubus Israel, cui præcepi, ut pasceret populum meum Israel, dicens: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam?

8. Et nunc hæc dices servo meo David: Hæc dicit Dominus exercituum: * Ego tuli te * 1. Reg. 16. 11.
de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum Israel. Ps. 77. 70.

9. Et

4 (b) Abinadab. erat in Gabaa, in parte eminentiori urbis Cariathiarim.

6. (c) Non in eo videtur peccasse Oza, quod arcam fulciret manibus, sed quod ipse cum aliis Levitis arcam propriis humeris non portasset, ut Lege divina, Num. 4. præscriptum fuerat, & David post tres menses fieri jussit, 1. Paralip. 15. Nec punitus ante fuit Oza, quam peccati illius effectus innotesceret. Nachon, cujus hoc loco fit mentio, 1. Paral. 13. 9. vocatur Chidon, adeo ut fuerit binomius. Uxor Lot, Ananias & Sapphira magno sunt argumento Deum aliquando graviter punire peccata, quæ videntur leviora, ad terrorem aliorum.

10. (d) Levita is fuit, 1. Paralip. 15. natus forte erat in Geth, cum pater ejus peregrinaretur; ac forsan socius fuit Davidis, cum exularet: erat etiam in tribu Manasse urbs dicta Geth-remmon, Josue 21. v. 25.

13. (e) Subitario altari cespitibus extructo.

14. (f) Id deest in plerisque editionibus.

20. (g) Vestes regias deposuerat, viliores induerat.

22. (h) Sæpe homo se intus extollit, cum foris se demittit. Qui humilis est, vult videri contemptibilis, non humilis.

CAP. VII. 3. (a) Nathan initio probat consilium David, sed monitus a Deo mutat sententiam: non enim quæ dicunt Prophetæ, omnia sunt prophetiæ. Tum loquebatur ut homo prudens, non ut Propheta.

7. (b) Rem omnem ad filium David rejicit. Multa prædicit Propheta de Salomone, quæ sensu sublimiore & in Scriptura testato ad Christum pertinent, ut liquet ex c. 1. Epist. ad Hebr.

9. Et fui tecum in omnibus ubicumque ambulasti, & interfeci universos inimicos tuos a facie tua: fecique tibi nomen grande, juxta nomen magnorum, qui sunt in terra.

10. Et ponam locum populo meo Israel, & plantabo eum, & habitabit sub eo, & non turbabitur amplius: nec addent filii iniquitatis ut affligant eum sicut prius,

11. Ex die qua constitui Judices super populum meum Israel: & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis: prædicitque tibi Dominus, quod domum faciat tibi Dominus.

* 3.Reg. 8. 19. 12. * Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus:

* 3 Reg. 5. 5. 13. * Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum (c).

* 1.Par. 22. 10. Hebr. 1. 5. 14. * Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum (d), & in plagis filiorum hominum.

* Ps 88. 4. & 37. 15. * Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea.

16. Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum usque in æternum ante faciem tuam, * Heb. 1. 5. & * thronus tuus erit firmus jugiter.

17. Secundum omnia verba hæc, & juxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David.

18. Ingressus est autem rex David, & sedit coram (e) Domino, & dixit: Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque?

19. Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum: ista est enim lex Adam (f), Domine Deus.

20. Quid ergo addere poterit adhuc David, ut loquatur ad te? tu enim scis (g) servum tuum Domine Deus.

21. Propter verbum tuum, & secundum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc, ita ut notum faceres (h) servo tuo.

22. Idcirco magnificatus es Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te, in omnibus quæ audivimus auribus nostris.

23. Quæ est autem, ut populus tuus Israel, gens in terra, propter quam ivit (i) Deus, ut redimeret eam sibi in populum, & poneret sibi nomen, faceretque eis magnalia & horribilia super terram, a facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto gentem, & deum ejus?

24. Firmasti enim tibi populum tuum Israel in populum sempiternum, & tu Domine Deus factus es eis in Deum.

25. Nunc ergo Domine Deus, verbum quod locutus es super servum tuum, & super domum ejus, suscita in sempiternum: & fac sicut locutus es,

26. Ut magnificetur nomen tuum usque in sempiternum, atque dicatur: Dominus exercituum, Deus super Israel. Et domus servi tui David erit stabilita coram Domino,

27. Quia tu Domine exercituum Deus Israel revelasti aurem servi tui, dicens: Domum ædificabo tibi: propterea invenit servus tuus cor (k) suum ut oraret te oratione hac.

28. Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus, & verba tua erunt vera: locutus es enim ad servum tuum bona hæc.

29. Incipe ergo, & benedic domui servi tui, ut sit in sempiternum coram te: quia tu Domine Deus locutus es, & benedictione tua benedicetur domus servi tui in sempiternum.

CAPUT VIII.

David cæsis Philistinis, tributum quod ab Israelitis exigebant penitus exstinguit: Moabitis tributum imponit, uti & Damasco, & Idumæ.

1. Factum est autem post hæc, percussit David Philisthiim, & humiliavit eos, * & tulit David Frænum (a) tributi de manu Philisthiim. * 1.Par. 18. 1.

2. Et percussit Moab, & mensus est eos funiculo (b), coæquans terræ: mensus est autem duos funiculos, unum ad occidendum, & unum ad vivificandum: factusque est Moab David serviens sub tributo.

3. Et percussit (c) David Adarezer filium Rohob regem Soba, quando profectus est ut dominaretur super flumen Euphraten.

4. Et

13. (c) Hoc frequens est in prophetis, ut repente transeant a futura ad rem figuratam. Quædam sunt in hac Prophetia Salomoni adeo propria, ut Christo etiam possint convenire. *In sempiternum*; intelligi etiam potest in longum tempus.

14. (d) Ut solent homines filios suos patrie ad correptionem, non ut perdant eos. *In plagis filiorum hominum*: in hujus vitæ ærumnis. Quæ præcesserunt, proprie aptantur Christo, nec Salomoni conveniunt, nisi ut erat typus Christi. Sic illa verba, *Et ego ero illi in patrem*, proprie ad Christum pertinent ex Apostoli loco citato.

18. (e) Coram arca.

19. (f) Hic est usus hominum, ut posteritati suæ prospiciant; vel ut alius places, an ea lex homini vili, qualis ego sum, convenit, cum vita ejus sit brevis. Hinc August. *Mundus est decessio pereuntium, & successio periturorum*: vel denique, an ista est lex Adam, ut me quodammodo immortalem facias regno stabilito in mea familia. Familiariter mecum agis quomodo homines agere solent cum hominibus.

20. (g) Nosti cor meum, & quam me indignum sentiam tuis in me beneficiis.

21. (h) Ut nota faceres, ut magnalia tua manifestares. Ex mera tua gratia fecisti omnia magnalia hæc, & nota mihi fecisti per Prophetas tuos, ut Samuelem, Nathan, &c. *Propter verbum tuum*, LXX. propter servum tuum, & ita legimus L. 1. Paral. 17.

23. (i) Deus, nulla gens de suis diis idem prædicare potest. *Quem redemisti ex Ægypto, gentem & Deum ejus*: in libertatem asseruisti Israeliticam gentem, & ritum colendi verum Deum, quem Ægyptii contemnebant, & gentem & cultum Dei liberasti.

27. (k) Paratum adorandum, & fiducia plenum, ut 2 Paralip. 17. *Invenit fiduciam*: cum attente orat, fiducia plenum est fore ut exaudiatur: non item cum vagatur attentio. August. in Psalm 85 *Vix stat cor ad Deum suum, & quodammodo fugit a se, nec invenit cancellos, quibus retineat avolationes suas, & quosdam motus ut stet jucundari a Deo suo*.

CAP. VIII. 1. (a) Videtur hic locus exponendus ex Lib. 1. Paralip. cap. 18 v. 1. ubi dicitur David tulisse de manu Philisthiim Geth & filias ejus: quod urbs illa & vicinæ imponerent tributum Israeli: frænum adeo tributi tulit, & iis tributi quibus illi premebant. Hebr. *Frænum cubiti*, forte tributo cubiti nomen datur, quod ad mensuram imponitur. Pagninus *aquæductus*, ea voce intelligit, quibus aqua in agros ducebatur.

2. (b) Sic Moabitæ bello fracti sunt a Davide, ut quasi funiculo dimensi, sive ad vitam, sive ad mortem destinarentur; pars major vitam est consecuta ex textu Hebræo: funiculus pro parte sumitur; unam ex iis morti addixit. Tres in partes divisit terram Moabitarum, in quarum una, inquit Grotius, indigenas reliquit, ne difficilior esset ejus custodia.

3. (c) Quæ urbs erat metropolis Cœlo Syriæ, seu cavæ Syriæ: *quando profectus est*, David an Adarezer, valde incertum. Videtur rex ille Soba ad Euphraten profectus non postulato innoxio itinere terras Israelitarum invasisse, itque a Davide devictus fuit.

4. Et captis David ex parte ejus mille septingentis equitibus (*d*), & viginti millibus peditum, subnervavit omnes jugales curruum: dereliquit autem ex eis centum currus.

5. Venit quoque Syria Damasci, ut præsidium ferret Adarezer regi Soba: & percussit David de Syria viginti duo millia virorum.

6. Et posuit David præsidium in Syria Damasci: factaque est Syria David serviens sub tributo: servavitque Dominus David in omnibus ad quæcumque profectus est.

7. Et tulit David arma (*e*) aurea, quæ habebant servi Adarezer & detulit ea in Jerusalem.

8. Et de Bete & de Beroth, civitatibus Adarezer tulit rex David æs multum nimis.

9. Audivit autem Thou rex Emath, quod percussisset David omne robur Adarezer,

10. Et misit Thou Joram filium suum ad regem David, ut salutaret eum congratulans, & gratias ageret: eo quod expugnasset Adarezer, & percussisset eum. Hostis quippe erat Thou Adarezer, & in manu (*f*) ejus erant vasa aurea, & vasa argentea, & vasa ærea:

11. Quæ & ipsa sanctificavit (*g*) rex David Domino cum argento & auro, quæ sanctificaverat de universis gentibus, quas subegerat

12. De Syria, & Moab, & filiis Ammon, & Philisthiim, & Amalec, & de manubiis Adarezer filii Rohob regis Soba.

13. Fecit quoque sibi David nomen cum reverteretur capta Syria in valle Salinarum (*h*), cæsis decem & octo millibus:

14. Et posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium: & facta est universa Idumæa serviens David: & servavit Dominus David in omnibus ad quæcumque profectus est.

15. Et regnavit David super omnem Israel: faciebat quoque David judicium & justitiam omni populo suo.

16. Joab autem filius Sarujæ erat super exercitum: porro Josaphat filius Ahilud erat a commentariis (*i*):

17. Et Sadoc (*k*) filius Achitob, & Achimelech filius Abjathar, erant sacerdotes: & Sarajas, scriba:

18. Banajas autem filius Jojadæ super Cerethi (*l*) & Pheleti: filii autem David sacerdotes erant.

CAPUT IX.

David quærit unum e familia Saulis, quem ornet honoribus, cui bona restituat; is fuit Miphiboseth.

1. ET dixit David: Putasne est aliquis qui remanserit de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam (*a*) propter Jonathan?

2. Erat autem de domo Saul, servus nomine Siba: quem cum vocasset rex ad se, dixit ei: Tune es Siba? & ille respondit: Ego sum servus tuus.

3. Et ait rex: Numquid superest aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo misericordiam Dei? Dixitque Siba regi: Superest filius Jonathæ, debilis pedibus.

4. Ubi, inquit, est? Et Siba ad regem, Ecce, ait, in domo est Machir filii Ammiel in Lodabar.

5. Misit ergo rex David, & tulit eum de domo Machir filii Ammiel de Lodabar.

6. Cum autem venisset Miphiboseth filius Jonathæ filii Saul ad David, corruit in faciem suam, & adoravit. Dixitque David: Mipbiboseth? Qui respondit: Adsum servus tuus.

7. Et ait ei David? Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam propter Jonathan patrem tuum, & restituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper.

8. Qui adorans eum, dixit: Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?

9. Vocavit itaque rex Sibam puerum Saul, & dixit ei: Omnia quæcumque fuerunt Saul, & universam domum ejus dedi filio domini tui.

10. Operare (*b*) igitur ei terram tu, & filii tui, & servi tui: & inferes filio domini tui cibos ut alatur: Miphiboseth autem filius domini sui comedet semper panem super mensam meam. Erant autem Sibæ quindecim filii, & viginti servi.

11. Dixitque Siba ad regem: Sicut jussisti domine mi rex servo tuo, sic faciet servus tuus: & Miphiboseth comedet super mensam meam, quasi unus de filiis regis.

12. Habebat autem Miphiboseth filium parvulum nomine Micha: omnis vero cognatio domus Sibæ serviebat Miphiboseth.

13. Por-

4. (*d*) Lib. 1. Paralip. 18. legimus septem millia equitum: ibi forte numerantur, qui curribus insidentes pugnabant. Abulensis respondet multa in libris Regum omissa in Lib. Paral. addi, ut fert ipse titulus. *Jugales*, Equos nempe sauciatos, vel inutiles, & centum curruum reservavit: hoc est, 400. equos sibi servavit.

7. (*e*) Hebr. scuta, aut clypeos aureos.

10. (*f*) Joram nimirum, erant vasa aurea.

11. (*g*) Destinavit illa vasa ad ornatum templi.

13. (*h*) Ubi sal confici solebat, non procul a mari mortuo in finibus Idumæorum, quos subegit: existimat Bonfrerius vallem salis in Idumæa extitisse.

16. (*i*) Vel a secretis, aut forte præerat rationibus: vel denique res gestas mandabat memoriæ posteritatis, aut a libellis supplicibus erat.

17. (*k*) Aut simul erant duo summi Sacerdotes, aut potius duo principes Sacerdotum, qui præerant suæ quisque cognationi, cum unus esset tantummodo Pontifex; nempe Sadoc? An forte quædam est nominum inversio: nam Achimelech pater erat Abjathar hic solus erat Pontifex tempore Davidis: nam apud eum erant ephod & rationale. Is forte & Achimelech vocabatur. Abjathar & Achimelech utroque nomine donari verisimile est.

18. (*l*) Erat cohors regia, atque his prætorianis militibus imposita sunt nomina ea robore ad terrorem. *Filii autem David Sacerdotes erant*, id est, principes in aula Regis: unde 1. Paralip. 18. *Porro filii David primi ad manum Regis*; Septuag. vertunt principes, aliis omnibus prefecti. Genes. 41. & Exod. 2. Vox Sacerdotis ita sumitur: vox Hebræa Cohen, כהן quæ Dei ministrum, potest & ministrum principis designare. Verbum Hebraicum ex Grotio significat ministrare.

CAP. IX.

1. (*a*) Id est, magnam. Supererat ex filiis Saul Miphiboseth filius Jonathæ, qui erat quinquennis anno primo regni David. Huic restituit agros omnes, qui fuerant Saulis, non eos, quos titulo Regis possidebat Saul, sed qui ut privati, seu emptionis, seu donationis nomine, illius erant. *Misericordia* pro beneficentia sumitur.

10. (*b*) Siba servus Miphiboseth alet Micham filium ejusdem Miphiboseth: hic vero vescetur in mensa regis: variæ sunt lectiones, sed hic sensus videtur commodior: vel Siba erat jure coloni partiarii.

13. Porro Miphiboseth habitabat in Jerusalem: quia de mensa regis jugiter vescebatur: & erat claudus utroque pede.

CAPUT X.

Hanon rex Ammonitarum ob legatos Davidis indigne tractatus semel & iterum cum Syris profligatur.

1. FActum est autem post hæc, ut moreretur rex filiorum Ammon, & regnavit Hanon filius ejus pro eo.

2. Dixitque David: * Faciam misericordiam (*a*) cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater ejus mecum misericordiam. Misit ergo David, consolans eum per servos suos super patris interitu. Cum autem venissent servi David in Terram filiorum Ammon, * 1. Par. 19. 2.

3. Dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum suum: Putas quod propter honorem patris tui miserit David ad te consolatores, & non ideo ut investigaret, & exploraret civitatem, & everteret eam, misit David servos suos ad te?

4. Tulit itaque Hanon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & præscidit (*b*) vestes eorum medias usque ad nates, & dimisit eos.

5. Quod cum nuntiatum esset David, misit in occursum eorum: erant enim viri confusi turpiter valde, & mandavit eis David: Manete in Jericho, donec crescat barba vestra, & tunc revertimini.

6. Videntes autem filii Ammon quod injuriam fecissent David, miserunt, & conduxerunt mercede Syrum Rohob, & Syrum Soba, viginti millia peditum, & a rege Maacha mille viros, & ab Istob (*c*) duodecim millia virorum.

7. Quod cum audisset David, misit Joab & omnem exercitum bellatorum,

8. Egressi sunt ergo filii Ammon, & direxerunt aciem ante ipsum introitum portæ (*d*): Syrus autem Soba, & Rohob, & Istob, & Maacha seorsum erant in campo.

9. Videns igitur Joab quod præparatum esset adversum se prælium, & ex adverso & post tergum, elegit ex omnibus electis Israel, & instruxit aciem contra Syrum:

10. Reliquam autem partem populi tradidit Abisai fratri suo, qui direxit aciem adversus filios Ammon.

11. Et ait Joab: Si prævaluerint adversum me Syri, eris mihi in adjutorium: si autem filii Ammon prævaluerint adversum te, auxiliabor tibi.

12. Esto vir fortis, & pugnemus pro populo nostro, & civitate Dei nostri: Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo.

13. Iniit itaque Joab & populus qui erat cum eo, certamen contra Syros: qui statim fugerunt a facie ejus.

14. Filii autem Ammon videntes quia fugissent Syri, fugerunt & ipsi a facie Abisai, & ingressi sunt civitatem: reversusque est Joab a filiis Ammon, & venit Jerusalem.

15. Videntes igitur Syri quoniam corruissent coram Israel, congregati sunt pariter.

16. Misitque Adarezer, & eduxit Syros, qui erant trans fluvium, & adduxit eorum exercitum: Sobach autem, magister militiæ Adarezer, erat princeps eorum.

17. Quod cum nuntiatum esset David, contraxit omnem Israelem, & transivit Jordanem, venitque in Helam: & direxerunt aciem Syri ex adverso David, & pugnaverunt contra eum.

18. Fugeruntque Syri a facie Israel, & occidit David de Syris septingentos currus (*e*), & quadraginta millia equitum: & Sobach principem militiæ percussit: qui statim mortuus est.

19. Videntes autem universi reges, qui erant in præsidio Adarezer, se victos esse ab Israel, expaverunt & fugerunt quinquaginta & octo millia coram Israel. Et fecerunt pacem cum Israel: & servierunt eis, timueruntque Syri auxilium præbere ultra filiis Ammon.

CAPUT XI.

Raptus Bethsabeæ, & Uriæ homicidium, hoc capite continentur.

1. FActum est autem, * vertente anno, eo tempore quo solent reges ad bella procedere, misit David Joab, & servos suos cum eo, & universum Israel, & vastaverunt filios Ammon, & obsederunt Rabba: David autem remansit in Jerusalem. * 1. Par. 20. 1.

2. Dum hæc agerentur, accidit ut surgeret David de stratu suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ: viditque mulierem se lavantem, ex adverso super solarium suum: erat autem mulier pulcra valde.

3. Misit ergo rex, & requisivit quæ esset mulier. Nuntiatumque est ei quod ipsa esset Bethsabee filia Eliam, uxor Uriæ Hethæi (*a*).

4. Missis itaque David nuntiis, tulit eam: quæ cum ingressa esset ad illum, dormivit cum ea: * statimque sanctificata (*b*) est ab immunditia sua: * Lev. 15. 18.

5. Et reversa est in domum suam concepto fœtu. Mittensque nuntiavit David, & ait: Concepi.

6. Mi-

CAP. X. 2. (*a*) Vox Hebræa omne benignitatis genus complectitur.

4. (*b*) Hæc ignominia eo gravior visa est, quod Judæi non uterentur femoralibus, præter Sacerdotes in sacrificiis: a medio ad imum præscidit.

6. (*c*) Istob, est vir Tob, quæ regio est, in quam fugit Jephte, Judic. 11.

8. (*d*) Urbis Medabæ ex Lib. 1. Paral. 19. ubi pugnatum est. Ammonitæ sic acies suas instruxerunt, ut Syros in campum duxerint, & exercitum suum ante portas civitatis Medabæ stare jusserint, ut Hebræos a fronte & a tergo adorirentur: Joab copiis divisis arte utrosque est aggressus.

18. (*e*) Quorum singulis forte insidebant decem milites. Unde Lib. 1. Paral. 19. dicuntur septem millia curruum. Hoc in loco præcipuos tantum numerari existimat Mariana; eam in Paral. 4000. peditum cæsa dicuntur, quæ hic erant prætermissa. & solus equitum numerus positus est. Quod unus liber omittit, alter memorat: ex utroque numerus cæterum colligi potest. Septingenti currus intelligi possunt selecti, non omnes.

CAP. XI. 3. (*a*) Ex Hethæis erat oriundus, vel ex oppido in tribu Juda. *Requisivit quæ esset mulier*. August. in Psalm. 50. *Fit ergo lapsus majorum tremor minorum . . . factus est securus devictis hostibus, pressura caruit, tumor excrevit . . .* David *non peccandi forma, sed pœnitendi*.

4. (*b*) Lotio corporis vocatur sanctificatio: aut forte post conceptum cessavit menstrui sanguinis profluvium.

6. Misit autem David ad Joab, dicens: Mitte ad me Uriam Hethæum. Misitque Joab Uriam ad David.

7. Et venit Urias ad David. Quæsivitque David quam recte ageret Joab, & populus, & quomodo administraretur bellum.

8. Et dixit David ad Uriam: Vade in domum tuam, & lava (c) pedes tuos. Et egressus est Urias de domo regis, secutusque est eum cibus regius.

9. Dormivit autem Urias ante portam domus regiæ cum aliis servis domini sui, & non descendit ad domum suam.

10. Nuntiatumque est David a dicentibus: Non ivit Urias in domum suam. Et ait David ad Uriam: Numquid non de via venisti? quare non descendisti in domum tuam?

11. Et ait Urias ad David: Arca Dei & Israel & Juda habitant in papilionibus, & dominus meus Joab, & servi domini mei super faciem terræ manent: & ego ingrediar domum meam ut comedam & bibam, & dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.

12. Ait ergo David ad Uriam: Mane hic etiam hodie, & cras dimittam te. Mansit Urias in Jerusalem in die illa & altera:

13. Et vocavit eum David ut comederet coram se & biberet, & inebriavit eum: qui egressus vespere, dormivit in strato suo cum servis domini sui, & in domum suam non descendit.

14. Factum est ergo mane, & scripsit David epistolam ad Joab: misitque per manum Uriæ,

15. Scribens in epistola: Ponite Uriam ex adverso belli, ubi fortissimum est prælium: & derelinquite eum, ut percussus intereat.

16. Igitur cum Joab obsideret urbem, posuit Uriam in loco ubi sciebat viros esse fortissimos.

17. Egressique viri de civitate, bellabant adversum Joab, & ceciderunt de populo servorum David, & mortuus est etiam Urias Hethæus.

18. Misit itaque Joab, & nuntiavit David omnia verba prælii:

19. Præcepitque nuntio, dicens: Cum compleveris universos sermones belli ad regem,

20. Si eum videris indignari, & dixerit: Quare accessistis ad murum, ut præliaremini? an ignorabatis quod multa desuper ex muro tela mittantur?

21. Quis percussit Abimelech filium Jerobaal? * nonne mulier misit super eum fragmen
* Judic. 9. 53. molæ de muro, & interfecit eum in Thebes? quare juxta murum accessistis? dices: Etiam servus tuus Urias Hethæus occubuit.

22. Abiit ergo nuntius, & venit, & narravit David omnia quæ ei præceperat Joab.

23. Et dixit nuntius ad David: Prævaluerunt adversum nos viri, & egressi sunt ad nos in agrum: nos autem facto impetu persecuti eos fuimus usque ad portam civitatis.

24. Et direxerunt jacula sagittarii ad servos tuos ex muro desuper: mortuique sunt de servis regis, quia etiam servus tuus Urias Hethæus (d) mortuus est.

25. Et dixit David ad nuntium: Hæc dices Joab: Non te frangat ista res: varius enim eventus est belli: nunc hunc, & nunc illum consumit gladius: conforta bellatores tuos adversus urbem, ut destruas eam, & exhortare eos.

26. Audivit autem uxor Uriæ, quod mortuus esset Urias vir suus, & planxit eum.

27. Transacto autem luctu, misit David, & introduxit eam in domum suam, & facta est ei uxor, peperitque ei filium: & displicuit verbum hoc, quod fecerat David, coram (e) Domino.

CAPUT XII.

David a Nathan Propheta sub parabola proposita correptus, in seipsum profert sententiam. Interea puer moritur; Salomon nascitur. Bellum adversus Ammonitas continuatur.

1. Misit ergo Dominus Nathan ad David: qui cum venisset ad eum, dixit ei: duo viri erant in civitate una, unus dives, & alter pauper.

2. Dives habebat oves (a), & boves plurimos valde.

3. Pauper autem nihil habebat omnino, præter ovem unam parvulam, quam emerat & nutrierat, & quæ creverat apud eum cum filiis ejus simul, de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, & in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia.

4. Cum autem peregrinus quidam venisset ad divitem, parcens ille sumere de ovibus & de bobus suis, ut exhiberet convivium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis, & præparavit cibos homini qui venerat ad se.

5. Iratus autem indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc.

6. * Ovem reddet in quadruplum, eo quod * Exod. 22. 1.
fecerit verbum istud, & non pepercerit.

7. Dixit autem Nathan ad David: Tu es ille vir: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ego unxi te in regem super Israel, & ego erui te de manu Saul,

8. Et dedi tibi domum domini tui, & uxores (b) domini tui in sinu tuo, dedique tibi domum Israel & Juda: & si parva sunt ista, adjiciam tibi multo majora.

9. Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo? Uriam Hethæum percussisti gladio, & uxorem illius accepisti in uxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon.

10. Quam ob rem non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum (c), eo quod despexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut esset uxor tua.

11. Ita-

8. (c) Qui mos erat Orientalium.
24. (d) Sic dictus, quod forte ex ea gente esset proselytus.
27. (e) Hoc factum Deo displicuit.
CAP. XII. 2. (a) Sic rem proposuit, ut nihil opus esset prophetæ Regem damnare, sed ut seipsum condemnaret.
8. (b) Non quod uxores Saulis ut thalami socias acceperit, sed quia id ipsum in ejus potestate erat, si voluisset.
10. (c) Diuturnum tempus designat.

11. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce, ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & * dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus (*d*) tuis in oculis Solis hujus. *Inf.16.22.

12. Tu enim fecisti abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, & in conspectu Solis.

13. Et (*e*) dixit David ad Nathan: Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David: * Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. * Eccli.47.13.

14. Verumtamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur.

15. Et reversus est Nathan in domum suam. Percussit quoque Dominus (*f*) parvulum, quem pepererat uxor Uriæ David, & desperatus est.

16. Deprecatusque est David Dominum pro parvulo: & jejunavit David jejunio, & ingressus seorsum, jacuit super terram.

17. Venerunt autem seniores domus ejus, cogentes eum ut surgeret de terra: qui noluit, nec comedit cum eis cibum.

18. Accidit autem die septima ut moreretur infans: timueruntque servi David nuntiare ei quod mortuus esset parvulus. Dixerunt enim: Ecce cum parvulus adhuc viveret, loquebamur ad eum, & non audiebat vocem nostram: quanto magis si dixerimus, Mortuus est puer, se affliget?

19. Cum ergo David vidisset servos suos mussitantes, intellexit quod mortuus esset infantulus: dixitque ad servos suos: Num mortuus est puer? Qui responderunt ei: Mortuus est.

20. Surrexit ergo David de terra, & lotus unctusque est: cumque mutasset vestem, ingressus est domum Domini, & adoravit, & venit in domum suam, petivitque ut ponerent ei panem, & comedit.

21. Dixerunt autem ei servi sui: Quis est sermo, quem fecisti? propter infantem, cum adhuc viveret, jejunasti & flebas: mortuo autem puero, surrexisti, & comedisti panem.

22. Qui ait: Propter infantem, dum adhuc viveret, jejunavi & flevi: dicebam enim: Quis scit si forte donet eum mihi Dominus, & vivat infans?

23. Nunc autem quia mortuus est, quare jejunem? Numquid potero revocare eum amplius? ego vadam magis ad eum: ille vero non revertetur ad me.

24. Et consolatus est David Bethsabee uxorem suam, ingressusque ad eam, dormivit cum ea: quæ genuit filium, & vocavit nomen ejus Salomon, & Dominus dilexit eum.

25. Misitque in manu Nathan prophetæ, & vocavit nomen ejus, Amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus.

26. * Igitur pugnabat Joab contra Rabbath filiorum Ammon, & expugnabat urbem regiam. *1.Par.20.1.

27. Misitque Joab nuntios ad David, dicens: Dimicavi adversum Rabbath, & capienda est Urbs aquarum.

28. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside civitatem, & cape eam: ne, cum a me vastata fuerit urbs, nomini meo ascribatur victoria.

29. Congregavit itaque David omnem populum, & profectus est adversum Rabbath: eumque dimicasset, cepit eam.

30. Et tulit diadema regis eorum de capite ejus, pondo (*g*) auri talentum, habens gemmas pretiosissimas, & impositum est super caput David. Sed & prædam civitatis asportavit multam valde:

31. Populum quoque ejus adducens serravit, & circumegit super eos ferrata carpenta: divisitque cultris, & traduxit (*h*) in typo laterum: sic fecit universis civitatibus filiorum Ammon: & reversus est David, & omnis exercitus in Jerusalem.

CAPUT XIII.

Ob flagitium Amnonis in sororem Thamar admissum, Absalom eum in convivio necat. Fugit ad Regem Gessur.

1. FActum est autem post hæc, ut Absalom filii David sororem speciosissimam, vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius David,

2. Et deperiret eam valde, ita ut propter amorem ejus ægrotaret: quia cum esset virgo, difficile ei videbatur ut quippiam inhoneste ageret cum ea.

3. Erat autem Amnon amicus, nomine Jonadab filius Semmaa fratris David, vir prudens valde.

4. Qui dixit ad eum: Quare sic attenuaris macie fili regis per singulos dies? cur non indicas mihi? Dixitque ei Amnon: Thamar sororem fratris mei Absalom amo.

5. Cui respondit Jonadab: Cuba super lectum tuum, & languorem simula: cumque venerit pater tuus ut visitet te, dic ei: Veniat, oro, Thamar soror mea, ut det mihi cibum, & faciat pulmentum, ut comedam de manu ejus.

6. Accubuit itaque Amnon, & quasi ægrotare cœpit: cumque venisset rex ad visitandum eum, ait Amnon ad regem: Veniat, obsecro, Thamar soror mea, ut faciat in oculis meis duas sorbitiunculas, & cibum capiam de manu ejus.

7. Misit ergo David ad Thamar domum, dicens: Veni in domum Amnon fratris tui, & fac ei pulmentum.

8. Ve-

11. (*d*) Cum concubinis, id fecit Absalom. Deus id facere interdum dicitur, quod permittit, & non impedit.

13. (*e*) Hebr. Et aggravatus est, morbus incruduit.

15. (*f*) Saul idem dixerat Samueli; sed ut ait Augustin. Lib. 22. contra Faustum cap. 67. *In simili voce, quam sensus humanus audiebat, dissimile prorsus erat quod divinus oculus discernebat.*

30. (*g*) Talentum auri adhuc rudis continebat 100. libras; signati auri talentum ejusdem est valoris, non ponderis; 1. Paralip. 20. 2. *Tulit coronam Melchom de capite ejus.* Hier. in Tradit. hunc locum de idolo Melchom intelligit, cui detracta sua corona: hæc tanti ponderis solius idoli capiti convenire potuit: unde non capiti Davidis, sed supra caput positam fuisse quidam Hebræi putant, aut certe talentum illud minoris fuit ponderis, quam antiquum in Exodo memoratum.

31. (*h*) Divisit instar laterum, cum adhuc molles sunt. Verisimile est Joab tum absente Davide ita sævisse in Ammonitas, qui jus gentium tam fœde violaverant. Hæc venerunt antequam Nathan Propheta Davidem adiisset. Cum Scriptura hanc severitatem non reprehendat, temerarium videretur eam condemnare.

8. Venitque Thamar in domum Amnon fratris sui: ille autem jacebat: quæ tollens farinam commiscuit: & liquefaciens, in oculis ejus coxit sorbitiunculas.

9. Tollensque quod coxerat, effudit, & posuit coram eo, & noluit comedere: dixitque Amnon: Ejicite universos a me. Cumque ejecissent omnes,

10. Dixit Amnon ad Thamar: Infer cibum in conclave, ut vescar de manu tua. Tulit ergo Thamar sorbitiunculas, quas fecerat, & intulit ad Amnon fratrem suum in conclave.

11. Cumque obtulisset ei cibum, apprehendit eam, & ait: Veni, cuba mecum soror mea.

12. Quæ respondit ei: Noli frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas est in Israel: noli facere stultitiam hanc.

13. Ego enim ferre non potero opprobrium meum, & tu eris quasi unus de insipientibus in Israel: quin potius loquere (*a*) ad regem, & non negabit me tibi.

14. Noluit autem acquiescere precibus ejus, sed prævalens viribus oppressit eam, & cubavit cum ea.

15. Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis: ita ut majus esset odium quo oderat eam, amore quo ante dilexerat. Dixitque ei Amnon: Surge, & vade.

16. Quæ respondit ei: Majus est hoc malum, quod nunc agis adversum me, quam quod ante fecisti expellens me. Et noluit audire eam:

17. Sed vocato puero, qui ministrabat ei, dixit: Ejice hanc a me foras, & claude ostium post eam.

18. Quæ induta erat talari (*b*) tunica: hujuscemodi enim filiæ regis virgines vestibus utebantur. Ejecit itaque eam minister illius foras: clausitque fores post eam.

19. Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissa talari tunica, impositisque manibus super caput suum, ibat ingrediens, & clamans.

20. Dixit autem ei Absalom frater suus: Numquid Amnon frater tuus concubuit tecum? sed nunc soror tace, frater tuus est: neque affligas cor tuum pro hac re. Mansit itaque Thamar contabescens in domo Absalom fratris sui.

21. Cum autem audisset rex David verba hæc, contristatus est valde. & noluit (*c*) contristare spiritum Amnon filii sui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei.

22. Porro non est locutus Absalom ad Amnon, nec malum, nec bonum: oderat enim Absalom Amnon, eo quod violasset Thamar sororem suam.

23. Factum est autem post tempus biennii, ut tonderentur oves Absalom in Baalhasor, quæ est juxta Ephraim: & vocavit Absalom omnes filios regis,

24. Venitque ad regem, & ait ad eum: Ecce tondentur oves servi tui: veniat, oro, rex cum servis suis ad servum suum.

25. Dixitque rex ad Absalom: Noli fili mi, noli rogare ut veniamus omnes, & gravemus te. Cum autem cogeret eum, & noluisset ire, benedixit ei.

26. Et ait Absalom: Si non vis venire, veniat, obsecro, nobiscum saltem Amnon frater meus. Dixitque ad eum rex: Non est necesse ut vadat tecum.

27. Coegit itaque Absalom eum, & dimisit cum eo Amnon & universos filios regis. Feceratque Absalom convivium quasi convivium regis.

28. Præceperat autem Absalom pueris suis, dicens: Observate cum temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis: Percutite eum, & interficite: nolite timere: ego enim sum qui præcipio vobis: roboramini, & estote viri fortes.

29. Fecerunt ergo pueri Absalom adversum Amnon, sicut præceperat eis Absalom. Surgentesque omnes filii regis ascenderunt singuli mulas suas, & fugerunt.

30. Cumque adhuc pergerent in itinere, fama pervenit ad David, dicens: Percussit Absalom omnes filios regis, & non remansit ex eis saltem unus.

31. Surrexit itaque rex, & scidit vestimenta sua: & cecidit super terram, & omnes servi illius, qui assistebant ei, sciderunt vestimenta sua.

32. Respondens autem Jonadab filius Semmaa fratris David, dixit: Ne æstimet dominus meus rex, quod omnes pueri filii regis occisi sint: Amnon solus mortuus est, quoniam in ore Absalom erat positus (*d*) ex die, qua oppressit Thamar sororem ejus.

33. Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suum verbum istud, dicens: Omnes filii regis occisi sunt: quoniam Amnon solus mortuus est.

34. Fugit autem Absalom: & elevavit puer speculator oculos suos, & aspexit: & ecce populus multus veniebat per iter devium ex latere montis.

35. Dixit autem Jonadab ad regem: Ecce filii regis adsunt: juxta verbum servi tui sic factum est.

36. Cumque cessasset loqui, apparuerunt & filii regis: & intrantes levaverunt vocem suam, & fleverunt: sed & rex & omnes servi ejus fleverunt ploratu magno nimis.

37. Porro Absalom fugiens, abiit ad Tholomai (*e*) filium Ammiud regem Gessur. Luxit ergo David filium suum cunctis diebus.

38. Absalom autem cum fugisset, & venisset in Gessur, fuit ibi tribus annis.

39. Cessavitque rex David persequi Absalom, eo quod consolatus esset super Amnon interitu.

CA-

CAPUT XIII.

13. (*a*) Hoc dixit, ut vim præsentem sibi a fratre illatam effugeret. Hebræi hinc colligunt Thamar non fuisse Davidis filiam, sed privignam, Maacha filiam, & ex alio patre; alii filiam Davidis fuisse existimant, sed natam ex primo concubitu, postquam in bello capta est.

18. (*b*) Hebr. *Ketonet-passim* כתנת פסים. vestis polymita, ex variis diversorum colorum fragmentis consuta, seu opere plumario, qualis fuit tunica *Josephi Genes.* 37. *Hujusmodi enim filiæ virgines vestibus utebantur*, hoc insigne erat regiarum virginum, quo ab aliis dignosci possent.

21. (*c*) In hac quidem reprehensione non vacare Davidem merito existimat Abulensis, quod filium tam gravis sceleris reum non correxerit, nisi forte opportuno tempore non fuerit neglecta correctio, licet facer textus id non expresserit.

32. (*d*) Ad cædem destinatus.

37. (*e*) Hic erat avus maternus Absalom.

CAPUT XIV.

Mulier Thecuitis summissa a Joab agit cum Rege de revocando Absalom, idque impetrat.

1. INtelligens autem Joab filius Sarviæ, quod cor regis versum esset ad Absalom,

2. Misit Thecuam, (*a*) & tulit inde mulierem sapientem: dixitque ad eam: Lugere te simula, & induere veste lugubri, & ne ungaris oleo, ut sis quasi mulier jam plurimo tempore lugens mortuum:

3. Et ingredieris ad regem, & loqueris ad eum sermones hujuscemodi. Posuit autem Joab verba in ore ejus.

4. Itaque cum ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo super terram, & adoravit, & dixit: Serva me rex.

5. Et ait ad eam rex: Quid causæ habes? Quæ respondit: Heu, mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus.

6. Et ancillæ tuæ erant duo filii: qui rixati sunt adversum se in agro, nullusque erat, qui eos prohibere posset: & percussit alter alterum, & interfecit eum.

7. Et ecce consurgens universa cognatio adversum ancillam tuam, dicit: Trade eum, qui percussit fratrem suum, ut occidamus eum pro anima fratris sui, quem interfecit, & deleamus hæredem: & quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, ut non supersit viro meo nomen, & reliquiæ super terram.

8. Et ait rex ad mulierem: Vade in domum tuam, & ego jubebo pro te.

9. Dixitque mulier Thecuitis ad regem: In me, domine mi rex, sit iniquitas (*b*), & in domum patris mei: rex autem & thronus ejus sit innocens.

10. Et ait rex: Qui contradixerit tibi, adduc eum ad me, & ultra non addet ut tangat te.

11. Quæ ait: Recordetur (*c*) rex Domini Dei sui, ut non multiplicentur proximi sanguinis ad ulciscendum, & nequaquam interficiant filium meum. Qui ait: Vivit Dominus, quia non cadet de capillis filii tui super terram.

12. Dixit ergo mulier: Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum. Et ait: Loquere.

13. Dixitque mulier: Quare cogitasti hujuscemodi rem contra populum Dei, & locutus est rex verbum istud, ut peccet, & non reducat ejectum suum?

14. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur: * nec vult Deus perire animam, sed retractat (*d*) cogitans ne penitus pereat qui abjectus est. * Ezech. 18. 32. & 33. 11.

15. Nunc igitur veni, ut loquar ad dominum meum regem verbum hoc, præsente populo. Et dixit ancilla tua: Loquar ad regem, si quo modo faciat rex verbum ancillæ suæ.

16. Et audivit rex, ut liberaret ancillam suam de manu omnium, qui volebant de hæreditate Dei delere me, & filium meum simul.

17. Dicat ergo ancilla tua, ut fiat verbum domini mei regis sicut sacrificium (*e*). Sicut enim Angelus Dei, * sic est dominus meus rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur: unde & Dominus Deus tuus est tecum. * 1 Reg. 29. 9.

18. Et respondens rex, dixit ad mulierem: Ne abscondas a me verbum, quod te interrogo. Dixitque ei mulier: Loquere domine mi rex.

19. Et ait rex: Numquid manus (*f*) Joab tecum est in omnibus istis? Respondit mulier, & ait: Per salutem animæ tuæ, domine mi rex, nec ad sinistram, nec ad dexteram est, ex omnibus his, quæ locutus est dominus meus rex: servus enim tuus Joab, ipse præcepit mihi, & ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc.

20. Ut verterem figuram (*g*) sermonis hujus, servus tuus Joab præcepit istud: tu autem domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.

21. Et ait rex ad Joab: Ecce placatus feci verbum tuum: vade ergo, & revoca puerum Absalom.

22. Cadensque Joab super faciem suam in terram, adoravit, & benedixit regi, & dixit Joab: Hodie intellexit servus tuus, quia inveni gratiam in oculis tuis, domine mi rex: fecisti enim sermonem servi tui.

23. Surrexit ergo Joab & abiit in Gessur, & adduxit Absalom in Jerusalem.

24. Dixit autem rex: Revertatur in domum suam, & faciem meam non videat (*h*). Reversus est itaque Absalom in domum suam, & faciem regis non vidit.

25. Porro sicut Absalom, vir non erat pulcher in omni Israel, & decorus nimis: a vestigio pedis usque ad verticem non erat in eo ulla macula.

26. Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico (*i*).

27. Nati

CAP. XIV. 2. (*a*) Hæc patria erat Amos Prophetæ, prope Bethlehem.

9. (*b*) Occurrit tacitæ objectioni non oportere impunita esse peccata: ego ipsa luam, non tibi imputabitur.

11. (*c*) Insinuatione utitur, & obscuro sermone, ut mentionem faciat Absalonis.

14. (*d*) Executionem differt: omnes morimur, neque tam diuturna debet esse iracundia nostra, cum vita sit adeo brevis: homo ipse tam frequenter peccat, & Deus ad pœnitentiam eum invitat, nec statim judicat, ne in æternum pereat; & homuncio adeo superbit, ut nolit parcere?

17. (*e*) Cum Rex pollicitus est fore ut filium ejus tueretur, simul videtur promisisse futurum ut Absaloni parceret; atque id postulat ne id gratiæ ab alio quovis inhibeatur, ut sacrificia Deo promissa impediri non debent: aut certe sic exponenda sunt ea verba: Quam rex aget rem, hæc Deo grata erit, ut sacrificium: *Sicut enim Angelus Dei*; nec calumniæ, nec precibus locum dabit, & aget omnino ut Angelus Dei. Ita clementer locutus es; ut solent Angeli divinæ benignitatis nuntii. Ex humana conditione qua omnes brevi morimur, ex Dei benignitate, qui pœnitentes excipit, suadet Regi ut filio parcat. Unde vers. 13. *Quare cogitasti hujuscemodi rem, &c.* Hoc est, nisi revocetur exul, peccaturus est, & in damnum populi fiet idolorum cultor.

19. (*f*) Nonne illius consilio usa es in hoc negotio? *Nec ad sinistram, nec ad dexteram est*, ita plane est, rem ipsam attigisti; qui tecum vult loqui, neque ad dextram, neque ad sinistram potest deflectere.

20. (*g*) Similitudine uterer, eaque parabola preces meas tegerem.

24. (*h*) Ut ferocem animum contineret in officio.

26. (*i*) Hebr. *In lapide Regis*: lapis pro pondere. Suspicatur Mariana pro ducentis posse legi 20. facili mutatione litterarum, aut certe sicli regii multo minores erant siclis sanctuarii: LXX. ponunt *centum*: aliis placet designari pretium, non pondus, quod verisimilius videtur, aut certe de auri pondere

27. Nati sunt autem Absalom filii tres: & filia una nomine Thamar, elegantis formæ.

28. Mansitque Absalom in Jerusalem duobus annis, & faciem regis non vidit.

29. Misit itaque ad Joab, ut mitteret eum ad regem: qui noluit venire ad eum. Cumque secundo misisset, & ille noluisset venire ad eum,

30. Dixit servis suis: Scitis agrum Joab juxta agrum meum, habentem messem hordei: ite igitur, & succendite eum igni. Succenderunt ergo servi Absalon segetem igni. Et venientes servi Joab, scissis vestibus suis, dixerunt: Succenderunt servi Absalom partem agri igni.

31. Surrexitque Joab, & venit ad Absalom in domum ejus, & dixit: Quare succenderunt servi tui segetem meam igni?

32. Et respondit Absalom ad Joab: Misi ad te obsecrans ut venires ad me, & mitterem te ad regem, & diceres ei: Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse: obsecro ergo ut videam faciem regis: Quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.

33. Ingressus itaque Joab ad regem, nuntiavit ei omnia: vocatusque est Absalom, & intravit ad regem, & adoravit super faciem terræ coram eo: osculatusque est rex Absalom.

CAPUT XV.

Absalom captat popularem auram; in patrem & patriam armatur: fugit David: hic Chusai redire jubet, ut dissipet consilia Achitophel.

1. IGitur post hæc fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum.

2. Et mane consurgens Absalom, stabat juxta introitum portæ (*a*), & omnem virum, qui habebat negotium ut veniret ad regis judicium, vocabat Absalom ad se, & dicebat: De qua civitate es tu? Qui respondens ajebat: Ex una tribu Israel ego sum servus tuus.

3. Respondebatque ei Absalom: Videntur mihi sermones tui boni & justi. Sed non est qui te audiat constitutus a rege: dicebatque Absalom:

4. Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & juste judicem?

5. Sed & cum accederet ad eum homo ut salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens, osculabatur eum.

6. Faciebatque hoc omni Israel venienti ad judicium, ut audiretur a rege, & sollicitabat (*b*) corda virorum Israel.

7. Post quadraginta (*c*) autem annos, dixit Absalom ad regem David: Vadam, & reddam vota mea quæ vovi Domino in Hebron.

8. Vovens enim vovit servus tuus, cum esset in Gessur Syriæ, dicens: Si reduxerit me Dominus in Jerusalem, sacrificabo Domino.

9. Dixitque ei rex David: Vade in pace. Et surrexit, & abiit in Hebron.

10. Misit autem Absalom exploratores in universas tribus Israel, dicens: Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: Regnavit Absalom in Hebron.

11. Porro cum Absalom ierunt ducenti viri de Jerusalem vocati, euntes simplici corde, & causam penitus ignorantes.

12. Accersivit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium David, de civitate sua Gilo. Cumque immolaret victimas, facta est conjuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom.

13. Venit igitur nuntius ad David, dicens: Toto corde universus Israel sequitur Absalom.

14. Et ait David servis suis, qui erant cum eo in Jerusalem: Surgite, fugiamus: neque enim erit nobis effugium a facie Absalom: festinate egredi, ne forte veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam, & percutiat civitatem in ore gladii.

15. Dixeruntque servi regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit dominus noster rex, libenter exequemur servi tui.

16. Egressus est ergo rex, & universa domus ejus pedibus suis: & dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.

17. Egressusque rex & omnis Israel pedibus suis, stetit procul a domo:

18. Et universi servi ejus ambulabant juxta eum, & legiones Cerethi & Phelethi, & omnes Gethæi, pugnatores validi, sexcenti viri, qui secuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant regem.

19. Dixit

dere loquitur, quod 200. siclorum pretium æquabat. Cum id supra fidem videatur, capillitium juvenis tanti fuisse ponderis, hoc utique vel textus obscuritati, vel ipsius interpretationi, vel demum depravatæ lectioni nonnulli tribuendum putant. Qua de re nuper vir doctus peculiarem Dissertationem conscripsit, quæ Trevolensi eruditorum diario inserta est mense Augusto anni 1702. Præcipua difficultas in eo est posita, quodnam sit pondus sicli illius, cujus in eo loco fit mentio. Ante omnia illud statuendum, siclos illos non fuisse Hebræos, quorum singuli erant quatuor drachmarum; nam 200. sicli fuissent quinque librarum, 12 unciarum, quod fidem omnem superat. De ponderibus & mensuris Hebræorum nihil mutatum esse legimus; nam ad archetypa sua exigi solebant, quorum custodia erat penes Sacerdotes. Lib. 1. Paralip. 23. 29. *Sacerdotes autem super omne pondus atque mensuram*. Quod additur in textu, *pondere publico*, vel ut vertit Arias Montanus, *in regis pondere*, id explicationis gratia positum videtur. Nam vivente auctore sacro, qui libros Regum in eum ordinem, qui nunc extat, redegit sub finem captivitatis Babylonicæ, Hebræorum pondera non erant in usu, ac forte iis ipsis incognita. Siquidem ponderibus apud Babylonios receptis utebantur; ex quibus id colligitur, capillitii Absalonis pondus ad pondera tum Judæis nota & usitata, Babylonica nimirum fuisse revocatum. Id probat etiam Dissertationis Auctor Pelletarius ex cap. 29. Lib. 1. Paralipom. vers. 7. ubi oblationes factas a ditioribus Davidis temporibus in templi structuram commemorat. Nam ubi legimus in Vulgata *solidos decem millia*, in textu Hebraico ejus monetæ, quæ jussu Darii Medi fuit cussa, fit mentio, eaque Dorica dicta est: unde LXX. Interpretes verterunt 10000 drachmas Alexandrinas: siquidem in gratiam Hellenistarum Ægypti scribebant. Ex quibus & aliis probationibus, quas Auctor Dissertationis profert, id efficitur 200 siclorum pondus fuisse non Hebræum, sed Babylonicum. Sicli vero Babylonici ex Xenophonte, Polluce & Photio pondus erat 8 obolorum Atticorum, cum siclus apud Hebræos esset 4 drachmarum, seu 24. obolorum. Atque idem pondus in Perside & Syria etiamnum est usitatum 8. obolorum; uncia Romana 48. mna, seu mina 100. obolos continet. Siclus igitur Babylonicus octo erat obolorum, seu pars tertia Hebraici, hoc est, 89 grana Parisina complectitur, ac subductis rationibus 200. siclorum pondus fuit 7. unciarum cum semisse.

2. (*a*) Ubi erat forum: juxta introitum palatii. CAP. XV.

6. (*b*) Hebr. Furabatur cor: simulata humanitate, promissa libertate, & patrem negligentiæ accusando. *Sollicitabat*, id est, illiciebat.

7. (*c*) Quidam codices habent post quatuor annos, sed in Hebræo & apud LXX. sunt 40. anni, qui numerari possunt a prima unctione Davidis anno ante mortem Saulis nono: rebellio Absalom in annum regni Davidis 31. incidit. Josephus legit 4. annis. Hanc lectionem restituerat Sixtus V. & retinendam censent viri docti, idque suadet narrationis series. Is enim annus quartus numerandus est a reditu Absalonis. Haud dubium, ait Grotius, hic errorem scribæ, additis ad vocem Hebræam quatuor duabus litteris. Quatuor enim annos intercessisse dicit Josephus, nec aliter Theodoretus. *Reddam vota mea in Hebron*, ubi erant corpora Patriarcharum.

19. Dixit autem rex ad Ethai Gethæum: Cur venis nobiscum? revertere, & habita cum rege, quia peregrinus es, & egressus es de loco tuo.

20. Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi? ego autem vadam quo iturus sum: revertere, & reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciet tecum misericordiam & veritatem, quia ostendisti gratiam & fidem.

21. Et respondit Ethai regi, dicens: Vivit Dominus, & vivit dominus meus rex: quoniam in quocumque loco fueris, domine mi rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.

22. Et ait David Ethai: Veni, & transi. Et transivit Ethai Gethæus, & omnes viri qui cum eo erant, & reliqua multitudo.

23. Omnesque flebant voce magna, & universus populus transibat: rex quoque transgrediebatur Torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam, quæ respicit ad desertum.

24. Venit autem & Sadoc sacerdos, & universi Levitæ cum eo, portantes arcam fœderis Dei, & deposuerunt arcam Dei: & ascendit Abjathar, donec expletus esset omnis populus, qui egressus fuerat de civitate.

25. Et dixit rex ad Sadoc: Reporta arcam Dei in urbem: si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum.

26. Si autem dixerit mihi: Non places: præsto sum, faciat quod bonum est coram se.

27. Et dixit rex ad Sadoc sacerdotem: O Videns (*d*) revertere in civitatem in pace: & Achimaas filius tuus, & Jonathas filius Abjathar duo filii vestri, sint vobiscum.

28. Ecce ego abscondar in campestribus deserti, donec veniat sermo a vobis indicans mihi.

29. Reportaverunt ergo Sadoc & Abjathar arcam Dei in Jerusalem: & manserunt ibi.

30. Porro David ascendebat Clivum olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite: sed & omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans.

31. Nuntiatum est autem David quod & Achitophel esset in conjuratione cum Absalom, dixitque David: Infatua, quæso Domine, consilium Achitophel.

32. Cumque ascenderet David summitatem montis, in quo adoraturus (*e*) erat Dominum, ecce occurrit ei Chusai Arachites, scissa veste, & terra pleno capite.

33. Et dixit ei David: Si veneris mecum, eris mihi oneri:

34. Si autem in civitatem revertaris, & dixeris Absalom: Servus tuus sum, rex: sicut fui servus patris tui, sic ero servus tuus: dissipabis consilium Achitophel.

35. Habes autem tecum Sadoc & Abjathar sacerdotes: & omne verbum quodcumque audieris de domo regis, indicabis Sadoc & Abjathar sacerdotibus.

36. Sunt autem cum eis duo filii eorum Achimaas filius Sadoc, & Jonathas filius Abjathar: & mitteris per eos ad me omne verbum quod audieritis.

37. Veniente ergo Chusai amico David in civitatem, Absalom quoque ingressus est Jerusalem.

CAPUT XVI.

Siba afferenti cibaria dantur bona Miphiboseth; Semei maledicit Davidi; Absalom intrat Jerusalem; Chusai consilio Achitophel adversatur.

1. Cumque David transisset paulolum montis verticem, apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum ejus, cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis uvæ passæ, & centum massis palatharum (*a*), & utre vini.

2. Et dixit rex Sibæ: Quid sibi volunt hæc? Responditque Siba: Asini, domesticis regis ut sedeant: panes & palathæ, ad vescendum pueris tuis: vinum autem, ut bibat si quis defecerit in deserto.

3. Et ait rex: Ubi est filius domini tui? * * *Infr.* 19.
Respónditque Siba regi: Remansit in Jerusa- 27.
lem, dicens: Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei:

4. Et ait rex Sibæ: Tua sint omnia quæ fuerunt Miphiboseth. Dixitque Siba: Oro, ut inveniam gratiam coram te, domine mi rex.

5. Venit ergo rex David usque Bahurim: & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius Gera, procedebatque egrediens, & * maledicebat, * 3 *Reg* 2.
8.

6. Mittebatque lapides contra David, & contra universos servos regis David: omnis autem populus, & universi bellatores a dextro, & a sinistro latere regis incedebant.

7. Ita autem loquebatur Semei cum malediceret regi: Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial.

8. Reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul: quoniam invasisti regnum pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Absalom filii tui: & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es.

9. Dixit autem Abisai filius Sarviæ regi: Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? vadam, & amputabo caput ejus.

10. Et ait rex: Quid mihi & vobis est filii Sarviæ? dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit (*b*) ei ut malediceret David: & quis est qui audeat dicere, quare sic fecerit?

11. Et

27. (*d*) Sept. Interpret. Vide: tu reverteris.
32. (*e*) Hebr. Adoravit ibi Dominum, forte ibi adorare solitus erat Dominum, Arcæ locum respiciens.

CAPUT XVI. 1. (*a*) Ita LXX. Palathæ pro caricis positæ videntur. Pagninus vertit fructibus æstivos; erant ficus exsiccatæ.
10. (*b*) Decretum permissivum præcepti nomine designat. At præceptum illud non aliud fuit, quam Dei ordinatio ad exercendam patientiam Davidis. Semei voluntati ad maledicendum paratæ Deus obtulit loci opportunitatem & fuga; David agnoscens hanc Dei ordinationem, noluit eam impedire. *Quid mihi & vobis?* res vestra non agitur, sed mea. Melius, inquit Grotius, particula Hebræa, per *Si*, vertitur, ut in aliis locis: adeo ut is sic sensus; si forte præceptum a Deo habet me maledictis puniendi. Verum hoc præceptum, aut decretum non aliud esse potuit, quam permissivum.

11. Et ait rex Abisai, & universis servis suis: Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quærit animam meam: quanto magis nunc filius Jemini? dimittite eum, ut maledicat juxta præceptum Domini:

12. Si forte respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.

13. Ambulabat itaque David & socii ejus per viam cum eo. Semei autem per jugum montis ex latere, contra illum gradiebatur, maledicens, & mittens lapides adversum eum, terramque spargens (c).

14. Venit itaque rex, & universus populus cum eo lassus, & refocillati sunt ibi.

15. Absalom autem & omnis populus ejus ingressi sunt Jerusalem, sed & Achitophel cum eo.

16. Cum autem venisset Chusai Arachites amicus David ad Absalom, locutus est ad eum: Salve rex, salve rex.

17. Ad quem Absalom, Hæc est, inquit, gratia tua ad amicum tuum? quare non ivisti cum amico tuo?

18. Responditque Chusai ad Absalom: Nequaquam: quia illius ero, quem elegit Dominus, & omnis hic populus, & universus Israel, & cum eo manebo.

19. Sed ut & hoc inferam, cui ego serviturus sum? nonne filio regis? sicut parui patri tuo, ita parebo & tibi.

20. Dixit autem Absalom ad Achitophel: Inite consilium quid agere debeamus.

21. Et ait Achitophel ad Absalom: Ingredere (d) ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum: ut cum audierit omnis Israel quod fœdaveris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.

* Sup. 12. 11. 22. * Tetenderunt ergo Absalom tabernaculum in solario: ingressusque est ad concubinas patris sui coram universo Israel.

23. Consilium autem Achitophel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret (e) Deum: sic erat omne consilium Achitophel, & cum esset cum David, & cum esset cum Absalom.

CAPUT XVII.

Chusai consilium Achitophel de opprimendo statim David evertit. Qua de re David fit certior, & Jordanem transmittit.

CAPUT XVII. 1. Dixit ergo Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar David hac nocte.

2. Et irruens super eum (quippe qui lassus est, & solutis manibus) percutiam eum: cumque fugerit omnis populus, qui cum eo est; percutiam regem desolatum (a).

3. Et reducam universum populum, quomodo unus homo reverti solet: unum enim virum tu quæris: & omnis populus erit in pace.

4. Placuitque sermo ejus Absalom, & cunctis majoribus natu Israel.

5. Ait autem Absalom: Vocate Chusai Arachiten, & audiamus quid etiam ipse dicat.

6. Cumque venisset Chusai ad Absalom, ait Absalom ad eum: Hujuscemodi sermonem locutus est Achitophel, facere debemus an non: quod das consilium?

7. Et dixit Chusai ad Absalom: Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice.

8. Et rursum intulit Chusai: Tu nosti patrem tuum, & viros, qui cum eo sunt, esse fortissimos & amaro animo, veluti si ursa raptis catulis in saltu sæviat: sed & pater tuus vir bellator est, nec morabitur cum populo.

9. Forsitan nunc latitat in foveis, aut in uno quo voluerit, loco: & cum ceciderit unus quilibet in principio, audiet (b) quicumque audierit, & dicet: Facta est plaga in populo qui sequebatur Absalom.

10. Et fortissimus quisque, cujus cor est quasi leonis, pavore solvetur: scit enim omnis populus Israel fortem esse patrem tuum, & robustos omnes qui cum eo sunt.

11. Sed hoc mihi videtur rectum esse consilium: Congregetur ad te universus Israel, a Dan usque Bersabee, quasi arena maris innumerabilis: & tu eris in medio eorum.

12. Et irruemus super eum in quocumque loco inventus fuerit: & operiemus eum, sicut cadere solet ros super terram: & non relinquemus de viris, qui cum eo sunt, ne unum quidem.

13. Quod si urbem aliquam fuerit ingressus, circumdabit omnis Israel civitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, ut non reperiatur ne calculus quidem ex ea.

14. Dixitque Absalom, & omnes viri Israel: Melius est consilium Chusai Arachitæ, consilio Achitophel: Domini autem nutu (c) dissipatum est consilium Achitophel utile, ut induceret Dominus super Absalom malum.

15. Et ait Chusai Sadoc & Abiathar sacerdotibus: Hoc & hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom, & senioribus Israel: & ego tale & tale dedi consilium.

16. Nunc ergo mittite cito, & nuntiate David, dicentes: Ne moreris nocte hac in campestribus deserti, sed absque dilatione transgredere: ne forte absorbeatur rex, & omnis populus qui cum eo est.

17. Jonathas (d) autem & Achimaas stabant juxta Fontem rogel: abiit ancilla & nuntiavit eis: & illi profecti sunt, ut referrent ad regem David nuntium: non enim poterant videri, aut introire civitatem.

18. Vi-

13. (c) Quod apud Judæos vehementis iræ & odii adversus aliquem erat indicium.

21. (d) Achitophel, qui prudens erat prudentia carnis, auctor fuit Absalomi, ut concubinas patris palam constupraret, quo omnes intelligerent nullam spem reconciliationis superesse. id enim metuebant quidam e primoribus & e populo.

23. (e) Loquitur Scriptura humano more, ut Achitophel ingenium & naturæ lumen in rebus humanis exprimat.

2. (a) Solum relictum.

9. (b) Bene quidem C. Tacitus, ut initia belli provenissent, famam cetera fore.

14. (c) Potuit enim David opprimi, si tempus ad contrahendas copias non dedissent. Hoc consilium tamen Chusai aperuit Sadoc & Abiathar Sacerdotibus, qui miserunt ad Davidem nuntios, ne moraretur in campestribus deserti, sed Jordanem trajiceret.

17. & 18. (d) Filii Sadoc & Abiathar. Introire, oratio inversa: id est, non poterant introire civitatem, ne viderentur: non audebant introire civitatem.

18. Vidit autem eos quidam puer, & indicavit Absalom: illi vero concito gradu ingressi sunt domum cujusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo, & descenderunt in eum.

19. Tulit autem mulier, & expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas (e): & sic latuit res.

20. Cumque venissent servi Absalom in domum, ad mulierem dixerunt: Ubi est Achimaas & Jonathas? Et respondit eis mulier: Transierunt festinanter, gustata paululum aqua. At hi qui quærebant, cum non reperissent, reversi sunt in Jerusalem.

21. Cumque abiissent, ascenderunt illi de puteo, & pergentes nuntiaverunt regi David, & dixerunt: Surgite, & transite cito fluvium: quoniam hujuscemodi dedit consilium contra vos Achitophel.

22. Surrexit ergo David, & omnis populus, qui cum eo erat, & transierunt Jordanem, donec dilucesceret: & ne unus quidem residuus fuit, qui non transisset fluvium.

23. Porro Achitophel videns quod non fuisset factum consilium suum, stravit asinum suum, surrexitque & abiit in domum suam & in civitatem suam: & disposita domo sua, suspendio interiit, & sepultus est in sepulcro patris sui.

24. David autem venit in castra (f), & Absalom transivit Jordanem, ipse & omnes viri Israel cum eo.

25. Amasan vero constituit Absalom pro Joab super exercitum: Amasa autem erat filius viri, qui vocabatur Jetra de Jezraeli, qui ingressus est ad Abigail (g) filiam Naas, sororem Sarviæ, quæ fuit mater Joab.

26. Et castrametatus est Israel cum Absalom in Terra Galaad.

27. Cumque venisset David in castra, Sobi (h) filius Naas de Rabbath filiorum Ammon, & Machir filius Ammihel de Lodabar, & Berzellai Galaadites de Rogelim,

28. Obtulerunt ei stratoria, & tapetia, & vasa fictilia, frumentum, & hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum cicer,

29. Et mel, & butyrum, oves, & pingues vitulos: dederuntque David & populo qui cum eo erat, ad vescendum: suspicati enim sunt, populum fame, & siti fatigari in deserto.

CAPUT XVIII.

Pugnatur in saltu Ephraim: Absalom victus in prælio, & de quercu pendens, a Joab transfoditur.

1. Igitur considerato David populo suo, constituit super eos tribunos & centuriones.

2. Et dedit populi tertiam partem sub manu Joab, & tertiam partem sub manu Abisai filii Sarviæ fratris Joab, & tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth, dixitque rex ad populum: Egrediar & ego vobiscum.

3. Et respondit populus: Non exibis: sive enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: sive media pars ceciderit e nobis, non satis curabunt: quia tu unus pro decem millibus computaris: melius est igitur ut sis nobis in urbe præsidio.

4. Ad quos rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit (a) ergo rex juxta portam: egrediebaturque populus per turmas suas centeni, & milleni.

5. Et præcipit rex Joab, & Abisai, & Ethai, dicens: Servate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Absalom.

6. Itaque egressus est populus in campum contra Israel, & factum est prælium in saltu (b) Ephraim.

7. Et cæsus est ibi populus Israel ab exercitu David, factaque est plaga magna in die illa, viginti millium.

8. Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, & multo plures erant, quos saltus consumpserat (c) de populo, quam hi quos voraverat gladius in die illa.

9. Accidit autem ut occurreret Absalom servis David, sedens mulo: cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, adhæsit caput ejus quercui: & illo suspenso inter cælum & terram, mulus, cui insederat, pertransivit.

10. Vidit autem hoc quispiam, & nuntiavit Joab, dicens: Vidi Absalom pendere de quercu.

11. Et ait Joab viro, qui nuntiaverat ei: Si vidisti, quare non confodisti eum cum terra (d), & ego dedissem tibi decem argenti siclos, & unum balteum?

12. Qui dixit ad Joab: Si appenderes in manibus meis mille argenteos, nequaquam mitterem manum meam in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex tibi, & Abisai, & Ethai, dicens: Custodite mihi puerum Absalom.

13. Sed & si fecissem contra animam (e) meam audacter, nequaquam hoc regem latere potuisset, & tu stares ex adverso.

14. Et

19. (e) Hordeum decorticatum & contusum.

24. (f) Vox Hebræa urbem *Mahanaim* ultra Jordanem significat, haud procul ab Ammonitide; quod nomen illi imposuit Jacob Genes. 32. cum vidisset Angelos sibi mutuo occurrentes. Castra Dei *sunt hæc*.

25. (g) Abigail erat soror David & Sarviæ, ex Lib. 1. Paralipom. 2. sic Joab & Amasa erant consobrini. Naas idem videtur qui Isai. *De Israel*, unius litteræ mutatione videtur Grotio olim positum in Hebræo *Ismael*, ut Lib. 1. Paralip. 2. 17. Abigail quoque videtur eidem Auctori alia esse ab ea, cujus fit mentio eo loco Paralipomenon.

27. (h) Hieronymus in Tradit. Hebr. existimat hunc sibi esse Regem Ammonitarum, quem David constituit, occiso fratre Hanone eumque memorem accepti beneficii attulisse cibaria, & supellectilem. Inter cibaria vox Hebræa קלי, *Kali*, bis repetita, *tostum* significat.

4. (a) Non passus est populus ut egrederetur, ut si opus esset commeatu, aut militibus, statim mitteret ex urbe.

CAPUT XVIII.

6. (b) Hic Jordanem transierat, sed verisimile est saltum illum sic dictum fuisse ab insigni clade, quam Ephraimitæ ibi acceperunt, cum adversus Jephte rebellassent, Jud. 12. erat igitur hic saltus in Galaadite. Campus designatur a tergo habens silvam.

8. (c) Seu fugientes in præcipitia corruerint, seu palantes labore, fame & insequentium ferro confecti fuerint, aut ferarum incursibus consumpti.

11. (d) Ad terram usque.

13. (e) Contra conscientiam, vel cum vitæ periculo, tu ipse me condemnasses.

14. Et ait Joab. Non (*f*) ſicut tu vis, ſed aggrediar eum coram te. Tulit ergo tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalom: cumque adhuc palpitaret hærens in quercu,

15. Cucurrerunt decem juvenes armigeri Joab, & percutientes interfecerunt eum.

16. Cecinit autem Joab buccina, & retinuit populum, ne perſequeretur fugientem Iſrael, volens parcere multitudini.

17. Et tulerunt Abſalom, & projecerunt eum in ſaltu, in foveam grandem, & comportaverunt ſuper eum acervum lapidum magnum nimis: omnis autem Iſrael fugit in tabernacula ſua.

18. Porro Abſalom erexerat ſibi, cum adhuc viveret, titulum (*g*) qui eſt in Valle regis: dixerat enim: Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei. Vocavitque titulum nomine ſuo, & appellatur Manus Abſalom, uſque ad hanc diem.

19. Achimaas autem filius Sadoc, ait: Curram, & nuntiabo regi, quia judicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum ejus.

20. Ad quem Joab dixit: Non eris nuntius in hac die, ſed nuntiabis in alia: hodie nolo te nuntiare, filius enim regis eſt mortuus.

21. Et ait Joab Chuſi: Vade, & nuntia regi quæ vidiſti. Adoravit Chuſi Joab, & cucurrit.

22. Rurſus autem Achimaas filius Sadoc dixit ad Joab: Quid impedit ſi etiam ego curram poſt Chuſi? Dixitque ei Joab: Quid vis currere fili mi? non eris boni nuntii bajulus.

23. Qui reſpondit: Quid enim ſi cucurrero? Et ait ei: Curre. Currens ergo Achimaas per viam compendii, tranſivit Chuſi.

24. David autem ſedebat intra duas portas: ſpeculator vero, qui erat in faſtigio portæ ſuper murum, elevans oculos, vidit hominem currentem ſolum.

25. Et exclamans indicavit regi: dixitque rex: Si ſolus eſt, bonus eſt nuntius in ore ejus. Properante autem illo, & accedente propius,

26. Vidit ſpeculator hominem alterum currentem, & vociferans in culmine (*h*), ait: Apparet mihi alter homo currens ſolus. Dixitque rex: Et iſte bonus eſt nuntius.

27. Speculator autem, Contemplor, ait, curſum prioris, quaſi curſum Achimaas filii Sadoc. Et ait rex: Vir bonus eſt: & nuntium portans bonum, venit.

28. Clamans autem Achimaas, dixit ad regem: Salve rex. Et adorans regem coram eo pronus in terram, ait: Benedictus Dominus Deus tuus, qui concluſit homines qui levaverunt manus ſuas contra dominum meum regem.

29. Et ait rex: Eſtne pax puero Abſalom? Dixitque Achimaas: Vidi tumultum magnum, cum mitteret Joab ſervus tuus, o rex, me ſervum tuum: neſcio aliud (*i*).

30. Ad quem rex: Tranſi, ait, & ſta hic. Cumque ille tranſiſſet, & ſtaret,

31. Apparuit Chuſi: & veniens ait: Bonum apporto nuntium, domine mi rex: judicavit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui ſurrexerunt contra te.

32. Dixit autem rex ad Chuſi: Eſtne pax puero Abſalom? Cui reſpondens Chuſi, Fiant, inquit, ſicut puer, inimici domini mei regis, & univerſi qui conſurgunt adverſus eum in malum.

33. Contriſtatus itaque rex, aſcendit cœnaculum portæ, & flevit. Et ſic loquebatur, vadens: * Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi: *Inf.19.4.
quis mihi tribuat ut ego moriar (*k*) pro te, Abſalom fili mi, fili mi Abſalom?

CAPUT XIX.

David lugens Abſalom, graviter a Joab reprehenditur. Iſraelitæ certant inter ſe de reducendo Rege. Semei veniam deprecanti ignoſcit. Jubet ut Miphiboſeth agros cum Siba dividat.

1. Nuntiatum eſt autem Joab quod rex fleret & lugeret filium ſuum:

2. Et verſa eſt victoria in luctum in die illa omni populo: audivit enim populus in die illa dici: Dolet rex ſuper filio ſuo.

3. Et declinavit (*a*) populus in die illa ingredi civitatem, quomodo declinare ſolet populus verſus & fugiens de prælio.

4. Porro rex operuit caput ſuum, & clamabat voce magna: Fili mi Abſalom, Abſalom fili mi, fili mi.

5. Ingreſſus ergo Joab ad regem in domum, dixit: Confudiſti hodie vultus omnium ſervorum tuorum, qui ſalvam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum, & filiarum tuarum, & animam uxorum tuarum, & animam concubinarum tuarum.

6. Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: & oſtendiſti hodie, quia non curas de ducibus tuis, & de ſervis tuis: & vere cognovi modo, quia ſi Abſalom viveret, & omnes nos occubuiſſemus, tunc placeret tibi.

7. Nunc igitur ſurge, & procede, & alloquens ſatisfac (*b*) ſervis tuis: juro enim tibi per Dominum, quod ſi non exieris, ne unus quidem remanſurus ſit tecum nocte hac: & pejus erit hoc tibi, quam omnia mala, quæ venerunt ſuper te, ab adoleſcentia tua uſque in præſens.

8. Surrexit ergo rex & ſedit in porta: & omni populo nuntiatum eſt quod rex ſederet in porta: venitque univerſa multitudo coram rege: Iſrael autem fugit (*c*) in tabernacula ſua.

9. Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Iſrael, dicens: Rex liberavit nos de manu inimicorum noſtrorum, ipſe ſalvavit nos de manu Philiſthinorum: & nunc fugit de terra propter Abſalom.

10. Abſa-

14. (*f*) Nihil moror, quæ dicis; ſed ipſe aggrediar. *Hærens in quercu*: Hebr. *In corde quercus*, in medio.
18. (*g*) Hebr. Statuam: LXX. Columnam. *Manus Abſalom*, aut locus, aut opus. *Non habeo filium*: tres ejus filii ante obierant.
26. (*h*) Hebr. Et clamavit ad janitorem.
29. (*i*) Hebr. Quid illud eſſet neſcio.

33. (*k*) Utinam mortuus eſſem, pro is, vice filii: qui nefarii criminis reus mortuus erat.
CAP. XIX.
3. (*a*) Hebr. Furatus eſt ſe populus, quaſi præ pudore fugerat ex prælio; furtim ingreſſus eſt declinando. *Rex operuit caput ſuum*, more lugentium.
7. (*b*) Grato & hilari animo eos excipe, ut bene meritos de te.
8. (*c*) Fugerant qui ſecuti erant Abſalom.

10. Absalom autem, quem unximus (*d*) super nos, mortuus est in bello: usquequo siletis, & non reducitis regem?

11. Rex vero David misit ad Sadoc, & Abjathar sacerdotes, dicens: Loquimini ad majores natu Juda, dicentes: Cur venitis novissimi ad reducendum regem in domum suam? (Sermo autem omnis Israel pervenerat ad regem in domo ejus.)

12. Fratres mei vos (*e*), os meum, & caro mea vos, quare novissimi reducitis regem?

13. Et Amasæ dicite: Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si non magister militiæ fueris coram me omni tempore pro Joab.

14. Et inclinavit (*f*) cor omnium virorum Juda, quasi viri unius: miseruntque ad regem, dicentes: Revertere tu, & omnes servi tui.

15. Et reversus est rex: & venit usque ad Jordanem, & omnis Juda venit usque in Galgalam ut occurreret regi, & traduceret eum Jordanem.

* 3. Reg. 2: 8. 16. * Festinavit autem Semei filius Gera filii Jemini de Bahurim, & descendit cum viris Juda in occursum regis David

17. Cum mille viris de Benjamin, & Siba puer de domo Saul: & quindecim filii ejus, ac viginti servi erant cum eo: & irrumpentes Jordanem, ante regem

18. Transierunt vada, ut traducerent domum regis, & facerent juxta jussionem ejus: Semei autem filius Gera prostratus coram rege, cum jam transisset Jordanem,

19. Dixit ad eum: Ne reputes mihi domine mi iniquitatem, neque memineris injuriarum servi tui in die qua egressus es domine mi rex de Jerusalem, neque ponas rex in corde tuo.

20. Agnosco enim servus tuus peccatum meum: & idcirco hodie primus veni de omni domo Joseph (*g*) descendique in occursum domini mei regis.

21. Respondens vero Abisai filius Sarujæ, dixit: Numquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit Christo Domini?

22. Et ait David: Quid mihi, & vobis filii Sarujæ? cur efficimini mihi hodie in satan? ergone hodie interficietur vir in Israel? an ignoro hodie me factum regem super Israel?

23. Et ait rex Semei: Non morieris. Juravitque (*h*) ei.

24. Miphiboseth quoque filius Saul descendit in occursum regis, illotis pedibus, & intonsa barba: vestesque suas non laverat a die qua egressus fuerat rex, usque ad diem reversionis ejus in pace.

25. Cumque Jerusalem occurrisset regi, dixit ei rex: Quare non venisti mecum Miphiboseth?

26. Et respondens ait: Domine mi rex, servus meus contempsit me: dixique ei ego famulus tuus, ut sterneret mihi asinum, & ascendens abirem cum rege: claudus enim sum servus tuus.

27. * Insuper & accusavit me servum tuum ad te dominum meum regem: tu autem domine mi rex, * sicut angelus Dei es, fac quod placitum est tibi: * Sup. 16. 3. * Sup. 14. 17. 20. 2. Reg. 29. 9.

28. Neque enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi: tu autem posuisti me servum tuum inter convivas mensæ tuæ: quid ergo habeo justæ querelæ? aut quid possum ultra vociferari ad regem?

29. Ait ergo ei rex: Quid ultra loqueris? fixum (*i*) est quod locutus sum: tu, & Siba dividite possessiones.

30. Respondit que Miphiboseth regi: Etiam cuncta accipiat, postquam reversus est dominus meus rex pacifice in domum suam.

31. Berzellai quoque Galaadites, descendens de Rogelim, traduxit regem Jordanem, paratus etiam ultra fluvium prosequi eum.

32. * Erat autem Berzellai Galaadites senex valde, id est, octogenarius, & ipse præbuit alimenta regi, cum moraretur in castris: fuit quippe vir dives nimis. * 3. Reg. 2. 7.

33. Dixit itaque rex ad Berzellai: Veni mecum, ut requiescas securus mecum in Jerusalem.

34. Et ait Berzellai ad regem: Quot sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascendam cum rege in Jerusalem?

35. Octogenarius sum hodie: numquid vigent sensus mei ad discernendum suave, aut amarum? aut delectare potest servum tuum cibus & potus? vel audire possum ultra vocem cantorum, atque cantatricum? quare servus tuus sit oneri domino meo regi?

36. Paululum procedam famulus tuus ab Jordane tecum: non indigeo (*k*) hac vicissitudine,

37. Sed obsecro, ut revertar servus tuus & moriar in civitate mea, & sepeliar juxta sepulcrum patris mei, & matris meæ. Est autem servus tuus Chamaam, ipse vadat tecum, domine mi rex, & fac ei quidquid tibi bonum videtur.

38. Dixit itaque ei rex: Mecum transeat Chamaam, & ego faciam ei quidquid tibi placuerit, & omne quod petieris a me, impetrabis.

39. Cumque transisset universus populus & rex Jordanem, osculatus est rex Berzellai, & benedixit ei: & ille reversus est in locum suum.

40. Transivit ergo rex in Galgalam, & Chamaam cum eo: omnis autem populus Juda traduxerat regem, & media tantum pars adfuerat de populo Israel.

41. Ita-

10. (*d*) Quem designavimus Regem. *Usquequo siletis?* ut quid cessatis?

12. & 13. (*e*) Ab osse. *Amasa.* Filius erat Abigail sororis David

14 (*f*) Aut David, aut Amasa, aut unus e Sacerdotibus.

20. (*g*) Semei erat ex tribu Benjamin: sed cum tribus Joseph esset princeps in Israel, illius nomine totus Israel comprehenditur.

23 (*h*) Neque hoc juramentum violavit David, cum moriturus præcepit Salomoni: *Tu noli pati eum esse innoxium*, seu impunitum, & eo modo quo juste puniri posset, quod permisit Dei providentia. *Tu autem vir sapiens, ut scias quæ facias ei*: tu facile occasionem invenies, cum sit homo seditiosus. Juramentum, inquit Grotius, ubi alia caussa non subest, personam jurantis non egreditur, nec hæredem obligat. *Cur efficimini mihi hodie in satan?* cur mihi adversamini?

29. (*i*) Factum illud Davidis reprehendunt interpretes post Gregorium M. lib. 1. Dial. cap. 41. quod aures a commodaverit servo calumniatori adversus herum suum, & causa inaudita condemnaverit, te comperta partem tantummodo bonorum domino legi mo concesserit; sed dubitare non possumus, quin hujus facti Davidem pœnituerit, & Miphiboseth satisfecerit. At forte Sibæ relictum fuit jus coloni partiarii, de quo cap 9.

36. (*k*) Non est quod mihi vicem rependas pro te tam vili.

41. Itaque omnes viri Israel concurrentes ad regem, dixerunt ei: Quare te furati sunt fratres nostri viri Juda, & traduxerunt regem & domum ejus Jordanem, omnesque viros David cum eo?

42. Et respondit omnis vir Juda ad viros Israel: Quia mihi propior est rex: cur irasceris super hac re? numquid comedimus aliquid ex rege, aut munera nobis data sunt?

43. Et respondit vir Israel ad viros Juda, & ait: Decem partibus major ego sum apud regem, magisque ad me pertinet David, quam ad te: cur fecisti mihi injuriam, & non mihi nuntiatum est priori, ut reducerem regem meum? Durius autem responderunt viri Juda viris Israel.

CAPUT XX.

Ex contentione orta inter tribum Juda & reliquas tribus oritur seditio auctore Seba, quem Joab persequens in ipso itinere occidit Amasam, tum venit Abelam quam obsidet, Seba capite per murum misso discedit.

1. Accidit quoque ut ibi esset vir Belial, nomine Seba, filius Bochri, vir Jemineus: & cecinit buccina, & ait: Non est nobis pars in David, neque hæreditas (*a*) in filio Isai: revertere in tabernacula tua Israel.

2. Et separatus est omnis Israel a David, secutusque est Seba filium Bochri: viri autem Juda adhæserunt regi suo a Jordane usque Jerusalem.

3. Cumque venisset rex in domum suam in Jerusalem, tulit decem mulieres concubinas (*b*), quas dereliquerat ad custodiendam domum, & tradidit eas in custodiam, alimenta eis præbens: & non est ingressus ad eas, sed erant clausæ usque in diem mortis suæ in viduitate viventes.

4. Dixit autem rex Amasæ: Convoca mihi omnes viros Juda in diem tertium, & tu adesto præsens.

5. Abiit ergo Amasa ut convocaret Judam, & moratus est extra placitum (*c*) quod ei constituerat rex.

6. Ait autem David ad Abisai: Nunc magis afflicturus est nos Seba filius Bochri quam Absalom: tolle igitur servos (*d*) domini tui, & persequere eum, ne forte inveniat civitates munitas, & effugiat nos.

7. Egressi sunt ergo cum eo viri Joab, Cerethi quoque & Phelethi: & omnes robusti exierunt de Jerusalem ad persequendum Seba filium Bochri.

8. Cumque illi essent juxta lapidem grandem, qui est in Gabaon, Amasa veniens occurrit eis. Porro Joab vestitus erat tunica stricta ad mensuram habitus sui, & desuper accinctus gladio dependente usque ad ilia, in vagina, qui fabricatus levi motu egredi poterat, & percutere.

9. Dixit itaque Joab ad Amasam: Salve mi frater. * Et tenuit (*e*) manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum. *3.Reg. 2. 5.

10. Porro Amasa non observavit gladium, quem habebat Joab, qui percussit eum in latere, & effudit intestina ejus in terram, nec secundum vulnus apposuit, & mortuus est. Joab autem, & Abisai frater ejus, persecuti sunt Seba filium Bochri.

11. Interea quidam viri cum stetissent juxta cadaver Amasæ, de sociis Joab, dixerunt: Ecce qui esse voluit pro Joab comes David.

12. Amasa autem conspersus sanguine, jacebat in media via. Vidit hoc quidam vir quod subsisteret omnis populus ad videndum eum, & amovit Amasam de via in agrum, & operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum.

13. Amoto ergo illo de via, transibat omnis vir sequens Joab ad persequendum Seba filium Bochri.

14. Porro ille transierat per omnes tribus Israel in Abelam (*f*), & Bethmaacha: omnesque viri electi congregati fuerant ad eum.

15. Venerunt itaque & oppugnabant eum in Abela, & in Bethmaacha, & circumdederunt munitionibus civitatem, & obsessa est urbs: omnis autem turba, quæ erat cum Joab, moliebatur destruere muros.

16. Et exclamavit mulier sapiens de civitate: Audite, audite, dicite Joab: Appropinqua huc, & loquar tecum.

17. Qui cum accessisset ad eam, ait illi: Tu es Joab? Et ille respondit: Ego. Ad quem sic locuta est: Audi sermones ancillæ tuæ. Qui respondit: Audio.

18. Rursumque illa, Sermo, inquit, dicebatur in veteri proverbio: Qui interrogant, interrogent in Abela (*g*): & sic perficiebant.

19. Nonne ego sum quæ respondeo veritatem (*h*) in Israel, & tu quæris subvertere civitatem, & evertere matrem in Israel? Quare præcipitas hæreditatem Domini?

20. Respondensque Joab, ait: Absit, absit hoc a me: non præcipito, neque demolior.

21. Non sic se habet res, sed homo de monte Ephraim Seba, filius Bochri cognomine, levavit manum suam contra regem David: tradite illum solum, & recedemus a civitate. Et ait mulier ad Joab: Ecce caput ejus mittetur ad te per murum.

22. Ingressa est ergo ad omnem populum, & locuta est eis sapienter: qui abscissum caput Seba filii Bochri projecerunt ad Joab. Et ille cecinit tuba, & recesserunt ab urbe, unusquisque in tabernacula sua: Joab autem reversus est Jerusalem ad regem.

23. * Fuit

CAP. XX. 1. (*a*) Neque ullum emolumentum.
3. (*b*) Quas polluerat Absalom.
5. (*c*) Ad tempus constitutum non venit Amasa.
6. (*d*) Meos, vel Joab.
9. (*e*) Hic erat mos osculantium. Plinius Libr. 11. cap. 13. Antiquis Græcis supplicando mentum attingere mos erat.
14. (*f*) Duæ erant partes ejusdem urbis in tribu Nephthali.

18. (*g*) Commendat mulier urbem ob viros prudentes, quo mittebantur qui egebant consilio, inde accepturi ad perficienda negotia consilium. Hebr. *Interroga fest m antequam pugnes*: mulier admonet Joab ex præcepto Dei Deuteronom. 20. eum non agere prudenter: nam prius interrogandi sunt hostes, an velint ante se dedere, quam oppugnentur.
19. (*h*) Loquitur in persona civitatis. *Quæris subvertere matrem?* LXX. Metropolim. *Quare præcipitas?* Hebr. Deglutires. Pacis conditiones prius offerre debebat Joab.

* Sup.8.16. 23. * Fuit ergo Joab super omnem exercitum Israel ; Banajas autem filius Jojadæ super Cerethæos & Phelethæos :

24. Aduram vero super tributa : porro Josaphat filius Ahilud, a commentariis.

25. Siva autem, scriba : Sadoc vero & Abjathar, sacerdotes.

26. Ira autem Jairites erat sacerdos (*i*) David.

CAPUT XXI.

Orta est fames per triennium ; consultus Deus quid faciendum , respondit ob Gabaonitas in quos Saul sævierat injuste, exortam famem, iisque satisfactum oportere . Hi postulant ut morti addicerentur ; quod factum est , excepto Miphiboseth ; atque septem Saulis filios suspendio necant . Bella Davidis adversus Philisthæos .

1. FActa est quoque fames (*a*) in diebus David tribus annis jugiter : & consuluit David oraculum Domini : Dixitque Dominus : Propter Saul, & domum ejus sanguinum, quia occidit Gabaonitas.

2. Vocatis ergo Gabaonitis , rex dixit ad eos . (Porro Gabaonitæ non erant de filiis Israel , sed reliquiæ Amorrhæorum : * filii quippe Israel juraverant eis , & voluit Saul percutere eos zelo (*b*) , quasi pro filiis Israel & Juda .) * Jos.9.16.

3. Dixit ergo David ad Gabaonitas : Quid faciam vobis? & quod erit vestri piaculum (*c*) , ut benedicatis hæreditati Domini?

4. Dixeruntque ei Gabaonitæ : Non est nobis super argento & auro quæstio , sed contra Saul , & contra domum ejus : neque volumus ut interficiatur homo de Israel . Ad quos rex ait : Quid ergo vultis ut faciam vobis?

5. Qui dixerunt regi : Virum , qui attrivit nos & oppressit inique , ita delere debemus , ut ne unus quidem residuus sit de stirpe ejus in cunctis finibus Israel .

6. Dentur nobis septem viri de filiis ejus , ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul , quondam electi Domini . Et ait rex : Ego dabo.

7. Pepercitque rex Miphiboseth filio Jonathæ filii Saul , * propter jusjurandum Domini , quod fuerat inter David & inter Jonathan filium Saul. * 1.Reg.18.3.

8. Tulit (*d*) itaque rex duos filios Respha filiæ Aja , quos peperit Sauli , Armoni , & Miphiboseth : & quinque filios Michol filiæ Saul , quos genuerat Hadrieli filio Berzellai , qui fuit de Molathi,

9. Et dedit eos in manus Gabaonitarum : qui crucifixerunt eos in monte coram (*e*) Domino : & ceciderunt hi septem simul occisi in diebus messis primis , incipiente messione hordei.

10. Tollens autem Respha filia Aja cilicium , substravit sibi supra petram , ab initio messis , donec stillaret (*f*) aqua super eos de cælo : & non dimisit aves lacerare eos per diem , neque bestias per noctem.

11. Et nuntiata sunt David quæ fecerat Respha, filia Aja, concubina Saul.

12. Et abiit David , & tulit ossa Saul , & ossa Jonathæ filii ejus a viris Jabes Galaad , * qui furati fuerant ea de platea Bethsan , in qua suspenderant eos Philisthiim cum interfecissent Saul in Gelboe: * 1.Reg.31.12.

13. Et asportavit inde ossa Saul, & ossa Jonathæ filii ejus : & colligentes ossa eorum , qui affixi fuerant,

14. Sepelierunt ea cum ossibus Saul & Jonathæ filii ejus in Terra Benjamin , in latere (*g*) , in sepulcro Cis patris ejus : feceruntque omnia , quæ præceperat rex , & repropitiatus est Deus terræ post hæc.

15. Factum est autem rursum prælium Philisthiinorum adversum Israel , & descendit David, & servi ejus cum eo , & pugnabant contra Philisthiim. Deficiente autem David,

16. Jesbibenob , qui fuit de genere Arapha , * cujus ferrum (*h*) hastæ trecentas uncias appendebat , & accinctus erat ense novo , nisus est percutere David. * 1.Reg.17.7.

17. Præsidioque ei fuit Abisai filius Sarviæ, & percussum Philisthæum interfecit . Tunc juraverunt viri David , dicentes : Jam non egredieris nobiscum in bellum , ne extinguas lucernam Israel.

18. * Secundum quoque bellum fuit in Gob contra Philisthæos : tunc percussit Sobochai de Husati , Saph de stirpe Arapha (*i*) de genere gigantum. * 1.Par.20.4.

19. Tertium quoque fuit bellum in Gob contra Philisthæos , in quo percussit Adeodatus (*k*) filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum, cujus hastile hastæ erat quasi liciatorium texentium.

20. Quartum bellum fuit in Geth : in quo vir fuit excelsus , qui senos in manibus pedibusque habebat digitos , id est, viginti quatuor, & erat de origine Arapha.

21. Et

26. (*i*) Chald. Erat princeps, & intimæ familiaritatis apud Regem , primus a consiliis ; Sacerdos interdum principem significat.

CAP.XXI. 1. (*a*) Quo tempore illa fames acciderit , non liquet . Sunt qui ante rebellionem Absalom , uti & bella , quæ hoc capite memorantur , accidisse putent . Alii post annum 32. Regni David eam contigisse volunt ob historiæ seriem , quam sequi debemus , cum nullum est incommodum . Consultus Dominus respondet , *propter Saul , & domum ejus sanguinum.* Quæ occidit Gabaonitas , hanc famem ortam esse.

2. (*b*) Falso & inordinato ; *quasi pro filiis Israel* , quod populi alienigenæ cum Israelitis confusionem pati nollet.

3. (*c*) Hi postularunt ut septem filii e stirpe Saulis iis darentur , ut eos crucifigerent . Aut potius interemptos Soli exponerent ex Græco textu LXX. interpretum , idque factum est a Davide, consultis ante prophetis.

8. (*d*) Hæc fuerat concubina Saulis , ad quam ingressus fuerat Abner : *Et quinque filios Michol* , non ex Davide , sed ex alio viro susceptos: sed tamen cum ex cap. 6. sterilis fuerit , nec illa nupserit Hadrieli , quidam pro Michol legunt Merob : LXX. non legunt, quos genuit, sed qui geniti sunt, nempe ab alia matre , a Michol educati & adoptati.

9 (*e*) Quidam exponunt coram arca , vel potius ut placarent Dominum.

10. (*f*) Quod iram Dei placatam designabat , cum fames ex nimia siccitate orta esset.

14 (*g*) Est in Hebræo *Bethsela* . בצלע , id est, in *Sela* , nomen loci Latine redditum , ut pleraque alia.

16 (*h*) Chaldæus : Cujus hastæ , *trecentas uncias appendebat* ; Hebr. *siclos* , ita LXX siclus erat unciæ semissis.

18. (*i*) De stirpe : Hebr. רפה. Rapha , *gigantem* significat : *de genere gigantum* , hoc additur ab interprete explicationis gratia . *Secundum quoque bellum fuit in Gob* : Vide 1. lib. Paral. cap. 20.

19. (*k*) Viri illius nomen est Eleana filius Jahar , quæ vox Hebr. *saltum* significat . Interpres sæpe appellativa ponit nomina loco propriorum , & eorum significata pro ipsis nominibus : percussit Goliath , fratrem Goliath Gethæi.

21. Et blasphemavit Israel: percussit autem eum Jonathan filius Samaa fratris David.

22. Hi quatuor nati sunt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manu David, & servorum ejus.

CAPUT XXII.

Canticum gratiarum actionis, quod Deus Davidem ex tot periculis liberaverit.

1. LOcutus est autem David Domino verba carminis hujus, in die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul,

* Ps. 17. 3. 2. Et ait: * Dominus petra mea, & robur meum, & salvator meus.

3. Deus fortis (a) meus sperabo in eum: scutum meum, & cornu salutis meæ: elevator meus, & refugium meum: salvator meus, de iniquitate liberabis me.

* Psal. 17. 4. 4. * Laudabilem invocabo Dominum: & ab inimicis meis salvus ero.

5. Quia circumdederunt me contritiones mortis: torrentes (b) Belial terruerunt me.

6. Funes inferni circumdederunt me: prævenerunt me laquei mortis.

7. In tribulatione mea invocabo Dominum, & ad Deum meum clamabo: & exaudiet de templo suo vocem meam, & clamor meus veniet ad aures ejus.

8. Commota est & contremuit terra: fundamenta montium concussa sunt, & conquassata, quoniam iratus est eis.

9. Ascendit fumus de naribus ejus, & ignis de ore ejus vorabit: carbones succensi sunt ab eo.

10. Inclinavit cælos, & descendit: & caligo sub pedibus ejus.

11. Et ascendit super Cherubim, & volavit: & lapsus est super pennas venti.

12. Posuit tenebras in circuitu suo latibulum, cribrans aquas de nubibus cælorum.

13. Præ fulgore in conspectu ejus, succensi sunt carbones ignis.

14. Tonabit de cælo Dominus: & excelsus dabit vocem suam.

15. Misit sagittas, & dissipavit eos: fulgur, & consumpsit eos.

16. Et apparuerunt effusiones maris, & revelata sunt fundamenta orbis, ab increpatione Domini, ab inspiratione spiritus furoris ejus.

17. Misit de excelso, & assumpsit me: & extraxit me de aquis multis.

18. Liberavit me ab inimico meo potentissimo, & ab his qui oderant me: quoniam robustiores me erant.

19. Prævenit me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus firmamentum meum.

20. Et eduxit me in latitudinem: liberavit me, quia complacui ei.

21. Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam: & secundum munditiam manuum meatum reddet mihi.

22. Quia custodivi vias Domini, & non egi impie, a Deo meo.

23. Omnia enim judicia ejus in conspectu meo: & præcepta ejus non amovi a me.

24. Et ero perfectus cum (c) eo: & custodiam me ab iniquitate mea.

25. Et restituet mihi Dominus secundum justitiam meam: & secundum munditiam manuum mearum, in conspectu oculorum suorum.

26. Cum sancto sanctus eris: & cum robusto perfectus.

27. Cum electo electus eris: & cum perverso perverteris.

28. Et populum pauperem salvum facies: oculisque tuis excelsos humiliabis.

29. Quia tu lucerna mea Domine: & tu Domine illuminabis tenebras meas.

30. In te enim curram accinctus: In Deo meo transiliam murum.

31. Deus, immaculata via ejus, eloquium Domini igne examinatum: scutum est omnium sperantium in se.

32. Quis est Deus præter Dominum: & quis fortis præter Deum nostrum?

33. Deus qui accinxit me fortitudine: & complanavit perfectam viam meam.

34. Coæquans pedes meos cervis, & super excelsa mea statuens me.

35. * Docens manus meas ad prælium, & componens quasi arcum æreum brachia mea. * Ps. 143. 1.

36. Dedisti mihi clypeum salutis tuæ: & mansuetudo tua multiplicavit me.

37. Dilatabis gressus meos subtus me: & non deficient tali mei.

38. Persequar inimicos meos, & conteram: & non convertar donec consumam eos.

39. Consumam eos & confringam, ut non consurgant: cadent sub pedibus meis.

40. Accinxisti me fortitudine ad prælium: incurvasti resistentes mihi subtus me.

41. Inimicos meos dedisti mihi dorsum: odientes me, & disperdam eos.

42. Clamabunt, & non erit qui salvet: ad Dominum, & non exaudiet eos.

43. Delebo eos, ut pulverem terræ: quasi lutum platearum comminuam eos atque confringam.

44. Salvabis me a contradictionibus populi mei: custodies me in caput Gentium: populus, quem ignoro, serviet mihi.

45. Filii alieni resistent mihi, auditu auris obedient mihi.

46. Filii alieni defluxerunt, & contrahentur in angustiis suis.

47. Vivit Dominus, & benedictus Deus meus: & exaltabitur Deus fortis salutis meæ.

48. Deus, qui das vindictas mihi, & dejicis populos sub me.

49. Qui educis me ab inimicis meis, & a resistentibus mihi elevas me: * a viro iniquo * Ps. 17. 49.
liberabis me.

50. * Propterea confitebor tibi Domine in * Rom. 15. 9.
gentibus: & nomini tuo cantabo.

51. Ma-

CAPUT XXII.

3. (a) Variis modis affectum suum in Deum exprimit quod lingua animi motus consequi non posse. Canticum Eucharisticum pro tantis beneficiis a Deo acceptis hoc capite continetur, ac paucis immutatis est Psalmus 17. qui suo loco est exponendus.

5. (b) Multitudo hominum iniquorum.

24. & 26. (c) Hebr. coram eo. Perverteris; cum sancto homine sanctus eris & benignus, cum perverso durus eris & severus.

51. Magnificans salutes regis sui, & faciens misericordiam christo suo David, & semini ejus in sempiternum.

CAPUT XXIII.

Psalmorum ultimus, qui tamen in Librum Psalmorum non relatus est: virorum fortium quorum virtus in Davidis exercitu enituit, nomina hoc capite continentur.

1. HÆc autem sunt verba David novissima (*a*). Dixit David filius Isai: Dixit vir, cui constitutum est de christo Dei Jacob, egregius psaltes Israel:

2. Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.

3. Dixit Deus Israel mihi (*b*), locutus est fortis Israel, Dominator hominum, justus dominator in timore Dei.

4. Sicut lux auroræ, oriente sole, mane absque nubibus rutilat (*c*), & sicut pluviis germinat herba de terra.

5. Nec tanta est domus mea apud Deum, ut pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus, atque munitum. Cuncta enim salus (*d*) mea, & omnis voluntas: nec est quidquam ex ea quod non germinet.

6. Prævaricatores autem quasi spinæ (*e*) evellentur universi: quæ non tolluntur manibus.

7. Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro & ligno lanceato, igneque succensæ comburentur, usque ad nihilum.

* 1. Par. 11. 10.

8. * Hæc nomina fortium (*f*) David. Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno.

9. Post hunc, Eleazar filius patrui ejus Ahohites inter tres fortes, qui erant cum David quando exprobraverunt Philisthiim, & congregati sunt illuc in prælium.

10. Cumque ascendissent viri Israel, ipse stetit & percussit Philisthæos, donec deficeret manus ejus, & obrigesceret cum gladio: fecitque Dominus salutem magnam in die illa: & populus, qui fugerat, reversus est ad cæsorum spolia detrahenda.

11. Et post hunc, Semma filius Age de Arari: & congregati sunt Philisthiim in statione: erat quippe ibi ager lente plenus. Cumque fugisset populus a facie Philisthiim,

12. Stetit ille in medio agri, & tuitus est eum, percussitque Philisthæos: & fecit Dominus salutem magnam.

13. Necnon & ante descenderant tres qui erant principes inter triginta, & venerant tempore messis ad David in speluncam Odollam: castra autem Philisthinorum erant posita in Valle gigantum.

14. Et David erat in præsidio: porro statio Philisthinorum tunc erat in Bethlehem.

15. Desideravit ergo David, & ait: O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem juxta portam!

16. Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat juxta portam, & attulerunt ad David: at ille noluit bibere, sed libavit eam Domino,

17. Dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc: num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam (*g*)? Noluit ergo bibere: hæc fecerunt tres robustissimi.

18. Abisai quoque frater Joab filius Sarujæ, princeps erat de tribus: ipse est qui levavit hastam suam contra trecentos, quos interfecit, nominatus in tribus,

19. Et inter tres nobilior, eratque eorum princeps, sed usque ad tres primos non pervenerat.

20. Et Banajas filius Jojadæ viri fortissimi, magnorum operum, de Cabseel: ipse percussit duos leones (*h*) Moab, & ipse descendit, & percussit leonem in media cisterna in diebus nivis.

21. Ipse quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum spectaculo, habentem in manu hastam: itaque cum descendisset ad eum in virga, vi extorsit hastam de manu Ægyptii, & interfecit eum hasta sua.

22. Hæc fecit Banajas filius Jojadæ.

23. Et ipse nominatus inter tres robustos, qui erant inter triginta nobiliores: verumtamen usque ad tres non pervenerat: fecitque eum sibi David auricularium, (*i*) a secreto.

24. Asael frater Joab inter triginta (*k*), Elehanan filius patrui ejus de Bethlehem,

25. Semma de Harodi, Elica de Harodi,

26. Heles de Phalti, Hira filius Acces de Thecua,

27. Abiezer de Anathoth, Mobonnai de Husati,

28. Selmon Ahohites, Maharai Netophathites,

29. He-

CAPUT XXIII.

1. (*a*) Hic Psalmus est velut summarium totius Psalterii, aut communis quædam præfatio. Horum excellentiam commendat ex dignitate materiæ. *Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius Psaltes Israel.* Quibus verbis videtur declarare præcipuum Psalmorum argumentum fuisse id omne, quod ad Christum pertinet, prænuntiare; seipsum vel ut organum S. Spiritus extitisse insinuat. *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.* Hæc sunt verba novissima post Psalmos scripta.

3. (*b*) De me: *Dominator hominum*, ut essem dominator: *justus dominator in timore Dei*; omnium quidem dominator, sed eorum maxime, qui eum timent, quippe illi præcipuæ curæ sunt. Tum in Psalmis excellentia domus David commendatur, & maxime propter Messiam ex illius stirpe nasciturum.

4. (*c*) Et toto orbe splendescit, ac tandem omnem prosperitatem suam Deo adscribit.

5. (*d*) Deum solum agnosco, qui familiam meam tam magnis ditavit bonis, ut non sit quidquam in ea quod non germinet, & fructum non afferat. Aliud Psalmorum argumentum sunt judicia, & plagæ impiorum.

6. (*e*) Quæ non tolluntur manibus; non enim manu tractamus spinas, sed ferro & baculo.

8. & 9. (*f*) Heroum illius temporis primum nominat Adina Helnitem, qui Lib. 1. Paral. 11. vers. 10. Jesbaam nominatur; nullam Joab mentionem facit ob ejus scelera & perfidiam. Hæc verba *sedens in cathedra*, videntur esse interpretatio nominis proprii, quod a LXX. designatur. *Vermiculum ligni*, Hebræi & Græci censent esse nomen proprium.

17. (*g*) Ambrosius in Apol. David: *Ut quod erat virtutis insigne, fieret sacrificium pietatis.*

20. (*h*) Forte duos homines fortissimos, quibus leonis nomen inditum fuerat.

23. (*i*) Hebr. *Posuit ad auditum suum*: cohorti Prætorianæ eum præposuit.

24. (*k*) Scriptura 33. numerat. Abisai & Banajas inter 30. continentur: ac forte alii aliis successerant, aut cœtus ipse 30. nomen semper retinebat.

29. Heled filius Baana, & ipse Netophathites, Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamio,

30. Banaja Pharathonites, Heddai de Torrente Gaas,

31. Abialbon Arbathites, Azmaveth de Beromi,

32. Eliaba de Salaboni. Filii Jassen, Jonathan,

33. Semma de Orori, Aiam filius Sarar Arorites,

34. Eliphelet filius Aasbai filii Machati, Eliam filius Achirophel Gelonites,

35. Hesrai de Carmelo, Pharai de Arbi,

36. Igaal filius Nathan de Soba, Bonni de Gadi,

37. Selec de Ammoni, Naharai Berothites armiger Joab filii Sarujæ.

38. Ira Jethrites, Gareb & ipse Jethrites,

39. Urias Hethæus. Omnes (*l*) triginta septem.

CAPUT XXIV.

David ob recensitum populum a Gad Propheta corripitur; ex tribus flagellis pestem eligit, qua saviente, ac 70000. extinctis, Deum supplex orat pro populo. Admonente Gad Propheta altare erigit, & sacrificio oblato cessat pestis.

* 1.Par.21. 1. 1. ET * addidit furor Domini irasci (*a*) contra Israel, commovitque David in eis dicentem: Vade, numera Israel & Judam.

2. Dixitque rex ad Joab principem exercitus sui: Perambula omnes tribus Israel a Dan usque Bersabee, & numerate populum, ut sciam numerum ejus.

3. Dixitque Joab regi: Adaugeat Dominus Deus tuus ad populum tuum, quantus nunc est, iterumque centuplicet in conspectu domini mei regis: sed quid sibi dominus meus rex vult in re hujuscemodi?

4. Obtinuit (*b*) autem sermo regis verba Joab, & principum exercitus: egressusque est Joab, & principes militum, a facie regis, ut numerarent populum Israel.

5. Cumque pertransissent Jordanem, venerunt in Aroer ad dexteram urbis, quæ est in Valle Gad:

6. Et per Jazer transierunt in Galaad, & in terram inferiorem Hodsi, & venerunt in Dan silvestria. Circumeuntesque juxta Sidonem,

7. Transierunt prope mœnia Tyri, & omnem terram Hevæi & Chananæi, veneruntque ad meridiem Juda in Bersabee:

8. Et lustrata (*c*) universa terra, affuerunt post novem menses & viginti dies in Jerusalem.

9. Dedit ergo Joab numerum descriptionis populi regi, & inventa sunt de Israel octingenta (*d*) millia virorum fortium, qui educerent gladium: & de Juda quingenta millia pugnatorum.

10. * Percussit autem cor David eum, postquam numeratus est populus: & dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto: sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis. * 1.Reg.24. 6.

11. Surrexit itaque David mane, & sermo Domini factus est ad Gad prophetam & Videntem David, dicens:

12. Vade, & loquere ad David: Hæc dicit Dominus: Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris ex his, ut faciam tibi.

13. Cumque venisset Gad ad David, nuntiavit ei, dicens: Aut septem annis veniet tibi fames (*e*) in terra tua: aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, & illi te persequentur: aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide quem respondeam ei, qui me misit, sermonem.

14. Dixit autem David ad Gad: Coarctor nimis: * sed melius est, ut incidam (*f*) in manus Domini (multæ enim misericordiæ ejus sunt) quam in manus hominum. * 1.Par.21. 13. Dan.13 23.

15. Immisitque Dominus pestilentiam in Israel, de mane usque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo, a Dan usque ad Bersabee, septuaginta (*g*) millia virorum.

16. Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Jerusalem ut disperderet eam, misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum: Sufficit, nunc contine manum tuam. Erat autem Angelus Domini juxta aream Areuna Jebusæi (*h*).

17. Dixitque David ad Dominum, cum vidisset Angelum cædentem populum: Ego sum qui peccavi, ego inique egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.

18. Venit autem Gad ad David in die illa, & dixit ei: Ascende, & constitue altare (*i*) Domino in area Areuna Jebusæi.

19. Et

39. (*l*) Si quinque in principio designati, & unus e tribu secundi ordinis, qui deest, huc numero censeantur.

CAPUT XXIV. 1. (*a*) Lib. 1. Paralipom. 21. *Consurrexit autem Satan contra Israel.* Satan dicitur furor Domini, quia Deus iratus utitur mala ejus voluntate ad castigandos homines. Commoveri Davidem a Satana permisit Deus. *David*, inquit Greg. Lib. 25. in Job, *a Deo laudatus populum numerando peccavit, & populus pœnam suscepit: quia secundum merita plebium disponuntur corda Rectorum.* David ipse agnoscit peccatum, & stultam vanitatem. Immo contra legem Dei Exod. 30. egit: sic enim habet: *Quando tuleris summam filiorum Israel, dabunt singuli pretium pro animabus suis.* Quod utique omissum fuit, ac census ille ex sola curiositate & vanitate factus est: *Ut sciam numerum ejus.* Id videtur factum anno 39. regni David.

4. (*b*) Non ultra ei contradictum fuit.

8. (*c*) Et tamen ex Lib 1. Paralipom 21. non fuerunt recensiti viri Levi & Benjamin. Resp. terras omnes lustratas, licet viri non fuerint recensiti: Joab cœperat numerare, sed non perfecit.

9. (*d*) Lib. 1. Paralipomen. cap. 21. numerantur de Israel 1100000. de Juda 470000. Id vero fieri potuit, quod a diversis census ille initus fuerit, vel quod Joab omnia capita in Regis Fastos non retulerit: id enim invitus faciebat, nec poterat Regem ab incepto dimovere. Major numerus vers. 9. forte comprehendit proselytos, qui se Davidi dediderant.

13. (*e*) Lib. 1. Paralipom 21. tres tantum anni proponuntur, sive mendum irrepserit in textum Hebræum, sive initio septem annos propheta proposuerit, quos ad tres annos postea redegit: seu denique tres illi anni adjiciantur quatuor annis famis, qua Israelitæ jam anno quarto premebantur, ob Gabaonitarum sanguinem a Saule effusum: LXX. Interpretes legunt tantummodo tres annos. Videntur, inquit Grotius, olim numeri per notas scripti, ut apud alias Gentes, & inde facilis mutatio.

14. (*f*) Nam Deus ut Pater castigare solet.

15. (*g*) Non solum in Davidis pœnam, sed etiam ut puniretur populus, qui Absalonem & Sebam secutus contra Regem rebellaverat.

16. (*h*) Sed ut probabile est, proselyti, qui Lib. 1. Paralipom. 21. 15 vocatur Ornan.

18 (*i*) Cum igitur Samuel & alii Sancti altaria erexerunt, ex imperio divino id fecerunt.

19. Et ascendit David juxta sermonem Gad, quem præceperat ei Dominus.

20. Conspiciensque Areuna, animadvertit regem & servos ejus transire ad se:

21. Et egressus adoravit regem prono vultu in terram, & ait: Quid causæ est ut veniat dominus meus rex ad servum suum? Cui David ait: ut emam a te aream (*k*), & ædificem altare Domino, & cesset interfectio, quæ grassatur in populo.

22. Et ait Areuna ad David: Accipiat, & offerat dominus meus rex, sicut placet ei: habes boves in holocaustum, & plaustrum, & juga boum in usum lignorum.

23. Omnia dedit Areuna rex (*l*) regi: dixitque Areuna ad regem: Dominus Deus tuus suscipiat votum tuum.

24. Cui respondens rex, ait: Nequaquam ut vis, sed emam pretio a te, & non offeram Domino Deo meo holocausta gratuita. Emit ergo David aream (*m*): & boves, argenti siclis quinquaginta.

25. Et ædificavit ibi David altare Domino, & obtulit holocausta & pacifica: & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israel.

21. (*k*) Hæc erat in monte Moria, ubi Templum postea fuit ædificatum.

23. (*l*) Ante captam Jerusalem potuit esse Rex Jebusæorum, aut erat ex eorum stirpe; tametsi vox illa Rex in LXX. Interpretibus, & in variis Codicibus Hebr. deest.

24. (*m*) Lib. 1. Paralipom. 600. siclis aureis, quod eo loco exponetur. Itaque post vocem, aream, ponenda sunt duo puncta: emit vero 600. siclis aurei ex Lib. 1. Paralipom. 21. 25. victimas autem, nempe boves, 50. siclis, multo minori pretio.

LIBER REGUM
TERTIUS,
QUI APUD HEBRÆOS DICITUR
PRIMUS MELACHIM.

Posteriores Libros Regum Hebræi Melachim *vocant. Hos Libros ex publicis & sacris commentariis excerptos, & in compendiariam historiam relatos existimat Theodoretus in Præfatione. Nam in eis sæpe laudantur Libri verborum dierum Regum Israel & Juda; tumque extabant Libri Semejæ, Abiæ, & aliorum Prophetarum. Isaiæ cap. 37. & 39. in posterioris Regum Libri capita 19. & 20. sunt translata, idque potius ab Esdra, quam a Jeremia factum Huetius putat. Hinc cap. 6. tertii Libri Regum Chaldaica mensium nomina usurpantur, magno quidem indicio hos Libros post captivitatem Babylonicam fuisse conscriptos. Quæ sibi a Deo fuerant imperata, Prophetæ mandabant litteris, hæc ad Reges fere & optimates pertinebant. Unde eorum libris magna pars historiæ continebatur. Isaias Oziæ historiam scripserat ex cap. 26. Lib. 2. Paralip. Id quoque factum a Jehu legimus eodem in Libro cap. 20. Acta Salomonis & Regum aliquot historica hoc Libro continentur.*

CA-

CAPUT PRIMUM.

Adonias auctoribus Joab & Abiathar regnum affectat. Sed Bethsabee ex Nathan Prophetæ consilio Regem adit, idque ab eo impetrat, ut Salomonem designet successorem. Quod executioni mandatur.

1. T rex David senuerat, habebatque ætatis plurimos dies: cumque operiretur vestibus, non calefiebat.

2. Dixerunt ergo ei servi sui: Quæramus Domino nostro regi adolescentulam virginem, & stet coram rege, & foveat eum, dormiatque in sinu suo, & calefaciat dominum nostrum regem.

3. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, & invenerunt Abisag Sunamitidem (*a*), & adduxerunt eam ad regem.

4. Erat autem puella pulcra nimis, dormiebatque cum rege, & ministrabat ei; rex vero non cognovit eam.

5. Adonias autem filius Haggith elevabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currus & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum.

6. Nec corripuit eum pater suus aliquando, dicens: Quare hoc fecisti? Erat autem & ipse pulcher valde, secundus natu post Absalom.

7. Et sermo ei cum Joab filio Sarujæ, & cum Abjathar sacerdote, qui adjuvabant partes Adoniæ.

8. Sadoc vero Sacerdos, & Banajas filius Jojadæ, & Nathan propheta, & Semei & Rei, & robur exercitus David non erat cum Adonia.

9. Immolatis ergo Adonias arietibus & vitulis, & universis pinguibus, juxta lapidem Zoheleth, qui erat vicinus Fonti rogel, vocavit universos fratres suos filios regis, & omnes viros Juda servos regis.

10. Nathan autem prophetam, & Banajam, & robustos quosque, & Salomonem fratrem suum non vocavit.

11. Dixit itaque Nathan ad Bethsabee matrem Salomonis: Num audisti, quod regnaverit Adonias filius Haggith, & dominus noster David hoc ignorat?

12. Nunc ergo veni, accipe consilium a me, & salva animam tuam, filiique tui Salomonis.

13. Vade, & ingredere ad regem David, & dic ei: Nonne tu domine mi rex jurasti mihi ancillæ tuæ, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo? quare ergo regnat Adonias?

14. Et adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam post te, & complebo sermones tuos.

15. Ingressa est itaque Bethsabee ad regem in cubiculum: rex autem senuerat nimis, & Abisag Sunamitis ministrabat ei.

16. Inclinavit se Bethsabee, & adoravit regem. Ad quam rex, Quid tibi, inquit, vis?

17. Quæ respondens, ait: Domine mi, tu jurasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit in solio meo.

18. Et ecce nunc Adonias regnat, te, domine mi rex, ignorante.

19. Mactavit boves, & pinguia quæque, & arietes plurimos, & vocavit omnes filios regis, Abjathar quoque sacerdotem, & Joab principem militiæ: Salomonem autem servum tuum non vocavit.

20. Verumtamen domine mi rex, in te oculi respiciunt totius Israel, ut indices eis, qui sedere debeat in solio tuo, domine mi rex, post te.

21. Eritque cum dormierit dominus meus rex cum patribus suis, erimus ego & filius meus Salomon peccatores (*b*).

22. Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit.

23. Et nuntiaverunt regi, dicentes: Adest Nathan propheta. Cumque introisset in conspectu regis, & adorasset eum pronus in terram,

24. Dixit Nathan: Domine mi rex, tu dixisti: Adonias regnet post me, & ipse sedeat super thronum meum?

25. Quia descendit hodie, & immolavit boves, & pinguia, & arietes plurimos, & vocavit universos filios regis, & principes exercitus, Abjathar quoque sacerdotem: illisque vescentibus & bibentibus coram eo, & dicentibus: Vivat rex Adonias:

26. Me servum tuum, & Sadoc sacerdotem, & Banajam filium Jojadæ, & Salomonem famulum tuum, non vocavit.

27. Numquid a domino meo rege exivit hoc verbum, & mihi non indicasti servo tuo, quis sessurus esset super thronum domini mei regis post eum?

28. Et respondit rex David, dicens: Vocate ad me Bethsabee. Quæ cum fuisset ingressa coram rege, & stetisset ante eum,

29. Juravit rex, & ait: Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia,

30. Quia sicut juravi tibi per Dominum Deum Israel, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me, & ipse sedebit super solium meum pro me: sic faciam hodie.

31. Summissoque Bethsabee in terram vultu, adoravit regem, dicens: Vivat dominus meus David in æternum.

32. Dixit

CAPUT I. 3. (*a*) Ex Suna civitate Tribus Issachar: utrum ea uxor fuerit, an concubina, an tantum ancilla, dubitari solet: hanc puellam ducere voluit Adonias filius David. Is post Absalomum erat natu maximus ex Haggith matre vers. 9 Rogel; fons prope hortos regios, ex Josepho.

21. (*b*) Rei scilicet, ego ut adultera, ille ut filius adulteræ: ambo ut peccatores tractabimur. Erimus rei mortis, crimine regni affectati.

32. Dixit quoque rex David: Vocate mihi Sadoch Sacerdotem, & Nathan prophetam, & Banajam filium Jojadæ. Qui cum ingressi fuissent coram rege,

33. Dixit ad eos: Tollite vobiscum servos domini vestri, & imponite (c) Salomonem filium meum super mulam meam: & ducite eum in Gihon.

34. Et ungat eum ibi Sadoc sacerdos, & Nathan propheta, in regem super Israel: & canetis buccina, atque dicetis: Vivat rex Salomon.

35. Et ascendetis post eum, & veniet, & sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me: illique præcipiam ut sit dux super Israel, & super Judam.

36. Et respondit Banajas filius Jojadæ, regi, dicens: Amen: sic loquatur Dominus Deus domini mei regis.

37. Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, sic sit cum Salomone, & sublimius faciat solium ejus a solio domini mei regis David.

38. Descendit ergo Sadoc sacerdos, & Nathan propheta, & Banajas filius Jojadæ, & Cerethi, & Phelethi: & imposuerunt Solomonem super mulam regis David, & adduxerunt eum in Gihon.

39. Sumpsitque Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem: & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Vivat rex Salomon.

40. Et ascendit universa multitudo post eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & insonuit terra a clamore eorum.

41. Audivit autem Adonias, & omnes qui invitati fuerant ab eo, jamque convivium finitum erat: sed & Joab, audita voce tubæ, ait: Quid sibi vult clamor civitatis tumultuantis?

42. Adhuc illo loquente, Jonathas filius Abjathar sacerdotis venit: cui dixit Adonias: Ingredere, quia vir fortis es, & bona nuntians.

43. Respondìtque Jonathas Adoniæ: Nequaquam: dominus enim noster rex David regem constituit Salomonem:

44. Misitque cum eo Sadoc sacerdotem, & Nathan prophetam, & Banajam filium Jojadæ, & Cerethi, & Phelethi, & imposuerunt eum super mulam regis.

45. Unxeruntque eum Sadoc sacerdos & Nathan propheta regem in Gihon: & ascenderunt inde lætantes, & insonuit civitas: hæc est vox, quam audistis.

46. Sed & Salomon sedet super solium regni.

47. Et ingressi servi regis benedixerunt domino nostro regi David, dicentes: Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, & magnificet thronum ejus super thronum tuum. Et adoravit rex in lectulo (d) suo:

48. Et locutus est: Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis.

49. Territi sunt ergo, & surrexerunt omnes, qui invitati fuerant ab Adonia, & ivit unusquisque in viam suam.

50. Adonias autem timens Salomonem, surrexit, & abiit, tenuitque cornu altaris (e).

51. Et nuntiaverunt Salomoni, dicentes: Ecce Adonias timens regem Salomonem, tenuit cornu altaris, dicens: Juret mihi rex Salomon hodie, quod non interficiat servum suum gladio.

52. Dixitque Salomon: Si fuerit vir bonus, non cadet ne unus quidem capillus ejus in terram: sin autem malum inventum fuerit in eo, morietur.

53. Misit ergo rex Salomon, & eduxit eum ab altari: & ingressus adoravit regem Salomonem: dixitque ei Salomon: Vade in domum tuam.

CAPUT II.

David moriturus dat Salomoni de cultu Dei salutaria præcepta. Adonias, cum de Abisag ducenda ageret, & regnum affectaret, Salomonis jussu interficitur, uti & Joab, & post triennium Semei.

1. Appropinquaverunt autem dies David ut moreretur, præcepitque Salomoni filio suo, dicens:

2. Ego ingredior viam universæ terræ: confortare, & esto vir.

3. Et observa custodias (a) Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, ut custodias cæremonias ejus, & præcepta ejus, & judicia, & testimonia, * Sicut scriptum est in lege Moysi: ut intelligas universa quæ facis, & quocumque te verteris: * Deut. 17. 19.

4. Ut confirmet Dominus sermones suos, quos locutus est de me, dicens: Si custodierint filii tui vias suas, & ambulaverint coram me in veritate, in omni corde suo, & in omni anima sua, non auferetur (b) tibi vir de solio Israel.

5. Tu quoque nosti quæ fecerit mihi Joab filius Sarviæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, * Abner filio Ner, & * Amasæ filio Jether: quos occidit, & effudit sanguinem (c) belli in pace, & posuit cruorem prælii in balteo suo, qui erat circa lumbos ejus, & in calceamento suo, quod erat in pedibus ejus. * 2. Reg. 3. 27. * 2. Reg. 20. 10.

6. Fa-

33. & 36. (c) Regnum dabat non ætatis prærogativa, sed Regis voluntas. *Et ducite eum in Gihon*; fons erat, aut rivus. *Loquatur*, sic placeat Deo.

47. (d) E lectulo salutavit novum Regem, fausta ei apprecatus; vel adoravit Deum.

50. (e) Quod erexerat David in Jerusalem: nam altare a Mose erectum erat in Gabaon. 1. Paral. 21. In Salomone Christus adumbratus. August. Lib. 17. de civ. Dei c. 8. *Alius pacificus intelligatur esse promissus, qui non ante, sicut iste, sed post mortem David prænunciatus est suscitandus, qui ædificaret domum Domino, non de lignis & lapidibus, sed de hominibus, quibus dicit Apostolus, Templum Dei sanctum est, quod estis vos.*

CAP. II.

3. (a) Mandata, quæ Deus jussit custodienda: *Ut intelligas universa quæ facis*, quæ prospere succedant.

4. (b) Erit semper aliquis ex nepotibus, qui sedeat in solio tuo.

5. (c) Qui effundi juste non potest nisi in bello: simulata amicitia occidit, quasi bellum adhuc exarsisset: *Et posuit cruorem prælii in balteo suo*, supra sagum præcinctus balteo præter morem, ut facilius uteretur gladio: *& in calceamento suo*, cum mortui sanguine calceamentum tinctum fuit. Hæc David non ulciscendi libidine, sed amore justitiæ præcepit moriturus. David Joabi crimen non condonaverat, sed distulerat pœnam hominis potentis, & ad res bellicas utilis,

6. Facies ergo juxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem ejus pacifice ad inferos.

7. Sed & filiis Berzellai Galaaditis reddes
* 2.Reg.19. 31. gratiam, eruntque comedentes in mensa tua: * occurrerunt enim mihi quando fugiebam a facie Absalom fratris tui.

* 2.Reg.16. 5. & 19.19. 8. * Habes quoque apud te Semei filium Gera filii Jemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessima, quando ibam ad castra: sed quia descendit mihi in occursum cum transirem Jordanem, & juravi ei per Dominum, dicens: Non te interficiam gladio:

9. Tu noli pati eum esse innoxium. Vir autem sapiens es, ut scias quæ facies ei, deducesque canos ejus cum sanguine ad inferos.

* Act 2.29. 10. * Dormivit igitur David cum patribus suis, & sepultus est in civitate David.

* 1.Par.29. 27. 11. * Dies autem, quibus regnavit David super Israel, quadraginta anni sunt: in Hebron regnavit septem annis: in Jerusalem, triginta tribus.

12. Salomon autem sedit super thronum David patris sui, & firmatum est regnum ejus nimis.

13. Et ingressus est Adonias filius Haggith ad Bethsabee matrem Salomonis. Quæ dixit ei: Pacificusne est ingressus tuus? Qui respondit: Pacificus.

14. Addiditque: Sermo mihi est ad te. Cui ait: Loquere. Et ille:

15. Tu, inquit, nosti, quia meum erat regnum, & me præposuerat omnis Israel sibi in regem: sed translatum est regnum, & factum est fratris mei: a Domino enim constitutum est ei.

16. Nunc ergo petitionem unam precor a te; ne confundas faciem meam. Quæ dixit ad eum: Loquere.

17. Et ille ait: Precor ut dicas Salomoni regi (neque enim negare tibi quidquam potest) ut det mihi Abisag Sunamitidem uxorem.

18. Et ait Bethsabee: Bene, ego loquar pro te regi.

19. Venit ergo Bethsabee ad regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonia: & surrexit rex in occursum ejus, adoravitque eam, & sedit super thronum suum: positusque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram ejus.

20. Dixitque ei: Petitionem unam parvulam ego deprecor a te: ne confundas faciem meam. Et dixit ei rex: Pete mater mea: neque enim fas est ut avertam faciem tuam.

21. Quæ ait: Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo uxor.

22. Responditque rex Salomon, & dixit matri suæ: Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ: postula (*d*) ei & regnum: ipse est enim frater meus major me, & habet Abjathar sacerdotem, & Joab filium Sarviæ.

23. Juravit itaque rex Salomon per Dominum, dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia contra animam suam locutus est Adonias verbum hoc.

24. Et nunc vivit Dominus, qui firmavit me, & collocavit me super solium David patris mei, & qui fecit mihi domum, sicut locutus est, quia hodie occidetur Adonias.

25. Misitque rex Salomon per manum Banajæ filii Jojadæ, qui interfecit eum, & mortuus est.

26. Abjathar quoque sacerdoti dixit rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum, equidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti arcam Domini Dei coram David patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laboravit pater meus.

27. Ejecit ergo Salomon Abjathar (*e*), ut non esset sacerdos Domini, * ut impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo. * 1.Reg 2. 31.

28. Venit autem nuntius (*f*) ad Joab, quod Joab declinasset post Adoniam, & post Salomonem non declinasset: fugit ergo Joab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris.

29. Nuntiatumque est regi Salomoni, quod fugisset Joab in tabernaculum Domini, & esset juxta altare: misitque Salomon Banajam filium Jojadæ, dicens: Vade, interfice eum.

30. Et venit Banajas ad tabernaculum Domini, & dixit ei: Hæc dicit rex: Egredere. Qui ait: Non egrediar, sed hic moriar. Renuntiavit Banajas regi sermonem, dicens: Hæc locutus est Joab, & hæc respondit mihi.

31. Dixitque ei rex: Fac sicut locutus est: & interfice eum, & sepeli, & amovebis sanguinem innocentem, qui effusus est a Joab, a me, & a domo patris mei.

32. Et reddet Dominus sanguinem ejus super caput ejus, quia interfecit duos viros justos, melioresque se: & occidit eos gladio, patre meo David ignorante, * Abner filium Ner principem militiæ Israel, * & Amasam filium Jether principem exercitus Juda: * 2.Reg.3. 27. * 2.Reg.20. 10.

33. Et revertetur sanguis illorum in caput Joab, & in caput seminis ejus in sempiternum. David autem & semini ejus, & domui & throno illius sit pax usque in æternum a Domino.

34. Ascendit itaque Banajas filius Jojadæ, & aggressus eum interfecit: sepultusque est in domo sua in deserto.

35. Et constituit rex Banajam filium Jojadæ pro eo super exercitum, & Sadoc sacerdotem posuit pro Abjathar.

36. Misit quoque rex, & vocavit Semei, dixitque ei: Ædifica tibi domum in Jerusalem, & habita ibi: & non egredieris inde huc atque illuc.

37. Quacumque autem die egressus fueris, & transieris Torrentem Cedron, scito te interficiendum: sanguis tuus erit super caput tuum.

38. Dixitque Semei regi: Bonus sermo: sicut locutus est dominus meus rex, sic faciet servus tuus. Habitavit itaque Semei in Jerusalem diebus multis.

39. Fa-

22. (*d*) Noverat Salomon id ab Adonia postulari, ut sibi viam sterneret ad regnum; non ut privatus, sed ut Rex agit, qui de publica tranquillitate sollicitus esse debet.

27. (*e*) Reum læsæ majestatis ejecit, tum Sadoc e stirpe Phinees ex Dei mandato Sacerdotium accepit, ut Lib. 1. c. 2. prædictum fuerat.

28. (*f*) Venit fama eorum, quæ gesta sunt ad Joab, & timuit quod in partes Adoniæ ivisset, quamvis ille post Absalonem non declinasset: satis credibile est post inaugurationem Salomonis Joab partes Adoniæ fovisse, huic consilium dedisse, ut peteret in uxorem Abisag.

39. Factumque est autem post annos tres, ut fugerent servi Semei ad Achis filium Maacha regem Geth: nuntiatumque est Semei, quod servi ejus issent in Geth.

40. Et surrexit Semei, & stravit asinum suum: ivitque ad Achis in Geth ad requirendum servos suos, & adduxit eos de Geth.

41. Nuntiatum est autem Salomoni quod isset Semei in Geth de Jerusalem, & rediisset.

42. Et mittens vocavit eum, dixitque illi: Nonne testificatus sum tibi per Dominum, & prædixi tibi: Quacumque die egressus, ieris huc & illuc, scito te esse moriturum? Et respondisti mihi: Bonus sermo, quem audivi.

43. Quare ergo non custodisti jusjurandum Domini, & præceptum quod præceperam tibi?

44. Dixitque rex ad Semei: Tu nosti omne malum, cujus tibi conscium est cor tuum, quod fecisti David patri meo: reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum.

45. Et rex Salomon benedictus, & thronus David erit stabilis coram Domino usque in sempiternum.

46. Jussit itaque rex Banajæ filio Jojadæ: qui egressus, percussit eum, & mortuus est.

CAPUT III.

Salomon filiam Pharaonis ducit. Huic Deus apparet in Gabaon; postulat a Deo sapientiam, quam impetrat, cujus specimen ostendit in judicio inter duas mulieres prolato.

1. Par. 1. 1. CONfirmatum est igitur regnum in manu Salomonis, & affinitate conjunctus est Pharaoni regi Ægypti: accepit namque filiam ejus, & adduxit in civitatem (*a*) David, donec compleret ædificans domum suam, & domum Domini, & murum Jerusalem per circuitum.

2. Attamen populus immolabat in excelsis: non enim ædificatum erat templum nomini Domini usque in diem illum.

3. Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis David patris sui, excepto quod in excelsis immolabat (*b*), & accendebat thymiama.

4. Abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi: illud quippe erat excelsum maximum: mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon.

5. Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod vis ut dem tibi.

6. Et ait Salomon: Tu fecisti cum servo tuo David patre meo misericordiam magnam, sicut ambulavit in conspectu tuo in veritate, & justitia, & recto corde tecum: custodiisti ei misericordiam tuam grandem, & dedisti ei filium sedentem super thronum ejus, sicut est hodie.

7. Et nunc Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo: ego autem sum puer parvulus, & ignorans egressum, & introitum meum.

8. Et servus tuus in medio est populi, quem elegisti, populi infiniti, qui numerari & supputari non potest præ multitudine.

9. * Dabis ergo servo tuo cor docile, ut *2. Par. 1.
populum tuum judicare possit, & discernere 10.
inter bonum & malum: quis enim poterit judicare populum istum, populum tuum hunc multum?

10. Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset hujuscemodi rem.

11. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum judicium:

12. Ecce feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens ( ) & intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.

13. * Sed & hæc, quæ non postulasti, dedi *Sap. 7. 11.
tibi: divitias scilicet, & gloriam, ut nemo Matth. 6.
fuerit similis tui in regibus cunctis retro die- 29.
bus.

14. Si autem ambulaveris in viis meis, & custodieris præcepta mea, & mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos.

15. Igitur evigilavit Salomon, & intellexit quod esset somnium (*d*): cumque venisset Jerusalem, stetit coram arca fœderis Domini, & obtulit holocausta, & fecit victimas pacificas, & grande convivium universis famulis suis.

16 Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem, steteruntque coram eo,

17. Quarum una ait: Obsecro, mi domine: ego & mulier hæc habitabamus in domo una, & peperi apud eam in cubiculo.

18. Tertia autem die postquam ego peperi, peperit & hæc: & eramus simul, nullusque alius nobiscum in domo, ex eptis nobis duabus.

19. Mortuus est autem filius mulieris hujus nocte: dormiens quippe oppressit eum.

20. Et consurgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocavit in sinu suo: suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo.

21. Cum-

CAP. III. 1. (*a*) In arcem Sion, ubi erat domus David. Illud est verisimile Pharaonis filiam sacra Judaica suscepisse: id enim multis exemplis licitum constat ex cap. 23. Deuter. quod cum in aliis uxoribus non præstiterit, hinc postea acriter reprehenditur.

3. (*b*) Hebr. Verumtamen in excelsis ipse immolans: non tam reprehenditur, quam ratio affertur, cur immolaverit in Jerusalem & in Gabaon, idque vocatur vers. 4 excelsum maximum, quod ibi esset altare Mosis dignitate præcipuum. Id enim licitum fuisse ante conditum templum, persuasum habebant. Sed cum populus ad idololatriam propensior hoc sibi juris arrogaret, David sui regni temporibus non toleravit excelsa. Ezechias ac Josias ea penitus sustulerunt: alii omnes reprehenduntur, quod in excelsis immolaverint, aut ea non sustulerint.

12. (*c*) Sermo est de sapientia naturali, quæ infusa fuit Salomoni, non de supernaturali: cum regibus comparatur, qui extiterunt in ea regione. At quomodo dormiens mereri potuit? an propter vigilantis affectum? Augustin. Lib. 12. de Genesi ad litt. cap. 15. *Propter illam ergo affectionem animæ bonam, quæ desiderio meliore mundata multas vigilans interfecit cupiditates, etiam in somnis quadam ejus merita clarent; nam etiam dormiens Salomon sapientiam præposuit omnibus rebus, eamque neglectis ceteris est precatus a Domino.*

15. (*d*) Quale esset & quid portenderet: ligatis enim sensibus integer manebat rationis usus. Hujus sapientiæ specimen mox dedit in dijudicanda lite inter duas meretrices: vox Hebræa Zonot זנות *tabernarias* quoque significat. Ambr. L. 2. de officiis cap. 8. *Naturam in affectibus quæsivit, quæ latebat in vocibus, & pietatem interrogavit, ut proderet veritatem*: LXX. vertunt *meretrices*, *πόρναι*: extraneæ non erant Lege Deuter. 23. comprehensæ.

21. Cumque surrexissem mane ut darem lac filio meo, apparuit mortuus: quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non esse meum quem genueram.

22. Responditque altera mulier: Non est ita ut dicis, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. E contrario illa dicebat: Mentiris: filius quippe meus vivit, & filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege.

23. Tunc rex ait: Hæc dicit, Filius meus vivit, & filius tuus mortuus est. Et ista respondit, Non, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit.

24. Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cumque attulissent gladium coram rege,

25. Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri.

26. Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus, ad regem: (commota sunt quippe viscera ejus super filio suo) Obsecro, domine, date illi infantem vivum, & nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi, nec tibi sit, sed dividatur.

27. Respondit rex, & ait: Date huic infantem vivum, & non occidatur: hæc est enim mater ejus.

28. Audivit itaque omnis Israel judicium quod judicasset rex, & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium.

CAPUT IV.

Qui fuerit regni Salomonis status, qui Principes & præfecti, qui imperii fines, ciborum apparatus, opes, sapientia, parabolæ, carmina.

1. ERat autem rex Salomon regnans super omnem Israel:

2. Et hi principes quos habebat: Azarias filius (a) Sadoc sacerdotis:

3. Elihoreph, & Ahia filii Sisa scribæ: Josaphat filius Ahilud a commentariis (b):

4. Banajas filius Jojadæ super exercitum: Sadoc autem, & Abjathar (c) sacerdotes.

5. Azarias filius Nathan super (d) eos, qui assistebant regi: Zabud filius Nathan, sacerdos, amicus regis:

6. Et Ahisar præpositus domus: & Adoniram filius Abda super tributa.

7. Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israel, qui præbebant annonam regi & domui ejus: per singulos enim menses in anno, singuli necessaria ministrabant.

8. Et hæc nomina eorum: Benhur, in monte Ephraim.

9. Bendecar, in Macces, & in Salebim, & in Bethsames, & in Elon, in Bethanan.

10. Benhesed in Aruboth: ipsius erat Socho, & omnis Terra Epher.

11. Benabinadab, cujus omnis Nephathdor, Tapheth filiam Salomonis (e) habebat uxorem.

12. Bana filius Ahilud regebat Thanac & Mageddo, & universam Bethsan, quæ est juxta Sarthana subter Jezrael, a Bethsan usque Abelmehula e regione Jecmaan.

13. Bengaber in Ramoth Galaad: habebat Avoth-Jair (f) filii Manasse in Galaad, ipse præerat in omni regione Argob, quæ est in Basan, sexaginta civitatibus magnis atque muratis, quæ habebant seras æreas.

14. Ahinadab filius Addo præerat in Manaim.

15. Achimaas in Nephthali: sed & ipse habebat Basemath filiam Salomonis in conjugio.

16. Baana filius Husi, in Aser, & in Baloth.

17. Josaphat filius Pharue, in Issachar.

18. Semei filius Ela, in Benjamin.

19. Gaber filius Uri, in terra Galaad, in terra Sehon regis Amorrhæi, & Og regis Basan, super omnia quæ erant in illa terra.

20. Juda & Israel innumerabiles, sicut arena maris in multitudine: comedentes, & bibentes, atque lætantes.

21. * Salomon autem erat in ditione sua, habens omnia regna a flumine (g) terræ Philisthiim usque ad terminum Ægypti: offerentium sibi munera, & servientium ei cunctis diebus vitæ ejus. * Eccli. 47. 15.

22. Erat autem cibus Salomonis per dies singulos triginta cori similæ, & sexaginta cori farinæ,

23. Decem boves pingues, & viginti boves pascuales, & centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum atque bubalorum, & avium altilium.

24. Ipse enim obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen, a Thaphsa usque ad Gazan, & cunctos reges illarum regionum: & habebat pacem ex omni parte in circuitu.

25. Habitabatque Juda, & Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, a Dan usque Bersabee cunctis diebus Salomonis.

26. * Et habebat (h) Salomon quadraginta millia præsepia equorum currilium, & duodecim millia equestrium. * 2. Par. 9. 25.

27. Nutriebantque eos supradicti regis præfecti: sed & necessaria mensæ regis Salomonis cum ingenti cura præbebant in tempore suo.

28. Hor-

CAP. IV. 2. (a) Id est, nepos: nam Azarias erat filius Achimaas, qui erat filius Sadoc.

3. (b) Qui Regi gerenda suggerebat. LXX. vertunt, a memoria; Gallis magister est libellorum supplicium, *Maitre des Requetes*.

4. (c) An forte hæc mutato ordine per metalepsin recensentur? adeo ut hic fuerit status regni ante hunc Salomonis annum tertium. An potius Sadoc solus Sacerdotis summi munere functus est? cum autem nullus esset amplius conspirationi locus, permissum est Abjathar, ut ad ministerium templi rediret, isque nomen & dignitatem post Sadoc retineret, ut apud nos Episcopi, qui Episcopatu cessarunt: ac forte de ejus ejectione antea dictum fuit per anticipationem. Aut Sadoc re ipsa erat summus sacerdos, Abjathar solo nomine.

5. (d) Hebr. Super adstantes Regi. Hi erant curatores mensæ regiæ ex Grotio. *Amicus regis*, patricius, *præpositus domus*, comes rei privatæ; *super tributa*, comes sacrarum largitionum.

11. (e) Hoc dictum est per prolepsin: tum enim Salomon filias nubiles habere non poterat.

13. (f) Villas Jair, de quibus Numer. 32. 41. & Jud. 10. 4.

21. (g) Ex Hebræo, *a flumine illo*, per emphasim Euphrates intelligitur insigne flumen: adeo ut completa sit promissio Genes. 15. 18. a flumine Ægypti usque ad flumen magnum, nempe Euphraten: sic termini ditionis Salomonis fuerunt a Dan usque Bersabee, mare magnum & Euphrates.

26. (h) Seu 40000. equos, ut legimus Lib. 2. Paralipom. cap. 9. vers. 25. *Habuit quoque Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, equitum duodecim millia*: illi currus trahebant, quibus utebantur familiares Regis in comitatu. Neque in eo forte peccavit Salomon adversus legem Deuter. 17. cum Palatiorum constructio, & annonæ parandæ ratio tantam equorum multitudinem exigeret, qui in varias Provincias dispersi erant.

28. Hordeum quoque & paleas equorum & jumentorum deferebant in locum ubi erat rex, juxta constitutum sibi.

29. Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam, quæ est in littore maris.

30. Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum,

* Eccli. 47. 16. 31. * Et erat sapientior cunctis hominibus: sapientior Ethan Ezrahita, & Heman, & Chalcol, & Dorda, filiis Mahol: & erat nominatus in universis gentibus per circuitum.

32. Locutus (i) est quoque Salomon tria millia parabolas: & fuerunt carmina ejus quinque & mille.

33. Et disputavit super lignis, a cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete: & disseruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus:

34. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab universis regibus terræ, qui audiebant sapientiam ejus.

CAPUT V.

Salomon cum Hiram Rege Tyri per mutuas legationes agit de extruendo templo. Hiram dat qui cedant ligna, his Salomon cibaria tribuit.

1. MISIT quoque Hiram rex Tyri servos suos ad Salomonem: audivit enim quod ipsum unxissent regem pro patre ejus: quia amicus fuerat Hiram David omni tempore.

2. Misit autem Salomon ad Hiram, dicens:

3. Tu scis voluntatem David patris mei, & quia non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei sui propter bella imminentia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum ejus.

4. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum: & non est satan (a), neque occursus malus.

5. Quamobrem cogito ædificare templum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus David patri meo, dicens: * Filius tuus, quem dabo pro te super solium tuum, ipse ædificabit domum nomini meo.

* 2. Reg. 7. 13. 1. Par. 22. 10.

6. Præcipe igitur ut præcidant mihi servi tui cedros de Libano, & servi mei sint cum servis tuis: mercedem autem servorum tuorum dabo tibi quamcumque petieris: scis enim quomodo non est in populo meo vir qui noverit ligna cædere sicut Sidonii.

7. Cum ergo audisset Hiram verba Salomonis, lætatus est valde, & ait: Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium sapientissimum super populum hunc plurimum.

8. Et misit Hiram ad Salomonem, dicens: Audivi quæcumque mandasti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis & abiegnis.

9. Servi mei deponent ea de Libano ad mare: & ego componam ea in ratibus in mari, usque ad locum, quem significaveris mihi: & applicabo (b) ea ibi, & tu tolles ea: præbebisque necessaria mihi, ut detur cibus domui meæ.

10. Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna, juxta omnem voluntatem ejus.

11. Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia, in cibum domui ejus, & viginti coros purissimi olei: hæc tribuebat Salomon Hiram per singulos annos.

12. * Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni, sicut locutus est ei: & erat pax inter Hiram & Salomonem, & percusserunt ambo fœdus. * Sup. 3. 12.

13. Elegitque rex Salomon operarios de omni Israel, & erat indictio (c) triginta millia virorum.

14. Mittebatque eos in Libanum, decem millia per menses singulos vicissim, ita ut duobus mensibus essent in domibus suis: & Adoniram erat super hujuscemodi indictione.

15. Fueruntque Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant (d), & octoginta millia latomorum in monte:

16. Absque præpositis qui præerant singulis operibus, numero trium millium & trecentorum, præcipientium populo & his qui faciebant opus.

17. Præcepitque rex, ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos (e) in fundamentum templi, & quadrarent eos:

18. Quos dolaverunt cæmentarii Salomonis, & cæmentarii Hiram: porro Giblii (f) præparaverunt ligna & lapides ad ædificandam domum:

TEM-

32. & 33. (i) Has forte parabolas quas ore protulit, alii scriptis exceperunt. Carmina: Sept. Interpret. legunt quinque millia: ac forte conjunctio Hebraica, ut sæpe alias, redundat.

CAP. V. 4. (a) Nullus mihi est adversarius: non est qui infestet incursionibus populum meum.

9. (b) Eo devehам quo volueris: rates ex multis trabibus erant coagmentatæ. Ut detur cibus domui meæ: iis qui in opere tuo versabantur, præbebis necessaria, ut colligitur ex Lib. 2. Paralip. cap. 2.


13. (c) Sept. Interpret. Tributum, quo opere exigebantur. Hebr. Et ascendere fecit, imposuit, tributum ex omni Israel: his jussum erat in Libano ligna cædere: vel indixit ut assum renrur triginta millia virorum.

15. (d) Sex millia forte singulis mensibus. Villalpandus numerum operariorum mirum in modum auget. 2. Paralip. 2. 153600 peregrini recensentur, & 30000. Israelitæ. Eo numero comprehendi debent præfecti operum, quorum singuli 50. operariis præficiebantur, ut 10000. Israelitis præfecti essent 300. centuriones: sic fiunt 3300. præfecti. Quod 2. Paralip. cap. 2. vers. ultimo numerentur 3600 existimat Capellus esse errorem Librarii, qui in numeris frequens occurrit. Hi autem operarii in tres partes erant divisi: adeo ut una ex iis mensem unum in monte operaretur, lapides & ligna cædendo & vectando, reliquos duos menses domi maneret, ut ante dictum est de 10000. Israelitis.

17. (e) Majoris pretii, ut marmora, aut Jaspides vario colore.

18. (f) Hi vel ex urbe Giblo Phœniciæ dicti sunt, vel ex Gebal, de quibus Psalm. 82. Gebal, & Ammon & Amalec, cum habitantibus Tyrum: qui in quadrandis lapidibus, & dolandis lignis erant industrii: ita Vatablus. Phœnices esse putat Grotius, qui Gabala tenent. Gabalam vero promontorium vocat Plinius Lib. 5. cap 20.

TEMPLUM SINE TECTO CUM PORTICU SUA.



a b Longitudo LX. cubitorum.
a c Latitudo XX. cubitorum.
d e Altitudo XXX. cubitorum.
f g Porticus ante templum XX. cubitorum longitudinis, & X. cubitorum latitudinis.
h Fenestræ obliquæ, sive laxiores intrinsecus, & extrinsecus arctæ.
k Tabulata per gyrum tria, sive appendices: quarum una quinque cubitos latitudinis habebat: media sex: suprema septem: singula altitudinis quinque cubitorum.
m n o Retractationes, sive reductiones in muro templi, quibus innitebantur capita trabium. Vocamus Gallice retraictes. Pro quibus trabes vertit Interpres.
p Cochlea.
q Sanctus sanctorum, sive oraculum, cujus longitudo, & latitudo erant XX. cubitorum: altitudo autem cubitorum XX. quod dum dicimus, eam partem altitudinis intelligimus, quæ solo auro erat tecta: nam alii X. cubiti erant tecti lapillis pretiosis, & auro.
r Templum, sive sanctum, pro foribus oraculi, XL. cubitorum longitudinis.
s Arca fœderis.
t Cherubim duo X. cubitorum altitudinis.
u Ostiola, sive valvæ introitu oraculi.
x Velum, quo distinguebatur Sanctum a Sancto Sanctorum, 2. Paral. 3. Matth. 27.
y Locus ostii templi: quod ideo non expressit pictor ne reliquæ picturæ officeret.
z Candelabra decem, quinque ad dexteram, & quinque ad sinistram. 2. Paral. 4.
a a Mensæ decem.
b b Altare Thymiamatis.

C A P U T VI.

Templi forma quoad præcipuas ejus partes.

2. Par. 3. 1. 1. Factum est ergo quadringentesimo & octogesimo anno egressionis (*a*) filiorum Israel de Terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio, (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israel, ædificari cœpit domus Domino.

2. Domus autem, quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine (*b*).

3. Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, juxta mensuram latitudinis templi: & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem (*c*) templi.

4. Fecitque in templo fenestras obliquas.

5. Et ædificavit super parietem templi tabulata (*d*) per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi & oraculi, & fecit latera in circuitu.

6. Tabulatum, quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Trabes (*e*) autem posuit in domo per circuitum forinsecus, ut non hærerent muris templi.

7. Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur.

8. Ostium (*f*) lateris medii in parte erat domus dextræ: & per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, & a medio in tertium.

9. Et ædificavit domum, & consummavit eam: texit quoque domum laquearibus cedrinis.

10. Et

CAP. VI. 1. (*a*) Severus Sulpicius Lib. 1. Hist. numerum annorum a librariis vitiatum putat, & ponendum esse annum 588. Ac multo major annorum numerus quam 480. colligitur ex iis, quos singulis judicibus & regibus tribuit Scriptura. Atque ex eo ipso his libris fidem detrahere conatur Spinosa: sed diu est, ex quo ab interpretibus id fuit adnotatum, annos interregnorum omitti, eosque tantummodo computari, quibus Duces, Judices, & Reges floruerunt. Addit Emmanuel Sà Scripturam interdum solere in annorum vel in hominum catalogis quædam præterire. Adde in numerorum notis frequentes errores irrepere: verum de his dictum est in prolegom. Dissert. 4. *Mense Zio*, hoc nomen mensis est Chaldaicum.

2. (*b*) De altitudine usque ad primum tabulatum loqui Scripturam multi opinantur: nam 2. Paralipom. 3. altitudo templi 120. cubitorum statuitur: secus, inquiunt, ea non fuisset spectabilis. R. Kimchi solum vestibulum altum fuisse 120. cubitis existimat, templum 30. tantummodo. Sed quæ illa esset proportio turris 120. cubitorum, cum domo sibi conjuncta 30. cubitorum? Sed neque hæc altitudo templi 120. cubitorum cum eam parva latitudine convenit, præsertim si adjunctæ cellulæ 18. cubitorum erant. Quod vero 2. Paral. 3. 4. legatur vestibulum altum 120. cubitorum, suspicatur Capellus in textu Hebræa per unius litteræ numeralis metathesim legi 120. cubitos pro 20. cum vestibula in Ecclesiis depressiora fieri soleant: nec religiose adeo textus lectionem quantumvis antiquam tenendam putat, cum levi litterulæ mutatione aut inversione lapsus librarii corrigi possit. Idem vir perdoctus observat in Templo Salomonis habitam esse rationem formæ Doricæ, quam Vitruvius tradit Lib. 4. cap. 4. Nam loci longitudo dupla fuit latitudinis; longitudo autem & latitudo simul junctæ dant 60. cubitos, pars dimidia 30. cubitorum est muri altitudo, cum 20. tantum essent cubiti ad lacunar usque, seu ad tabulatum.

3. & 4. (*c*) Ad frontem templi. *Obliquas*: intus latiores, foris angustiores.

5. (*d*) Opus omni ex parte pergulæ, vulgo *des Corridors*, cingebant. Hebr. *Et fecit latera in circuitu*, seu costas, seu loricam, Gall. vulgo *parapet*: & erant cubiculorum ordines tabulatis distincti: nam templum duplici pariete cinctum erat: inter parietes spatium erat 5. cubitorum latitudinis, in quo erant cubicula. Ab inferioribus ad superiora per cochleam ascendebant.

6. (*e*) Pergulæ tignis nitebantur a pariete sustentatis, ita ut pars domus contracta in latitudine, sed prominens ea sustineret, nec necesse foret parietem perforare: murus enim in superiori parte extenuebatur, & pars muri non contracta immissa tigna sustentabat.

8. (*f*) Ad latus muri meridionalis erat ostium, per quod ascendebatur ab uno tabulato ad aliud, seu ad cœnacula: *Et ædificavit domum, & consummavit*, quoad parietes, non quoad tabulata.

10. Et ædificavit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis, & operuit (*g*) domum lignis cedrinis.

11. Et factus est sermo Domini ad Salomonem, dicens:

12. Domus hæc, quam ædificas, si ambulaveris in præceptis meis, & judicia mea feceris, & custodieris omnia mandata mea, gra-
* 2. Reg. 7. diens per ea: firmabo sermonem meum tibi, *
16 quem locutus sum ad David patrem tuum.
* 1. Paral. 13. * Et habitabo in medio filiorum Israel,
9. & non derelinquam populum meum Israel.

14. Igitur ædificavit Salomon domum, & consummavit eam.

15. Et ædificavit (*h*) parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis, a pavimento domus usque ad summitatem parietum, & usque ad laquearia, operuit lignis cedrinis intrinsecus: & texit pavimentum domus tabulis abiegnis.

16. Ædificavitque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina, a pavimento usque ad superiora: & fecit interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum.

TEMPLUM TECTUM CUM PORTICU SUA,

atrio Sacerdotum & atrio Populi.



a Atrium interius, quod & atrium sacerdotum dicitur.
b Altare holocausti, longitudinis, & latitudinis viginti cubitorum, & decem latitudinis.
c Labra, sive luteres, 2. Paral. 4.
d Mare. 2. Paral. 4.
e Atrium populi, quod basilica, sive basilica grandis 1. Paral. 4. & 6. dicitur: & Act. 3. Porticus Salomonis. Hoc atrium nomine templi sæpe intelligitur in novo testamento, ut Matth. 21. Act. 3. In hoc atrio concionabatur CHRISTUS, & ex eo vendentes & ementes ejecit.
f Basis ænea, sive suggestum, longitudinis & latitudinis quinque cubitorum, & altitudinis trium. 2. Paral. 6.
g Porta Orientalis, quæ porta Sur, 4. Reg. 2. & Porta fundamenti 2. Paral. 23. dicitur, hanc nonnulli putant esse, quæ Actor. 3. dicitur Porta speciosa: quod omnium portarum Orientalis esset pulcherrima.
h Porta Meridionalis.
i Porta Septentrionalis.

17. Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi.

18. Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas & juncturas suas fabrefactas, & cælaturas eminentes: omnia cedrinis tabulis vestiebantur: nec omnino lapis apparere poterat in pariete.

19. Oraculum autem in medio (*i*) domus, in interiori parte fecerat, ut poneret ibi arcam fœderis Domini.

20. Porro oraculum (*k*) habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis: & operuit illud atque vestivit auro purissimo: sed & altare vestivit cedro.

21. Domum (*l*) quoque ante oraculum operuit auro purissimo, & affixit laminas clavis aureis.

22. Nihilque erat in templo quod non auro tegeretur: sed & totum altare (*m*) oraculi texit auro.

23. Et fecit in oraculo duos Cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis.

24. Quinque cubitorum ala Cherub una, & quinque cubitorum ala Cherub altera: id est, decem cubitos habentes, a summitate alæ unius usque ad alæ alterius summitatem.

25. Decem quoque cubitorum erat Cherub secundus: in mensura pari, & opus unum (*n*) erat in duobus Cherubim,

26. Id est, altitudinem habebat unus Cherub decem cubitorum, & similiter Cherub secundus.

27. Po-

10. (*g*) Loquitur de supremo tecto totius operis.

15. & 16. (*h*) Texit tabulis cedrinis intrinsecus. Cubitos: Templum dis[illegible]um erat in duas partes, non velo, ut in tabernaculo, sed muro, aut certe tabulis cedrinis distinctas. Hebr. Et ædificavit viginti cubitos a lateribus templi, tabulis cedrinis, quibus scilicet oraculum a reliquo templo sejunctum erat. Oraculum vero quadratum erat viginti cubitos longum & latum, ut & altum a pavimento usque ad superiora. *Et fecit interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum*, id est, Fecit Sanctum sanctorum, sublata præpositione *in*.

19. (*i*) In parte remotissima, ut centrum ab ambiente linea longissime abest.

20. (*k*) Locus in quo erat oraculum, seu, Sanctuarium.

21. (*l*) Partem templi ante oraculum positam, aut quæ oraculum dicitur.

22. (*m*) Altare thymiamatum ante oraculum positum.

25. & 32. (*n*) Eadem forma erat in duobus Cherubim. *Anaglypha*: sunt figuræ incisæ, prominentes, asperæ cælaturæ.

27. Posuitque Cherubim in medio templi interioris: extendebant autem alas suas Cherubim, & tangebat ala una parietem, & ala Cherub secundi tangebat parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi se invicem contingebant.

28. Texit quoque Cherubim auro.

29. Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis & torno: & fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias, quasi prominentes de pariete, & egredientes.

30. Sed & pavimentum domus texit auro intrinsecus & extrinsecus.

31. Et in ingressu oraculi fecit ostiola de lignis olivarum, postesque angulorum quinque.

32. Et duo ostia de lignis olivarum: & sculpsit in eis picturam Cherubim, & palmarum species, & anaglypha valde prominentia: & texit ea auro: & operuit tam Cherubim quam palmas, & cetera auro.

33. Fecitque in introitu templi postes de lignis olivarum quadrangulatos:

34. Et duo ostia de lignis abiegnis altrinsecus: & utrumque ostium duplex erat, & se invicem tenens aperiebatur.

35. Et sculpsit Cherubim, & palmas, & cælaturas valde eminentes: operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam.

36. Et ædificavit atrium interius (*o*) tribus ordinibus lapidum politorum, & uno ordine lignorum cedri.

37. Anno quarto fundata est domus Domini in mense Zio:

38. Et in anno undecimo, mense Bul (ipse est mensis octavus) perfecta est domus in omni opere suo, & in universis utensilibus suis: ædificavitque eam annis septem.

CAPUT VII.

Extructo templo, palatium sibi ædificat Salomon: tum domum alteram, quam saltum Libani appellat; & tertiam filiæ Pharaonis uxori suæ: postremo ampla vasorum supellex describitur.

1. DOmum autem suam ædificavit Salomon * tredecim (*a*) annis, & ad perfectum * Sup. 6. 38. & Inf. 9. 10.
usque perduxit.

2. Ædificavit quoque domum saltus Libani centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis, & triginta cubitorum altitudinis: & quatuor deambulacra inter columnas cedrinas: ligna quippe cedrina exciderat in columnas.

3. Et tabulatis cedrinis vestivit totam cameram (*b*), quæ quadraginta quinque columnis sustentabatur. Unus autem ordo habebat columnas quindecim

4. Contra se invicem positas,

5. Et e regione se respicientes, æquali spatio inter columnas, & super columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia.

6. Et

36. (*o*) Seu atrium Sacerdotum, ubi erat altare holocaustorum, & labrum æneum, seu mare, in quo Sacerdotes & victimæ lavabantur: de secundo atrio laicis mundis, & tertio omnibus exposito non agit. Nec satis liquet, utrum atrium illud templum ambierit, an fuerit ante porticum templi. Structuram templi omnem Villalpandus accurate descripsit: at nuperrime vir peeruditus P. Lamy Congregationis Oratorii Presbyter illius Ichnographiam & Orthographiam in Apparatu suo Biblico designatas edidit, et quo perpauca delibare opus est, quo facilius multa in Scripturis satis obscura intelligi possint. In monte Moria Templum a Salomone ædificatum fuisse, communis est Judæorum & sacrorum interpretum sententia. Cum autem hujus montis area non satis patens esset, erigendi fuerunt aggeres, ut multis gradibus ad templum ipsum perveniretur. Josephus Lib. 6. de bello Judaico, cap. 6 & Lib. 15. Antiquitatum, cap. 14. templum ait firmissimi collis jugo impositum fuisse, circa quod civitas Jerosolyma in speciem theatri erat circumposita, atque ab eo profundis vallibus tribus ex partibus discreta. Ex parte Orientis collis sensim a vertice versus eam partem urbis, quæ *Acra* dicebatur, declivis erat; partem illam Salomon muniit firmo muro, & aggestæ terræ porticum imposuit. In tribus aliis lateribus collem ab imis radicibus ad summum ejus integrum cinxit eodem muro, quod inter murum & collem stadium intererat spatii, aggesta terra replevit, ut complanatis omnibus fieret area quadrilatera: cujus ambitus erat quatuor stadiorum, singulis lateribus per unum stadium porrectis. Vallis e parte Orientali & Meridionali erat admodum profunda, cui murus imminebat 400. cubitos altus: a parte Boreali non erat tanta profunditas. Circa templum erat atrium Sacerdotum sic dispositum, ut ad frontem & introitum templi area quadrata & ampla sub dio exposita pateret, in cujus medio erat altare holocaustorum. Hoc interius atrium alterum cingebat solis Israelitis, iisque mundis destinatum; utrumque atrium cingebant porticus, conclavia, cellæ, vasis & vestibus Sacerdotum, cibariis quoque & rebus ad sacrificandum necessariis condendis, loca itidem ad vescendum & coquendum idonea. In portis utriusque atrii erant ampla vestibula. Tres erant portæ in atrio Sacerdotum, una ad Orientem, duæ aliæ ad Septentrionem & Austrum collocatæ. Una erat in Orientali plaga atrii Israelitarum porta, quæ *Speciosa* dicebatur; in unoquoque latere Septentrionali, & Meridionali tres erant. Utrumque atrium tertium cingebat amplum, & magnificis porticibus ornatum: hoc gentilium atrium dicebatur. In monte undique prærupto templum situm erat, atque aggeribus illius area augenda erat: adeo ut mœnia cum porticibus teste Josepho ad 400 cubitos assurgerent. Hinc substructiones ingentibus saxis ædificatæ, quas Apostoli e templo egressi ostenderunt Christo Domino Marc. cap. 13. *Magister aspice quales lapides, & quales structuræ*. Probabilius videtur atrium gentium in Templo Salomonis nullum fuisse, nulla enim ejus in hoc libro fit mentio, sed in Templo ab Herode instaurato id extabat, teste Josepho. In oraculo, seu sanctuario, & in sancto Arca, candelabrum, altare æneum, mensa propositionis eodem modo erant disposita atque in tabernaculo.

1. & 2. (*a*) Cum templum intra septem annos absolverit, quod plurima ad templi structuram necessaria David ante præparasset, ex Lib. 1. Paralip. 22 *Domum saltus*; hæc domus Salomonis, *domus saltus*, appellatur, vel propter loci opportunitatem; vel quod e cedris Libani esset constructa: vel potius erat vicina Jerosolymæ, in quam per æstatem auræ captandæ causa se recipiebat: unde a Chaldæo Paraphr. *domus refrigerii* vocatur. *Deambulacra*; quorum duo inter columnas, duo quoque inter columnas & murum templi erant. CAP. VII.

3. (*b*) Pars erat suprema domus, in qua erant tres ordines columnarum. *Et domuncula in qua sedebatur ad judicandum*; vulgo, *le parquet*.

6. Et porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis, & triginta cubitorum latitudinis: & alteram porticum in facie majoris porticus: & columnas, & epistylia super columnas.

7. Porticum quoque solii, in qua tribunal est, fecit: & texit lignis cedrinis a pavimento usque ad summitatem.

8. Et domuncula (c), in qua sedebatur ad judicandum, erat in media porticu, simili opere. Domum quoque fecit filiæ Pharaonis
*Sup. 3. 1. (* quam uxorem duxerat Salomon) tali opere, quali & hanc porticum.

9. Omnia lapidibus pretiosis (d), qui ad normam quandam atque mensuram tam intrinsecus quam extrinsecus serrati erant: a fundamento usque ad summitatem parietum, & extrinsecus usque ad atrium majus.

10. Fundamenta autem de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis decem sive octo cubitorum.

11. Et desuper lapides pretiosi æqualis mensuræ secti erant, similiterque de cedro (e).

12. Et atrium majus rotundum, trium ordinum de lapidibus sectis, & unius ordinis de dolata cedro: necnon & in atrio domus Domini interiori, & in porticu domus.

13. Misit quoque rex Salomon, & tulit (f) Hiram de Tyro,

14. Filium mulieris viduæ de tribu Nephthali, patre Tyrio, artificem ærarium, & plenum sapientia, & intelligentia, & doctrina ad faciendum omne opus ex ære. Qui cum venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus ejus.

15. Et finxit duas columnas (g) æreas, decem & octo cubitorum altitudinis columnam
*Jer. 52. 21. unam: * & linea duodecim cubitorum ambiebat columnam utramque.

16. Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum, fusilia ex ære: quinque cubitorum (h) altitudinis capitellum unum, & quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum:

17. Et quasi in modum retis, & catenarum sibi invicem miro opere contextarum. Utrumque capitellum columnarum fusile erat: septena versuum retiacula (i) in capitello uno, & septena retiacula in capitello altero.

18. Et perfecit columnas, & duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum, ut tegerent capitella, quæ erant super summitatem malogranatorum: eodem modo fecit & capitello secundo.



19. Capitella autem, quæ erant super capita columnarum, quasi opere lilii fabricata erant in porticu quatuor cubitorum.

20. Et rursum alia capitella (k) in summitate columnarum desuper juxta mensuram columnæ contra retiacula: malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi.

21. Et statuit duas columnas in porticu templi: cumque statuisset columnam dexteram, vocavit eam nomine Jachin (l): similiter erexit columnam secundam, & vocavit nomen ejus Booz.

22. Et super capita columnarum opus in modum lilii posuit: perfectumque est opus columnarum.

23. * Fecit quoque mare (m) fusile decem *2. Par. 4. 2.
cubitorum a labio usque ad labium, rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo ejus, & resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum.

24. Et sculptura (n) subter labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare: duo ordines sculpturarum striatarum erant fusiles.

25. Et stabat super duodecim boves, e quibus tres respiciebant ad Aquilonem, & tres ad Occidentem, & tres ad Meridiem, & tres ad Orientem, & mare super eos desuper erat: quorum posteriora universa intrinsecus latitabant.

26. Gros-

8. (c) In ea, inquit Grotius, Rex pene clausus sedebat, ut tutior esset ab insidiis.

9. (d) Videtur loqui de omnibus operibus, ac subinde ad templi structuram redire: unde & atrii majoris populo destinati mentionem facit.

11. & 12. (e) Chald. Et obduxit tabulis cedrinis. *Rotundum;* Vox Hebræa *Sevib* סביב, significat *circuitu suo* id ambire templum: nam figuræ erat quadrilateræ, non rotundæ. Necnon in *atrio domus Domini*: in atrio Sacerdotum, & porticu templi id observatum fuerat, ut unus ordo lapidum tabulis cedrinis tegeretur.

13. (f) Artificem industrium in ære conflando, & fingendo, filium mulieris viduæ de tribu Nephthali: unde verba illa ad filium, non ad matrem sunt referenda. Quod Lib. 2. Paralip. cap. 2. mater dicitur ex Dan oriunda, intelligendum est, ex urbe Dan in tribu Nephthali, non e tribu Dan.

15. (g) 2. Paralipom. 3. dicuntur altæ 35. cubitis. Resp. Abulensis in Paralipom. comprehendi bases, capitella, & filia: sed nihil est facilius, quam errorem in litteris numerorum obrepere. Aut certe cum Villalpando dicendum est, hoc capite, uti Jeremiæ cap. 52. scapum columnæ, qui una cum spira basis fusus est, 18. cubitorum fuisse. Liber 2. Paralip. utramque columnam commemorat; unaquæque fuit 17. cubit. $\frac{2}{3}$ demptis plintho solida & seorsum fusa una cum epistylio, seu capitello. Et *linea 12. cubitorum ambiebat columnam utramque*, id est, ambas simul sumptas: nec symmetriæ ratio patitur, ut columnæ 18. cubitorum perimeter sit 12. cubitorum.

16. (h) Tres ex iis erant figuris ornatæ, 4. Reg. cap. 25. 17.

17. (i) Erant retiacula in capitello. Hæc desunt in Hebræo. *Versus* sunt ordines circulorum, qui suo recursu ambiunt capitella.

20 (k) Hebr. Et *capitella*; adeo ut de primis capitellis loqui videatur. *Malogranatorum ducenti ordines*: ex Hebræo vertit Mariana, Malogranata ducenta, per ordines, seu ordine distincta; aut ducenti erant ordines, & in singulis duo malogranata, adeo ut 400. fuerint in unaquaque columna. Contra *retiacula*; supra retiacula.

21. (l) Quod desiderium significat, quo Salomon optavit, ut Deus hanc domum firmam & stabilem conservaret: Et *vocavit nomen ejus Booz*, seu fortitudinem. Utrumque impletum est in Ecclesia, quæ fide & caritate animata, & veritate subnixa, manet inconcussa.

23. (m) Vas ingens sacrificiis destinatum, cujus diameter erat 10 cubitorum, & circumferentia 30.

24. (n) Hebr. Et cucurbitæ, vel ut vertit Pagninus, Sphærulæ sub labio ejus: in circuitu circumdantes illud: *Decem in cubito*, decem erant sphærulæ, aut cucumeres silvestres in quolibet cubito, circumdantes mare in circuitu: duo ordines cucumerum fusi in conflatione ipsius.

26. Grossitudo autem luteris (*o*), trium unciarum erat: labiumque ejus, quasi labium calicis, & folium repandi lilii: duo millia batos capiebat.

27. Et fecit decem bases æneas, quatuor cubitorum longitudinis bases singulas, & quatuor cubitorum latitudinis, & trium cubitorum altitudinis.

28. Et ipsum opus basium interrasile (*p*) erat: & sculpturæ inter juncturas.

29. Et inter coronulas & plectas, leones & boves & Cherubim: & in juncturis similiter desuper: & subter leones & boves quasi lora ex ære dependentia.

30. Et quatuor rotæ per bases singulas, & axes (*q*) ærei: & per quatuor partes quasi humeruli subter luterem fusiles, contra se invicem respectantes.

31. Os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate: & quod forinsecus apparebat, unius cubiti erat totum rotundum, pariterque habebat unum cubitum & dimidium: in angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant: & media intercolumnia, quadrata non rotunda.

32. Quatuor quoque rotæ, quæ per quatuor angulos basis erant, cohærebant sibi subter basim: una rota habebat altitudinis cubitum & semis.

33. Tales autem rotæ erant, quales solent in curru fieri: & axes earum, & radii, & canthi, & modioli, omnia fusilia.

34. Nam & humeruli illi quatuor per singulos angulos basis unius, ex ipsa basi fusiles & conjuncti erant.

35. In summitate autem basis erat quædam rotunditas dimidii cubiti, ita fabrefacta, ut luter desuper posset imponi (*r*), habens cælaturas suas, variasque sculpturas ex semetipsa.

36. Sculpsit quoque in tabulatis illis, quæ erant ex ære, & in angulis, Cherubim, & leones, & palmas, quasi in similitudinem hominis stantis, ut non cælata, sed apposita per circuitum viderentur.

37. In hunc modum fecit decem bases, fusura una, & mensura, sculpturaque consimili.

38. Fecit quoque decem luteres æneos: quadraginta batos capiebat luter unus, eratque quatuor cubitorum: singulos quoque luteres per singulas, id est, decem bases, posuit.

39. Et constituit decem bases, quinque ad dexteram partem templi, & quinque ad sinistram: mare autem posuit ad dexteram partem templi contra Orientem ad Meridiem (*s*).

40. Fecit ergo Hiram lebetes, & scutras, & hamulas, & perfecit omne opus regis Salomonis in templo Domini.

41. Columnas duas, & funiculos (*t*) capitellorum super capitella columnarum duos: & retiacula duo, ut operirent duos funiculos, qui erant super capita columnarum.

42. Et malogranata quadringenta in duobus retiaculis: duos versus malogranatorum in retiaculis singulis, ad operiendos funiculos capitellorum, qui erant super capita columnarum.

43. Et bases decem, & luteres decem super bases.

44. Et mare unum, & boves duodecim subter mare.

45. Et lebetes, & scutras, & hamulas: omnia vasa, quæ fecit Hiram regi Salomoni in domo Domini, de aurichalco erant.

46. In campestri regione Jordanis fudit ea rex in argillosa terra, inter Sochoth & Sarthan.

47. Et posuit Salomon omnia vasa: propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris.

48. Fecitque Salomon omnia vasa in domo Domini: altare aureum (*u*), & mensam, super quam ponerentur panes propositionis, auream:

49. Et candelabra aurea, quinque ad dexteram, & quinque ad sinistram, contra oraculum, ex auro puro: & quasi lilii flores, & lucernas desuper aureas: & forcipes aureos,

50. Et hydrias, & fuscinulas, & phialas, & mortariola, & thuribula, de auro purissimo: & cardines ostiorum domus interioris Sancti sanctorum, & ostiorum domus templi, ex auro erant.

51. * Et

26. (*o*) *Luter dicitur ante mare; &* idem est. Est enim Græce λουτήρ, & Lat. Luter a λούω, *Lavo*. Erat trium digitorum pedis, seu palmi unius crassities. *Et folium repandi lilii*. Ut flos lilii, sic erat labium luteris. *Duo millia batos capiebat*; adeo ut 186. modios Parisienses contineret juxta quorumdam interpretum sententiam. Cum Lib. 2. Paralipom. cap. 4. tria millia caperet, aut batus non ejusdem erat mensuræ, sed major erat hoc in loco, quam in Paralipom. aut potius mare non usque ad summum aqua implebatur; quæ per epistomia educi solebat, ut Sacerdotes se abluerent, antequam ad altare thymiamatis accederent.

28 (*p*) Sculptum aut incisum; *juncturæ* dicuntur limbi, quibus variæ rerum effigies claudebantur. *Coronulæ & plectæ*, ex variis erant floribus contextæ.

30 & 32. (*q*) *Ansas vocat humeros*, *ut axes minus*; axes sub basibus erant currus instar, ut ferrentur, quo opus erat. *Luter & Concha idem*.

35. (*r*) In summitate basis erat cavitas excipiens impositum luterem.

39. & 40. (*s*) Hebr. *Ad orientem contra meridiem*, versus meridiem posuit mare in ipso aditu; idque factum est ut ingredientibus primo occurreret mare, ubi lavabant se Sacerdotes, deinde conchæ, ubi hostiæ abluebantur. *Hamulæ* forte sunt urceoli, quibus aqua defertur. *Scutra*, scutellæ, Gall. *des ecuelles*. Greg. in Paralipom. 2. cap. 5. *Ante fores Templi ad abluendas ingredientium manus mare æneum duodecim boves portant, quibus universus Pastorum ordo designatur, qui cum condescensionis suæ per entiam diluendis proximorum confessionibus præparant, velut ante fores Templi lucem portant: & fit plerumque, ut dum rectoris animus sordes diluentium suscepit, quasi suæ munditiæ serenitatem perdit*.

41 & 45. (*t*) Hebr. *Et vasa rotunda capitellorum*, quæ supra capita columnarum erant. *De aurichalco*, ære puro & tersio.

48. & 51 (*u*) E cedro; sed auro tectum. *Sanctificaverat*: quæ destinaverat.

*2. Par. 5. 1. 51. * Et perfecit omne opus quod faciebat Salomon in domo Domini, & intulit quæ sanctificaverat David pater suus, argentum & aurum, & vasa, reposuitque in thesauris domus Domini.

CAPUT VIII.

Templum postquam delata est arca in oraculum, dedicatur; Nube impletur; Salomon verba facit ad populum; boves & oves immolat.

*2. Par. 5. 2. 1. TUnc * congregati sunt omnes majores natu Israel cum principibus tribuum, & duces familiarum filiorum Israel ad regem Salomonem in Jerusalem: ut deferrent arcam fœderis Domini, de civitate David, id est, de Sion.

2. Convenitque ad regem Salomonem universus Israel in mense Ethanim (*a*), in solemni die, ipse est mensis septimus.

3. Veneruntque cuncti senes de Israel, & tulerunt arcam sacerdotes,

4. Et portaverunt arcam Domini, & tabernaculum (*b*) fœderis, & omnia vasa Sanctuarii, quæ erant in tabernaculo: & ferebant ea sacerdotes & Levitæ.

5. Rex autem Salomon, & omnis multitudo Israel, quæ convenerat ad eum, gradiebatur cum illo ante arcam, & immolabant oves & boves absque æstimatione & numero.

6. Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, in oraculum templi, in Sanctum sanctorum subter alas Cherubim.

7. Siquidem Cherubim expandebant alas super locum arcæ, & protegebant arcam & vectes ejus desuper.

8. Cumque eminerent vectes (*c*), & apparerent summitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum, non apparebant ultra extrinsecus, qui & fuerunt ibi usque in præsentem diem.

* Exod. 34. 27. Hebr. 9. 4. 9. In arca autem non erat aliud * nisi duæ tabulæ (*d*) lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israel, cum egrederentur de Terra Ægypti.

10. Factum est autem, cum exissent sacerdotes de Sanctuario, nebula implevit (*e*) domum Domini.

11. Et non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini.

*2. Par. 6. 1. 12. Tunc ait Salomon: * Dominus dixit ut habitaret in nebula.

13. Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum, firmissimum solium tuum in sempiternum.

14. Convertitque rex faciem suam, & benedixit omni ecclesiæ Israel: omnis enim ecclesia Israel stabat.

15. Et ait Salomon: Benedictus Dominus Deus Israel, qui locutus est ore suo ad David patrem meum, & in manibus ejus perfecit, dicens:

16. A die, qua eduxi populum meum Israel de Ægypto, non elegi civitatem de universis tribubus Israel, ut ædificaretur domus, & esset nomen meum ibi: sed elegi David ut esset super populum meum Israel:

17. * Voluitque David pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israel: *2. Reg. 7. 5.

18. Et ait Dominus ad David patrem meum: Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente tractans.

19. Verumtamen tu non ædificabis mihi domum, sed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis, ipse ædificabit domum nomini meo.

20. Confirmavit Dominus sermonem suum, quem locutus est: stetique pro David patre meo, & sedi super thronum Israel, sicut locutus est Dominus, & ædificavi domum nomini Domini Dei Israel.

21. Et constitui ibi locum arcæ, in qua fœdus Domini est, quod percussit cum patribus nostris, quando egressi sunt de Terra Ægypti.

22. Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiæ Israel, & expandit manus suas in cælum,

23. Et ait: Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cælo desuper, & super terram deorsum: qui custodis pactum & misericordiam servis tuis, qui ambulabant coram te in toto corde suo.

24. Qui custodisti servo tuo David patri meo quæ locutus es ei: ore locutus es, & manibus perfecisti, ut hæc dies probat.

25. Nunc igitur Domine Deus Israel, conserva famulo tuo David patri meo quæ locutus es ei, dicens: * Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel: ita tamen si custodierint filii tui viam suam, ut ambulent coram me sicut tu ambulasti in conspectu meo. *2. Reg. 7. 12.

26. Et nunc Domine Deus Israel firmentur verba tua, quæ locutus es servo tuo David patri meo.

27. Ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram? si enim cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi?

28. Sed respice ad orationem servi tui, & ad preces ejus, Domine Deus meus: audi hymnum & orationem, quam servus tuus orat coram te hodie:

29. Ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die: super domum, de qua dixisti: * Erit nomen meum ibi: ut exaudias orationem, quam orat in loco isto ad te servus tuus. * Deut. 12. 11.

30. Ut

CAP. VIII. 2. (*a*) Hic est mensis Tisri, ac Septembri respondet: solemnis die erat festum Tabernaculorum.

4. (*b*) Utrum illud fuerit quod a Mose, an potius quod a Davide fuit constructum 2. Paralipom. 15. dubitatur.

8. (*c*) Hebr. *Et prolongaverunt vectes, ut apparerent summitates eorum foris Sanctuarium: extracti sunt, ut utrique parieti jungerentur, & eorum extremitates foris viderentur in ipso aditu oraculi non ultra. Non apparebant ultra extrinsecus*, Grot. in basilica templi non spectabantur, intercedente velo.

9. (*d*) Difficultas oritur ex cap. 9 Epist. ad Hebr. ubi dicitur in arca fuisse etiam urnam auream habentem manna, & virgam Aaron. Respondetur hec juxta arcam fuisse, non in arca, nisi forte posterioribus sæculis vel ante fabricam Templi hec erant in arca, sed cum locus factus est amplior, & stabilis, tabulæ relictæ sunt in arca, & prope arcam positæ sunt manna & virga Aaron.

10 (*e*) Ut ostenderet Dei præsentia omnem Templi magnificentiam obscurari.

30. Ut exaudias deprecationem servi tui & populi tui Israel, quodcumque oraverint in loco isto: & exaudies in loco habitaculi tui in cælo, & cum exaudieris, propitius eris.

31. Si peccaverit homo in proximum suum, & habuerit aliquod juramentum (*f*), quo teneatur astrictus; & venerit propter juramentum coram altari tuo in domum tuam,

32. Tu exaudies in cælo: & facies, & judicabis servos tuos, condemnans impium, & reddens viam suam (*g*) super caput ejus, justificansque justum, & retribuens ei secundum justitiam suam.

33. Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes nomini tuo, venerint, & oraverint, & deprecati te fuerint in domo hac;

34. Exaudi in cælo, & dimitte peccatum populi tui Israel, & reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum.

35. Si clausum fuerit cælum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco isto, pœnitentiam egerint nomini tuo, & a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam:

36. Exaudi eos in cælo, & dimitte peccata servorum tuorum, & populi tui Israel: & ostende eis viam bonam per quam ambulent, & da pluviam super terram tuam, quam dedisti populo tuo in possessionem.

37. Fames si oborta fuerit in terra, aut pestilentia, aut corruptus aer, aut ærugo, aut locusta, vel rubigo, & afflixerit eum inimicus ejus portas obsidens, omnis plaga, universa infirmitas,

38. Cuncta devoratio (*h*), & imprecatio, quæ acciderit omni homini de populo tuo Israel: si quis cognoverit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac,

39. Tu exaudies in cælo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum)

40. Ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris.

41. Insuper & alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum

42. Extentum ubique) cum venerit ergo, & oraverit in hoc loco,

43. Tu exaudies in cælo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena: ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel, & probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi.

44. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam, quocumque miseris eos, orabunt te contra viam civitatis, quam elegisti, & contra domum, quam ædificavi nomini tuo,

45. Et exaudies in cælo orationes eorum, & preces eorum, & facies judicium eorum.

46. Quod si peccaverint tibi, * (non est enim homo qui non peccet) & iratus tradideris eos inimicis suis, & captivi ducti fuerint in terram inimicorum longe vel prope, * 2. Par. 6. 16. Eccles. 7. 21. 1. Joann. 1. 8.

47. Et egerint pœnitentiam in corde suo in loco captivitatis, & conversi deprecati te fuerint in captivitate sua, dicentes: Peccavimus, inique egimus, impie gessimus:

48. Et reversi fuerint ad te in universo corde suo, & tota anima sua in terra inimicorum suorum, ad quam captivi ducti fuerint: & oraverint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & civitatis quam elegisti, & templi quod ædificavi nomini tuo:

49. Exaudies in cælo, in firmamento solii tui orationes eorum, & preces eorum, & facies judicium eorum:

50. Et propitiaberis populo tuo qui peccavit tibi, & omnibus iniquitatibus eorum, quibus prævaricati sunt in te: & dabis misericordiam coram eis, qui eos captivos habuerint, ut misereantur eis.

51. Populus enim tuus est, & hæreditas tua, quos eduxisti de Terra Ægypti, de medio fornacis ferreæ.

52. Ut sint oculi tui aperti ad deprecationem servi tui, & populi tui Israel, & exaudias eos in universis pro quibus invocaverint te.

53. Tu enim separasti eos tibi in hæreditatem de universis populis terræ, sicut locutus es per Moysen servum tuum, quando eduxisti patres nostros de Ægypto Domine Deus.

54. Factum est autem, cum complesset Salomon orans Dominum omnem orationem, & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini: utrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum.

55. Stetit ergo, & benedixit omni ecclesiæ Israel voce magna, dicens:

56. Benedictus Dominus, qui dedit requiem populo suo Israel, juxta omnia quæ locutus est: non cecidit ne unus quidem sermo ex omnibus bonis, quæ locutus est per Moysen servum suum.

57. Sit Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque projiciens.

58. Sed inclinet corda nostra ad se, ut ambulemus in universis viis ejus, & custodiamus mandata ejus, & cæremonias ejus, & judicia quæcumque mandavit patribus nostris.

59. Et sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino, appropinquantes Domino Deo nostro die ac nocte, ut faciat judicium servo suo, & populo suo Israel per singulos dies:

60. Ut sciant omnes populi terræ, quia Dominus ipse est Deus, & non est ultra absque eo.

61. Sit

31. (*f*) Ad confirmandum juramentum, vel cum jurare cogitur, quod debeat proximo. Tacto altari jurare mos erat omnium pene Gentium.

32. (*g*) Pro *ejus*; si depositi fidem & juramentum non servaverit, perfidiam illius manifestabis.

38. & 41. (*h*) Hebr. Oratio. *In loco*, id est atrio gentium, si quod fuerit, aut extra Templi septa. In loco, inquit Grotius, piis incircumcisis seposito, qui ab Israelitarum locis lorica interposita distinguebatur.

61. Sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro, ut ambulemus in decretis ejus, & custodiamus mandata ejus, sicut & hodie.

62. Igitur rex, & omnis Israel cum eo, immolabant victimas coram Domino.

63. Mactavitque (*i*) Salomon hostias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia: & dedicaverunt templum Domini rex, & filii Israel.

64. In die illa sanctificavit rex medium atrii, quod erat ante domum Domini: fecit quippe holocaustum ibi, & sacrificium, & adipem pacificorum: quoniam altare æreum, quod erat coram Domino, minus erat, & capere non poterat holocaustum, & sacrificium, & adipem pacificorum.

65. Fecit ergo Salomon in tempore illo festivitatem celebrem, & omnis Israel cum eo, multitudo magna ab introitu Emath usque ad Rivum Ægypti, coram Domino Deo nostro, septem diebus, & septem (*k*) diebus, id est, quatuordecim diebus.

66. Et in die octava dimisit populos: qui benedicentes regi, profecti sunt in tabernacula sua lætantes, & alacri corde super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus David servo suo, & Israel populo suo.

CAPUT IX.

Dominus secundo apparet Salomoni; jubet sua servari præcepta. Salomon variis civitatibus exstructis, & classe in Ophir missa, plurimum auri inde advehit.

1. FActum est autem cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini, & ædificium regis, & omne quod optaverat & voluerat facere,

* Sup. 3. 5. 2. Par. 7. 12. 2. Apparuit ei Dominus secundo (*a*) * sicut apparuerat ei in Gabaon.

3. Dixitque Dominus ad eum: Exaudivi orationem tuam & deprecationem tuam, quam deprecatus es coram me: sanctificavi domum hanc, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, & erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus.

4. Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis, & in æquitate: & feceris omnia, quæ præcepi tibi, & legitima mea & judicia mea servaveris,

* 2. Reg. 7. 12. & 16. 5. * Ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum, sicut locutus sum David patri tuo, dicens: Non auferetur vir de genere tuo de solio Israel.

6. Si autem aversione aversi fueritis vos & filii vestri, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, & cæremonias meas, quas proposui vobis, sed abieritis & colueritis deos alienos, & adoraveritis eos,

7. Auferam Israel de superficie terræ, quam dedi eis: & templum, quod sanctificavi nomini meo, projiciam a conspectu meo, eritque Israel in proverbium, & in fabulam cunctis populis.

8. Et domus hæc erit in exemplum: omnis, qui transierit per eam, stupebit, & sibilabit, & dicet: * Quare fecit Dominus sic terræ huic, * Deut. 29. 24.
& domui huic?

9. Et respondebunt: Quia dereliquerunt Do- Jer. 22. 8.
minum Deum suum, qui eduxit patres eorum de Terra Ægypti, & secuti sunt deos alienos, & adoraverunt eos, & coluerunt eos: idcirco induxit Dominus super eos omne malum hoc.

10. * Expletis autem annis viginti postquam * 2. Par. 8. 1.
ædificaverat Salomon duas domos, id est, domum Domini, & domum regis,

11. (Hiram rege Tyri præbente Salomoni ligna cedrina & abiegna, & aurum juxta omne quod opus habuerat) tunc dedit Salomon Hiram viginti (*b*) oppida in Terra Galilææ.

12. Et egressus est Hiram de Tyro, ut videret oppida, quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt ei,

13. Et ait: Hæccine sunt civitates, quas dedisti mihi, frater? Et appellavit eas Terram Chabul (*c*), usque in diem hanc.

14. Misit (*d*) quoque Hiram ad regem Salomonem centum viginti talenta auri.

15. Hæc est summa (*e*) expensarum, quam obtulit rex Salomon ad ædificandam domum Domini & domum suam, & Mello, & murum Jerusalem, & Heser, & Mageddo, & Gazer.

16. Pharao rex Ægypti ascendit, & cepit Gazer, succenditque eam igni: & Chananæum, qui habitabat in civitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ suæ uxori Salomonis.

17. Ædificavit ergo Salomon Gazer, & Bethoron inferiorem:

18. Et Baalath, & Palmiram (*f*) in Terra solitudinis.

19. Et omnes vicos, qui ad se pertinebant, & erant absque muro, munivit, & civitates curruum & civitates equitum, & quodcumque ei placuit, ut ædificaret in Jerusalem, & in Libano, & in omni Terra potestatis suæ.

20. Universum populum, qui remanserant de Amorrhæis, & Hethæis, & Pherezæis, & Hevæis, & Jebusæis, qui non sunt de filiis Israel:

21. Horum filios, qui remanserant in terra, quos scilicet non potuerant filii Israel exterminare: fecit Salomon tributarios, usque in diem hanc.

22. De

63. & 64. (*i*) Sacerdotum ministerio, idque spatio septem dierum. *Sanctificavit*: dum cœpit offerre hostias.

65. (*k*) Nempe septem ob dedicationem Templi, & totidem ob festum Tabernaculorum, octavo die hujus mensis, nempe die 23. Salomon dimisit populum: Nam festum incipiebat die 15. mensis septimi.

CAP. IX. 2. (*a*) Post ædificia constructa: anno 23. aut 24. Salomonis; cum esset ruinæ proximus. Exteriora quæque Deo non placent, nisi sint cum interiore cultu conjuncta. *Colitur autem Deus*, ut ait Augustin. in Enchir. *fide, spe, & caritate. Ubi istæ desunt, quidquid exterius agitur in sacrificiis & orationibus inutile est, & mimicis gesticulationibus simile, magisque ad iram provocatur Deus, quam commovetur ad misericordiam.*

11. (*b*) Quibus & Templum & domum suam ædificavit. Viginti oppida bello capta.

13. (*c*) Id est, Lutosam & arenosam, vel non placentem, lingua Phœnicum ex Josepho.

14. (*d*) Jam prius miserat ante opus regium absolutum.

15. (*e*) Vox Hebræa *Devar*, דבר, *caussam* quoque & *rationem* significat; vel forte *Zè devar hammas*, וזה דבר־המס, *ea est ratio tributi*, quod Chananæis imposuit, ut postea dicitur, ut ædificaret quæ commemorat. *Quam obtulit Rex Salomon*, Hebr. exegit.

18. (*f*) Hebr. *Thamor*, & *Thadmor*: Josephus Lib. 8. ait Thadamorem a Græcis Palmiram dici: Odenathus Zenobiæ conjux erat Palmiranus: urbs est Euphrati vicina.

22. De filiis autem Israel non constituit Salomon servire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri ejus, & principes, & duces, & præfecti curruum, & equorum.

23. Erant autem principes super omnia opera Salomonis præpositi quingenti quinquaginta, qui habebant subjectum populum, & statutis operibus imperabant.

* 2 Par. 8. 11. 24. * Filia autem Pharaonis ascendit de civitate David in domum suam, quam ædificaverat ei Salomon: tunc ædificavit Mello.

25. Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos singulos holocausta, & pacificas victimas, super altare quod ædificaverat Domino, & adolebat thymiama coram Domino: perfectumque est templum.

26. Classem (g) quoque fecit rex Salomon in Asiongaber, quæ est juxta Ailath in littore Maris rubri, in Terra Idumææ,

27. Misit-

26. (g) Lib. 2. Paral. cap. 8. v. 17. eadem pene legimus. *Tunc abiit Rex Salomon in Asiongaber & in Ailath ad oram maris rubri, quæ est in terra Edom. Misit autem ei Hiram per manus servorum suorum naves, & nautas gnaros maris, & abierunt cum servis Salomonis in Ophir, tuleruntque quadringenta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad Regem Salomonem.* Quæritur in primis quæ sit regio illa Ophir, cujus bis in locis fit mentio, & quo itinere naves Regis Hiram a mari Mediterraneo ad mare rubrum transmitti potuerint. Locus est perdifficilis, quem Illustriss. Huetius olim Episcopus Abrincensis illustravit in commentariis suis nuper editis de navigationibus Salomonis. Ac primo quidem de situ Asiongaber & Ailath portuum ne docet sacri codicis textus utrumque portum in Idumæa exstare; ac tum inde nos admonet [illegible] mare rubrum gemino velut cornu itidem ut Adriaticum tendere hinc in ortum, inde in occasum. Hoc ab Israelitis Pharaonis tyrannidem fugientibus transmissum, illud [illegible] Arabiæ montibus continetur. Huic adjacent Asiongaber & Ailath portus non valde dissiti, quorum ille occasum, hic ortum spectat, ac geminus ille portus Idumææ est adscribendus, qui ad utrumque maris rubri cornu exstat. Cum autem David Idumæam subegisset, tria millia talentorum auri de auro Ophir se collegisse in thesauris suis Lib. 1. Paral. 29. 4. commemorat: adeo ut tunc temporis illius videatur portus maris rubri ad longinquas navigationes: vel certe Phœnices hæc commercia Davidis temporibus exercebant, qui peregrinum hoc aurum ad finitimam Hebræorum regionem per mercatores transmittebant: neque adeo id mirum videri debet, si Salomon Asiongabere naves compegerit. Quin etiam ut Hieronymus Epist. 127. testatur, in hujus urbis vicinia silvæ sunt ampliæ, & ligna navibus ædificandis idonea. Usus est hac in re Salomon Phœnicum industria, qui rei nauticæ gnari non Mediterraneum modo, sed etiam Erythræum mare frequentabant, atque operam suam aliis nationibus, ut Ægyptiis, vendebant, ut ait Herodoto Lib. 4. cap. 42. Verum difficultatem afferunt verba, quæ ex Lib. 2. Paral. capit. 8. protulimus: *Misit autem ei Hiram per manus servorum suorum naves & nautas gnaros maris.* An tunc naves Hirami non Asiongaberem, sed longe appulerant, ubi exposuerunt nautas cum nautico apparatu, quos Salomon terrestri itinere una cum suis transmisit Asiongaberem? Id sane magna probabilitate diceretur, nisi obstaret textus facri mox allatus, uti & alter ex Lib. 3. Regum cap. 10. vers. 11. *Sed & classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, & gemmas pretiosas.* Et vers. 22. *Classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis.* Quamobrem non Salomonis solum, sed & Hirami classes simul profectæ Ophiram & Tharsis una quoque remeabant. Hunc nodum variis solvi posse modis docet Vir Illustriss. seu naves Tyriæ postquam ad littus Ægyptium appulerunt, dissolutæ fuerint in partes, & ad mare Erythræum deportatæ, tum in pristinam compagem restitutæ, quod a Sultanis Ægyptiorum factum legimus: seu naves ex Mediterraneo mari in Erythræum qua angustissimum est spatium, transvectæ fuerint, uti factum fuit a Cleopatra post pugnam Actiacam. Sed his mittis conjecturis, facilior via navium Phœnicum transmissioni patet per alveum, quo ante Salomonem mare Mediterraneum cum rubro commissum fuisse admodum probabile est. Nam gens commodi [illegible] assueta, jam longe ante Nili & Arabici sinus conjunctionem aggressa est. Hanc fossam Sesostri Ægyptiorum regi tribuit Strabo Lib. 1. cap. 17. Verum is extractam illam fossam pene obstructam repurgavit tantummodo & depressit. Nam [illegible] qui Setac, quique Roboami ætate imperavit. Strabo Lib. 2. ætate sua eam fossam patuisse mercatoribus Alexandrinis ex Nilo in sinum Arabicum tollatur. Quod de minoribus navigiis saltem transvehendis intelligi debet. Hæc canalis identidem fuit repurgatus a Trajano in primis & Califis Ægypti. Ex quibus liquet, Hirami naves Tyro Asiongaberem non ægre pervenire potuisse; cumque hæc fierent in gratiam Salomonis, Pharao Rex Ægypti ejus socer transitum illi ultro concessit. Nunc secundo loco inquirendum videtur, quæ sit illa regio variis in Scripturæ locis Ophir dicta. At ne tempus teram in referendis, ac refellendis diversis interpretum opinionibus, sic censet vir doctissimus, Ophiram dictam esse Orientalem Africæ oram, sit tamen ut regiuncula ad ea[ndem] latitudinem australem, quæ Sophala appellatur, præ ceteris commerciis frequentata, proprio nomine Ophir dicta fuerit: quemadmodum Asiæ nomen commune est maximæ orbis parti, quæ ortum spectat, & Asiæ minori, ut Africæ nomen meridianæ orbis parti, & Africæ proprie dictæ tribuitur. Sic Tharsis occidentale Africæ & Hispaniæ latus & privatim loca Bætis ostiis proxima significat. Multis recentiorum suam argumentis confirmat: primum ab affinitate nominum ducitur. Hebraicum enim Ophir, אופיר, LXX. Interpretes reddunt Sophir; Josephus Sophira. Illud vero notum est, non Græcis modo, sed & alias gentes litteram S, nominibus sæpe præfigere: cujus rei multa profert exempla. Sic Indi Sindi, Merdis, Smerdis: Aphan Arabiæ oppidum, Plinio Saphan dicitur. Stephanus de urbibus Lyciæ, eam dictam fuisse Ophirizam docet: sic enim legendum est, non Ophiuzam. 2. Orientalis ora Africæ auri ferax est, sed Sophala præ ceteris, ut historici & peregrinatores testantur. Hinc Indi, Persæ, Arabes, Lusitani auro ecdibant onusti. Ibi vetustissima exstant ædificia ex ingentibus lapidibus, cujusmodi ædium Salomonis extructioni sunt adhibiti, unum Deum venerantur, profanorum simulacrorum cultum aversantur. Accedit navigationem facilem fuisse hominibus adhuc rudibus, & littora tantum legentibus, quæ nullis anfractibus aut sinibus sunt interrupta. Neque adeo procul ab Arabico sinu distita erat Sophala, cum eo crebræ essent Salomonis navigationes. Multo difficilior, & majoribus periculis magis obnoxia erat navigatio in Indiam, seu in Auream Chersonesum, ubi Josephus, & Hieronymus Ophiram collocant. Testatur Strabo Lib. 16. c. 17. ante suam ætatem vix navigia extra fauces Arabici sinus ausa esse prodire. Negant quoque viri docti Chersonesum illam Indicam olim auream fuisse, aut nunc esse. Idem Vir Illustriss. existimat quædam loca in sacris codicibus celebrata, Paz, Uphaz & Parvaim, ipsam esse Ophir, quod probat ex nominum origine. Deinde Chaldæus interpres vocem Uphaz Jeremiæ 10. 9. Ophir interpretatur. Sic Hieron. in Isaiæ cap. 13. 12. Paz, vult esse generale nomen auri, Ophir vero aurum esse Obryzum, adeo ut hæc non aliter differant quam genus a specie, & aurum Ophirinum sit quædam auri Paz species. Et quidem Bochartus in Phaleg. Lib. 2. c. 27. Paz, & Uphaz, sive Ophaz nominari Ophir, & Ophir idem esse ac Parvaim recte existimat: sed in hoc aberrat a vero, quod censeat Ophir insulam Indiæ, quæ Taprobane a veteribus dicitur, nunc forte Zeilan esse: nam ipse fatetur nec Taprobanem, nec Indiam Hebræis cognitam fuisse Jobi temporibus. Et tamen Job 28. 17. aperta fit mentio Paz, ubi vulgatus Interpres habet, *Non adæquabitur ei aurum*, & Vatablus vertit *aurum Ophir*. Et quidem sacri codices eam navigationem Salomonis non præteriissent, si aliæ fuissent illæ regiones, quam Ophir & Tharsis. Ac de Ophir quidem regione diximus, quæ latius sumpta oram Africæ orientalem complectitur, strictiore significatu Sophalam auro præ ceteris divitem. Sic Tharsis ex viro doctissimo oram Africæ & Hispaniæ occidentalem, proprie loca Herculis freto viciniora significat. Quod utique probat auctoritate veterum & recentiorum. Josephus Lib. 8. Antiqu. capit. 2. ex Tharsi advehi mancipia Æthiopica scribit; Jonathan Chaldæus Interpres Tharsis reddit *Africam*. Occidentales oras frequentatas a Phœnicibus ex Strabone discimus, qui Lib. 17. trecentas urbes in littore Lybico ab iis fuisse conditas tradit. Idem Lib. 1. capit. 42. adversus Eratosthenem probat exemplis Phœnicum longiores a priscis hominibus navigationes fuisse susceptas, quam ab iis quos sequior ætas tulit, quod freto Gaditano egressi Africæ oram conditis urbibus frequentarint. Quin & Herodotus Lib. 4. cap. 42. refert a Necho Ægypti Rege ad obeundam Lybiam per mare rubrum ad Herculis columnas Phœnices missos; ac trium annorum eam fuisse navigationem, cum e mari rubro solvissent. Quæ navigatio simillima est navigationi Salomonis, sive nautas spectes, per quos res gesta est, sive loca ex quibus, per quæ, & ad quæ suscepta est iter. Cornelius Nepos, referente Pomponio Mela Lib. 3. c. 9. tradit Eudoxum qui Ptolemæum Lathyrum Ægypti Regem fugiebat, obiisse Africam ab Arabico sinu ad Gades usque. Plinius Lib. 2. cap. 67. multa in hanc rem exempla profert, quibus circumitam esse navigationibus Africam conficit. Solinus cap. 56. Oceanum omnem ab India ad Gades Juba auctore docet esse navigabilem. Nec difficilis admodum ea fuit navigatio, cum a conspectu terræ vix discedendum esset. Merces omnes quas ex Tharsis adductas notant sacri codices, vel in Hispania, vel in Africa reperiuntur, auri & argenti in primis copia; de qua sic habet textus sacer Lib. 3. Reg. 10. 21. 22. *Non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis: quia classis Regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum & argentum, & dentes Elephantorum, & simias, & pavos.* Et quidem de argenti & auri venis in Hispania copiosis

27. Misitque Hiram in classe illa servos suos viros nauticos & gnaros maris, cum servis Salomonis.

28. Qui cum venissent in Ophir (*b*), sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum, detulerunt ad regem Salomonem.

C A P U T X.

Regina Saba venit ad Salomonem: illius admirata sapientiam, datis acceptisque muneribus redit in patriam. Aurum Salomon ex Ophir, tributa e variis regionibus accipit: pretiosa ejus supellex, & omnium rerum abundantia.

*2. Par. 9. 1. Matth. 12. 42. Luc. 11. 31. — 1. SEd * & regina Saba, audita fama Salomonis in nomine (*a*) Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.

2. Et ingressa Jerusalem multo cum comitatu, & divitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas, venit ad regem Salomonem, & locuta est ei universa quæ habebat in corde suo.

3. Et docuit eam Salomon omnia verba, quæ proposuerat: non fuit sermo, qui regem posset latere, & non responderet ei.

4. Videns autem regina Saba omnem sapientiam Salomonis, & domum, quam ædificaverat,

5. Et cibos mensæ ejus, & habitacula servorum, & ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, & holocausta, quæ offerebat in domo Domini: non habebat ultra spiritum.

6. Dixitque ad regem: Verus est sermo, quem audivi in terra mea

7. Super

piosis Auctores tum sacri Lib. 1. Machab. 8. tum profani, ut Aristoteles, aut quisquis alius Lib. de mirab. scripsere. Dentes Elephantorum non Hispania quidem, sed Africa suppeditat: adeo ut ex hoc ipso manifestum fit Tharsis non sola Hispania contineri. Quod autem vocem תוכיים Tukkiim, Vulgatus Interpres pavones reddiderit, longe est probabilius Huetius censet, non pavones, qui Alexandri ætate erant fere ignoti, sed psittacos designari, quod multis confirmat argumentis. Inter merces quæ e Tharsis asportabantur, merito recensetur *Tharsis* gemma, quæ pectorali Pontificis adnectebatur Exod. 28. 20. quæque a natalium suorum loco nomen habuit, ut *Smaragdus* a *Smarad*, *Magnes* a *Magnesia*; *Tharsis* autem est chrysolithus ex constanti veterum sententia. Chrysolithos proferebat Æthiopia & Hispania, ex Plinio Lib. 37. cap. 9. Ex Ophir quidem aurum in primis advehebatur, & ejus potissimum caussa susceptæ sunt eæ navigationes, adeo ut Hieronymus Epist. 40. aurum *obryzum*, seu purum & sincerum, quasi *Ophirisum* sic dictum putet. Nec minor fuit ubertas auri in littore occidentali Africæ, præsertim in regionibus Gambeæ, & Guineæ: aurum illud in pulverem comminutum hodie distrahitur. Et quidem in iis regionibus non obscura sunt Judaicæ Religionis vestigia: nisi forte, ut satis est probabile, superstitio Mahumetana eo pervenerit. Auctor sacer Librorum Regum Lib. 3. 9. 28. de prima navigatione Tyriorum & Israelitarum in Ophir hæc habet: *Qui cum venissent in Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad regem Salomonem.* Auctor vero Paral. Lib. 2. 8. 18. quadringenta & quinquaginta talenta numerat. Dissensionem ortam putat Huetius ex similitudine literarum Hebraicarum Caph כ & Nun נ: quarum illa viginti, hæc quinquaginta significat. Notum est, inquit, iis qui in librorum tractatione versati sunt, nullibi peccari frequentius a librariis, quam in exprimendis numerorum notis. Hinc tot repugnantiæ in temporum locorumque descriptionibus. Sexcenta autem ac sexaginta sex talenta, quæ deinde commemorantur ab iisdem sacris scriptoribus, non Ophiris proventum seorsum spectant, sed omnes reditus Salomonis. Auctor Lib. 3. Regum cap. 10. de aliis mercibus advectis ex Ophir, sic loquitur vers. 11. *Sed & classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna Thyina* Hebraice אלמגים *Almugim, multa nimis, & gemmas pretiosas*: At Paral. Lib. 2. cap. 2. v. 8. legimt אלגמים *Algumim* transpositis litteris, quod Hebræis frequens esse testatur R. Kimchi hoc in loco. Quod Hebræi *Almugim* appellatione, Æthiopes forte, unde hæc lignorum proveniebat, *Algumim* dixerunt: erant hujus nominis ligna in Libano ex Lib. 2. Paral. 2. 8. ejusdem quidem generis, sed diversæ speciei: eum præstantiora longe essent, quæ ex Ophir sunt allata. Ex cap. 10. Lib. 3. Regum, & 2. Paral. 9. liquet totius triennii spatio unicum fuisse appulsum navium ex Tharsis redeuntium. Quia classis Tharsis semel erat in mari cum classe Hiram, semel tribus annis veniebat classis Tharsis. Quum igitur naves in Tharsis euntes Ophiram appellerent, ac prætervectæ longius tenderent, multæ tamen mercibus Ophiranis onustæ Asiongaberem revertebantur, idque fiebat quot annis: at semel tantum per triennium Tharsis adibat classis, idque confirmatur ex verbis, quibus parata a Josaphat navigatio Lib. 3. Reg. cap. 22. 49. describitur. Ita enim in textu Hebraico legitur: *Josaphat fecit naves Tharsis, ut irent in Ophir auri gratia: & non ivit, quia confractæ sunt in Asiongaber.* Naves scilicet quæ Tharsis destinatæ erant, Ophir uno eodemque cursu erant adituræ, nisi intervenisset calamitas. Quamobrem falluntur qui Tharsis [illegible] intra fines unius Bœticæ. Nam quæ e Tharsis [illegible] colligi asportari traduntur merces, in Bœtica non reperiuntur. Ac [illegible] id, quidem probari potest, Carthaginem, aut Tharsum Ciliciæ, aut mare ipsum, aut quamdam Indiæ insulam, *Tharsis* nomine designari: non enim in mari rubro fabricandæ erant naves, quæ Carthaginem, aut littus Mediterranei maris obirent. Isaias Tyrum appellat filiam *Tharsis* cap. 23. quod propter Africanas opes decresceret: nec credibile est filiam Carthaginis Tyrum dictam esse, quæ mater erat ipsius Carthaginis. Sic loco citato Isaiæ cap. 23. in Hebræo textu legitur: *Ululate naves Tharsis*, Lib. 3. Reg. 22. Vox תרשיש *Tharsis* in exemplari Hebræo occurrit, ubi mox dictum fuit. Et Jonæ cap. 1. vers. 3. *Surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis, & descendit in Joppen, & invenit navem euntem in Tharsis*: naves Tharsis appellantur, quæ regionem Tharsis erant adituræ; ac navis quam conscendit Jonas euntem in Tharsis, non in mare, sed per mare in regionem Tharsis itura erat: nec nautæ Joppenses Indiam cogitabant. Quæ Lib. 3. Regum 22. naves Tharsis dicuntur, 2. Paral. 20. 35. naves ituræ Tharsis designantur. Quæ adversus hanc sententiam opponi possunt, diluit vir Illustriss. primum non esse credibile navigando circumitam esse Africam, & superatum esse promontorium Bonæ Spei, cum ante ducentos annos ignoti essent Africæ fines. Verum huic objectioni occurrit, variam pro temporibus fuisse navigationem, ac merito a Strabone Lib. 1. id annotatum, longiora itinera terra marique priscis temporibus fuisse suscepta, quam suis, & Lib. 2. docet Ptolemæis imperium tenentibus, paucas omnino naves ausas esse extra fauces Arabici sinus prodire; sua vero ætate ingentes classes in Indiam & Æthiopiam transmittere esse solitas, adeo ut inde pretiosas merces in Ægyptum referrent: rei quippe nauticæ parum studebant Macedones. Postquam Tyrus ab Alexandro excisa est, ac dominatæ Syria & India, unde advehebantur merces Orientis, pristina commercia non turbata modo fuisse docet, sed etiam fere pessumdata. Tum vero navigationes Tyriorum circa Africæ littora desierunt. At, inquiunt, illa inter veteres pervulgata fuit opinio, ultra columnas Herculis nullam esse navigandi facultatem. Respondetur, ab antiquo ævo pervium fuisse navibus Oceanum, idque constare ex Hannonis & Himilconis periplis, qui Gades prætergressi longe evecti sunt in Oceanum. Quam brevissime potuimus ex commentariis illustrissimi Præsulis ista excerpere, & iisdem pene verbis uti voluimus, quod illa dissertatio tam præclara in paucorum sit manibus, & multa Scripturæ loca admodum obscura non mediocriter illustret.

28. (*b*) Sunt qui putent esse insulam *Sumatram*, alii *Malaca*, sumptum inde aurum 420. talentorum. Mariana ex Hebræo quodam refert talentum fuisse 300. siclorum, decimam partem talenti Mosaici, idque confirmat ex Josepho Lib. 7. cap. 1. centum millia talentorum, & millies millia argenti, quæ David reliquit in thesauris suis, ponit 10000. talenta auri & argenti, ad Mosaica talenta cuncta respiciens, quæ decies majora erant. Sed de iis supra diximus.

1. (*a*) Hoc est, cum audisset ea quæ faciebat in nomine Domini, ad gloriam Domini: aut venit in nomine Domini quem adorabat. *Saba* erat regio in Arabia Felice ad Austrum Judeæ posita: unde & Christus Dominus Reginam Austri eam appellat. Quæ regio aromatibus abundat, non item Æthiopia proprie dicta. Vox *Saba* Arabiam designat; ex ea regione videntur Magi munera ad Christum detulisse. Sic Job cap. 6. & Isaias cap. 60. cum Sabæ meminerunt, eam cum Arabia conjungunt, aut cum locis Arabiæ vicinis: Job cum Themar consociat. Quin & Sabæi, qui illius armenta prædati sunt, e vicina venerunt Arabia. Isaias Saba cum Madian & Epha conjungit. Quod autem Lucæ 11. Regina a finibus terræ venisse dicitur, nemini ignotum est regiones procul dissitas, & eas præsertim, quæ mari terminantur, in Scripturis ultimos terræ fines identidem appellari. Existimat Grotius Reginam fuisse Meroes, in qua multis sæculis feminæ imperarunt assumpto Candacis nomine, ut Strabo docet Lib. 16. & Plinius Lib. 6. c. 29. sub illius regno erant *Sabææ*. *In nomine Domini*, LXX. Interpretes pro copula, *&*, id sumpserunt, ita ut is sit sensus, Audita fama Salomonis, & Dei quem colebat. CAP. X.

7. Super sermonibus (*b*) tuis, & super sapientia tua: & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probavi quod media pars mihi nuntiata non fuerit: major est sapientia & opera tua, quam rumor, quem audivi.

8. Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.

9. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israel, eo quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum, & constituit te regem, ut faceres judicium & justitiam (*c*).

10. Dedit ergo regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas: non sunt allata ultra aromata tam multa, quam ea quæ dedit regina Saba regi Salomoni.

* 2. Par. 9. 10. 11. (Sed & * classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina (*d*) multa nimis, & gemmas pretiosas.

12. Fecitque rex de lignis thyinis fulcra (*e*) domus Domini, & domus regiæ, & citharas, lyrasque cantoribus: non sunt allata hujuscemodi ligna thyina, neque visa usque in præsentem diem.)

13. Rex autem Salomon dedit reginæ Saba omnia quæ voluit, & petivit ab eo: exceptis his, quæ ultro obtulerat ei munere regio. Quæ reversa est, & abiit in terram suam cum servis suis.

14. Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos, sexcentorum (*f*) sexaginta sex talentorum auri:

15. Excepto eo, quod afferebant viri, qui super vectigalia erant, & negotiatores, universique scuta vendentes, & omnes reges Arabiæ, ducesque terræ.

16. Fecit quoque rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo (*g*), sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti unius.

17. Et trecentas peltas ex auro probato (*h*): trecentæ minæ auri unam peltam vestiebant: posuitque eas rex in domo saltus Libani.

18. Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem: & vestivit eum auro fulvo nimis,

19. Qui habebat sex gradus: & summitas throni rotunda erat in parte posteriori: & duæ manus (*i*) hinc atque inde tenentes sedile: & duo leones stabant juxta manus singulas.

20. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde: non est factum tale opus in universis regnis.

21. Sed & omnia vasa, quibus potabat rex Salomon, erant aurea: & universa supellex domus saltus Libani de auro purissimo: non erat argentum (*k*), nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis,

22. Quia classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & simias, & pavos.

23. Magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terræ, divitiis & sapientia.

24. Et universa terra desiderabat vultum Salomonis, ut audiret sapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus.

25. Et singuli deferebant ei munera, vasa argentea & aurea, vestes & arma bellica, aromata quoque, & equos & mulos per annos singulos.

26. * Congregavitque Salomon currus & equites (*l*), & facti sunt ei mille quadringenti cur- * 2. Par. 1. 14.
rus, & duodecim millia equitum: & disposuit eos per civitates munitas, & cum rege in Jerusalem.

27. Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum: & cedrorum præbuit multitudinem, quasi sycomoros, quæ nascuntur in campestribus.

28. Et educebantur equi Salomoni de Ægypto, & de Coa (*m*). Negotiatores enim regis emebant de Coa, & statuto pretio perducebant.

29. Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti, & equus centum quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti reges Hethæorum & Syriæ equos venumdabant.

CAPUT XI.

Salomoni jam senescenti & ad idolorum cultum misere devoluto iratus Dominus adversarios excitat. Moritur post 40. regni annos.

1. Rex autem Salomon * adamavit mulieres * Deut. 17. 17.
alienigenas multas, filiam quoque Pha- Eccli. 47.
raonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idu- 21.
mæas, & Sidonias, & Hethæas:

2. De gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel: * Non ingrediemini ad eas, * Exod. 34. 16.
neque de illis ingredientur ad vestras: certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore.

3. Fueruntque ei uxores quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ: & averterunt mulieres cor ejus.

4. Cum-

7. (*b*) Aut rebus, aut sermonibus: nam vox Hebræa Devarim, דברים, utrumque significat. Ut Salomonem Christum, sic Regina Saba Ecclesiam adumbrabat. Paulinus Ep. 9. *Habens non legem litteræ, sed fidem legis in tabulis cordis. Barbara natione, non animo, & in aperto peregrina, sed in occulto Judæa currebat, ut lumen scientiæ qua carebat, hauriret; Sanctorum fieri civis optabat, & Christum in Salomone mirata, verum Regina cælestis officium in imagine mystica Ecclesiæ impleverat.*

9. (*c*) Justitia pro misericordia sumitur aliquando.

11. (*d*) Quæ illa fuerint, jam diximus: nonnulli *hebenum*, aut lignum ad suffitus usurpatum exponunt; vox enim Græca Θύϊνα, suffitum designat, a Θύω, suffio.

12. (*e*) Ligna quæ ex utraque parte graduum ponuntur instar loricæ, Gall. vulgo *parapet*.

14. (*f*) Tantumdem e tributis ad eum redibat.

16. (*g*) Hebr. De auro extenso in laminas: *scuti unius*; uniuscujusque scuti.

17. (*h*) Hebr. *Extenso: trecentæ minæ auri*; Hebr. tres minæ auri: pelta est scuti brevioris genus.

19. & 21. (*i*) Brachia, aut fulchra. *Argentum*, in iis vasis ad potandum destinatis.

22. (*k*) Seu ad mare. Longinqua erat navigatio, quia spatio trium annorum fiebat. *Per tres annos*: alii legunt, tertio quoque anno.

26. & 27. (*l*) Seu in mari rubro, quo itur in Tharsis. *Abundantia*; est hyperbole.

28. & 29. (*m*) Quæ illa fuerit regio ignoratur, non procul ab Ægypto, aut Syria. *Egrediebatur*, id est, emebatur.

4. Cumque jam esset senex (*a*), depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus.

5. Sed colebat Salomon Astarthen deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum.

6. Fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino, & non adimplevit ut sequeretur Dominum, sicut David pater ejus.

7. Tunc ædificavit Salomon fanum, Chamos idolo Moab, in monte qui est contra Jerusalem, & Moloch idolo filiorum Ammon.

8. Atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis, quæ adolebant thura, & immolabant diis suis.

9. Igitur iratus est Dominus Salomoni, quod aversa esset mens ejus a Domino Deo Israel,
* Sup. 9. 2. qui * apparuerat ei secundo (*b*),

10. Et præceperat de verbo hoc ne sequeretur deos alienos, & non custodivit quæ mandavit ei Dominus.

11. Dixit itaque Dominus Salomoni: Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandavi tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo.

* Infr. 12. 15. 12. * Verumtamen in diebus tuis non faciam, propter David patrem tuum: de manu filii tui scindam illud,

13. Nec totum regnum auferam, sed tribum unam (*c*) dabo filio tuo, propter David servum meum, & Jerusalem quam elegi.

14. Suscitavit autem Dominus adversarium Salomoni, Adad Idumæum de semine regio, qui erat in Edom.

* 2. Reg. 8. 14. 15. * Cum enim esset David in Idumæa, & ascendisset Joab princeps militiæ ad sepeliendum eos, qui fuerant interfecti, & occidisset omne masculinum in Idumæa,

16. (Sex enim mensibus ibi moratus est Joab, & omnis Israel, donec interimeret omne masculinum in Idumæa)

17. Fugit Adad ipse, & viri Idumæi de servis patris ejus cum eo, ut ingrederetur Ægyptum: erat autem Adad puer parvulus.

18. Cumque surrexissent de Madian, venerunt in Pharan, tuleruntque secum viros de Pharan, & introierunt Ægyptum ad Pharaonem regem Ægypti: qui dedit ei domum, & cibos constituit, & terram delegavit.

19. Et invenit Adad gratiam coram Pharaone valde, in tantum ut daret ei uxorem, sororem uxoris suæ germanam Taphnes reginæ.

20. Genuitque ei soror Taphnes Genubath filium, & nutrivit eum Taphnes in domo Pharaonis: eratque Genubath habitans apud Pharaonem cum filiis ejus.

21. Cumque audisset Adad in Ægypto, dormisse David cum patribus suis, & mortuum esse Joab principem militiæ, dixit Pharaoni: Dimitte me, ut vadam in terram meam.

22. Dixitque ei Pharao: Qua enim re apud me indiges, ut quæras ire ad terram tuam? At ille respondit: Nulla: sed obsecro te ut dimittas me.

23. Suscitavit quoque ei Deus adversarium Razon filium Eliada, qui fugerat Adarezer regem Soba dominum suum:

24. Et congregavit contra eum viros, & factus est princeps latronum (*d*) cum interficeret eos David: abieruntque Damascum, & habitaverunt ibi, & constituerunt eum regem in Damasco,

25. Eratque adversarius Israeli cunctis diebus Salomonis: & hoc est malum Adad, & odium contra Israel, regnavitque in Syria.

26. * Jeroboam quoque filius Nabath, Ephrathæus, de Sareda, servus Salomonis, cujus mater erat nomine Sarua, mulier vidua: levavit manum contra regem. * 2. Par. 13. 6.

27. Et hæc est causa rebellionis adversus eum, quia Salomon ædificavit Mello (*e*), & coæquavit voraginem civitatis David patris sui.

28. Erat autem Jeroboam vir fortis & potens: vidensque Salomon adolescentem bonæ indolis & industrium, constituerat eum præfectum super tributa universæ domus Joseph.

29. * Factum est igitur in tempore illo, ut Jeroboam egrederetur de Jerusalem, & inveniret eum Ahias Silonites propheta in via, opertus pallio novo: erant autem duo tantum in agro. * 2. Par. 10. 15.

30. Apprehendensque Ahias pallium suum novum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes.

31. Et ait ad Jeroboam: Tolle tibi decem scissuras: hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.

32. Porro una tribus (*f*) remanebit ei propter servum meum David, & Jerusalem civitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Israel.

33. Eo quod dereliquerit me, & adoraverit Astarthen deam Sidoniorum, & Chamos deum Moab, & Moloch deum filiorum Ammon: & non ambulaverit in viis meis, ut faceret justitiam coram me, & præcepta mea, & judicia sicut David pater ejus.

34. Nec auferam omne regnum de manu ejus, sed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ suæ, propter David servum meum, quem elegi, qui custodivit mandata mea & præcepta mea.

35. Au-

CAP. XI. 4. (*a*) Annorum circiter 52. *Depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos*: his templa exstruxit, eos coluit, cultum exteriorem iis exhibuit, ut mulieribus obsequeretur, aut certe permisit, ut mulieres fana construerent. In Davide peccatum non fuit permanens ut in Salomone. *At vero*, inquit August. *in ejus filio Salomone non quasi hospes transitum habuit, sed regnum ista libido possedit: cujus initia desiderio sapientiæ flagraverant, quam cum amore spiritali adeptus esset, amore carnali amisit*. Et Greg. in Pastor. p. 3. *Concessa sapientia funditus cor deseruit, quod nulla vel minima tribulationis disciplina custodivit*.

9. & 11. (*b*) Sept. Interpret. *Bis*: nunc tertio. *Habuisti*: quia peccatum istud inventum est apud te.

13. (*c*) Tribus Benjamin cum tribu Juda confusa pro una & eadem reputatur.

24. & 25. (*d*) Hebr. *Agminis*, seu exercitus. *Malum*, Hebr. *Et malum*, id est, hoc incommodum accessit ad prius. *Et odium contra Israel*: Hebr. *Affixus Israelem*: Razon videlicet. Adad cum esset juvenis, cædem a Joab in Idumæa factam effugerat, primus adversus Salomonem insurgit.

27. (*e*) Mello ex Hieronymo erat publica Jerosolymis area, & pars profundior vallis monti Sion subjectæ, quæ publico erepta est, & variis ædificiis constructa, atque populo, deinde Jeroboam rebellionis occasio fuit, & initium rebellionis. Cum enim urbem mœnibus cingeret, & cuncta quæ sub Davide hiabant loca obstrueret, in ad opus tributum indixit populo, cui cogendo præfecit Jeroboam.

32. (*f*) Tribus Juda cum tribu Benjamin una dicitur, quia permistæ erant duæ tribus.

35. Auferam autem regnum de manu filii ejus, & dabo tibi decem tribus:

36. Filio autem ejus dabo tribum unam, ut remaneat lucerna (*g*) David servo meo cunctis diebus coram me in Jerusalem civitate, quam elegi ut esset nomen meum ibi.

37. Te autem assumam, & regnabis super omnia, quæ desiderat anima tua, erisque rex super Israel.

38. Si igitur audieris omnia, quæ præcepero tibi, & ambulaveris in viis meis, & feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata mea & præcepta mea, sicut fecit David servus meus: ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavi David domum, & tradam tibi Israel:

39. Et affligam semen David super hoc, verumtamen non cunctis diebus.

40. Voluit ergo Salomon interficere Jeroboam: qui surrexit, & aufugit in Ægyptum ad Sesac regem Ægypti, & fuit in Ægypto usque ad mortem Salomonis.

41. Reliquum autem verborum (*h*) Salomonis, & omnia quæ fecit, & sapientia ejus: ecce universa scripta sunt in Libro verborum dierum Salomonis.

42. Dies autem, quos regnavit Salomon in Jerusalem super omnem Israel, quadraginta anni sunt.

43. Dormivitque Salomon cum patribus suis, & sepultus est in civitate David patris sui, regnavitque Roboam filius ejus pro eo.

CAPUT XII.

Roboam filius & successor Salomonis imprudenter respondet populo convocato, secutus consilium juvenum: propterea decem Tribus a domo David recedunt, & Jeroboam regem constituunt, qui vitulos aureos erigit, & colit.

2 Par. 10. 1. 1. VEnit autem Roboam in Sichem (*a*): illuc enim congregatus erat omnis Israel ad constituendum eum regem.

2. At vero Jeroboam filius Nabath, cum adhuc esset in Ægypto profugus a facie regis Salomonis, audita morte ejus, reversus est de Ægypto.

3. Miseruntque & vocaverunt eum: venit ergo Jeroboam, & omnis multitudo Israel, & locuti sunt ad Roboam dicentes:

4. Pater tuus durissimum jugum imposuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & de jugo gravissimo, quod imposuit nobis, & serviemus tibi.

5. Qui ait eis: Ite usque ad tertium diem, & revertimini ad me. Cumque abiisset populus,

6. Iniit consilium rex Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salomone patre ejus, cum adhuc viveret, & ait: Quod datis mihi consilium, ut respondeam populo huic?

7. Qui dixerunt ei: Si hodie obedieris populo huic, & servieris, & petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi servi cunctis diebus.

8. Qui dereliquit consilium senum, quod dederant ei, & adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant illi,

9. Dixitque ad eos: Quod mihi datis consilium, ut respondeam populo huic, qui dixerunt mihi: Levius fac jugum quod imposuit pater tuus super nos?

10. Et dixerunt ei juvenes qui nutriti fuerant cum eo: Sic loqueris populo huic, qui locuti sunt ad te, dicentes: Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu releva nos. Sic loqueris ad eos: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei.

11. Et nunc pater meus posuit super vos jugum grave ego autem addam super jugum vestrum: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. (*b*)

12. Venit ergo Jeroboam, & omnis populus ad Roboam die tertia, sicut locutus fuerat rex, dicens: Revertimini ad me die tertia.

13. Respondi tque rex populo dura, derelicto consilio seniorum, quod ei dederant.

14. Et locutus est eis secundum consilium juvenum, dicens: Pater meus aggravavit jugum vestrum, ego autem addam jugo vestro: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.

15. Et non acquievit (*c*) rex populo: quoniam aversatus fuerat eum Dominus, ut suscitaret verbum suum, * quod locutus fuerat in * Sup. 11. 31.
manu Ahiæ Silonitæ, ad Jeroboam filium Nabath.

16. Videns itaque populus quod noluisset eos audire rex, respondit ei, dicens: Quæ nobis pars (*d*) in David? vel quæ hæreditas in filio Isai? Vade in tabernacula tua Israel, nunc vide domum tuam David. Et abiit Israel in tabernacula sua.

17. Super filios autem Israel, quicumque habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam.

18. Misit ergo rex Roboam Aduram, qui erat super tributa: & lapidavit eum omnis Israel, & mortuus est. Porro rex Roboam festinus ascendit currum, & fugit in Jerusalem:

19. Recessitque Israel a domo David, usque in præsentem diem.

20. Factum est autem cum audisset omnis Israel, quod reversus esset Jeroboam, miserunt, & vocaverunt eum congregato cœtu, & constituerunt eum regem super omnem Israel, nec secutus est quisquam domum David præter tribum Juda solam.

21. Venit

36. (*g*) Ut sit ex ejus posteris qui regnum teneat. *Verumtamen non cunctis diebus*: usque ad tempus Messiæ, qui regnaturus est, quique est lux ante faciem omnium populorum.

41. (*h*) Verba pro rebus gestis. Veteribus Hebræis visum est Salomonem in extremis vitæ suæ temporibus pœnitentiam egisse, & librum *Ecclesiastes* composuisse; idque Hieronymo videtur probabile.

CAP. XII. 1. (*a*) Quæ erat Metropolis Samariæ, in finibus tribus Manasse: opportunus erat locus in medio. *Ad constituendum eum regem*, ut regni possessionem adiret: jure hæreditario succedebat.

11. (*b*) Vox Hebræa עקרבים, *spinas & scorpiones* significat; cædam vos flagellis aculeatis instar scorpionum.

15. (*c*) Augustin. in Psalm. 69. *Duo sunt genera persecutorum, vituperantium & adulantium: plus persequitur lingua adulatoris, quam manus interfectoris.*

16. (*d*) Quæ hæreditas, aut utilitas? Nunc vide domum tuam David: tu Roboam nepos David in domum tuam te recipe, tuæ domui provide.

21. Venit autem Roboam Jerusalem, & congregavit universam domum Juda, & tribum Benjamin, centum (e) octoginta millia electorum virorum bellatorum, ut pugnarent contra domum Israel, & reducerent regnum Roboam filio Salomonis.

* 2.Par.11. 2. 22. * Factus est autem sermo Domini ad Semejam virum Dei, dicens:

23. Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Juda, & ad omnem domum Juda, & Benjamin, & reliquos de populo, dicens:

24. Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel: revertatur vir in domum suam, a me enim factum est verbum hoc. Audierunt sermonem Domini, & reversi sunt de itinere, sicut eis præceperat Dominus.

25. Ædificavit autem Jeroboam Sichem in monte Ephraim, & habitavit ibi: & egressus inde ædificavit Phanuel.

26. Dixitque Jeroboam in corde suo: Nunc revertetur regnum ad domum David,

27. Si ascenderit populus iste ut faciat sacrificia in domo Domini in Jerusalem: & convertetur cor populi hujus ad dominum suum Roboam regem Juda, interficientque me, & revertentur ad eum.

* Tob.1.5. 28. * Et excogitato consilio fecit duos vitulos (f) aureos, & dixit eis: Nolite ultra
* Exod.32. 8. ascendere in Jerusalem: * Ecce dii tui Israel, qui te eduxerunt de Terra Ægypti.

29. Posuitque unum in Bethel, & alterum in Dan:

30. Et factum est verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum usque in Dan:

* 2.Par.11. 15. 31. Et fecit fana in excelsis, & * sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Levi.

32. Constituitque diem solemnem in mense octavo, quintadecima die mensis, in similitudinem solemnitatis, quæ celebrabatur in Juda. Et ascendens (g) altare, similiter fecit in Bethel, ut immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat: constituitque in Bethel sacerdotes excelsorum, quæ fecerat.

33. Et ascendit super altare quod extruxerat in Bethel, quintadecima die mensis octavi, quem finxerat de corde suo: & fecit solemnitatem filiis Israel, & ascendit super altare, ut adoleret incensum.

CAPUT XIII.

Missus est Propheta de Juda ad Jeroboam, qui eum increparet; eoque orante, manus Jeroboam, quæ exaruerat, sanata est. In flagitiis suis Jeroboam perseverat.

1. ET ecce vir Dei venit de Juda in sermone Domini in Bethel, Jeroboam stante super (a) altare, & thus jaciente.

2. Et exclamavit contra altare in sermone Domini, & ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: * Ecce filius nascetur domui David, * 4.Reg.23. 16.
Josias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet.

3. Deditque in illa die signum, dicens: Hoc erit signum quod locutus est Dominus: Ecce altare scindetur, & effundetur cinis qui in eo est.

4. Cumque audisset rex sermonem hominis Dei, quem inclamaverat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus ejus, quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad se.

5. Altare quoque scissum est, & effusus est cinis de altari, juxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone (b) Domini.

6. Et ait rex ad virum Dei: Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, ut restituatur manus mea mihi. Oravitque vir Dei faciem Domini, & reversa est manus regis ad eum, & facta est sicut prius fuerat.

7. Locutus est autem rex ad virum Dei: Veni mecum domum ut prandeas, & dabo tibi munera.

8. Respunditque vir Dei ad regem: Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto:

9. Sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis: Non comedes panem, neque bibes aquam, nec reverteris per viam, qua venisti.

10. Abiit ergo per aliam viam, & non est reversus per iter, quo venerat in Bethel.

11. Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filii sui, & narraverunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel: & verba quæ locutus fuerat ad regem, narraverunt patri suo.

12. Et dixit eis pater eorum: Per quam viam abiit? Ostenderunt ei filii sui viam, per quam abierat vir Dei, qui venerat de Juda.

13. Et ait filiis suis: Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent, ascendit,

14. Et abiit post virum Dei, & invenit eum sedentem subtus terebinthum: & ait illi: Tu ne es vir Dei qui venisti de Juda? Respondit ille: Ego sum.

15. Dixitque ad eum: Veni mecum domum, ut comedas panem.

16. Qui ait: Non possum reverti, neque venire tecum, nec comedam panem, neque bibam aquam in loco isto:

17. Quia locutus est Dominus ad me in sermone Domini, dicens: Non comedes panem, & non bibes aquam ibi, nec reverteris per viam, qua ieris.

18. Qui ait illi: Et ego propheta sum similis tui: & angelus locutus est mihi in sermone Domini, dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, ut comedat panem, & bibat aquam. Fefellit eum,

19. Et

21. & 25. (e) Sept. Interpret. Centum & viginti millia. *Ædificavit*; munivit, aut novis ædificiis ornavit: aut certe ab Abimelech antea dirutam instauravit.

28. (f) Paullo ante venerat ex Ægypto, ubi *Apis* vituli figura colebatur.

32. (g) Hebr. *Ascendere fecit super altare*: nempe hostias: ex hoc die, de quo cultus vituli aurei a Jeroboam fuit constitutus, numerandos esse annos 390. iniquitatis Israel apud Ezechielem cap. 4. censent viri docti.

CAP. XIII. 1. & 2. (a) Juxta altare; communior est sententia fuisse Addo Prophetam: ex 2. Paral. 9. 29. *In visione Addo contra Jeroboam*. *Josias*: signum divinæ præscientiæ, & providentiæ argumentum.

5. (b) Ejus nomine & jussu, id præceptum mihi est in nomine Domini.

19. Et reduxit secum: comedit ergo panem in domo ejus, & bibit aquam.

20. Cumque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum.

21. Et exclamavit ad virum Dei, qui venerat de Juda, dicens: Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus,

22. Et reversus es, & comedisti panem, & bibisti aquam in loco in quo præcepit tibi ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadaver (c) tuum in sepulcrum patrum tuorum.

23. Cumque comedisset & bibisset, stravit asinum suum prophetæ, quem reduxerat.

24. Qui cum abiisset, invenit eum leo (d) in via, & occidit, & erat cadaver ejus projectum in itinere: asinus autem stabat juxta illum, & leo stabat juxta cadaver.

25. Et ecce viri transeuntes viderunt cadaver projectum in via, & leonem stantem juxta cadaver. Et venerunt & divulgaverunt in civitate, in qua prophetes ille senex habitabat.

26. Quod cum audisset propheta ille, qui reduxerat eum de via, ait: Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni, & confregit eum, & occidit juxta verbum Domini, quod locutus est ei.

27. Dixitque ad filios suos: Sternite mihi asinum. Qui cum stravissent,

28. Et ille abiisset, invenit cadaver ejus projectum in via, & asinum & leonem stantes juxta cadaver: non comedit (e) leo de cadavere, nec læsit asinum.

29. Tulit ergo prophetes cadaver viri Dei, & posuit illud super asinum, & reversus intulir in civitatem prophetæ senis ut plangeret eum.

30. Et posuit cadaver ejus in sepulcro suo: & planxerunt eum: Heu, heu, mi frater.

31. Cumque planxissent eum, dixit ad filios suos: Cum mortuus fuero, sepelite me in sepulcro, in quo vir Dei sepultus est: juxta ossa ejus ponite ossa mea.

32. Profecto enim veniet sermo, quem prædixit in sermone Domini contra altare quod est in Bethel, & contra omnia fana excelsorum, quæ sunt in urbibus Samariæ.

33. Post verba hæc non est reversus Jeroboam de via sua pessima, sed e contrario fecit de novissimis populi sacerdotes excelsorum: quicumque volebat, implebat manum suam, & fiebat sacerdos excelsorum.

34. Et propter hanc causam peccavit domus Jeroboam, & eversa est, & deleta de superficie terræ.

CAPUT XIV.

Abias propheta interrogatus ab uxore Jeroboam de filio ægrotante, durum accipit responsum, filium moriturum ex eo morbo, regnum Israelis ablatum iri a domo Jeroboam: huic Nadab filius succedit. Roboam cum regnasset 17. annis, moritur; cui succedit filius Abia.

1. IN tempore illo ægrotavit Abia filius Jeroboam.

2. Dixitque Jeroboam uxori suæ: Surge, & commuta habitum, ne cognoscaris quod sis uxor Jeroboam: & vade in Silo, ubi est Ahias propheta, * qui locutus est mihi, quod regnaturus essem super populum hunc. *Sup. 11. 31.*

3. Tolle quoque in manu tua decem panes (a), & crustulam, & vas mellis, & vade ad illum; ipse enim indicabit tibi quid eventurum sit puero huic.

4. Fecit ut dixerat, uxor Jeroboam: & consurgens abiit in Silo, & venit in domum Ahiæ: at ille non poterat videre, quia caligaverant oculi ejus præ senectute.

5. Dixit autem Dominus ad Ahiam: Ecce uxor Jeroboam ingreditur ut consulat te super filio suo qui ægrotat: hæc & hæc loqueris ei. Cum ergo illa intraret, & dissimularet se esse quæ erat,

6. Audivit Ahias sonitum pedum ejus introeuntis per ostium, & ait: Ingredere uxor Jeroboam: quare aliam te esse simulas? ego autem missus sum ad te durus nuntius.

7. Vade, & dic Jeroboam: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quia exaltavi te de medio populi, & dedi te ducem super populum meum Israel:

8. Et scidi regnum domus David, & dedi illud tibi, & non fuisti sicut servus meus David, qui custodivit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum esset in conspectu meo:

9. Sed operatus es mala super omnes, qui fuerunt ante te, & fecisti tibi deos alienos & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares; me autem projecisti post corpus tuum:

10. Idcirco ecce ego inducam mala super domum Jeroboam, & * percutiam de Jeroboam mingentem ad parietem, & clausum, & novissimum (b) in Israel: & mundabo reliquias domus Jeroboam, sicut mundari solet fimus usque ad purum. *Inf. 15. 29.*

11. Qui mortui fuerint de Jeroboam in civitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aves cæli: quia Dominus locutus est.

12. Tu igitur surge, & vade in domum tuam: & in ipso introitu pedum tuorum in urbem, morietur puer,

13. Et

22. (c) August. Lib. de Cura pro mortuis: *Non sua contumacia spreverat præceptum Dei implere, sed aliena decipiente fallacia: obedire se credidit, quando non obedivit.*

24. (d) August. ibid. *Quo mirabili signo apparet hominem Dei correctum potius temporaliter usque ad mortem, quam punitum esse post mortem.*

28. (e) Serenus Abbas apud Cassianum Coll. 7. hujus Prophetæ exemplo confirmabat Deum pro levioribus culpis interdum morte punire.

CAP. XIV. 3. (a) Sept. Interpret. *Collyria*. Chald. vertit *Placentas*. exiguum sane munus: sed ea ratione fingebat se esse plebejam.

10. (b) Hebr. Conclusum & derelictum, quocumque in statu is fuerit. Proverbialis locutio, qua designatur nihil reliqui fore ex domo Jeroboam; nec clausum, seu custoditum instar thesauri, nec vile quicquam, & abjectum. R. Joseph illud Deuter. 32. *Clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt*, ita exponit: non erant opes quæ domo clauduntur, nec pecudes quæ in agro relinquuntur. *Sicut mundari solet fimus*: gloria principum qui impietatem Jeroboam imitantur, coram Deo est instar fimi.

13. Et planget eum omnis Israel, & sepeliet: iste enim solus inferetur de Jeroboam in sepulcrum, quia inventus est super eo sermo (c) bonus a Domino Deo Israel, in domo Jeroboam.

14. Constituit autem sibi Dominus regem super Israel, qui percutiet domum Jeroboam in hac die, & in hoc tempore:

15. Et percutiet Dominus Deus Israel, sicut moveri solet arundo in aqua: & evellet Israel de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, & ventilabit eos trans Flumen: quia fecerunt sibi lucos, ut irritarent Dominum.

16. Et tradet Dominus Israel propter peccata Jeroboam, qui peccavit, & peccare fecit Israel.

17. Surrexit itaque uxor Jeroboam, & abiit, & venit in Thersa: cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est,

18. Et sepelierunt eum. Et planxit eum omnis Israel juxta sermonem Domini, quem locutus est in manu servi sui Ahiæ prophetæ.

19. Reliqua autem verborum Jeroboam, quomodo pugnaverit, & quomodo regnaverit, ecce scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel.

20. Dies autem, quibus regnavit Jeroboam, viginti duo anni sunt: & dormivit cum patribus suis, regnavitque Nadab filius ejus pro eo.

* 2.Par.12.13. 21. * Porro Roboam filius Salomonis regnavit in Juda. Quadraginta (d) & unius anni erat Roboam, cum regnare cœpisset: decem & septem annos regnavit in Jerusalem civitate, quam elegit Dominus ut poneret nomen suum ibi, ex omnibus tribubus Israel. Nomen autem matris ejus Naama Ammanitis.

22. Et fecit Judas malum coram Domino, & irritaverunt eum super omnibus, quæ fecerant patres eorum in peccatis suis, quæ peccaverunt.

23. Ædificaverunt enim & ipsi sibi aras, & statuas, & lucos super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam:

24. Sed & effeminati fuerunt in terra, feceruntque omnes abominationes gentium, quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Israel.

25. In quinto autem anno regni Roboam, ascendit Sesac (e) rex Ægypti in Jerusalem,

26. Et tulit thesauros domus Domini, & thesauros regios, & universa diripuit: scuta

* Sup. 10.16. quoque aurea, quæ * fecerat Salomon:

27. Pro quibus fecit rex Roboam scuta ærea, & tradidit ea in manum ducum scutariorum (f), & eorum qui excubabant ante ostium domus regis.

28. Cumque ingrederetur rex in domum Domini, portabant ea qui præeundi habebant officium: & postea reportabant ad armamentarium scutariorum.

29. Reliqua autem sermonum Roboam, & omnia quæ fecit, ecce scripta sunt in libro sermonum (g) dierum regum Juda.

30. Fuitque bellum inter Roboam & Jeroboam cunctis diebus.

31. Dormivitque Roboam cum patribus suis, & sepultus est cum eis in civitate David: nomen autem matris ejus Naama Ammanitis: & regnavit Abiam filius ejus pro eo.

CAPUT XV.

Abia filio Roboami succedit filius ejus Asa, qui regnavit annis 41. In Israel regnat Nadab duobus annis: occiditur a Baasa, qui penitus evertit domum Jeroboam: regnavit 24. annis.

1. IGitur in octavo decimo anno regni Jeroboam filii Nabat, regnavit Abiam super Judam.

2. Tribus annis regnavit in Jerusalem: * nomen matris ejus Maacha filia Abessalom (a). * 2.Par.13.2.

3. Ambulavitque in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus.

4. Sed propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam (b) in Jerusalem, ut suscitaret filium ejus post eum, & statueret Jerusalem:

5. Eo quod fecisset David rectum in oculis Domini, & non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ, * excepto sermone Uriæ Hethæi. * 2.Reg.11.4.

6. Attamen bellum fuit inter Roboam, & Jeroboam omni tempore vitæ ejus.

7. Reliqua autem sermonum Abiam, & omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? Fuitque * prælium inter Abiam & inter Jeroboam. * 2.Par.13.3.

8. Et dormivit Abiam cum patribus suis, & sepelierunt eum in civitate David: * regnavitque Asa filius ejus pro eo. * 2.Par.14.1.

9. In anno ergo vigesimo Jeroboam regis Israel regnavit Asa rex Juda,

10. Et quadraginta & uno anno regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Maacha, filia Abessalom.

11. Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus:

12. Et abstulit effeminatos de terra, purgavitque universas sordes idolorum, quæ fecerant patres ejus.

13. In-

13. (c) Hebr. *Verbum bonum*, seu *res bona*, adeo ut puer boni aliquid gesserit: unde & sepelitur. *In hac die*, ita ut qui nunc extant, hujus cladis testes futuri sint. *Loqui* apud Hebræos sæpe *cogitare* significat. Unde alii vertunt: Quia jucunda est in eo cogitatio, bona erga Dominum.

21. (d) Quidam putant errorem irrepsisse in numerum, adeo ut scriptum fuerit 21. pro 41. quod probare nituntur ex Lib. 1. Paralip. 22. 5.

25. (e) Sesostrum nonnulli esse putant, de quo Josephus Lib. 8. cap. 4.

27. (f) In Hebræo, & apud LXX. Præfectorum cursoribus.

29. & 30. (g) In libro Annalium. *Fuitque*: ex quo Roboam ad idololatriam deflexit, nempe post primum regni triennium, ex Lib 2 Paralip. 11.

CAP. XV. 2. (a) Qui & Uriel in Paralipom. Hæc erat avia Regis Asæ; apud quam fuerat educatus, unde & mater ejus dicitur, cum fuerit uxor Roboam: qui vocatur hoc loco Abessalom, 2. Paralipom. 11. 20. dicitur *Absalom*: hæc fuit mater Abiæ Regis.

4. & 6. (b) Regiam potestatem designat: *Et statueret Jerusalem*; confirmaret in statu pristino, hoc est, inter Abiam filium Roboam & Jeroboam, ex LXX. *Fuit*; fuerat.

13. Insuper & Maacham matrem suam amovit, ne esset princeps in sacris (c) Priapi, & in luco ejus, quem consecraverat: subvertitque specum ejus, & confregit simulacrum turpissimum, & combussit in Torrente Cedron:

14. Excelsa autem non abstulit (d). Verumtamen cor Asa perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis:

15. Et intulit ea, quæ sanctificaverat pater suus, & voverat, in domum Domini, argentum & aurum, & vasa.

16. Bellum (e) autem erat inter Asa, & Baasa regem Israel cunctis diebus eorum.

* 2.Par.16. 1. 17. * Ascendit quoque Baasa rex Israel in Judam, & ædificavit Rama, ut non posset quispiam egredi vel ingredi de parte Asa regis Juda.

18. Tollens (f) itaque Asa omne argentum & aurum, quod remanserat in thesauris domus Domini, & in thesauris domus regiæ, dedit illud in manus servorum suorum: & misit ad Benadad filium Tabremon filii Hezion, regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens:

19. Fœdus est inter me & te, & inter patrem meum & patrem tuum: ideo misi tibi munera, argentum & aurum: & peto ut venias, & irritum facias fœdus, quod habes cum Baasa rege Israel, & recedat a me.

20. Acquiescens Benadad regi Asa, misit principes exercitus sui in civitates Israel, & percusserunt Ahion, & Dan, & Abeldomum Maacha, & universam Cenneroth, omnem scilicet Terram Nephthali.

21. Quod cum audisset Baasa, intermisit ædificare Rama, & reversus est in Thersa.

22. Rex autem Asa nuntium misit in omnem Judam, dicens: Nemo sit excusatus, & tulerunt lapides de Rama, & ligna ejus, quibus ædificaverat Baasa, & extruxit de eis rex Asa Gabaa Benjamin, & Maspha.

23. Reliqua autem omnium sermonum Asa, & universæ fortitudines ejus, & cuncta quæ fecit, & civitates quas extruxit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? Verumtamen in tempore senectutis suæ doluit pedes.

24. Et dormivit cum patribus suis, & sepultus est cum eis in civitate David patris sui. * Regnavitque Josaphat filius ejus pro eo. * 2.Par.17. 1.

25. Nadab vero filius Jeroboam regnavit super Israel anno secundo Asa regis Juda: regnavitque super Israel duobus annis.

26. Et fecit quod malum est in conspectu Domini, & ambulavit in viis patris sui, & in peccatis ejus, quibus peccare fecit Israel.

27. Insidiatus est autem ei Baasa filius Ahiæ de domo Issachar, & percussit eum in Gebbethon, quæ est urbs Philisthinorum: siquidem Nadab & omnis Israel obsidebant Gebbethon.

28. Interfecit ergo illum Baasa in anno tertio Asa regis Juda, & regnavit pro eo.

29. Cumque regnasset, * percussit omnem domum Jeroboam: non dimisit ne unam quidem animam de semine ejus, donec deleret eum, juxta verbum Domini, * quod locutus fuerat in manu servi sui Ahiæ Silonitis, * Infr. 21. 21. * Sup. 14. 10.

30. Propter peccata Jeroboam, quæ peccaverat, & quibus peccare fecerat Israel: & propter delictum, quo irritaverat Dominum Deum Israel.

31. Reliqua autem sermonum Nadab, & omnia quæ operatus est, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel?

32. Fuitque bellum inter Asa, & Baasa regem Israel cunctis diebus eorum.

33. Anno (g) tertio Asa regis Juda, regnavit Baasa filius Ahiæ super omnem Israel, in Thersa, viginti quatuor annis.

34. Et fecit malum coram Domino, ambulavitque in via Jeroboam, & in peccatis ejus, quibus peccare fecit Israel.

CAPUT XVI.

Jehu propheta mittitur ad Baasam, cui prædicit domus ejus subversionem. Israelis aliquot reges omnes impii. Josaphat filius Asa patri succedit.

1. FActus est autem sermo Domini ad Jehu (a) filium Hanani contra Baasa, dicens:

2. Pro eo quod exaltavi te de pulvere, & posui te ducem super populum meum Israel, tu autem ambulasti in via Jeroboam, & peccare fecisti populum meum Israel, ut me irritares in peccatis eorum:

3. Ecce, ego demetam posteriora (b) Baasa, & posteriora domus ejus: & faciam domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabat.

4. * Qui mortuus fuerit de Baasa in civitate, comedent eum canes: & qui mortuus fuerit ex eo in regione, * comedent eum volucres cæli. * Sup. 14. 11.

5. * Reliqua autem sermonum Baasa, & quæcumque fecit, & prælia ejus, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel? * 2 Par.16. 1.

6. Dormivit ergo Baasa cum patribus suis, sepultusque est in Thersa: & regnavit Ela filius ejus pro eo.

7. Cum

13. (c) Hæc postrema verba desunt in Hebræo: amovit eam ne esset domina & princeps: LXX. *Quod fecisset terriculum in luco*. In hortis Græciæ & Italiæ poni solebat Priapi forma.

14. (d) Fors est ut non potuerit. Quod autem Lib. 2. Paralip. 14. dicitur abstulisse excelsa, ibi agitur de excelsis quæ idolorum cultui erant destinata: hoc vero loco agitur de altaribus vero Deo dicatis.

16. (e) 2. Paralipom. 15. & 16. habemus bellum non fuisse inter eos usque ad annum 36. regni scilicet Juda, ex quo cœperunt inter se decertare, usque ad mortem Baasæ duravit bellum; ex quo Baasa ædificavit Ramam in finibus regni sui, ne quis ad Regem Juda transiret. Ne mutua inter eos commercia defectionis occasionem suis darent.

18. (f) Duplici nomine peccavit, quod in Deo spem suam non posuerit, & templi thesauros ethnico tradiderit, tumque a pristina pietate degeneravit. *Quod remanserat in thesauris domus Domini*: post direptionem a Sesac factam.

33. (g) Post susceptum bellum adversos Israelem.

CAPUT XVI. 1. (a) Hic videtur fuisse filius Prophetæ cognominis, qui 2. Paralip. 16. durum a Domino nuntium attulit Asæ, & eum arguit minoris in Deum fiduciæ: sed alius fuit ab eo, qui 2. Paral. 19. occurrit Josaphat. nec mirum si plures viri habuerint filios cognomines.

3. & 4. (b) Hebr. *Achare*, אחרי *posteros*. *Regione*, Hebr. *Bassade*, בשדה, in agro.

7. Cum autem in manu Jehu filii Hanani prophetæ verbum Domini factum esset contra Baasa, & contra domum ejus, & contra omne malum quod fecerat coram Domino, ad irritandum eum in operibus manuum suarum, ut fieret sicut domus Jeroboam: ob hanc causam occidit (c) eum, hoc est, Jehu filium Hanani, prophetam.

8. Anno vigesimo sexto Asa regis Juda, regnavit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis.

9. Et rebellavit contra eum servus suus Zambri, dux mediæ partis equitum: erat autem Ela in Thersa bibens, & temulentus in domo Arsa præfecti Thersa.

*4 Reg. 9. 31. 10. * Irruens ergo Zambri, percussit, & occidit eum anno vigesimo septimo Asa regis Juda, & regnavit pro eo.

11. Cumque regnasset, & sedisset super solium ejus, percussit omnem domum Baasa, & non dereliquit ex ea mingentem ad parietem, & propinquos & amicos ejus.

12. Delevitque Zambri omnem domum Baasa, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Baasa in manu Jehu prophetæ,

13. Propter universa peccata Baasa, & peccata Ela filii ejus, qui peccaverunt, & peccare fecerunt Israel, provocantes Dominum Deum Israel in vanitatibus suis.

14. Reliqua autem sermonum Ela, & omnia quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel?

15. Anno vigesimo septimo Asa regis Juda, regnavit Zambri septem diebus in Thersa: porro exercitus obsidebat Gebbethon urbem Philisthinorum.

16. Cumque audisset rebellasse Zambri, & occidisse regem, fecit sibi regem omnis Israel Amri, qui erat princeps militiæ super Israel in die illa in castris.

17. Ascendit ergo Amri, & omnis Israel cum eo de Gebbethon, & obsidebant Thersa.

18. Videns autem Zambri quod expugnanda esset civitas, ingressus est palatium, & succendit se cum domo regia: & mortuus est

19. In peccatis suis, quæ peccaverat faciens malum coram Domino, & ambulans in via Jeroboam, & in peccato ejus, quo fecit peccare Israel.

20. Reliqua autem sermonum Zambri, & insidiarum ejus, & tyrannidis (d), nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel?

21. Tunc divisus est populus Israel in duas partes: media pars populi sequebatur Thebni filium Gineth, ut constitueret eum regem: & media pars Amri.

22. Prævaluit autem populus, qui erat cum Amri, populo qui sequebatur Thebni filium Gineth: mortuusque est Thebni, & regnavit Amri.

23. Anno trigesimoprimo Asa regis Juda regnavit Amri super Israel, duodecim annis: in Thersa regnavit sex annis.

24. Emitque montem Samariæ a Somer duobus talentis argenti: & ædificavit eum, & vocavit nomen civitatis, quam extruxerat nomine Somer domini montis, Samariam.

25. Fecit autem Amri malum in conspectu Domini, & operatus est nequiter super omnes, qui fuerunt ante eum.

26. Ambulavitque in omni via Jeroboam filii Nabat, & in peccatis ejus quibus peccare fecerat Israel: ut irritaret Dominum Deum Israel in vanitatibus suis.

27. Reliqua autem sermonum Amri, & prælia ejus quæ gessit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel?

28. Dormivitque Amri cum patribus suis, & sepultus est in Samaria: regnavitque Achab filius ejus pro eo.

29. Achab vero filius Amri (e) regnavit super Israel anno trigesimo octavo Asa regis Juda. Et regnavit Achab filius Amri super Israel in Samaria viginti & duobus annis.

30. Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini, super omnes qui fuerunt ante eum.

31. Nec suffecit ei ut ambularet in peccatis Jeroboam filii Nabat: insuper duxit uxorem Jezabel filiam Ethbaal regis Sidoniorum. Et abiit, & servivit Baal, & adoravit eum.

32. Et posuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria,

33. Et plantavit lucum: & addidit Achab in opere suo, irritans Dominum Deum Israel super omnes reges Israel, qui fuerunt ante eum.

34. * In diebus ejus ædificavit Hiel (f) de Bethel, Jericho: in Abiram primitivo suo fundavit eam, & in Segub novissimo suo posuit portas ejus: juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun. *Jos. 6. 26.

CAPUT XVII.

Eliæ prædictiones, & varia miracula.

1. ET dixit Elias Thesbites (a) de habitatoribus Galaad ad Achab: Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba. Eccli 48. 1. Jac. 5. 17.

2. Et factum est verbum Domini ad eum, dicens:

3. Recede hinc, & vade contra Orientem, & abscondere in Torrente (b) Carith, qui est contra Jordanem,

4. Et

7. (c) Baasa occidit Prophetam, ut indicant verba sequentia addita ab interprete. Sed Scriptura quod omissum fuerat, nempe mortem Prophetæ, mox commemorat. Alii ex Hebræo addunt, Et percussisset eum, nempe Jeroboam, nullo Dei jussu.

20. & 24. (d) Hebr. *Et conspirationis ejus. Samaria*; antea regia Israelitarum erat in Thersa, jam in Samaria.

29. (e) Cum Amri regnaverit ab anno 31. regni Asa, usque ad annum 38. quomodo dicitur regnasse Amri 12. annis, cum sint tantum septem, extremis etiam numeratis? Sed Amri bis fuit Rex declaratus, primum quidem ab exercitu, anno Asæ 27. ut liquet ex vers. 21. atque hinc numerantur 12. anni, confecto bello contra Thebni. Anno 31 Asæ iterum fuit Rex salutatus. *Anno trigesimo octavo Asa Regis Juda*. Hæc translata sunt ad finem historiæ Achab.

34. (f) Moriuntur filii: Abiram primus, cum jaciuntur fundamenta, & Segub novissimus, dum portæ urbis apponuntur, ut prædictum fuerat Josue 6.

CAPUT XVII. 1. (a) Vicus erat in tribu Gad. Nisi juxta oris mei verba. Nisi juxta verbum meum: probabile est eam siccitatem in regno tantum Achab sævisse. Jam Achab ab Elia reprehensus fuerat.

3. (b) Ad torrentem.

4. Et ibi de Torrente (*c*) bibes: corvisque præcepi ut pascant te ibi.

5. Abiit ergo, & fecit juxta verbum Domini: cumque abiisset, sedit in Torrente Carith, qui est contra Jordanem.

6. Corvi quoque deferebant ei panem & carnes mane, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente.

7. Post dies autem siccatus est torrens: non enim pluerat super terram.

8. Factus est ergo sermo Domini ad eum, dicens:

9. Surge, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te.

*Luc.4.26. 10. * Surrexit, & abiit in Sarephta. Cumque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocavit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam.

11. Cumque illa pergeret ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, obsecro, & buccellam panis in manu tua.

12. Quæ respondit: Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, ut ingrediar & faciam illum mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur.

13. Ad quam Elias ait: Noli timere, sed vade, & fac sicut dixisti: verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum, & affer ad me: tibi autem & filio tuo facies postea.

14. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus (*d*) olei minuetur usque ad diem, in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ.

15. Quæ abiit, & fecit juxta verbum Eliæ: & comedit ipse, & illa, & domus ejus: & ex illa die

16. Hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ.

17. Factum est autem post hæc, ægrotavit filius mulieris matrisfamilias, & erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus.

18. Dixit ergo ad Eliam: Quid mihi & tibi vir Dei? ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?

19. Et ait ad eam Elias: Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu ejus, & portavit in cœnaculum ubi ipse manebat, & posuit super lectulum suum.

20. Et clamavit ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego utcumque sustentor, afflixisti ut interficeres filium ejus?

21. Et expandit (*e*) se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, & clamavit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, revertatur obsecro anima pueri hujus in viscera ejus.

22. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ: & reversa est anima pueri intra eum, & revixit.

23. Tulitque Elias puerum, & deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, & tradidit matri suæ, & ait illi: En vivit filius tuus.

24. Dixitque mulier ad Eliam: Nunc in isto cognovi quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est.

CAPUT XVIII.

Eliæ acta & prodigia prosequitur.

1. POst dies multos factum est verbum Domini ad Eliam, in anno tertio (*a*) dicens: Vade, & ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ.

2. Ivit ergo Elias, ut ostenderet se Achab: erat autem fames vehemens in Samaria.

3. Vocavitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ: Abdias autem timebat Dominum valde.

4. Nam cum interficeret Jezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, & abscondit eos quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & pavit eos pane & aqua.

5. Dixit ergo Achab ad Abdiam: Vade in terram ad universos fontes aquarum, & in cunctas valles, si forte possimus invenire herbam, & salvare equos & mulos, & non penitus jumenta intereant.

6. Diviseruntque sibi regiones, ut circuirent eas: Achab ibat per viam unam, & Abdias per viam alteram seorsum.

7. Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, & ait: Num tu es, domine mi, Elias?

8. Cui ille respondit: Ego. Vade, & dic domino tuo: Adest Elias.

9. Et ille, Quid peccavi, inquit, quoniam tradis me servum tuum in manu Achab, ut interficiat me?

10. Vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, quo non miserit dominus meus te requirens: & respondentibus cunctis: Non est hic: adjuravit regna singula & gentes, eo quod minime repertreris.

11. Et nunc tu dicis mihi: Vade, & dic domino tuo: Adest Elias.

12. Cumque recessero a te, Spiritus Domini asportabit te in locum, quem ego ignoro: & ingressus nuntiabo Achab, & non inveniens te, interficiet me: servus autem tuus timet Dominum ab infantia sua.

13. Num-

4. (*c*) Torrens potum dabit, corvus cibum: præceptum illud Dei est ejus voluntas. Augustin. de temp. Serm 201. *Vere Ecclesia gentium corvus similis erat, quando nascentem Dominum contemnebat, & ante acceptam gratiam velut morticinis cadaveribus idolis ministrabat.*

14. (*d*) Ampulla olearia. Cyprianus Lib. de oper. & eleemos. *Et illa nondum Christum sciebat, nondum præcepta ejus audierat, nec cruce & passione ejus redempta cibum & potum pro sanguine rependebat.* Hieronym. Epistol. 10. *in Judæa frumenti est penuria, granum tritici ibi mortuum fuerat, & in gentium vidua olei fluenta manabant.*

21. (*e*) More metientis puero incubuit: sic mysterium Christi expressit, cum Verbum æternum quasi se contraxit, ut nos revocaret ad vitam.

CAPUT XVIII 1. (*a*) Jacobi Epist. cap. 5. dicitur non pluisse annos tres & sex menses, unde tertius est hic annus a mansione Eliæ in Sarephta, quem sex illi menses præcesserunt.

13. Numquid non indicatum est tibi domino meo, quid fecerim cum interficeret Jezabel prophetas Domini, quod absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & paverim eos pane & aqua?

14. Et nunc tu dicis: Vade, & dic domino tuo. Adest Elias: ut interficiat me?

15. Et dixit Elias: Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum sto, quia hodie apparebo ei.

16. Abiit ergo Abdias in occursum Achab, & indicavit ei: venitque Achab in occursum Eliæ.

17. Et cum vidisset eum, ait: Tune es ille, qui conturbas (*b*) Israel?

18. Et ille ait: Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.

19. Verumtamen nunc mitte, & congrega ad me universum Israel in monte Carmeli, & prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Jezabel.

20. Misit Achab ad omnes filios Israel, & congregavit prophetas in monte Carmeli.

21. Accedens autem Elias ad omnem populum, ait: Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum.

22. Et ait rursus Elias ad populum: Ego remansi propheta Domini solus: prophetæ autem Baal quadringenti & quinquaginta viri sunt.

23. Dentur nobis duo boves, & illi eligant sibi bovem unum, & in frusta cædentes ponant super ligna, ignem autem non supponant: & ego faciam (*c*) bovem alterum, & imponam super ligna, ignem autem non supponam.

24. Invocate nomina deorum vestrorum, & ego invocabo nomen Domini mei: & Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus ait: Optima propositio.

25. Dixit ergo Elias prophetis Baal: Eligite vobis bovem unum, & facite primi, quia vos plures estis: & invocate nomina deorum vestrorum, ignemque non supponatis.

26. Qui cum tulissent bovem, quem dederat eis, fecerunt: & invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem, dicentes: Baal exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet: transiliebantque altare quod fecerant.

27. Cumque esset jam Meridies, illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce majore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur.

28. Clamabant ergo voce magna, & incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.

29. Postquam autem transiit Meridies, & illis prophetantibus (*d*) venerat tempus, quo sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebat orantes:

30. Dixit Elias omni populo: Venite ad me. Et accedente ad se populo, curavit altare Domini, quod destructum fuerat.

31. Et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Jacob, ad quem factus est sermo Domini, dicens: * Israel erit nomen tuum. * Gen. 32. 28.

32. Et ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini: fecitque aquæductum, quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris,

33. Et composuit ligna: divisitque per membra bovem, & posuit super ligna,

34. Et ait: Implete quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & super ligna. Rursumque dixit: Etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent secundo, ait: Etiam tertio idipsum facite. Feceruntque tertio.

35. Et currebant aquæ circum altare, & fossa aquæductus repleta est.

36. Cumque jam tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Elias propheta, ait: Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, ostende hodie quia tu es Deus Israel, & ego servus tuus, & juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.

37. Exaudi me Domine, exaudi me: ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, & tu convertisti cor eorum iterum (*e*).

38. Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquam quæ erat in aquæductu lambens.

39. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, & ait: Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.

40. Dixitque Elias ad eos: Apprehendite prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad Torrentem Cison, & interfecit (*f*) eos ibi.

41. Et ait Elias ad Achab: Ascende, comede, & bibe: quia sonus multæ pluviæ est.

42. Ascendit Achab ut comederet & biberet: Elias autem ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua.

43. Et dixit ad puerum suum: Ascende, & prospice contra mare. Qui cum ascendisset, & contemplatus esset, ait: Non est quidquam. Et rursum ait illi: Revertere septem vicibus.

44. In septima autem vice, Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Qui ait: Ascende, & dic Achab: Junge currum tuum & descende, ne occupet te pluvia.

45. Cum-

17. (*b*) Cum Elias prædixisset futuram siccitatem. Achab credidit eum esse mali caussam.

23. 26. & 27. (*c*) Sacrificabo. *Fecerunt*: sacrificium paraverunt. *Clamate*. Tertull. lib. adversus Valentin. capit. 6. *Congruit veritati videre, quia lætari; de æmulis suis ludere, quia secura est. Curandum plane ne risus ejus videatur, si fuerit indignus: ceterum ubicumque dignus risus, officium est.*

29. 31. & 32. (*d*) Insana loquentibus. *Duodecim*: quod sacrificium oblaturus esset pro universo Israel, nulla habita ratione 10. tribuum separationis: aqua asperserat victimas, ut omnem tolleret suspicionem ignem clam fuisse subjectum, atque ut illustrius esset miraculum. *Aratiunculas*: quasi per duos sulcos.

37. (*e*) Hebr. *Et tu convertisti corda eorum retro*: *sum*; te permittente id factum est, ne eos pœniteret.

40. (*f*) Seu ipse interfecerit, seu illius jussu fuerint interfecti ut hostiæ divinæ justitiæ.

45. Cumque se verteret huc atque illuc, ecce cæli contenebrati sunt, & nubes, & ventus, & facta est pluvia grandis. Ascendens itaque Achab, abiit in Jezrahel.

46. Et manus (g) Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jezrahel.

CAPUT XIX.

Elias fugiens Jezabel in deserto panem divinitus missum edit: ad montem Horeb pervenit. Tum mittitur ad ungendum Hazael in regem Syriæ, & Jehu in regem Israel; Eliseum in prophetam.

1. NUntiavit autem Achab Jezabel omnia quæ fecerat Elias, & quo modo occidisset universos prophetas gladio.

2. Misitque Jezabel nuntium ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciant dii, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex illis.

3. Timuit ergo Elias, & surgens abiit quocumque eum ferebat voluntas: venitque in Bersabee Juda, & dimisit ibi puerum suum,

4. Et perrexit in desertum, viam unius diei. Cumque venisset, & sederet subter unam juniperum (a), petivit animæ suæ ut moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quam patres mei.

5. Projecitque se, & obdormivit in umbra juniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede.

6. Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ: comedit ergo & bibit, & rursum obdormivit.

7. Reversusque est Angelus Domini secundo, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede: grandis enim tibi restat via.

8. Qui cum surrexisset, comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta (b) diebus & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb.

9. Cumque venisset illuc, mansit in spelunca: & ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis Elia?

10. At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam ut auferant eam.

11. Et ait ei: Egredere, & sta in monte coram Domino: & ecce Dominus transit (c), & spiritus grandis & fortis subvertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus,

12. Et post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis.

13. Quod cum audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ, & ecce vox ad eum dicens: Quid hic agis Elias? Et ille respondit:

14. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, * quia dereliquerunt pactum tuum filii * Rom. 11.
Israel: altaria tua destruxerunt, prophetas tuos 3.
occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam ut auferant eam.

15. Et ait Dominus ad eum: Vade, & revertere (d) in viam tuam per desertum in Damascum: cumque perveneris illuc, unges Hazael regem super Syriam,

16. * Et Jehu filium Namsi unges (e) re- * 4. Reg 9.
gem super Israel: Eliseum autem filium Sa- 1.
phat, qui est de Abelmeula, unges prophetam pro te.

17. Et erit, quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Jehu: & quicumque fugerit gladium Jehu, interficiet eum Eliseus.

18. * Et derelinquam mihi in Israel septem * Rom. 11.
millia virorum, quorum genua non sunt incur- 4.
vata ante Baal (f), & omne os, quod non adoravit eum osculans manus.

19. Profectus ergo inde Elias, reperit Eliseum filium Saphat, arantem in duodecim (g) jugis boum: & ipse in duodecim jugis boum arantibus unus erat: cumque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum.

20. Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, & ait: Osculer, oro, patrem meum, & matrem meam, & sic sequar te. Dixitque ei: Vade, & revertere: quod enim meum erat, feci tibi.

21. Reversus autem ab eo, tulit par boum, & mactavit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt: consurgensque abiit, & secutus est Eliam, & ministrabat ei.

CA-

46 (g) Deus illi ad currendum dedit vires humanis majores.

CAP XIX. 4. (a) Pagninus: *Super unam genistam*, cui favet vox Hebræa. Addit: *Tolle animam meam*: Hebr. *Rab*, רב, *amplius*, *multum*, *nunc*, supple, *vixi*: in tantis periculis mors vitæ anteponenda. Greg. Lib. 19. Mor. capit. 5. *Illa potentia virtus fuit, ista infirmitas custos virtutis; fortitudinem a Deo, infirmitatem ex se ipso habuit.*

8. (b) Vago & longo itinere eo ventum est.

11. (c) Postrema verba videntur esse sacri scriptoris, & sensus est: Cum transiturus esset Deus, hæc signa præcesserunt: primum spiritus, seu ventus vehemens, qui montes posset subvertere, quæ locutio est hyperbolica: post spiritum *commotio*. Hebr. *fragor*; seu ignis, seu terræ motus; *& post ignem, sibilus auræ tenuis*; seu ventus lenis, qui præsentiam Dei indicabat, quique non agnoscitur nisi in tranquillitate mentis. Eo signo Deus docere voluit Eliam zelo Dei ardentem, patientia se uti erga homines, & clementia. Tertull. Lib. 2. contra Marc. cap. 23. *Spiritus ejus mitissimus, & mansuetissimus, qui non turbine glomeratur, non nubilo horret, sed est teneræ serenitatis apertus & simplex.*

15. (d) A meridie in septentrionem, per desertum in Damascum: longum iter, sed tutius quam per regnum Achab.

16. (e) Designabis: *Et Jehu filium Namsi*; id est, nepotem: nam filius erat Josaphat ex cap. 9. Lib. 4. Regum.

18 (f) Forte is non est Propheta, sed dux ejus nominis. Alii ut Abulensis putant a Propheta plures occisos, ut Lib. 4. cap. 2. non enim Scriptura omnia exprimit.

19. (g) In cœtu 12. aratorum: misit pallium suum super illum, quo signo eum vocat ad suum institutum. Hieron. Epist. 28. *Eliseus boves & juga pastoris operis vertit in vota.*

CAPUT XX.

Benadad rex Syriæ obsidet Samariam; victus iterum instaurat bellum, & vincitur; sed Achab stulte eum dimittit, unde a propheta reprehenditur.

1. PОrro Benadad rex Syriæ congregavit omnem exercitum suum, & triginta duos reges (*a*) secum, & equos, & currus: & ascendens pugnabat contra Samariam, & obsidebat eam.

2. Mittensque nuntios ad Achab regem Israel in civitatem,

3. Ait: Hæc dicit Benadad: Argentum tuum, & aurum tuum meum est: & uxores tuæ, & filii tui optimi (*b*), mei sunt.

4. Responditque rex Israel: Juxta verbum tuum, domine mi rex, tuus sum ego, & omnia mea.

5. Revertentesque nuntii, dixerunt: Hæc dicit Benadad, qui misit nos ad te: Argentum tuum, & aurum tuum: & uxores tuas, & filios tuos dabis mihi.

6. Cras igitur hac eadem hora mittam servos meos ad te, & scrutabuntur domum tuam, & domum servorum tuorum: & omne quod eis placuerit, ponent in manibus suis, & auferent.

7. Vocavit autem rex Israel omnes seniores terræ, & ait: Animadvertite, & videte, quoniam insidietur nobis: misit enim ad me pro uxoribus meis, & filiis, & pro argento & auro: & non abnui.

8. Dixeruntque omnes majores natu, & universus populus ad eum: Non audias, neque acquiescas illi.

9. Respondit itaque nuntiis Benadad: Dicite domino meo regi: Omnia propter quæ misisti ad me servum tuum in initio, faciam: hanc autem rem facere non possum (*c*).

10. Reversique nuntii retulerunt ei. Qui remisit, & ait: Hæc faciant mihi dii, & hæc addant, si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi, qui sequitur me.

11. Et respondens rex Israel, ait: Dicite ei: Ne glorietur accinctus (*d*) æque ut discinctus.

12. Factum est autem, cum audisset Benadad verbum istud, bibebat ipse & reges in umbraculis, & ait servis suis: Circumdate civitatem. Et circumdederunt eam.

13. Et ecce propheta unus accedens ad Achab regem Israel, ait ei: Hæc dicit Dominus: Certe vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? Ecce, ego tradam eam in manu tua hodie: ut scias, quia ego sum Dominus.

14. Et ait Achab: Per quem? Dixitque ei: Hæc dicit Dominus: Per pedissequos principum provinciarum. Et ait: Quis incipiet præliari? Et ille dixit: Tu.

15. Recensuit ergo pueros principum provinciarum, & reperit numerum ducentorum triginta duorum: & recensuit post eos populum, omnes filios Israel, septem millia (*e*):

16. Et egressi sunt meridie. Benadad autem bibebat temulentus in umbraculo suo, & reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium ejus venerant.

17. Egressi sunt autem pueri principum provinciarum in prima fronte: misit itaque Benadad. Qui nuntiaverunt ei, dicentes: Viri egressi sunt de Samaria.

18. Et ille ait: Sive pro pace veniunt, apprehendite eos vivos: sive ut prælientur, vivos eos capite.

19. Egressi sunt ergo pueri principum provinciarum, ac reliquus exercitus sequebatur:

20. Et percussit unusquisque virum, qui contra se veniebat: fugeruntque Syri, & persecutus est eos Israel. Fugit quoque Benadad Rex Syriæ in equo cum equitibus suis.

21. Necnon egressus rex Israel percussit equos & currus, & percussit Syriam plaga magna.

22. (Accedens autem propheta ad regem Israel, dixit ei: Vade, & confortare, & scito, & vide quid facias: sequenti enim anno rex Syriæ ascendet contra te.)

23. Servi vero regis Syriæ dixerunt ei: Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos: sed melius est ut pugnemus contra eos in campestribus, & obtinebimus eos.

24. Tu ergo verbum hoc fac: Amove reges singulos ab exercitu tuo, & pone principes pro eis:

25. Et instaura numerum militum, qui ceciderunt de tuis, & equos secundum equos pristinos, & currus secundum currus, quos ante habuisti: & pugnabimus contra eos in campestribus, & videbis quod obtinebimus eos. Credidit consilio eorum, & fecit ita.

26. Igitur postquam annus transierat, recensuit Benadad Syros, & ascendit in Aphec, ut pugnaret contra Israel.

27. Porro filii Israel recensiti sunt, & acceptis cibariis profecti ex adverso, castraque metati sunt contra eos, quasi duo parvi greges caprarum: Syri autem repleverunt terram.

28. (Et accedens unus vir Dei, dixit ad regem Israel: Hæc dicit Dominus: Quia dixerunt Syri: Deus montium est Dominus, & non est Deus Vallium: dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, & scietis quia ego sum Dominus.)

29. Dirigebantque septem diebus ex adverso hi, atque illi acies, septima autem die commissum est bellum: percusseruntque filii Israel de Syris centum millia peditum in die una.

30. Fugerunt autem qui remanserant in Aphec, in civitatem: & cecidit murus super viginti septem millia hominum, qui remanserant. Porro Benadad fugiens ingressus est civitatem, in cubiculum (*f*) quod erat intra cubiculum.

31. Di-

CAP. XX. 1. (*a*) Uniuscujusque civitatis princeps Regis nomine donabatur.

3. & 4. (*b*) Elegantes magis. Tuus, me, meaque in fidem tuam [illegible]: sic intelligebat verba hæc Achab: verum Benadad de rerum proprietate loquebatur.

9. & 10. (*c*) Ut [illegible] bona diripias. *Pulvis*; Non sufficit ut singuli ex meis manipulum accipiant, ut exercitus sui innumerabilem multitudinem designet, locutio hyperbolica.

11. (*d*) Per accinctum intelligit, qui cum balteo ad bellum procedit incertus de eventu: discinctus vero est, qui jam parta victoria balteum deposuit: ne glorietur rex Syriæ quasi victor, & armis depositis, nec de triumpho ante victoriam glorietur.

15. 24. & 26. (*e*) Eorum scilicet qui in Samaria remanserant. *Syros*; qui forte primi fugerant. *Aphec*; urbs erat in tribu Aser.

30. (*f*) In locum intimum & abditum.

31. Dixeruntque ei servi sui: Ecce, audivimus quod reges domus Israel clementes sint: ponamus itaque saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad regem Israel: forsitan salvabit animas nostras.

32. Accinxerunt saccis lumbos suos, & posuerunt funiculos in capitibus suis, veneruntque ad regem Israel, & dixerunt ei: Servus tuus Benadad dicit: Vivat, oro te, anima mea. Et ille ait: Si adhuc vivit, frater meus est.

33. Quod acceperunt viri pro omine: & festinantes rapuerunt verbum ex ore ejus, atque dixerunt: Frater tuus Benadad. Et dixit eis: Ite, & adducite eum ad me. Egressus est ergo ad eum Benadad, & levavit eum in currum suum.

34. Qui dixit ei: Civitates, quas tulit pater meus a patre tuo, reddam: & plateas (*g*) fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria, & ego fœderatus recedam a te. Pepigit ergo fœdus, & dimisit eum.

35. Tunc vir (*h*) quidam de filiis prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini: Percute me. At ille noluit percutere.

36. Cui ait: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes a me, & percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab eo, invenit eum leo, atque percussit.

37. Sed & alterum inveniens virum, dixit ad eum: Percute me. Qui percussit eum, & vulneravit.

38. Abiit ergo propheta, & occurrit regi in via, & mutavit (*i*) aspersione pulveris os & oculos suos.

39. Cumque rex transisset, clamavit ad regem, & ait: Servus tuus egressus est ad præliandum cominus: cumque fugisset vir unus, adduxit eum quidam ad me, & ait: Custodi virum istum: qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus, aut talentum argenti appendes.

40. Dum autem ego turbatus huc illucque me verterem, subito non comparuit. Et ait rex Israel ad eum: Hoc est judicium tuum, quod ipse decrevisti.

41. At ille statim abstersit pulverem de facie sua, & cognovit eum rex Israel, quod esset de prophetis.

42. Qui ait ad eum: Hæc dicit Dominus:
* Inf. 22. 38. * Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus.

43. Reversus est igitur rex Israel in domum suam, audire (*k*) contemnens, & furibundus venit in Samariam.

CAPUT XXI.

Naboth ob negatam regi Achab vineam, falsis testibus condemnatur, jussu Jezabel lapidatur. Elias Achab futura inde mala minitatur; quæ tamen Deus temperavit, quod Achab demisso animo has propheta minas excepisset.

1. POst verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth Jezrahelitæ, qui erat in Jezrahel, juxta palatium Achab regis Samariæ.

2. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da (*a*) mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & prope domum meam, daboque tibi pro ea vineam meliorem: aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est.

3. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.

4. Venit ergo Achab in domum suam indignans (*b*), & frendens super verbo, quod locutus fuerat ad eum Naboth Jezrahelites, dicens: Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum. Et projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem:

5. Ingressa est autem ad eum Jezabel uxor sua, dixitque ei: Quid est hoc, unde anima tua contristata est? & quare non comedis panem?

6. Qui respondit ei: Locutus sum Naboth Jezrahelitæ, & dixi ei: Da mihi vineam tuam, accepta pecunia: aut, si tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait: Non dabo tibi vineam meam.

7. Dixit ergo ad eum Jezabel uxor ejus: Grandis auctoritatis es, & bene regis regnum Israel. Surge, & comede panem, & æquo animo esto, ego dabo tibi vineam Naboth Jezrahelitæ.

8. Scripsit itaque litteras ex nomine Achab, & signavit eas annulo ejus, & misit ad majores natu & optimates, qui erant in civitate ejus, & habitabant cum Naboth.

9. Litterarum autem hæc erat sententia: Prædicate (*c*) jejunium, & sedere facite Naboth inter primos populi.

10. Et submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant: Benedixit Deum & regem: & educite eum, & lapidate, sicque moriatur.

11. Fecerunt ergo cives ejus majores natu & optimates, qui habitabant cum eo in urbe, sicut præceperat eis Jezabel, & sicut scriptum erat in litteris quas miserat ad eos:

12. Præ-

34. (*g*) Fora rerum venalium, unde erant vectigalia. LXX. *status*, vel *munitiones*, quibus Damascenorum incursiones inhiberentur: *Et ego fœderatus recedam a te*: facto fœdere dimittam te: sunt verba Achab & Benadad.

35 (*h*) A Domino percussus est ille, & occisus a leone, propter inobedientiæ peccatum, cum certus esset alterum esse Prophetam, eumque Deo ita jubente id postulare: *Percute me*, inflige vulnus in facie, ut speciem hominis e pugna redeuntis præ se ferens facilius Regem adiret.

38. (*i*) Ne agnosceretur, & parabolam ante proponeret, quam agnosceretur. Achab sæviebat in prophetas, & Regi Syriæ parcens, cum eo fœdus sanxit. Vocem Hebræam *Apher*, אפר, quam Lat. Interpres *pulverem*. LXX. & Chaldæus *velum* verterunt.

43. (*k*) Hebr. & LXX. *Flens*: rebus prosperis graves sunt increpationes. Apud LXX. & Josephum hæc historia posterior est ea quæ sequitur de Naboth.

2. (*a*) Ambrol. de Naboth cap. 2. *Confitetur alienam, ut poscat indebitam.* CAP. XXI.

4 & 7 (*b*) Hebr. Alienatus, in furorem actus. *Dabo*. Ambrol. *Calumniabor, ut spoliem, ut possessio pauperi eripiatur, vita pulsabitur.*

9 & 10. (*c*) Indicite: Chrysostomus Serm. 68. *O jejunium summa iniquitate plenum: prædicant jejunium, ut faciant homicidium.* Solebant forte diebus jejunii inquirere de populi criminibus, aut cum de re magna judicaturi erant, ut de blasphemia. In hoc scelere quot sunt crimina? mendacium, hypocrisis, perjurium, empta testimonia, corrupti judices, innocenti per summam injuriam hæreditas & vita ademptæ. *Sedere facite*, ne ex odio damnare viderentur. *Educite eum*, ad portam scilicet, ut in suppliciis fieri solebat.

12. Prædicaverunt jejunium, & sedere fecerunt Naboth inter primos populi.

13. Et adductis duobus viris filiis diaboli, fecerunt eos sedere contra eum: at illi, scilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum & regem: quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, & lapidibus interfecerunt.

14. Miseruntque ad Jezabel, dicentes: Lapidatus est Naboth, & mortuus est.

15. Factum est autem, cum audisset Jezabel lapidatum Naboth, & mortuum, locuta est ad Achab: Surge, & posside vineam (*d*) Naboth Jezrahelitæ, qui noluit tibi acquiescere, & dare eam accepta pecunia: non enim vivit Naboth, sed mortuus est.

16. Quod cum audisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, & descendebat in vineam Naboth Jezrahelitæ, ut possideret eam.

17. Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens:

18. Surge, & descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria: ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam:

19. Et loqueris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus: Occidisti, insuper & possedisti. Et
*Inf. 22. 38. post hæc addes: Hæc dicit Dominus. * In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.

20. Et ait Achab ad Eliam: Num invenisti me inimicum (*e*) tibi? Qui dixit: inveni, eo quod venumdatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini.

*4. Reg. 9. 8. 21. * Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum (*f*) & ultimum in Israel.

* Sup. 15. 29. 22. Et dabo domum tuam sicut * domum Jeroboam filii Nabat, & sicut domum * Baasa
* Sup. 16. 3. filii Ahia: quia egisti, ut me ad iracundiam provocares, & peccare fecisti Israel.

*4. Reg. 9. 36. 23. * Sed & de Jezabel locutus est Dominus, dicens: Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel.

24. Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent eum canes: si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cæli.

25. Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venumdatus est ut faceret malum in conspectu Domini: concitavit enim eum Jezabel uxor sua,

26. Et abominabilis factus est, in tantum ut sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi, quos consumpsit Dominus a facie filiorum Israel.

27. Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite.

28. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens:

29. Nonne vidisti humiliatum (*g*) Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed * in *4. Reg. 9. 26.
diebus filii sui inferam malum domui ejus.

CAPUT XXII.

Achab & Josaphat decernunt bellum adversus Syros Pseudo-prophetarum vaticiniis decepti; vincuntur occiso Achab, qui Michæam prophetam carcere incluserat. Achab succedit Ochozias, ut Josaphat Joram ejus filius.

1. TRansierunt igitur tres anni (*a*) absque 1. Par. 18. 1.
bello inter Syriam & Israel.

2. In anno autem tertio, descendit Josaphat rex Juda ad regem Israel.

3. (Dixitque rex Israel ad servos suos: Ignoratis quod nostra sit Ramoth Galaad, & negligimus tollere eam de manu regis Syriæ?)

4. Et ait ad Josaphat: Veniesque mecum ad præliandum in Ramoth Galaad?

5. Dixitque Josaphat ad regem Israel: Sicut ego sum, ita & tu: populus meus, & populus tuus unum sunt: & equites mei, equites tui. Dixitque Josaphat ad regem Israel: Quære, oro te, hodie sermonem Domini.

6. Congregavit ergo rex Israel prophetas, quadringentos circiter viros, & ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Qui responderunt: Ascende, & dabit eam Dominus in manu regis.

7. Dixit autem Josaphat: Non est hic propheta Domini quispiam, ut interrogemus per eum?

8. Et ait rex Israel ad Josaphat: Remansit vir unus, per quem possumus interrogare Dominum: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michæas filius Jemla. Cui Josaphat ait: Ne loquaris ita rex.

9. Vocavit ergo rex Israel eunuchum quemdam, & dixit ei: Festina adducere Michæam filium Jemla.

10. Rex autem Israel, & Josaphat rex Juda sedebant unusquisque in solio suo vestiti cultu regio, in area juxta ostium portæ Samariæ, & universi prophetæ prophetabant in conspectu eorum.

11. Fecit quoque sibi Sedecias filius Chanaana cornua ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam.

12. Omnesque prophetæ similiter prophetabant, dicentes: Ascende in Ramoth Galaad, & vade prospere, & tradet Dominus in manus regis.

13. Nuntius vero, qui ierat ut vocaret Michæam, locutus est ad eum, dicens: Ecce sermones prophetarum ore uno regi bona prædicant: sit ergo sermo tuus similis eorum, & loquere bona.

14. Cui Michæas ait: Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar.

15. Venit

15. (*d*) Titulo confiscationis, quæ apud Hebræos locum habebat in omnibus delictis adversus regiam majestatem.
20. (*e*) Hebr. *Tibi*, LXX. inimice mi.
21. & 24. (*f*) A summis ad ultimos. Comedent; de severitate hujus sententiæ aliquid remisit Deus ob pœnitentiam Achab, cap. 22. 37.
29. (*g*) Achab pœnam tum evasit, postea puniendus. Gregor. Hom. 10. in Ezechielem ait, Deo placuisse pœnitentiam in reprobo, qui timebat perdere præsens sæculum, quique adhuc displicebat Deo. Ambr. in Psalm. 37. *In ipso perfido Acab gemitus invenisset gratiam, nisi manens invidia cumulasset offensam.*

CAPUT XXII.
2. & 3. (*a*) Non pleni, ex Lib. 2. Paralip. 18. *Galaad*, civitas in tribu Gad, quam Rex Syriæ ex fœdere reddere tenebatur.

15. Venit itaque ad regem, & ait illi rex: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad prœliandum, an cessare? cui ille respondit: Ascende (b), & vade prospere, & tradet eam Dominus in manu regis.

16. Dixit autem rex ad eum: Iterum atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi nisi quod verum est, in nomine Domini.

17. Et ille ait: Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem: * & ait Dominus: Non habent isti dominum: revertatur unusquisque in domum suam in pace.

* Num. 27. 17. Matth. 9. 36.

18. (Dixit ergo rex Israel ad Josaphat: Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum?)

19. Ille vero addens, ait: Propterea audi sermonem Domini: Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris & a sinistris:

20. Et ait Dominus: Quis decipiet (c) Achab regem Israel, ut ascendat, & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba hujuscemodi, & alius aliter.

21. Egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: In quo?

22. Et ille ait: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita.

23. Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic sunt, & Dominus locutus est contra te malum.

24. Accessit autem Sedeclas filius Chanaana, & percussit Michæam in maxillam, & dixit: Mene ergo dimisit Spiritus Domini, & locutus est tibi?

25. Et ait Michæas: Visurus es in die illa, quando ingredieris cubiculum, intra cubiculum ut abscondaris.

26. Et ait rex Israel: Tollite Michæam, & maneat apud Amon principem civitatis, & apud Joas filium Amelech (d),

27. Et dicite eis: Hæc dicit rex: Mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aqua angustiæ, donec revertar in pace.

28. Dixitque Michæas: Si reversus fueris in pace, non est locutus in me Dominus. Et ait: Audite populi omnes.

29. Ascendit itaque rex Israel, & Josaphat rex Juda in Ramoth Galaad.

30. Dixit itaque rex Israel ad Josaphat: Sume arma, & ingredere prælium, & induere vestibus tuis. Porro rex Israel mutavit habitum suum, & ingressus est bellum.

31. Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus, dicens: Non pugnabitis contra minorem & majorem quempiam, nisi contra regem Israel solum.

32. Cum ergo vidissent principes curruum Josaphat, suspicati sunt quod ipse esset rex Israel, & impetu facto pugnabant contra eum, & exclamavit (e) Josaphat.

33. Intellexeruntque principes curruum quod non esset rex Israel, & cessaverunt ab eo.

34. Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israel inter (f) pulmonem & stomachum. At ille dixit aurigæ suo: Verte manum tuam: & ejice me de exercitu, quia graviter vulneratus sum.

35. Commissum est ergo prælium in die illa, & rex Israel stabat in curru suo contra Syros, & mortuus est vespere: fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus,

36. Et præco insonuit in universo exercitu antequam sol occumberet, dicens: Unusquisque revertatur in civitatem, & in terram suam.

37. Mortuus est autem rex, & perlatus est in Samariam: sepelieruntque regem in Samaria,

38. Et * laverunt currum ejus in piscina Samariæ, & linxerunt canes sanguinem ejus, & habenas laverunt, juxta verbum Domini quod locutus fuerat. * Sup. 21. 19.

39. Reliqua autem sermonum Achab, & universa quæ fecit, & domus eburnea quam ædificavit, cunctarumque urbium quas extruxit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

40. Dormivit ergo Achab cum patribus suis, & regnavit Ochozias filius ejus pro eo.

41. Josaphat vero filius Asa regnare cœperat super Judam anno quarto Achab regis Israel.

42. Triginta quinque annorum erat cum regnare cœpisset, & viginti quinque annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Azuba filia Salai.

43. Et ambulavit in omni via Asa patris sui, & non declinavit ex ea: fecitque quod rectum erat in conspectu Domini.

44. Verumtamen excelsa non abstulit (g): adhuc enim populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis.

45. Pacemque habuit Josaphat cum rege Israel.

46. Reliqua autem verborum Josaphat, & opera ejus quæ gessit, & prælia, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

47. Sed & reliquias effeminatorum, qui remanserant in diebus Asa patris ejus, abstulit de terra.

48. Nec erat tunc rex constitutus in Edom (h).

49. Rex

15. (b) Ironice dictum; ironiam ex modo loquendi & gestu ipso conjecit Achab; tum adjuratus, vere & candide locutus est, nec ante more Prophetarum præfatus est: Hæc dicit Dominus. *In montibus*. In istis montibus.

20. (c) Permissionem Dei solet Scriptura per modum imperii exprimere, quod futurum est per imperativum, quod Deus rem futuram ut præsentem intueatur. Gregor. Lib. 2. Moral. *Achab Rex ex præcedentibus peccatis dignus erat, ut tali debuisset deceptione damnari, quatenus qui sæpe volens ceciderat in culpam, quandoque nolens curreret ad pœnam.*

26. & 30. (d) Alii vertunt filium Regis. *Induere;* volebat Achab specie honoris in Josaphat periculum vertere.

32. (e) Auxilium Dei deprecatur in summo periculo.

34. (f) Hebr. Inter juncturas, & *inter loricam*, ubi lorica cum interiori armatura connectitur.

44. (g) Lib. 2 Paralip. 17 dicitur abstulisse excelsa initio regni; cœpit auferre, sed non perfecit, ac forte populus destructa reædificavit, atque huic errori evellendo par non fuit.

48. (h) Jam a Davidis tempore usque ad Joram constitui solebat Dux in Idumæa a Rege Juda; sed defecerunt sub Joram: hoc Scriptura videtur annotare tum in Edom non fuisse Regem, quod Josaphat pietate sua meruerit, ut Idumæa sibi quemadmodum Davidi subderetur. Hebr. *Præfectus erat Rex;* præfectus eo missus regio more imperabat.

49. Rex vero Josaphat fecerat classes in mari, quæ navigarent in Ophir propter aurum : & ire non potuerunt, * quia confractæ sunt in Asiongaber.

* 2.Par.20. 36.

50. Tunc ait Ochozias filius Achab ad Josaphat : Vadant servi mei cum servis tuis in navibus. Et noluit (*i*) Josaphat.

51. Dormivitque Josaphat cum patribus suis, & sepultus est cum eis in Civitate David patris sui : regnavitque Joram filius ejus pro eo.

52. Ochozias autem filius Achab regnare cœperat super Israel in Samaria, anno septimodecimo Josaphat regis Juda, regnavitque super Israel duobus (*k*) annis.

53. Et fecit malum in conspectu Domini, & ambulavit in via patris sui & matris suæ, & in via Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.

54. Servivit quoque Baal, & adoravit eum, & irritavit Dominum Deum Israel; juxta omnia quæ fecerat pater ejus.

50. (*i*) Admonitus a propheta Elieter, ex Lib. 2. Paral. 20. societatem prorogare noluit.
52. (*k*) Partim cum patre suo, partim solus.

LIBER REGUM QUARTUS,

QUI HEBRAICE DICITUR

MELACHIM SECUNDUS.

Hoc Libro acta Regum Israel & Juda usque ad utriusque regni excidium & ad captivitatem Babylonicam continentur.

CAPUT PRIMUM.

Ochozias filius Achab cum ægrotaret, consulit Beelzebub; graviter increpatur ab Elia, ac moriturus prædicitur; Mittit semel & iterum quinquagenarium, qui Eliam occideret; utrumque ignis cælestis absumpsit, tertium modestia sua servavit.

1. PRævaricatus (*a*) est autem Moab in Israel, postquam mortuus est Achab.

2. Cecidit que Ochozias per cancellos cœnaculi sui, quod habebat in Samaria, & ægrotavit: misitque nuntios, dicens ad eos: Ite, consulite Beelzebub (*b*) deum Accaron, utrum vivere queam de infirmitate mea hac?

3. Angelus autem Domini locutus est ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, & ascende in occursum nuntiorum regis Samariæ, & dices ad eos: Numquid non est Deus in Israel, ut eatis ad consulendum Beelzebub deum Accaron?

4. Quam ob rem hæc dicit Dominus: De lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. Et abiit Elias.

5. Reversique sunt nuntii ad Ochoziam. Qui dixit eis: Quare reversi estis?

6. At illi responderunt ei: Vir occurrit nobis, & dixit ad nos: Ite, & revertimini ad regem, qui misit vos, & dicetis ei: Hæc dicit Dominus: Numquid, quia non erat Deus in Israel, mittis ut consulatur Beelzebub deus Accaron? Idcirco de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.

7. Qui dixit eis: Cujus figuræ & habitus est vir ille, qui occurrit vobis, & locutus est verba hæc?

8. At

CAPUT I. 1. (*a*) Chald. *Rebellaverunt Moabitæ*; solitum Israelitis tributum pendere recusarunt. Idumæi Regum Juda, Moabitæ Regum Israel tributarii jugum excutere cœperunt, accisis paullatim utriusque regni viribus.

2. (*b*) Deum, quem adversus muscas colebant. Existimat Grotius Deum illum a Phœnicibus vocatum esse *Beelsemen*, בעלשמין seu *Deum cæli*, ab Hebræis vero ridiculi caussa *Beelzebub*, בעלזבוב, seu *Dominum muscarum*, quia templum ejus propter victimas plenum erat muscis. Sed Grotius forsitan plus satis indulget Phœnicibus & Palæstinis.

8. At illi dixerunt: Vir pilosus (*c*), & zona pellicea accinctus renibus. Qui ait: Elias Thesbites est.

9. Misitque ad eum quinquagenarium principem, & quinquaginta qui erant sub eo. Qui ascendit ad eum: sedentique in vertice montis, ait: Homo Dei, rex præcepit ut descendas.

10. Respondensque Elias, dixit quinquagenario: Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cælo, & devoravit eum, & quinquaginta qui erant cum eo.

11. Rursumque misit ad eum principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo. Qui locutus est illi: Homo Dei, hæc dicit rex: Festina, descende.

12. Respondens Elias ait: Si homo Dei ego sum, descendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos. Descendit ergo ignis de cælo, & devoravit illum, & quinquaginta ejus.

13. Iterum misit principem quinquagenarium tertium, & quinquaginta qui erant cum eo. Qui cum venisset, curvavit genua contra Eliam, & precatus est eum, & ait: Homo Dei, noli despicere animam meam, & animas servorum tuorum qui mecum sunt.

14. Ecce descendit ignis de cælo, & devoravit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos qui cum eis erant: sed nunc obsecro ut miserearis animæ meæ.

15. Locutus est autem Angelus Domini ad Eliam, dicens: Descende cum eo, ne timeas. Surrexit igitur, & descendit cum eo ad regem,

16. Et locutus est ei: Hæc dicit Dominus: Quia misisti nuntios ad consulendum Beelzebub deum Accaron, quasi non esset Deus in Israel, a quo posses interrogare sermonem, ideo de lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.

17. Mortuus est ergo juxta sermonem Domini, quem locutus est Elias, & regnavit Joram frater ejus pro eo, anno (*d*) secundo Joram filii Josaphat regis Judæ: non enim habebat filium.

18. Reliqua autem verborum Ochoziæ, quæ operatus est, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

CAPUT II.

Eliseus Eliæ comes individuus una cum eo Jordanem transit, pallio Eliæ usus, ut aquas divideret: duplicem Eliæ spiritum postulat: raptum igneo curru Eliam oculis prosequitur: venit in Carmelum, & Samariam.

1. Factum est autem, cum levare vellet Dominus Eliam per turbinem in cælum, ibant Elias & Eliseus de Galgalis.

2. Dixitque Elias ad Eliseum: Sede hic, quia Dominus misit me usque in Bethel. Cui ait Eliseus: Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque descendissent Bethel,

3. Egressi sunt filii (*a*) prophetarum, qui erant in Bethel, ad Eliseum, & dixerunt ei: Numquid nosti, quia hodie Dominus tollet dominum tuum a te? Qui respondit: Et ego novi: silete.

4. Dixit autem Elias ad Eliseum: Sede hic, quia Dominus misit me in Jericho. Et ille ait: Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te. Cumque venissent Jericho,

5. Accesserunt filii prophetarum, qui erant in Jericho, ad Eliseum, & dixerunt ei: Numquid nosti quia Dominus hodie tollet dominum tuum a te? Et ait: Et ego novi: silete.

6. Dixit autem ei Elias: Sede hic, quia Dominus misit me usque ad Jordanem. Qui ait: Vivit Dominus, & vivit anima tua, quia non derelinquam te. Ierunt igitur ambo pariter,

7. Et quinquaginta viri de filiis prophetarum secuti sunt eos, qui & steterunt econtra, longe: illi autem ambo stabant super Jordanem.

8. Tulitque Elias pallium suum, & involvit illud, & percussit aquas, quæ divisæ sunt in utramque partem, & transierunt ambo per siccum.

9. Cumque transissent, Elias dixit ad Eliseum: Postula quod vis ut faciam tibi, antequam tollar a te. Dixitque Eliseus: Obsecro ut fiat in me duplex (*b*) spiritus tuus.

10. Qui respondit: Rem difficilem postulasti: attamen si videris (*c*) me, quando tollar a te, erit tibi quod petisti: si autem non videris, non erit.

11. Cum-

8. (*c*) Gr. hirtus, promissis capillis & barba.

17. (*d*) Obscura est hoc loco Chronologia. Lib. 4. cap. 8. vers. 16. cum hæc habeantur: *Anno quinto Joram filii Achab Regis Israel & Josaphat Regis Juda regnavit Joram filius Josaphat Rex Juda*. Itaque sunt qui Hebræum sic vertunt. *Cum Josaphat esset Rex Juda*: sunt Latini codices, qui nullam faciunt mentionem Josaphat. Hanc temporum rationem sic conciliat Gordonus: anno ætatis Josaphat 26. natus est Joram, is vero regnare cœpit annos 35. natus; anno ætatis Josaphat 40. Joram una cum patre regnare cœpit. Nec Scriptura semper notat annos Chronologicos: sæpe David Rex agnitur, Saul bis unctus, filii sæpe nominantur, & appellantur Reges. Alii sic rationem annorum ineunt: Josaphat regnavit 25. annis; anno 17. completo cœpit cum eo regnare Joram ejus filius; anno 20. Josaphat mortuus est Ochozias, & Joram frater ejus regnare cœpit; nempe anno secundo alterius Joram Regis Juda. Ex Lud. Capello, Joram Rex Judæ regnavit per triennium cum patre Josaphat; ac primus annus Joram Regis Israel, pene totus concurrit cum anno 19 Josaphat. Grotius, an ex notis numerorum natus error, an varietas inde orta, quod filii interdum cum patribus regnarunt: quod & Persicam Chronologiam confudit.

CAP. II.

3. (*a*) Discipuli. *Hodie*: intra paucos dies.

9. (*b*) S. Thomas lib. 4. contra gentes, cap. 11. Fiat in me duplex spiritus Prophetiæ & miraculorum. Alii sic petitionem Elisei explicant; Ex spiritu tuo duæ tertiæ partes mihi dentur. Insolens enim ipsis videretur petitio, si duplicatum & majus spiritus donum postularet: sed id petiit, quod postulandum divino instinctu accepit, gratiam duplicem. Ambr. Lib. de Eliseo: Elisei hæc prima laus est, quod patrem voluit gratia superare: avarus est quidem in petendo, sed idoneus in promittendo. Alii vocem Hebræam *Pi-senaim*, פי־שנים, pro portione sumi contendunt, ut Deuter. 21. 17. ubi de jure primogenituræ sermo habetur; adeo ut velut primogenitus inter discipulos haberi, & quasi duas partes sibi dari postulet.

10 (*c*) Ut hinc doceretur Eliseus, hoc donum a Deo, non ab Elia pendere.

11. Cumque pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus (*d*), & equi
* Eccli. 48. 8. 11. 1. Mach. 2. 58. ignei diviserunt utrumque: & * ascendit Elias per turbinem in cælum.

12. Eliseus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi, currus (*e*) Israel, & auriga ejus. Et non vidit eum amplius: apprehenditque vestimenta sua, & scidit illa in duas partes.

13. Et levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reversusque stetit super ripam Jordanis,

14. Et pallio Eliæ, quod ceciderat ei, percussit aquas, & non sunt divisæ (*f*), & dixit: Ubi est Deus Eliæ etiam nunc? Percussitque aquas, & divisæ sunt huc atque illuc, & transiit Eliseus.

15. Videntes autem filii prophetarum, qui erant in Jericho e contra, dixerunt: Requievit spiritus Eliæ super Eliseum. Et venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram,

16. Dixeruntque illi: Ecce, cum servis tuis sunt quinquaginta viri fortes, qui possunt ire, & quærere dominum tuum ne forte tulerit eum Spiritus Domini, & projecerit eum in unum montium, aut in unam vallium. Qui ait: Nolite mittere.

17. Coegeruntque eum, donec acquiesceret, & diceret: Mittite. Et miserunt quinquaginta viros (*g*): qui cum quæsissent tribus diebus, non invenerunt.

18. Et reversi sunt ad eum: at ille habitabat in Jericho, & dixit eis: Numquid non dixi vobis: Nolite mittere?

19. Dixerunt quoque viri civitatis ad Eliseum: Ecce habitatio civitatis hujus optima est, sicut tu ipse domine perspicis: sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis.

20. At ille ait: Afferte mihi vas novum, & mittite in illud sal. Quod cum attulissent,

21. Egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, & ait: Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, neque sterilitas.

22. Sanatæ sunt ergo aquæ usque in diem hanc, juxta verbum Elisei, quod locutus est.

23. Ascendit autem inde in Bethel: cumque ascenderet per viam, pueri parvi egressi sunt de civitate: & illudebant ei, dicentes: Ascende calve, ascende calve.

24. Qui cum respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine (*h*) Domini: egressique sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.

25. Abiit autem inde in montem Carmeli, & inde reversus est in Samariam.

CAPUT III.

Cum rebellasset Moab, Joram filius Achab & Josaphat rex Juda bellum illi inferunt. Eliseus illis adest propter Josaphat, pluviam iis promittit & victoriam.

1. JOram (*a*) vero filius Achab regnavit super Israel in Samaria anno decimo octavo Josaphat regis Judæ. Regnavitque duodecim annis.

2. Et fecit malum coram Domino, sed non sicut pater suus & mater: tulit enim statuas Baal, quas fecerat pater ejus.

3. Verumtamen in peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, adhæsit, nec recessit ab eis.

4. Porro Mesa rex Moab, nutriebat (*b*) pecora multa, & solvebat regi Israel centum millia agnorum, & centum millia arietum cum velleribus suis.

5. Cumque mortuus fuisset Achab, prævaricatus est fœdus, quod habebat cum rege Israel.

6. Egressus est igitur rex Joram in die illa de Samaria, & recensuit universum Israel.

7. Misitque ad Josaphat regem Juda, dicens: Rex Moab recessit a me, veni mecum contra eum ad prælium. Qui respondit: Ascendam: qui meus est, tuus est: populus meus, populus tuus: & equi mei, equi tui.

8. Dixitque: Per quam viam ascendemus? At ille respondit: Per desertum Idumææ.

9. Perrexerunt igitur rex Israel, & rex Juda, & rex (*c*) Edom, & circuierunt per viam septem dierum, nec erat aqua exercitui, & jumentis, quæ sequebantur eos.

10. Dixitque rex Israel: Heu, heu, heu congregavit nos Dominus tres reges, ut traderet in manus Moab.

11. Et ait Josaphat: Estne hic propheta Domini, ut deprecemur Dominum per eum? Et respondit unus de servis regis Israel: Est hic Eliseus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Eliæ.

12. Et ait Josaphat: Est apud eum sermo Domini. Descenditque ad eum rex Israel, & Josaphat rex Juda, & rex Edom.

13. Di-

11. (*d*) Nubes splendida in currus & equorum similitudinem formata ab Angelo: *Et ascendit Elias per turbinem in cælum*: nempe in aera, unde translatus est in locum terræ nobis incognitum usque ad tempora novissima, ut habetur Eccli. 48. 10. *Qui scriptus es in judiciis temporum, lenire iracundiam Domini, &c.* Hinc pugnaturus contra Antichristum & Judæos ad fidem perducturus creditur.

12. (*e*) Hoc proverbio Hebræi summum in adversis præsidium significant; Elias instar currus & aurigæ fuit, dum Israelitas victores hostium fecit; sic enim Reges pugnabant curribus & equis instructi: Hebr. *Currus & equites ejus*. alludit ad ea quæ videbat, & simul ostendit Eliam ipsum fuisse populi robur.

14. (*f*) Ut Eliseus hinc disceret miracula non pendere a sua voluntate. Queritur de denegata sibi ope cælesti: *Ubi est Deus Eliæ?* Ambr. *Non quod putaret absentem, sed quia præsentiam ejus in beneficiis requirebat.*

17. (*g*) Qui ante biennium consors regni a patre Josaphat factus fuerat.

24. (*h*) Invocato nomine Domini: eorum clade voluit Deus parentes admoneri, ut liberos suos instituant ac doceant reverentiam erga senes & Dei servos: atque in liberis parentes punire voluit. Ex August. serm. 204. de tempore: *Hoc pro grandi pietate, & ineffabili misericordia factum est, ut quia Deo humiliter prædicantibus Prophetis Judæi nolebant credere, vel cum severitate vindictam irrogatam metuerent, & timentes mortem corporum, vel sic salutem requirerent animarum.*

CAP. III. 1. (*a*) Quæ scripta sunt in fine superioris libri de morte Josaphat, ea videntur scripta per anticipationem. Joram ipse rex Israel anno 19. Josaphat regnare cœpit; ab hoc anno usque ad Athaliæ annum primum vitam produxit Joram, cum Jehu res novas moliri cœpit: sic & regni Joram anni numerantur: sed illud memoria tenendum, in Chronologia annos excurrentes & imperfectos interdum non computari, ac filios aliquando regnasse una cum patribus: unde nunc solius patris, nunc filii cum patre regnantis numerantur anni.

4. & 5. (*b*) Hebr. Noked, נוקד. *erat pecuarius*, vectigal dabat de iis quibus abundabat, ut alii minores Reges. *Prævaricatus*, excussit reverentiam majoris imperii.

9. (*c*) Qui regis Juda erat tributarius, vel præfectus vice Regis.

13. Dixit autem Eliseus ad regem Israel: Quid mihi & tibi est? vade ad prophetas patris tui, & matris tuæ. Et ait illi rex Israel: Quare congregavit Dominus tres reges hos, ut traderet eos in manus Moab?

14. Dixitque ad eum Eliseus: Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat regis Judæ erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem.

15. Nunc autem adducite mihi psaltem (*d*). Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, & ait:

16. Hæc dicit Dominus: Facite (*e*) alveum torrentis hujus fossas, & fossas.

17. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluviam: & alveus iste replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ vestræ, & jumenta vestra.

18. Parumque est hoc in conspectu Domini: insuper tradet etiam Moab in manus vestras.

19. Et percutietis omnem civitatem munitam, & omnem urbem electam, & universum lignum fructiferum succidetis, cunctosque fontes aquarum obturabitis, & omnem agrum egregium operietis lapidibus.

20. Factum est igitur mane, quando sacrificium offerri solet, & ecce, aquæ veniebant per viam Edom, & repleta est terra aquis.

21. Universi autem Moabitæ (*f*) audientes quod ascendissent reges ut pugnarent adversum eos, convocaverunt omnes qui accincti erant balteo desuper, & steterunt in terminis.

22. Primoque mane surgentes, & orto jam sole ex adverso aquarum, viderunt Moabitæ econtra aquas rubras quasi sanguinem.

23. Dixeruntque: Sanguis gladii est: pugnaverunt reges contra se, & cæsi sunt mutuo: nunc perge ad prædam Moab.

24. Perrexeruntque in castra Israel: porro consurgens Israel, percussit Moab: at illi fugerunt coram eis. Venerunt igitur qui vicerant, & percusserunt Moab,

25. Et civitates destruxerunt: & omnem agrum optimum, mittentes singuli lapides, repleverunt: & universos fontes aquarum obturaverunt: & omnia ligna fructifera succiderunt, ita ut muri tantum fictiles remanerent: & circumdata est civitas a fundibulariis (*g*), & magna ex parte percussa.

26. Quod cum vidisset rex Moab, prævaluisse scilicet hostes, tulit secum septingentos viros educentes gladium, ut irrumperent ad regem Edom: & non potuerunt.

27. Arripiensque filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum: & facta est indignatio magna in Israel, statimque recesserunt ab eo, & reversi sunt in terram suam.

CAPUT IV.

Mulieri ære alieno oppressæ Eliseus tantum olei præbet, quantum satis erat solvendo. Sunamitidi filium nasciturum promittit, quem postea a mortuis excitavit; atque alia edit miracula, quæ hoc capite & sequenti continentur.

1. MUlier autem quædam de uxoribus prophetarum clamabat ad Eliseum, dicens: Servus tuus vir meus mortuus est, & tu nosti quia servus tuus fuit timens Dominum, & ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi.

2. Cui dixit Eliseus: Quid vis ut faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respondit: Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo ungar.

3. Cui ait: Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca.

4. Et ingredere, & claude ostium tuum, cum intrinsecus fueris tu, & filii tui: & mitte inde in omnia vasa hæc: & cum plena fuerint, tolles.

5. Ivit itaque mulier, & clausit ostium super se, & super filios suos: illi offerebant vasa, & illa infundebat.

6. Cumque plena fuissent vasa, dixit ad filium suum: Affer mihi adhuc vas. Et ille respondit: Non habeo. Stetitque oleum.

7. Venit autem illa, & indicavit homini Dei. Et ille, Vade, inquit, vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem, & filii tui vivite de reliquo.

8. Facta est autem quædam dies, & transibat Eliseus per Sunam: erat autem ibi mulier magna (*a*), quæ tenuit eum ut comederet panem: cumque frequenter inde transiret, divertebat ad eam ut comederet panem.

9. Quæ dixit ad virum suum: Animadverto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequenter.

10. Faciamus ergo ei cœnaculum parvum, & ponamus ei in eo lectulum, & mensam, & sellam, & candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi.

11. Facta est ergo dies quædam, & veniens divertit in cœnaculum, & requievit ibi.

12. Dixitque ad Giezi puerum suum: voca Sunamitidem istam. Qui cum vocasset eam, & illa stetisset coram eo,

13. Dixit ad puerum suum: Loquere ad eam: Ecce sedule in omnibus ministrasti nobis, quid vis ut faciam tibi? numquid habes negotium, & vis ut loquar regi, sive principi militiæ? Quæ respondit: In medio populi mei habito.

14. Et ait: Quid ergo vult ut faciam ei? Dixitque Giezi: Ne quæras: filium enim non habet, & vir ejus senex est.

15. Præcepit itaque ut vocaret eam: quæ cum vocata fuisset, & stetisset ante ostium,

16. Di-

15. (*d*) Ut caneret aliquid in laudem Dei, & harmoniæ suavitate animus esset aptior ad prophetandum. Nam spiritus prophetiæ non semper adest Prophetis ad eorum nutum: sed mens aut jejunio, aut oratione, aut etiam externis adminiculis excitatur ad devotionem.

16. (*e*) Torrens exaruerat; jubet fieri fossas ad venturam aquam recipiendam.

21. (*f*) Vi imaginatrice turbata, aut forte ex nascentis solis radiorum reflexione.

25. (*g*) Grotius intelligi putat eos qui aliis machinis quassabant mœnia: hos *Libratores* vocat Tacitus.

CAP. IV. 8 (*a*) Opulenta: *Cumque frequenter inde transiret*: visitans collegia Prophetarum.

16. Dixit ad eam: In tempore isto, & in hac eadem hora, si vita comes fuerit, habebis in utero filium. At illa respondit: Noli quæso domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillæ tuæ.

17. Et concepit mulier, & peperit filium in tempore, & in hora eadem, qua dixerat Eliseus.

18. Crevit autem puer. Et cum esset quædam dies, & egressus isset ad patrem suum, ad messores,

19. Ait patri suo: Caput meum doleo, caput meum doleo. At ille dixit puero: Tolle, & duc eum ad matrem suam.

20. Qui cum tulisset, & duxisset eum ad matrem suam, posuit eum illa super genua sua usque ad meridiem, & mortuus est.

21. Ascendit autem, & collocavit eum super lectulum hominis Dei, & clausit ostium: & egressa,

22. Vocavit virum suum, & ait: Mitte mecum, obsecro, unum de pueris, & asinam, ut excurram usque ad hominem Dei, & revertar.

23. Qui ait illi: Quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt Calendæ (*b*), neque Sabbatum. Quæ respondit: Vadam.

24. Stravitque asinam, & præcepit puero: Mina, & propera, ne mihi moram facias in eundo: & hoc age quod præcipio tibi.

25. Profecta est igitur, & venit ad virum Dei in montem Carmeli: cumque vidisset eam vir Dei econtra, ait ad Giezi puerum suum: Ecce Sunamitis illa.

26. Vade ergo in occursum ejus, & dic ei: Rectene agitur circa te, & circa virum tuum, & circa filium tuum? Quæ respondit recte.

27. Cumque venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes ejus: & accessit Giezi ut amoveret eam. Et ait homo Dei: Dimitte illam: anima enim ejus in amaritudine est, & Dominus celavit a me, & non indicavit mihi.

28. Quæ dixit illi: Numquid petivi filium a domino meo? numquid non dixi tibi: Ne illudas me?

29. Et ille ait ad Giezi: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes (*c*) eum: & si salutaverit te quispiam, non respondeas illi: & pones baculum meum super faciem pueri.

30. Porro mater pueri ait: Vivit Dominus, & vivit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo, & secutus est eam.

31. Giezi autem præcesserat (*d*) ante eos, & posuerat baculum super faciem pueri, & non erat vox, neque sensus: reversusque est in occursum ejus, & nuntiavit ei, dicens: Non surrexit puer.

32. Ingressus est ergo Eliseus domum, & ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus:

33. Ingressusque clausit ostium super se, & super puerum: & oravit ad Dominum.

34. Et ascendit, & incubuit super puerum: posuitque os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus suas super manus ejus, & incurvavit se super eum, & calefacta est caro pueri.

35. At ille reversus, deambulavit in domo, semel huc atque illuc: & ascendit, & incubuit super eum: & oscitavit puer septies, aperuitque oculos.

36. At ille vocavit Giezi, & dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait: Tolle filium tuum.

37. Venit illa, & corruit ad pedes ejus, & adoravit super terram: tulitque filium suum, & egressa est,

38. Et Eliseus reversus est in Galgala. Erat autem fames (*e*) in terra, & filii prophetarum habitabant coram eo: dixitque uni de pueris suis: Pone ollam grandem, & coque pulmentum filiis prophetarum.

39. Et egressus est unus in agrum, ut colligeret herbas agrestes: invenitque quasi vitem silvestrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & implevit pallium suum, & reversus concidit in ollam pulmenti: nesciebat enim quid esset.

40. Infuderunt ergo sociis, ut comederent: cumque gustassent de coctione, clamaverunt, dicentes: Mors in olla vir Dei. Et non potuerunt comedere.

41. At ille, Afferte, inquit, farinam. Cumque tulissent, misit in ollam, & ait: Infunde turbæ, ut comedant. Et non fuit amplius quidquam amaritudinis in olla.

42. Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, viginti panes hordeaceos, & frumentum novum in pera sua. At ille dixit: Da populo, ut comedat.

43. Responditque ei minister ejus: Quantum est hoc, ut apponam centum viris? Rursum ille ait: Da populo, ut comedat; hæc enim dicit Dominus: Comedent, & supererit.

44. Posuit itaque coram eis: qui comederunt, & superfuit juxta verbum Domini.

CAPUT V.

Naaman a lepra mundat Eliseus, qui oblata recusat munera; hæc clam accipit Giezi qui lepra inficitur.

1. NAaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum suum, & honoratus: per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ: erat autem vir fortis, & dives, sed leprosus.

2. Porro de Syria egressi fuerant latrunculi (*a*) & captivam duxerant de Terra Israel puellam parvulam, quæ erat in obsequio uxoris Naaman,

3. Quæ

23. & 24. (*b*) Hebr. Non mensis, quo feriari solebant; cur adis Carmelum? non est festus dies. Cum tamen Suna civitas longius a Carmelo distaret, verisimile est vigiliam Sabbati sumi pro Sabbato. *Mina*, propelle, unde ducunt verbum Gallicum *mener*.

29. (*c*) Huic negotio nihil anteponas.

31. & 35. (*d*) Magnum in hoc miraculo mysterium agnoscit Augustinus in Psalm. 75. conc. 1. Baculus legem per Mosem datam, quæque vivificare non potuit, aptissime designat. Sed postea venit Eliseus, nempe post legem Christus, qui per Incarnationem corpus suum nostro corpori, & membra membris sic aptavit, & ad nostram se demisit infirmitatem, ut nos a morte peccati liberaret. Eliseus porro alternatim membra infantis membris composuit, ut in simili miraculo Elias: nam statura pueri id exigebat. *Oscitavit*; Hebr. Sternutavit.

38. 39. & 40. (*e*) Fame septem annorum inchoata, de qua cap 8. *Habitabant coram eo*, sedebant ut discipuli. *Sylvestrem*: Colocynthis colligitur e planta, quæ similis est viti. *Mors*: venenum.

CAP. V. 2. (*a*) Hebr. *Turmæ*; LXX *Accincti*, seu milites, qui olim latrones dicebantur.

3. Quæ ait ad dominam suam: Utinam fuisset dominus meus ad prophetam, qui est in Samaria: profecto curasset eum a lepra, quam habet.

4. Ingressus est itaque Naaman ad dominum suum, & nuntiavit ei, dicens: Sic & sic locuta est puella de Terra Israel.

5. Dixitque ei rex Syriæ: Vade, & mittam litteras ad regem Israel. Qui cum profectus esset, & tulisset secum decem talenta argenti, & sex millia aureos, & decem mutatoria vestimentorum (*b*),

6. Detulit litteras ad regem Israel, in hæc verba: Cum acceperis epistolam hanc, scito quod miserim ad te Naaman servum meum, ut cures (*c*) eum a lepra sua.

7. Cumque legisset rex Israel litteras, scidit vestimenta sua, & ait: Numquid Deus ego sum, ut occidere possim, & vivificare, quia iste misit ad me, ut curem hominem a lepra sua? animadvertite, & videte quod occasiones quærat adversum me.

8. Quod cum audisset Eliseus vir Dei, scidisse videlicet regem Israel vestimenta sua, misit ad eum, dicens: Quare scidisti vestimenta tua? veniat ad me, & sciat esse prophetam in Israel.

9. Venit ergo Naaman cum equis & curribus, & stetit ad ostium Elisei:

10. Misitque ad eum Eliseus nuntium, dicens: Vade, & lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.

11. Iratus Naaman recedebat, dicens: Putabam quod egrederetur ad me, & stans invocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me.

12. Numquid (*d*) non meliores sunt Abana, & Pharphar fluvii Damasci, omnibus aquis Israel, ut laver in eis, & munder? Cum ergo vertisset se, & abiret indignans,

13. Accesserunt ad eum servi sui, & locuti sunt ei: Pater, & si rem grandem dixisset tibi propheta, certe facere debueras: quanto magis quia nunc dixit tibi: Lavare, & mundaberis?

*Luc. 4. 27. 14. * Descendit, & lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, & restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, & mundatus est.

15. Reversusque ad virum Dei cum universo comitatu suo, venit, & stetit coram eo, & ait: Vere scio quod non sit alius Deus in universa terra, nisi tantum in Israel. Obsecro itaque ut accipias benedictionem a servo tuo.

16. At ille respondit: Vivit Dominus, ante quem sto (*e*), quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitus non acquievit.

17. Dixitque Naaman: Ut vis, sed, obsecro, concede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra: non enim faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis, nisi Domino.

18. Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remmon ut adoret, & illo innitente super manum meam, si adoravero (*f*) in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re.

19. Qui dixit ei: Vade in pace. Abiit ergo ab eo electo (*g*) terræ tempore.

20. Dixitque Giezi puer viri Dei: Pepercit dominus meus Naaman Syro isti, ut non acciperet ab eo quæ attulit: vivit Dominus, quia curram post eum, & accipiam ab eo aliquid.

21. Et secutus est Giezi post tergum Naaman: quem cum vidisset ille currentem ad se, desiliit de curru in occursum ejus, & ait: Rectene sunt omnia?

22. Et ille ait: Recte. Dominus meus misit me ad te, dicens: Modo venerunt ad me duo adolescentes de monte Ephraim, ex filiis prophetarum: da eis talentum argenti, & vestes mutatorias duplices.

23. Dixitque Naaman: Melius est ut accipias duo talenta. Et coegit eum, ligavitque duo talenta argenti in duobus saccis, & duplicia vestimenta, & imposuit duobus pueris suis, qui & portaverunt coram eo.

24. Cumque venisset jam vesperi, tulit de manu eorum, & reposuit in domo, dimisitque viros, & abierunt.

25. Ipse autem ingressus, stetit coram domino suo. Et dixit Eliseus: Unde venis Giezi? Qui respondit: Non ivit servus tuus quoquam.

26. At ille ait: Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tui? Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & servos, & ancillas.

27. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi (*h*), & semini tuo, usque in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix.

CAPUT VI.

Novo edito miraculo ferri aquis innatantis, Eliseus regem Israel pugnantem contra regem Syriæ admonet, ubi insidias posuerit rex Syriæ. Hic mittit viros qui eum capiant, quos Eliseus percussit scotomate.

1. DIxerunt autem filii prophetarum ad Eliseum: Ecce locus, in quo habitamus coram (*a*) te, angustus est nobis.

2. Eamus

5. (*b*) Vestes pretiosiores, quæ festis diebus indui solent, aut vestes alternas.

6. (*c*) Ut tuo jussu Propheta, qui est in regno tuo, eum curet a lepra.

12. & 13. (*d*) Ambr. lib. 1. capit. 5. de Sacramentis: *Non aquæ omnes sanant, sed aqua sanat quæ habet gratiam Christi:* & in cap. 4. Lib. 1. Lucæ: *Edisce Christiane rogare quod cupias impetrare: fastidiosos viros cælestium profectus munerum non sequuntur.* Pater, est nomen honoris.

16. & 17. (*e*) Stare consuevi in oratione. *Vis*, non est in Hebræo, neque in LXX. *Ut tollam onus duorum burdonum:* Hebr. *paris mulorum:* burdo est mulus ex Asina natus. Vult aram erigere in terra Israelitica, quam putabat sanctam, atque ejurat idololatriam.

18. (*f*) Hebr. *Si incurvavero me:* Quod illi concedit Eliseus, ut cum Rege se summittente ideo se incurvet, non in cultum Idoli, sed ut suum munus sustentandi Regis obeat.

19. (*g*) Commodo tempore. Hebr. *Quasi milliare terræ:* eadem est vox Gen. 35. 16. quam Hieronymus vertit *tractum terræ.*

27. (*h*) Qui cupiditatis tuæ hæredes futuri sunt. Ambr. ibid. *Ergo omnes cupidi, omnes avari, Giezi lepram cum divitiis suis possident, & malo quæsita mercede non tam patrimonium facultatum, quam thesaurum criminum congregarunt.* Lepra Naaman, pœna hæc fuit cum intempestivæ acceptionis munerum, tum mendacii quo prophetam voluit decipere.

CAP. VI. 1. & 6. (*a*) Apud te. *Præcidi:* Tertull. adversus Judæos, capit. 13. *Quid manifestius hujus ligni sacramento? quia duritia hujus sæculi mersa in profundo erroris, & a ligno Christi, id est, Passionis ejus in baptismo liberatur, ut quod perierat olim per lignum in Adam, id restitueretur per lignum Christi.* *Mutuo:* Acceperam commodato.

2. Eamus usque ad Jordanem, & tollant singuli de silva materias singulas, ut ædificemus nobis ibi locum ad habitandum. Qui dixit: Ite.

3. Et ait unus ex illis: Veni ergo & tu cum servis tuis. Respondit: Ego veniam.

4. Et abiit cum eis. Cumque venissent ad Jordanem, cædebant ligna.

5. Accidit autem, ut cum unus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam: exclamavitque ille, & ait: Heu, heu, heu domine mi, & hoc ipsum mutuo acceperam.

6. Dixit autem homo Dei: Ubi cecidit? At ille monstravit ei locum. Præcidit ergo lignum, & misit illuc: natavitque ferrum,

7. Et ait: Tolle. Qui extendit manum, & tulit illud.

8. Rex autem Syriæ pugnabat contra Israel, consiliumque iniit cum servis suis, dicens: In loco illo & illo ponamus insidias.

9. Misit itaque vir Dei ad regem Israel, dicens: Cave ne transeas in locum illum: quia ibi Syri in insidiis sunt.

10. Misit itaque rex Israel ad locum, quem dixerat ei vir Dei, & præoccupavit eum, & observavit se ibi non semel, neque bis.

11. Conturbatumque est cor regis Syriæ pro hac re: & convocatis servis suis, ait: Quare non indicatis mihi quis proditor mei sit apud regem Israel?

12. Dixitque unus servorum ejus: Nequaquam domine mi rex, sed Eliseus propheta, qui est in Israel, indicat regi Israel omnia verba quæcumque locutus fueris in conclavi tuo.

13. Dixitque eis: Ite, & videte ubi sit: ut mittam, & capiam eum. Annuntiaveruntque ei, dicentes: Ecce in Dothain.

14. Misit ergo illuc equos & currus, & robur exercitus: qui cum venissent nocte, circumdederunt civitatem.

15. Consurgens autem diluculo minister viri Dei, egressus vidit exercitum in circuitu civitatis, & equos & currus: nuntiavitque ei, dicens: Heu, heu, heu domine mi, quid faciemus?

16. At ille respondit: Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.

17. Cumque orasset Eliseus, ait: Domine, aperi oculos hujus, ut videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum, in circuitu Elisei.

18. Hostes vero descenderunt ad eum: porro Eliseus oravit ad Dominum, dicens: Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate (*b*). Percussitque eos Dominus, ne viderent, juxta verbum Elisei.

19. Dixit autem ad eos Eliseus: Non est hæc via (*c*), neque ista est civitas: sequimini me, & ostendam vobis virum, quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam:

20. Cumque ingressi fuissent in Samariam, dixit Eliseus: Domine aperi oculos istorum, ut videant. Aperuitque Dominus oculos eorum, & viderunt se esse in medio Samariæ.

21. Dixitque rex Israel ad Eliseum, cum vidisset eos: Numquid percutiam eos, pater mi?

22. At ille ait: Non percuties: neque enim cepisti (*d*) eos gladio & arcu tuo, ut percutias: sed pone panem & aquam coram eis, ut comedant & bibant, & vadant ad dominum suum.

23. Appositaque est eis ciborum magna præparatio, & comederunt, & biberunt, & dimisit eos, abieruntque ad dominum suum, & ultra non venerunt (*e*) latrones Syriæ in Terram Israel.

24. Factum est autem post hæc, congregavit Benadad rex Syriæ universum exercitum suum, & ascendit, & obsidebat Samariam.

25. Factaque est fames magna in Samaria: & tamdiu obsessa est, donec venumdaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris (*f*) columbarum quinque argenteis.

26. Cumque rex Israel transiret per murum, mulier quædam exclamavit ad eum, dicens: Salva me domine mi rex.

27. Qui ait: Non te salvat Dominus: unde te possum salvare? de area, vel de torculari? Dixitque ad eam rex: Quid tibi vis? Quæ respondit:

28. Mulier ista dixit mihi: Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras.

29. Coximus ergo filium meum, & comedimus. Dixique ei die altera: Da filium tuum, ut comedamus eum. Quæ abscondit filium suum.

30. Quod cum audisset rex, scidit vestimenta sua, & transibat per murum. Viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus.

31. Et ait rex: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Elisei filii Saphat super ipsum hodie.

32. Eliseus autem sedebat in domo sua, & senes sedebant cum eo. Præmisit itaque virum: & antequam veniret nuntius ille, dixit ad senes: Numquid scitis quod miserit filius homicidæ hic, ut præcidatur caput meum? videte ergo, cum venerit nuntius, claudite ostium, & non sinatis eum introire: ecce enim sonitus pedum domini (*g*) ejus post eum est.

33. Adhuc illo loquente eis, apparuit nuntius, qui veniebat ad eum. Et ait: Ecce, tantum malum a Domino est: quid amplius expectabo a Domino?

CA-

18. (*b*) Quæ quidem non talis erat, ut nihil omnino viderent, sed qua non agnoscerent quod quærebant, ut docet Augustin. Lib. 22. de civit. cap. 55. Percute *Scotomate*, seu oculorum caligine.

19. (*c*) Petierant ab Eliseo an hæc esset civitas in qua erat Eliseus, & quæ via ad illam duceret. Eliseus aliquas eorum interrogationes elusit, nec tenebatur ad eorum mentem iis respondere.

22. (*d*) Hebr. An quos cepisti gladio, & arcu tuo, cos interficeres, parceres captivis tuis, quanto magis his quos Deus tibi in manus dedit?

23. (*e*) Per longum tempus. *Latrones* vocat excursores, ex Josepho.

25. (*f*) Ut pro condimento esset loco salis: alii putant stercus vocari grana, quæ columbæ ingluvie continentur.

32. & 33. (*g*) Regis qui mandatum revocaturus veniebat. *Ait*: Nuntius qui missus veniebat ad occidendum Prophetam: vel ut aliis videtur, Rex ipse qui expectanti adostium nuntio advenerat, & quem, ut verisimile est, Propheta monuerat, ut a Deo auxilium posceret.

CAPUT VII.

Eliseus in Samaria prædicit frumenti abundantiam mox futuram. Territi a Deo Syri solvunt obsidionem.

1. DIxit autem Eliseus: Audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus: In tempore hoc cras modius (*a*) similæ uno statere erit, & duo modii hordei statere uno, in porta Samariæ.

2. Respondens unus de ducibus, super cujus manum rex incumbebat, homini Dei, ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, numquid poterit esse quod loqueris? Qui ait: Videbis oculis tuis, & inde non comedes.

3. Quatuor ergo viri erant leprosi juxta introitum portæ: qui dixerunt ad invicem: Quid hic esse volumus donec moriamur?

4. Sive ingredi voluerimus civitatem, fame moriemur: sive manserimus hic, moriendum nobis est: venite ergo, & transfugiamus ad castra Syriæ: si pepercerint nobis, vivemus: si autem occidere voluerint, nihilominus moriemur.

5. Surrexerunt ergo vesperi, ut venirent ad castra Syriæ. Cumque venissent ad principium castrorum Syriæ, nullum ibidem repererunt.

6. Siquidem Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ, curruum & equorum, & exercitus plurimi: dixeruntque ad invicem: Ecce mercede conduxit adversum nos rex Israel reges Hethæorum, & Ægyptiorum, & venerant super nos.

7. Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria sua, & equos & asinos, in castris, fugeruntque animas tantum suas salvare cupientes.

8. Igitur cum venissent leprosi illi ad principium castrorum, ingressi sunt unum tabernaculum, & comederunt, & biberunt: tuleruntque inde argentum, & aurum, & vestes, & abierunt, & absconderunt, & rursum reversi sunt ad aliud tabernaculum, & inde similiter auferentes absconderunt.

9. Dixeruntque ad invicem: Non recte facimus: hæc enim dies boni nuntii est. Si tacuerimus, & noluerimus nuntiare usque mane, sceleris arguemur: venite, eamus, & nuntiemus in aula regis.

10. Cumque venissent ad portam civitatis, narraverunt eis, dicentes: Ivimus ad castra Syriæ, & nullum ibidem reperimus hominem, nisi equos, & asinos alligatos, & fixa tentoria.

11. Ierunt ergo portarii, & nuntiaverunt in palatio regis intrinsecus.

12. Qui surrexit nocte, & ait ad servos suos: Dico vobis quid fecerint nobis Syri: Sciunt quia fame laboramus, & idcirco egressi sunt de castris, & latitant in agris, dicentes: Cum egressi fuerint de civitate, capiemus eos vivos, & tunc civitatem ingredi poterimus.

13. Respondit autem unus servorum ejus: Tollamus quinque equos, qui remanserunt in urbe (quia ipsi tantum sunt in universa multitudine Israel, alii enim consumpti sunt) & mittentes, explorare poterimus.

14. Adduxerunt ergo duos equos, miseruntque rex in castra Syrorum, dicens: Ite, & videte.

15. Qui abierunt post eos usque ad Jordanem: ecce autem omnis via plena erat vestibus, & vasis, quæ projecerant Syri cum turbarentur: reversique nuntii indicaverunt regi.

16. Et egressus populus diripuit castra Syriæ: factusque est modius similæ statere uno, & duo modii hordei statere uno, juxta verbum Domini.

17. Porro rex ducem illum, in cujus manu incumbebat, constituit ad portam: quem conculcavit turba in introitu portæ, & mortuus est, juxta quod locutus fuerat vir Dei, quando descenderat rex ad eum.

18. Factumque est secundum sermonem viri Dei, quem dixerat regi, quando ait: Duo modii hordei statere uno erunt, & modius similæ statere uno, hoc eodem tempore cras in porta Samariæ:

19. Quando responderat dux ille viro Dei, & dixerat: Etiamsi Dominus fecerit cataractas in cælo, numquid poterit fieri quod loqueris? Et dixit ei: Videbis oculis tuis, & inde non comedes.

20. Evenit ergo ei sicut prædictum fuerat, & conculcavit eum populus in porta, & mortuus est.

CAPUT VIII.

Post septennem famem ab Eliseo prædictam, mulier Sunamitis, quæ illius consilio peregrinata fuerat, agros suos & bona recuperat. Eliseus Benadad ægrotantem prædicit moriturum, & Hazael regnaturum.

1. ELiseus autem locutus (*a*) est ad mulierem, * cujus vivere fecerat filium, dicens: Surge, vade tu & domus tua, & peregrinare ubicumque repereris: vocavit enim Dominus famem, & veniet super terram septem annis. * Sup. 4. 35.

2. Quæ surrexit, & fecit juxta verbum hominis Dei: & vadens cum domo sua, peregrinata est in Terra Philisthiim diebus multis.

3. Cumque finiti essent anni septem, reversa est mulier de Terra Philisthiim: & egressa est ut interpellaret regem pro domo sua, & pro agris suis.

4. Rex autem loquebatur cum Giezi (*b*) puero viri Dei, dicens: Narra mihi omnia magnalia, quæ fecit Eliseus.

5. Cumque ille narraret regi quomodo mortuum suscitasset, apparuit mulier, cujus vivificaverat filium, clamans ad regem pro domo sua, & pro agris suis. Dixitque Giezi: Domine mi rex, hæc est mulier, & hic est filius ejus, quem suscitavit Eliseus.

6. Et

CAP. VII. 1 & 2. (*a*) Hebr. & LXX. *Satum*. *Cataractas*: Hebr. *Fenestras*, unde frumenta plueret. Reliqua satis plana sunt.

CAP. VIII. 1. 2. & 3. (*a*) Locutus fuerat, cum filium ejus ad vitam revocasset. *Vocavit*: mala sunt velut satellites, quos Deus vocat, cum vult. *Agris*: quos alii ut vacua occupaverant.

4. & 9. (*b*) Sed a longe, cum Giezi esset leprosus. *Omnia*: LXX. *Ex omnibus bonis*, pretiosa quæque.

6. Et interrogavit rex mulierem: quæ narravit ei. Deditque ei rex eunuchum unum, dicens: Restitue ei omnia quæ sua sunt, & universos reditus agrorum a die, qua reliquit terram usque ad præsens.

7. Venit quoque Eliseus Damascum, & Benadad rex Syriæ ægrotabat: nuntiaveruntque ei, dicentes: Venit vir Dei huc.

8. Et ait rex ad Hazael: Tolle tecum munera, & vade in occursum viri Dei, & consule Dominum per eum, dicens: Si evadere potero de infirmitate mea hac?

9. Ivit igitur Hazael in occursum ejus, habens secum munera, & omnia bona Damasci, onera quadraginta camelorum. Cumque stetisset coram eo, ait: Filius tuus Benadad rex Syriæ misit me ad te, dicens: Si sanari potero de infirmitate mea hac?

10. Dixitque ei Eliseus: Vade, dic ei: Sanaberis: Porro ostendit mihi Dominus quia morte morietur. (c)

11. Stetitque cum eo, & conturbatus est usque ad suffusionem (d) vultus: flevitque vir Dei.

12. Cui Hazael ait: Quare dominus meus flet? At ille dixit: Quia scio quæ facturus sis
* Infr. 13. 7. filiis Israel mala. * Civitates eorum munitas igne succendes, & juvenes eorum interficies gladio, & parvulos eorum elides, & prægnantes divides.

13. Dixitque Hazael: Quid enim sum servus tuus canis, ut faciam rem istam magnam? Et ait Eliseus: Ostendit mihi Dominus te regem Syriæ fore.

14. Qui cum recessisset ab Eliseo, venit ad dominum suum. Qui ait ei: Quid dixit tibi Eliseus? At ille respondit: Dixit mihi: Recipies sanitatem.

15. Cumque venisset dies altera, tulit stragulum, & infudit aquam, & expandit super faciem ejus: quo mortuo, regnavit Hazael pro eo.

16. Anno quinto Joram filii Achab regis Israel, & Josaphat (e) regis Juda, regnavit Joram filius Josaphat rex Juda.

* 2. Par. 21. 5. 17. * Triginta duorum annorum erat cum regnare cœpisset, & octo annis regnavit in Jerusalem.

18. Ambulavitque in viis regum Israel, sicut ambulaverat domus Achab: filia enim Achab erat uxor ejus: & fecit quod malum est in conspectu Domini.

* 3. Reg. 7. 16. 19. * Noluit autem Dominus disperdere Judam, propter David servum suum, sicut promiserat ei, ut daret illi lucernam, & filiis ejus cunctis diebus.

* 2. Par. 21. 8 20. * In diebus ejus recessit Edom, ne esset sub Juda, & constituit sibi regem.

21. Venitque Joram Seira, & omnes currus cum eo: & surrexit nocte, percussitque Idumæos, qui eum circumdederant, & principes curruum, populus autem fugit in tabernacula sua.

22. Recessit ergo Edom ne esset sub Juda, usque ad diem hanc. Tunc recessit & Lobna in tempore illo.

23. Reliqua autem sermonum Joram, & universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

24. Et dormivit Joram cum patribus suis, sepultusque est cum eis in Civitate David, & regnavit Ochozias filius ejus pro eo.

25. * Anno duodecimo Joram filii Achab regis Israel, regnavit Ochozias filius Joram regis Judæ. * 2. Par. 22. 1.

26. Viginti (f) duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset, & uno anno regnavit in Jerusalem, nomen matris ejus Athalia filia Amri regis Israel.

27. Et ambulavit in viis domus Achab: & fecit quod malum est coram Domino, sicut domus Achab: gener enim domus Achab fuit.

28. Abiit quoque cum Joram filio Achab, ad prœliandum contra Hazael regem Syriæ in Ramoth Galaad, & vulneraverunt Syri Joram:

29. Qui reversus est ut curaretur, in Jezrahel: quia vulneraverant eum Syri in Ramoth, prœliantem contra Hazael regem Syriæ. Porro Ochozias filius Joram rex Juda, descendit invisere Joram filium Achab in Jezrael, quia ægrotabat ibi.

CAPUT IX.

Eliseus mittit qui ungat Jehu in regem Israel. Huic mandat Dominus, ut deleat domum Achab: Jehu interficit duos reges Joram & Ochoziam, ac jubet Jezabelem ex fenestra præcipitem dari: occisam canes devorant juxta Eliæ prophetiam.

1. Eliseus autem prophetes vocavit unum de filiis prophetarum, & ait illi: Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua, & vade in Ramoth Galaad.

2. * Cumque veneris illuc, videbis Jehu filium Josaphat filii Namsi: & ingressus suscitabis eum de medio fratrum suorum, & introduces in interius cubiculum. * 3. Reg. 19. 16.

3. Tenensque lenticulam olei, fundes super caput ejus, & dices: Hæc dicit Dominus: Unxi te regem super Israel. Aperiesque ostium, & fugies, & non ibi subsistes.

4. Abiit ergo adolescens puer prophetæ in Ramoth Galaad.

5. Et ingressus est illuc: ecce autem principes exercitus sedebant, & ait: Verbum mihi ad te, o princeps. Dixitque Jehu: Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit: Ad te o princeps.

6. Et

10. (c) Utrumque verum: non enim erat morbus lethalis; sed absolute tamen futurum erat ut moreretur: nam Hazael tunc erat eum suffocaturus.

11. (d) Ad lacrymas usque; *Et vertit faciem suam*, Eliseus ut fletum celaret.

16. & 17. (e) Supplendum putant nonnulli, *Regis Juda tempore*; aut anno 10. Josaphat regnavit simul cum patre: LXX. ab uerant ea verba, & Josaphat Regis Juda. Octo, quatuor cum patre, totidem solus.

26. (f) Lib. 2. Paralipomen. 22. dicitur fuisse 42. annorum, sed plerique Interpretes censent mendum irrepsisse in eum locum Paralip. anno 12. Joram Israelitæ regnat Ochozias in Juda, qui natus est anno 8 regni Josaphat: restant 16. regni Josaphat & sex integri regni Joram Judæi. Itaque Ochozias natus erat annos 22. & facilis error fuit in Paralipomenis, ex mutatione notæ ב Beth in מ Mem. LXX. legunt 22. annorum.

6. Et surrexit & ingressus est cubiculum: at ille fudit oleum super caput ejus, & ait: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Unxi te regem super populum Domini Israel,

7. Et percuties domum Achab domini tui, & ulciscar sanguinem servorum meorum prophetarum, & sanguinem omnium servorum Domini, de manu Jezabel.

*3 Reg. 21. 21. 8. * Perdamque omnem domum Achab: & interficiam de Achab mingentem ad parietem, & clausum, & novissimum in Israel.

*3. Reg. 15. 29. *3. Reg. 16. 3. 9. Et dabo domum Achab, sicut * domum Jeroboam filii Nabat, & sicut domum * Baasa filii Ahia.

10. Jezabel quoque comedent canes in agro Jezrael, nec erit qui sepeliat eam. Aperuitque ostium, & fugit.

11. Jehu autem egressus est ad servos domini sui: qui dixerunt ei: Rectene sunt omnia? quid venit insanus iste ad te? Qui ait eis: Nostis hominem, & quid locutus sit?

12. At illi responderunt: Falsum est, sed magis narra nobis. Qui ait eis: Hæc & hæc locutus est mihi, & ait: Hæc dicit Dominus: Unxi te regem super Israel.

13. Festinaverunt itaque, & unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus ejus, in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba, atque dixerunt: Regnavit Jehu.

14. Conjuravit ergo Jehu filius Josaphat filii *Sup. 8. 28. Namsi contra Joram: * porro Joram obsederat Ramoth Galaad, ipse & omnis Israel contra Hazael regem Syriæ:

15. Et reversus fuerat ut curaretur in Jezrahel (a) propter vulnera, quia percusserant eum Syri, præliantem contra Hazael regem Syriæ. Dixitque Jehu: Si placet vobis, nemo egrediatur profugus de civitate, ne vadat, & nuntiet in Jezrahel.

16. Et ascendit, & profectus est in Jezrahel: Joram enim ægrotabat ibi, & Ochozias rex Juda descenderat ad visitandum Joram.

17. Igitur speculator, qui stabat super turrim Jezrahel, vidit globum Jehu venientis, & ait: Video ego globum. Dixitque Joram: Tolle (b) currum, & mitte in occursum eorum, & dicat vadens: Rectene sunt omnia?

18. Abiit ergo, qui ascenderat currum, in occursum ejus, & ait: Hæc dicit rex: Pacatane sunt omnia? Dixitque Jehu: Quid tibi & paci? transi, & sequere me. Nuntiavit quoque speculator, dicens: Venit nuntius ad eos, & non revertitur.

19. Misit etiam currum equorum secundum: venitque ad eos, & ait: Hæc dicit rex: Numquid pax est: Et ait Jehu: Quid tibi & paci? transi, & sequere me.

20. Nuntiavit autem speculator, dicens: Venit usque ad eos, & non revertitur: est autem incessus quasi incessus Jehu filii Namsi, præceps enim graditur.

21. Et ait Joram: Junge currum. Junxeruntque currum ejus, & egressus est Joram rex Israel, & Ochozias rex Juda, singuli in curribus suis, egressique sunt in occursum Jehu, & invenerunt eum in agro Naboth Jezrahelitæ.

22. Cumque vidisset Joram Jehu, dixit: Pax est Jehu? At ille respondit: Quæ pax? adhuc fornicationes (c) Jezabel matris tuæ, & veneficia ejus multa vigent.

23. Convertit autem Joram manum (d) suam, & fugiens ait ad Ochoziam: Insidiæ Ochozia.

24. Porro Jehu tetendit arcum manu, & percussit Joram inter scapulas: & egressa est sagitta per cor ejus, statimque corruit in curru suo.

25. Dixitque Jehu ad Badacer ducem: Tolle, projice eum in agro Naboth Jezrahelitæ: memini enim quando ego & tu sedentes in curru sequebamur Achab patrem hujus, quod Dominus onus (e) hoc levaverit super eum, dicens:

26. * Si non pro sanguine Naboth, & pro sanguine filiorum ejus (f), quem vidi heri, ait Dominus, reddam tibi in agro isto, dicit Dominus. Nunc ergo tolle, & projice eum in agrum juxta verbum Domini. *3. Reg. 21. 21.

27. Ochozias autem rex Juda videns hoc, fugit per viam domus horti: persecutusque est eum Jehu, & ait: Etiam hunc percutite in curru suo: & percusserunt (g) eum in ascensu Gaver, qui est juxta Jeblaam: qui fugit in Mageddo, & mortuus est ibi.

28. Et imposuerunt eum servi ejus super currum suum, & tulerunt in Jerusalem: sepelieruntque eum in sepulcro cum patribus suis in civitate David.

29. Anno undecimo Joram filii Achab, regnavit Ochozias (h) super Judam,

30. Venitque Jehu in Jezrahel. Porro Jezabel introitu ejus audito, depinxit (i) oculos suos stibio, & ornavit caput suum, & respexit per fenestram

31. Ingredientem Jehu per portam, & ait: * Numquid pax potest esse Zambri, qui interfecit dominum suum? *3 Reg 16. 10.

32. Levavitque Jehu faciem suam ad fenestram, & ait: Quæ est ista, & inclinaverunt se ad eum duo, vel tres eunuchi.

33. At ille dixit eis: Præcipitate eam deorsum: & præcipitaverunt eam, aspersusque est sanguine paries, & equorum ungulæ conculcaverunt eam.

34. Cum-

CAP. IX. 15. (a) Ne id nuntiet quod factum fuerat a ducibus exercitus, qui Jehu Regem constituerant.

17. & 18. (b) Sept. Interpret. *Accipite ascensorem equi*, equitem: & dicat vadens; *Recte ne sunt omnia?* Hebr. Estne pax? *Sequere*; ne ad Regem rediret.

22. (c) Impium cultum intelligit. Hebr. *Quæ pax usque ad fornicationes matris tuæ?* quæ pax sufficiat, ut tolerentur fornicationes matris tuæ?

23. (d) Hebr. manus suas, seu habenas quibus regebat equos currus.

25. (e) Cum adversa nuntiantur, prophetia in Scripturis onus vocatur, seu prophetia de punitione: Hebræis *Massa*, משא, dicitur.

26. (f) Hinc colligitur, filios Naboth ab impia Jezabel interfectos. Lib. 2. Paralip. cap. 22. dicitur occisus in Samaria, sed vox Samariæ sumitur pro regione, in qua erat Mageddo, non pro urbe Samaria.

27. (g) Inter maceras; per secretiorem viam fugerat: incertum est quis sit ille ascensus Gaver: pervenit Ochozias usque in Samariam, & inde abductus occisus fuit a Jehu, alibi percussus, alibi mortuus.

29. (h) Regni factus est particeps, & patre morbo laborante, & anno 12. Joram regnavit solus.

30. & 31. (i) Non ut placeret Jehu, quem evicisse sciebat, sed ex superbia, ut dignitatem regiam ad mortem usque retineret. Zambri, id est, ei qui similis est Zambri.

34. Cumque introgressus esset, ut comederet, biberetque, ait: Ite, & videte maledictam illam, & sepelite eam: quia filia regis est.

35. Cumque issent ut sepelirent eam, non invenerunt nisi calvariam, & pedes, & summas manus.

36. Reversique nuntiaverunt ei. Et ait Je-
*3 Reg. 21. 23. hu: * Sermo Domini est, quem locutus est per servum suum Eliam Thesbiten, dicens: In agro Jezrahel comedent canes carnes Jezabel,

37. Et erunt carnes Jezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Jezrahel, ita ut prætereuntes dicant: Hæccine est illa Jezabel?

CAPUT X.

Septuaginta filii Achab, & universa ejus progenies, jubente Jehu, trucidantur. Sacerdotes Baal callide convocatos occidit. Sed perstat in cultu vitulorum. Regnat 28. annis.

1. ERant autem Achab septuaginta (*a*) filii in Samaria: scripsit ergo Jehu litteras, & misit in Samariam, ad optimates civitatis, & ad majores natu, & ad nutritios Achab, dicens:

2. Statim ut acceperitis litteras has, qui habetis filios domini vestri, & currus, & equos, & civitates firmas, & arma,

3. Eligite meliorem, & eum qui vobis placuerit de filiis domini vestri, & eum ponite super solium patris sui, & pugnate pro domo domini vestri.

4. Timuerunt illi vehementer, & dixerunt: Ecce duo reges non potuerunt stare coram eo, & quo modo nos valebimus resistere?

5. Miserunt ergo præpositi domus, & præfecti civitatis, & majores natu, & nutritii, ad Jehu, dicentes: Servi tui sumus, quæcumque jusseris faciemus, nec constituemus nobis regem: quæcumque tibi placent, fac.

6. Rescripsit autem eis litteras secundo, dicens: Si mei estis, & obeditis mihi, tollite capita filiorum domini vestri, & venite ad me hac eadem hora cras in Jezrahel. Porro filii regis, septuaginta viri apud optimates civitatis nutriebantur.

7. Cumque venissent litteræ ad eos, tulerunt filios regis, & occiderunt septuaginta viros, & posuerunt capita eorum in cophinis, & miserunt ad eum in Jezrahel.

8. Venit autem nuntius, & indicavit ei, dicens: Attulerunt capita filiorum regis. Qui respondit: Ponite ea ad duos acervos juxta introitum portæ usque ad mane.

9. Cumque diluxisset, egressus est, & stans dixit ad omnem populum: Justi estis: si ego conjuravi contra dominum meum, & interfeci eum, quis percussit omnes hos?

*3 Reg. 21. 29. 10. * Videte ergo nunc quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est Dominus super domum Achab, & Dominus fecit, quod locutus est in manu servi sui Eliæ.

11. Percussit igitur Jehu omnes, qui reliqui erant de domo Achab in Jezrahel, & universos optimates ejus, & notos, & sacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ.

12. Et surrexit, & venit in Samariam: cumque venisset ad Cameram (*b*) pastorum in via,

13. Invenit fratres Ochoziæ regis Juda, dixitque ad eos: Quinam estis vos? Qui responderunt: Fratres Ochoziæ sumus, & descendimus ad salutandos filios regis, & filios reginæ.

14. Qui ait: Comprehendite eos vivos. Quos cum comprehendissent vivos, jugulaverunt eos in cisterna juxta Cameram, quadraginta duos viros, & non reliquit ex eis quemquam.

15. Cumque abiisset inde, invenit Jonadab filium Rechab in occursum sibi, & benedixit ei. Et ait ad eum: Numquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Jonadab: Est. Si est, inquit, da manum tuam. Qui dedit ei manum suam. At ille levavit eum ad se in currum:

16. Dixitque ad eum: Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino. Et impositum in curru suo,

17. Duxit in Samariam. Et percussit omnes qui reliqui fuerant de Achab in Samaria usque ad unum, juxta verbum Domini, quod locutus est per Eliam.

18. Congregavit ergo Jehu omnem populum, & dixit ad eos: * Achab coluit Baal parum, *3 Reg. 16. 31.
ego autem colam eum amplius.

19. Nunc igitur omnes prophetas Baal, & universos servos ejus, & cunctos sacerdotes ipsius vocate ad me: nullus sit qui non veniat, sacrificium enim grande est mihi Baal: quicumque defuerit, non vivet. Porro Jehu faciebat hoc insidiose, ut disperderet cultores Baal.

20. Et dixit: Sanctificate (*c*) diem solemnem Baal. Vocavitque,

21. Et misit in universos terminos Israel, & venerunt cuncti servi Baal: non fuit residuus ne unus quidem qui non veniret. Et ingressi sunt templum Baal: & repleta est domus Baal, a summo usque ad summum.

22. Dixitque his, qui erant super vestes: Proferte vestimenta universis servis Baal. Et protulerunt eis vestes.

23. Ingressusque Jehu, & Jonadab filius Rechab templum Baal, ait cultoribus Baal: Perquirite, & videte, ne quis forte vobiscum sit de servis Domini, sed ut sint servi Baal soli.

24. Ingressi sunt igitur ut facerent victimas & holocausta: Jehu autem præparaverat sibi foris octoginta viros, & dixerat eis: Quicumque fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus vestras, anima ejus erit pro anima illius.

25. Factum

CAP. X. 1. 3. & 9 (*a*) Sept. Interpret. Cum filii, tum nepotes ex variis uxoribus & concubinis. *Eligite*: hoc ironice, non serio dixit, ad tentandum eos. *Justi*, divinæ voluntatis administri.

12. 13. & 25. (*b*) Hebr. *Domum colligationis pastorum*: ubi tondebant oves ligatis pedibus. *Fratres*: filii fratrum Ochoziæ 2. Paralipomen. 22. *Jonadab*, Rechabitarum institutorem.

20. & 22. (*c*) Indicite diem solemnem: *vestimenta*, ea nota Sacerdotes Baal ab aliis voluit secernere.

25. Factum est autem, cum completum esset holocaustum, præcepit Jehu militibus & ducibus suis: Ingredimini, & percutite eos, nullus evadat. Percusseruntque eos in ore gladii, & projecerunt (*d*) milites & duces: & ierunt in civitatem templi Baal,

26. Et protulerunt statuam de fano Baal, & combusserunt,

27. Et comminuerunt eam. Destruxerunt quoque ædem Baal, & fecerunt pro ea latrinas usque in diem hanc.

28. Delevit itaque Jehu Baal de Israel:

29. Verumtamen a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit (*e*) vitulos aureos, qui erant in Bethel, & in Dan.

30. Dixit autem Dominus ad Jehu: Quia studiose egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo fecisti contra domum Achab: * filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. (* Infr. 15. 12.)

31. Porro Jehu non custodivit ut ambularet (*f*) in lege Domini Dei Israel in toto corde suo: non enim recessit a peccatis Jeroboam, qui peccare fecerat Israel.

32. In diebus illis cœpit Dominus tædere (*g*) super Israel: percussitque eos Hazael in universis finibus Israel,

33. A Jordane contra Orientalem plagam, omnem Terram Galaad, & Gad, & Ruben, & Manasse, ab Aroer, quæ est super Torrentem Arnon, & Galaad, & Basan.

34. Reliqua autem verborum Jehu, & universa quæ fecit, & fortitudo ejus, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel?

35. Et dormivit Jehu cum patribus suis, sepelieruntque eum in Samaria: & regnavit Joachaz filius ejus pro eo.

36. Dies autem, quos regnavit Jehu super Israel, viginti & octo anni sunt in Samaria.

CAPUT XI.

Athalia mater Ochoziæ, audita filii morte, omne semen regium ferro necat præter Joas, & regnum usurpat: sed ipsa, præcipiente Jojada sacerdote, occiditur, & Joas rex constituitur.

1. Athalia (*a*) vero mater Ochoziæ, videns mortuum filium suum, surrexit, & interfecit omne semen regium. (2. Par 22. 10.)

2. Tollens autem Josaba filia regis Joram, soror Ochoziæ, Joas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur, & nutricem ejus de triclinio (*b*): & abscondit eum a facie Athaliæ, ut non interficeretur.

3. Eratque cum ea sex annis clam in domo Domini: porro Athalia regnavit super terram.

4. * Anno autem septimo misit Jojada, & assumens centuriones & milites, introduxit ad se in templum Domini, pepigitque cum eis fœdus: & adjurans eos in domo Domini, ostendit eis filium regis: (* 2. Par. 23. 1.)

5. Et præcepit illis, dicens: Iste est sermo, quem facere debetis:

6. Tertia (*c*) pars vestrum introeat sabbato, & observet excubias domus regis: Tertia autem pars sit ad portam Sur: & tertia pars sit ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum: & custodietis excubias domus Messa.

7. Duæ (*d*) vero partes e vobis, omnes egredientes sabbato, custodiant excubias domus Domini circa regem.

8. Et vallabitis eum, habentes arma in manibus vestris: si quis autem ingressus fuerit septum templi, interficiatur: eritisque cum rege introeunte & egrediente.

9. Et fecerunt centuriones juxta omnia, quæ præceperat eis Jojada sacerdos: & assumentes singuli viros suos, qui ingrediebantur sabbatum, cum his qui egrediebantur sabbato, venerunt ad Jojadam sacerdotem.

10. Qui dedit eis hastas, & arma (*e*) regis David, quæ erant in domo Domini.

11. Et steterunt singuli habentes arma in manu sua a parte templi dextera, usque ad partem sinistram altaris & ædis, circum regem:

12. Pro-

25. (*d*) Cadavera & occisos: oratio truncata, cædis properantiæ celeritatem indicat.

29. (*e*) Non abstulit, sed coluit, forte Magnatum precibus adductus, aut ex perversis aulicorum consiliis, aut ex pravi consuetudine: & tamen ejus bona opera admodum imperfecta Deus remunerat.

31. (*f*) Augustin. Lib. contra mendac. cap. 4. Quid ei profuit, quod pro nonnulla obedientia, quam de domo Achab omnino delenda pro cupiditate suæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem transitoriam regni temporalis accepit?

32. (*g*) Hebr. Catsot, קצות, *succidere*, LXX. Συγκόπτειν. Cædere, res Israelitarum in pejus abire cœperunt. Ac promisit Deus ut Israelis portio suæ regionis auferretur.

CAP. XI. 1. (*a*) Athalia nepotes suos occidit regnandi libidine incensa. Iosaba soror Ochoziæ ex parte Joram, non ex matre, Joas abscondit in templo, nempe in eo loco, ubi Sacerdotes & Levitæ dormiebant: cubiculi erant velut appendices templi.

2 & 3. (*b*) Hebr. *In triclinio*: LXX. ἐν τῷ ταμιείῳ τῶν κλινῶν, *in conclavi lectorum*, in cubiculo seminatum primum, tum in templo. *Ea*: cum nutrice.

4. (*c*) Centuriones & milites, quos assumpsit Jojadas Sacerdos, erant ex Levitis qui ministrabant in templo, quique sibi mutuo succedebant ad ministrandum, dicantur ingredi Sabbato; utrosque retinuit Jojadas in templo, videntur enim in tres classes distributi, ita ut una ministraret, duæ vacarent a ministerio. *Tertia autem pars sit ad portam Sur*, quæ erat posita ad Orientem: *Et tertia pars sit ad portam, quæ est post habitaculum scutariorum*: Hebr. in porta post cursores, ubi prætoriani milites tendebant. *Custodietis excubias domus Messa*: LXX. *sollicite*: Cavebitis sollicite ne quis locum suum deserat. Tertia pars introeat *Sabbato*, per septem dies suam temporis vicem obeat: *Et observet excubias domus Regis*, excubias agant ad partem templi septentrionalem, in qua Rex educabatur. *Messa* est nomen loci.

7. (*d*) Qui ministerium suæ hebdomadæ absolverant, quique illud incepturi erant, duas tertias simul sumpti efficiebant, quod ex Lib. 2. Paralipom. 23. confirmatur: *Et observet excubias domus Regis*: Hæc tertia pars destinatur ad custodiam Regis in templo.

10. (*e*) Hinc colligunt armamentarium fuisse in templo.

12. Produxitque filium regis, & posuit super eum diadema, & testimonium (*f*): feceruntque eum regem, & unxerunt: & plaudentes manu, dixerunt: Vivat rex.

13. Audivit autem Athalia vocem populi currentis: & ingressa ad turbas in templum Domini,

14. Vidit regem stantem super tribunal juxta morem, & cantores & tubas prope eum, omnemque populum terræ lætantem, & canentem tubis: & scidit vestimenta sua, clamavitque: Conjuratio, conjuratio.

15. Præcepit autem Jojada centurionibus, qui erant super exercitum, & ait eis: Educite eam extra septa templi, & quicumque eam secutus fuerit, feriatur gladio. Dixerat enim sacerdos: Non occidatur in templo Domini.

16. Imposueruntque ei manus, & impegerunt eam per viam introitus equorum (*g*), juxta palatium, & interfecta est ibi.

17. Pepigit ergo Jojada fœdus inter Dominum, & inter regem, & inter populum, ut esset populus Domini, & inter regem & populum.

18. Ingressusque est omnis populus terræ templum Baal, & destruxerunt aras ejus, & imagines contriverunt valide: Mathan quoque sacerdotem Baal occiderunt coram altari. Et posuit sacerdos custodias in domo Domini.

19. Tulitque (*h*) centuriones, & Cerethi & Phelethi legiones, & omnem populum terræ, deduxeruntque regem de domo Domini: & venerunt per viam portæ scutariorum in palatium, & sedit super thronum regium.

20. Lætatusque est omnis populus terræ, & civitas conquievit: Athalia autem occisa est gladio in domo regis.

21. Septemque annorum erat Joas, cum regnare cœpisset.

CAPUT XII.

Joas pecuniam in sartatecta templi expendit, Hazaelem Syriæ regem placat ingenti pecunia vi & templi thesauris: Occiditur a servis suis.

1. Anno septimo Jehu regnavit Joas: & quadraginta annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Sebia de Bersabee.

2. Fecitque (*a*) Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Jojada sacerdos.

3. Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus immolabat, & adolebat in excelsis incensum.

4. Dixitque Joas ad sacerdotes: Omnem pecuniam sanctorum, quæ illata fuerit in templum Domini a prætereuntibus (*b*), quæ offertur pro pretio animæ, & quam sponte & arbitrio cordis sui inferunt in templum Domini:

5. Accipiant illam sacerdotes juxta ordinem suum, & instaurent sartatecta (*c*) domus, si quid necessarium viderint instauratione.

6. Igitur usque ad vigesimum tertium annum regis Joas, non instauraverunt sacerdotes sartatecta (*d*) templi.

7. Vocavitque rex Joas Jojadam pontificem & sacerdotes, dicens eis: Quare sartatecta non instauratis templi? nolite ergo amplius accipere pecuniam juxta ordinem vestrum, sed ad instaurationem templi reddite eam.

8. Prohibitique (*e*) sunt sacerdotes ultra accipere pecuniam a populo, & instaurare sartatecta domus.

9. Et tulit Jojada pontifex gazophylacium unum, aperuitque foramen desuper, & posuit illud juxta altare ad dexteram ingredientium domum Domini, mittebantque in eo sacerdotes, qui custodiebant ostia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini.

10. Cumque viderent nimiam pecuniam esse in gazophylacio, ascendebat scriba (*f*) regis, & pontifex, effundebantque & numerabant pecuniam, quæ inveniebatur in domo Domini:

11. Et dabant eam juxta numerum atque mensuram in manu eorum, qui præerant cæmentariis (*g*) domus Domini: qui impendebant eam in fabris lignorum, & in cæmentariis iis, qui operabantur in domo Domini,

12. Et sartatecta faciebant: & in iis, qui cædebant saxa, & ut emerent ligna, & lapides, qui excidebantur, ita ut impleretur instauratio domus Domini in universis, quæ indigebant expensa ad muniendam domum.

13. Verumtamen non fiebant (*h*) ex eadem pecunia hydriæ templi Domini, & fuscinulæ, & thuribula, & tubæ, & omne vas aureum & argenteum, de pecunia, quæ inferebatur in templum Domini.

14. Iis enim, qui faciebant opus, dabatur ut instauraretur templum Domini:

15. Et

---

12. (*f*) Id vero ex R. D. Kimchi & R. Levi creditur fuisse *Deuteronomium*, ut cap 17 Deuteronom. vers. 18 præcipitur. Hinc Lib. 2. Paralipomen. 23. vers. 11. *Dederuntque in manu ejus tenendam legem*. Tamen vox Hebræa *Hedout*, עדות potest significare *ornamentum*, seu *insigne regium*. *Et unxerunt e* filii Regum, qui succedebant, non ungebantur, sed propter Athaliam unctus est, ut Salomon.

16. (*g*) Prope domum Regis: intraverat enim per portam qua exibant equi regi.

19. (*h*) Prætoriani milites, quibus commissa fuerat regii corporis custodia: in Hebræo hæc verba desunt, nec 2. Paralipomen. 23. ea verba *Cerethi* & *Phelethi* occurrunt: adeo ut nonnulli illa in hunc locum irrepsisse existiment.

CAP. XII. 2. (*a*) Quibus verbis insinuat sacer textus, postea descivisse a præceptis Domini

4. (*b*) Hebr. *Transeuntis auri*, cum census populi fiebat ex cap. 30. Exodi: *Quæ offertur pro pretio animæ*, cum aliquis se Deo vovebat. Hebr. *Argentum animarum*, æstimatio ejus, seu earum hæc erat pecunia ex votis redacta; *Et quam sponte & ex arbitrio cordis sui inferunt*: tertium est pecuniæ genus a sponte offerentibus profectum. Paullo aliter triplicem illam pecuniam alii exponunt. Prima erat a piis alienigenis oblata, qui Deum adoraturi venerant; secunda erat capitatio, aut census didrachmæ in usum templi; tertia ab Israelitis sponte oblata.

5. (*c*) Quæ Athalia demolita erat, Joas vult instaurari.

6. & 7. (*d*) Sed in suos usus convertebant. Hoc loco admonet Mariana, numquam templum instauratum iri, dum vectigalia sacra in privatorum Sacerdotum arbitrio futura sunt, Eam, quam accepistis.

8. (*e*) Sept. Interpret. *Et convenerant*, inter se Sacerdotes, ne acciperent pecunias a populo, & ne sartatecta præstarent.

10. (*f*) Quem pontifex ut inspectorem sibi adesse voluerat, ne qua suspicione aspergeretur.

11. (*g*) Redemptorum qui opus perficiendum susceperant, non ut antea sacerdotum

13. (*h*) Ab initio. LXX. *Ne fierent*, supple. Res præcipiebat, ne pars ulla pecuniæ in vasa impenderetur.

15. Et non fiebat (*i*) ratio iis hominibus, qui accipiebant pecuniam ut distribuerent eam artificibus, sed in fide tractabant eam.

16. Pecuniam vero pro delicto, & pecuniam pro peccatis non inferebant in templum Domini, quia sacerdotum erat.

17. Tunc ascendit Hazael rex Syriæ, & pugnabat contra Geth, cepitque eam: & direxit (*k*) faciem suam ut ascenderet in Jerusalem.

18. Quam ob rem tulit Joas rex Juda omnia sanctificata, quæ consecraverant Josaphat, & Joram, & Ochozias patres ejus reges Juda, & quæ ipse obtulerat: & universum argentum, quod inveniri potuit in thesauris templi Domini, & in palatio regis: misitque Hazaeli regi Syriæ, & recessit ab Jerusalem.

19. Reliqua autem sermonum Joas, & universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

20. Surrexerunt autem servi ejus, & conjuraverunt inter se, percusseruntque Joas in domo Mello (*l*) in descensu Sella.

21. Josachar namque filius Semaath, & Jozabad filius Somer servi ejus, percusserunt eum, & mortuus est: & sepelierunt eum cum patribus suis in Civitate David, regnavitque Amasias filius ejus pro eo.

CAPUT XIII.

Joachaz filius Jehu, qui patri successerat, vexatur a Syris, sed conversus ad Deum liberatur. Huic Joas filius ejus succedit, qui Eliseum morti proximum invisit, & juxta Elisei consilium Syros ter devincit. Elisei sepulcro cum mortuus conditus fuisset, is suscitatus est a mortuis.

1. ANno vigesimo tertio Joas filii Ochoziæ regis Juda, regnavit Joachaz filius Jehu super Israel in Samaria decem & septem annis.

2. Et fecit malum coram Domino, secutusque est peccata Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, & non declinavit ab eis.

3. Iratusque est furor Domini contra Israel, & tradidit eos in manu Hazael regis Syriæ, & in manu Benadad filii Hazael cunctis diebus.

4. Deprecatus est autem Joachaz faciem Domini, & audivit eum Dominus, vidit enim angustiam Israel, quia attriverat eos rex Syriæ:

5. Et dedit Dominus salvatorem (*a*) Israeli, & liberatus est de manu regis Syriæ: habitaveruntque filii Israel in tabernaculis suis sicut heri & nudiustertius.

6. Verumtamen non recesserunt a peccatis domus Jeroboam, qui peccare fecit Israel, sed in ipsis ambulaverunt: siquidem & lucus permansit in Samaria.

7. Et non sunt derelicti Joachaz de populo nisi quinquaginta equites, & decem currus, & decem millia peditum: interfecerat enim eos rex Syriæ, & redegerat quasi pulverem in tritura areæ.

8. Reliqua autem sermonum Joachaz, & universa quæ fecit, & fortitudo ejus, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

9. Dormivitque Joachaz cum patribus suis, & sepelierunt eum in Samaria: regnavitque Joas filius ejus pro eo.

10. Anno trigesimoseptimo (*b*) Joas regis Juda regnavit Joas filius Joachaz super Israel in Samaria sedecim annis.

11. Et fecit quod malum est in conspectu Domini: non declinavit ab omnibus peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, sed in ipsis ambulavit.

12. Reliqua autem sermonum Joas, & universa quæ fecit, & fortitudo ejus, quomodo pugnaverit contra Amasiam regem Juda, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

13. Et dormivit (*c*) Joas cum patribus suis: Jeroboam autem sedit super solium ejus. Porro Joas sepultus est in Samaria cum regibus Israel.

14. Eliseus autem ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est: descenditque ad eum Joas rex Israel, & flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga ejus.

15. Et ait illi Eliseus: Affer arcum, & sagittas. Cumque attulisset ad eum arcum, & sagittas,

16. Dixit ad regem Israel: Pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manum suam, superposuit Eliseus manus suas manibus regis, (*d*)

17. Et ait: Aperi fenestram Orientalem. Cumque aperuisset, dixit Eliseus: Jace sagittam. Et jecit. Et ait Eliseus: Sagitta (*e*) salutis Domini, & sagitta salutis contra Syriam: percutiesque Syriam in Aphec, donec consumas eam.

18. Et ait: Tolle sagittas. Qui cum tulisset, rursum dixit ei: Percute jaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, & stetisset,

19. Iratus (*f*) est vir Dei contra eum, & ait: Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.

20. Mor-

15. (*i*) Non exigebatur a redemptoribus ratio datæ & acceptæ pecuniæ; LXX, quia sua fide faciebant, ipsis credebat Rex.

17. (*k*) Quod si non erat alia ratio hostiles impetus repellendi, Rex potuit periculum avertere a populo, missis ad Hazael Palatii & Templi thesauris: sed forte præ inertia suo pacem redemit a Syriæ Rege: neque ut par erat, spem suam in Deo collocavit.

20. (*l*) Apud domum qua descenditur ex domo in viam publicam.

CAP.XIII. 5. (*a*) Is fuit Joas filius Joachaz, qui auctore Eliseo debellavit Syros.

10 (*b*) Hinc colligit Capellus eum regnasse cum patre Joachaz circiter triennium: nam Joachaz mortuus est tantum post duos annos.

13. & 14. (*c*) Hoc per anticipationem dictum patet ex v. sequenti. *Ægrotabat*, ægrotaverat; videtur enim esse retrogressio.

16. (*d*) Ut indicaret manum Dei conatibus Regis affuturam.

17. (*e*) Quæ Israelitis salutem portendit, per fenestram, quæ ad Orientem spectabat, sagittam emittit, ut innueret Syros e parte orientali, quam Syri invaserant, expulsum iri.

19. & 21. (*f*) Non debuit cessare, quousque admoneretur. *Cadaver*. Quo insigni miraculo Deus Prophetæ sanctitatem declaravit. Hoc quidem exemplo probat Hieronymus contra Vigilantium, reliquias Sanctorum in honore habendas esse: *Si ossa mortuorum polluunt contingentes, quomodo Eliseus mortuus mortuum suscitavit, & dedit vitam corpus, quod juxta Vigilantium jacebat immundum? Revixit homo*: major in dies lux ad spem vitæ alterius affulgebat, inquit Grotius, qui & illud addit: *Et ostendit Deus, quam sibi chari sint Sancti etiam mortui*.

20. Mortuus est ergo Eliseus, & sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno.

* Eccli. 48. 14. 21. * Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in sepulcro Elisei. Quod cum tetigisset ossa Elisei, revixit homo, & stetit super pedes suos.

22. Igitur Hazael rex Syriæ afflixit Israel cunctis diebus Joachaz:

23. Et misertus est Dominus eorum, & reversus est ad eos propter pactum suum, quod habebat cum Abraham, & Isaac, & Jacob: & noluit disperdere eos, neque projicere penitus usque in præsens tempus.

24. Mortuus est autem Hazael rex Syriæ, & regnavit Benadad filius ejus pro eo.

25. Porro Joas filius Joachaz tulit (g) urbes de manu Benadad filii Hazael, quas tulerat de manu Joachaz patris sui jure prælii, tribus vicibus percussit eum Joas, & reddidit civitates Israel.

CAPUT XIV.

In Juda regnat Amasias, qui ad prælium Joas Israelitam provocavit, & ab eo victus est. Jeroboam secundus post Joas regnavit.

1. IN anno secundo Joas (a) filii Joachaz regis Israel, regnavit Amasias filius Joas regis Juda.

* 2 Par. 25. 1. 2. * Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset: viginti autem & novem annis regnavit in Jerusalem, nomen matris ejus Joadan de Jerusalem.

3. Et fecit rectum coram Domino, verumtamen non ut David pater ejus. Juxta (b) omnia, quæ fecit Joas pater suus, fecit:

4. Nisi hoc tantum (c) quod excelsa non abstulit: adhuc enim populus immolabat, & adolebat incensum in excelsis.

5. Cumque obtinuisset (d) regnum, percussit servos suos, qui interfecerant regem patrem suum:

6. Filios autem eorum, qui occiderant, non occidit, juxta quod scriptum est in libro
* Deut. 24. 16. legis Moysi, sicut præcepit Dominus dicens: *
Ezech. 18. 20. Non morientur patres pro filiis, neque filii morientur pro patribus: sed unusquisque in peccato suo morietur.

7. Ipse percussit Edom in valle Salinarum decem millia, & apprehendit petram (e) in prælio, vocavitque nomen ejus Jectehel, usque in præsentem diem.

8. Tunc misit Amasias nuntios ad Joas filium Joachaz, filii Jehu regis Israel, dicens: Veni, & videamus nos.

9. Remisitque Joas rex Israel ad Amasiam regem Juda, dicens: Carduus Libani misit ad cedrum, quæ est in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem. Transieruntque bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, & conculcaverunt carduum.

10. Percutiens invaluisti super Edom, & sublevavit te cor tuum: contentus esto gloria, & sede in domo tua: quare provocas malum, ut cadas tu & Judas tecum?

11. Et non acquievit Amasias: ascenditque Joas rex Israel, & viderunt se, ipse & Amasias rex Juda, in Bethsames oppido Judæ.

12. Percussusque est Juda coram Israel, & fugerunt unusquisque in tabernacula sua.

13. Amasiam vero regem Juda, filium Joas filii Ochoziæ cepit Joas rex Israel in Bethsames, & adduxit eum in Jerusalem: & interrupit murum Jerusalem, a porta Ephraim usque ad portam anguli, quadringentis cubitis.

14. Tulitque omne aurum, & argentum, & universa vasa, quæ inventa sunt in domo Domini, & in thesauris regis, & obsides, & reversus est in Samariam.

15. Reliqua autem verborum Joas quæ fecit, & fortitudo ejus qua pugnavit contra Amasiam regem Juda, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

16. Dormivitque Joas cum patribus suis, & sepultus est in Samaria cum regibus Israel: & regnavit Jeroboam filius ejus pro eo.

17. Vixit autem Amasias filius Joas, rex Juda, postquam mortuus est Joas filius Joachaz regis Israel, quindecim annis.

18. Reliqua autem sermonum Amasiæ, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?

19. Factaque est contra eum conjuratio in Jerusalem: at ille fugit in Lachis. Miseruntque post eum in Lachis, & interfecerunt eum ibi.

20. Et asportaverunt in equis, sepultusque est in Jerusalem cum patribus suis in Civitate David.

21. * Tulit autem universus populus Judæ Azariam annos natum sedecim, & constituerunt eum regem pro patre ejus Amasia. * 2 Par. 26. 1.

22. Ipse ædificavit (f) Ælath, & restituit eam Judæ, postquam dormivit rex cum patribus suis.

23. Anno quintodecimo Amasiæ filii Joas regis Juda, regnavit Jeroboam filius Joas regis Israel in Samaria, quadraginta & uno anno:

24. Et fecit quod malum est coram Domino. Non recessit ab omnibus peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.

25. Ipse restituit terminos Israel, ab introitu Emath (g), usque ad Mare solitudinis, juxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum,* Jonam filium * Jonæ 1. 1.
Amathi prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher.

26. Vidit

25. (g) Existimat vir doctus, quod Joas iturus ad hanc expeditionem Jeroboamum secundum filium suum in consortium regni assumpserit, ita ut anno 27. Jeroboami Zacharias regnare cœperit.

CAP. XIV. 1. (a) Qui regnavit cum patre per triennium, anno nimirum regni patris 38. qui concurrit cum anno secundo Joas Regis Israel.

3. (b) Initio quod rectum erat, sed patris inconstantiam est imitatus.

4. (c) Id refertur ad illud quod dixerat, rectumque fecit.

5. (d) Hebr. *Cum roboratum esset regnum in manu ejus*; cum se in regno firmasset.

7. (e) Hebr. petram in bello, urbem forte rupi impositam.

22. (f) Postquam restituit: urbs erat Idumææ tribui Judæ subjecta, quæ rebellaverat.

25. (g) Ab Antiochiæ territorio: *usque ad mare solitudinis*, ad mare mortuum. Emath non procul erat Damasco, vel ad locum in locis campestribus Idumææ, cujus fit mentio Deuter. 2. 13.

26. Vidit enim Dominus afflictionem Israel amaram nimis, & quod consumpti essent usque ad clausos carcere, & extremos, & non esset qui auxiliaretur Israeli.

27. Nec locutus est Dominus ut deleret nomen Israel de sub cælo, sed salvavit eos in manu Jeroboam filii Joas.

28. Reliqua autem sermonum Jeroboam, & universa quæ fecit, & fortitudo ejus, qua præliatus est, & quomodo restituit (*b*) Damascum, & Emath Judæ in Israel, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

29. Dormivitque Jeroboam cum patribus suis regibus Israel, & regnavit Zacharias filius ejus pro eo.

CAPUT XV.

Amasiæ regi Juda succedit Azarias, seu Ozias, tum Joatham.

1. Anno vigesimo septimo Jeroboam regis Israel, regnavit Azarias (*a*) filius Amasiæ regis Juda.

2. Sedecim annorum erat cum regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jechelia de Jerusalem.

3. Fecitque quod erat placitum coram Domino, juxta omnia quæ fecit Amasias pater ejus.

4. Verumtamen excelsa non est demolitus: adhuc populus sacrificabat, & adolebat incensum in excelsis.

* 2. Par. 26. 21. 5. * Percussit autem Dominus regem, & fuit leprosus usque in diem mortis suæ, & habitabat in domo libera seorsum (*b*): Joathan vero filius regis gubernabat palatium, & judicabat populum terræ.

6. Reliqua autem sermonum Azariæ, & universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

7. Et dormivit Azarias cum patribus suis: sepelieruntque eum cum majoribus suis in Civitate David, & regnavit Joathan filius ejus pro eo.

8. Anno trigesimo octavo Azariæ regis Juda, regnavit Zacharias filius Jeroboam super Israel in Samaria sex mensibus:

9. Et fecit quod malum est coram Domino, sicut fecerant patres ejus: non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.

10. Conjuravit autem contra eum Sellum filius Jabes: percussitque eum palam, & interfecit, regnavitque pro eo.

11. Reliqua autem verborum Zachariæ, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

12. * Iste est sermo Domini, quem locutus est ad Jehu, dicens: Filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. Factumque est ita. * Sup. 10. 30.

13. Sellum filius Jabes regnavit trigesimo nono anno Azariæ regis Juda: regnavit autem uno mense in Samaria.

14. Et ascendit Manahem filius Gadi de Thersa: venitque in Samariam, & percussit Sellum filium Jabes in Samaria, & interfecit eum, regnavitque pro eo.

15. Reliqua autem verborum Sellum, & conjuratio ejus, per quam tetendit insidias, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

16. Tunc percussit Manahem Thapsam, & omnes qui erant in ea, & terminos ejus de Thersa (*c*): noluerant enim aperire ei: & interfecit omnes prægnantes ejus, & scidit eas.

17. Anno (*d*) trigesimo nono Azariæ regis Juda regnavit Manahem filius Gadi super Israel decem annis in Samaria.

18. Fecitque quod erat malum coram Domino: non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel cunctis diebus ejus.

19. Veniebat Phul (*e*) rex Assyriorum in terram, & dabat Manahem Phul mille talenta argenti, ut esset ei in auxilium, & firmaret regnum ejus.

20. Indixitque Manahem argentum super Israel cunctis potentibus & divitibus, ut daret regi Assyriorum, quinquaginta siclos argenti per singulos: reversusque est rex Assyriorum, & non est moratus in terra.

21. Reliqua autem sermonum Manahem, & universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

22. Et dormivit Manahem cum patribus suis: regnavitque Phaceja filius ejus pro eo.

23. Anno quinquagesimo Azariæ regis Juda regnavit Phaceja filius Manahem super Israel in Samaria biennio:

24. Et

28 (*b*) Ita restituit eas urbes Judæ, ut manerent penes Regem Israel, aut potius Judæ in Israel, hoc est, cum urbes illæ essent in finibus Israel, eas restituit regi Judæ, ad quem pertinebant. Restituit Damascum olim a Davide & ejus posteris possessam, a Reg. 8 postea amissam Israelis regno adjecit: Et Emath Judæ, quam Judæ regno adjecerat David. Sed Idumæi rebellantes suæ ditionis eam fecerant: hanc Rex Israelis iis eripuit.

CAP. XV. 1. (*a*) Qui & *Ozias* a Paralipom. 26. 1. anno 27. Jeroboam. Suspicantur nonnulli legendum esse anno 15. Jeroboam, non 27. alioqui interregnum fuisset 12. annorum inter Azariam & Amasiam, quod forte Azarias admodum infans esset, cum pater ejus obiit. Azarias regnavit annos 25. Jeroboam regnare cœpit sub finem anni 15. Amasiæ, qui regnavit annos 29. Ultimus Amasiæ annus concurrit cum anno 15. Jeroboam. Alii aliter hos annos computant, & interregnum 11. annorum in regno Israelitico interponunt. Nam mortuo Jeroboam omnia in pejus ruere cœperunt in regno Israel, ut c. 7. & 8. Prophetæ Amos prædictum fuerat: unde res ad anarchiam redactæ, quæ continuata est per 11. annos cum dimidio: eidque Synchronismus regum postulat, ut Zachariæ filii Jeroboam sex menses, & unicus mensis Sellum ipsius interfectoris anno 38. & 39. Oziæ Regis Judæ respondeant. Josephus semper *Oziam* legit; pontificem autem, qui eo vixit tempore, *Azariam* nominat, ac mutatione unius aut alterius litteræ scriptum in Hebræo *Oziam* suspicatur Grotius, qui & erratum esse in numeris putat, ac pro 27. scribendum 17. uti & vers. 8. pro 38. scriptum 28. opinatur.

5. (*b*) Propter lepram qua percussus fuit. De gestis Azariæ fusius lib. 2. Paralip. cap. 26. Eo regnante plures in Israel tyranni extiterunt, & bella civilia; unde & interregnum quod accidit circa annum Oziæ 27.

16 (*c*) Agros Thapsa diripuit Manahem incipiens a finibus Thersa, unde erat oriundus.

17. (*d*) Azariæ, annus ultimus Jeroboam concurrit cum anno 14. Azariæ: unde interregnum fuit in Israel 24. annorum, nisi loco 38. legamus 15.

19. (*e*) Ut multis placet, *Phul* ille est qui Babyloniæ præfectus cum Arbace Medo Sardanapalum ultimum Assyriæ Regem in eas redegit angustias, ut se & thesauros flammis absumpserit; ad Chaldæos sceptrum transtulit, sedem tamen habuit in Ninive. Alii non minus probabiliter sentiunt hunc *Phul* patrem fuisse Sardanapali, ab eo *Sardan-Pul* dicti: ut Merodach Babylonius a Baladan patre cognomentum *Merodac-Baladan* accepit, Isaiæ 39. 1.

24. Et fecit quod erat malum coram Domino: non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.

25. Conjuravit autem adversus eum Phacee filius Romeliæ, dux ejus, & percussit eum in Samaria in turre domus regiæ juxta Argob, & juxta Ariæ, & cum eo quinquaginta viros de filiis Galaaditarum, & interfecit eum, regnavitque pro eo.

26. Reliqua autem sermonum Phaceja, & universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

27. Anno (f) quinquagesimo secundo Azariæ regis Juda regnavit Phacee filius Romeliæ super Israel in Samaria viginti annis.

28. Et fecit quod erat malum coram Domino: non recessit a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel.

29. In diebus Phacee regis Israel venit Theglathphalasar rex Assur, & cepit Ajon, (g) & Abel Domum, Maacha & Janoe, & Cedes, & Asor, & Galaad, & Galilæam, & universam Terram Nephthali: & transtulit eos in Assyrios.

30. Conjuravit autem, & tetendit insidias Osee filius Ela contra Phacee filium Romeliæ, & percussit eum, & interfecit: regnavitque pro eo vigesimo (h) anno Joathan filii Oziæ.

31. Reliqua autem sermonum Phacee, & universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel?

* 2 Par. 27. 1. 32. * Anno secundo Phacee, filii Romeliæ regis Israel, regnavit Joathan filius Oziæ regis Juda.

33. Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset, & sedecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jerusa, filia Sadoc.

34. Fecitque quod erat placitum coram Domino: juxta omnia, quæ fecerat Ozias pater suus, operatus est.

35. Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc populus immolabat, & adolebat incensum in excelsis: ipse ædificavit portam domus Domini sublimissimam.

36. Reliqua autem sermonum Joathan, & universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

37. In diebus illis cœpit Dominus mittere in Judam Rasin regem Syriæ, & Phacee filium Romeliæ.

38. Et dormivit Joathan cum patribus suis, sepultusque est cum eis in Civitate David patris sui, & regnavit Achaz filius ejus pro eo.

C A P U T XVI.

In Juda regnat Achaz filius Joathan. Eo regnante Idumæi Ailam occupant. Assyrios in sui auxilium adversus Syros evocat. Huic succedit Ezechias.

1. ANno decimo septimo Phacee (a) filii Romeliæ regnavit Achaz filius Joathan regis Juda.

2. * Viginti (b) annorum erat Achaz cum regnare cœpisset, & sedecim annis regnavit in Jerusalem: non fecit quod erat placitum in conspectu Domini Dei sui, sicut David pater ejus. * 2. Par. 28. 1.

3. Sed ambulavit in via regum Israel: insuper & filium suum consecravit, transferens per ignem (c) secundum idola Gentium, quæ dissipavit Dominus coram filiis Israel.

4. Immolabat quoque victimas, & adolebat incensum in excelsis, & in collibus, & sub omni ligno frondoso.

5. * Tunc ascendit Rasin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Israel, in Jerusalem ad præliandum: cumque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum. * Isa. 7. 1.

6. In tempore illo restituit Rasin rex Syriæ, Ailam Syriæ, & ejecit Judæos de Aila (d): & Idumæi venerunt in Ailam, & habitaverunt ibi usque in diem hanc.

7. Misit autem Achaz nuntios ad Theglathphalasar regem Assyriorum, dicens: Servus tuus, & filius tuus ego sum: ascende, & salvum me fac de manu regis Syriæ, & de manu regis Israel, qui consurrexerunt adversum me.

8. Et cum collegisset argentum & aurum, quod inveniri potuit in domo Domini, & in thesauris regis, misit regi Assyriorum munera.

9. Qui & acquievit voluntati ejus: ascendit enim rex Assyriorum in Damascum, & vastavit eam: & transtulit habitatores ejus Cyrenen (e), Rasin autem interfecit.

10. Perrexitque rex Achaz in occursum Theglathphalasar regi Assyriorum in Damascum: cumque vidisset altare Damasci, misit rex Achaz ad Uriam sacerdotem exemplar ejus, & similitudinem juxta omne opus ejus.

11. Ex-

27. (f) Hinc colligunt annum septimum Joathan concurrere cum anno secundo Phacee.

29. (g) Hebr. & Chald. tres has voces pro tot urbibus sumunt, & vocem *Beth* בית non pro domo, sed ut partem nominis proprii accipiunt. *Et Galaad, & Galilæam, & universam terram Nephthali*, id est, Galaaditidis regionem ultra Jordanem, quæ est opposita Galilææ: qua de re Isaias cap. 9. *Primo tempore alleviata est terra Zabulon*; pars dimidia Israel tei populi translata est in Assyriam. Placet viro docto hunc esse qui ab Æliano *Thilgamus* dicitur, quique post *Arbacem*, & *Belesi*, sive *Baladanus*: qui ut ipsi videtur, est Nabon-assar Ptolemæi, conspirationis Assyriorum reliquias exsuscitans, Nini junioris nomine est insignitus.

30. (h) Ex quo regnare cœperat Joathan. Non enim regnavit solus nisi annos sedecim.

CAPUT XVI. 1. (a) Achaz una cum patre Joathan regnasse annos 7. vel 8. hinc colligit Capellus: nam cœpit regnare anno 17. Phacee: & cap. seq. Osee qui Phacee interfecit, dicitur regnum inchoasse anno 12. Achaz, cumque annus ultimus Joathan concurrat cum anno 17. Phacee, si Achaz ejus filius cœpit regnare anno 17. Phacee, Osee anno Achaz 4. aut 5. non anno 12. regnare cœpit. At si Achaz regnavit cum patre 7. aut 8. annis, primus ejus annus concurret cum decimo Phacee, & nono patris Joathan, atque annus primus Osee incidet in annum 12. Achaz, ex quo regnare cœpit cum patre Joathan. Postea mortuo Joathan regnare cœpit solus anno Phacee 17. ex vers. 30. Osee regnare cœpit anno 20. Joathan, id est, anno 20. post Joathami inaugurationem: nam annus 15. & ultimus Joathan concurrit cum anno 17. Phacee, ac forte per novem annos anarchia fuit in regno Israel.

2. (b) Itaque Achaz vixit 36. annis. Sed ex cap. 18. Ezechias 25. annorum erat, cum regnare cœpisset. Ergo Ezechias anno 11. Achaz natus est. Junius ex Hebræo, cap. 16. vers. 2. addit ille vocem, quæ refertur ad Joathan patrem Achaz: Sic nodum hunc solvit. Alii dicunt, potuit in numeros error irrepere.

3. (c) Sive in holocaustum obtulerit unum ex filiis Moloch; sive transire fecerit per duos ignes. 2. Paralipom. 28. *Et lustravit filios suos in igne*: id est, filium. *Secundum idola gentium*: Hebr. *Abominationes*, secundum pravos gentium ritus.

6. (d) Seu *Aelath*: tum primum Judæi appellantur. Urbs illa erat in Idumæa, quam ædificavit Azarias Rex Judæ ex cap. 14. & præsidium in ea posuit, quod ejecit Rasin, Idumæos sibi subjectos posuit: *Et Idumæi venerunt*, Hebr. *Syri*.

9. (e) Hebr. קיר. Kir, quæ urbs creditur fuisse in Assyria. Josephus putat esse regionem Mediæ, in ea est Cyrthus fluvius Plinio & Ptolemæo.

11. Extruxitque (*f*) Urias sacerdos altare : juxta omnia quæ præceperat rex Achaz de Damasco, ita fecit sacerdos Urias, donec veniret rex Achaz de Damasco.

12. Cumque venisset rex de Damasco, vidit altare, & veneratus est illud : ascenditque & immolavit holocausta, & sacrificium suum,

13. Et libavit libamina, & fudit sanguinem pacificorum, quæ obtulerat super altare.

14. Porro altare æreum, quod erat coram Domino transtulit (*g*) de facie templi, & de loco altaris, & de loco templi Domini : posuitque illud ex latere altaris ad Aquilonem.

15. Præcepit quoque rex Achaz Uriæ sacerdoti, dicens : Super altare majus offer holocaustum matutinum, & sacrificium vespertinum, & holocaustum regis, & sacrificium ejus, & holocaustum universi populi terræ, & sacrificia eorum, & libamina eorum : & omnem sanguinem holocausti, & universum sanguinem victimæ super illud effundes : altare vero æreum erit paratum (*h*) ad voluntatem meam.

16. Fecit igitur Urias sacerdos juxta omnia, quæ præceperat rex Achaz.

17. Tulit autem rex Achaz cælatas bases, & luterem, qui erat desuper : & mare deposuit de bobus æreis, qui sustentabant illud, & posuit super pavimentum stratum lapide.

18. Musach (*i*) quoque sabbati, quod ædificaverat in templo, & ingressum regis exterius convertit in templum Domini propter regem Assyriorum.

19. Reliqua autem verborum Achaz, quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?

*2. Par. 28. 27. 20. Dormivitque Achaz cum patribus suis, & sepultus est cum eis in Civitate David, * & regnavit Ezechias filius ejus pro eo.

CAPUT XVII.

Salmanasar sub Osee rege, qui tributum Assyriis pendere recusabat, Israelem transfert in Assyriam; mittitur sacerdos Israeliticus in Samariam, qui eos doceret cultum Dei.

1. ANno (*a*) duodecimo Achaz regis Juda, regnavit Osee filius Ela in Samaria super Israel novem annis.

2. Fecitque malum coram Domino : sed non sicut reges Israel, qui ante eum fuerant.

3. * Contra hunc ascendit (*b*) Salmanasar rex Assyriorum, & factus est ei Osee servus, reddebatque illi tributa. *Infr. 18. 9. Tob. 1. 2.

4. Cumque deprehendisset rex Assyriorum Osee, quod rebellare nitens misisset nuntios ad Sua regem Ægypti, ne præstaret tributa regi Assyriorum, sicut singulis annis solitus erat, obsedit eum, & vinctum misit in carcerem.

5. Pervagatusque est omnem terram : & ascendens Samariam, obsedit eam tribus annis.

6. * Anno autem nono Osee, cepit rex Assyriorum Samariam, & transtulit Israel in Assyrios : posuitque eos in Hala, & in Habor, juxta fluvium Gozam (*c*), in civitatibus Medorum. *Infr. 18. 10.

7. Factum est enim, cum peccassent filii Israel Domino Deo suo, qui eduxerat eos de Terra Ægypti, de manu Pharaonis regis Ægypti, coluerunt deos alienos.

8. Et ambulaverunt juxta ritum Gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel (*d*), & regum Israel : quia similiter fecerant.

9. Et offenderunt filii Israel verbis non rectis (*e*) Dominum Deum suum : & ædificaverunt sibi excelsa in cunctis urbibus suis, a Turre custodum usque ad civitatem munitam.

10. Feceruntque sibi statuas, & lucos in omni colle sublimi, & subter omne lignum nemorosum :

11. Et adolebant ibi incensum super aras in morem Gentium, quas transtulerat Dominus a facie eorum : feceruntque verba pessima irritantes Dominum.

12. Et coluerunt immunditias, de quibus præcepit eis Dominus ne facerent verbum hoc.

13. Et testificatus est Dominus in Israel & in Juda per manum omnium Prophetarum & Videntium, dicens : * Revertimini a viis vestris pessimis, & custodite præcepta mea, & cæremonias juxta omnem legem, quam præcepi patribus vestris : & sicut misi ad vos in manu servorum meorum Prophetarum. *Jer. 25. 5.

14. Qui non audierunt, sed induraverunt cervicem suam juxta cervicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Domino Deo suo.

15. Et

11. (*f*) Peccavit graviter Urias, qui tamen testis fidelis ab Isaia cap. 8. vocatur : sed nondum illud altare erexerat, cum de illo Isaias mentionem fecit.

14. (*g*) Hebr. *Appropinquare fecit*, de facie templi removit, ne esset e regione templi, de loco templi : Hebr. *Et inter templum* : altare vero posuit inter novum & sanctuarium ; altare æneum suo loco motum collocavit ad latus septentrionale inter novum altare & templum.

15 & 17. (*h*) Conflabo illud cum voluero : vel in eo non offeremus sacrificia nisi jussu meo. *Luterem* : Luterem æneos.

18. (*i*) Seu tentorium, sub quo Sacerdotes perfuncti suo munere quiescebant Sabbatis, pulvinar atrii, seu theatrum illud esset, in quo sedebat Rex juxta portam atrii Sacerdotum, ut ex cap. 46. Ezech. colligitur. Ad illud tribunal regium ingressus patebat ex Regis Palatio per interjecta atria. Achaz vero in gratiam Regis Assyriorum, ne foris cum populo staret, tribunal illud convertit in templum Domini, seu in atrium interius Sacerdotum, ut posset comminus intueri quæ fierent in secunda parte templi. Hebr. *Circuire fecit domum Domini* : Gr. *Transtulit in templo*, id est, in aliam templi partem vertit, ne Rex aut Sacerdotes ingredientes tergum obverterent Assyriæ Regi.

CAPUT XVII. 1. (*a*) Is annus post excussum Assyriorum Imperium juxta quosdam Interpretes intelligi debet : nam anno quarto Achaz regnare cœpit, ac forte sub tutela fuit usque ad annum 12. Achaz, quo regnare cœpit : aliam supra rationem attulimus computandi annos. Itaque tum Osee regnavit pleno jure ; jam ante regnaverat, sed ut cliens Assyrii Regis.

3. (*b*) Salmanasar, hujus nomen in Tyriorum annalibus extitisse docet Josephus.

6. (*c*) Hebr. *In Hala & Habor fluviis Gozan*, quo prius translatæ fuerant duæ tribus cum dimidia trans Jordanem positæ, 1. Paralip. 5. 29 *Quomodo colerent Deum* : juxta Jeroboami ritum. Alii per Hala, *Calchar*, per Habor, *Iberos* Asiæ intelligunt hoc in loco. *Juxta fluvium Gozan*. Inde regio Gauzanitis apud Ptolemæum in Mesopotamiæ descriptione. *In civitatibus Medorum*. Hebr. *Et civitatibus Medorum*. Nam priora illa loca partim erant in Assyria, partim in Mesopotamia.

8. (*d*) Juxta ritum regum Israel, qui similiter fecerunt.

9 & 11. (*e*) Qualia sint, non videbit Dominus, vel pravis actibus. *A turre custodum ad civitatem munitam*, Proverbialis locutio : turres custodum etiam in solitudine extructæ, ubi pastores habebant pecora, ne latronibus prædæ essent ; non tantum in munitis civitatibus, sed etiam in oppidulis ædificabant excelsa. *Pessima* ; res pessimas.

15. Et abjecerunt legitima ejus, & pactum, quod pepigit cum patribus eorum, & testificationes, quibus contestatus est eos: secutique sunt vanitates, & vane egerunt: & secuti sunt Gentes, quæ erant per circuitum eorum, super quibus præceperat Dominus eis ut non facerent sicut & illæ faciebant.

16. Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei sui: feceruntque sibi conflatiles duos vitulos, & lucos, & adoraverunt universam militiam cæli: servieruntque Baal,

17. Et consecraverunt filios suos, & filias suas per ignem: & divinationibus inserviebant, & auguriis: & tradiderunt se ut facerent malum coram Domino, ut irritarent eum.

18. Iratusque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos a conspectu suo, & non remansit nisi tribus Juda (*f*) tantummodo.

19. Sed nec ipse Juda custodivit mandata Domini Dei sui: verum ambulavit in erroribus Israel, quos operatus fuerat.

20. Projecitque Dominus omne semen Israel, & afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium, donec projiceret eos a facie sua:

* 3 Reg 12. 19. 21. * Ex eo jam tempore, quo scissus est Israel a domo David, & constituerunt sibi regem Jeroboam filium Nabat: separavit enim Jeroboam Israel a Domino, & peccare eos fecit peccatum magnum.

22. Et ambulaverunt filii Israel in universis peccatis Jeroboam quæ fecerat: & non recesserunt ab eis,

* Jer 25. 9. 23. * Usquequo Dominus auferret Israel a facie sua, sicut locutus fuerat in manu omnium servorum suorum Prophetarum: translatusque est Israel de terra sua in Assyrios, usque in diem hanc.

24. Adduxit autem rex (*g*) Assyriorum de Babylone, & de Cutha, & de Avah, & de Emath, & de Sepharvaim: & collocavit eos in civitatibus Samariæ pro filiis Israel: qui possederunt Samariam, & habitaverunt in urbibus ejus.

25. Cumque ibi habitare cœpissent, non timebant Dominum: & immisit in eos Dominus leones, qui interficiebant eos.

26. Nuntiatumque est regi Assyriorum, & dictum: Gentes, quas transtulisti, & habitare fecisti in civitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ: & immisit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eo quod ignorent ritum Dei terræ.

27. Præcepit autem rex Assyriorum, dicens: Ducite illuc unum de sacerdotibus, quos inde captivos adduxistis, & vadat, & habitet cum eis: & doceat eos legitima Dei terræ (*h*).

28. Igitur cum venisset unus de sacerdotibus his, qui captivi ducti fuerant de Samaria, habitavit in Bethel, & docebat eos quomodo colerent Dominum.

29. Et unaquæque Gens fabricata est Deum suum: posueruntque eos in fanis excelsis, quæ fecerant Samaritæ, Gens & Gens in urbibus suis, in quibus habitabat.

30. Viri enim Babylonii fecerunt Sochothbenoth: viri autem Chutæi fecerunt Nergel: & viri de Emath fecerunt Asima.

31. Porro Hevæi fecerunt Nebahaz & Tharthac. Hi autem, qui erant de Sepharvaim, comburebant filios suos igni, Adramelech & Anamelech diis Sepharvaim,

32. Et nihilominus colebant Dominum. Fecerunt autem sibi de novissimis sacerdotes excelsorum, & ponebant eos in fanis sublimibus.

33. Et cum Dominum colerent, diis quoque suis serviebant juxta consuetudinem Gentium, de quibus translati fuerant Samariam:

34. Usque in præsentem diem morem sequuntur antiquum: non timent Dominum, neque custodiunt cæremonias ejus, judicia, & legem, & mandatum, quod præceperat Dominus filiis Jacob, * quem cognominavit Israel: * Gen. 32. 28.

35. Et percusserat cum eis pactum, & mandaverat eis, dicens: Nolite timere deos alienos, & non adoretis eos, neque colatis eos, & non immoletis eis.

36. Sed Dominum Deum vestrum, qui eduxit vos de Terra Ægypti in fortitudine magna, & in brachio extento, ipsum timete, & illum adorate, & ipsi immolate.

37. Cæremonias quoque, & judicia, & legem, & mandatum, quod scripsit vobis, custodite ut faciatis cunctis diebus: & non timeatis deos alienos.

38. Et pactum, quod percussit vobiscum, nolite oblivisci: nec colatis deos alienos.

39. Sed Dominum Deum vestrum timete, & ipse eruet vos de manu omnium inimicorum vestrorum.

40. Illi vero non audierunt, sed juxta consuetudinem suam pristinam perpetrabant.

41. Fuerunt igitur Gentes istæ timentes (*i*) quidem Dominum, sed nihilominus & idolis suis servientes: nam & filii eorum, & nepotes, sicut fecerunt patres sui, ita faciunt usque in præsentem diem.

CAPUT XVIII.

Ezechias rex pius lucos succidit: Idumæos qui rebellaverant, vincit. Exercitus Assyrii Jerusalem obsident.

1. ANno * tertio (*a*) Osee filii Ela regis Israel, regnavit Ezechias filius Achaz regis Juda. * 2. Par. 28. 27. & 29. 1.

2. Vi-

18 (*f*) Quæ & tribum Benjamin conjunctam habebat.

24. (*g*) *Asaraddon* ex Lib. 1. Esdræ 4. tumque impletum est vaticinium Isaiæ initio Achaz cap. 7. de Ephraim intra annos 65. sic auferendo, ut non esset populus. Sublata enim ante annos 44. a Salmanasar parte maxima populi, tamen aliqua supererat Reipublicæ facies. *Cuthum* esse Persidis fluvium docet Josephus: *Et de Emath*: est forte *Amathus* Syriæ his nominata apud Herodotum: *Et de Sepharvaim*, quæ est urbs Ptolemæo *Saphara*.

27. & 29. (*h*) Nam Deum Israelis putabant esse quemdam regionalem Deum. *Fabricata*, præter Deum Israel.

41. (*i*) Non colebant Deum ex vera fide: sed quia credebant eum esse Deum filium terræ, alios præterea habebant deos, qui aliis regionibus præessent. Hi vero advenæ ex v. 24. adducti sunt de Babylone & de Cutha: unde concludunt nonnulli tunc temporis Babylonem subditam fuisse Regibus Assyriorum in Ninive imperantibus. Et vers. 6. liquet regionem Medorum his paruisse, sed paucis post annis Medi duce Dejoce & Babylonii duce Merodach adversus Assyrios rebellarent.

1 (*a*) Ergo cum patre regnavit triennium, aut paullo plus biennio: nam Achaz regnavit 16 annis: regni ejus anno 12. regnare cœpit Osee, cujus annus tertius concurrit cum anno 14. Achaz: cumque Ezechias regnaverit 29 annis, sequitur eum solum post patris obitum regnasse 26. annis. CAPUT XVIII.

2. Vigintiquinque annorum erat, cum regnare cœpisset: & vigintinovem annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Abi filia Zachariæ.

3. Fecitque quod erat bonum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus.

4. Ipse dissipavit excelsa, & contrivit statuas, & succidit lucos, confregitque serpentem æneum, * quem fecerat Moyses: siquidem usque ad illud tempus filii Israel adolebant ei incensum: vocavitque nomen ejus Nohestan (*b*).

*Num. 21. 9.

5. In Domino Deo Israel speravit: itaque post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Juda, sed neque in his, qui ante eum fuerunt:

6. Et adhæsit Domino, & non recessit a vestigiis ejus, fecitque mandata ejus, quæ præceperat Dominus Moysi.

7. Unde & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat. Rebellavit quoque contra regem Assyriorum, & non servivit ei.

8. Ipse percussit Philisthæos usque ad Gazam, & omnes terminos eorum, a Turre custodum usque ad civitatem munitam.

9. Anno quarto regis Ezechiæ, qui erat annus septimus Osee filii Ela regis Israel, ascendit Salmanasar ( ) rex Assyriorum in Samariam, & oppugnavit eam,

10. Et cepit. Nam post annos tres, anno sexto Ezechiæ, id est * nono anno Osee regis Israel, capta est Samaria:

*2.Par. 28. 6. Tob. 1. 2.

11. Et transtulit rex Assyriorum Israel in Assyrios, collocavitque eos in Hala & in Habor fluviis Gozan in civitatibus Medorum:

12. Quia non audierunt vocem Domini Dei sui, sed prætergressi sunt pactum ejus: omnia, quæ præceperat Moyses servus Domini, non audierant, neque fecerunt.

13. * Anno quartodecimo regis Ezechiæ, ascendit Sennacherib (*d*) rex Assyriorum ad universas civitates Juda munitas: & cepit eas.

*2.Par. 32. 1. Isa. 36. 1. Eccli. 48. 20.

14. Tunc misit Ezechias rex Juda nuntios ad regem Assyriorum in Lachis, dicens: Peccavi, recede a me: & omne, quod imposueris mihi, feram. Indixit itaque rex Assyriorum Ezechiæ regi Judæ trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri.

15. Deditque Ezechias omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini, & in thesauris regis.

16. In tempore illo confregit Ezechias valvas (*e*) templi Domini, & laminas auri, quas ipse affixerat, & dedit eas regi Assyriorum.

17. Misit autem rex Assyriorum Tharthan, & Rabsaris, & Rabsacen de Lachis ad regem Ezechiam, cum manu valida, Jerusalem: qui cum ascendissent, venerunt Jerusalem, & steterunt juxta aquæductum piscinæ superioris, quæ est in via (*f*) Agri fullonis.

18. Vocaveruntque regem: egressus est autem ad eos Eliacim filius Helciæ præpositus domus, & Sobna scriba, & Joahe filius Asaph a commentariis.

19. Dixitque ad eos Rabsaces: Loquimini Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: Quæ est ista fiducia, qua niteris?

20. Forsitan inisti consilium, ut præpares te ad prælium? In quo confidis, ut audeas rebellare?

21. An speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto, super quem, si incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam? sic est Pharao rex Ægypti omnibus, qui confidunt in se.

22. Quod si dixeritis mihi: In Domino Deo nostro habemus fiduciam: nonne iste est, cujus abstulit Ezechias excelsa & altaria: & præcepit Judæ & Jerusalem: Ante altare hoc adorabitis in Jerusalem?

23. Nunc igitur transite ad dominum meum regem Assyriorum, & dabo vobis duo millia equorum (*g*), & videte an habere valeatis ascensores eorum.

24. Et quomodo potestis resistere ante unum satrapam de servis domini mei minimis? An fiduciam habes in Ægypto propter currus & equites?

25. Numquid sine Domini voluntate ascendi ad locum istum, ut demolirer eum? Dominus dixit mihi: Ascende ad terram hanc, & demolire eam.

26. Dixerunt autem Eliacim filius Helciæ, & Sobna, & Joahe, Rabsaci: Precamur ut loquaris nobis servis tuis Syriace (*h*): siquidem intelligimus hanc linguam: & non loquaris nobis Judaice, audiente populo, qui est super murum.

27. Responditque eis Rabsaces, dicens: Numquid ad dominum tuum, & ad te misit me dominus meus, ut loquerer sermones hos, & non potius ad viros, qui sedent super murum, ut comedant stercora sua, & bibant urinam suam vobiscum?

28. Stetit itaque Rabsaces, & exclamavit voce magna Judaice, & ait: Audite verba regis magni, regis Assyriorum.

29. Hæc dicit rex: Non vos seducat Ezechias: non enim poterit eruere vos de manu mea.

30. Neque fiduciam vobis tribuat super Dominum, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, & non tradetur civitas hæc in manu regis Assyriorum.

31. Nolite audire Ezechiam: Hæc enim dicit rex Assyriorum: Facite mecum quod vobis est utile, & egredimini ad me: & comedet unusquisque de vinea sua, & de ficu sua; & bibetis aquas de cisternis vestris,

32. Do-

4. (*b*) Id est, [illegible] æs nullius pretii, [illegible] quod res abliss[illegible] [illegible] & [illegible] hunc serpenti offerrent. Diu quidem [illegible] miraculi esset monumentum, ut [illegible] destructa [illegible] crucifixæ [illegible] similitudine significaret.

9. ( ) Qu[illegible] signis memoriæ infigatur, repetit quod dixerat cap. superiori, & [illegible] de adventu Assyriorum, cladem [illegible]

13. & 14. (*d*) H[illegible] meminit Berosus apud Josephum & H[illegible] Aur., adeo ut æqualis fuerit a[illegible] & argenti valor.

16. (*e*) In extrema angustia aurum sacrum detraxit, & conflatum dedit: Et laminas auri: Hebr. Columnas, quas ipse affixerat. Hebr. obduxerat, auro nimirum.

17. (*f*) [illegible] lapidibus strata, ubi fullones [illegible] pannos aquæ piscina per aquæductum excurrente, & in agro pro[illegible] extendebant. Cum manu valida, gravi manu, seu [illegible] neque enim Rabsaces venit cum exercitu [illegible] ille mentitur.

23. (*g*) A[illegible] ascensum præbere, adeo infirmi e[illegible] Propter equorum penuriam pauci erant inter Hebræos, [illegible]

26. (*h*) [illegible] linguam quidam e primoribus sciebant, non autem populus.

32. Donec veniam, & transferam vos in terram, quæ similis est terræ vestræ, in terram fructiferam, & fertilem vini, terram panis & vinearum, terram olivarum, & olei ac mellis, & vivetis, & non moriemini. Nolite audire Ezechiam, qui vos decipit, dicens: Dominus liberabit nos.

33. Numquid liberaverunt dii Gentium terram suam de manu regis Assyriorum?

* Infr. 19. 13. Sup. 17. 24. Isa. 10. 9. & 37. 13. 34. Ubi * est Deus Emath, & Arphad (i)? ubi est Deus Sepharvaim, Ana, & Ava? numquid liberaverunt Samariam de manu mea?

35. Quinam illi sunt in universis diis terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, ut possit eruere Dominus Jerusalem de manu mea?

36. Tacuit itaque populus, & non respondit ei quidquam: siquidem præceptum regis acceperant, ut non responderent ei.

37. Venitque Eliacim filius Helciæ, præpositus domus, & Sobna scriba, & Joahe filius Asaph a commentariis, ad Ezechiam scissis vestibus, & nuntiaverunt ei verba Rabsacis.

CAPUT XIX.

Auditis blasphemiis Rabsacis Isaias & Ezechias preces ad Deum fundunt. Angelus de nocte 185000. interficit.

Isai. 37. 1. 1. Quæ cum audisset Ezechias rex, scidit vestimenta sua, & opertus est sacco, ingressusque est domum Domini.

2. Et misit Eliacim præpositum domus, & Sobnam scribam, & senes de sacerdotibus opertos saccis, ad Isaiam prophetam filium Amos.

3. Qui dixerunt: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, & increpationis (a), & blasphemiæ, dies iste: venerunt filii usque ad partum, & vires non habet parturiens.

4. Si forte audiat Dominus Deus tuus universa verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus, ut exprobraret Deum viventem, & argueret verbis, quæ audivit Dominus Deus tuus: & fac orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt.

5. Venerunt ergo servi regis Ezechiæ ad Isaiam.

6. Dixitque eis Isaias: Hæc dicetis domino vestro: Hæc dicit Dominus: Noli timere a facie sermonum, quos audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me.

7. Ecce, ego immittam ei spiritum, & audiet nuntium, & revertetur in terram suam, & dejiciam eum gladio in terra sua.

8. Reversus est ergo Rabsaces, & invenit regem Assyriorum expugnantem Lobnam: audierat enim quod recessisset de Lachis.

9. Cumque (b) audisset de Tharaca rege Æthiopiæ, dicentes: Ecce, egressus est ut pugnet adversum te: & iret contra eum, misit nuntios ad Ezechiam, dicens:

10. Hæc dicite Ezechiæ regi Juda: Non te seducat Deus tuus, in quo habes fiduciam: neque dicas: Non tradetur Jerusalem in manus regis Assyriorum.

11. Tu enim ipse audisti quæ fecerunt reges Assyriorum universis terris, quomodo vastaverunt eas: num ergo solus poteris liberari?

12. Numquid liberaverunt dii Gentium singulos, quos vastaverunt patres mei, Gozan videlicet, & Haran (c), & Reseph, & filios Eden, qui erant in Thelassar?

13. Ubi est rex Emath, & rex Arphad, & rex civitatis Sepharvaim, Ana, & Ava?

14. Itaque cum accepisset Ezechias litteras de manu nuntiorum, & legisset eas, ascendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino.

15. Et oravit in conspectu ejus, dicens: Domine Deus Israel, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus regum omnium terræ: tu fecisti cælum & terram.

16. Inclina aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide: audi omnia verba Sennacherib, qui misit ut exprobraret nobis (d) Deum viventem.

17. Vere Domine dissipaverunt reges Assyriorum Gentes, & terras omnium.

18. Et miserunt deos eorum in ignem: non enim erant dii, sed opera manuum hominum ex ligno & lapide, & perdiderunt eos.

19. Nunc igitur Domine Deus noster, salvos nos fac de manu ejus, ut sciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus solus.

20. Misit autem Isaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quæ deprecatus es me super Sennacherib rege Assyriorum, audivi.

21. Iste est sermo, quem locutus est Dominus de eo: Sprevit te, & subsannavit te, virgo filia Sion: post tergum tuum caput movit, filia Jerusalem.

22. Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, & elevasti in excelsum oculos tuos? contra Sanctum Israel.

23. Per manum servorum tuorum exprobrasti Domino, & dixisti: In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium in summitate Libani, & succidi sublimes cedros ejus, & electas abietes illius. Et ingressus sum usque ad terminos ejus, & saltum carmeli (e) ejus

24. Ego succidi. Et bibi aquas alienas, & siccavi vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas.

25. Num-

34. (i) Cum Emath conjungitur Jeremiæ 49. 23. Ava videtur esse nomen unius ex cap. 19. 13.

CAP. XIX. 3. & 4. (a) Seu punctionis: magnum ad resistendum apparatum agnoscit esse viribus hostium imparem: Usque ad partum, Hebr. Ad os vulvæ. Cum eo usque infans venit, dolores sunt gravissimi; si virtus desit, nulla est spes evadendi: tales erant angustiæ Judæorum. Repertæ, [illegible] Juda.

9. (b) Ab Herodoto vocatur Tharaco, ubi narrat Sennacherib cladem accepisse ad Pelusium. Isaias cap. 10. Ægyptum & Æthiopiam una conjungit: Et iret contra eum: Hebr. Et reversus est: ivit Sennacherib obviam ei relicto Rabsace cum copiis, ut Jerusalem premeret. Apud Strabonem Thearcus dicitur.

12. (c) Carras Assiriæ; Et Reseph, Resapha in Palmyrene ex Ptolemæo: Et filios Eden, Mesopotamiæ.

16. & 21. (d) Vox nobis, deest in Hebræo & in LXX. Sprevit: Præteritum pro futuro. Virgo filia Sion: Virgo appellatur, quia nondum subacta a gentibus. Post tergum tuum caput movit, filia Jerusalem: tu terga vertes, & Jerusalem irridebit te; verba Hebræa sunt feminina, & ad Jerusalem referuntur.

23. & 24. (e) Terra frugifera. Clausas: Ante incognitas; Et siccavi, aquas fluviorum alio deduxi. Aquas clausas: Hebr. Jeori-masor, יאירי מצור, id est rivos munitionis, divertendo alio cursum aquarum. Vel bibi aquas latentes & ignotas; & siccavi vestigiis pedum meorum, averto cursus amnium opera militum meorum, quorum tanta est multitudo, ut aquæ fluviorum non sufficiant.

25. Numquid non audisti (*f*) quid ab initio fecerim? Ex diebus antiquis plasmavi illud, & nunc adduxi: eruntque in ruinam collium pugnantium civitates munitæ.

26. Et qui sedent in eis, humiles (*g*) manu, contremuerunt & confusi sunt, facti sunt velut fœnum agri, & virens herba tectorum, quæ arefacta est antequam veniret ad maturitatem.

27. Habitaculum tuum, & egressum tuum, & introitum tuum, & viam tuam ego præscivi, & furorem tuum contra me.

28. Insanisti in me, & superbia tua ascendit in aures meas: ponam itaque circulum (*h*) in naribus tuis, & camum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam venisti.

29. Tibi autem Ezechia hoc erit signum (*i*)
*Isa. 37. 30. * Comede hoc anno quæ repereris: in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur: porro in tertio anno seminate & metite: plantate vineas, & comedite fructum earum.

30. Et quodcumque reliquum fuerit de domo Juda, mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum.

31. De Jerusalem quippe egredientur reliquiæ, & quod salvetur de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet hoc.

32. Quam ob rem hæc dicit Dominus de rege Assyriorum: Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio.

33. Per viam, qua venit, revertetur: & civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus.

34. Protegamque urbem hanc, & salvabo eam propter me, & propter David servum meum.

*Tob. 1. 21. 35. * Factum (*k*) est igitur in nocte illa,
Eccli. 48. 24. venit Angelus Domini, & percussit in castris
Isa. 37. 36. Assyriorum centum octoginta quinque millia.
1 Mach. 7. 41. Cumque diluculo surrexisset, vidit omnia cor-
2 Mach. 8. 19. pora mortuorum: & recedens abiit,

36. Et reversus est Sennacherib rex Assyriorum, & mansit in Ninive.

*Tob. 1. 24. 37. * Cumque adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech & Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniorum, & regnavit Asarhaddon filius ejus pro eo.

CAPUT XX.

Ezechiam ægrotantem invisit Isaias, & prædicit eum ex illo morbo moriturum. Rex fusis lacrymis Dominum exorat.

1. IN diebus (*a*) illis ægrotavit Ezechias us- 2. Par. 32. 24.
que ad mortem: & venit ad eum Isaias Isa. 38. 1.
filius Amos, propheta, dixitque ei: Hæc dicit Dominus Deus: Præcipe domui tuæ: morieris enim tu, & non vives.

2. Qui convertit faciem suam ad parietem, & oravit Dominum, dicens:

3. Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim. Flevit itaque Ezechias fletu magno.

4. Et antequam egrederetur Isaias mediam partem atrii, factus est sermo Domini ad eum: dicens:

5. Revertere, & dic Ezechiæ duci populi mei: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: & ecce sanavi te, die tertio ascendes templum Domini.

6. Et addam diebus tuis quindecim annos: sed & de manu regis Assyriorum liberabo te, & civitatem hanc, & protegam urbem istam propter me, & propter David servum meum.

7. Dixitque Isaias: Afferte massam (*b*) ficorum. Quam cum attulissent, & posuissent super ulcus ejus, curatus est.

8. Dixerat autem Ezechias (*c*) ad Isaiam: Quod erit signum, quia Dominus me sanabit, & quia ascensurus sum die tertia templum Domini?

9. Cui ait Isaias: Hoc erit signum a Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est: Vis ut ascendat (*d*) umbra decem lineis, an ut revertatur totidem gradibus?

10. Et ait Ezechias: Facile est, umbram crescere decem lineis: nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus.

11. Invocavit itaque Isaias propheta Dominum, & reduxit (*e*) umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.

12. *In

25. (*f*) Verba sunt Dei ad Sennacherib. Si quæ mala nationibus intulisti, ea meo decreto facta sunt. Jam Deus ipse loquitur, ut Regis Assyriorum superbiam confundat. Hieronymus in caput 37 Isaiæ; Mirabantur impiæ gentes & infructuosæ arbores, ut per te quasi securim succiderentur, & caderent. *Quod ab initio fecerim*. Hebr. *a longe*: non est quod glorieris, si tu & majores tui tot civitates evertistis, & in cumulos redegistis: hæc ex meo decreto antiquo facta sunt. *Plasmavi illud*, præscripsi: *Et nunc adduxi*, effecta dedi; *Eruntque in ruinam collium civitates munitæ*: Vertit Vatablus: *Ad destruendum in acervos civitates munitas*, civitates in collibus sitas. Ego hoc permisi ut civitates mihi exosas penitem exciderees, ideo tibi complanavi viam.

26. (*g*) In civibus nulla virtus erat antea: *Antequam veniret ad maturitatem*, in primo exortu arefacta est herba.

28. (*h*) Ut blasphemantis ora constringam, frænumque injiciam labiis tuis, quod ferociam tuam domet. *Reducam te in viam*, quasi fræno te circumagam: *Ponam circulum*: Hebr. *hamum*.

29. (*i*) Quæ signa Isaias appellat, sunt effectus qui postea sunt consecuti. *Comedes hoc anno quæ repereris*: quæ reposita habes ad obsidionem tolerandam. *In secundo anno, quæ sponte nascuntur*; cum enim suo tempore agros serere non potuissent, ex granis decidais, & pomis in arboribus sponte nascentibus vixerunt. LXX. vertunt τὰ αὐτόματα, *Ortiva*, quæ semine deciduo sine cultura nascuntur.

35 (*k*) Exacto biennio; vel potius in celebri illa nocte, in qua percussi sunt Assyrii.

CAP. XX. 1. (*a*) Anno 14. regni Ezechiæ: verba illa generalem temporis notationem significant.

7. (*b*) Non quod in ficubus vis esset medicatrix morbi, sed signum erat efficaciæ divinæ.

8. (*c*) Verisimile est Prophetam prius ei dixisse ut olim Achaz: *Pete tibi signum a Domino*; aut si ultro petiit signum, eo modo excusari potest, quo dictum est de Abrahamo, & Gedeone.

9. (*d*) Optio tibi datur, ut progrediatur umbra, aut retrocedat. Erat, inquit Grotius, gnomon constans ex semicirculo, in cujus cavo erat globus, in quem cadens umbra respondebat caturis factis in semicirculo, ad numerum, ut ajunt, 24. Quæ cæturæ hic vocantur *gradus*, per eorum decem retracta est umbra.

11. (*e*) Retro rediit umbra per gradus 10. in *horologio Achaz* quod jubente Achaz delineatum fuerat: an sol sederit retrorsum, an mutatio in umbra tantum facta fuerit, vix decerni potest. Nihil autem opus erat, inquit Grotius, Universi cursum immutari, tantum signi caussa.

*Isai. 39. 1. 12. * In tempore illo misit Berodach (*f*) Baladan, filius Baladan, rex Babyloniorum litteras & munera ad Ezechiam: audierat enim quod ægrotasset Ezechias.

13. Lætatus est autem in adventu eorum Ezechias, & ostendit eis domum aromatum, & aurum & argentum, & pigmenta varia, unguenta quoque, & domum vasorum suorum, & omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Non fuit quod non monstraret eis Ezechias in domo sua, & in omni potestate sua.

14. Venit autem Isaias propheta ad regem Ezechiam, dixitque ei: Quid dixerunt viri isti? aut unde venerunt ad te? Cui ait Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone.

15. At ille respondit: Quid viderunt in domo tua? ait Ezechias: Omnia quæcumque sunt in domo mea, viderunt: nihil est quod non monstraverim eis in thesauris meis.

16. Dixit itaque Isaias Ezechiæ: Audi sermonem Domini:

17. Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem: non remanebit quidquam, ait Dominus.

18. Sed & de filiis tuis qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi (*g*) in palatio regis Babylonis.

19. Dixit Ezechias ad Isaiam: Bonus sermo Domini, quem locutus es: sit pax & veritas in diebus meis.

20. Reliqua autem sermonum Ezechiæ, & omnis fortitudo ejus, & quomodo fecerit piscinam, & aquæductum, & introduxerit aquas in civitatem, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?

21. Dormivitque Ezechias cum patribus suis, & regnavit Manasses filius ejus pro eo.

C A P U T XXI.

Manasses impius succedit patri Ezechiæ regi piissimo, & regnat 55. annis. Cui succedit Amon ejus filius, idem impius. Huic post biennium a servis occiso Josias ejus filius & pius succedit.

2. Par. 33. 1. 1. Duodecim annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, & quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Haphsiba.

2. Fecitque malum in conspectu Domini, juxta idola Gentium, quas delevit Dominus a facie filiorum Israel.

* 2. Par. 33. 3. 3. * Conversusque est, & ædificavit (*a*) excelsa, quæ dissipaverat Ezechias pater ejus: & erexit aras Baal, & fecit lucos sicut fecerat Achab rex Israel, & adoravit omnem militiam cæli, & coluit eam.

4. Extruxitque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus: * in Jerusalem ponam nomen meum. * 2. Reg. 7. 10.

5. Et extruxit altaria universæ militiæ cæli in duobus atriis templi Domini.

6. Et traduxit filium suum per ignem: & ariolatus est, & observavit auguria, & fecit pythones, & aruspices multiplicavit, ut faceret malum coram Domino, & irritaret eum.

7. Posuit quoque idolum luci, (*b*) quem fecerat in templo Domini, * super quod locutus * 2. Reg. 7. 26.
est Dominus ad David, & ad Salomonem filium ejus. In templo hoc, & in Jerusalem, 3. Reg. 8. 16. & 9. 3.
quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum.

8. Et ultra non faciam commoveri pedem Israel de terra, quam dedi patribus eorum: si tamen custodierint opera omnia quæ præcepi eis, & universam legem, quam mandavit eis servus meus Moyses.

9. Illi vero non audierunt: sed seducti sunt a Manasse, ut facerent malum super Gentes, quas contrivit Dominus a facie filiorum Israel.

10. Locutusque est Dominus in manu servorum suorum Prophetarum, dicens:

11. * Quia fecit Manasses rex Juda abominationes istas pessimas, super omnia quæ fecerunt * Jer. 15. 4.
Amorrhæi ante eum, & peccare fecit etiam Judam in immunditiis suis:

12. Propterea hæc dicit Dominus Deus Israel: ecce ego inducam mala super Jerusalem & Judam: ut quicumque audierit, tinniant ambæ aures ejus.

13. Et extendam super Jerusalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab: & delebo Jerusalem, sicut deleri solent tabulæ: & delens vertam, & ducam crebrius stylum super faciem ejus.

14. Dimittam (*c*) vero reliquias hæreditatis meæ, & tradam eas in manus inimicorum ejus: eruntque in vastitatem, & in rapinam cunctis adversariis suis:

15. Eo quod fecerint malum coram me, & perseveraverint irritantes me, ex die qua egressi sunt patres eorum ex Ægypto, usque ad hanc diem.

16. Insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses multum nimis, donec impleret Jerusalem usque ad os: absque peccatis suis, quibus peccare fecit Judam, ut faceret malum coram Domino.

17. Re-

12 (*f*) Isaiæ 39. vocatur *Merodach*. Hujus pater cum privatus esset, *Baladan* dictus est; factus prorex Babylonis dictus est *Nabonassar*, ex quo nomen suum duxit æra Nabonassaris apud Ptolomæum. Hujus successor *Ber-Merodach* excussit jugum Assyriorum, & paucis post annis imperium Assyriorum devicto Assaraddon labefactavit. Hic misit Legatos ad Ezechiam: quibus ostendit omnes thesauros suos, quos scilicet ex clade Assyriorum quæsierat: nam paucis ante annis in magnas redactus fuerat angustias. Quamobrem graviter fuit reprehensus a Deo per Isaiam, & ei denuntiatum fore ut illa omnia in Babylonem transportarentur: non quod illud tam grave fuerit peccatum, ut caussa fuerit captivitatis: sed ex illa occasione voluit Deus per Isaiam quæ futura erant prænuntiare, quo Ezechias cautius cum ea gente se gereret. Nomen *Baladan* extitisse in Chaldaicis Berosi, testis est Josephus.

18. & 19. (*g*) Palatio. *Bonus*, justus.

3. 4. (*a*) Iterum ædificavit. *Aras*, diis gentium, *in domo Domini*.

7 & 13. (*b*) Quod in luco colebatur. *Funiculum*, Chald. *filum perpendiculi*, quo structuram regunt opifices: *Et pondus domus Achab*, perpendiculi plumbum: sic evertet Jerusalem ut Samariam, cum eadem fuerint crimina, idem erit exitium idque magno judicio ad delicti mensuram, non temere. *Sicut deleri solent tabulæ*: aliam adhibet similitudinem a ceratis tabulis desumptam. Nam stylus altera parte acutus exarabat litteras in tabula cerata, altera parte latior eas delebat. *Et ducam crebrius stylum*, quod sæpius divinæ justitiæ ultionem experta fuerit Jerusalem.

14. & 16. (*c*) Non eam adjuvabo, sed derelinquam. *Fudit*; In Isaiam in primis, qui ex recepta traditione serra sectus fuit, Tert. Lib. de Patientia: *His patientiæ viribus secatur Isaias, & de Domino non tacet*. *Usque ad os*, confestim.

17. Reliqua autem sermonum (*d*) Manasse, & universa quæ fecit, & peccatum ejus, quod peccavit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?

18. Dormivitque Manasses cum patribus suis, & sepultus est in horto domus suæ, in horto Oza: & regnavit Amon filius ejus pro eo.

19. Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset: duobus quoque annis regnavit in Jerusalem. Nomen matris ejus Messalemeth filia Harus de Jeteba.

20. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus.

21. Et ambulavit in omni via, per quam ambulaverat pater ejus, servivitque immunditiis, quibus servierat pater ejus, & adoravit eas,

22. Et dereliquit Dominum Deum patrum suorum, & non ambulavit in via Domini.

23. Tetenderuntque ei insidias servi sui, & interfecerunt regem in domo sua.

24. Percussit autem populus terræ omnes, qui conjuraverant contra regem Amon: & constituerunt sibi regem Josiam filium ejus pro eo.

25. Reliqua autem sermonum Amon quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda?

26. Sepelieruntque eum in sepulcro suo, in horto Oza: & regnavit Josias filius ejus pro eo.

CAPUT XXII.

Josias templum Dei & ejus cultum instaurat. De Libro Legis invento Deum consulit; responsum accipit.

2 Par. 34. 1. 1. OCto annorum erat Josias cum regnare cœpisset, triginta & uno anno regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Idida, filia Hadaja de Besecath.

2. Fecitque quod placitum erat coram Domino, & ambulavit per omnes vias David patris sui: non declinavit (*a*) ad dexteram, sive ad sinistram.

3. Anno autem octavo decimo regis Josiæ, misit rex Saphan filium Aslia, filii Messulam scribam templi Domini, dicens ei:

4. Vade ad Helciam sacerdotem magnum, ut confletur pecunia (*b*), quæ illata est in templum Domini, quam collegerunt janitores templi a populo,

5. Deturque fabris per præpositos domus Domini: qui & distribuant eam his qui operantur in templo Domini, ad instauranda sartatecta templi:

6. Tignariis videlicet & cœmentariis, & iis qui interrupta componunt: & ut emantur ligna, & lapides de lapidicinis, ad instaurandum templum Domini.

7. Verumtamen non supputetur eis argentum quod accipiunt, sed in potestate habeant, & in fide.

8. Dixit autem Helcias pontifex ad Saphan scribam: Librum Legis reperi in domo Domini: deditque Helcias volumen Saphan, qui & legit illud.

9. Venit quoque Saphan scriba ad regem, & renuntiavit ei, quod præceperat, & ait: Conflaverunt servi tui pecuniam, quæ reperta est in domo Domini: & dederunt ut distribueretur fabris a præfectis operum templi Domini.

10. Narravit quoque Saphan scriba regi, dicens: Librum dedit mihi Helcias sacerdos. Quem cum legisset Saphan coram rege,

11. Et audisset rex verba Libri Legis Domini, scidit vestimenta sua.

12. Et præcepit Helciæ sacerdoti, & Ahicam filio Saphan, & Achobor filio Micha, & Saphan scribæ, & Asajæ servo regis, dicens:

13. Ite & consulite Dominum super me, & super populo, & super omni Juda, de verbis voluminis istius, quod inventum est: magna enim ira Domini succensa est contra nos: quia non audierunt patres nostri verba Libri hujus, ut facerent omne quod scriptum est nobis.

14. Ierunt itaque Helcias sacerdos, & Ahicam, & Achobor, & Saphan, & Asaja ad Holdam (*c*) prophetidem uxorem Sellum filii Thecuæ, filii Araas custodia vestium, quæ habitabat in Jerusalem in Secunda: locutique sunt ad eam.

15. Et illa respondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dicite viro, qui misit vos ad me:

16. Hæc dicit Dominus: Ecce, ego adducam mala super locum istum, & super habitatores ejus, omnia verba Legis quæ legit rex Judas:

17. Quia dereliquerunt me, & sacrificaverunt diis alienis, irritantes me in cunctis operibus manuum suarum: & succendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur.

18. Regi autem Juda, qui misit vos ut consuleretis Dominum, sic dicetis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Pro eo quod audisti verba voluminis,

19. Et perterritum est cor tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores ejus, quod videlicet fierent in stuporem & in maledictum: & scidisti vestimenta tua, & flevisti coram me, & ego audivi, ait Dominus:

20. Idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris (*d*) ad sepulcrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum super locum istum.

CA-

17. & 19. (*d*) In diversis, unde ea excerpsit Esdras. Lib. 2. Paral. 23. *Jetheba*, quæ est *Jethebata*, Num. 33.

CAPUT XXII. 2. (*a*) Josias proprie fuit Regum ultimus: nam reliqui quasi Regum Ægypti & Chaldæorum fuerunt ludibria. Placuit autem Deo, ut Rex ultimus pius esset ac justus, ut Judæis nullus superesset excusationi locus. Nam *populus*, inquit Hieron. *poterat se excusare in Regibus malis, & dicere: Nos volumus servire Deo, sed prohibemur a Regibus: datur Rex justus, quo zelante domum Domini, & populo nihilominus in idolorum cultu perseverante, justa iræ causa profertur a Domino.*

4. & 8. (*b*) Colligatur. *Reperi*: Manasses fortasse libros legis quos potuerat, sustulerat. Ea de re diximus in prolegomenis, Autographum Mosis, Lib. 2. Paral. 34.

14. (*c*) Quæ erat admodum celebris, quæque futura mala prædixit. *Quæ habitabat in Jerusalem in secunda*; vel in secunda parte civitatis, quam exterior murus ab Ezechia constructus cingebat; vel forte in porta secunda; aut vici nomen est. Tum fortassis Jeremias aberat, & reliquias ad pietatem hortabatur.

20. (*d*) Occisus quidem fuit in prælio, sed non vidit excidium urbis.

CAPUT XXIII.

Josias inventum Deuteronomium legis publicat. Sancito cum Domino fœdere, destructis idolis, occiditur in prælio. Huic succedit Joachaz, quo a Pharaone capto, in ejus locum Eliacim seu Joakim substituitur.

2. Par. 34. 29. 1. ET renuntiaverunt regi quod dixerat. Qui misit: & congregati sunt ad eum omnes senes Juda & Jerusalem.

2. Ascenditque rex templum Domini, & omnes viri Juda, universique qui habitabant in Jerusalem cum eo sacerdotes & prophetæ, & omnis populus a parvo usque ad magnum: legitque cunctis audientibus omnia verba libri fœderis, qui inventus est in domo Domini.

3. Stetitque rex super gradum (*a*): & fœdus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum, & custodirent præcepta ejus, & testimonia, & cæremonias in omni corde, & in tota anima, & suscitarent verba fœderis hujus, quæ scripta erant in libro illo: acquievitque populus pacto.

4. Et præcepit rex Helciæ pontifici, & sacerdotibus secundi ordinis (*b*), & janitoribus, * Eccli. 49. 3. * ut projicerent de templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant Baal, & in luco, & universæ militiæ cæli: & combussit ea foris Jerusalem in convalle Cedron, & tulit pulverem eorum in Bethel.

5. Et delevit (*c*) aruspices, quos posuerant reges Juda ad sacrificandum in excelsis per civitates Juda, & in circuitu Jerusalem: & eos, qui adolebant incensum Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim signis, & omni militiæ cæli.

6. Et efferri fecit lucum (*d*) de domo Domini foras Jerusalem in convalle Cedron, & combussit eum ibi, & redegit in pulverem, & projecit super sepulcra vulgi.

7. Destruxit quoque ædiculas effeminatorum, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quasi domunculas (*e*) luci.

8. Congregavitque (*f*) omnes sacerdotes de civitatibus Juda: & contaminavit excelsa, ubi sacrificabant sacerdotes, de Gabaa usque Bersabee: & destruxit aras portarum in introitu ostii Josue principis civitatis, quod erat ad sinistram portæ civitatis.

9. Veruntamen non ascendebant (*g*) sacerdotes excelsorum ad altare Domini in Jerusalem: sed tantum comedebant azyma in medio fratrum suorum.

10. Contaminavit quoque Topheth (*h*), quod est in Convalle filii Ennom: ut nemo consecraret filium suum aut filiam per ignem, Moloch.

11. Abstulit quoque equos (*i*), quos dederant reges Juda, Soli, in introitu templi Domini juxta exedram Nathanmelech eunuchi, qui erat in Pharurim: currus autem Solis combussit igni.

12. Altaria quoque, quæ erant super tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerant reges Juda, & altaria quæ fecerat Manasses in duobus atriis templi Domini, destruxit rex: & cucurrit inde, & dispersit cinerem eorum in Torrentem Cedron.

13. Excelsa quoque, quæ erant in Jerusalem ad dexteram partem Montis offensionis, * quæ ædificaverat Salomon (*k*) rex Israel Astaroth * 3. Reg. 11. 7.
idolo Sidoniorum, & Chamos offensioni Moab, & Melchom abominationi filiorum Ammon, polluit rex.

14. Et contrivit statuas, & succidit lucos: replevitque loca eorum ossibus mortuorum.

15. * Insuper & altare quod erat in Bethel, * 3. Reg. 12. 33.
& excelsum quod fecit Jeroboam filius Nabat, qui peccare fecerat Israel: & altare illud, & excelsum destruxit, atque combussit, & comminuit in pulverem, succenditque etiam lucum.

16. Et conversus (*l*) Josias, vidit ibi sepulcra, quæ erant in monte: misitque & tulit ossa de sepulcris, & combussit ea super altare, & polluit illud juxta verbum Domini, quod locutus est vir Dei, qui prædixerat verba hæc.

17. * Et ait: Quis est titulus (*m*) ille, * 3. Reg. 13. 1.
quem video? Responderuntque ei cives urbis illius: Sepulcrum est hominis Dei, qui venit de Juda, & prædixit verba hæc, quæ fecisti super altare Bethel.

18. Et ait: Dimittite eum, nemo commoveat ossa ejus. Et intacta manserunt ossa illius, cum ossibus prophetæ, qui venerat de Samaria.

19. Insuper & omnia fana excelsorum, quæ erant in civitatibus Samariæ, quæ fecerant reges Israel ad irritandum Dominum, abstulit Josias: & fecit eis secundum omnia opera, quæ fecerat in Bethel.

CAPUT XXIII.

3. (*a*) Sept. Interpr. *Super columnam*: juxta columnam, aut in tribunali, ut 2. Paralip. 34. *Ut suscitarent verba fœderis*: ut ea firmarent, & exsequerentur; ut ea quæ in libro legis continentur, in usum redirent.

4. (*b*) Qui aliis præerant, quique a Pontifice erant secundo. Et tulit *pulverem eorum in Bethel*, ut eum locum profanaret, quem Israelitæ ut sacrum habuerant.

5. (*c*) Hebr. *Cessare fecit*: idolorum Sacerdotes amovit ab officio.

6. (*d*) Aut verum, aut depictum, seu esset idolum Veneris, ut videtur Theodoreto, seu quid aliud: *Et projecit super sepulcra vulgi*: in locum ubi vulgus plebis sepeliebatur: in convalle Cedron projecit pulverem, ut pollueret sepulcra eorum qui idola coluerant.

7. (*e*) Alii *cortinas* vertunt, seu vestes idolis factas: *pro quibus*, in quibus mulieres vel tabernacula, aut vela huic profano idolo destinata texebant.

8. (*f*) Ne amplius dispersi sacrificarent in excelsis, seu in altaribus, quæ variis in locis erigebant, forte Deo, sed contra legem. Ac diruit aras *quæ erant ad domum Josue principis civitatis*, primi magistratus.

9. (*g*) In pœnam prævaricationis, tametsi viverent de oblatis.

10. (*h*) Vallis erat Jerusalem proxima, sic dicta quasi tympanum, quod sacrificuli Moloch tympanis streperent, ne audirentur clamores puerorum, quos per ignem trajiciebant. Illa carnificina erat in *Gehennom*, גיהנום, seu in valle Ennon, veteris cujusdam Jebusæi: hinc *gehennæ* nomen ductum est. *Ut nemo consecraret*, quod in locum vetusti moris successerat.

11 & 12. (*i*) Quibus vehebantur, qui mane exibant Solem salutatum. *Qui erat in Pharurim*; Chald. *in suburbio*. LXX. *destruxit*; Chald. *procul fecit*. Reges impii statuas Soli & Lunæ erexerant, quibus equos more Persarum consecrabant: excelsa forte illa ob vetustatem neglexerat Ezechias. Testis est Xenophon per totum orientem hoc animal Soli sacrum fuisse. *Altaria*, in solariis posita ad cultum siderum.

13. (*k*) Non eadem, sed similia: nam ea destruxerat Rex Ezechias: *Montis offensionis*, Hebr. *montis destructionis*, aut abominationis propter idola; Chald. *montis olivarum*. Lib. 2. Paralipomen. 33. Manasses post actam pœnitentiam altaria abstulerat, & extra urbem projecerat, quæ Josias destruxit.

16. (*l*) Reversus: Quod prædictum fuerat Lib. 3. Reg. cap. 13. impletum fuit.

17. (*m*) Columna fori, cui nomen sepulti erat inscriptum.

20. Et occidit (*n*) universos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi super altaria: & combussit ossa humana super ea: reversusque est Jerusalem.

* 2.Par.35. 1. 21. * Et præcepit omni populo, dicens: Facite Phase Domino Deo vestro: secundum quod scriptum est in libro fœderis hujus.

22. Nec enim factum est Phase tale a diebus judicum, qui judicaverunt Israel, & omnium dierum regum Israel, & regum Juda,

23. Sicut in octavo decimo anno regis Josiæ factum est Phase istud Domino in Jerusalem.

24. Sed & pythones, & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terra Juda & Jerusalem, abstulit Josias: ut statueret verba legis, quæ scripta sunt in Libro, quem invenit Helcias sacerdos in templo Domini.

25. Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in universa virtute sua (*o*), juxta omnem legem Moysi; neque post eum surrexit similis illi.

26. Verumtamen non est aversus Dominus ab ira furoris sui magni, quo iratus est furor ejus contra Judam: propter irritationes, quibus provocaverat eum Manasses.

* Infr.24.2. 27. * Dixit itaque Dominus: Etiam Judam auferam a facie mea, sicut abstuli Israel: & projiciam civitatem hanc, quam elegi, Jerusalem, & domum, de qua dixi: Erit nomen meum ibi.

28. Reliqua autem sermonum Josiæ, & universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda?

* 2.Par.35. 20. 29. * In diebus ejus ascendit Pharao Nechao (*p*) rex Ægypti, contra regem Assyriorum, ad flumen Euphratem; & abiit Josias rex in occursum ejus: & occisus est in Mageddo, cum vidisset eum.

30. Et portaverunt eum servi sui mortuum de Mageddo: & pertulerunt in Jerusalem, & sepelierunt eum in sepulcro suo. Tulitque populus terræ Joachaz filium Josiæ: & unxerunt eum (*q*), & constituerunt eum regem pro patre suo.

* 2.Par.36. 1. 31. * Viginti trium annorum erat Joachaz cum regnare cœpisset, & tribus mensibus regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Amital, filia Jeremiæ, de Lobna.

32. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerant patres ejus.

33. Vinxitque eum Pharao Nechao in Rebla, quæ est in terra Emath, ne regnaret in Jerusalem: & imposuit mulctam terræ, centum talentis argenti, & talento auri.

34. Regemque constituit Pharao Nechao Eliacim filium Josiæ pro Josia patre ejus: vertitque nomen ejus Joakim. Porro Joachaz tulit, & duxit in Ægyptum, & mortuus est ibi.

35. Argentum autem, & aurum dedit Joakim Pharaoni, cum indixisset terræ per singulos, ut conferretur juxta præceptum Pharaonis: & unumquemque juxta vires suas exegit, tam argentum, quam aurum de populo terræ, ut daret Pharaoni Nechao.

36. Vigintiquinque annorum erat Joakim (*r*) cum regnare cœpisset *: & undecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Zebida filia Phadaja de Ruma. * 2.Par.36. 5.

37. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerant patres ejus.

C A P U T XXIV.

Joakim per triennium servit Nabuchodonosori. Joachim illius filius deportatur Babylonem cum principibus: Sedecias ejus patruus rex constituitur.

1. IN diebus ejus ascendit Nabuchodonosor (*a*) rex Babylonis, & factus est ei Joakim servus tribus annis: & rursum rebellavit contra eum.

2. Immisitque ei Dominus latrunculos (*b*) Chaldæorum, & latrunculos Syriæ, & latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon: & immisit eos in Judam, ut disperderent eum: * juxta verbum Domini, quod locutus fuerat per servos suos prophetas. * Sup. 23. 27.

3. Factum est autem hoc per verbum Domini contra Judam, ut auferret eum coram se, propter peccata Manasse universa quæ fecit,

4. Et propter sanguinem innoxium, quem effudit, & implevit Jerusalem cruore innocentium: & ob hanc rem noluit Dominus propitiari.

5. Reliqua autem sermonum Joakim, & universa quæ fecit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Juda? Et dormivit (*c*) Joakim cum patribus suis:

6. Et

20. (*n*) Hinc colligitur 2. multos remansisse in iis locis, aut eo revertisse Israelitas cum Sacerdotibus: 2. Collapso Assyriorum imperio Josiam eas urbes in suam ditionem redegisse.

25. (*o*) Regem Babylonis, ut ex cap. 24. colligitur. *Non fuit illi similis:* in Phase celebranda, & in quibusdam aliis rebus.

29. (*p*) Herodotus Lib. 2. vocat eum *Nechor*, vel *Nehos*, & eam narrat expeditionem: Josias voluit ejus transitum impedire per fines suæ ditionis. *In Mageddo:* urbs erat in tribu Juda: *Magdalum* ab Herodoto appellatur.

30. & 31. (*q*) Filii Regum non ungebantur, nisi cum jus erat controversum, ut hac in occasione: nam Eliacim erat major natu, 2. Paralip. 3. 15. *Joachaz*, seu *Johanan* dicitur primogenitus ob dignitatem.

36. (*r*) Itaque Josias anno ætatis 15. eum genuit; nonnulli tamen suspicantur errorem irrepsisse in numeris, ac legendum, 25. annorum erat Joakim.

CAPUT XXIV. 1. (*a*) Ita apud Berosum, & in Actis Tyriorum; apud Strabonem quoque Nabuchodonosoris fit mentio. *Et factus est ei Joakim*, in fidem ejus se dedit tribus annis.

2. (*b*) Ex iis gentibus constabat exercitus Chaldæorum. Nabuchodonosor primo sui regni anno Joakimum duxit Babylonem, ex cap. 25. Jeremiæ; supplex regno suo restituitur per triennium, mox defecit: ex Jeremia primus annus Nabuchodonosor incidit in quartum Joakimi. Ex quo liquet Josiam regnasse 31. annos integros: atque annum intercessisse inter mortem Josiæ, & initium Joakimi: tametsi Joachaz tres tantum menses regnaverit. Sed non statim post mortem Josiæ rex creatus fuit, & prælatus fratri majori. Eodem anno Pharao Nechao victus est a Nebuchodonosore in Carkemis prope Euphraten anno quarto Olympiadis 43. juxta calculum Jacobi Capelli: post illam victoriam venit Nabuchodonosor Jerosolymam, eique factus est tributarius Rex Joakim circa annum quintum regni sui, qui rebellavit nono regni sui anno. Exeunte anno undecimo Nabuchodonosor obsidet & capit Jerosolymam, Joakimum cum nonnullis magnatibus & parte vasorum sacrorum abducit Babylonem. Sic R. Aben-Esra & Saadias interpretantur locum Danielis cap. 1. ubi annum tertium Joakim designat, ex quo rebellaverat. Quamquam non dicit Daniel abductum fuisse Joakimum Babylonem, sed vasa sacra: Joakimus vero juxta prophetiam Jeremiæ 22. projectus est in agrum extra mœnia Jerusalem: cum forte morbo correptus, aut occisus esset, & cadaver ejus projectum.

5. (*c*) Projectus in agrum, & sepultus sepultura asini, Jerem. 22. postea erectum forte fuit ejus sepulcrum prope Jerusalem, ut solent cœnotaphia post mortem extrui.

6. Et regnavit Joachin (*d*) filius ejus pro eo.

7. Et ultra non addidit (*e*) rex Ægypti, ut egrederetur de terra sua: tulerat enim rex Babylonis a rivo Ægypti usque ad fluvium Euphraten, omnia quæ fuerant regis Ægypti.

8. Decem (*f*) & octo annorum erat Joachin cum regnare cœpisset, & tribus mensibus regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Nohesta filia Elnathan de Jerusalem.

9. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat pater ejus.

* Dan. 1. 1. 10. * In tempore illo ascenderunt servi Nabuchodonosor regis Babylonis in Jerusalem, & circumdata est urbs munitionibus.

11. Venitque Nabuchodonosor rex Babylonis ad civitatem cum servis suis, ut oppugnarent eam.

12. Egressusque est Joachin rex Juda ad regem Babylonis, ipse & mater ejus, & servi ejus, & principes ejus, & eunuchi ejus: & suscepit eum rex Babylonis anno octavo (*g*) regni sui.

13. Et protulit inde omnes thesauros domus Domini, & thesauros domus regiæ: & concidit universa vasa aurea, quæ fecerat Salomon (*h*) rex Israel in templo Domini juxta verbum Domini.

14. Et transtulit omnem (*i*) Jerusalem, & universos principes, & omnes fortes exercitus, decem millia, in captivitatem, & omnem artificem & clusorem: nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ.

* 2 Par. 36. 10. Esth. 2. 6. & 11. 4. Ezech. 17. 12. 15. * Transtulit quoque Joachin in Babylonem, & matrem regis, & uxores regis, & eunuchos ejus: & judices terræ duxit in captivitatem de Jerusalem in Babylonem.

Jer. 24. 1. & 29. 2. 16. Et omnes viros robustos, septem (*k*) millia, & artifices, & clusores mille, omnes viros fortes & bellatores: duxitque eos rex Babylonis captivos in Babylonem.

* Jer. 37. 1. & 52. 1. 17. * Et constituit Mathaniam (*l*) patruum ejus pro eo: imposuitque nomen ei Sedeciam.

18. Vigesimum & primum annum ætatis habebat Sedecias cum regnare cœpisset, & undecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus erat Amital, filia Jeremiæ, de Lobna.

19. Et fecit malum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Joakim.

20. Irascebatur enim Dominus contra Jerusalem & contra Judam, donec projiceret eos a facie sua: recessitque Sedecias a rege Babylonis.

CAPUT XXV.

Anno undecimo Sedeciæ Nabuzardan templum & civitatem incendit. Relictis ibi pauperibus, Godolias his præficitur. Qui ab Ismaele occiditur.

1. Factum est autem anno nono * regni ejus mense decimo, decima die mensis, venit Nabuchodonosor rex Babylonis, ipse & omnis exercitus ejus in Jerusalem, & circumdederunt eam: & extruxerunt in circuitu ejus munitiones. * Jer. 39. 1. & 52. 4.

2. Et clausa est civitas atque vallata usque ad undecimum annum regis Sedeciæ.

3. Nona die mensis (*a*): prævaluitque fames in civitate, nec erat panis populo terræ.

4. Et interrupta est civitas: & omnes viri bellatores nocte fugerunt per viam portæ, quæ est inter duplicem murum ad hortum regis (porro Chaldæi obsidebant in circuitu civitatem) fugit itaque Sedecias per viam, quæ ducit ad campestria solitudinis.

5. Et persecutus est exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum in planitie Jericho: & omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, & reliquerunt eum.

6. Apprehensum ergo regem duxerunt ad regem Babylonis in Reblatha: qui locutus est cum eo judicium (*b*).

7. Filios autem Sedeciæ occidit coram eo, & oculos ejus effodit, vinxitque eum catenis, & adduxit in Babylonem.

8. Mense quinto, septima die mensis, ipse est annus nonus (*c*) decimus regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps exercitus, servus regis Babylonis, in Jerusalem.

9. * Et succendit domum Domini, & domum regis: & domos Jerusalem, omnemque domum combussit igni. * Ps. 73. 7.

10. Et muros Jerusalem in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum.

11. Reliquam autem populi partem, quæ remanserat in civitate, & perfugas, qui transfugerant ad regem Babylonis, & reliquum vulgus transtulit Nabuzardan princeps militiæ.

12. Et de pauperibus terræ reliquit vinitores & agricolas.

13. * Columnas autem æreas, quæ erant in templo Domini, & bases, & mare æreum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldæi, & transtulerunt æs omne in Babylonem. * Jer 27. 19.

14. Ol-

6. (*d*) Prior ita scribitur יהויקים, *Joakim*; posterior יהויכין, *Joachin*, qui tribus tantum mensibus regnavit: nam se dedit Nabuchodonosori urbem cum infestis copiis obsidenti; hunc abduxit Babylonem, urbem nudavit principibus, fabris, clusoribus, seu ingeniariis, aut castrorum metatoribus.

7. (*e*) Tempore Ioachin: nam Sedecia Rege exercitus Pharaonis egressus est ex Ægypto, ex cap. 37. Jerem.

8. (*f*) 2. Paralipom. 36. *Octo annorum erat*; contrariæ lectiones sic conciliantur: Joachin octo erat annorum cum regnare cœpisset vivente patre, cum quo regnavit decem annis. Itaque patre mortuo, cum solus regnare cœpit, erat annorum octodecim.

12. (*g*) Jerem. 52. *Anno septimo*, exeunte nimirum anno septimo, & ineunte octavo.

13. (*h*) Ad eorum formam facta, si minus eadem essent; cum templum sæpius direptum fuerit.

14. (*i*) Præcipuos & magis insignes. Meminit hujus deportationis, & insequentis Hecatæus apud Josephum, & Demetrius apud Clementem Alexandrinum.

16. (*k*) Vers. 14. decem millia numerantur, ex aliis locis fuerunt 7000 ex Jerusalem 3000. ex quibus fuerunt mille artifices & clusores, in arte bellica expertes, ingeniosos vocant.

17. (*l*) Josiæ filium, & natum post Joachaz, imposuitque ei nomen Sedeciam.

CAPUT XXV.

3. & 4. (*a*) Scilicet mensis quarti ex cap. 39. Jeremiæ. *Interrupta*, murus perruptus.

6. (*b*) Sententiam adversus eum pronuntiavit, sut exprobravit perfidiam. Jeremias prædixerat Sedeciæ cap. 32. fore ut abduceretur Babylonem: Ezechiel vero cap. 12. prædixerat eum non visurum Babylonem; utrumque vaticinium impletum fuit, nam abductus est, & effossis oculis non vidit Babylonem.

8. (*c*) Jeremiæ 52. in anno 23. nimirum cum Ammonitis & Moabitis devictis Judæi inter eos inventi Babylonem sunt missi, quadriennio post templum incensum; designatur hoc loco annus quo eversum est templum.

14. Ollas quoque æreas, & trullas, & tridentes, & scyphos, & mortariola, & omnia vasa ærea, in quibus ministrabant, tulerunt.

15. Necnon & thuribula, & phialas: quæ aurea, aurea; & quæ argentea, argentea; tulit princeps militiæ:

16. Id est, columnas duas, mare unum, & bases quas fecerat Salomon in templo Domini: non erat pondus æris omnium vasorum.

* 3. Reg. 7. 15. 2. Par. 3. 15. Jer. 52. 21.

17. * Decem & octo cubitos altitudinis habebat columna una: & capitellum æreum super se altitudinis trium cubitorum: & retiaculum, & malogranata super capitellum columnæ, omnia ærea: similem & columna secunda habebat ornatum.

18. Tulit quoque princeps militiæ Sarajam sacerdotem primum, & Sophoniam Sacerdotem secundum, & tres janitores (*d*).

19. Et de civitate eunuchum unum, qui erat præfectus super bellatores viros: & quinque viros de his, qui steterant coram rege, quos reperit in civitate: & Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ: & sexaginta viros e vulgo, qui inventi fuerant in civitate.

20. Quos tollens Nabuzardan princeps militum, duxit ad regem Babylonis in Reblatha.

21. Percussitque eos rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha in terra Emath: & translatus est Juda de terra sua.

22. Populo autem, qui relictus erat in terra Juda, quem dimiserat Nabuchodonosor rex Babylonis, præfecit Godoliam filium Ahicam filii Saphan.

23. Quod cum audissent omnes duces militum, ipsi & viri qui erant cum eis, videlicet quod constituisset rex Babylonis Godoliam, venerunt ad Godoliam in Maspha, Ismahel filius Nathaniæ, & Johanan filius Caree, & Saraja filius Thanchumeth Netophathites, & Jezonias filius Maachathi, ipsi & socii eorum.

24. Juravitque Godolias ipsis & sociis eorum, dicens: Nolite timere servire Chaldæis: manete in terra, & servite regi Babylonis, & bene erit vobis.

25. Factum est autem in mense septimo, venit Ismahel filius Nathaniæ, filii Elisama de semine regio, & decem viri cum eo: percusseruntque Godoliam, qui & mortuus est: sed & Judæos & Chaldæos, qui erant cum eo in Maspha.

26. Consurgensque omnis populus a parvo usque ad magnum, & principes militum, venerunt in Ægyptum, timentes Chaldæos.

27. Factum est vero in anno trigesimo * septimo transmigrationis Joachin regis Juda, mense duodecimo, vigesima (*e*) septima die mensis: sublevavit Evilmerodach rex Babylonis, anno quo regnare cœperat, caput Joachin regis Juda de carcere. * Jer. 52. 31.

28. Et locutus est ei benigne: & posuit thronum ejus super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone.

29. Et mutavit vestes ejus, quas habuerat in carcere, & comedebat panem semper in conspectu ejus cunctis diebus vitæ suæ.

30. Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quæ & dabatur ei a rege per singulos dies omnibus diebus vitæ suæ.

18. & 19 (*d*) Jerem. 52. 25. *Septem viros*: in quibus quinque erant magis conspicui, aut forte duo ex iis fugerunt. *Sophoniam Sacerdotem secundum*: qui erat quasi primi vicarius, & Jopher principem exercitus: Sept. Interpr. scribam principis exercitus, Jerem. 52. *Scribam principem militum*: *Qui probabat tyrones*: Hebr. *colligentem populum terræ*, qui milites conscribebat. Initium captivitatis plerisque videtur ab ultimo Joachimi anno numerandum, non ab anno ejus quinto. sic enim plures essent quam LXX. anni usque ad annum primum Cyri; sed neque ab ultimo Sedeciæ anno; siquidem 59. tantum anni forent. Unde Ezechiel hinc annos captivitatis repetit, cum ipse abductus est una cum sociis Babylonem, nempe sub finem anni septimi Nabuchodonosoris, qui una cum patre Nabopolassare, aut Nabuchodonosore primo regnabat. Quod si illis septem annis tres addas, quibus Daniel in aula fuit educatus, antequam Nabuchodonosori sisteretur, anno decimo exeunte, vel undecimo ineunte, cum pater ejus obiit, ad Regem adductus est Daniel. Sic annus quintus captivitatis incidit in secundum annum, quo Nabuchodonosor regnavit solus.

27 (*e*) Jerem 52. vigesima quinta. Die 25. sepultus Nabuchodonosor; die 26. eductus est Evilmerodach de carcere, quo fuerat conjectus ob affectatum regnum; die 27. Joachin ab eo sublevatur. Jam ibi 37. annos egerat Joachin. *Merodach* fuit commune nomen Regibus Chaldæorum a primo Rege, qui jugum Assyriorum excussit, derivatum. Nabuchodonosor 44. annis regnavit ex cap. 52. Jeremiæ, & ex hoc loco non solus, sed 10. aut 11. annis una cum patre. Nam anno 37. a captivitate *Jechoniæ*, seu ab initio sui regni, Evilmerodach Jechoniam solvit vinculis. Nabuchodonosor autem cœperat regnare una cum patre anno quarto Joakimi, seu septem annis ante Jechoniæ captivitatem, qui addit 37. annis, quibus regnavit post abductum Jechoniam, efficiunt 44. annos. Evilmerodach meminit Berosus apud Josephum Lib. 1. contra Appionem: eum interfectum tradit a Neriglissare sororis ipsius marito, eumque regnasse per biennium. Neriglissarem vero quatuor regnasse annis; hujus filius Balthassar, Nabuchodonosoris ex filia nepos, post novem mensium Imperium interfectus fuit, & in ejus locum Darius Medus suffectus est, qui a Beroso Nabonidus appellatur; ac forte Balthassar una cum patre regnaverat anno 17. Nabonidi, seu Darii. Josephus ex Beroso tradit Cyrum e Perside egressum universa Asia subacta Imperium in Babylone habuisse. Sed verisimile est Cyrum e Perside egressum anno regni sui 17. ac decennium fere in subigenda Asia impendisse, priusquam Babylonem oppugnaset: adeo ut anno 27. Darii Babylonem expugnarit. Cyro historici omnes tribuunt 30. annos regni. Anno Imperii sui, aut Monarchiæ Persarum primo solvit captivitatem, seu septuagesimo anno a deportatione Jechoniæ: adeo ut initium Darii incidat in annum 43. captivitatis; quibus addit 27. anni Darii Medi, summam efficiunt 70 annorum. Cyrus vero paucis post annis adversus Scythas profectus, ab iis victus est & interfectus, ut vulgo creditur. Alii aliter 70 annos captivitatis numerant ab anno 4. Joachin, & ultimum Chaldæorum Regem volunt esse Balthassarem Nabuchodonosoris nepotem, cum a Cyro Babylon est expugnata. Qui vero a Daniele Darius Medus dicitur, hunc esse Cyaxarem II. existimant Cyri avunculum, isque sub avo Astyage, seu Cyaxare I. magna bella gesserat. Ita Illustriss. Meldensis Episcopus. Sed ea de re postea.

LIBER PRIMUS
PARALIPOMENON,
HEBRAICE
DIBRE HAJAMIM.

LIBRI duo Paralipomenon *unum efficiunt apud Hebræos, teste Hieronymo: ab iis vocatur* דברי הימים Verba dierum, *ipse propter magnitudinem apud nos in duos libros divisus est*. Verba dierum *appellant quasi* Annales, *ac videtur esse velut epitome illius operis, quod in Regum libris identidem citatur, quo nimirum gesta Regum Juda continebantur. Nam liber qui* Verba dierum Regum Israel *inscriptus erat, periit omnino. Auctor quippe lectorem ad hos Annales, seu ad verba dierum Regum Juda & Israel identidem mittit, ac sæpius quæ proferuntur in libris Regum gesta, in Libris* Paralipomenon *non occurrunt. Libri Annalium multo erant ampliores. Liber posterior Paralipomenon recentior est libris Regum, sed tamen vetustior est libro Nehemiæ: In Nehemia quippe, cap. 12. v. 23. & seq. citatur liber* Verborum dierum; *ibique Levi Genealogia ita pertexitur, ut Lib. 1. Paral. cap. 9. occurrit. Lib. 2. Paralip. cap. 5. v. 9. arcam fuisse in templo usque in præsentem diem legimus. Complura alia iisdem verbis relata persuadent hæc ad verbum expressa fuisse e vetustioribus & sacris monumentis, cum Judæi suæ regionis adhuc erant possessores. Illud Auctori sacro fuit propositum, ut suæ gentis historiam, atque illius seriem ex hominum animis pene deletam in memoriam eorum revocaret, quo suæ quique originis essent memores. Genealogiæ primis capitibus comprehensæ conveniunt cum iis, quæ Lib. 1. Esdræ capitibus 2. 8. & 10. continentur. Dictus est Liber* Paralipomenon, Παραλειπομένων, *seu* Derelictorum, *quod suppleat quæ desunt in libris Regum. Unde Hieronymus in Præfat. testatur omnem eruditionem Scripturarum in hoc Libro contineri, & historias, quæ vel prætermissæ sunt in suis locis, vel perstrictæ leviter, hic per quædam verborum compendia explicari. Sed eodem in loco difficultates, quæ occurrunt in propriis hominum & locorum nominibus, non dissimulat. Ita Græcis & Latinis codicibus hunc nominum librum vitiosum esse, ut non tam Hebræa, quam Barbara quædam & Sarmatica nomina conjectæ arbitrandum sit. Nec hoc LXX. Interpretibus, qui Spiritu sancto pleni, ea quæ vera fuerant transtulerant, sed scriptorum culpæ adscribendum, dum de emendatis inemendata scripserant, & sæpe tria nomina subtractis e medio syllabis in unum vocabulum cogunt, vel e regione unum nomen propter latitudinem suam in duo vel tria vocabula dividunt.*

Finis libri secundi initio Esdræ repetitur, cujus initii Auctor incertus est, cum Darii Histaspis ætatem viderit. Cum autem in libris Regum & Paralipomenon hæc verba sæpe occurrant: Nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum Regum Juda? *his significantur acta diurna accurate ab Hebræis condita, unde Librorum Regum & Paralipomenon sumpta est materia.*

Quod autem hi Libri genuini habiti sint ab ætatibus proxime sequentibus, vel ex eo liquet, quod in Canonem Hebræorum relati fuerint, & a LXX. Græce translati.

Hos Libros vetustiores esse quam nobis videantur, hinc probare conatur Hobbesius, quod Lib. 1. cap. 5. Arca in templum a Salomone illata dicatur usque in præsentem diem: sed verisimile est Libros Regum & Paralipomenon ex variis & diversis historiis esse conscriptos, adeo ut interdum verba ipsa repetita fuerint. Unde illud admodum probabile est, hoc testimonium ex libro antiquiore depromptum Libris Regum & Paralipomenon insertum fuisse, ut optime respondet illustrissimus

 Huetius.

Huetius, qui & cavillationes Theologo-politici *dissolvit, cum pleraque difficultates ex depravatis codicibus, & ex variis lectionibus oriantur. Atque id unum tantummodo his cavillis extorqueri potest, luxatum esse in nominibus quibusdam propriis, ubi proclivis est error, cum describuntur, aut in arithmeticis aliquibus notis Scripturæ textum vitiatum, quod interpretes nonnulli dare non renuunt. At potissimum inquiunt in libros Paralipomenon hæc calamitas incubuit: quamquam illud quoque fatendum est, mutata esse urbium & locorum nomina temporum lapsu.*

Singula capita leviter decurremus, quod pars magna rerum, quæ gesta narrantur, jam fuerint in Libris Regum exposita. Novem priora capita genealogias continent.

CAPUT PRIMUM.

Genealogiæ ab Adamo usque ad Abrahæ posteros referuntur capite primo. Et quidem ab Adamo usque ad Noemum nulla est prætermissa generatio, vel in genesi, vel in hoc capite. Verum a Noemo usque ad Abraham apud LXX. & Lucam cap. 3. Cainan inter Semum & Arphaxad interpositus in Hebræo textu desideratur.

Gen. 1. 7. & 4. 25. & 5. 6. 9. 1.  DAM, Seth, Enos,

2. Cainan, Malaleel, Jared,

3. Henoch, Mathusale, Lamech,

4. Noe, Sem, Cham, & Japheth.

5. Filii Japheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Javan, Thubal, Mosoch, Thiras.

6. Porro filii Gomer: Ascenez, & Riphath, & Thogorma.

7. Filii autem Javan: Elisa & Tharsis, Cethim & Dodanim.

8. Filii Cham: Chus & Mesraim, & Phut, & Chanaan.

9. Filii autem Chus: Saba, & Hevila, Sabatha, & Regma, & Sabathacha. Porro filii Regma: Saba, & Dadan.

* Gen. 10. 8. 10. Chus (*a*) autem genuit * Nemrod: iste cœpit esse potens in terra.

11. Mesraim (*b*) vero genuit Ludim, & Anamim, & Laabim, & Nephtuim,

12. Phetrusim quoque & Casluim: de quibus egressi sunt Philisthiim, & Caphtorim.

13. Chanaan vero genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum quoque,

14. Et Jebusæum, & Amorrhæum, & Gergesæum,

15. Hevæumque & Aracæum, & Sinæum.

16. Aradium quoque, & Samaræum, & Hamathæum.

* Gen. 10. 22. & 11. 10. 17. Filii * Sem: Ælam, & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram, & Hus, & Hul, & Gether (*c*), & Mosoch.

18. Arphaxad autem genuit Sale, qui & ipse genuit Heber.

19. Porro Heber nati sunt duo filii, nomen uni Phaleg, quia in diebus ejus (*d*) divisa est terra; & nomen fratris ejus Jectan.

20. Jectan autem genuit Elmodad, & Saleph, & Asarmoth, & Jare,

21. Adoram quoque, & Huzal, & Decla,

22. Hebal etiam, & Abimael, & Saba, necnon

23. Et Ophir, & Hevila, & Jobab: omnes isti fili Jectan:

24. Sem, Arphaxad (*e*) Sale,

25. Heber, Phaleg, Ragau,

26. Serug, Nachor, Thare,

27. Abram, * iste est Abraham. * Gen. 11. 26.

28. Filii autem Abraham, Isaac, & Ismahel.

29. Et hæ generationes eorum. Primogenitus * Ismahelis, Nabajoth, & Cedar, & Adbeel, & Mabsam, * Gen. 25. 13.

30. Et Masma, & Duma, & Massa, Hadad, & Thema,

31. Jetur, Naphis, Cedma: hi sunt filii Ismahelis.

32. Filii autem Ceturæ concubinæ Abraham, quos genuit: Zamram, Jecsan, Madan, Madian, Jesboc, & Sue: Porro filii Jecsan: Saba, & Dadan. Filii autem Dadan: Assurim, & Latussim, & Laomin.

33. Filii * autem Madian: Epha, & Epher, & Henoch, & Abida & Eldaa: omnes hi, filii Ceturæ. * Gen. 25. 4.

34. Genuit * autem Abraham Isaac: cujus fuerunt filii Esau, & Israel. * Gen. 25. 19.

35. Filii * Esau: Eliphaz, Rahuel, Jehus, Ihelom, & Core. * Gen. 36. 10.

36. Filii

CAPUT I. 10. (*a*) Primus in alios imperium occupavit; cum antea omnes æquo jure viverent, primam Monarchiam Babylone constituit, turrim velut arcem ædificare voluit.

11. (*b*) Sept. Interpret. hæc nomina ponunt in plurali numero.

17. (*c*) Geneseos 10. inter filios Aram numerantur: adeo ut hoc in loco quædam vocum transpositio esse videatur.

19 (*d*) In diebus *Phaleg*, quæ vox divisionem significat, facta est divisio linguarum & nationum.

24. (*e*) Genuit Arphaxad: a versu 17. generationes Sem resumit, ut hinc palam fiat ex ejus stirpe natum esse Abraham,

36. Filii Eliphaz: Theman, Omar, Sephi, Gathan, Cenez, Thamna (*f*), Amalec.

37. Filii Rahuel: Nahath, Zara, Samma, Meza.

38. Filii Seir (*g*): Lotan, Sobal, Sebeon, Ana, Dison, Eser, Disan.

39. Filii Lotan: Hori, Homan. Soror autem Lotan fuit Thamna.

40. Filii Sobal: Alian, & Manahath, & Ebal, Sephi, & Onam. Filii Sebeon: Aja & Ana. Filii Ana: Dison.

41. Filii Dison: Hamram, & Eseban, & Jethran, & Charan.

42. Filii Eser: Balaan, & Zavan, & Jacan. Filii Disan: Hus & Aran.

43. Isti sunt reges (*h*), qui imperaverunt in Terra Edom, antequam esset rex super filios Israel: Bale filius Beor: & nomen civitatis ejus, Denaba.

44. Mortuus est autem Bale, & regnavit pro eo Jobab filius Zare de Bosra.

45. Cumque & Jobab fuisset mortuus, regnavit pro eo Husan de Terra Themanorum.

46. Obiit quoque & Husam, & regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in Terra Moab: & nomen civitatis ejus Avith.

47. Cumque & Adad fuisset mortuus, regnavit pro eo Semla de Masreca.

48. Sed & Semla mortuus est, & regnavit pro eo Saul de Rohoboth (*i*), quæ juxta amnem sita est.

49. Mortuo quoque Saul, regnavit pro eo Balanan filius Achobor.

50. Sed & hic mortuus est, & regnavit pro eo Adad: cujus urbis nomen fuit Phau, & appellata est uxor ejus Meetabel filia Matred filiæ Mezaab.

51. Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom esse cœperunt: dux Thamna, dux Alva, dux Jetheth,

52. Dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon,

53. Dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar,

54. Dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom.

CAPUT II.

Judæ Patriarchæ posteri usque ad patrem David recensentur.

Gen. 29. 32. & 30. 5. & 35. 22. 1. Filii autem Israel: Ruben, Simeon, Levi, Juda, Issachar, & Zabulon,

2. Dan, Joseph, Benjamin, Nephthali, Gad & Aser.

3. Filii * Juda: Her, Onan, & Sela: hi tres nati sunt ei de filia Sue Chananitide. * Gen. 38. 3. & 46. 12.
Fuit autem Her primogenitus Juda, malus coram (*a*) Domino, & occidit eum.

4. * Thamar autem nurus ejus peperit ei Phares & Zara: omnes ergo filii Juda, quinque. * Jos. 4. 2; Matth. 1. 3.

5. Filii autem Phares: Hesron & Hamul.

6. Filii quoque Zaræ: Zamri, & Ethan, & Eman, Chalcal quoque, & Dara, simul quinque.

7. Filii * Charmi: Achar, qui turbavit Israel, & peccavit in furto anathematis. * Jos. 7. 1.

8. Filii Ethan: Azarias.

9. Filii * autem Hesron qui nati sunt ei: Jerameel, & Ram (*b*), & Calubi. * Ruth 4. 19.

10. Porro Ram genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Nahasson, principem filiorum Juda.

11. Nahasson quoque genuit Salma, de quo ortus est Booz.

12. Booz vero genuit Obed, qui & ipse genuit Isai.

13. * Isai autem genuit (*c*) primogenitum Eliab, secundum Abinadab, tertium Simmaa, * 1. Reg. 16. 6. & 8. 9. 17. 12.

14. Quartum Nathanael, quintum Raddai,

15. Sextum Asom, septimum David.

16. Quorum sorores fuerunt Sarvia, & Abigail. Filii Sarviæ: Abisai (*d*), Joab, & Asael, tres.

17. Abigail autem genuit Amasa, cujus pater fuit Jether Ismahelites (*e*).

18. Caleb vero filius Hesron accepit (*f*) uxorem nomine Azuba, de qua genuit Jerioth: fueruntque filii ejus Jaser & Sobab, & Ardon.

19. Cumque mortua fuisset Azuba, accepit uxorem Caleb, Ephrata: quæ peperit ei Hur.

20. Porro Hur genuit Uri: & Uri genuit Bezeleel (*g*).

21. Post hæc ingressus est Hesron ad filiam Machir patris (*h*) Galaad, & accepit eam cum esset annorum sexaginta: quæ peperit ei Segub.

22. Sed & Segub genuit Jair, & possedit viginti tres civitates in Terra Galaad.

23. Cepitque Gessur, & Aram oppida Jair; & Canath, & viculos ejus sexaginta civitatum: omnes isti (*i*), filii Machir patris Galaad.

24. Cum autem mortuus esset Hesron, ingressus est Caleb ad Ephrata (*k*). Habuit quoque Hesron uxorem Abia, quæ peperit ei Ashur patrem Thecuæ.

25. Nati

36. (*f*) De Thamna concubina Amalec ex cap. 36. Genes. vers. 12. Quod legitur Hebraice & Græce, hoc loco Thamna & Amalec sententiam veram turbare videtur, inquit Mariana.

38. (*g*) Horræi, cujus genealogiam describit, ut Thamnæ genus intelligatur.

41. & 43. (*h*) Reges enumerantur, qui regnarunt in Edom antequam Israelitæ Regem haberent. Hieron. in tradit. docet prius fuisse Duces Edom, deinde Reges, licet Reges prius ponantur. *Themanorum*; Theman erat caput Idumææ.

48. (*i*) Existimat Pagninus fluvium esse, & ita vertit: *De Rohoboth fluminis*.

CAP. II. 3. & 7. (*a*) Admodum malus, pessimus. *Achan*: qui turbavit Israel ex Josue cap. 7. *Charmi* ex eo loco Josue filius fuit *Zabdi*, seu *Zamari*, ut hic scribitur. *Achar*, hoc loco vocatur ab effectu, quod anathematis contactu turbaverit Israel; Zabdi erat nepos Zaræ.

9. 10. & 11. (*b*) *Ram* est *Aram*, Matth. 1. vers. 3. *Calubi* est *Caleb* filius Hesron. *Principem*: caput tribus Judæ. *Salma*, alibi dicitur *Salmon*, Ruth 4. vers. 21.

13. (*c*) Lib. 1. Reg. 17. numerantur octo filii Isai, nunc septem tantum. Præter ea quæ diximus eo loco, respondet Abulensis in *Lib.* 1. Reg. cap. 16. quæst. 27. Scripturam non semper ponere numerum completum, præsertim cum is nihil facit ad historiam. An potius unus ex octo filiis præmatura morte, nulla re adhuc gesta, sublatus est, unde & silentio præteritur?

16. (*d*) Uterque ex Davidis sorore Sarvia nati.

17. (*e*) Fuit incolatu Ismaelita, non genere: nam 2. Reg. 17. dicitur Israelita.

18. (*f*) Sept. Interpret. Accepit uxorem *Azuba* & *Jerioth*, quæ forte fuit concubina: non enim illius filii nominantur. Hic Caleb videtur prior fuisse eo, qui primus terram promissionis est ingressus: nam filius Jephone dicitur.

20. (*g*) Qui diversus est a tabernaculi constructore.

21. (*h*) Pater pro principe interdum sumitur. Jair abnepos Manassis possedit multas urbes in Galaadite, quæ vocatæ sunt *Villæ Jair*.

23. (*i*) Vatabl. Omnes istæ urbes filiorum Machir, vel omnes qui ab Hesron & filia Machir sunt oriundi, censentur filii Hesron.

24. (*k*) Duxit Ephratam: ita Septuaginta, sed in Hebræo id tantum habemus, mortuum esse Hesron in Ephrata, nomen urbis dictum a secunda uxore Caleb.

25. Nati sunt autem filii Jerameel primogeniti Hesron, Ram primogenitus ejus, & Buna, & Aram, & Asom, & Achia.

26. Duxit quoque uxorem alteram Jerameel, nomine Atara, quæ fuit mater Onam.

27. Sed & filii Ram primogeniti Jerameel, fuerunt Moos, Jamin, & Achar.

28. Onam autem habuit filios Semei, & Jada. Filii autem Semei: Nadab, & Abisur.

29. Nomen vero uxoris Abisur, Abihail, quæ peperit ei Ahobban, & Molid.

30. Filii autem Nadab fuerunt Saled, & Apphaim. Mortuus est autem Saled absque liberis.

31. Filius vero Apphaim, Jesi: qui Jesi genuit Sesan. Porro Sesan genuit Oholai.

32. Filii autem Jada fratris Semei: Jether, & Jonathan. Sed & Jether mortuus est absque liberis.

33. Porro Jonathan genuit Phaleth, & Ziza. Isti fuerunt filii Jerameel.

34. Sesan autem non habuit filios (*l*), sed filias; & servum Ægyptium nomine Jeraa.

35. Deditque ei filiam suam uxorem: quæ peperit ei Ethei.

36. Ethei autem genuit Nathan, & Nathan genuit Zabad.

37. Zabad quoque genuit Ophlal, & Ophlal genuit Obed,

38. Obed genuit Jehu, Jehu genuit Azariam,

39. Azarias genuit Helles, & Helles genuit Elasa,

40. Elasa genuit Sisamoi, Sisamoi genuit Sellum,

41. Sellum genuit Icamiam, Icamia autem genuit Elisama.

42. Filii (*m*) autem Caleb fratris Jerameel: Mesa primogenitus ejus, ipse est pater Ziph: & filii Maresa patris Hebron.

43. Porro filii Hebron, Core, & Taphua, & Recem, & Samma.

44. Samma autem genuit Raham, patrem Jercaam, & Recem genuit Sammai.

45. Filius Sammai, Maon: & Maon pater Bethsur.

46. Epha autem concubina Caleb peperit Haran, & Mosa, & Gezea. Porro Haran genuit Gezez.

47. Filii autem Jahaddai, Regom, & Joathan, & Gesan, & Phalet, & Epha, & Saaph.

48. Concubina Caleb Maacha, peperit Saber, & Tharana.

49. Genuit autem Saaph pater Madmena, Sue patrem Machbena, & patrem Gabaa. Filia vero Caleb, fuit Achsa (*n*).

50. Hi erant filii Caleb, filii Hur primogeniti Ephrata, Sobal pater Carjathjarim.

51. Salma pater Bethlehem (*o*), Hariph pater Bethgader.

52. Fuerunt autem filii Sobal patris Carjathjarim, qui videbat (*p*) dimidium requietionum.

53. Et de cognatione Carjathjarim, Jethrei, & Aphuthei, & Semathei, & Maserei. Ex his egressi sunt Saraitæ, & Esthaolitæ.

54. Filii Salma, Bethlehem, & Netophathi, Coronæ (*q*) domus Joab, & dimidium requietionis Sarai.

55. Cognationes quoque scribarum (*r*) habitantium in Jabes, Canentes atque Resonantes, & in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore patris domus Rechab.

CAPUT III.

Generationes David, & Regum Juda.

1. DAvid vero hos habuit filios, qui ei na- 1. Reg. 3. 2.
ti sunt in Hebron: primogenitum
Amnon ex Achinoam Jezrahelitide (*a*), secundum Daniel de Abigail Carmelitide,

2. Tertium Absalom filium Maacha filiæ Tholmai regis Gessur, quartum Adoniam filium Aggith,

3. Quintum Saphatiam ex Abital, sextum Jethraham de Egla uxore sua.

4. Sex ergo nati sunt ei in Hebron, ubi regnavit septem annis, & sex mensibus. Triginta autem & tribus annis regnavit in Jerusalem.

5. * Porro in Jerusalem nati sunt ei filii, *2. Reg. 5. 14.
Simmaa, & Sobab: & Nathan, & Salomon,
quatuor de Bethsabee (*b*) filia Ammiel,

6. Jebaar quoque, & Elisama (*c*),

7. Et Eliphaleth (*d*) & Noge, & Nepheg, & Japhia,

8. Necnon Elisama, & Eliada, & Elipheleth, novem:

9. Omnes hi, filii David, absque filiis concubinarum: habueruntque sororem Thamar.

10. Fi-

34. (*l*) Qui ei superfuerint: nam ex vers. 31. Oholai ejus filius fuit, qui mortuus est ante patrem: aut forte Oholai fuit *filia* Sesan ex vers. 31.

42. (*m*) Ex alia uxore præter Azubam & Ephratam. Ipse est pater Zeph princeps ejus oppidi.

49. (*n*) Uterque Caleb filiam habuit ejusdem nominis.

51. (*o*) Ex familiis enim viri & oppida coaluere, & nomen suum duxerunt.

52. (*p*) Dominabatur: *Dimidium requietionum*: tractus terræ. Qui orti sunt ex Sobal, diviserunt inter se regionem quam obtinuerat Sobal. Vel qui possidebat dimidiam partem regionis, in qua quiete habitaverant patres ejus, & hanc partem dimidiam Sobal transmisit ad posteros. Sic de Issachar Genes. 49 dicitur: *Vidit requiem quod esset bona*: & frequenter requies pro loco habitationis sumitur: ut Psalm 94. *Si introibunt in requiem meam.*

54. (*q*) Præcipui in illa familia. Verisimillium est nomina propria ab interprete juxta linguam Latinam esse expressa, ut alibi sæpe.

55. (*r*) In Jabes erant scholæ publicæ, *Hi sunt Cinæi, qui venerunt de Calore patris domus Rechab*, seu de patre domus Rechab: aut potius *de Calore*, nomen est proprium חמת *Chammeth*, quod Interpres vertit calorem: nam Interpres interdum ponit significationem nominis proprii pro ipso nomine. Cinæi vero non Israelitæ, sed a Mosis temporibus cum Israelitis conjuncti sunt: hi *Rechabitæ* solent appellari.

1. (*a*) Duplex Jezrahelitis, una in tribu Juda Josue 15. altera in tribu Manasse, ubi occisus Naboth. *Daniel de Abigail*: binomius is fuit: nam Lib. 2. Reg. 3. vocatur *Cheleab*. CAP. III.

5. (*b*) Quod igitur Salomon Proverb. 4. ita scripserit: *Filius unigenitus coram matre mea*, ita videtur intelligendum, ut unice dilectus fuerit a matre, ut verterunt LXX. Sunt tamen qui ex eo loco colligunt Salomonem fuisse unicum filium David ex Bethsabee, & reliquos a Davide adoptatos filios Uriæ: vel postremum nominari Salomonem ex liberis Bethsabee, quia mox ad eum rediturus erat

6. (*c*) Hæc duo nomina sunt imposita pueris qui in prima ætate sunt mortui, deinde eadem nomina indita sunt aliis post natis.

7. (*d*) Idem qui *Elisa* Lib. 2. Hi duo non numerantur in libris Regum: sed ut noretur hos fuisse prætermissos, additur hic numerus novem, qui cum quatuor Bethsabee efficiunt tredecim.

10. Filius autem Salomonis, Roboam: cujus Abia filius genuit Asa. De hoc quoque natus est Josaphat,

11. Pater Joram: qui Joram genuit Ochoziam, ex quo ortus est Joas:

12. Et hujus Amasias filius genuit Azariam. Porro Azariæ filius Joathan

13. Procreavit Achaz patrem Ezechiæ, de quo natus est Manasses.

14. Sed & Manasses genuit Amon patrem Josiæ.

15. Filii (e) autem Josiæ fuerunt, primogenitus Johanan, secundus Joakim, tertius Sedecias, quartus Sellum.

* Math. 1. 11. 16. * De Joakim natus est Jechonias & Sedecias (f).

17. Filii Jechoniæ fuerunt, Asir, Salathiel,

18. Melchiram, Phadaja, Sennesér, & Jecemia, Sama, & Nadabia.

19. De Phadaja (g) orti sunt Zorobabel & Semei. Zorobabel genuit Mosollam, Hananiam, & Salomith sororem eorum:

20. Hasaban quoque, & Ohol, & Barachian, & Hasadian, Josabhesed, quinque.

21. Filius autem Ananiæ, Phaltias pater Jesejæ, cujus filius Raphaja: hujus quoque filius, Arnan, de quo natus est Obdia, cujus filius fuit Sechenias.

22. Filius Secheniæ, Semeja: cujus filii Hattus, & Jegaal, & Baria: & Naaria, & Saphat, sex numero.

23. Filii Naariæ, Elioenai, & Ezechias, & Ezricam, tres.

24. Filii Elioenai, Odvia, & Eliasib, & Pheleja, & Accub, & Johanan, & Dalaja, & Anani, septem.

C A P U T IV.

Posteritas Judæ & Simeonis iterum recensetur.

Gen. 38. 3. & 46. 12. Sup. 2. 4. Matth. 1. 3. 1. Filii Juda: Phares (a), Hesron, & Charmi, & Hur, & Sobal.

2. Raja vero filius Sobal genuit Jahath, de quo nati sunt Ahumai, & Laad: hæ cognationes Sarathi.

3. Ista quoque stirps Etam (b): Jezrahel, & Jesema, & Jedebos. Nomen quoque sororis eorum, Asalelphuni.

4. Phanuel autem pater Gedor, & Ezer pater Hosa: isti sunt filii Hur primogeniti Ephratha (c) patris Bethlehem.

5. Assur vero patri Thecuæ erant duæ uxores, Halaa, & Naara.

6. Peperit autem ei Naara, Oozam, & Hepher, & Themani, & Asthari: isti sunt filii Naara.

7. Porro filii Halaa, Sereth, Isaar, & Ethnan.

8. Cos autem genuit Anob, & Soboba, & cognationem Aharehel filii Arum.

9. Fuit autem Jabes inclytus præ fratribus suis, & mater ejus vocavit nomen illius Jabes, dicens: Quia peperi eum in dolore.

10. Invocavit vero Jabes Deum Israel, dicens: Si benedicens benedixeris mihi, & dilataveris terminos meos, & fuerit manus tua mecum, & feceris me a malitia (d) non opprimi. Et præstitit Deus quæ precatus est.

11. Caleb autem frater Sua genuit Mahir, qui fuit pater Esthon.

12. Porro Esthon genuit Bethrapha, & Phesse, & Tehinna patrem urbis Naas: hi sunt viri Recha.

13. Filii autem Cenez, Othoniel, & Saraja. Porro filii Othoniel, Hathath, & Maonathi.

14. Maonathi genuit Ophra, Saraja autem genuit Joab patrem Vallis artificum: ibi quippe artifices erant.

15. Filii vero Caleb filii Jephone Hir, & Ela, & Naham. Filii quoque Ela: Cenez.

16. Filii quoque Jalelel: Ziph, & Zipha, Thiria, & Asrael.

17. Et filii Ezra: Jether, & Mered, & Epher, & Jalon, genuitque Mariam (e), & Sammai, & Jesba patrem Esthamo.

18. Uxor quoque ejus Judaja, peperit Jared patrem Gedor, & Heber patrem Socho, & Icuthiel patrem Zanoe: hi autem filii Bethiæ filiæ Pharaonis, quam accepit Mered.

19. Et filii uxoris Odajæ sororis Naham patris Ceila, Garmi, & Esthamo, qui fuit de Machathi.

20. Filii quoque Simon: Amnon & Rinna filius Hanan, & Thilon. Et filii Jesi, Zoheth, & Benzoheth.

21. Filii

15. (e) Hoc loco filii quatuor Josiæ, & Lib. 4. Reg. c. 23. tres tantum numerantur. Jeremiæ 22. dicitur *Sellum* pro patre suo regnasse. Filius forte pro nepote accipitur, & Lib. 4. Reg. 24. is omittitur. Hieron. in Tradit. omnes filios Josiæ *Sellum* dictos ait, quod vox illa confusionem significet, quæ permagna fuit iis temporibus. An Jechonias ille minor erit, qui hoc loco appellatur Sellum Josiæ nepos? De Johanan Lib. 4. Reg. 23. nulla fit mentio. Hunc locum viri eruditi exponunt. Filii Josiæ *Johanan*, qui forte occisus fuit in prælio una cum patre: secundus *Joakim*, seu *Eliacim*, dictus Jechonias Matth. 1. Ex Eliacim natus est *Joachin*, hunc Nabuchodonosor Babylonem transtulit. Tertius fuit *Sellum*, qui & *Joachaz* dictus, a Nechaone abductus in Ægyptum. Quartus fuit *Sedecias*, seu *Mathanias*, qui Joachino fratris filio suffectus est in regnum a Nabuchodonosore. Itaque filios Josiæ sic recensent, natu maximus *Johanan*: 2. *Eliacim* seu *Joakim*: 3. *Sellum*, seu *Joachaz*, qui abductus est in Ægyptum: 4. *Sedecias*, seu *Mathanias*. Joachin vero vel Jechonias filius Eliacim ductus est Babylonem Jerem. 52.

16. (f) Hic frater erat Joachin, & patruus Jechoniæ: adeo ut filius sumatur pro hærede aut successore.

19. (g) An idem est Phadaia, qui Salathiel Esdræ cap. 3. vers. 2. & vers. 8. Zorobabel filius Salathiel dicitur. At hic vers. 17. dicitur *Filii Jechoniæ fuerunt Asir, Salathiel*: Hebr. filii Jechoniæ Asir, Salathiel filius ejus. *Zorobabel genuit Mosollam*: hic Zorobabel forte alius est ab eo qui in genealogia Christi ponitur, aut unus ex ejus filiis, vel idem est qui *Hananias*, cujus posteri describuntur. At forte *Phadajas* idem fuit qui *Salathiel*, ac filium habuit *Phadaja*, quem *Zorobabel* vocant. Sed tamen non is videtur esse *Zorobabel*, cujus fit mentio in genealogia Christi, Matth. 1. & Lucæ 3. Nam is fuit filius Salathiel, & alios habuit filios ab his qui hoc loco recensentur.

CAP. IV.

1. (a) Solus Phares fuit Judæ filius, reliqui nepotes: insignes tantum inter posteros Judæ recenset, aut virtute, aut progenie.

3. (b) Videtur esse nomen loci: vox patris pro principe ponitur.

4. (c) Quæ secunda uxor fuit Caleb, quæque nomen suum indidit Bethlehem.

10 & 14. (d) Ab afflictione. Cenez: An Cenez pater Othoniel & Caleb fuit? nam Caleb Cenezæus appellatur Josue 14. & Othoniel frater ejus minor dicitur: an Caleb filius Jephone sic vocitatur ab aliquo ex avis suis, cujus possessionem tenuit?

17. (e) Nomen est filii, non filiæ. Vel Jalon genuit Mariam.

21. Filii * Sela, filii Juda: Her pater Lecha, & Laada pater Maresa, & cognationes domus operantium byssum in domo juramenti (*f*). * Gen. 38. 5.

22. Et qui stare fecit Solem, (*g*) virique Mendacii, & Securus, & Incendens, qui principes fuerunt in Moab, & qui reversi sunt in Lahem: hæc autem verba vetera.

23. Hi sunt figuli (*h*) habitantes in Plantationibus, & in Sepibus, apud regem in operibus ejus, commoratique sunt ibi.

24. Filii * Simeon (*i*): Namuel & Jamin, Jarib, Zara, Saul. * Gen. 46. 10.

25. Sellum filius ejus, Mapsam filius ejus, Masma filius ejus.

26. Filii Masma: Hamuel filius ejus, Zachur filius ejus, Semei filius ejus.

27. Filii Semei sedecim, & filiæ sex: fratres autem ejus non habuerunt filios multos, & universa cognatio non potuit adæquare summam filiorum Juda.

28. Habitaverunt autem in Bersabee, & Molada, & Hasarsuhal,

29. Et in Bala, & in Asom, & in Tholad,

30. Et in Bathuel, & in Horma, & in Siceleg,

31. Et in Bethmarchaboth, & in Hasarsusim, & in Bethberai, & in Saarim: hæ civitates eorum usque ad regem David (*k*).

32. Villæ quoque eorum: Etam, & Aen, Remmon, & Thochen, & Asan, civitates quinque.

33. Et universi viculi eorum per circuitum civitatum istarum usque ad Baal: hæc est habitatio eorum, & sedium distributio (*l*).

34. Mosobab quoque & Jemlech, & Josa filius Amasiæ,

35. Et Joel, & Jehu filius Josabiæ filii Sarajæ filii Asiel,

36. Et Elioenai, & Jacoba, & Isuhaja, & Asaja, & Adiel, & Ismiel, & Banaja.

37. Ziza quoque filius Sephei filii Allon filii Idaja filii Semri filii Samaja.

38. Isti sunt nominati principes in cognationibus suis, & in domo affinitatum suarum multiplicati sunt vehementer.

39. Et profecti sunt ut ingrederentur in Gador usque ad Orientem vallis, & ut quærerent pascua gregibus suis.

40. Inveneruntque pascuas uberes, & valde bonas, & terram latissimam & quietam & fertilem, in qua ante habitaverant de stirpe Cham.

41. Hi ergo venerunt, quos supra descripsimus nominatim, in diebus Ezechiæ regis Juda: & percusserunt tabernacula eorum, & habitatores qui inventi fuerant ibi, & deleverunt eos usque in præsentem diem, habitaveruntque pro eis, quoniam uberrimas pascuas ibidem repererunt.

42. De filiis quoque Simeon abierunt in montem Seir viri quingenti, habentes principes Phaltiam & Naariam & Raphajam & Oziel filios Jesi:

43. Et percusserunt reliquias (*m*), quæ evadere potuerant, Amalecitarum, & habitaverunt ibi pro eis usque ad diem hanc.

C A P U T V.

Ruben, Gad & dimidia tribus Manasses posteri illustriores referuntur.

1. Filii quoque Ruben primogeniti Israel (ipse quippe fuit primogenitus ejus: sed cum * violasset thorum patris sui, data sunt primogenita (*a*) ejus filiis Joseph filii Israel, & non est ille reputatus in primogenitum. * Gen. 35. 22. & 49. 4.

2. Porro Judas, qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe (*b*) ejus principes germinati sunt: primogenita autem reputata sunt Joseph.)

3. Filii * ergo Ruben primogeniti Israel: Enoch, & Phallu, Esron, & Carmi. * Gen. 46. 9. Exod. 6. 14. Num. 26. 5.

4. Filii Joel (*c*): Samaja filius ejus Gog filius ejus, Semei filius ejus,

5. Micha filius ejus, Reja filius ejus, Baal filius ejus,

6. Beera filius ejus, quem captivum duxit Thelgathphalnasar * rex Assyriorum, & fuit princeps in tribu Ruben. * 4. Reg. 15. 19.

7. Fratres autem ejus, & universa cognatio ejus, quando numerabantur per familias suas, habuerunt principes Jehiel & Zachariam.

8. Porro Bala filius Azaz, filii Samma, filii Joel, ipse habitavit in Aroer (*d*) usque ad Nebo, & Beelmeon.

9. Contra Orientalem quoque plagam habitavit usque ad introitum eremi, & flumen Euphratem: multum quippe jumentorum numerum possidebant in Terra Galaad.

10. In diebus autem Saul præliati sunt contra Agareos (*e*), & interfecerunt illos, habitaveruntque pro eis in tabernaculis eorum, in omni plaga, quæ respicit ad Orientem Galaad.

11. Filii

21. (*f*) Vox Hebræa *Beth-asbeah*, בית־אשבע, est nomen loci proprium, cujus loco Interpres posuit interpretationem. *Cognationes operantium byssum:* Quæ in operibus e bysso, seu lino tenui contextis excellebant.

22. (*g*) Nec in Hebræo, nec in LXX. fit mentio Solis, aut Mendacii: sed sunt propria nomina quæ retinuerunt LXX. *Hæc autem verba vetera:* quo minus mireris si ea nota non sint: ea quippe habentur ex traditione. *In Lahem*, id est, Bethlehem: ut his interpretationes nominum pro ipsis nominibus ponuntur.

23. (*h*) E luto fingebant vasa. *Habitantes in plantationibus*; qui hortos regios colebant. Cum autem aliquæ civitates unius tribus alteri tribuantur, ut tribui Judæ, tempora sunt distinguenda: sed in hoc loco LXX. nomina propria retinuerunt, cum Vulgata nominum significata usurpet.

24. (*i*) Cum hæc minus cum cap. 40. vers. 10. Genes. conveniant, verisimile est eos binomios fuisse.

31. (*k*) Quædam civitates ad posteros Judæ regnante Davide redierunt, ut Siceleg; ac post secessionem 10. tribuum non potuit tribus Simeon cum tribu Juda permixta remanere.

33. (*l*) Stirpium descriptio, quæ cum iis quæ sequuntur magis congruit.

43. (*m*) Quæ evaserunt Saulis & Davidis manus.

CAP. V. 1. (*a*) Nempe duplex portio: eo jure Ruben excidit, quod violasset thorum patris sui. Jus illud triplex erat. 1. Duplex portio hæreditatis ad eum pertinebat, Deuteron. 21. 17. hæc Josepho data, cum ex posteris Joseph duæ tribus factæ sunt. 2. Quasi regnum in fratres & dominium obtinebat, idque Judæ conceditur. 3. Dignitas sacerdotalis ante legem erat penes primogenitum. Ex Hieronymo, Epist. 28. hæc translata est in Levi.

2. (*b*) Hebr. *Et in ducem ex ipso*. Oratio inversa pro, ex ipso qui erit dux.

4. (*c*) Quis fuerit illius pater, non exprimit Scriptura: nisi is fuerit Carmi proxime nominatus, aut Enoch primogenitus, ut ejusdem stirpis series continuetur.

8. (*d*) Ad torrentem Arnon inter tribum Ruben, & tribum Gad.

10. (*e*) Ismaelitas, ab Agar matre Ismaelis.

11. Filii vero Gad e regione eorum habitaverunt in Terra Basan usque Selcha:

12. Joel (*f*) in capite, & Saphan secundus, Janai autem, & Saphat, in Basan.

13. Fratres vero eorum secundum domos cognationum suarum, Michael, & Mosollam, & Sebe, & Jorai, & Jachan, & Zie, & Heber, septem (*g*).

14. Hi filii Abihail, filii Huri, filii Jara, filii Galaad, filii Michael, filii Jesesi, filii Jeddo, filii Buz.

15. Fratres quoque filii Abdiel, filii Guni, princeps domus in familiis suis.

16. Et habitaverunt in Galaad, & in Basan, & in viculis ejus, & in cunctis suburbanis Saron, usque ad terminos.

17. Omnes hi numerati sunt in diebus Joathan regis Juda, & in diebus Jeroboam regis Israel.

18. Filii Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse viri bellatores, scuta portantes, & gladios, & tendentes arcum, eruditique ad prælia quadraginta quatuor millia & septingenti sexaginta, procedentes ad pugnam

19. Dimicaverunt contra Agareos: Ituræi vero, & Naphis, & Nodab

20. Præbuerunt eis auxilium. Traditique sunt in manus eorum Agarei, & universi qui fuerant cum eis, quia Deum invocaverunt cum præliarentur: & exaudivit eos, eo quod credidissent in eum.

21. Ceperuntque omnia quæ possederant, camelorum quinquaginta millia, & ovium ducenta quinquaginta millia, & asinos duo millia, & animas hominum centum millia.

22. Vulnerati autem multi corruerunt: fuit enim bellum Domini. Habitaveruntque pro eis usque ad transmigrationem (*h*).

23. Filii quoque dimidiæ tribus Manasse possederunt terram a finibus Basan usque Baal, Hermon, & Sanir, & montem Hermon, ingens quippe numerus erat.

24. Et hi fuerunt principes domus cognationis eorum, Epher, & Jesi, & Eliel, & Ezriel, & Jeremia, & Odoja, & Jediel viri fortissimi & potentes, & nominati duces in familiis suis.

25. Reliquerunt autem Deum patrum suorum, & fornicati sunt post deos populorum terræ, quos abstulit Deus coram eis.

4. Reg. 15. 5.19. & 29. 26. Et suscitavit Deus Israel spiritum Phul * regis Assyriorum, & spiritum Thelgathphalnasar regis Assur: & transtulit Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manasse, & adduxit eos in Lahela, & in Habor, & Ara, & fluvium Gozan (*i*), usque ad diem hanc.

C A P U T VI.

Post Simeonem, cui Gad & Manasse juncti sunt ob locorum vicinitatem, sequitur Levi, cujus posteri illustriores: & eorum habitationes recensentur, ducto initio a Caath, ex quo summi sacerdotes orti sunt.

1. Filii Levi: Gerson, Caath, & Merari. *Gen. 46. 11. Inf. 23. 6.*

2. Filii Caath: Amram, Isaar, Hebron, & Oziel.

3. Filii Amram: Aaron, Moyses, & Maria: Filii Aaron: Nadab & Abiu, Eleazar & Ithamar.

4. Eleazar (*a*) genuit Phinees, & Phinees genuit Abisue,

5. Abisue vero genuit Bocci, & Bocci genuit Ozi,

6. Ozi genuit Zarajam, & Zarajas genuit Merajoth.

7. Porro Merajoth genuit Amariam, & Amarias genuit Achitob,

8. Achitob genuit Sadoc, & Sadoc genuit Achimaas,

9. Achimaas genuit Azariam, Azarias genuit Johanan,

10. Johanan genuit Azariam: ipse est qui sacerdotio functus (*b*) est in domo, quam ædificavit Salomon in Jerusalem.

11. Genuit autem Azarias Amariam, & Amarias genuit Achitob,

12. Achitob genuit Sadoc, & Sadoc genuit Sellum,

13. Sellum genuit Helciam, & Helcias genuit Azariam,

14. Azarias genuit Sarajam, & Sarajas (*c*) genuit Josedech.

15. Porro Josedech egressus est, quando transtulit Dominus Judam, & Jerusalem per manus Nabuchodonosor.

16. Filii * ergo Levi: Gerson, Caath, & Merari. ** Exod. 6. 16.*

17. Et hæc nomina filiorum Gerson, Lobni, & Semei.

18. Filii Caath: Amram, & Isaar, & Hebron, & Oziel.

19. Filii Merari: Moholi & Musi. Hæ autem cognationes Levi secundum familias eorum.

20. Gerson, Lobni filius ejus, Jahath filius ejus, Zamma filius ejus,

21. Joah filius ejus, Addo filius ejus, Zara filius ejus, Jethrai filius ejus.

22. Filii Caath, Aminadab (*d*) filius ejus, Core filius ejus, Asir filius ejus,

23. Elcana filius ejus, Abiasaph filius ejus, Asir filius ejus.

24. Thahath filius ejus, Uriel filius ejus, Ozias filius ejus, Saul filius ejus.

25. Fi-

12. (*f*) Erat totius tribus Gad princeps.
13. (*g*) Qui fuerunt suæ quisque familiæ capita, ut & vers. 15. Princeps domus in familiis suis.
22 (*h*) Factam a Theglathphalasar Lib. 4. Reg. 15.
26. (*i*) Fluvii Gozan 4. Reg. 18 vers. 10. *Hala & Haber* urbes sunt, quas alluit fluvius Gozan: *Ara* autem forte est *Rages* Tobiæ, cap. 3. vers. 16. Ex Ambros. Reges Assyriorum Israelitas in eas transtulerunt regiones, quæ hominibus magis vacabant; unde eadem loca exilio iis tribuuntur ab utroque Rege Theglathphalasar, & Salmanasar. Per *Ara* quidam putant montana media intelligi ex capit. 17. Lib. 1. Reg.

CAP. VI.
4. (*a*) Ab eo usque ad *Sadoc* novem generationes recensentur, quæ immediatæ esse possunt.
10. (*b*) Regem Oziam prohibuit ne incensum offerret.
14. (*c*) Sarajas tum fuit Pontifex, cum templum incensum fuit a Babyloniis.
22. (*d*) Idem videtur qui *Isaar* vers. 2. Hanc stirpem resumit, ut veniat ad Samuelem.

25. Filii Elcana: Amasai & Achimoth
26. Et Elcana (e): Filii Elcana: Sophai filius ejus, Nahath filius ejus,
27. Eliab filius ejus, Jeroham filius ejus, Elcana filius ejus.
28. Filii Samuel primogenitus Vasseni (g), & Abia.
29. Filii autem Merari, Moholi: Lobni filius ejus, Semei filius ejus, Oza filius ejus,
30. Sammaa filius ejus, Haggia filius ejus, Asaja filius ejus.
31. Isti sunt, quos constituit David super cantores domus Domini, ex quo collocata est arca:
32. Et ministrabant coram tabernaculo testimonii, canentes donec ædificaret Salomon domum Domini in Jerusalem: stabant autem juxta ordinem suum in ministerio.
33. Hi vero sunt, qui assistebant cum filiis suis, de filiis Caath, Hemam cantor filius Johel, filii Samuel,
34. Filii Elcana, filii Jeroham, filii Eliel, filii Thohu,
35. Filii Suph, filii Elcana, filii Mahath, filii Amasai,
36. Filii Elcana, filii Johel, filii Azariæ, filii Sophoniæ,
37. Filii Thahath, filii Asir, filii Abiasaph, filii Core,
38. Filii Isaar, filii Caath, filii Levi, filii Israel.
39. Et frater ejus Asaph (h), qui stabat a dextris ejus, Asaph filius Barachiæ, filii Samaa,
40. Filii Michael, filii Basajæ, filii Melchiæ,
41. Filii Athanai, filii Zara, filii Adaja,
42. Filii Ethan, filii Zamma, filii Semei,
43. Filii Jeth, filii Gerson, filii Levi.
44. Filii autem Merari (i) fratres eorum, ad sinistram, Ethan filius Chusi, filii Abdi, filii Maloch,
45. Filii Hasabiæ, filiæ Amasiæ, filii Helciæ,
46. Filii Amasai, filii Boni, filii Somer,
47. Filii Moholi, filii Musi, filii Merari, filii Levi.
48. Fratres quoque eorum Levitæ, qui ordinati sunt in cunctum ministerium tabernaculi domus Domini.
49. Aaron vero, & filii ejus adolebant incensum super altare holocausti, & super altare thymiamatis, in omne opus Sancti sanctorum: & ut precarentur pro Israel juxta omnia, quæ præceperat Moyses servus Dei.
50. Hi sunt autem filii Aaron: Eleazar filius ejus, Phinees filius ejus, Abisue filius ejus,
51. Bocci filius ejus, Ozi filius ejus, Zarahia filius ejus,
52. Merajoth filius ejus, Amarias filius ejus, Achitob filius ejus,
53. Sadoc filius ejus, Achimaas filius ejus.
54. Et hæc habitacula eorum per vicos atque confinia, filiorum scilicet Aaron, juxta cognationes Caathitarum: ipsis enim sorte contigerant.
55. Dederunt igitur eis Hebron in terra Juda, & suburbana ejus per circuitum:
56. * Agros autem civitatis, & villas, Caleb filio Jephone. * Jos. 21. 12.
57. Porro filiis Aaron dederunt civitates ad confugiendum Hebron, & Lobna, & suburbana ejus,
58. Jether quoque, & Esthemo cum suburbanis suis, sed & Helon & Dabir cum suburbanis suis,
59. Asan quoque, & Bethsemes & suburbana earum.
60. De tribu autem Benjamin, Gabee, & suburbana ejus, & Almath cum suburbanis suis, Anathoth quoque cum suburbanis suis: omnes civitates (k), tredecim, per cognationes suas.
61. Filiis autem Cath residuis de cognatione sua dederunt ex dimidia tribu Manasse in possessionem urbes decem.
62. Porro filiis Gerson per cognationes suas, de tribu Issachar, & de tribu Aser, & de tribu Nephthali, & de tribu Manasse in Basan, urbes tredecim.
63. Filiis autem Merari per cognationes suas, de tribu Ruben, & de tribu Gad, & de tribu Zabulon, dederunt sorte civitates duodecim.
64. Dederunt quoque filii Israel Levitis civitates, & suburbana earum:
65. Dederuntque per sortem, (l) ex tribu filiorum Juda, & ex tribu filiorum Simeon, & ex tribu filiorum Benjamin urbes has, quas vocaverunt nominibus suis,
66. Et his, qui erant de cognatione filiorum Caath, * fueruntque civitates in terminis eorum de tribu Ephraim. * Jos. 21. 12.
67. Dederunt ergo eis urbes ad confugiendum, Sichem cum suburbanis suis in monte Ephraim, & Gazer cum suburbanis suis,
68. Jechmaam quoque cum suburbanis suis, & Bethoron similiter,
69. Necnon & Helon cum suburbanis suis, & Gethremmon in eumdem modum.
70. Porro ex dimidia tribu Manasse, Aner & suburbana ejus, Baalam & suburbana ejus: his videlicet, qui de cognatione filiorum Caath (m) reliqui erant.
71. Filiis autem Gerson, de cognatione dimidiæ tribus Manasse, Gaulon in Basan, & suburbana ejus, & Astharoth cum suburbanis suis.
72. De tribu Issachar, Cedes & suburbana ejus, & Dabereth cum suburbanis suis,
73. Ramoth quoque & suburbana ejus, & Anem cum suburbanis suis.

74. De

26. (e) Vel *Elcana* cognomine *Suphai*, ut hic *Elcana* a patre secernatur: ex Synopsi Criticorum.
27. (f) Tertius ejus nominis pater Samuelis. Qui postea sequuntur, plane fuerunt binomii.
28. (g) Sensus ex Grotio; Filii Samuel fuere, primogenitus ejus, nempe Joel, Lib. 1. Reg. 8. qui hoc loco reticetur, & secundus *Abia*.
39. (h) Frater Heman, cujus mentionem fecit vers. 33. & posteros ejus huc usque est persecutus.
44. (i) Tres erant chori, quibus præerant tres principes tribus Levi, *Heman* e stirpe Caath, ex vers. 33. *Asaph* e familia Gerson, ex vers. 39. & *Merari* filii, ex hoc loco.
60. (k) Quamvis hic numerentur tantum undecim; sed Josue 23. 13. tredecim recensentur.
65. (l) Nempe sacerdotibus, ex vers. 54.
70. (m) Non ex stirpe Aaron, nec sacerdotes, sed tantum erant Levitæ.

74. De tribu vero Aser: Masal cum suburbanis suis, & Abdon similiter,

75. Hucac quoque & suburbana ejus, & Rohob cum suburbanis suis.

76. Porro de tribu Nephthali, Cedes in Galilæa & suburbana ejus, Hamon cum suburbanis suis, & Carjathaim, & suburbana ejus.

77. Filiis autem Merari residuis: de tribu Zabulon, Remmono & suburbana ejus, & Thabor cum suburbanis suis:

78. Trans Jordanem quoque ex adverso Jericho contra Orientem Jordanis, de tribu Ruben, Bosor in solitudine cum suburbanis suis, & Jassa cum suburbanis suis,

79. Cademoth quoque & suburbana ejus, & Mephaat cum suburbanis suis.

80. Necnon & de tribu Gad, Ramoth in Galaad & suburbana ejus, & Manaim cum suburbanis suis,

81. Sed & Hesebon cum suburbanis suis, & Jezer cum suburbanis suis.

CAPUT VII.

Posteri Issachar, Benjamin, Nephtali, Manasse, Ephraim, & Aser.

Gen. 46. 13. 1. PORRO filii Issachar: Thola, & Phua, Jasub, & Simeron, quatuor.

2. Filii Thola: Ozi & Raphaja, & Jeriel, & Jemai, & Jebsem, & Samuel, principes per domos cognationum suarum. De stirpe Thola viri fortissimi numerati sunt in diebus David (*a*), viginti duo millia sexcenti.

3. Filii Ozi: Izrahia, de quo nati sunt Michael, & Obadia, & Johel, & Jesia, quinque omnes principes.

4. Cumque eis per familias, & populos suos, accincti ad prælium, viri fortissimi, triginta sex millia: multas enim habuerunt uxores, & filios.

5. Fratres (*b*) quoque eorum per omnem cognationem Issachar, robustissimi ad pugnandum, octoginta septem millia numerati sunt.

* Gen. 46. 21. 6. Filii * Benjamin: Bela, & Bechor, & Jadiel, tres (*c*).

7. Filii Bela: Esbon, & Ozi, & Oziel, & Jerimoth, & Urai, quinque principes familiarum, & ad pugnandum robustissimi: numerus autem eorum, viginti duo millia & triginta quatuor.

8. Porro filii Bechor: Zamira, & Joas, & Eliezer, & Elioenai, & Amri, & Jerimoth, & Abia, & Anathoth, & Almath: omnes hi, filii Bechor.

9. Numerati sunt autem per familias suas principes cognationum suarum, ad bella fortissimi, viginti millia & ducenti.

10. Porro filii Jadihel: Balan. Filii autem Balan: Jehus, & Benjamin, & Aod, & Chanana, & Zethan, & Tharsis, & Ahisahar.

11. Omnes hi filii Jadihel, principes cognationum suarum, viri fortissimi, decem & septem millia & ducenti, ad prælium procedentes.

12. Sepham quoque & Hapham filii Hur: & Hasim filii Aher.

13. * Filii autem Nephthali: Jasiel, & Guni, & Jeser, & Sellum, filii Bala. * Gen. 46. 24.

14. Porro filius Manasse, Esriel: concubinaque ejus Syra peperit Machir patrem Galaad.

15. Machir autem accepit uxores (*d*) filiis suis Happhim, & Saphan: & habuit sororem nomine Maacha: nomen autem secundi, Salphaad, nataeque sunt Salphaad filiæ.

16. Et peperit Maacha uxor Machir filium, vocavitque nomen ejus Phares: porro nomen fratris ejus, Sares: & filii ejus, Ulam, & Recen.

17. Filius autem Ulam, Badan: hi sunt filii Galaad, filii Machir, filii Manasse.

18. Soror autem ejus Regina peperit Virum decorum, & Abiezer, & Mohola.

19. Erant autem filii Semida, Ahin, & Sechem, & Leci, & Aniam,

20. Filii (*e*) autem Ephraim: Suthala, Bared filius ejus, Thahath filius ejus, Elada filius ejus, Thahath filius ejus, hujus filius Zabad.

21. Et hujus filius Suthala, & hujus filius Ezer & Elad: occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia descenderant (*f*) ut invaderent possessiones eorum.

22. Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus, & venerunt fratres ejus ut consolarentur eum.

23. Ingressusque est ad uxorem suam, quæ concepit, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Beria, eo quod in malis domus ejus ortus esset:

24. Filia autem ejus fuit Sara, quæ ædificavit (*g*) Bethoron inferiorem & superiorem, & Ozensara.

25. Porro filius ejus Rapha, & Reseph, & Thale (*h*), de quo natus est Thaan,

26. Qui genuit Laadan (*i*): hujus quoque filius Ammiud, qui genuit Elizama,

27. De quo ortus est Nun, qui habuit filium Josue.

28. Pos-

CAP. VII. 2. & 3. (*a*) Quando populum recensuit Lib. 2. Reg 14. *Filii*: Pro filium Ozi. Error forte irrepsit, cum Ozi filius *Thola* fuerit, nec caput familiæ, nisi forsan, ut nonnullis videtur, legendum sit *Rhaa*. *Quinque omnes principes*, id est, clarissimi.

5. (*b*) 87000. In tribu Issachar hic inventus est numerus, cum David eos recensere voluit.

6. (*c*) Tres tantum numerat e multis aliis, quia hi velut principes fuerunt, Genes. 46. decem, Lib. Num. 18. quinque tantummodo, quod forte ex aliis quinque non sint proseminatæ familiæ: ac duo quidem hoc loco omissi, capite proximo recensentur, qui capita familiarum fuerunt: ubique Bala primo loco ponitur. Aliorum variant nomina, quod plerique plura haberent nomina.

15. (*d*) In Hebræo: *Duxit ipse Hupphim & Suphim*, quibus soror aut cognata fuit Maacha. *Nomen autem secundi*, nepotis scilicet.

20. (*e*) Non nepotes, quod ex ejus dolore colligitur. Unde pronomen ejus, usque ad vers. 26. repetitum, ad Ephraim est referendum.

21. (*f*) Gethæi nempe, ut fines Ægypti popularentur, quibus occurrerant filii Ephraim.

24. (*g*) Quæ mater fuit ædificantium, vel reposuit urbem in veteri solo, quam Chananæis ereptam Israelitæ destruxerant.

25. (*h*) Geth & Thale filius ejus, & Thaan filius ejus.

26. (*i*) Hujus quoque filius Ammiud; ipsi Laadan filio ejus; nempe Ephraim filius Ammiud, adeo ut ab Ephraim ad Josue sint tantum sex generationes per 260. annos, aut circiter.

28. Possessio autem eorum (*k*) & habitatio, Bethel cum filiabus suis, & contra Orientem Noran, ad Occidentalem plagam Gazer & filiæ ejus, Sichem quoque cum filiabus suis, usque ad Aza cum filiabus ejus.

29. Juxta filios quoque Manasse Bethsan & filias ejus, Thanach & filias ejus, Maggedo & filias ejus: Dor & filias ejus: in his habitaverunt filii Joseph, filii Israel.

* Gen. 46. 17. 30. Filii * Aser: Jemna, & Jesua, & Jessui, & Baria, & Sara soror eorum.

31. Filii autem Baria: Heber, & Melchiel: ipse est pater Barsaith.

32. Heber autem genuit Jephlat, & Somer, & Hotham, & Suaa sororem eorum.

33. Filii Jephlat: Phosech, & Chamaal, & Asoth: hi filii Jephlat.

34. Porro filii Somer: Ahi, & Roaga, & Haba, & Aram.

35. Filii autem Helem fratris ejus: Supha, & Jemna, & Selles, & Amal.

36. Filii Supha: Sue, Harnapher, & Sual, & Beri, & Jamra,

37. Bosor, & Hod, & Samma, & Salusa, & Jethran, & Bera.

38. Filii Jether: Jephone, & Phaspha, & Ara.

39. Filii autem Olla: Aree, & Haniel, & Resia.

40. Omnes hi filii Aser, principes cognationum, electi atque fortissimi duces ducum: numerus autem eorum ætatis, quæ apta esset ad bellum, viginti sex millia.

CAPUT VIII.

Genealogia, Benjamin, & Saul retexitur.

Gen. 46. 21. Sup. 7. 6. 1. BEnjamin autem genuit Bale primogenitum suum, Asbel secundum, Ahara tertium,

2. Nohaa quartum, & Rapha quintum.

3. Fueruntque filii Bale: Addar, & Gera, & Abiud,

4. Abisue quoque & Naaman, & Ahoe,

5. Sed & Gera, & Sephuphan, & Huram.

6. Hi sunt filii Ahod (*a*), principes cognationum habitantium in Gabaa, qui translati sunt in Manahath.

7. Naaman autem, & Achia, & Gera ipse transtulit eos (*b*), & genuit Oza, & Ahiud.

8. Porro Saharaim (*c*) genuit in regione Moab, postquam dimisit Husim & Bara uxores suas.

9. Genuit autem de Hodes uxore sua Jobab, & Sebia, & Mosa, & Molchom,

10. Jehus quoque, & Sechia, & Marma: hi sunt filii ejus, principes in familiis suis.

11. Mehusim (*d*) vero genuit Abitob, & Elphaal.

12. Porro filii Elphaal: Heber, & Misaam, & Samad: hic ædificavit Ono, & Lod, & filias ejus.

13. Baria autem, & Sama, principes cognationum habitantium in Ajalon: hi fugaverunt habitatores Geth.

14. Et Ahio, & Sesac, & Jerimoth,

15. Et Zabadia, & Arod, & Heder,

16. Michael quoque, & Jespha, & Joha, filii Baria.

17. Et Zabadia, & Mosollam, & Hezeci, & Heber,

18. Et Jesamari, & Jezlia, & Jobab, filii Elphaal,

19. Et Jacim, & Zechri, & Zabdi,

20. Et Elioenai, & Selethai, & Eliel,

21. Et Adaja, & Baraja, & Samarath filii Semei.

22. Et Jespham, & Heber, & Eliel,

23. Et Abdon, & Zechri, & Hanan,

24. Et Hanania, & Ælam, & Anathothia,

25. Et Jephdaja, & Phanuel filii Sesac (*e*).

26. Et Samsari, & Sohoria, & Otholia,

27. Et Jersia, & Elia, & Zechri, filii Jeroham.

28. Hi patriarchæ, & cognationum principes, qui habitaverunt in Jerusalem.

29. In * Gabaon autem habitaverunt Abigabaon, & nomen uxoris ejus Maacha: *Infr. 9. 35.

30. Filiusque ejus primogenitus Abdon, & Sur, & Cis, & Baal, & Nadab.

31. Gedor quoque, & Ahio, & Zacher, & Macelloth:

32. Et Macelloth genuit Saama: habitaveruntque ex adverso fratrum suorum in Jerusalem cum fratribus suis.

33. * Ner autem genuit Cis, & Cis genuit Saul. Porro Saul genuit Jonathan (*f*), & Melchisua, & Abinadab, & Esbaal. * 1. Reg. 14. 51. Infr. 9. 39.

34. Filius autem Jonathan, Meribbaal: & Meribbaal genuit Micha.

35. Filii Micha, Phithon, & Melech, & Tharaa, & Ahaz.

36. Et Ahaz genuit Joada: & Joada genuit Alamath, & Azmoth, & Zamri: porro Zamri genuit Mosa,

37. Et Mosa genuit Banaa, cujus filius fuit Rapha, de quo ortus est Elasa, qui genuit Asel.

38. Porro Asel sex filii fuerunt his nominibus, Ezricam, Bocru, Ismael, Saria, Obdia, & Hanan: omnes hi filii Asel.

39. Filii

---

28. (*k*) Filiorum Ephraim: *Cum filiabus suis*: circumjectis villis.

CAP. VIII. 6. (*a*) Qui proxime superioris *Huram*, ut verisimile est, filius fuit. Tres illi ad eos qui vers. 3. vel ad eos qui vers. 7. recensentur, referri possunt.

7. (*b*) Sublata conjunctione constat sententia: ipse transtulit eos. Gera e Gabaa transtulit filios Ahod in Manahath, vel potius transtulerunt. Principes fuere deducendæ coloniæ; erat quidem Manahath in sorte Judæ & Benjamin, sed ex parte nondum habitata.

8. (*c*) Gera filius fuit Saharim, qui habitavit in agro Moab; *Postquam dimisit*, Hebr. eos, pro *eas*, nempe uxores, Husim & Baram.

11. (*d*) Hebræi Id exponunt, ex *Husim*; adeo ut mem sit præpositio, vers. 16. & 17. videntur per parenthesim legendi; sunt enim continuatio vers. 15. ut resumat posteros Elphaal, quos omiserat.

25. & 27. (*e*) Qui ex Banea filio Elphaal erat oriundus, ex vers. 12. & 13. *Jeroham*: aut Samuelis, ex cap. 6. versu 27.

31. (*f*) *Jonathan*, *&c.* Ex hoc loco manifestum est multos esse in Scriptura binomios. Nam *Isboseth* inter filios Saulis non numeratur nisi sub nomine *Esbaal*, tres alii qui hoc loco ponuntur, qui obierunt cum Saule. Hinc Jonathas unum tantum habuit filium *Miphiboseth*, qui hic *Meribbaal* appellatus. Sic duo videntur extitisse *Ner* vocabulo: unus fuit avus Saulis, & alter ejus patruus, & pater *Abner*. Ner autem genuit Cis: Lib. 1. Regum 9. vocatur *Abiel*: alium quoque habuit filium, cui nomen *Ner*, quique fuit pater *Abner*, 1. Reg. 14. 50.

39. Filii autem Esec fratris ejus, Ulam primogenitus, & Jehus secundus, & Eliphalet tertius.

40. Fueruntque filii Ulam viri robustissimi, & magno robore tendentes arcum: & multos habentes filios ac nepotes, usque ad centum quinquaginta. Omnes hi, filii Benjamin.

CAPUT IX.

Qui primi filiorum Israel habitaverint in Jerusalem. Quæ sacerdotum & Levitarum fuerint officia.

1. UNiversus (a) ergo Israel dinumeratus est: & summa eorum scripta est in Libro regum Israel, & Juda: translatique sunt in Babylonem propter delictum suum.

2. Qui autem habitaverunt primi in possessionibus, & in urbibus suis: Israel, & Sacerdotes, & Levitæ, & Nathinæi.

3. Commorati sunt in Jerusalem de filiis Juda, & de filiis Benjamin, de filiis quoque Ephraim, & Manasse.

4. Otheï filius Ammiud, filii Amri, filii Omrai, filii Bonni, de filiis Phares filii Juda.

5. Et de Siloni: Asaja primogenitus, & filii ejus.

6. De filiis autem Zara: Jehuel, & fratres eorum, sexcenti nonaginta.

7. Porro de filiis Benjamin: Salo filius Mosollam, filii Oduja, filii Asana:

8. Et Jobania filius Jeroham: & Ela filius Ozi, filii Mochori: & Mosollam filius Saphatiæ, filii Rahuel, filii Jebaniæ:

9. Et fratres eorum per familias suas, nongenti quinquaginta sex. Omnes hi, principes cognationum per domos patrum suorum.

10. De sacerdotibus autem: Jedaja, Jojarib, & Jachin:

11. Azarias (b) quoque filius Helciæ, filii Mosollam, filii Sadoc, filii Marajoth, filii Achitob, pontifex domus Dei.

12. Porro Adajas filius Jeroham, filii Phassur, filii Melchiæ: & Maasai filius Adiel, filii Jezra, filii Mosollam, filii Mosollamith, filii Emmer.

13. Fratres quoque eorum principes per familias suas, mille septingenti sexaginta, fortissimi robore ad faciendum opus ministerii in domo Dei.

14. De Levitis autem: Semeja filius Hassub, filii Ezricam, filii Hasebia de filiis Merari.

15. Bacbacar quoque carpentarius (c), & Galal, & Mathania filius Micha, filii Zechri, filii Asaph:

16. Et Obdia filius Semejæ, filii Galal, filii Idithun: & Barachia filius Asa, filii Elcana, qui habitavit in atriis (d) Netophati.

17. Janitores autem: Sellum, & Accub, & Telmon, & Ahiman: & frater eorum Sellum princeps,

18. Usque ad illud tempus, in porta (e) regis ad Orientem, observabant per vices suas de filiis Levi.

19. Sellum vero filius Core (f) filii Abjasaph, filii Core, cum fratribus suis, & domo patris sui, hi sunt Coritæ super opera ministerii, custodes vestibulorum tabernaculi: & familiæ eorum per vices castrorum Domini custodientes introitum.

20. Phinees (g) autem filius Eleazari, erat dux eorum coram Domino.

21. Porro Zacharias filius Mosollamia, janitor portæ tabernaculi testimonii.

22. Omnes hi electi in ostiarios per portas, ducenti duodecim: & descripti in villis propriis: quos constituerunt (h) David, & Samuel Videns, in fide sua,

23. Tam ipsos, quam filios eorum, in ostiis domus Domini, & in tabernaculo vicibus suis.

24. Per quatuor ventos erant ostiarii: id est ad Orientem, & ad Occidentem, & ad Aquilonem, & ad Austrum.

25. Fratres autem eorum in viculis morabantur, & veniebant in sabbatis suis de tempore usque ad tempus.

26. His quatuor Levitis creditus erat omnis numerus janitorum, & erant super exedras, & thesauros domus Domini.

27. Per gyrum quoque templi Domini morabantur in custodiis suis, ut cum tempus fuisset, ipsi mane aperirent fores.

28. De horum genere erant & super vasa ministerii (i): ad numerum enim & inferebantur vasa, & efferebantur.

29. De ipsis & qui credita habebant utensilia Sanctuarii, præerant similæ, & vino, & oleo, & thuri, & aromatibus,

30. Filii autem sacerdotum unguenta ex aromatibus conficiebant.

31. Et Mathathias Levites primogenitus Sellum Coritæ, præfectus erat eorum, quæ in sartagine frigebantur.

32. Por-

CAP. IX. 1. & 2. (a) Davidis temporibus, & summa relata est in librum Regum Israel. *Qui autem habitaverunt primi in possessionibus*: ex iis qui redierunt, aliqui in Jerusalem, alii in urbibus & villis manserunt. *Israel & sacerdotes*: pars aliqua Israelitarum, qui evaserant captivitatem Assyriorum, ivit cum Juda Babylonem, & inde rediit. *Et Nathinæi*: Gabaonitæ, qui ita vocantur in libris Esdræ. Iique erant velut servi templo addicti. Hactenus Tribus omnes summatim recensuit.

11. (b) Nullus Pontifex tum fuit eo nomine: vox Hebræa *Neghid*, נגד, ducem significat; LXX etiam ἡγούμενον, ducem posuerunt: adeo ut Azariam & majores ejus præcipuos fuisse inter sacerdotes secundi ordinis innuere videantur: nec necesse est novos Pontifices, aut nova fingere nomina.

15. (c) Vox Hebræa *Cheres*, חרש, significat *artificem fabrum*, qui forte præerat fabris templi.

16. (d) Hebr. *Bechatsere*, בחצרי, *in suburbanis*, urbs erat in tribu Juda. Græc. ἐν ταῖς κώμαις, *in villis*: eæ quidem erant in sorte Judæ diviso regno Levitæ recepti sunt a sacerdotibus in eas habitationes, quæ solis sacerdotibus Judæ obvenerant.

18 (e) Ex prima janitorum institutione usque ad eversum templum hoc munere fungebantur Levitæ in porta, qua Rex introibat in templum.

19 (f) Qui adversus Mosem excitavit seditionem, Num. 16. *Custodientes introitum*: vestibulum *per vices castrorum*, id est, juxta morem custodum castrorum. Hebr. Et patres eorum in castris Domini *custodes* introitus, id est, isti Coritæ tum ita servabant limen, ut olim majores eorum Caathitæ in castris faciebant, Num. 4.

20. & 21. (g) Phinees posteri præerant Levitis. Hebr. sensus est apertior: Et Phinees filius Eleazari dux fuit super eos olim, cum quo Dominus erat. *Tabernacula*: sanctuarii.

22 (h) Samuel hos ordines prius excogitaverat: postquam David ad regnum pervenit, quæ a Samuele fuerant decreta, est executus: *in fide sua*: fideli & stabili decreto, vel in fideli munere sibi credito: vel hoc ipsum Levitis commisit certus de eorum fide.

28. (i) Cultus divini instrumenta.

32. Porro de filiis Caath fratribus eorum, super panes erant propositionis, ut semper novos per singula sabbata præpararent.

33. Hi sunt principes cantorum per familias Levitarum, qui in exedris (k) morabantur, ut die ac nocte jugiter suo ministerio deservirent.

34. Capita Levitarum, per familias suas principes, manserunt in Jerusalem.

*Sup.8.29. 35. In * Gabaon autem commorati sunt pater Gabaon Jehiel, & nomen uxoris ejus Maacha.

36. Filius primogenitus ejus Abdon, & Sur, & Cis, & Baal, & Ner, & Nadab,

37. Gedor quoque, & Ahio, & Zacharias, & Macelloth.

38. Porro Macelloth genuit Samaan: isti habitaverunt e regione fratrum suorum in Jerusalem, cum fratribus suis.

*Sup.8.33. 39. * Ner autem genuit Cis: & Cis genuit Saul: & Saul genuit Jonathan, & Melchisua, & Abinadab, & Esbaal.

40. Filius autem Jonathan, Meribbaal: & Meribbaal genuit Micha.

41. Porro filii Micha, Phithon, & Melech, & Tharaa, & Ahaz.

42. Ahaz autem genuit Jara, & Jara genuit Alamath, & Azmoth, & Zamri: Zamri autem genuit Mosa.

43. Mosa vero genuit Banaa: cujus filius Raphaja, genuit Elasa: de quo ortus est Asel.

44. Porro Asel sex filios habuit his nominibus, Ezricam, Bocru, Ismahel, Saria, Obdia, Hanan: hi sunt filii Asel.

C A P U T X.

Quæ hoc capite referuntur de morte Saulis & prælio cum Philisthæis commisso, eadem Lib. 1. Reg. cap. ultimo referuntur.

1.Reg.31.1. 1. Philisthiim autem pugnabant contra Israel, fugeruntque viri Israel Palæsthinos, & ceciderunt vulnerati in monte Gelboe.

2. Cumque appropinquassent Philisthæi persequentes Saul, & filios ejus, percusserunt Jonathan, & Abinadab, & Melchisua filios Saul.

3. Et aggravatum est prælium contra Saul, inveneruntque eum sagittarii, & vulneraverunt jaculis.

4. Et dixit Saul ad armigerum suum: Evagina gladium tuum, & interfice me: ne forte veniant incircumcisi isti, & illudant mihi. Noluit autem armiger ejus hoc facere, timore perterritus: arripuit ergo Saul ensem, & irruit in eum.

5. Quod cum vidisset armiger ejus, videlicet mortuum esse Saul, irruit etiam ipse in gladium suum, & mortuus est.

6. Interiit ergo Saul, & tres filii ejus, & omnis domus (a) illius pariter concidit.

7. Quod cum vidissent viri Israel qui habitabant in campestribus, fugerunt: & Saul ac filiis ejus mortuis, dereliquerunt urbes suas, & huc illucque dispersi sunt: veneruntque Philisthiim, & habitaverunt in eis.

8. Die igitur altero detrahentes Philisthiim spolia cæsorum, invenerunt Saul, & filios ejus jacentes in monte Gelboe.

9. Cumque spoliassent eum, & amputassent caput, armisque nudassent, miserunt in terram suam, ut circumferretur, & ostenderetur idolorum templis, & populis:

10. Arma autem ejus consecraverunt in fano dei sui, & caput affixerunt in templo (b) Dagon.

11. Hoc cum audissent viri Jabes Galaad, omnia scilicet quæ Philisthiim fecerunt super Saul,

12. Consurrexerunt singuli virorum fortium, & tulerunt cadavera Saul & filiorum ejus, attuleruntque ea in Jabes, & sepelierunt ossa eorum subter quercum, quæ erat in Jabes, & jejunaverunt septem diebus.

13. Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod prævaricatus sit * mandatum *Exod. 17. 14.
Domini quod præceperat, & non custodierit illud: sed * insuper etiam pythonissam consuluerit, 1. Reg 15. 3. *1.Reg 28. 8.

14. Nec speravit (c) in Domino: propter quod interfecit eum, & transtulit regnum ejus ad David filium Isai.

C A P U T XI.

Quæ habentur usque ad vers. 10. cap. 11. Lib. 2. Reg. reliqua cap. 13. continentur.

1. Congregatus (a) est igitur omnis Israel ad David in Hebron, dicens: Os tuum sumus, & caro tua. 2. Reg.5.1.

2. Heri quoque, & nudiustertius, cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas, & introducebas Israel: tibi enim dixit Dominus Deus tuus: Tu pasces populum meum Israel, & tu eris princeps super eum.

3. Venerunt ergo omnes majores natu Israel ad regem in Hebron, & iniit David cum eis fœdus coram Domino: unxeruntque eum regem super Israel, juxta sermonem Domini, quem locutus est in manu Samuel.

4. Abiit quoque David, & omnis Israel in Jerusalem: * hæc est Jebus, ubi erant Jebusæi *2. Reg. 5. 6.
habitatores terræ.

5. Dixeruntque qui habitabant in Jebus ad David: Non ingredieris huc. Porro David cepit (b) arcem Sion, quæ est Civitas David,

6. Dixitque: Omnis qui percusserit Jebusæum in primis, erit princeps & dux. Ascendit igitur primus Joab filius Sarviæ, & factus est princeps.

7. Ha-

33 & 40. (k) Exedræ hoc loco videntur fuisse profanis locis, qui Psalmis & hymnis decantandis & populo instruendo in atriis erant destinati, quique postea Synagogæ dicti sunt: Hebr. *In exedris liberi*, ab omni alio ministerio, vel in exedris manebant, ne qua re contaminarentur, unde forent ministerio inutiles. *Meribaal*, qui & Miphiboseth.

CAP. X. 6. (a) Hebr. *In vale*: hi fugerunt, quod oppida minus essent munita.

10. (b) In Lib. 1. Reg. *In muro Bethsan*: templum erat muro conjunctum.

13. (c) Hebr. & LXX. *Nec consuluit Dominum*, sed Pythonissam.

CAP. XI. 1. (a) Post aliquot annos a morte Saulis.

5. (b) Sunt qui existiment Jerusalem a Josue captam, postea amissam fuisse.

7. Habitavit autem David in arce, & idcirco appellata est Civitas David.

8. Ædificavitque urbem in circuitu a Mello usque ad gyrum. Joab autem reliqua urbis extruxit.

9. Proficiebatque David vadens & crescens, & Dominus exercituum erat cum eo.

* 2 Reg 23. 8. 10. * Hi principes virorum fortium David, qui adjuverunt eum ut rex fieret super omnem Israel, juxta verbum Domini, quod locutus est ad Israel.

11. Et iste numerus robustorum David: Jesbaam filius Achamoni (c) princeps inter triginta: iste levavit hastam suam super trecentos vulneratos una vice.

12. Et post eum Eleazar filius patrui ejus Ahohites, qui erat inter tres (d) potentes.

13. Iste fuit cum David in Phesdomim, quando Philisthiim congregati sunt ad locum illum in prælium: & erat ager regionis illius plenus hordeo, fugeratque populus a facie Philisthinorum.

14. Hi steterunt in medio agri, & defenderunt eum: cumque percussissent Philisthæos, dedit Dominus salutem magnam populo suo.

* 2 Reg 23. 13. 15. Descenderunt autem * tres de triginta (e) principibus ad petram, in qua erat David, ad speluncam Odollam, quando Philisthiim fuerant castrametati in Valle Raphaim.

* 2 Reg 23. 14. 16. * Porro David erat in præsidio, & statio Philisthinorum in Bethlehem.

17. Desideravit igitur David, & dixit: O si quis daret mihi aquam de cisterna Bethlehem, quæ est in porta.

18. Tres ergo isti per media castra Philisthinorum perrexerunt, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat in porta, & attulerunt ad David ut biberet: qui noluit, sed magis libavit illam Domino,

19. Dicens: Absit ut in conspectu Dei mei hoc faciam, & sanguinem istorum virorum bibam: quia in periculo animarum suarum attulerunt mihi aquam. Et ob hanc causam noluit bibere: hæc fecerant tres robustissimi.

20. Abisai quoque frater Joab ipse erat princeps trium, & ipse levavit hastam suam contra trecentos vulneratos, & ipse erat inter tres nominatissimus.

21. Et inter tres secundos (f) inclytus, & princeps eorum: verumtamen usque ad tres primos non pervenerat.

22. Banajas filius Jojadæ viri robustissimi, qui multa opera perpetrarat, de Cabseel: ipse percussit duos ariel Moab: & ipse descendit, & interfecit leonem in media cisterna tempore nivis.

23. Et ipse percussit virum Ægyptium, cujus statura erat quinque cubitorum, & habebat lanceam ut liciatorium (g) texentium: descendit igitur ad eum cum virga, & rapuit hastam, quam tenebat manu: & interfecit eum hasta sua.

24. Hæc fecit Banajas (h) filius Jojadæ, qui erat inter tres robustos nominatissimus,

25. Inter triginta primus, verumtamen ad tres usque non pervenerat: posuit autem eum David ad auriculam suam.

26. Porro fortissimi viri in exercitu, Asahel frater Joab, & Elchanan filius patrui ejus de Bethlehem,

27. Sammoth Arorites, Helles Phalonites,

28. Ira filius Acces Thecuites, Abiezer Anathothites,

29. Sobbochai Husathites, Ilai Ahohites,

30. Maharai Netophathites, Heled filius Baana Netophathites,

31. Ethai filius Ribai de Gabaath filiorum Benjamin, Banaja Pharatonites,

32. Hurai de Torrente Gaas, Abiel Arbathites, Azmoth Bauramites, Eliaba Salabonites.

33. Filii Assem Gezonites, Jonathan filius Sage Ararites,

34. Ahiam filius Sachar Ararites,

35. Eliphal filius Ur,

36. Hepher Mecherathites, Ahia Phelonites,

37. Hesro Carmelites, Naarai filius Asbai,

38. Joel frater (i) Nathan, Mibahar filius Agarai.

39. Selec Ammonites, Naarai Berothites armiger Joab filii Sarviæ,

40. Ira Jethræus, Gareb Jethræus,

41. Urias Hethæus, Zabad filius Oholi,

42. Adina filius (k) Siza Rubenites princeps Rubenitarum, & cum eo triginta:

43. Hanan filius Maacha, & Josaphat Mathanites,

44. Ozia Astarothites, Samma, & Jehiel filii Hotham Arorites,

45. Jedihel filius Samri, & Joha frater ejus Thosaites.

46. Eliel Mahumites, & Jeribai: & Josaja filii Elnaem, & Jethma Moabites, Eliel, & Obed, & Jasiel de Masobia.

CAPUT XII.

Qui Davidem secuti fuerint cum Saul fugeret, quique eum regem constituerunt in Hebron.

1. HI quoque venerunt ad David in Siceleg, cum adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant fortissimi & egregii pugnatores,

2. Ten-

11. (c) De quo Lib. 2. Reg. c. 23. vers. 8. *Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter triginta*, ubi in Hebræo tres tantum ponuntur: adeo ut vox Hebræa hoc loco vitiata videatur. *Levavit hastam super trecentos vulneratos una vice*, quos vulneraverat: in Lib. 2. Reg. 23. 8. habemus octingentos, sed forte duæ pugnæ fuerunt. Itaque trecentos primum, tum quingentos vulneravit, aut occidit.

12. (d) Adeo ut legendum videatur vers. 11. *Inter tres*, non autem triginta. *Ahohites*, nominis significatio videtur sumi vice proprii nominis: tres illi jam tunc numerari *Jesbaam*, *Eleazar*, & *Semma*: atque hæc referontur Lib. 2. Regum cap. 23.

15. (e) Viri fortes 37. erant ex Libr. 2. Regum cap. 3. vers. 13. sed suppresso minori numero, hic triginta fuisse dicuntur. *Ad petram*, ad arcem: nam arces erant rupibus impositæ.

21. & 22. (f) In secundo ternario. *Duos*: duos duces Moabitas, qui ob fortitudinem leones dicuntur, *Banajas de Cabseel*: quæ urbs erat in tribu Juda.

23. (g) Lignum rotundum, circa quod textor telam suam involvit.

24. (h) Hebr. Ex triginta illis ipse erat inclytus: *Ad tres usque non pervenerat*. Hebr. Ad tres illos primi ternarii non pervenit: *Posuit autem eum David ad auriculam suam*: a consiliis. Gr. Posuit eum David super familiam suam.

38. (i) Lib. 2. Reg. 23. dicitur filius Nathan: cognatus esse potuit Nathan, ab eo adoptatus, aut educatus.

42. (k) Qui sequuntur, ultra Jordanem habitabant.

2. Tendentes arcum, & utraque manu fundis saxa jacientes, & dirigentes sagittas : de fratribus (*a*) Saul ex Benjamin.

3. Princeps Ahiezer, & Joas filii Samaa Gabaathites, & Jaziel, & Phallet filii Azmoth, & Baracha, & Jehu Anathotites.

4. Samajas quoque Gabaonites fortissimus inter triginta & super triginta. Jeremias, & Jeheziel, & Johanan, & Jezabad Gaderothites.

5. Et Eluzai, & Jerimuth, & Baalia, & Samaria, & Saphatia Haruphites.

6. Eleana, & Jesia, & Azareel, & Joezer, & Jesbaam de Carehim:

7. Joela quoque, & Zabadia filii Jeroham de Gedor.

8. Sed & de Gaddi (*b*) transfugerunt ad David, cum lateret in deserto, viri robustissimi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum, & hastam: facies eorum quasi facies leonis, & veloces quasi capreæ in montibus:

9. Ezer princeps, Obdias secundus, Eliab tertius,

10. Masmana quartus, Jeremias quintus,

11. Ethi sextus, Eliel septimus,

12. Johanan octavus, Elzebad nonus,

13. Jeremias decimus, Machbanai undecimus.

14. Hi de filiis Gad principes exercitus: novissimus (*c*) centum militibus præerat, & maximus, mille.

15. Isti sunt qui transierunt Jordanem mense primo, quando inundare consuevit super ripas suas: & omnes fugaverunt qui morabantur in vallibus ad Orientalem plagam & Occidentalem.

16. Venerunt autem & de Benjamin, & de Juda ad præsidium, (*d*) in quo morabatur David.

17. Egressusque est David obviam eis, & ait: Si pacifice venistis ad me ut auxiliemini mihi, cor meum jungatur vobis: si autem insidiamini mihi pro adversariis meis, cum ego iniquitatem in manibus non habeam, videat Deus patrum nostrorum, & judicet.

18. Spiritus vero (*e*) induit Amasai principem inter triginta, & ait: Tui sumus o David, & tecum fili Isai: pax, pax tibi, & pax adjutoribus tuis: te enim adjuvat Deus tuus. Suscepit ergo eos David, & constituit principes turmæ.

19. Porro de Manasse transfugerunt ad David, quando veniebat cum Philisthiim adversus Saul, ut pugnaret: & non dimicavit cum
* 1.Reg.29. 4. eis: * quia inito consilio remiserunt eum principes Philisthinorum, dicentes: Periculo capitis nostri revertetur ad dominum suum Saul.

20. Quando igitur reversus est in Siceleg, transfugerunt ad eum de Manasse, Ednas, & Jozabad, & Jedihel, & Michael, & Ednas, & Jozabad, & Eliu, & Salathi, principes militum (*f*) in Manasse.

21. Hi præbuerunt auxilium David adversus latrunculos: omnes enim erant viri fortissimi, & facti sunt principes in exercitu.

22. Sed & per singulos dies veniebant ad David ad auxiliandum ei, usque dum fieret grandis numerus, quasi exercitus Dei (*g*).

23. Iste quoque est numerus principum exercitus, qui venerunt ad David, cum esset in Hebron, ut transferrent regnum Saul ad eum, juxta verbum Domini.

24. Filii Juda portantes clypeum & hastam, sex millia octingenti expediti ad prælium.

25. De filiis Simeon virorum fortissimorum ad pugnandum, septem millia centum.

26. De filiis Levi, quatuor millia sexcenti.

27. Jojada quoque princeps de stirpe Aaron, & cum eo tria millia septingenti.

28. Sadoc etiam puer egregiæ indolis, & domus patris ejus, principes vigintiduo.

29. De filiis autem Benjamin fratribus Saul, tria millia: magna enim pars eorum adhuc sequebatur domum Saul.

30. Porro de filiis Ephraim viginti millia octingenti, fortissimi robore, viri nominati in cognationibus suis.

31. Et ex dimidia tribu Manasse, decem & octo millia, singuli per nomina sua venerunt ut constituerent regem David.

32. De filiis quoque Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel, principes ducenti: omnis autem reliqua tribus eorum consilium sequebatur.

33. Porro de Zabulon qui egrediebantur ad prælium, & stabant in acie instructi armis bellicis, quinquaginta millia venerunt in auxilium, non in corde duplici.

34. Et de Nephthali principes mille: & cum eis instructi clypeo & hasta, triginta & septem millia.

35. De Dan etiam præparati ad prælium, viginti octo millia sexcenti.

36. Et de Aser egredientes ad pugnam, & in acie provocantes, quadraginta millia.

37. Trans Jordanem autem de filiis Ruben, & de Gad, & dimidia parte tribus Manasse instructi armis bellicis, centum viginti millia.

38. Omnes isti viri bellatores expediti ad pugnandum, corde perfecto venerunt in Hebron, ut constituerent regem David super universum Israel: sed & omnes reliqui ex Israel, uno corde erant, ut rex fieret David.

39. Fueruntque ibi apud David tribus diebus comedentes & bibentes: præparaverant enim eis fratres sui.

40. Sed

CAP. XII. 2. & 4. (*a*) De tribu Benjamin. *Fortissimus:* Qui triginta præerat, omnibus erat fortior.

8. (*b*) De tribu Gad. Vel quod tribus Gad vicina esset locis illis desertis, in quibus David latebat.

14. (*c*) Hebr. *Unus ad centum parvus, & magnus ad mille*; vel potius id per anticipationem dictum videtur: tum enim temporis sexcenti tantummodo milites erant cum David; sed cum is potitus est regno, tum qui hoc loco numerantur, 100 vel 1000. præfecti sunt militibus, pro eorum meritis & fortitudine. *Duces majores præerant* mille militibus, minores vero centum.

16. (*d*) In arcem quam Rex Moab dederat David, ut in ea tutus esset.

18. (*e*) Bona voluntas adjuvandi David, magno in eum zelo animatus.

20. (*f*) Non militum ex Hebr. & LXX seu singuli præfecti essent mille militibus, aut per millia intelligi oporteat oppida, ut Michææ 5. adeo ut singuli essent suorum oppidorum capita.

22. & 23. (*g*) Magnus: ut montes Dei. *Eruditi*, prudentes, ad cognoscendum quid faciendum esset: tempora noverant festis celebrandis constituta, quæ ex lunæ motibus magna ex parte pendebant.

40. Sed & qui juxta eos erant, usque ad Issachar, & Zabulon, & Nephthali, afferebant panes in asinis, & camelis, & mulis, & bobus, ad vescendum: farinam, palathas (*b*), uvam passam, vinum, oleum, boves, arietes ad omnem copiam: gaudium quippe erat in Israel.

CAPUT XIII.

De his quæ habentur Lib. 2. Reg. cap. 5.

1. INiit autem consilium David cum tribunis, & centurionibus, & universis principibus,

2. Et ait ad omnem cœtum Israel: Si placet vobis, & a Domino Deo nostro egreditur sermo, quem loquor: mittamus ad fratres nostros reliquos in universas regiones Israel, & ad Sacerdotes, & Levitas, qui habitant in suburbanis urbium, ut congregentur ad nos,

3. Et reducamus arcam Dei nostri ad nos: non enim requisivimus (*a*) eam in diebus Saul.

4. Et respondit universa multitudo ut ita fieret: placuerat enim sermo omni populo.

5. Congregavit ergo David cunctum Israel a Sihor Ægypti, usque dum ingrediaris Emath, * ut adduceret arcam Dei de Cariathjarim. *2. Reg. 6, 2.

6. Et ascendit David, & omnis vir Israel ad collem Cariathjarim, qui est in Juda: ut afferret inde arcam Domini Dei sedentis super Cherubim, ubi invocatum est nomen ejus.

7. Imposueruntque arcam Dei super plaustrum novum, de domo Abinadab: Oza autem, & frater ejus minabant plaustrum.

8. Porro David, & universus Israel, ludebant coram Deo omni virtute in canticis, & in citharis, & psalteriis, & tympanis, & cymbalis, & tubis.

9. Cum autem pervenissent ad aream Chidon (*b*), tetendit Oza manum suam, ut sustentaret arcam: bos quippe lasciviens paullulum inclinaverat eam.

10. Iratus est itaque Dominus contra Ozam, & percussit eum, eo quod tetigisset arcam: & mortuus est ibi coram domino.

11. Contristatusque est David, eo quod divisisset (*c*) Dominus Ozam: vocavitque locum illum: Divisio Ozæ, usque in præsentem diem.

12. Et timuit Deum tunc temporis, dicens: Quomodo possum ad me introducere arcam Dei?

13. Et ob hanc causam non adduxit eam ad se, hoc est, in civitatem David, sed avertit in domum Obededom Gethæi.

14. Mansit ergo arca Dei in domo Obededom tribus mensibus: & benedixit Dominus domui ejus, & omnibus quæ habebat.

CAPUT XIV.

De his quæ habentur Lib. 2. Reg. cap. 6.

1. MIsit quoque Hiram rex Tyri nuntios ad David, & ligna cedrina, & artifices parietum, lignorumque: ut ædificarent ei domum. 2. Reg. 5. 11.

2. Cognovitque David quod confirmasset (*a*) eum Dominus in regem super Israel, & sublevatum esset regnum suum super populum ejus Israel.

3. * Accepit quoque David alias uxores in Jerusalem: genuitque filios, & filias. *2. Reg. 5. 13.

4. Et hæc nomina eorum, qui nati sunt ei in Jerusalem: Samua, & Sobad, Nathan, & Salomon,

5. Jebahar, & Elisua, & Eliphalet,

6. Noga quoque, & Napheg, & Japhia,

7. Elisama, & Baaliada, & Eliphalet.

8. * Audientes autem Philisthiim eo quod unctus esset David in regem super universum Israel, ascenderunt omnes ut quærerent eum: quod cum audisset David, egressus est obviam eis. *2. Reg. 5. 17.

9. Porro Philisthiim venientes, diffusi sunt in Valle Raphaim.

10. Consuluitque David Dominum, dicens: Si ascendam ad Philisthæos, & si trades eos in manu mea? Et dixit ei Dominus: Ascende, & tradam eos in manu tua.

11. Cumque illi ascendissent in Baalpharasim (*b*), percussit eos ibi David, & dixit: Divisit Deus inimicos meos per manum meam, sicut dividuntur aquæ: & idcirco vocatum est nomen illius loci Baalpharasim.

12. Dereliqueruntque ibi deos suos, quos David jussit exuri.

13. Alia etiam vice Philisthiim irruerunt, & diffusi sunt in valle (*c*).

14. Consuluitque rursum David Deum, & dixit ei Deus: Non ascendas post eos, recede ab eis, & venies contra illos ex adverso pyrorum.

15. Cumque audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc egredieris ad bellum. Egressus est enim Deus ante te, ut percutiat castra Philisthiim.

16. Fecit ergo David sicut præceperat ei Deus, & percussit castra Philisthinorum, de Gabaon usque Gazera.

17. Divulgatumque est nomen David in universis regionibus, & Dominus dedit pavorem ejus super omnes gentes.

CA-

40. (*b*) Massas caricarum, seu ficus glomeratas.

CAP. XIII. 3. (*a*) Semper ea mansit in domo Abinadab, neque ut par erat, in honore illam habuimus.

9. (*b*) Lib. 2. Reg. 6. Nachon vocatur, quod forte esset binomius; hoc nomen abest in Græcis.

11. (*c*) Id est, peremisset: solius hominis mors est divisio animæ & corporis: brutorum enim mors est interitus animæ. Lib. 1. Reg. 15. Agag jussu Samuelis interficiendus dicebat: *Siccine separat amara mors?*

CAP. XIV. 2. (*a*) Ex muneribus a Rege Tyri profectis cognovit regnum suum stabile futurum, quod vicini reges eum colerent, & unanimi populorum consensu, ac Dei tutela firmaretur.

11. (*b*) Id est, *Idolum divisionis*, per anticipationem sic dictus est hic locus ob victoriam partam ex divisione hostium, qui non in una acie steterunt, sed in varias partes sunt divisi, & uno impetu dispersi.

13. 14. & 15. (*c*) *Raphaim*, seu Gigantum. *Recede*; Hebr. Circumda desuper eos, gyro facto involve eos: non ascendas post eos; sed contra eos adversa fronte. *Cacumine*; in ipso ingressu.

C A P U T XV.

De iis quæ acta sunt, cum arca reducta est e domo Abinadab.

1. Fecit quoque sibi domos in Civitate David: & ædificavit locum arcæ Dei, tetenditque ei tabernaculum (*a*).

2. Tunc dixit David: Illicitum est ut a quocumque portetur arca Dei nisi a Levitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, & ad ministrandum sibi usque in æternum.

3. Congregavitque universum Israel in Jerusalem, ut afferretur arca Dei in locum suum, quem præparaverat ei.

4. Necnon & filios Aaron, & Levitas.

5. De filiis Caath, Uriel princeps fuit; & fratres (*b*) ejus centum viginti.

6. De filiis Merari, Asaja princeps; & fratres ejus ducenti viginti.

7. De filiis Gersom, Joel princeps; & fratres ejus centum triginta.

8. De filiis Elisaphan, Semejas princeps; & fratres ejus ducenti.

9. De filiis Hebron, Eliel princeps; & fratres ejus octoginta.

10. De filiis Oziel, Aminadab princeps; & fratres ejus centum duodecim.

11. Vocavitque David Sadoc, & Abjathar Sacerdotes, & Levitas, Uriel, Asajam, Joel, Semejam, Eliel & Aminadab:

12. Et dixit ad eos: Vos qui estis principes familiarum Leviticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, & afferte arcam Domini Dei Israel ad locum, qui ei præparatus est:

13. * Ne ut a principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus, sic & nunc fiat, illicitum ( ) quid nobis agentibus. * Sup. 13. 10.

14. Sanctificati sunt ergo Sacerdotes, & Levitæ, ut portarent arcam Domini Dei Israel.

15. * Et tulerunt filii Levi arcam Dei, sicut præceperat Moyses juxta verbum Domini, humeris suis, in vectibus. * Num. 4. 15.

16. Dixitque David principibus Levitarum, ut constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nabliis videlicet, & lyris, & cymbalis, ut resonaret in excelsis sonitus lætitiæ.

17. Constitueruntque Levitas: Hemam filium Joel, & de fratribus ejus Asaph filium Barachiæ: de filiis vero Merari, fratribus eorum: Ethan filium Casajæ.

18. Et cum eis fratres eorum: in secundo ordine, Zachariam, & Ben, & Jaziel, & Semiramoth, & Jahiel, & Ani, Eliab, & Banajam, & Maasiam, & Mathathiam, & Eliphalu, & Maceniam, & Obededom, & Jehiel, Janitores.

19. Porro cantores, Heman, Asaph, & Ethan; in cymbalis æneis concrepantes.

20. Zacharias autem, & Oziel, & Semiramoth, & Jahiel, & Ani, & Eliab, & Maasias, & Banajas in nabliis (*d*) arcana cantabant.

21. Porro Mathathias, & Eliphalu, & Macenias, & Obededom, & Jehiel, & Ozaziu, in citharis pro octava canebant epinicion.

22. Chonenias autem princeps Levitarum, prophetiæ (*e*) præerat, ad præcinendam melodiam: erat quippe valde sapiens.

23. Et Barachias: & Elcana: janitores arcæ.

24. Porro Sebenias, & Josaphat, & Nathanael, & Amasai, & Zacharias, & Banajas, & Eliezer sacerdotes, clangebant tubis coram arca Dei: & Obededom, & Jehias erant janitores arcæ.

25. * Igitur David, & omnes majores natu Israel, & tribuni ierunt ad deportandam arcam fœderis Domini de domo Obededom cum lætitia. * 2. Reg. 6. 12.

26. Cumque adjuvisset Deus Levitas, qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri, & septem arietes.

27. Porro David erat indutus stola (*f*) byssina, & universi Levitæ, qui portabant arcam, cantoresque & Chonenias princeps prophetiæ inter cantores: David autem etiam indutus erat ephod lineo.

28. Universusque Israel deducebant arcam fœderis Domini in jubilo, & sonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, & nabliis, & citharis concrepantes.

29. Cumque pervenisset arca fœderis Domini usque ad Civitatem David, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem David saltantem atque ludentem (*g*), & despexit eum in corde suo.

C A P U T XVI.

Arca reposita in novo tabernaculo, quod extruxerat David, Psalmus nonagesimus quintus & centesimus quartus sunt decantati.

1. Attulerunt igitur arcam Dei, & constituerunt eam in medio tabernaculi (*a*), quod tetenderat ei David: & obtulerunt holocausta; & pacifica coram Deo. 2. Reg. 6. 17.

2. Cumque complesset David offerens holocausta, & pacifica, benedixit populo in nomine Domini.

3. Et divisit universis per singulos, a viro usque ad mulierem tortam panis, & partem assæ carnis bubalæ, & frixam oleo similam.

4. Con-

CAP. XV. 1. & 2. (*a*) Novum extruxit enim Mosaicum erat in Gabaon. *Illicitum est*: noluit Deus ut arca curru veheretur, sed ut Levitarum humeris portaretur, Numer. 4.

5. & 8. (*b*) Cognati eorum. *Elisaphan*, hic forte *Caath*: nam ejus filii mox nominantur; aut filius *Oziel* patruelis Aaron.

13. (*c*) Hebr. Quoniam non quæsivimus eam in judicio: non fecimus quod erat præceptum.

20. (*d*) Seu *Nablia*; Hebraice *Nebel*, נבל, onde Latinis factum *Nablum*, & Græc. νάβλαν νάβλαν, & νάβλας, instrumentum musicum: *Arcana cantabant*; Hebr. legitur *al alamoth*, על־עלמות, quod vertunt *pro occultis*, ut in titulo Psalm. 9. & 45. qui duo Psalmi huic solemnitati videntur accommodati, & in eam rem compositi. Sic Psalmus 6. & 11. *al-asseminit*, על־השמינית, id est, *pro octava*, inscribuntur; ac videtur fuisse instrumentum octocordium: in iis organis musicis canebant epinicium, seu carmen pro victoria; ubi agitur de cantu, aut sono, ac numerus absolutus ponitur, ut Psalm. 91. vers. 3. *Ad annuntiandum mane misericordiam tuam*; LXX. vertunt *In Psalterio dechacordo*.

22. (*e*) Dei laudibus; nam *prophetare* hoc loco non est futura prædicere, sed laudare Deum, alii pro onere usurpant: quæ portari oporteret præcipiebant.

27. (*f*) Ephod lineo. Hebr. pallio byssino; veste ex lino candidissimo & subtilissimo.

29. (*g*) Vox Hebræa *Mesachec*, משחק, *lætantem* significat.

CAP. XVI. 1. (*a*) Jam diximus Mosaicum fuisse in Gabaon; novum extruxit David coram arca.

4. Constituitque coram arca Domini de Levitis, qui ministrarent, & recordarentur operum ejus, & glorificarent, atque laudarent Dominum Deum Israel:

5. Asaph principem: & secundum ejus Zachariam: Porro Jahiel, & Semiramoth, & Jehiel, & Mathathiam, & Eliab, & Banajam, & Obededom: Jehiel super organa psalterii, & lyras: Asaph autem ut cymbalis personaret;

6. Banajam vero, & Jaziel sacerdotes, canere tuba jugiter coram arca fœderis Domini.

7. In illo die fecit David principem ad confitendum Domino Asaph, & fratres ejus.

* Ps. 104. 1. Isa. 12. 4. 8. * Confitemini Domino, & invocate nomen ejus: notas facite in populis adinventiones ejus.

9. Cantate ei, & psallite ei: & narrate omnia mirabilia ejus.

10. Laudate nomen sanctum ejus: lætetur cor quærentium Dominum.

11. Quærite Dominum, & virtutem (*b*) ejus: quærite faciem ejus semper.

12. Recordamini mirabilium ejus, quæ fecit: signorum illius, & judiciorum oris ejus.

13. Semen Israel servi ejus: filii Jacob electi ejus.

14. Ipse Dominus Deus noster: in universa terra judicia ejus.

15. Recordamini in sempiternum pacti ejus: sermonis quem præcepit in mille generationes.

16. Quem pepigit cum Abraham: & juramenti illius cum Isaac.

17. Et constituit illud Jacob (*c*) in præceptum: & Israel in pactum sempiternum.

18. Dicens: Tibi dabo Terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ.

19. Cum essent pauci numero, parvi & coloni ejus.

20. Et transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.

21. Non dimisit quemquam calumniari eos, sed increpavit pro eis reges.

* Ps. 104. 5. 22. * Nolite tangere christos meos: & in prophetis meis nolite malignari (*d*).

* Ps. 95. 1. 23. * Cantate Domino omnis terra: annuntiate ex die in diem salutare ejus.

24. Narrate in gentibus gloriam ejus: in cunctis populis mirabilia ejus.

25. Quia magnus Dominus, & laudabilis nimis: & horribilis super omnes deos.

26. Omnes enim dii populorum, idola: Dominus autem cælos fecit.

27. Confessio & magnificentia coram eo: fortitudo & gaudium in loco ejus.

28. Afferte Domino familiæ populorum: afferte Domino gloriam & imperium.

29. Date Domino gloriam nomini ejus, levate sacrificium, & venite in conspectu ejus: & adorate Dominum in decore sancto.

30. Commoveatur a facie ejus omnis terra: Ipse enim fundavit orbem immobilem.

31. Lætentur cæli, & exultet terra: & dicant in nationibus, Dominus regnavit.

32. Tonet mare, & plenitudo ejus: exultent agri, & omnia quæ in eis sunt.

33. Tunc laudabunt ligna saltus coram Domino: quia venit judicare terram.

34. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia ejus.

35. Et dicite: Salva nos Deus salvator noster; & congrega nos, & erue de gentibus (*e*), ut confiteamur nomini sancto tuo, & exultemus in carminibus tuis.

36. Benedictus Dominus Deus Israel ab æterno usque in æternum: & dicat omnis populus: Amen, & hymnum Domino.

37. Reliquit itaque ibi coram arca fœderis Domini Asaph & fratres ejus, ut ministrarent in conspectu arcæ jugiter per singulos dies, & vices suas.

38. Porro Obededom, & fratres ejus sexaginta octo; & Obededom filium Idithun, & Hosa constituit janitores.

39. Sadoc autem sacerdotem, & fratres ejus sacerdotes, coram tabernaculo Domini in excelso, quod erat in Gabaon,

40. Ut offerrent holocausta Domino super altare holocaustomatis jugiter, mane & vespere, juxta omnia quæ scripta sunt in lege Domini, quam præcepit Israeli.

41. Et post eum (*f*) Heman, & Idithun, & reliquos electos, unumquemque vocabulo suo ad confitendum Domino: Quoniam in æternum misericordia ejus.

42. Heman quoque & Idithun canentes tuba, & quatientes cymbala, & omnia musicorum organa, ad canendum Deo: filios autem Idithun fecit esse portarios.

43. Reversusque est omnis populus in domum suam: & David, ut benediceret (*g*) etiam Domui suæ.

CAPUT XVII.

Quæ scripta sunt Lib. 2. Regum cap. 7. hoc capite repetuntur.

1. CUm autem habitaret David in domo sua, dixit ad Nathan prophetam: Ecce ego habito in domo cedrina: arca autem fœderis Domini sub pellibus est. 2. Reg. 6. 17.

2. Et ait Nathan ad David: Omnia quæ in corde tuo sunt, fac: Deus enim tecum est.

3. Igitur nocte illa factus est sermo Dei ad Nathan, dicens:

4. Vade, & loquere David servo meo: Hæc dicit Dominus: Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum.

5. Neque enim mansi in domo, ex eo tempore, quo eduxi Israel, usque ad diem hanc: sed fui semper mutans loca tabernaculi, & in tentorio

6. Ma-

11. (*b*) Arcam in qua tot mirabilia est operatus: *Quærite faciem ejus*; arca sic vocatur, ubi Deus habitare videbatur.

17. (*c*) Jacob est Israel in dativo casu. Reliqua fere ad Psalmum 104. suo loco exposita pertineat. *Cum essent pauci numero*; ubi in Ægyptum profecti sunt.

22. 27. & 29. (*d*) Affligere Prophetas meos. *Confessio*; argumentum est confessionis & laudis. *Sancto*; Hebr. in decore sanctitatis.

35. & 37. (*e*) Hæc prophetice sunt dicta; eaque ad Christi adventum referuntur: nondum enim populi erant in gentes dispersi, nisi forte, ut nonnullis videtur, Esdras hanc orationem adjecerit, quod pars populi maxima e captivitate esset adducta; cum hæc recognosceret: *Et exultemus in carminibus tuis*, a Spiritu Sancto dictatis. *Fratres*; ejusdem familiæ.

41. (*f*) Post Sadoc: *Heman & Idithun*, qui musicæ præerant.

43. (*g*) Convivium celebravit, ut cum familia sua lætaretur.

Aa 4

6. Manens cum omni Israel. Numquid locutus sum saltem uni judicum Israel, quibus præceperam, ut pascerent populum meum, & dixi: Quare non ædificastis mihi domum cedrinam?

7. Nunc itaque sic loqueris ad servum meum David: Hæc dicit Dominus exercituum: Ego tuli te, cum in pascuis sequereris gregem, ut esses dux populi mei Israel.

8. Et fui tecum quocumque perrexisti: & interfeci omnes inimicos tuos coram te, fecique tibi nomen quasi unius magnorum, qui celebrantur in terra.

9. Et dedi locum populo meo Israel: plantabitur (*a*), & habitabit in eo, & ultra non commovebitur: nec filii iniquitatis atterent eos, sicut a principio,

10. Ex diebus quibus dedi judices populo meo Israel, & humiliavi universos inimicos tuos. Annuntio ergo tibi, quod ædificaturus sit tibi Dominus domum.

11. Cumque impleveris dies tuos ut vadas ad patres tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filiis tuis: & stabiliam regnum ejus.

12. Ipse ædificabit mihi domum, & firmabo (*b*) solium ejus usque in æternum.

13. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: & misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo, qui ante te fuit.

14. Et statuam eum in domo mea, & in regno meo usque in sempiternum: & thronus ejus erit firmissimus in perpetuum.

15. Juxta omnia verba hæc, & juxta universam visionem istam, sic locutus est Nathan ad David.

16. Cumque venisset rex David, & sedisset coram (*c*) Domino, dixit: Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, ut præstares mihi talia?

17. Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo, ideoque locutus es super domum servi tui etiam in futurum: & fecisti me spectabilem super omnes homines, Domine Deus.

18. Quid ultra addere potest David, cum ita glorificaveris servum tuum, & cognoveris eum?

19. Domine propter famulum tuum juxta cor tuum fecisti omnem magnificentiam hanc, & nota esse voluisti universa magnalia.

20. Domine, non est similis tui: & non est alius Deus absque te, ex omnibus quos audivimus auribus nostris.

21. Quis enim est alius, ut populus tuus Israel, gens una in terra, ad quam perrexit Deus, ut liberaret, & faceret populum sibi, & magnitudine sua atque terroribus ejiceret nationes a facie ejus, quem de Ægypto liberarat?

22. Et posuisti populum tuum Israel tibi in populum usque in æternum, & tu Domine factus es Deus ejus.

23. Nunc igitur Domine, sermo, quem locutus es famulo tuo, & super domum ejus, confirmetur in perpetuum, & fac sicut locutus es.

24. Permaneatque & magnificetur nomen tuum usque in sempiternum: & dicatur: Dominus exercituum Deus Israel, & domus David servi ejus permanens coram eo.

25. Tu enim Domine Deus meus revelasti (*d*) auriculam servi tui, ut ædificares ei domum: & idcirco invenit servus tuus fiduciam, ut oret coram te.

26. Nunc ergo Domine, tu es Deus: & locutus es ad servum tuum tanta beneficia.

27. Et cœpisti benedicere domui servi tui, ut sit semper coram te, te enim Domine benedicente, benedicta erit in perpetuum.

CAPUT XVIII.

Hoc caput pene totum cap. 8. Lib. 2. Reg. continetur: Victoria David de Philisthæis, Moabitis & Syris reportata memorantur.

1. Factum est autem post hæc, ut percuteret David Philisthiim, & humiliaret eos, & tolleret Geth, & filias ejus, de manu Philisthiim, 2. Reg. 8. 1

2. Percusseritque Moab, & fierent Moabitæ servi David, offerentes ei munera (*a*).

3. Eo tempore percussit David etiam Adarezer regem Soba regionis Hemath, quando perrexit ut dilataret imperium suum usque ad flumen Euphraten.

4. Cepit ergo David mille quadrigas ejus, & septem millia equitum, ac viginti millia virorum peditum, subnervavitque (*b*) omnes equos curruum, exceptis centum quadrigis, quas reservavit sibi.

5. Supervenit autem & Syrus Damascenus, ut auxilium præberet Adarezer regi Soba: sed & hujus percussit David viginti duo millia virorum.

6. Et posuit milites in Damasco, ut Syria quoque serviret sibi, & offerret munera. Adjuvitque eum Dominus in cunctis, ad quæ perrexerat.

7. Tulit quoque David pharetras aureas, quas habuerant servi Adarezer, & attulit eas in Jerusalem.

8. Necnon de Thebath & Chun, urbibus Adarezer æris plurimum, de quo fecit Salomon mare æneum, & columnas, & vasa ænea.

9. Quod cum audisset Thou rex Emath, percussisse videlicet David omnem exercitum Adarezer regis Soba,

10. Misit Adoram (*c*) filium suum ad regem David, ut postularet ab eo pacem, & congratularetur ei, quod percussisset & expugnasset Adarezer: adversarius quippe erat Thou Adarezer.

11. Sed

CAPUT XVII.

9. (*a*) Hebr. *Plantavi eum*, aut plantabo.

12. (*b*) Quod utique in Christo implendum fuit, ut quod sequitur: *Et statuam eum in domo mea, & in regno meo usque in sempiternum*; non regni temporalis, sed regni in genere perpetuitas Davidi promittitur: domus illa est Ecclesia a filio David ædificata.

16. (*c*) Hebr. *Ad faciem Domini*; ea est arca; quamquam vox *sedere* a Rabbinis pro *manere* sumitur, quod starent semper coram arca.

25. (*d*) Indicasti mihi: *Invenit servus tuus fiduciam*; plenus est spe.

CAPUT XVIII.

2. & 3. (*a*) Annuum tributum. *Hemath*, in Syria; *usque ad flumen Euphraten*; qui limites a Deo erant promissi Abrahæ. Genes. 15. & Josue 1. sed a Davide & Salomone possessi

4. (*b*) Quod forte essent sauciati & inutiles: aut etiam quia inter leges regni vetitum fuit, ne Rex multiplicaret sibi equos.

10. (*c*) Qui 2. Regum 8. 10. etiam *Joram* nominatur.

11. Sed & omnia vasa aurea, & argentea, & ænea consecravit (*d*) David rex Domino, cum argento & auro, quod tulerat ex universis gentibus, tam de Idumæa, & Moab, & filiis Ammon, quam de Philisthiim de Amalec.

12. Abisai vero filius Sarviæ percussit Edom in Valle Salinarum, decem & octo millia.

13. Et constituit (*e*) in Edom præsidium, ut serviret Idumæa David: salvavitque Dominus David in cunctis, ad quæ perrexerat.

14. Regnavit ergo David super universum Israel, & faciebat judicium atque justitiam cuncto populo suo.

15. Porro Joab filius Sarviæ erat super exercitum, & Josaphat filius Ahilud a commentariis.

16. Sadoc autem filius Achitob, & Ahimelec (*f*) filius Abiathar, sacerdotes: & Susa, scriba.

17. Banajas quoque filius Jojadæ super legiones Cerethi, & Phelethi: porro filii David, primi (*g*) ad manum regis.

CAPUT XIX.

Idem est fere argumentum, quod Lib. 2. Regum capitis 10.

2. Reg. 10. 1. 1. Accidit autem ut moreretur Naas rex filiorum Ammon, & regnaret filius ejus pro eo.

2. Dixitque David: Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas: præstitit enim mihi pater ejus gratiam. Misitque David nuntios ad consolandum eum super morte patris sui. Qui cum pervenissent in terram filiorum Ammon, ut consolarentur Hanon,

3. Dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon: Tu forsitan putas, quod David honoris causa in patrem tuum miserit qui consolentur te: nec animadvertis quod ut explorent, & investigent, & scrutentur terram tuam, venerint ad te servi ejus.

4. Igitur Hanon pueros David decalvavit, & rasit, & præcidit tunicas eorum a natibus usque ad pedes, & dimisit eos.

5. Qui cum abiissent, & hoc mandassent David, misit in occursum eorum (grandem enim contumeliam sustinuerant) & præcepit ut manerent in Jericho, donec cresceret barba eorum, & tunc reverterentur.

6. Videntes autem filii Ammon, quod injuriam fecissent David, tam Hanon, quam reliquus populus, miserunt mille talenta argenti, ut conducerent sibi de Mesopotamia, & de Syria Maacha, & de Soba, currus & equites.

7. Conduxeruntque (*a*) triginta duo millia curruum, & regem Maacha cum populo ejus. Qui cum venissent, castrametati sunt e regione Medaba. Filii quoque Ammon congregati de urbibus suis, venerunt ad bellum.

8. Quod cum audisset David, misit Joab, & omnem exercitum virorum fortium:

9. Egressique filii Ammon, direxerunt aciem juxta portam civitatis: reges autem, qui ad auxilium ejus venerant, separatim in agro steterunt.

10. Igitur Joab intelligens bellum ex adverso, & post tergum contra se fieri, elegit viros fortissimos de universo Israel, & perrexit contra Syrum.

11. Reliquam autem partem populi dedit sub manu Abisai fratris sui; & perrexerunt (*b*) contra filios Ammon.

12. Dixitque: Si vicerit me Syrus, auxilio eris mihi: si autem superaverint te filii Ammon, ero tibi in præsidium.

13. Confortare, & agamus viriliter pro populo nostro, & pro urbibus Dei nostri: Dominus autem, quod in conspectu suo bonum est, faciet.

14. Perrexit ergo Joab, & populus qui cum eo erat, contra Syrum ad prælium: & fugavit eos.

15. Porro filii Ammon videntes quod fugisset Syrus, ipsi quoque fugerunt Abisai fratrem ejus, & ingressi sunt civitatem: reversusque est etiam Joab in Jerusalem.

16. Videns autem Syrus quod cecidisset coram Israel, misit nuntios, & adduxit Syrum, qui erat trans fluvium: Sophach autem princeps militiæ Adarezer, erat dux eorum.

17. Quod cum nuntiatum esset David, congregavit universum Israel, & transivit Jordanem, irruitque in eos, & direxit ex adverso aciem, illis contra pugnantibus.

18. Fugit autem Syrus Israel: & interfecit David de Syris septem millia (*c*) curruum, & quadraginta millia peditum, & Sophach exercitus principem.

19. Videntes autem servi Adarezer se ab Israel esse superatos, transfugerunt ad David, & servierunt ei: noluitque ultra Syria auxilium præbere filiis Ammon.

CAPUT XX.

Bella a David contra Ammonitas & Philisthæos gesta, quæ Lib. 2. Regum cap. 10. & 11. memorata referuntur cum novis circumstantiis.

1. Factum est autem post anni circulum, eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, congregavit Joab exercitum & robur militiæ, & vastavit terram filiorum Ammon; perrexitque & obsedit Rabba: porro David manebat in Jerusalem, quando Joab percussit Rabba, & destruxit eam. 1. Reg. 10. 7. & 11. 1.

2. Tulit

11. (*d*) In quo magna Davidis pietas elucescit, cui cum ædificare templum non liceret, materiam præparavit, & ad ejus factum hæc spolia hostium destinavit.

13. (*e*) Sic impleta est prophetia Genes. 25. 23. *Major serviet minori.*

16. (*f*) In Hebræo & Græco legitur *Achimelech*, hic *Susa scriba*, & idem videtur esse qui Lib. 2. Reg. cap. 8. vers. 17. *Sarajas* quoque appellatur.

17. (*g*) Primi dignitate, & ad omnia Regis jussa parati.

CAP XIX. 7. (*a*) Multo minor numerus ponitur 2. Reg. 10. vers. 6. ibi electi tantum, hic omnes numerantur; peditatus etiam hic forte additur: modo totus numerus, modo præcipuus tantum ponitur.

11. & 15. (*b*) Abisai in primis. Civitatem. vel Rabba, vel Medaba.

18. (*c*) 2. Reg. apud LXX. Interpretes legimus septingentos, vel septem millia hominum, qui erant in curribus, decem homines in singulis: *Et quadraginta millia peditum*, 2. Regum 10. 18. Idem numerus erat equorum, qui potuit æquari numero peditum.

2. Tulit autem David coronam Melchom (*a*) de capite ejus, & invenit in ea auri pondo talentum, & pretiosissimas gemmas, fecitque sibi inde diadema: manubias quoque urbis plurimas tulit:

3. Populum autem, qui erat in ea, eduxit: & fecit super eos tribulas (*b*), & trahas, & ferrata carpenta transire, ita ut dissecarentur, & contererentur: sic fecit David cunctis urbibus filiorum Ammon: & reversus est cum omni populo suo in Jerusalem.

* 2. Reg. 21. 18. 4. * Post hæc initum est bellum in Gazer adversum Philisthæos: in quo percussit Sobochai Husathites, Saphai de genere Raphaim, & humiliavit eos.

5. Aliud quoque bellum gestum est adversus Philisthæos, in quo percussit Adeodatus filius Saltus Bethlehemites (*c*) fratrem Goliath Gethæi, cujus hastæ lignum erat quasi liciatorium texentium.

6. Sed & aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longissimus, senos habens digitos, id est, simul viginti quatuor: qui & ipse de Rapha fuerat stirpe generatus.

7. Hic blasphemavit Israel: & percussit eum Jonathan filius Samaa fratris David. Hi sunt filii Rapha in Geth, qui ceciderunt in manu (*d*) David & servorum ejus.

CAPUT XXI.

Hoc caput totum continetur cap. 24. Lib. 2. Reg.

2. Reg. 24. 1. Infr. 27. 24. 1. Consurrexit (*a*) autem Satan contra Israel: & concitavit David ut numeraret Israel.

2. Dixitque David ad Joab, & ad principes populi: Ite, & numerate Israel a Bersabee usque Dan: & afferte mihi numerum ut sciam.

3. Respondit que Joab: Augeat Dominus populum suum centuplum, quam sunt: nonne domine mi rex, omnes servi tui sunt? quare hoc quærit dominus meus, quod in peccatum (*b*) reputetur Israeli?

4. Sed sermo regis magis prævaluit: egressusque est Joab, & circuivit universum Israel; & reversus est Jerusalem:

5. Deditque Davidi numerum eorum, quos circuierat: & inventus est omnis numerus Israel, mille millia & centum millia virorum educentium gladium: de Juda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum.

6. Nam Levi, & Benjamin non numeravit (*c*): eo quod Joab invitus exequeretur regis imperium.

7. Displicuit autem Deo quod jussum erat, & percussit Israel.

8. Dixitque David ad Deum: Peccavi nimis ut hoc facerem: obsecro aufer iniquitatem servi tui, quia insipienter egi.

9. Et locutus est Dominus ad Gad Videntem Davidis, dicens:

10. Vade, & loquere ad David, & dic ei: Hæc dicit Dominus: Trium tibi optionem do; unum quod volueris, elige, & faciam tibi.

11. Cumque venisset Gad ad David, dixit ei: Hæc dicit Dominus: Elige quod volueris:

12. Aut tribus annis (*d*) famem: aut tribus mensibus te fugere hostes tuos, & gladium eorum non posse evadere: aut tribus diebus gladium Domini, & pestilentiam versari in terra, & Angelum Domini interficere in universis finibus Israel: nunc igitur vide quid respondeam ei, qui misit me.

13. Et dixit David ad Gad: Ex omni parte me angustiæ premunt: sed melius mihi est, ut incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes ejus, quam in manus hominum.

14. Misit ergo Dominus pestilentiam in Israel: & ceciderunt de Israel septuaginta millia virorum.

15. Misit quoque Angelum in Jerusalem, ut percuteret eam: cumque percuteretur, vidit Dominus, & misertus est super magnitudine mali: & imperavit Angelo, qui percutiebat: Sufficit, jam cesset manus tua. Porro Angelus Domini stabat juxta aream Ornam Jebusæi.

16. Levansque David oculos suos, vidit Angelum Domini stantem inter cælum & terram, & evaginatum gladium in manu ejus, & versum contra Jerusalem: & ceciderunt tam ipse, quam majores natu vestiti ciliciis, proni in terram.

17. Dixitque David ad Deum: Nonne ego sum, qui jussi ut numeraretur populus? Ego, qui peccavi: ego, qui malum feci: iste grex quid commeruit? Domine Deus meus, vertatur, obsecro, manus tua in me, & in domum patris mei: populus autem tuus non percutiatur.

18. Angelus autem Domini præcepit Gad, ut diceret Davidi ut ascenderet, exstrueretque (*e*) altare Domino Deo in area Ornan Jebusæi.

19. Ascendit ergo David juxta sermonem Gad, quem locutus ei fuerat ex nomine Domini.

20. Por-

CAP. XX. 2. (*a*) Hebræa vox ambigua est: nam ad Idolum Ammonitarum, & ad eorum Regem referri potest: de Rege intellexerunt LXX Græci Interpretes; de idolo intelligendum putat Hieronymus hoc loco. Legitur in hodierno codice Hebræo *Melcam* מלכם, quæ vox Hebræa cum *Regem eorum* significet, occasio fuit variæ interpretationis. Sed cum ejus pondus talenti esset, vix capiti imponi potuisset, nisi in conopeo regio, vel in throno suspensa capiti immineret. *Fecitque sibi inde diadema*: in aliam formam auro redacto. *Manubias quoque urbis tulit*: prædam videlicet.

3. (*b*) Quibus seges ex teruntur in area. Quosdam scilicet ex ea gente, cosque noxios magis ita afflixit.

5. (*c*) Filius David nimirum: *Fratrem Goliath Gethæi interfecit*. 2. Reg. 21 vox illa, *fratrem*, deesta hic suppletur.

7. (*d*) Per manum David, *& servorum ejus*; id enim Regi tribuitur, quod per milites suos facit.

CAP. XXI. 1. (*a*) Sept. Interp. ἀνέστη διάβολος ἐν τῷ Ἰσραήλ, *Stetit diabolus contra Israel*. Hic locus cum loco 2. Reg. cap. 24. conciliari facile potest; nam Deus iratus populo, aut homini, & eum deserens, permittit ut a dæmone tentetur, & in peccatum incidat: unde Lib. 2. Reg. *Et addidit furor Domini contra Israel, commovitque David*; non opposuit potentiam suam Deus malitiæ Satanæ.

3. & 5. (*b*) In perniciem Israel. *Millia*: 2. Reg. 24 800000. eorum scilicet qui erant fortiores; de Juda autem 470000 in Lib. 2. Regum numerus rotundus ponitur 500000.

6. (*c*) Unde ii pestilentia non sunt percussi: tribus Levi erat Deo consecrata: tribus Benjamin ad paucos erat redacta, unde Joab utriusque censum facile prætermisit.

12. (*d*) Lib. 2. Regum 24 13 legimus *septem annis*, adeoque putandus videtur error in numerum irrepsisse; nam LXX Interpretes ibi posuerunt *tres annos*, & ubique punitio numero ternario continetur; alii quatuor annos famis, ob Gabaonitas in septem annis comprehendi putant.

18. (*e*) Hinc liquet a viris sanctis erecta altaria jussu Dei.

20. Porro Ornan cum suspexisset, & vidisset Angelum, quatuorque filii ejus cum eo, absconderunt se: nam eo tempore terebat in area triticum.

21. Igitur cum veniret David ad Ornan, conspexit eum Ornan, & processit ei obviam de area, & adoravit eum pronus in terram.

22. Dixitque ei David: Da mihi locum areæ tuæ, ut ædificem in ea altare Domino: ita ut quantum valet argenti accipias, & cesset plaga a populo.

23. Dixit autem Ornan ad David: Tolle, & faciat dominus meus rex quodcumque ei placet: sed & boves do in holocaustum, & tribulas in ligna, & triticum in sacrificium: Omnia libens præbebo.

24. Dixitque ei rex David: Nequaquam ita fiet, sed argentum dabo quantum valet: neque enim tibi auferre debeo, & sic offerre Domino holocausta gratuita (f).

25. Dedit ergo David Ornan pro loco siclos auri justissimi ponderis sexcentos.

* 2. Par. 3. 1. 26. * Et ædificavit ibi altare Domino: obtulitque holocausta, & pacifica, & invocavit Dominum, & exaudivit eum in igne de cælo super altare holocausti.

27. Præcepitque Dominus Angelo: & convertit gladium suum in vaginam.

28. Protinus ergo David, videns quod exaudisset eum Dominus in area Ornan Jebusæi, immolavit ibi victimas.

* Exod. 36. 2. 29. Tabernaculum (g) autem Domini, * quod fecerat Moyses in deserto, & altare holocaustorum, ea tempestate erat in excelso Gabaon.

30. Et non prævaluit David ire ad altare, ut ibi obsecraret Deum: nimio enim fuerat in timore perterritus, videns gladium Angeli Domini.

CAPUT XXII.

David parat ea quæ necessaria erant ædificationi templi, quod Salomoni præcepit extruendum.

* 2. Par. 3. 1. 1. DIxitque David: Hæc est domus (a) Dei, & hoc * altare in holocaustum Israel.

2. Et præcepit ut congregarentur omnes proselyti de terra Israel, & constituit ex eis latomos ad cædendos lapides & poliendos, ut ædificaretur domus Dei.

3. Ferrum quoque plurimum ad clavos januarum, & ad commissuras atque juncturas præparavit David: & æris pondus innumerabile.

4. Ligna quoque cedrina non poterant æstimari, quæ Sidonii & Tyrii deportaverant ad David.

5. Et dixit David: Salomon filius meus puer parvulus est & delicatus; domus autem, quam ædificari volo Domino, talis esse debet ut in cunctis regionibus nominetur: præparabo ergo ei necessaria. Et ob hanc causam ante mortem suam omnes præparavit impensas.

6. Vocavitque Salomonem filium suum: & præcepit ei ut ædificaret domum Domino Deo Israel.

7. Dixitque David ad Salomonem: Fili mi, voluntatis meæ fuit ut ædificarem domum nomini Domini Dei mei,

8. Sed factus est sermo Domini ad me, dicens: Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram (b) me:

9. Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus: faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum: & ob hanc causam Pacificus vocabitur: & pacem & otium dabo in Israel cunctis diebus ejus.

10. * Ipse ædificabit domum nomini meo, & * ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem: firmaboque solium regni ejus super Israel in æternum. * 2. Reg. 7. 13. 3. Reg. 5. 5. * 2. Reg. 7. 14. Heb. 1. 5.

11. Nunc ergo fili mi, sit Dominus tecum, & prosperare, & ædifica domum Domino Deo tuo, sicut locutus est de te.

12. Det quoque tibi Dominus prudentiam & sensum, ut regere possis Israel, & custodire legem Domini Dei tui.

13. Tunc enim proficere poteris, si custodieris mandata & judicia, quæ præcepit Dominus Moysi ut doceret Israel: confortare & viriliter age, ne timeas, neque paveas.

14. Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas domus domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum (c): æris vero & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine: ligna & lapides præparavi ad universa impendia.

15. Habes quoque plurimos artifices, latomos, & cæmentarios, artificesque lignorum, & omnium artium ad faciendum opus prudentissimos,

16. In auro & argento & ære & ferro, cujus non est numerus. Surge igitur, & fac, & erit Dominus tecum.

17. Præcepit quoque David cunctis principibus Israel, ut adjuvarent Salomonem filium suum.

18. Cernitis, inquiens, quod Dominus Deus vester vobiscum sit, & dederit vobis requiem per circuitum, & tradiderit omnes inimicos vestros in manus vestras, & subjecta sit terra coram Domino, & coram populo ejus.

19. Præ-

24. & 25. (f) Hebr. *gratis:* seu de alieno. *Sexcentos*. Lib. 2. Reg. agitur de prima acquisitione areæ altaris, quam auri siclis 50. emisse dicitur: sed totius templi area 600. siclis aureis hoc loco emitur. altare illud in monte Moria extructum aram crucis exprimit, ubi victima reconciliationis nostræ oblata est.

29. (g) Procul erat in Gabaon, ubi necessitatem construendi templi Jerosolymis insinuat.

CAPUT XXII. 1. (a) Hic ædificari debet domus Dei, ubi Isaac in figura se obtulit, ubi Deus inhibuit ultricem manum, intellexit David hunc esse locum a Deo electum, atque ibi extruendum esse templum.

8. & 10. (b) Vox, *coram*, ancet significationem. *Filium*: Ista in Christum magis quam in Salomonem conveniunt. Hinc August. Lib. 17. de Civit. c. 8. & 9. Deum permisisse, ait, ut Salomon tam turpiter deficeret ad idola, ut intelligeretur has promissiones in eo non fore perfecte complendas, sed in Christo per ipsum figurato: & eodem in loco: *Attendat ergo & aspiciat Salomonis domum, petiam mulieribus alienigenis colentibus deos falsos, & ipsum ab eis Regem aliquando sapientem in eamdem idololatriam sedustum atque dejectum, & non audeat existimare Deum vel hoc promisisse mendaciter, vel talem Salomonem, domumque ejus futuram, non potuisse præscire.*

14. (c) Si hæc talenta Mosaicis essent paria, summa fidem excederet. Talentum esse tantum partem dimidiam talenti Mosaici, nonnulli interpretes volunt. Alii ut Mariana siclorum pondere esse opinantur, quatuor scilicet drachmarum: adeo ut unum milionem in structuram templi David reliquerit.

19. Præbete igitur corda vestra & animas vestras, ut quæratis Dominum Deum vestrum: & consurgite, & ædificate sanctuarium Domino Deo, ut introducatur arca fœderis Domini, & vasa Domino consecrata, in domum, quæ ædificatur nomini Domini.

CAPUT XXIII.

David Levitarum officia designat.

1. IGitur David senex (*a*) & plenus dierum, regem constituit Salomonem filium suum super Israel.

2. Et congregavit omnes principes Israel, & Sacerdotes atque Levitas.

3. Numeratique sunt Levitæ a triginta annis, & supra: & inventa sunt triginta octo millia virorum.

4. Ex his electi sunt, & distributi in ministerium domus Domini viginti quatuor millia: præpositorum autem & judicum (*b*) sex millia.

5. Porro quatuor millia janitores (*c*): & totidem psaltæ canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum.

* Sup. 6. 1. 6. * Et distribuit eos David per vices filiorum Levi, Gerson videlicet, & Caath, & Merari.

7. Filii Gerson: Leedan, & Semei.

8. Filii Leedan: princeps Jahiel, & Zethan, & Joel, tres.

9. Filii Semei: Salomith, & Hosiel, & Aran, tres: isti principes familiarum Leedan.

10. Porro filii Semei (*d*): Leheth, & Ziza, & Jaus, & Baria: isti filii Semei, quatuor.

11. Erat autem Leheth prior, Ziza secundus: porro Jaus & Baria non habuerunt plurimos filios, & idcirco in una familia, unaque domo computati sunt.

12. Filii Caath: Amram, & Isaar, Hebron, & Oziel, quatuor.

* Sup. 6. 3. * Hebr. 5. 4. 13. * Filii Amram: Aaron, & Moyses. * Separatusque est Aaron ut ministraret in Sancto sanctorum, ipse & filii ejus in sempiternum, & adoleret incensum Domino secundum ritum suum, ac benediceret nomini ejus in perpetuum.

14. Moysi quoque hominis Dei filii annumerati sunt in tribu Levi (*e*).

* Exod. 2. 22. & 18. 3. & 4. 15. Filii * Moysi: Gersom, & Eliezer.

16. Filii Gersom: Subuel primus.

17. Fuerunt autem filii Eliezer: Rohobia primus (*f*): & non erant Eliezer filii alii. Porro filii Rohobia multiplicati sunt nimis.

18. Filii Isaar: Salomith primus.

19. Filii Hebron: Jeriau primus, Amarias secundus, Jahaziel tertius, Jecmaam quartus.

20. Filii Oziel: Micha primus, Jesia secundus.

21. Filii Merari: Moholi, & Musi. Filii Moholi: Eleazar, & Cis.

22. Mortuus est autem Eleazar, & non habuit filios, sed filias: acceperuntque eas filii Cis fratres earum.

23. Filii Musi: Moholi, & Eder, & Jerimoth, tres.

24. Hi filii Levi in cognationibus, & familiis suis, principes per vices, & numerum capitum singulorum, qui faciebant opera ministerii domus Domini, a viginti (*g*) annis & supra.

25. Dixit enim David: Requiem dedit Dominus Deus Israel populo suo, & habitationem Jerusalem usque in æternum.

26. Nec erit officii Levitarum ut ultra portent tabernaculum, & omnia vasa ejus ad ministrandum.

27. Juxta præcepta quoque David novissima, supputabitur numerus filiorum Levi a viginti annis & supra.

28. Et erunt sub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in vestibulis, & in exedris, & in loco purificationis (*h*), & in sanctuario, & in universis operibus ministerii templi Domini.

29. Sacerdotes (*i*) autem, super panes propositionis, & ad similæ sacrificium, & ad lagana azyma, & sartaginem, & ad torrendum, & super omne pondus atque mensuram.

30. Levitæ (*k*) vero, ut stent mane ad confitendum, & canendum Domino: similiterque ad vesperam

31. Tam in oblatione holocaustorum Domini, quam in sabbatis & Calendis & solemnitatibus reliquis, juxta numerum, & cæremonias uniuscujusque rei, jugiter coram Domino.

32. Et custodiant observationes tabernaculi fœderis, & ritum sanctuarii, & observationem filiorum Aaron fratrum suorum, ut ministrent in domo Domini.

CA-

CAPUT XXIII.

1. (*a*) Anno ætatis suæ LXX. regni XL. anno uno & dimidio ineunte ante ejus mortem.

4. (*b*) Horum munus erat, Israelitarum caussas, quæ juxta legem finiebantur, judicare, ex Lib. 2. Paral. p. 19

5. (*c*) Qui portas atriorum per vices custodiebant.

10. (*d*) Filii Gerson, qui alius est a Semei vers. 9. quique erat filius Joel.

14. (*e*) Non in numero sacerdotum, licet Moses sacerdos esset Psalm. 98. *Moses & Aaron in sacerdotibus ejus*: nam extra ordinem factus est sacerdos ad ungendum Aaron & filium ejus in perpetuum.

17. & 22. (*f*) Unicus forte, vel princeps, aut caput suæ familiæ. *Fratres earum*, patrueles.

24. (*g*) Vers. 3. legimus *a 30 annis*, ac multi Latini codices legunt *a 20. annis*, vel forsan jussu Davidis bis numerati sunt Levitæ, primum a 30. annis: secundo a 20. quod nova ministeria fuerint excogitata; idque colligitur ex v. 29. deinde major erat eorum labor, cum tabernaculum & vasa portabantur; unde cavit testamento suo David, ut Levitæ a vigesimo anno aliqua obirent ministeria. Regum hoc erat, inquit Grotius, ex Concilio Synedrii declarare, quæ leges essent perpetuæ, quæ temporariæ.

28. (*h*) Sept. Interpr. *Et ad purificationem omnium sanctorum*: mundabunt omnia sancta, cum loca, tum vasa.

29. (*i*) Hebr. & LXX. hæc & sequentia Levitis tribuunt, non sacerdotibus: Levitæ mensuris & ponderibus, quæ servabantur in templo, præfecti erant, ne vitiarentur. Cum sæpe fiat mentio ponderum Sanctuarii, non propterea erant aliis majora: non enim duo erant ponderum genera, quæ confusionem attulissent: sed pondera & mensuræ in templo asservata, erant accurata, atque ad ea exigebantur alia cum pondera, tum mensuræ.

30. & 32. (*k*) Hæc desunt in Hebr. & LXX. *Observationes*: per observationes ritus intelligi possunt.

CAPUT XXIV.

Divisiones sacerdotum in 24. familias, quæ per hebdomadas ministerium suum ut Levitæ implebant, hoc capite describuntur; sexdecim ex filiis Eleazari, octo ex stirpe Ithamar, cujus posteri in Heli & ejus filiis usque ad Salomonem pontificatum obtinuerunt. In unaquaque familia unus erat princeps, ac proinde multi erant principes sacerdotum. Octavæ classis princeps fuit Abia, ex quo Zacharias pater Joannis Baptistæ fuit oriundus, Luca cap. 1.

1. PORRO filiis Aaron hæ partitiones erant: Filii Aaron: Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar.

* Lev. 10. 2. Num. 3. 4. 2. * Mortui sunt autem Nadab & Abiu ante patrem suum absque liberis: sacerdotioque functus est Eleazar, & Ithamar.

3. Et divisit eos David, id est, Sadoc de filiis Eleazari, & Ahimelech (a) de filiis Ithamar, secundum vices suas, & ministerium.

4. Inventique sunt multo plures filii Eleazar in principibus viris, quam filii Ithamar. Divisit autem eis, hoc est filiis Eleazar, principes per familias sexdecim: & filiis Ithamar per familias & domos suas octo.

5. Porro divisit utrasque inter se familias sortibus: erant enim principes sanctuarii, & principes (b) Dei, tam de filiis Eleazar, quam de filiis Ithamar.

6. Descripsitque eos Semejas filius Nathanael scriba Levites, coram rege & principibus, & Sadoc sacerdote, & Ahimelech (c) filio Abjathar, principibus quoque familiarum sacerdotalium & Leviticarum: unam domum, quæ cæteris præerat, Eleazar: & alteram domum, quæ sub se habebat ceteros, Ithamar.

7. Exivit autem sors prima Jojarib, secunda Jedei,

8. Tertia Harim, quarta Seorim,

9. Quinta Melchia, sexta Maiman,

10. Septima Accos, octava Abia,

11. Nona Jesua, decima Sechenia,

12. Undecima Eliasib, duodecima Jacim,

13. Tertiadecima Hoppha, decimaquarta Isbaab,

14. Decimaquinta Belga, decimasexta Emmer,

15. Decimaseptima Hesir, decimaoctava Aphses,

16. Decimanona Pheteja, vigesima Hezechiel,

17. Vigesimaprima Jachin, vigesimasecunda Gamul,

18. Vigesimatertia Dalaju, vigesimaquarta Maaziau.

19. Hæ vices eorum secundum ministeria sua, ut ingrediantur domum Domini, & juxta ritum suum sub manu (d) Aaron patris eorum: sicut præceperat Dominus Deus Israel.

20. Porro filiorum Levi, qui reliqui fuerant, de filiis Amram erat Subael, & de filiis Subael, Jehedeja.

21. De filiis quoque Rohobiæ princeps Jesias.

22. Isaari vero filius Salemoth, filiusque Salemoth Jahath:

23. Filiusque ejus Jeriau primus, Amarias secundus, Jahaziel tertius, Jecmaan quartus.

24. Filius Oziel, Micha: filius Micha, Samir.

25. Frater Micha, Jesia: filiusque Jesiæ, Zacharias.

26. Filii Merari: Moholi & Musi. Filius Oziau: Benno.

27. Filius quoque Merari: Oziau & Soam & Zachur & Hebri.

28. Porro Moholi filius: Eleazar, qui non habebat liberos,

29. Filius vero Cis, Jerameel.

30. Filii Musi: Moholi, Eder, & Jerimoth: isti filii Levi secundum domos familiarum suarum.

31. Miseruntque & ipsi sortes contra fratres suos filios Aaron, coram David rege, & Sadoc, & Ahimelech, & principibus familiarum Sacerdotalium, & Leviticarum, tam majores, quam minores: omnes sors æqualiter dividebat.

CAPUT XXV.

Ex filiis Asaph, Heman, & Idithun Cantoribus, 24. familiæ, ac vices sorte distribuuntur.

1. IGitur David, & magistratus (a) exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithun: qui prophetarent in citharis, & psalteriis, & cymbalis secundum numerum suum dedicato sibi officio servientes.

2. De filiis Asaph: Zacchur, & Joseph, & Nathania, & Asarela, filii Asaph: sub manu Asaph (b) prophetantis juxta regem.

3. Porro Idithun (c) filii: Idithun, Godolias, Sori, Jesejas, & Hasabias, & Mathathias, sex, sub manu patris sui Idithun, qui in cithara prophetabat super confitentes & laudantes Dominum.

4. Heman quoque: filii Heman, Bocciau, Mathaniau, Oziel, Subuel, & Jerimoth, Hananias, Hanani, Eliatha, Geddelthi, & Romemthiezer, & Jesbacassa, Mellothi, Othir, Mahazioth:

5. Omnes

CAPUT XXIV.

3. (a) Quis hic fuerit, dubitatur: an Abjathar ipse fuit binomius, an filius Abjathar?

5. (b) In his quæ ad Dei cultum spectant. Alii vertunt *principes Judicum*.

6. (c) An quod esset e posteris Ithamari, aut quod esset filius Abiathari, qui cæso patre a Saule fugit ad Davidem? *Unam domum, quæ ceteris præerat, Eleazari: Et alteram domum:* sacerdotes in duas domos erant divisi, in Eleazari domum, quæ præcipua erat, & in domum Ithamari.

19. (d) Loco Aaron. Sub inspectione summi sacerdotis, qui in locum Aaronis successerat.

CAPUT XXV.

1. (a) Principes politici & ecclesiastici: *Segregaverunt in ministerium*. David ut propheta, & divino aspirante Spiritu, filios *Asaph* e stirpe Gerson selegerat, *Heman* e stirpe Caath, & *Idithun*, cujus familia ignoratur. *Qui prophetarent in citharis*, qui modos adhiberent propheticis carminibus. Psaltæ, qui & Prophetæ communi vocabulo appellantur, quod laudes Dei & Prophetias canerent, & cultui divino vacarent, e Levitis electi in 24. classes itidem describuntur.

2. (b) Illi subdiuntur. *Juxta Regem cantantis*, juxta Regis imperium.

3. (c) Videtur sic ponenda punctatio. *Porro Idithun filii: Idithun, Godolias, &c.* adeo ut vox secunda Idithun non sit nomen patris repetitum, sed nomen filii primogeniti: alioqui tantum essent quinque, non sex filii.

5. Omnes isti filii Heman Videntis (*d*) regis in sermonibus Dei, ut exaltaret cornu: deditque Deus Heman filios quatuordecim, & filias tres.

6. Universi sub manu patris sui ad cantandum in templo Domini distributi erant, in cymbalis, & psalteriis, & citharis, in ministeria domus Domini juxta regem: Asaph videlicet, & Idithun, & Heman.

7. Fuit autem numerus eorum cum fratribus suis, qui erudiebant (*e*) canticum Domini, cuncti doctores, ducenti octoginta octo.

8. Miseruntque sortes per vices suas, ex æquo tam major quam minor, doctus pariter, & indoctus.

9. Egressaque est sors prima Joseph, qui erat de Asaph. Secunda Godoliæ, ipsi & filiis ejus, & fratribus ejus duodecim.

10. Tertia Zachur, filiis & fratribus ejus duodecim.

11. Quarta Isari, filiis & fratribus ejus duodecim.

12. Quinta Nathaniæ, filiis & fratribus ejus duodecim.

13. Sexta Bocciau, filiis & fratribus ejus duodecim.

14. Septima Isreela, filiis & fratribus ejus duodecim.

15. Octava Jesaiæ, filiis & fratribus ejus duodecim.

16. Nona Mathaniæ, filiis & fratribus ejus duodecim.

17. Decima Semejæ, filiis & fratribus ejus duodecim.

18. Undecima Azareel, filiis & fratribus ejus duodecim.

19. Duodecima Hasabiæ, filiis & fratribus ejus duodecim.

20. Tertiadecima Subael, filiis & fratribus ejus duodecim.

21. Quartadecima Mathathiæ, filiis & fratribus ejus duodecim.

22. Quintadecima Jerimoth, filiis & fratribus ejus duodecim.

23. Sextadecima Hananiæ, filiis & fratribus ejus duodecim.

24. Septimadecima Jesbacassæ, filiis & fratribus ejus duodecim.

25. Octavadecima Hanani, filiis & fratribus ejus duodecim.

26. Nonadecima Mellothi, filiis & fratribus ejus duodecim.

27. Vigesima Eliatha, filiis & fratribus ejus duodecim.

28. Vigesimaprima Othir, filiis & fratribus ejus duodecim.

29. Vigesimasecunda Geddelthi, filiis & fratribus ejus duodecim.

30. Vigesimatertia Mahazioth, filiis & fratribus ejus duodecim.

31. Vigesimaquarta Romemthiezer, filiis & fratribus ejus duodecim.

CAPUT XXVI.

Variæ Janitorum classes ex Levitis, iisque robustioribus, in custodiam thesaurorum templi distribuuntur.

1. Divisiones autem janitorum (*a*): de Coritis Meselemia, filius Core, de filiis Asaph.

2. Filii Meselemiæ: Zacharias primogenitus, Jadihel secundus, Zabadias tertius, Jathanael quartus,

3. Ælam quintus, Johanan sextus, Elioenai septimus.

4. Filii autem Obededom: Semejas primogenitus, Jozabad secundus, Joaha tertius, Sachar quartus, Nathanael quintus,

5. Ammiel sextus, Issachar septimus, Phollathi octavus: quia (*b*) benedixit illi Dominus.

6. Semei autem filio ejus nati sunt filii, præfecti familiarum suarum: erant enim viri fortissimi.

7. Filii ergo Semejæ: Othni, & Raphael, & Obed, Elzabad, fratres ejus viri fortissimi: Eliu quoque, & Samachias.

8. Omnes hi, de filiis Obededom: ipsi, & filii, & fratres eorum fortissimi ad ministrandum, sexagintaduo de Obededom.

9. Porro Meselemiæ filii, & fratres eorum robustissimi, decem & octo.

10. De Hosa (*c*) autem, id est, de filiis Merari: Semri princeps (non enim habuerat primogenitum, & idcirco posuerat eum pater ejus in principem)

11. Helcias secundus, Tabelias tertius, Zacharias quartus: omnes hi filii, & fratres Hosa, tredecim.

12. Hi divisi sunt janitores (*d*), ut semper principes custodiarum, sicut & fratres eorum, ministrarent in domo Domini.

13. Missæ sunt ergo sortes (*e*) ex æquo, & parvis, & magnis, per familias suas in unamquamque portarum.

14. Cecidit ergo sors Orientalis, Selemiæ. Porro Zachariæ filio ejus, viro prudentissimo, & erudito, sortito obtigit plaga Septentrionalis.

15. Obededom vero & filiis ejus ad Austrum: in qua parte domus erat seniorum concilium (*f*).

16. Se-

5. (*d*) Prophetæ Regis: per quem Rex consulebat Deum, aut cantor regius is erat: *Ut exaltaret cornu*, ad divinam potentiam celebrandam, quales sunt psalmi plurimi, vel ut musica instrumenta e cornu confecta tractaret.

7 & 8 (*e*) Erudiebat ceteros. *Doctus*: Hebr. *intelligens cum discipulo*: in sacerdotum sortes capita tantum mittebantur: in cantorum sortes ex singulis familiis; atque ex unaquaque familia duodecim viri selecti sunt, qui numer. 288. efficiebant. Quo ordine in templo canerent, sors decernebat. *Qui erat de Asaph*, cum filiis & fratribus, qui in singulis familiis 12. erant

CAPUT XXVI. 1. (*a*) Sept. Interpr. *In divisiones januarum*, εἰς διαιρέσεις τῶν πυλῶν.

5. & 8 (*b*) Quod arcam apud se recepisset. *Fortissimi*; præcipui inter ministros.

10. (*c*) Core sobolem recensuit, nunc ad filios Merari ex Hosa descendit. *Non enim habuerat primogenitum*; LXX. *ὅτι οὐκ ἦν πρωτότοκος*, quoniam non erat primogenitus: aut mortuus erat primogenitus, ac Semei prælatus est ex patris voluntate, cum non esset natu maximus: aut quod primogenitus debilior esset, quam ut portæ præficeretur.

12. (*d*) Non omnes qui sunt memorati ministrabant, sed tantum capita familiarum: *Ut semper principes familiarum, sicut & fratres eorum*. Hebr. *Lehummat achcem*, לְעֻמַּת אֲחֵיהֶם, *e regione fratrum*; per vices obibant munia, uti & fratres eorum.

13. (*e*) In familiis pauperum & divitum non enim parvi & magni vocantur in sortes, cum ministerium istarum sit tantummodo capitibus familiarum.

15. (*f*) Quod concilium, seu collectio seniorum, ipsum erat *Sanhedrin*, seu LXXII Judicum; ex cap. xi Numer. Hi quippe in eam domum solebant convenire. Ita videntur hæc verba disponenda: *In qua parte palatii, erat domus seniorum*.

16. Sephim (*g*) & Hosa ad Occidentem, juxta portam, quæ ducit ad viam ascensionis: custodia contra custodiam.

17. Ad Orientem vero Levitæ sex: & ad Aquilonem quatuor per diem: atque ad Meridiem similiter in die quatuor: & ubi erat concilium, bini & bini.

18. In cellulis (*h*) quoque janitorum ad Occidentem quatuor in via, binique per cellulas.

19. Hæ sunt divisiones janitorum, filiorum Core & Merari.

20. Porro Achias (*i*) erat super thesauros domus Dei, & vasa sanctorum.

21. Filii Ledan, filii Gersonni: de Ledan principes familiarum, Ledan, & Gersonni, Jehieli.

22. Filii Jehieli: Zathan, & Joel fratres ejus, super thesauros domus Domini,

23. Amramitis (*k*), & Isaaritis, & Hebronitis, & Ozihelitis.

24. Subael autem filius Gersom, filii Moysi, præpositus thesauris.

25. Fratres quoque ejus Eliezer, cujus filius Rahabia, & hujus filius Isaias, & hujus filius Joram, hujus quoque filius Zechri, & hujus filius Selemith.

26. Ipse Selemith, & fratres ejus super thesauros sanctorum, quæ sanctificavit David rex, & principes familiarum, & tribuni, & centuriones, & duces exercitus.

27. De bellis & manubiis præliorum, quæ consecrata erant ad instaurationem, & supellectilem templi Domini.

28. Hæc autem universa sanctificavit (*l*) Samuel Videns, & Saul filius Cis, & Abner filius Ner, & Joab filius Sarviæ: omnes, qui sanctificaverant ea per manum Selemith, & fratrum ejus.

29. Isaaritis (*m*) vero præerat Chonenias, & filii ejus, ad opera forinsecus super Israel, ad docendum & judicandum eos.

30. Porro de Hebronitis Hasabias, & fratres ejus viri fortissimi, mille septingenti præerant Israeli trans Jordanem contra Occidentem, in cunctis operibus Domini, & in ministerium regis.

31. Hebronitarum autem princeps fuit Jeria secundum familias & cognationes eorum. Quadragesimo anno regni David recensiti sunt, & inventi sunt viri fortissimi in Jazer Galaad,

32. Fratresque ejus robustioris ætatis, duo millia septingenti principes familiarum. Præposuit autem eos David rex Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manasse, in omne ministerium Dei, & regis.

CAPUT XXVII.

Principes militiæ regiæ recensentur; singuli per menses ad suum militare munus procedebant, & 24000. bellatorum, quibus Rex pro necessitate utebatur. Qua ratione militia gravis non erat, nec multum sumptuosa, nec impediebat rerum cujusque curam, cum facile esset per mensem domo abesse.

1. Filii autem Israel secundum numerum suum, principes familiarum, tribuni, & centuriones, & præfecti, qui ministrabant regi juxta turmas suas, ingredientes & egredientes per singulos menses in anno, viginti quatuor millibus singuli præerant.

2. Primæ turmæ in primo mense Jesboam præerat filius Zabdiel, & sub eo vigintiquatuor millia.

3. De filiis Phares, princeps cunctorum principum in exercitu mense primo.

4. Secundi mensis habebat turbam Dudia Ahohites, & post se alter nomine Macelloth, qui regebat partem exercitus vigintiquatuor millium.

5. Dux quoque turmæ tertiæ in mense tertio, erat Banajas filius Jojadæ sacerdos: & in divisione sua vigintiquatuor millia.

6. Ipse est Banajas fortissimus inter triginta, & super triginta: præerat autem turmæ ipsius Amizadab filius ejus.

7. Quartus, mense quarto, Asael frater Joab, & Zabadias filius ejus post eum: & in turma ejus vigintiquatuor millia.

8. Quintus, mense quinto, princeps Samaoth Jezerites: & in turma ejus vigintiquatuor millia.

9. Sextus, mense sexto, Hira filius Acces Thecuites: & in turma ejus vigintiquatuor millia.

10. Septimus, mense septimo, Helles Phallonites de filiis Ephraim: & in turma ejus vigintiquatuor millia.

11. Octavus, mense octavo, Sobochai Husathites de stirpe Zarahi: & in turma ejus vigintiquatuor millia.

12. Nonus, mense nono, Abiezer Anathothites de filiis Jemini: & in turma ejus vigintiquatuor millia.

13. Decimus, mense decimo, Marai, & ipse Netophathites de stirpe Zarai: & in turma ejus vigintiquatuor millia.

14. Undecimus, mense undecimo, Banajas Pharathonites de filiis Ephraim: & in turma ejus vigintiquatuor millia.

15. Duodecimus, mense duodecimo, Holdai Netophathites, de stirpe Gothoniel: & in turma ejus vigintiquatuor millia.

16. Porro tribubus præerant Israel, Rubenitis, dux Eliezer filius Zechri: Simeonitis, dux Saphatias filius Maacha:

17. Levi-

16. (*g*) Hebr. in dativo casu, supple, sors cecidit: *Juxta portam, quæ ducit ad viam ascensionis*; ea est acclivis via, ea qua non ex subjecta urbis parte ascendebatur in templum, ubi forte gemina erat custodia, nempe duobus in locis posita: *Custodia contra custodiam*; vel custodiæ per vices erant; vel potius geminata erat custodia una ex parte templi occidentali, altera ex parte illius domus, in quam conveniebant judices: aut demum custodia una erat in porta templi, altera in porta vestibuli.

18. (*h*) Hebr. In cellam instrumentorum, ad vestibuli ostium.

20. (*i*) Hebr. *Et Levitæ Achia*; hoc est, filii erant super thesauros, vel præpositus erat thesauris, quos templi extructioni destinaverat David.

23. (*k*) Scil. Amramitæ præfuerunt thesauris.

28. (*l*) Hi quippe suis quisque temporibus de præda hostium partem ad usum tabernaculi, aut templi ædificandi consecraverant.

29. (*m*) E Caath oriundis. *Ad docendum*, Hebr. In Apparitores & Judices: præerant omni in loco extra urbem.

17. Levitis, Hasabias filius Camuel: Aaronitis, Sadoc:

18. Juda, Eliu, frater David: Issachar, Amri filius Michael.

19. Zabulonitis, Jesmajas filius Abdiæ: Nephthalitibus, Jerimoth filius Ozriel:

20. Filiis Ephraim, Osee filius Ozaziu: dimidiæ tribui Manasse, Joel filius Phadajæ:

21. Et dimidiæ tribui Manasse in Galaad, Jaddo filius Zachariæ: Benjamin autem, Jasiel filius Abner.

22. Dan vero, Ezriel filius Jeroham: hi principes filiorum Israel.

23. Noluit (a) autem David numerare eos a viginti annis inferius, quia dixerat Dominus, ut multiplicaret Israel quasi stellas cæli.

* Sup. 21, 2. 24. * Joab filius Sarviæ cœperat numerare, nec complevit: quia super hoc ira irruerat in Israel: & idcirco numerus eorum, qui fuerant recensiti, non est relatus in fastos regis David.

25. Super thesauros autem regis fuit Azmoth filius Adiel. His autem thesauris, qui erant in urbibus, & in vicis, & in turribus, præsidebat Jonathan filius Oziæ.

26. Operi autem rustico, & agricolis, qui exercebant terram (b), præerat Ezri filius Chelub:

27. Vinearumque cultoribus, Semejas Romathithes: cellis autem vinariis, Zabdias Aphonites.

28. Nam super oliveta, & ficeta, quæ erant in campestribus, Balanan Gederites: super apothecas autem olei, Joas.

29. Porro armentis, quæ pascebantur in Saron, præpositus fuit Setrai Saronites: & super boves in vallibus Saphat filius Adli:

30. Super camelos vero, Ubil Ismahelites: & super asinos, Jadias Meronathites.

31. Super oves quoque Jaziz Agareus: omnes hi, principes substantiæ regis David.

32. Jonathan autem patruus David, consiliarius, vir prudens & litteratus (c): Ipse & Jahiel filius Hachamoni erant cum filiis regis.

33. Achitophel etiam consiliarius regis, & Chusai Arachites amicus regis.

34. Post Achitophel fuit Jojada filius Banajæ, & Abjathar. Princeps autem exercitus regis erat Joab.

CAPUT XXVIII.

David formam templi præscribit.

1. Convocavit igitur David omnes principes Israel, duces tribuum, & præpositos turmarum, qui ministrabant regi: tribunos quoque & centuriones, & qui præerant substantiæ & possessionibus regis, filiosque suos cum eunuchis, & potentes, & robustissimos quosque in exercitu Jerusalem.

2. Cumque surrexisset (a) rex, & stetisset, ait: Audite me fratres mei, & populus meus: Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri: & ad ædificandum, omnia præparavi.

3. Deus autem dixit mihi: * Non ædificabis domum nomini meo, eo quod sis vir bellator, & sanguinem fuderis. * 2. Reg. 7. 13.

4. Sed elegit (b) Dominus Deus Israel me de universa domo patris mei, ut essem rex super Israel in sempiternum: de Juda enim elegit principes: porro de domo Juda, domum patris mei: & de filiis patris mei, placuit ei ut me eligeret regem super cunctum Israel.

5. * Sed & de filiis meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, ut sederet in throno regni Domini super Israel, * Sap. 9. 7.

6. Dixitque mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & atria mea: ipsum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem.

7. Et firmabo regnum ejus usque in æternum, si perseveraverit facere præcepta mea, & judicia, sicut & hodie.

8. Nunc ergo coram universo cœtu Israel, audiente Deo nostro, custodite, & perquirite cuncta mandata Domini Dei nostri: ut possideatis Terram bonam, & relinquatis eam filiis vestris post vos usque in sempiternum.

9. Tu autem Salomon fili mi, scito (c) Deum patris tui, & servito ei corde perfecto, & animo voluntario: * omnia enim corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, invenies: si autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum. * Ps. 7. 10.

10. Nunc ergo quia elegit te Dominus ut ædificares domum Sanctuarii, confortare, & perfice.

11. Dedit autem David Salomoni filio suo descriptionem porticus (d), & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in adytis, & domus propitiationis,

12. Nec

CAPUT XXVII. 23. & 24. (a) Quod numerari non posset: Non est relatus; Hebr. Et non ascendit numerus in numerum (Libri) verborum dierum regis David; qui liber forte alius erat ab his libris: nam hic numerus ponitur cap. 24. Lib. 2. Regum vers. 25.

26. & 28. (b) Agros regios: & ficeta, LXX. super olivas & sycomoros, seu ficus agrestes: probabilius est fuisse ficus.

32. & 34. (c) Hebr. Vir intelligens & scriba: Erant cum filiis Regis, quasi præceptores: Post Achitophel, mortuo Achitophel.

CAPUT XXVIII. 2. (a) Qui accubat in lecto affecta ætate & viribus; Et stetit: Hebr. Super pedes suos. Et scabellum pedum Dei nostri. Arca dicitur scabellum, quia Deus dicebatur sedere inter alas Cherubim super propitiatorium, & pedibus arcam tangere, atque hinc responsa dare. Sic illud Psalm. 98. Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est, ad litteram de arca intelligitur, sublimiori sensu Augustinus de adoratione corporis Christi interpretatur.

4. (b) Hebr. & LXX. In Juda elegit ducem in sempiternum: Phrasi Scripturæ usitata longum tempus designatur, sed de Christo id optime intelligitur.

9. (c) Certa fide cognosce Deum, scito eum unum esse quem colere debes.

11. (d) Hebr. & LXX. Domorum ejus; prope porticum erant domunculæ; Et cœnaculi, Hebr. Cœnaculorum ejus: nam plura erant cubicula superiora: Et cubiculorum in adytis: Hebr. & LXX. Et cubiculorum ejus interiorum: vocem, ejus, ad porticum semper referri existimat Mariana. Deus formam ædificii ejus animo inscripserat.

12. Necnon & omnium quæ cogitaverat atriorum, & exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, & in thesauros (*e*) sanctorum,

13. Divisionumque Sacerdotalium & Leviticarum, in omnia opera domus Domini, & in universa vasa ministerii templi Domini.

14. Aurum in pondere per singula vasa ministerii. Argenti quoque pondus pro vasorum & operum diversitate.

15. Sed & in candelabra aurea, & ad lucernas eorum, aurum pro mensura uniuscujusque candelabri & lucernarum. Similiter & in candelabra argentea, & in lucernas eorum, pro diversitate mensuræ, pondus argenti tradidit.

16. Aurum quoque dedit in mensas propositionis pro diversitate mensarum: similiter & argentum in alias mensas argenteas.

17. Ad fuscinulas quoque & phialas, & thuribula ex auro purissimo, & leunculos (*f*) aureos pro qualitate mensuræ pondus distribuit in leunculum & leunculum. Similiter & in leones argenteos diversum argenti pondus separavit.

18. Altari autem, in quo adoletur incensum, aurum purissimum dedit: ut ex ipso fieret similitudo quadrigæ cherubim (*g*) extendentium alas, & velantium arcam fœderis Domini.

19. Omnia, inquit, venerunt scripta (*h*) manu Domini ad me, ut intelligerem universa opera exemplaris.

20. Dixit quoque David Salomoni filio suo: Viriliter age, & confortare, & fac: ne timeas, & ne paveas: Dominus enim Deus meus tecum erit, & non dimittet te, nec derelinquet, donec perficias omne opus ministerii domus Domini.

21. Ecce divisiones Sacerdotum & Levitarum, in omne ministerium domus Domini assistunt tibi, & parati sunt, & noverunt tam principes quam populus facere omnia præcepta tua.

C A P U T XXIX.

Impensas in templi substructionem, vasa & omnem ornatum seposuit David.

1. Locutusque est David rex ad omnem ecclesiam: Salomonem filium meum unum elegit Deus, adhuc puerum & tenellum: opus namque grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.

2. Ego autem totis viribus meis præparavi impensas domus Dei mei. Aurum ad vasa aurea, & argentum in argentea, æs in ænea, ferrum in ferrea, ligna ad lignea: & lapides onychinos (*a*), & quasi stibinos, & diversorum colorum, omnemque pretiosum lapidem, & marmor Parium abundantissime:

3. Et super hæc, quæ obtuli in domum Dei mei de peculio meo aurum & argentum, do in templum Dei mei, exceptis his, quæ præparavi in ædem sanctam.

4. Tria millia talenta auri de auro Ophir: & septem millia talentorum argenti probatissimi ad deaurandos (*b*) parietes templi.

5. Et ubicumque opus est aurum de auro, & ubicumque opus est argentum de argento, opera fiant per manus artificum: & si quis sponte offert, impleat (*c*) manum suam hodie, & offerat quod voluerit Domino.

6. Polliciti sunt itaque principes familiarum, & proceres tribuum Israel, tribuni quoque, & centuriones, & principes possessionum regis.

7. Dederuntque in opera domus Dei auri talenta quinque millia, & solidos decem millia: argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia: ferri quoque centum millia talentorum.

8. Et apud quemcumque inventi sunt lapides, dederunt in thesauros domus Domini, per manum Jahiel Gersonitis.

9. Lætatusque est populus, cum vota sponte promitterent: quia corde toto offerebant ea Domino: sed & David rex lætatus est gaudio magno.

10. Et benedixit Domino coram universa multitudine, & ait: Benedictus es Domine Deus Israel patris nostri ab æterno in æternum.

11. Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria: & tibi laus: cuncta enim quæ in cælo sunt, & in terra, tua sunt: tuum Domine regnum, & tu es super omnes principes.

12. Tuæ divitiæ, & tua est gloria: tu dominaris omnium, in manu tua virtus & potentia: in manu tua magnitudo, & imperium omnium.

13. Nunc igitur Deus noster confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum.

14. Quis ego, & quis populus meus, ut possimus hæc tibi universa promittere? tua sunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.

15. Peregrini (*d*) enim sumus coram te, & advenæ, sicut omnes patres nostri. * Dies nostri quasi umbra super terram, & nulla est mora. * Sap. 2. 5.

16. Do-

12. & 13. (*e*) Ærariorum formam describit. *Divisionumque*; iis sacerdotibus & Levitis, qui ad ministeria conveniebant, exedræ in templo ubi habitarent, designatæ erant.

17. (*f*) Alii *crateres* vertunt, aut *cyathos*, quibus leunculi subjecti erant; aut vox Hebræa *Kephor*, כפור, quæ craterem significat, cum similis sit omnino voci *Kephir*, כפיר, quæ leonem, utraque confundi potuit.

18. (*g*) In tabernaculo duo tantum erant Cherubim: in templo duo sunt adjecti quasi quadrigæ.

19. (*h*) Delineata ab Angelo, ut forma tabernaculi Mosi tradita est.

CAPUT XXIX. 2. (*a*) Qui unguis colorem referunt: *Et quasi stibinos*, vulgo *alabastrites*, de quibus Plinius Lib. 36. c. 6. stibio fere concolores. *Marmor parium*; genus marmoris, in Hebræo non exprimitur; illam vocem addiderunt LXX. quod marmor in ea insula *Paros* dicta maxime celebretur.

4. (*b*) Incrustandos; templi muri laminis aureis obducendi erant.

5. & 14. (*c*) Muneribus quæ offerre vult. Et *solidos*; stater, tetradrachma, siclus itidem, nimirum semuncia: solidus erat sexta pars unciæ; LXXII. solidi libram efficiunt 12. unciarum. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Quidquid Deo offerimus, ab eo accepimus, & tamen Deus sic accipit, quasi nostrum sit.

15. (*d*) Bonorum sumus velut coloni, proprietas ad nos non pertinet. *Et nulla est mora*; cito mors occupat, nulla evadendi spes.

16. Domine Deus noster, omnis hæc copia, quam paravimus ut ædificaretur domus nomini sancto tuo, de manu tua est, & tua sunt omnia.

17. Scio Deus meus quod probes corda, & simplicitatem diligas, unde & ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc: & populum tuum, qui hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria.

18. Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel patrum nostrorum, custodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & semper in venerationem tui mens ista permaneat.

19. Salomoni quoque filio meo da cor perfectum, ut custodiat mandata tua, testimonia tua, & cæremonias tuas, & faciat universa: & ædificet ædem, cujus impensas paravi.

20. Præcepit autem David universæ ecclesiæ: Benedicite Domino Deo nostro. Et benedixit omnis ecclesia Domino Deo patrum suorum: & inclinaverunt se, & adoraverunt Deum, & deinde regem (e).

21. Immolaveruntque victimas Domino: & obtulerunt holocausta die sequenti, tauros mille, arietes mille, agnos mille cum libaminibus suis, & universo ritu abundantissime in omnem Israel.

22. Et comederunt, & biberunt coram Domino in die illo cum grandi lætitia. * Et un- * 3. Reg. 1. 34.
xerunt secundo Salomonem filium David. Unxerunt autem eum Domino in principem, & Sadoc in pontificem.

23. Seditque Salomon super solium Domini in regem pro David patre suo, & cunctis placuit: & paruit illi omnis Israel.

24. Sed & universi principes, & potentes, & cuncti filii regis David dederunt manum, & subjecti fuerunt Salomoni regi.

25. Magnificavit ergo Dominus Salomonem super omnem Israel: & dedit illi gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum rex Israel.

26. Igitur David filius Isai regnavit super universum Israel.

27. * Et dies, quibus regnavit super Israel, * 3. Reg. 2. 11.
fuerunt quadraginta anni: in Hebron regnavit septem annis, & in Jerusalem annis triginta tribus.


28. Et mortuus est in senectute bona, plenus dierum, & divitiis, & gloria, & regnavit Salomon filius ejus pro eo.

29. Gesta autem David regis priora & novissima scripta sunt in Libro Samuelis Videntis, & in Libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad Videntis:

30. Universique regni ejus, & fortitudinis, & temporum, quæ transierunt sub eo, sive in Israel, sive in cunctis regnis terrarum. (f)

20. & 22. (e) *Gratiam ei agentes*: *Secundo*; jam proclamatus fuerat Rex ad preces Bethsabee; *Nunc unxerunt eum Domino*; præcipiente Domino: *Et Sadoc in pontificem*; probabile est eum jam antea unctum fuisse, sed ea unctio in utroque fuit repetita: ac licet ungi solerent, qui jure successionis regni possessionem adibant, cum tamen nondum satis firmatum regnum videretur, ungi illum oportuit, quod principum auctoritas sit a Deo, per quem regnant.

30. (f) Quæ vicina erant Palæstinæ.



L l-

LIBER SECUNDUS
PARALIPOMENON,
HEBRAICE
DIBRE HAJAMIM.

CAPUT PRIMUM.

Deus apparet de nocte Salomoni, postquam magnam hostiarum multitudinem Deo obtulit. Illius magnificentia.

3. Reg. 3. 1. 1. Onfortatus est ergo Salomon filius David in regno suo, & Dominus Deus ejus erat cum eo, & magnificavit eum in excelsum.

2. Præcepitque Salomon universo Israeli, tribunis, & centurionibus, & ducibus, & judicibus omnis Israel, & principibus familiarum:

3. Et abiit cum universa multitudine in Excelsum Gabaon, ubi erat tabernaculum fœderis Dei, quod fecit Moyses famulus Dei in solitudine.

4. Arcam autem Dei adduxerat David de Carjathjarim in locum, quem præparaverat ei, & ubi fixerat illi tabernaculum, hoc est, in Jerusalem.

* Exod. 38. 1. 5. Altare quoque æneum, * quod fabricatus fuerat Beseleel filius Uri filii Hur, ibi erat coram tabernaculo Domini: quod & requisivit (a) Salomon, & omnis ecclesia.

6. Ascenditque (b) Salomon ad altare æneum, coram tabernaculo fœderis Domini, & obtulit in eo mille hostias.

7. Ecce autem in ipsa nocte apparuit ei Deus, dicens: Postula quod vis, ut dem tibi.

8. Dixitque Salomon Deo: Tu fecisti cum David patre meo misericordiam magnam: & constituisti me regem pro eo.

9. Nunc ergo Domine Deus impleatur sermo tuus, quem pollicitus es David patri meo: tu enim me fecisti regem super populum tuum multum, qui tam innumerabilis est, quam pulvis terræ.

* Sup. 9 10. 10. * Da mihi sapientiam & intelligentiam, ut ingrediar & egrediar coram populo tuo: quis enim potest hunc populum tuum digne, qui tam grandis est, judicare?

11. Dixit autem Deus ad Salomonem: Quia hoc magis placuit cordi tuo, & non postulasti divitias, & substantiam, & gloriam, neque animas eorum qui te oderant, sed nec dies vitæ plurimos: petisti autem sapientiam & scientiam, ut judicare possis populum meum, super quem constitui te regem.

12. Sapientia & scientia data sunt tibi: divitias autem & substantiam & gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus nec ante te nec post te fuerit similis tui.

13. Venit ergo Salomon ab Excelso Gabaon in Jerusalem coram (c) tabernaculo fœderis, & regnavit super Israel.

14. * Congregavitque sibi currus (d) & equites, & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & fecit eos esse in urbibus quadrigarum, & cum rege in Jerusalem. * 3. Reg. 10. 26.

15. Præbuitque rex argentum & aurum in Jerusalem quasi lapides, & cedros quasi sycomoros, quæ nascuntur in campestribus multitudine magna.

16. Adducebantur autem ei equi de Ægypto, & de Coa (e) a negotiatoribus regis, qui ibant, & emebant pretio.

17. Quadrigam equorum sexcentis argenteis, & equum centum quinquaginta: similiter de universis regnis Hethæorum (f), & a regibus Syriæ emptio celebrabatur.

CA-

CAPUT I. 5. (a) Illud adiit Salomon in Gabaon, ubi erat tabernaculum.
6. (b) Ascendere fecit, & offerre sacrificia.
13. (c) Hebr. *De coram tabernaculo venit Salomon*. LXX. *ἀπὸ προσώπου τῆς σκηνῆς, a facie tabernaculi*, quod erat in Gabaon.
14. (d) Qui personæ Regis erant destinati.
16. (e) Hebr. מקוא, Micoa, id est, de Coa: Sic recte olim antequam puncta a Masorethis apponerentur, legi potuit; idque erat nomen proprium urbis in Ægypto, vel potius Insula quædam maris Mediterranei. At hodierno in codice Hebræo, prout puncta sunt litteris suis subjecta, legitur Mikve מקוא, quod ex quibusdam significat congregationem populi, seu emporium.
17. (f) Per manus mercatorum Salomonis equos emebant. Sic enim habet Hebr. Sic educebant omnes Reges Hethæorum per manum eorum, nempe mercatorum Salomonis: nam aliunde emere equos non poterant, ac nomine Salomonis emebantur in Ægypto.

CAPUT II.

Hoc caput fere totum continetur cap. 5. Lib. 3. Reg.

1. DEcrevit autem Salomon ædificare domum nomini Domini, & palatium sibi.

2. Et numeravit septuaginta millia virorum portantium humeris, & octoginta millia qui cæderent lapides in montibus, præpositosque eorum tria millia sexcentos (*a*).

3. * Misit quoque ad Hiram regem Tyri, dicens: Sicut egisti cum David patre meo, & misisti ei ligna cedrina ut ædificaret sibi domum, in qua & habitavit: *3. Reg. 5. 2.

4. Sic fac mecum, ut ædificem domum nomini Domini Dei mei, ut consecrem eam ad adolendum incensum coram illo, & fumiganda aromata, & ad propositionem panum sempiternam, & ad holocautomata mane, & vespere, sabbatis quoque, & neomeniis, & solemnitatibus Domini Dei nostri in sempiternum, quæ mandata sunt Israeli.

5. Domus enim, quam ædificare cupio, magna est: magnus est enim Deus noster super omnes deos.

6. Quis ergo poterit prævalere, ut ædificet ei dignam domum? si cælum, & cæli cælorum capere eum nequeunt: quantus ego sum, ut possim ædificare ei domum? sed ad hoc tantum, ut adoleatur incensum coram illo.

7. Mitte ergo mihi virum eruditum, qui noverit operari in auro, & argento, ære, & ferro, purpura, coccino, & hyacintho, & qui sciat sculpere cælaturas, cum his artificibus, quos mecum habeo in Judæa, & Jerusalem, quos præparavit David pater meus.

8. Sed & ligna cedrina mitte mihi, & arceuthina (*b*), & pinea de Libano: scio enim quod servi tui noverint cædere ligna de Libano, & erunt servi mei cum servis tuis,

9. Ut parentur mihi ligna plurima. Domus enim, quam cupio ædificare, magna est nimis, & inclyta.

10. Præterea operariis, qui cæsuri sunt ligna, servis tuis dabo in cibaria tritici coros viginti millia, & hordei coros totidem, & vini viginti millia metretas, olei quoque sata viginti millia.

11. Dixit autem Hiram rex Tyri per litteras, quas miserat Salomoni: Quia dilexit Dominus populum suum, idcirco te regnare fecit super eum.

12. Et addidit, dicens: Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit cælum & terram, qui dedit David regi filium sapientem & eruditum & sensatum atque prudentem, ut ædificaret domum Domino, & palatium sibi.

13. Misi ergo tibi virum prudentem & scientissimum Hiram, patrem (*c*) meum,

14. Filium mulieris de filiabus Dan, cujus pater fuit Tyrius, qui novit operari in auro, & argento, ære, & ferro, & marmore, & lignis, in purpura quoque & hyacintho, & bysso, & coccino: & qui scit cælare omnem sculpturam, & adinvenire prudenter quodcumque in opere necessarium est, cum artificibus tuis, & cum artificibus domini mei David patris tui.

15. Triticum ergo, & hordeum, & oleum, & vinum, quæ pollicitus es, domine mi, mitte servis tuis.

16. Nos autem cædemus ligna de Libano, quot necessaria habueris, & applicabimus ea ratibus per mare in Joppe: tuum autem erit transferre ea in Jerusalem.

17. Numeravit igitur Salomon omnes viros proselytos, qui erant in terra Israel, post dinumerationem, quam dinumeravit David pater ejus, & inventi sunt centum quinquaginta millia, & tria millia sexcenti.

18. Fecitque ex eis septuaginta millia, qui humeris onera portarent, & octoginta millia, qui lapides in montibus cæderent: tria autem millia & sexcentos præpositos operum populi.

CAPUT III.

Capite 6. Lib. 3. Regum hoc caput continetur.

1. ET cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moria (*a*), 3. Reg. 6. 1.
qui demonstratus fuerat David patri ejus, in
loco, quem paraverat David in * area Ornan *2. Reg. 24. 25.
Jebusæi. 1. Par. 21. 26.

2. Cœpit autem ædificare mense secundo, anno quarto regni sui.

3. Et hæc sunt fundamenta (*b*), quæ jecit Salomon, ut ædificaret domum Dei, longitudinis cubitos in mensura prima sexaginta, latitudinis cubitos viginti.

4. Porticum vero ante frontem, quæ tendebatur in longum juxta mensuram latitudinis domus, cubitorum viginti: porro altitudo (*c*) centum viginti cubitorum erat: & deauravit eam intrinsecus auro mundissimo.

5. Domum quoque majorem texit tabulis ligneis abiegnis, & laminas auri obrizi affixit per totum: sculpsitque in ea palmas, & quasi catenulas se invicem complectentes.

6. Stravit quoque pavimentum templi pretiosissimo marmore, decore multo.

7. Por-

CAP. II.

2. (*a*) Lib. 3. Regum capit. 5. numerantur tantummodo 3300. Sed ibi omittuntur, qui præpositis præerant, quique erant 300.

8. (*b*) Hebr. אלגומים, *Algumim*. Græce apud LXX. ἀρκεύθινα, Junipérina.

13. & 14. (*c*) Alii, Hiram patris mei, nempe servum, aut architectum: tum temporis viri eximii *Patres* vocabantur, ut apud nos *Magistri*: *Filium mulieris de filiabus Dan*, urbis Dan, non tribus, cujus pater fuit Tyrius. 3. Regum cap. 7. vers. 14. Filium mulieris viduæ de tribu Nephthalim, filium de tribu Nephthalim, cujus pater habitatione Tyrius erat, origine de ea tribu, vel Hebræa erat femina, quæ marito externo, seu Tyrio nupserat.

CAP. III.

1. (*a*) Hic vulgo creditur mons esse, in quo *Abraham* filium suum obtulit Gen. 22. Nam ubi nos legimus: *Vade in terram visionis*: Hebr. legitur, *Vade in terram Moria*; ex adverso montis Sion, ubi postea arcem exstruxerunt. *In Area Ornan*, quæ erat in monte Moria, ubi David locum templi designavit. *Mense secundo*) Hebr. additur, in secundo, scilicet die mensis.

3. (*b*) Fundamentorum mensuræ. *In mensura prima*, quam in tabernaculo construendo secutus fuerat Moses; aut in mensura principe & accuratissima.

4. & 5. (*c*) Lib. 3. Regum cap. 6 plerique volunt altitudinis 30. cubitis dari: alii hoc intelligunt usque ad primum tabulatum. *Majorem*) priorem templi partem.

7. Porro aurum erat probatissimum, de cujus laminis texit domum, & trabes ejus, & postes, & parietes, & ostia: & cælavit cherubim in parietibus.

8. Fecit quoque domum Sancti sanctorum: longitudinem juxta latitudinem domus, cubitorum viginti, & latitudinem similiter viginti cubitorum: & laminis aureis texit eam, quasi talentis sexcentis.

9. Sed & clavos fecit aureos, ita ut singuli clavi siclos quinquagenos appenderent: cœnacula quoque texit auro.

10. Fecit etiam in domo Sancti sanctorum cherubim duos, opere statuario: & texit eos auro.

11. Alæ cherubim viginti cubitis extendebantur, ita ut una ala haberet cubitos quinque, & tangeret parietem domus: & altera quinque cubitos habens, alam tangeret alterius cherub.

12. Similiter cherub alterius ala, quinque habebat cubitos, & tangebat parietem: & ala ejus altera quinque cubitorum, alam cherub alterius contingebat.

13. Igitur alæ utriusque cherubim expansæ erant, & extendebantur per cubitos viginti: ipsi autem stabant erectis pedibus, & facies eorum erant versæ ad exteriorem domum.

*Matth.27. 51. 14. * Fecit quoque velum ex hyacintho, purpura, cocco, & bysso: & intexuit ei cherubim.

*Jer 52.20. 15. * Ante fores etiam templi duas columnas, quæ triginta & quinque cubitos habebant (*d*) altitudinis: porro capita earum, quinque cubitorum.

16. Necnon & quasi catenulas in oraculo, & superposuit eas capitibus columnarum: malogranata etiam centum (*e*), quæ catenulis interposuit.

17. Ipsas quoque columnas posuit in vestibulo templi, unam a dextris, & alteram a sinistris: eam, quæ a dextris erat, vocavit Jachin (*f*): & quæ ad lævam, Booz.

CAPUT IV.

Altaris ænei, maris fusilis, concharum, candelabrorum, mensarum constructio, quæque Lib. 3. Reg. cap. 7. sunt descripta, retexuntur.

1. Fecit quoque altare (*a*) æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis.

2. * Mare etiam fusile decem cubitis a labio usque ad labium, rotundum per circuitum: quinque cubitos habebat altitudinis, & funiculus (*b*) triginta cubitorum ambiebat gyrum ejus. *3. Reg. 7. 23.

3. Similitudo quoque boum (*c*) erat subter illud, & decem cubitis quædam extrinsecus cælaturæ, quasi duobus versibus alvum maris circuibant. Boves autem erant fusiles:

4. Et ipsum Mare super duodecim boves impositum erat, quorum tres respiciebant ad Aquilonem, & alii tres ad Occidentem: porro tres alii Meridiem, & tres qui reliqui erant, Orientem, habentes mare superpositum: posteriora autem boum erant intrinsecus (*d*) sub mari.

5. Porro vastitas (*e*) ejus habebat mensuram palmi, & labium illius erat quasi labium calicis, vel repandi lilii: capiebatque tria millia metretas.

6. Fecit quoque conchas decem: & posuit quinque a dextris, & quinque a sinistris, ut lavarent in eis omnia, quæ in holocaustum oblaturi erant: porro in mari sacerdotes lavabantur (*f*).

7. Fecit autem & candelabra aurea decem secundum speciem, qua jussa erant fieri: & posuit ea in templo, quinque a dextris, & quinque a sinistris.

8. Necnon & mensas decem: & posuit eas in templo, quinque a dextris, & quinque a sinistris: phialas quoque aureas centum.

9. Fecit etiam atrium sacerdotum, & basilicam grandem: & ostia in basilica, quæ texit ære.

10. Porro mare posuit in latere dextro contra Orientem ad Meridiem.

11. Fecit autem Hiram lebetes, & creagras (*g*), & phialas: & complevit omne opus regis in domo Dei:

12. Hoc est, columnas duas, & epistylia, & capita, & quasi quædam retiacula (*h*), quæ capita tegerent super epistylia.

13. Malogranata quoque quadringenta (*i*), & retiacula duo, ita ut bini ordines malogranatorum singulis retiaculis jungerentur, quæ protegerent epistylia, & capita columnarum.

14. Bases etiam fecit, & conchas, quas superposuit basibus:

15. Mare unum, boves quoque duodecim sub mari.

16. Et lebetes, & creagras, & phialas. Omnia vasa fecit Salomoni Hiram pater ejus in domo Domini ex ære mundissimo.

17. In

15. (*d*) Simul sumptæ: nam Lib. 3. Regum cap. 7. unicuique dantur 18. cubiti: credibile est non haberi rationem dimidii cubiti.

16. (*e*) Lib. 3. Regum ducenta numerantur, sed ibi de duplici ordine, seu versu, hic de uno tantum loquitur.

17. (*f*) Id est, *Stabilis: & quæ ad lævam Booz*, id est, robur in Deo solo utrumque tres.

CAP. IV. 1. (*a*) Quod intrinsecus ex impolitis lapidibus constabat juxta legem Exodi 20. sancitam.

2. (*b*) Id est, circumferentia, quæ triplo major est diametro, & paullo amplius, nempe ut 22. ad 7. sed excessus ille merito negligitur.

3. (*c*) Præter 12. boves, quibus mare incumbebat, boum capita prominebant, decem in cubitis singulis, & in duos versus, seu ordines distincta, ad labium quinque, ad fundum totidem, adeo ut essent numero 300. Aut forte in anteriore parte maris, scilicet in tertia parte ambitus, in spatio 10. cubitorum extabant boum capita duplici ordine distincta, uno infra labium, altero versus fundum, eaque erant ad ornatum; aut potius per ea tubercula, tamquam per epistomia (Gall. *des robinets*) cum opus erat, aqua educebatur. *Boves autem erant fusiles*: boum scilicet capita simul cum mari ex eadem forma prodierant, non erant adjecta: Hebr. *Boves fusi in fusura ejus*, id est, *maris*; non item 12. boves, de quibus mox loquitur.

4. (*d*) Posteriora boum inter se mutuo conversa erant.

5. (*e*) Crassitudo habebat mensuram palmi, 4. digitorum: *vel repandi lilii*; labium erat instar folii lilii circa extremum recurvi. Capiebatque tria millia metretas, seu 180. modios Parisienses.

6. & 9. (*f*) Pedes & manus lavabant. *Grandem*. LXX. Et *atrium magnum*, locum orationi destinatum, & apertum.

11. (*g*) Quidam *scopas* interpretantur; alii *tridentes*.

12. (*h*) Catenas forte, quæ capita tegerent columnarum.

13. (*i*) In singulis columnis erant duo ordines, in singulis 100. malogranata.

17. In regione Jordanis fudit ea rex in argillosa terra, inter Sochot, & Saredatha.

18. Erat autem multitudo vasorum innumerabilis, ita ut ignoraretur pondus æris.

19. Fecitque Salomon omnia vasa domus Dei, & altare aureum, & mensas, & super eas panes propositionis:

20. Candelabra quoque cum lucernis suis, ut lucerent ante oraculum juxta ritum, ex auro purissimo:

21. Et florentia quædam, & lucernas, & forcipes aureos: omnia de auro mundissimo facta sunt.

22. Thymiamateria quoque, & thuribula, & phialas, & mortariola ex auro purissimo. Et ostia cælavit templi interioris, id est, in Sancta sanctorum: & ostia templi forinsecus aurea. Sicque completum est omne opus, quod fecit Salomon in domo Domini.

CAPUT V.

Oblatis donariis Arca inducitur in Sanctuarium, tumque gloria Domini implevit templum.

3.Reg.7.51. 1. INtulit igitur Salomon omnia, quæ voverat David pater suus, argentum, & aurum, & universa vasa posuit in thesauris domus Dei.

*3.Reg.8.1. 2. * Post quæ congregavit majores natu Israel, & cunctos principes tribuum, & capita familiarum de filiis Israel in Jerusalem, ut adducerent arcam fœderis Domini de civitate David, quæ est Sion.

3. Venerunt itaque ad regem omnes viri Israel in die solemni mensis septimi.

4. Cumque venissent cuncti seniorum Israel, portaverunt Levitæ (*a*) arcam,

5. Et intulerunt eam, & omnem paraturam tabernaculi. Porro vasa sanctuarii, quæ erant in tabernaculo, portaverunt Sacerdotes cum Levitis.

6. Rex autem Salomon, & universus cœtus Israel, & omnes qui fuerunt congregati ante arcam, immolabant arietes, & boves absque ullo numero: tanta enim erat multitudo victimarum.

7. Et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum, id est, ad oraculum templi, in Sancta sanctorum subter alas cherubim,

8. Ita ut cherubim expanderent alas suas super locum, in quo posita erat arca, & ipsam arcam tegerent cum vectibus suis.

9. Vectium autem, quibus portabatur arca, quia paullulum longiores erant, capita parebant ante oraculum (*b*): si vero quis paullulum fuisset extrinsecus, eos videre non poterat. Fuit itaque arca ibi usque in præsentem diem.

10. Nihilque erat aliud in arca, nisi duæ tabulæ (*c*), quas posuerat Moyses in Horeb, quando legem dedit Dominus filiis Israel egredientibus ex Ægypto.

11. Egressis autem Sacerdotibus de sanctuario (omnes enim Sacerdotes, qui ibi potuerant inveniri, sanctificati sunt: nec adhuc in illo tempore vices, & ministeriorum ordo inter eos divisus erat) (*d*)

12. Tam Levitæ quam cantores, id est, & qui sub Asaph erant, & qui sub Eman, & qui sub Idithun, filii, & fratres eorum, vestiti byssinis, cymbalis, & psalteriis, & citharis concrepabant, stantes ad Orientalem plagam altaris, & cum eis Sacerdotes centum viginti canentes tubis.

13. Igitur cunctis pariter, & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diversi generis musicorum concinentibus, & vocem in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur, ita ut cum Dominum laudare cœpissent & dicere: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus; impleretur domus Dei nube,

14. Nec possent Sacerdotes stare & ministrare propter caliginem. Compleverat enim gloria Domini domum Dei.

CAPUT VI.

Quæ sanctificavit donaria David, illata sunt in templi thesaurum. Arca delata est in Civitatem David. Gloria Domini implevit templum.

1. TUnc Salomon ait: Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine (*a*): 3. Reg. 8. 12.

2. Ego autem ædificavi domum nomini ejus, ut habitaret ibi in perpetuum.

3. Et convertit rex faciem suam, & benedixit universæ multitudini Israel (nam omnis turba stabat intenta) & ait:

4. Benedictus Dominus Deus Israel, qui quod locutus est David patri meo, opere complevit, dicens:

5. A die, qua eduxi populum meum de Terra Ægypti, non elegi civitatem de cunctis tribubus Israel, ut ædificaretur in ea domus nomini meo: neque elegi quemquam alium virum, ut esset dux (*b*) in populo meo Israel,

6. Sed elegi Jerusalem, ut sit nomen meum in ea, & elegi David, ut constituerem eum super populum meum Israel.

7. Cumque fuisset voluntatis David patris mei, ut ædificaret domum nomini Domini Dei Israel,

8. Dixit

CAP. V. 4. (*a*) Qui arcam ad templum usque portarent; sacerdotes vero in templo: vel Levitarum nomine sacerdotes intelliguntur, qui erant ex tribu Levi. Sic locus 3. Regum capit. 8. cum hoc loco Paralipomen. conciliari facile potest.

9. (*b*) Exodi 25. cautum fuit, ne vectes sejungerentur ab arca, aut eximerentur: nec parieti juncta erat arca, sed intervallo quodam fuit ab eo sejuncta. *Si vero quis paullulum fuisset extrinsecus*. In parte templi secunda, quæ sancta dicebatur.

10. (*c*) Fœderis scilicet, ut cap. proximo vers. 11. suppletur: in hac translatione manna & virgam fuisse detracta volunt Hebræi, ut intra arcam essent solæ tabulæ, reliqua ad latera; deinde distinguenda sunt tempora ante templum & post templum: post templum extructum virga & manna potuerunt ad latera arcæ poni, quod jam ibi securior esset locus.

11. (*d*) Hebr. *Non observabatur*. Nam eo confluxerant sacerdotes omnes, quotquot adesse potuerunt. Unde nec in LXX. vox illa, *adhuc*, addita est.

CAP. VI. 1. (*a*) Lib. 3. Reg. 8. In nube. Sic inter homines habitat, nec familiarem nimis se nobis præbet. Lib. 3. Reg. cap. 8. totum hoc caput continetur.

5. (*b*) Præter David: non enim stabili possessione ad posteros transmisse principatum dedi. *Basim*, suggellum basilicæ in medio atrii subdialis.

8. Dixit Dominus ad eum: Quia hæc fuit voluntas tua, ut ædificares domum nomini meo, bene quidem fecisti hujuscemodi habere voluntatem:

9. Sed non tu ædificabis domum, verum filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis, ipse ædificabit domum nomini meo.

10. Complevit ergo Dominus sermonem suum, quem locutus fuerat: & ego surrexi pro David patre meo, & sedi super thronum Israel, sicut locutus est Dominus: & ædificavi domum nomini Domini Dei Israel.

11. Et posui in ea arcam, in qua est pactum Domini, quod pepigit cum filiis Israel.

12. Stetit ergo coram altari Domini ex adverso universæ multitudinis Israel, & extendit manus suas.

13. Siquidem fecerat Salomon basim æneam, & posuerat eam in medio basilicæ, habentem quinque cubitos longitudinis, & quinque cubitos latitudinis, & tres cubitos altitudinis: stetitque super eam: & deinceps flexis genibus contra universam multitudinem Israel, & palmis in cælum levatis.

*2. Mach. 2. 8. 14. Ait: * Domine Deus Israel, non est similis tui Deus in cælo & in terra: qui custodis pactum & misericordiam cum servis tuis, qui ambulant coram te in toto corde suo:

15. Qui præstitisti servo tuo David patri meo quæcumque locutus fueras ei: & quæ ore promiseras, opere complesti, sicut & præsens tempus probat.

16. Nunc ergo Domine Deus Israel, imple servo tuo patri meo David quæcumque locutus es, dicens: Non deficiet ex te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel: ita tamen si custodierint filii tui vias suas, & ambulaverint in lege mea, sicut & tu ambulasti coram me:

17. Et nunc Domine Deus Israel, firmetur sermo tuus, quem locutus es servo tuo David.

18. Ergone credibile est ut habitet Deus cum hominibus super terram? Si cælum & cæli cælorum non te capiunt, quanto magis domus ista, quam ædificavi?

19. Sed ad hoc tantum facta est, ut respicias (c) orationem servi tui, & obsecrationem ejus, Domine Deus meus: & audias preces, quas fundit famulus tuus coram te:

20. Ut aperias oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus, super locum, in quo pollicitus es ut invocaretur nomen tuum,

21. Et exaudires orationem, quam servus tuus orat in eo: & exaudias preces famuli tui, & populi tui Israel. Quicumque oraverit (d) in loco isto, exaudi de habitaculo tuo, id est, de cælis, & propitiare.

22. Si peccaverit quispiam in proximum suum, & jurare (e) contra eum paratus venerit, seque maledicto constrinxerit coram altari in domo ista:

23. Tu audies de cælo, & facies judicium servorum tuorum, ita ut reddas iniquo viam suam in caput proprium, & ulciscaris justum, retribuens ei secundum justitiam suam.

24. Si superatus fuerit populus tuus Israel ab inimicis (peccabunt enim tibi) & conversi egerint pœnitentiam, & obsecraverint nomen tuum, & fuerint deprecati in loco isto,

25. Tu exaudies de cælo, & propitiare peccato populi tui Israel, & reduc eos in terram, quam dedisti eis, & patribus eorum.

26. Si clauso cælo pluvia non fluxerit propter peccata populi, & deprecati te fuerint in loco isto, & confessi nomini tuo, & conversi a peccatis suis, cum eos afflixeris,

27. Exaudi de cælo Domine, & dimitte peccata servis tuis & populi tui Israel, & doce eos viam bonam, per quam ingrediantur: & da pluviam terræ, quam dedisti populo tuo ad possidendum.

28. * Fames si orta fuerit in terra, & pestilentia, ærugo, & aurugo, & locusta, & bruchus, & hostes, vastatis regionibus, portas obsederint civitatis, omnisque plaga & infirmitas presserit: *Infr. 20. 9.

29. Si quis de populo tuo Israel fuerit deprecatus, cognoscens plagam & infirmitatem suam, & expanderit manus suas in domo hac,

30. Tu exaudies de cælo, de sublimi scilicet habitaculo tuo, & propitiare, & redde unicuique secundum vias suas, quas nosti eum habere in corde suo: (tu enim solus nosti corda filiorum hominum.)

31. Ut timeant te, & ambulent in viis tuis cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris.

32. Externum quoque, qui non est de populo tuo Israel, si venerit de terra longinqua, propter nomen tuum magnum, & propter manum tuam robustam, & brachium tuum extentum, & adoraverit in loco isto.

33. Tu exaudies de cælo firmissimo habitaculo tuo, & facies cuncta, pro quibus invocaverit te ille peregrinus: ut sciant omnes populi terræ nomen tuum, & timeant te sicut populus tuus Israel, & cognoscant, quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, quam ædificavi.

34. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra adversarios suos per viam in qua miseris eos, adorabunt te contra viam in qua civitas hæc est, quam elegisti, & domus, quam ædificavi nomini tuo:

35. Tu exaudies de cælo preces eorum, & obsecrationem, & ulciscaris.

36. Si autem peccaverint tibi (* neque enim est homo, qui non peccet) & iratus fueris eis, & tradideris hostibus, & captivos duxerint eos in terram longinquam, vel certe quæ juxta est, *3. Reg. 8. 46. Eccl. 7. 21. 1. Joan. 1. 8.

37. Et conversi in corde suo, in terra, ad quam captivi ducti fuerant, egerint pœnitentiam, & deprecati te fuerint in terra captivitatis suæ, dicentes: Peccavimus, inique fecimus, injuste egimus:

38. Et

19. (c) Quem cæli cælorum non capiunt, sed ut respicias orationem servi tui.

21. (d) Hinc colligimus orationes in templo fusas magis exaudiri quam aliis in locis, quod templum eam ob caussam fuerit extructum, ut fideles pectoribus una conjunctis Deum orent, ac demum unitas fidelium & charitas conserventur. Nam eo conveniunt ut unius Ecclesiæ membra, fidei & charitatis vinculo colligata; quod plurimum confert, ut orationes nostræ exaudiantur.

22. (e) Hebr. *Et tulerit in eo juramentum ad adjurandum eum*, hoc est, coegerit eum jurare, sive ad sacramentum adacta.

38. Et reversi fuerint ad te in toto corde suo, & in tota anima sua, in terra captivitatis suæ, ad quam ducti sunt, adorabunt te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum, & urbis quam elegisti, & domus quam ædificavi nomini tuo.

39. Tu exaudies de cælo, hoc est, de firmo habitaculo tuo preces eorum, & facias judicium, & dimittas populo tuo, quamvis peccaverit:

40. Tu es enim Deus meus: aperiantur, quæso, oculi tui, & aures tuæ intentæ sint ad orationem, quæ fit in loco isto:

* Ps. 131. 8. 41. * Nunc igitur consurge Domine Deus in requiem tuam, tu & arca fortitudinis tuæ: Sacerdotes tui Domine Deus induantur salutem (*f*), & Sancti tui lætentur in bonis.

42. Domine Deus ne averteris faciem christi tui: memento misericordiarum David servi tui.

CAPUT VII.

De iis agitur Lib. 3. Regum, cap. 8. & 9.

1. Cumque complesset Salomon fundens preces, ignis descendit de cælo, & devo-
* 2 Mach. 2. 8. ravit holocausta & victimas: * & majestas Domini implevit domum.

2. Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod implesset majestas Domini templum Domini.

3. Sed & omnes filii Israel videbant descendentem ignem, & gloriam Domini super domum: & corruentes proni in terram super pavimentum stratum lapide, adoraverunt, & laudaverunt Dominum: Quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

4. Rex autem, & omnis populus immolabant victimas coram Domino.

* 3 Reg. 8. 63. 5. * Mactavit igitur rex Salomon hostias, boum viginti duo millia, arietum centum viginti millia: & dedicavit domum Dei rex, & universus populus.

6. Sacerdotes autem stabant in officiis (*a*) suis: & Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David rex ad laudandum Dominum: Quoniam in æternum misericordia ejus, hymnos David canentes per manus suas: porro Sacerdotes canebant tubis ante eos, cunctusque Israel stabat.

7. Sanctificavit quoque Salomon medium atrii ante templum Domini: obtulerat enim ibi holocausta & adipes pacificorum: quia altare æneum, quod fecerat, non poterat sustinere holocausta & sacrificia & adipes.

8. Fecit ergo Salomon solemnitatem (*b*) in tempore illo septem diebus, & omnis Israel cum eo, ecclesia magna valde, ab introitu Emath usque ad Torrentem Ægypti.

9. Fecitque die octavo collectam, eo quod dedicasset altare septem diebus, & solemnitatem celebrasset diebus septem.

10. Igitur in die vigesimotertio mensis septimi dimisit populos ad tabernacula sua, lætantes atque gaudentes super bono, quod fecerat Dominus Davidi, & Salomoni, & Israeli populo suo:

11. * Complevitque Salomon domum Domi- * 3 Reg. 9. 1.
ni, & domum regia, & omnia quæ disposuerat in corde suo, ut faceret in domo Domini, & in domo sua, & prosperatus est.

12. Apparuit (*c*) autem ei Dominus nocte, & ait: Audivi orationem tuam, & elegi locum istum mihi in domum sacrificii.

13. Si clausero cælum, & pluvia non fluxerit, & mandavero & præcepero locustæ, ut devoret terram, & misero pestilentiam in populum meum:

14. Conversus autem populus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam a viis suis pessimis: & ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum.

15. Oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit.

16. Elegi enim, & sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.

17. Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit David pater tuus, & feceris juxta omnia quæ præcepi tibi, & justitias meas, judiciaque servaveris,

18. Suscitabo thronum regni tui, sicut pollicitus sum David patri tuo, dicens: Non auferetur de stirpe tua vir, qui sit princeps in Israel.

19. Si autem aversi fueritis, & dereliqueritis justitias meas, & præcepta mea, quæ proposui vobis, & abeuntes servieritis diis alienis, & adoraveritis eos,

20. Evellam vos de terra mea, quam dedi vobis: & domum hanc, quam sanctificavi nomini meo, projiciam a facie mea, & tradam eam in parabolam, & in exemplum cunctis populis.

21. Et domus ista erit in proverbium universis transeuntibus, & dicent stupentes: Quare fecit Dominus sic terræ huic, & domui huic?

22. Respondebuntque: Quia dereliquerunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxit eos de Terra Ægypti, & apprehenderunt deos alienos, & adoraverunt eos, & coluerunt: idcirco venerunt super eos universa hæc mala.

CA-

41. & 42. (*f*) Fos tuere & protege, atque aliis salutem procurent, eos adjuvando & instruendo. *Averteris*, aliæ editiones, *ne averteris*.

CAP. VII. 6. (*a*) Hebr. *In custodiis suis*; vel per custodias suas, ut LXX singuli per turmas distributi officiis suis fungebantur, quisque cum iis qui erant ex eadem sorte: *Hymnos David canentes per manus suas*, canere ad solam vocem, psallere dicitur cum instrumentis musicis Deo dicatis a Davide: in manu sua & in Alleluja, psallebant Psalmum 135. qui apud LXX. inscribitur הללויה, *Halleluja*, id est, Laudate Deum.

8. (*b*) Dedicatio facta est die 8. mensis septimi. Festum Tabernaculorum incipiebat die 15. die 22. facta collectio, seu jubilus, die proximo dimissus est populus.

12. (*c*) Multis post dedicationem templi annis.

C A P U T VIII.

Salomon civitates plurimas subigit: mittit classem in Ophir.

3.Reg.9.10. 1. EXpletis autem viginti annis, postquam ædificavit Salomon domum Domini & domum suam:

2. Civitates (*a*), quas dederat Hiram Salomoni, ædificavit, & habitare ibi fecit filios Israel.

3. Abiit quoque in Emath Suba, & obtinuit eam.

4. Et ædificavit Palmiram (*b*) in deserto, & alias civitates munitissimas ædificavit in Emath.

5. Extruxitque Bethoron superiorem, & Bethoron inferiorem, civitates muratas habentes portas & vectes & seras:

6. Balaath etiam & omnes urbes firmissimas, quæ fuerunt Salomonis, cunctasque urbes quadrigarum (*c*), & urbes equitum: omnia quæcumque voluit Salomon atque disposuit, ædificavit in Jerusalem & in Libano, & in universa terra potestatis suæ.

7. Omnem populum, qui derelictus fuerat de Hethæis, & Amorrhæis, & Pherezæis, & Hevæis, & Jebusæis, qui non erant de stirpe Israel:

8. De filiis eorum, & de posteris, quos non interfecerant filii Israel, subjugavit Salomon in tributarios, usque in diem hanc.

9. Porro de filiis Israel non posuit ut servirent (*d*) operibus regis: ipsi enim erant viri bellatores, & duces primi, & principes quadrigarum & equitum ejus.

10. Omnes autem principes exercitus regis Salomonis fuerunt ducenti (*e*) quinquaginta, qui erudiebant populum.

11. Filiam vero Pharaonis transtulit de Civitate David, in domum quam ædificaverat ei. Dixit enim rex: Non habitabit uxor mea in domo David regis Israel, eo quod sanctificata sit: quia ingressa est in eam arca Domini.

12. Tunc obtulit Salomon holocausta Domino super altare Domini, quod extruxerat ante porticum,

13. Ut per singulos dies offerretur in eo juxta præceptum Moysi in sabbatis & in calendis, & in festis diebus, ter per annum, id est, in solemnitate azymorum, & in solemnitate hebdomadarum, & in solemnitate tabernaculorum.

14. Et constituit juxta dispositionem David patris sui officia Sacerdotum in ministeriis suis: & Levitas in ordine suo, ut laudarent, & ministrarent coram Sacerdotibus, juxta ritum uniuscujusque diei: & janitores in divisionibus suis per portam & portam: sic enim præceperat David homo (*f*) Dei.

15. Nec prætergressi sunt de mandatis regis tam Sacerdotes, quam Levitæ ex omnibus, quæ præceperat, & in custodiis thesaurorum.

16. Omnes impensas præparatas habuit Salomon ex eo die, quo fundavit domum Domini usque in diem, quo perfecit eam.

17. Tunc abiit (*g*) Salomon in Asiongaber, & in Ailath ad oram Maris rubri, quæ est in Terra Edom.

18. Misit autem ei Hiram per manus servorum suorum naves (*h*), & nautas gnaros maris, & abierunt cum servis Salomonis in Ophir, tuleruntque inde quadringenta quinquaginta talenta auri, & attulerunt ad regem Salomonem.

C A P U T IX.

Regina Saba adventus, quæque cap. 10. in Lib. 3. Regum referuntur, in hoc capite enarrantur.

1. REgina quoque Saba, cum audisset famam 3.Reg.10.1. Matth. 12.
Salomonis, venit ut tentaret (*a*) cum 42.
in ænigmatibus in Jerusalem, cum magnis opi- Luc 11. 31.
bus & camelis, qui portabant aromata, & auri plurimum, gemmasque pretiosas. Cumque venisset ad Salomonem, locuta est ei quæcumque erant in corde suo.

2. Et exposuit ei Salomon omnia quæ proposuerat: nec quidquam fuit, quod non perspicuum ei fecerit.

3. Quæ postquam vidit, sapientiam scilicet Salomonis, & domum quam ædificaverat,

4. Necnon & cibaria mensæ ejus, & habitacula servorum, & officia ministrorum ejus, & vestimenta eorum, pincernas quoque & vestes eorum, & victimas quas immolabat in Domo Domini: non erat præ stupore ultra in ea spiritus.

5. Dixitque ad regem: Verus est sermo, quem audieram in terra mea de virtutibus (*b*) & sapientia tua.

6. Non credebam narrantibus, donec ipsa venissem, & vidissent oculi mei, & probassem vix medietatem sapientiæ tuæ mihi fuisse narratam: vicisti famam virtutibus tuis.

7. Bea-

CAP. VIII. 2. (*a*) Uterque alteri dedit civitates, aut forte Hiram Salomoni reddidit civitates quas dederat.

4. (*b*) Sita erat in Syria superiore, unius diei itinere ab Euphrate distabat. Hæc urbs fuit Regis Odenathi & Zenobiæ uxoris sedes: Hebr. תדמור *Thadmor*: a Græcis *Palmyra* vocitatur. Alii putant *Palmyram* alio nomine *Emath* appellari in tribu Nephthali ad radices Libani.

6. (*c*) Quæ equorum & curruum multitudini erant destinatæ.

9. (*d*) Perpetuis operibus ut extranei, sed horum alii aliis succedebant.

10. (*e*) Præcipui recensentur: nam Lib 3. Regum 550. ponuntur. *Qui erudiebant*. Hebr. *harodim baham*, הרדים בעם, *Dominantes in populo*, pluribus curam populi demandabat.

14. (*f*) Quo Deus usus fuerat, ut hunc ordinem constitueret.

17. (*g*) Per se, aut per alios a se missos. Portus erat in mari rubro, unde solvebatur in Ophir. Quidam volunt *Ceylam* insulam, alii *Sumatran*, aut regnum *Pegu*: verum ea de re alibi diximus.

18. (*h*) Eo nautas & artifices, qui naves paraverunt, missos nonnulli existimant, quod, ut ipsis videtur, a mari mediterraneo transmitti naves non potuerint in mare rubrum; qua de re Lib. 3. Regum cap. 9. egimus. *Quadringenta quinquaginta talenta*. Lib. 3. Regum 420. ponuntur: sed forte deducuntur impensæ navigationis in Lib. Regum etsi literæ Hebraicæ נ & כ quæ 20. & 50. notant, admodum sunt similes.

CAP. IX. 1. (*a*) Quæstiones illas non curiosas & inutiles fuisse, sed ad cultum & cognitionem Dei, aut ad mores spectasse hinc licet colligere, quod Lib. 3. Regum scriptum sit eam venisse, ut in nomine Domini tentaret eum in ænigmatibus. Sic Matthæo 10. Christus Dominus dicit Reginam Saba venisse a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & propterea in die judicii adversus Judæos surrecturam. Quod si curiosas magis quam utiles quæstiones proposuisset, non ita laudaretur a Christo Domino. *Cum magnis opibus*: Hebr. בחיל, *bechail*, *cum exercitu gravi*, magno comitatu.

5. (*b*) Hebr. *Verum est quod audieram de verbis tuis: aldevarecea*, על־דבריך, id est, de rebus tuis.

7. Beati viri tui, & beati servi tui, qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam.

8. Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare super thronum suum, regem Domini Dei tui. Quia diligit Deus Israel, & vult servare eum in æternum, idcirco posuit te super eum regem, ut facias judicia atque justitiam.

9. Dedit autem regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosissimas: non fuerunt aromata talia ut hæc, quæ dedit regina Saba regi Salomoni.

10. Sed & servi Hiram cum servis Salomonis attulerunt aurum de Ophir, & ligna thyina (c), & gemmas pretiosissimas:

11. De quibus fecit rex, de lignis scilicet thyinis, gradus in domo Domini, & in domo regia, citharas quoque, & psalteria cantoribus: nunquam visa sunt in Terra Juda ligna talia.

12. Rex autem Salomon dedit reginæ Saba cuncta quæ voluit, & quæ postulavit, & multo plura quam attulerat ad eum: quæ reversa, abiit in terram suam cum servis suis.

13. Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per singulos annos, sexcenta sexaginta sex talenta auri:

14. Excepta ea summa, quam legati (d) diversarum gentium, & negotiatores afferre consueverant, omnesque reges Arabiæ, & satrapæ terrarum, qui comportabant aurum & argentum Salomoni.

15. Fecit igitur rex Salomon ducentas hastas (e) aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur:

16. Trecenta quoque scuta aurea trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta: posuitque ea rex in armamentario, quod erat consitum (f) nemore.

17. Fecit quoque rex solium eburneum grande, & vestivit illud auro mundissimo.

18. Sex quoque gradus, quibus ascendebatur ad solium, & scabellum aureum, & brachiola (g) duo altrinsecus, & duos leones stantes juxta brachiola,

19. Sed & alios duodecim leunculos stantes super sex gradus ex utraque parte: non fuit tale solium in universis regnis.

20. Omnia quoque vasa convivii regis erant aurea, & vasa domus saltus Libani ex auro purissimo. Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur.

21. Siquidem naves regis ibant in Tharsis cum servis Hiram, semel in annis tribus: & deferebant inde aurum & argentum, & ebur, & simias, & pavos.

22. Magnificatus est igitur Salomon super omnes reges terræ præ divitiis & gloria.

23. Omnesque reges terrarum desiderabant videre faciem Salomonis, ut audirent sapientiam, quam dederat Deus in corde ejus:

24. Et deferebant ei munera, vasa argentea, & aurea, & vestes, & arma, & aromata, equos, & mulos, per singulos annos.

25. Habuit quoque Salomon quadraginta (h) millia equorum in stabulis, & curruum, equitumque duodecim millia, constituitque eos in urbibus quadrigarum, & ubi erat rex in Jerusalem.

26. Exercuit etiam potestatem super cunctos reges, a flumine Euphrate usque ad terram Philisthinorum, & usque ad terminos Ægypti.

27. Tantamque copiam præbuit argenti in Jerusalem quasi lapidum: & cedrorum tantam multitudinem velut sycomororum, quæ gignuntur in campestribus.

28. Adducebantur autem ei equi de Ægypto, cunctisque regionibus.

29. Reliqua autem operum Salomonis priorum & novissimorum, scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Ahiæ Silonitis, in visione quoque Addo Videntis, contra Jeroboam filium Nabat.

30. Regnavit autem Salomon in Jerusalem super omnem Israel quadraginta annis.

31. Dormivitque cum patribus suis, & sepelierunt eum in Civitate David: regnavitque Roboam filius ejus pro eo.

CAPUT X.

Quæ hoc capite continentur, eadem habentur Lib. 3. Regum cap. 11. & 12.

1. Profectus est autem Roboam in Sichem: 3. Reg. 12. 1.
illuc enim cunctus Israel convenerat ut constituerent eum regem.

2. Quod cum audisset Jeroboam filius Nabat, qui erat in Ægypto (fugerat quippe illuc ante Salomonem) statim reversus est.

3. Vocaveruntque eum, & venit cum universo Israel, & locuti sunt ad Roboam, dicentes:

4. Pater tuus durissimo jugo nos pressit (a), tu leviora impera patre tuo, qui nobis imposuit gravem servitutem, & paullulum de onere subleva, ut serviamus tibi.

5. Qui ait: Post tres dies revertimini ad me. Cumque abiisset populus,

6. Iniit consilium cum senibus, qui steterant coram patre ejus Salomone dum adhuc viveret, dicens: Quid datis consilii ut respondeam populo?

7. Qui

10. (c) Quænam illa sint, quisque, ut libitum est, conjiciat. De his fuse & docte Huetius in commentariis de navigationibus Salomonis. Hoc loco אלגומים, *Algummim*, in Libro Regum אלמגים. *Almugim* [illegible] transpositis litteris, quod hebræis frequens est. Thia arbor ex Plinio lib. 13. cap. 16. domorum constructioni utilis est: adversus cariem incorruptam se tuetur. Citrum esse existimat Huetius non eam arborem, quæ fert medica mala, sed illam, ex qua homani mensas pretiosas concinnarunt. Citrus illa est de genere cedrorum, atque hinc origo nominis; nam quæ in Græcia cedrus, eadem est citrus in Africa & apud Romanos. Cedrus ex Vitruvio Lib. 2. cap. 9. cupressum habet foliaturam, perinde ut citrus.

14. (d) Hebr. *Sacharim*, סחרים, id est Mercatores. Et *satrapæ terrarum*, præfecti Provinciarum.

15. (e) Lib. 3. Regum, ducenta scuta: vox Hebræa *Tsinna*, צנה, utrumque significat.

16. (f) Forte situm in nemore, aut cinctum. *Scuta aurea* 300. *aureorum*, vide Lib. 3. Reg. cap. 10. vers. 16.

18. (g) Loricam, ne cadat qui ascendit; Hebr. *Et manus hinc inde*: quod manus tenet inter ascendendum, aut descendendum.

25. & 26. (h) Hebr. 400. stabula equorum, in singulis stabulis decem equi. *Exercuit*, erat præcipuus omnium Regum.

CAP. X. 4. (a) Non conquesti fuerant antea; nam magna erat auri & argenti copia, & in res utiles impensæ factæ fuerant: sed sumptus ad explendam tot mulierum cupiditatem & templa idolis construenda immodici querelas populi expressesunt.

7. Qui dixerunt ei : Si placueris populo huic, & leniveris eos verbis clementibus, servient tibi omni tempore.

8. At ille reliquit consilium senum, & cum juvenibus tractare cœpit, qui cum eo nutriti fuerant, & erant in comitatu illius.

9. Dixitque ad eos : Quid vobis videtur? vel respondere quid debeo populo huic, qui dixit mihi : Subleva jugum quod imposuit nobis pater tuus?

10. At illi responderunt ut juvenes, & nutriti cum eo in deliciis, atque dixerunt : Sic loqueris populo, qui dixit tibi : Pater tuus aggravavit jugum nostrum, tu sublevа : & sic respondebis ei : Minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei.

11. Pater meus imposuit vobis grave jugum, & ego majus pondus apponam : pater meus cecidit vos flagellis, ego vero cædam vos scorpionibus (*b*).

12. Venit ergo Jeroboam, & universus populus ad Roboam die tertio, sicut præceperat eis.

13. Respunditque rex dura, derelicto consilio seniorum :

14. Locutusque est juxta juvenum voluntatem : Pater meus grave vobis imposuit jugum, quod ego gravius faciam : pater meus cecidit vos flagellis, ego vero cædam vos scorpionibus.

15. Et non acquievit populi precibus : erat enim voluntatis Dei, ut compleretur sermo ejus, * quem locutus fuerat per manum Ahiæ Silonitis ad Jeroboam filium Nabat.

* 3. Reg. 11. 29.

16. Populus autem universus, rege duriora dicente, sic locutus est ad eum : Non est nobis pars in David, neque hæreditas in filio Isai. Revertere in tabernacula tua Israel, tu autem pasce domum tuam David (*c*). Et abiit Israel in tabernacula sua.

17. Super filios autem Israel, qui habitabant in civitatibus Juda, regnavit Roboam.

18. Misitque rex Roboam Aduram, qui præerat tributis, & lapidaverunt eum filii Israel, & mortuus est : porro rex Roboam currum festinavit ascendere, & fugit in Jerusalem.

19. Recessitque Israel a domo David, usque ad diem hanc.

CAPUT XI.

Responsum Roboam, quæque secuta sunt, Lib. 3. Regum, & hoc capite continentur.

1. VEnit autem Roboam in Jerusalem, & convocavit universam domum Juda & Benjamin, centum octoginta millia electorum atque bellantium, ut dimicaret contra Israel, & converteret ad se regnum suum.

3. Reg. 12. 21.

2. Factusque est sermo Domini ad Semejam hominem Dei, dicens :

3. Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Juda, & ad universum Israel, qui est in Juda & Benjamin :

4. Hæc dicit Dominus : Non ascendetis, neque pugnabitis contra fratres vestros : revertatur unusquisque in domum suam, quia mea hoc gestum est voluntate. Qui cum audissent sermonem Domini, reversi sunt, nec perrexerunt contra Jeroboam.

5. Habitavit autem Roboam in Jerusalem, & ædificavit civitates muratas in Juda.

6. Extruxitque Bethlehem, & Etam, & Thecue,

7. Bethsur quoque, & Socho, & Odollam,

8. Necnon & Geth, & Maresa, & Ziph,

9. Sed & Aduram, & Lachis, & Azeca,

10. Saraa quoque, & Ajalon, & Hebron, quæ erant in Juda & Benjamin, civitates munitissimas.

11. Cumque clausisset eas muris, posuit in eis principes, ciborumque horrea, hoc est, olei, & vini.

12. Sed & in singulis urbibus fecit armamentarium scutorum & hastarum, firmavitque eas summa diligentia, & imperavit super Judam, & Benjamin.

13. Sacerdotes autem & Levitæ, qui erant in universo Israel, venerunt ad eum de cunctis sedibus suis,

14. Relinquentes suburbana & possessiones suas, & transeuntes ad Judam, & Jerusalem : eo quod abjecisset eos Jeroboam, & posteri ejus, ne sacerdotio Domini fungerentur.

15. Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum, & dæmoniorum, vitulorumque quos fecerat.

16. Sed & de cunctis tribubus Israel, quicumque dederant cor suum ut quærerent Dominum Deum Israel, venerunt in Jerusalem ad immolandum victimas suas coram Domino Deo patrum suorum.

17. Et roboraverunt (*a*) regnum Juda, & confirmaverunt Roboam filium Salomonis per tres annos : ambulaverunt enim in viis David & Salomonis, annis tantum tribus.

18. Duxit autem Roboam uxorem Mahalath, filiam Jerimoth, filii David : Abihail quoque filiam Eliam filii Isai,

19. Quæ peperit ei filios Jehus, & Somoriam, & Zoom.

20. Post hanc quoque accepit Maacha (*b*) filiam Absalom, quæ peperit ei Abia, & Ethai, & Ziza, & Salomith.

21. Amavit autem Roboam Maacha filiam Absalom super omnes uxores suas, & concubinas : nam uxores decem & octo duxerat, concubinas autem sexaginta : & genuit viginti octo filios, & sexaginta filias.

22. Constituit vero in capite, Abiam (*c*) filium Maacha ducem super omnes fratres suos : ipsum enim regem facere cogitabat,

23. Quia sapientior fuit, & potentior super omnes filios ejus, & in cunctis finibus Juda, & Benjamin, & in universis civitatibus muratis : præbuitque (*d*) eis escas plurimas, & multas petivit uxores.

CA-

11. & 15. (*b*) Flagellis aculeatis. *Voluntas* : Deus permisit ut Roboam tam stultum juvenum consilium sequeretur, simul ea ratione ultus est Salomonis peccatum, & vaticinium Ahiæ complevit.

16. (*c*) Rege illam, huic consule o Roboam.

CAP. XI. 17. (*a*) Ex concursu populorum firmatum est regnum Juda per tres annos : *In viis David & Salomonis*, antequam hic peccaret.

20. (*b*) Quæ sæpius hic *Maacha* dicitur, eadem est quæ *Michaja*. cap. 13. vers. 2.

22. (*c*) Hebr. *Constituit in caput* : ut esset caput.

23. (*d*) Muratis nimirum civitatibus : *Et multas petivit uxores* : fecit ut multas ducerent uxores : hic versiculus obscurior est.

CAPUT XII.

Sesac Rex Ægypti spoliat templum. Vide Lib. 3. Regum cap. 14. & 15.

1. Cumque roboratum fuisset regnum Roboam & confortatum, dereliquit legem Domini, & omnis Israel cum eo.

2. Anno autem quinto regni Roboam, ascendit Sesac (*a*) rex Ægypti in Jerusalem (quia peccaverant Domino)

3. Cum mille ducentis curribus, & sexaginta millibus equitum: nec erat numerus vulgi quod venerat cum eo ex Ægypto, Libyes scilicet, & Troglodytæ, & Æthiopes.

4. Cepitque civitates munitissimas in Juda, & venit usque in Jerusalem.

5. Semejas autem propheta ingressus est ad Roboam, & principes Juda, qui congregati fuerant in Jerusalem, fugientes Sesac, dixitque ad eos: Hæc dicit Dominus: Vos reliquistis me, & ego reliqui vos in manu Sesac.

6. Consternatique principes Israel & rex dixerunt: Justus est Dominus.

7. Cumque vidisset Dominus, quod humiliati essent, factus est sermo Domini ad Semejam, dicens: Quia humiliati sunt, non disperdam eos, daboque eis pauxillum auxilii, & non stillabit (*b*) furor meus super Jerusalem per manum Sesac.

8. Verumtamen servient ei, ut sciant distantiam servitutis meæ, & servitutis regni terrarum.

9. Recessit itaque Sesac rex Ægypti ab Jerusalem, sublatis thesauris domus Domini, & domus regis, omniaque secum tulit, & clypeos aureos, quos fecerat Salomon,

10. Pro quibus fecit rex æneos, & tradidit illos principibus scutariorum, qui custodiebant vestibulum palatii.

11. Cumque introiret rex domum Domini, veniebant scutarii, & tollebant eos, iterumque referebant eos ad armamentarium suum.

12. Verumtamen quia humiliati sunt, aversa est ab eis ira Domini, nec deleti sunt penitus: siquidem & in Juda inventa sunt opera bona.

* 3. Reg. 14. 21. 13. * Confortatus est ergo rex Roboam in Jerusalem, atque regnavit: quadraginta autem & unius anni erat cum regnare cœpisset, & decem & septem annis regnavit in Jerusalem, urbe, quam elegit Dominus, ut confirmaret nomen suum ibi, de cunctis tribubus Israel: nomen autem matris ejus Naama Ammanitis.

14. Fecit autem malum, & non præparavit (*c*) cor suum ut quæreret Dominum.

15. Opera vero Roboam prima & novissima scripta sunt in Libris Semejæ prophetæ, & Addo Videntis, & diligenter exposita: pugnaveruntque adversum se Roboam & Jeroboam cunctis diebus.

16. Et dormivit Roboam cum patribus suis, sepultusque est in Civitate David. Et regnavit Abia filius ejus pro eo.

CAPUT XIII.

Oratio Abiæ Regis ad Israelitas: vincitur Jeroboam cum Abiæ strueret insidias.

1. Anno octavo decimo regis Jeroboam, regnavit Abia super Judam. 3. Reg. 15. 2.

2. Tribus annis regnavit in Jerusalem, nomenque matris ejus Michaja, filia Uriel (*a*) de Gabaa: & erat bellum inter Abiam & Jeroboam.

3. * Cumque iniisset Abia certamen, & haberet bellicosissimos viros, & electorum quadringenta millia: Jeroboam instruxit econtra aciem octingenta millia virorum, qui & ipsi electi erant, & ad bella fortissimi. * 3. Reg. 15. 7.

4. Stetit ergo Abia super montem Semeron, qui erat in Ephraim, & ait: Audi Jeroboam, & omnis Israel:

5. Num ignoratis quod Dominus Deus Israel dederit regnum David super Israel in sempiternum, ipsi & filiis ejus in pactum salis?

6. Et surrexit Jeroboam filius Nabat, servus Salomonis filii David: * & rebellavit contra dominum suum. * 3. Reg. 11. 26.

7. Congregatique sunt ad eum viri vanissimi, & filii Belial: & prævaluerunt contra Roboam filium Salomonis; porro Roboam erat rudis (*b*), & corde pavido, nec potuit resistere eis.

8. Nunc ergo vos dicitis quod resistere possitis regno Domini, quod possidet per filios David, habetisque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos fecit vobis Jeroboam in deos.

9. * Et ejecistis Sacerdotes Domini, filios Aaron, atque Levitas: & fecistis vobis Sacerdotes sicut omnes populi terrarum: quicumque venerit, & initiaverit manum suam (*c*) in tauro de bobus, & in arietibus septem, fit sacerdos eorum, qui non sunt dii. * 3. Reg. 12. 31.

10. Noster autem Dominus, Deus est, quem non relinquimus, Sacerdotesque ministrant Domino de filiis Aaron, & Levitæ sunt in ordine suo:

11. Holocausta quoque offerunt Domino per singulos dies mane & vespere, & thymiama juxta legis præcepta confectum, & proponuntur panes in mensa mundissima, estque apud nos candelabrum aureum, & lucernæ ejus, ut accendantur semper ad vesperam: nos quippe custodimus præcepta Domini Dei nostri, quem vos reliquistis.

12. Ergo

CAP. XII. 2. (*a*) Hebr. שישק, hic forte est *Sebachus*, seu *Sabachus*, genere Æthiops apud Herodotum: *Et Troglodytæ*, Hebr. *Sukim*, סכיים. Arabes qui habitabant in tentoriis: idipsum significat vox Hebræa.

7. & 10. (*b*) Non effundam: trihoerios fecit Sesac. *Scutariorum*, Hebr. *Cursorum*, satellitum prætorianorum.

14. (*c*) Per idoneam pœnitentiam, vel non direxit cor suum.

CAP. XIII. 2. (*a*) Apud LXX. vocatur Μααχά, quæ multis videtur fuisse filia Absalon, seu ut scribunt LXX. Ἀβεσσαλώμ, quem Hieronymus non putat fuisse *Absalom* filium David, cujus unica fuit filia Thamar, 2. Reg. 14. quique non erat ex Gabaon, ut Uriel, sed ex Hebron, & 3. Reg. 15. vocant *Abessalom*, non *Absalom*, Lib. 3. Reg. 15. dicitur mater Asa, idest avia.

7. (*b*) Hebr. *Nahar*, נער, Gr. νεώτερος, non ætate, sed prudentia.

9. (*c*) Id sæpius alibi Sept. interpretantur πληρῶσαι τὰς χεῖρας, consecrare manus suas. Scriptura enim solet vocare consecrationem sacerdotum, impletionem manuum.

12. Ergo in exercitu nostro dux Deus est, & Sacerdotes ejus, qui clangunt tubis, & resonant contra vos: filii Israel nolite pugnare contra Dominum Deum patrum vestrorum, quia non vobis expedit.

13. Hæc illo loquente, Jeroboam retro moliebatur insidias. Cumque ex adverso hostium staret, ignorantem Judam suo ambiebat exercitu.

14. Respiciensque Judas vidit instare bellum ex adverso & post tergum, & clamavit ad Dominum: ac Sacerdotes tubis canere cœperunt.

15. Omnesque viri Juda vociferati sunt: & ecce illis clamantibus, perterruit Deus Jeroboam, & omnem Israel qui stabat ex adverso Abia & Juda.

16. Fugeruntque filii Israel Judam, & tradidit eos Deus in manu eorum.

17. Percussit ergo eos Abia, & populus ejus, plaga magna: & corruerunt vulnerati ex Israel quingenta (*d*) millia virorum fortium.

18. Humiliatique sunt filii Israel in tempore illo, & vehementissime confortati filii Juda, eo quod sperassent in Domino Deo patrum suorum.

19. Persecutus est autem Abia fugientem Jeroboam, & cepit civitates ejus, Bethel & filias ejus, & Jesana cum filiabus suis, Ephron quoque & filias ejus:

20. Nec valuit ultra resistere Jeroboam in diebus Abia: quem (*e*) percussit Dominus, & mortuus est.

21. Igitur Abia, confortato imperio suo, accepit uxores quatuordecim: procreavitque viginti duos filios, & sedecim filias.

22. Reliqua autem sermonum Abia, viarumque & operum ejus, scripta sunt diligentissime in Libro Addo Prophetæ.

CAPUT XIV.

Præter ea quæ Lib. 3. Regum sunt exposita, hoc caput victoriam Asæ de Æthiopibus continet.

3. Reg. 15. 8. 1. DOrmivit autem Abia cum patribus suis, & sepelierunt eum in Civitate David: regnavitque Asa filius ejus pro eo, in cujus diebus quievit terra annis decem (*a*).

2. Fecit autem Asa quod bonum & placitum erat in conspectu Dei sui, & subvertit altaria peregrini cultus, & excelsa,

3. Et confregit statuas, lucosque succidit:

4. Et præcepit Judæ ut quæreret Dominum Deum patrum suorum, & faceret legem, & universa mandata:

5. Et abstulit de cunctis urbibus Juda aras, & fana, & regnavit in pace.

6. Ædificavit quoque urbes munitas in Juda, quia quietus erat, & nulla temporibus ejus bella surrexerant, pacem Domino largiente.

7. Dixit autem Judæ: Ædificemus civitates istas, & vallemus muris, & roboremus turribus, & portis, & seris, donec a bellis quieta sunt omnia, eo quod quæsierimus Dominum Deum patrum nostrorum, & dederit nobis pacem per gyrum. Ædificaverunt igitur, & nullum in extruendo impedimentum fuit.

8. Habuit autem Asa in exercitu suo portantium scuta & hastas de Juda trecenta millia, de Benjamin vero scutariorum & sagittariorum ducenta octoginta millia, omnes isti viri fortissimi.

9. Egressus est autem contra eos Zara (*b*) Æthiops cum exercitu suo, decies centena millia, & curribus trecentis: & venit usque Maresa.

10. Porro Asa perrexit obviam ei, & instruxit aciem ad bellum in Valle Sephata, quæ est juxta Maresa:

11. Et invocavit Dominum Deum, & ait:
* Domine non est apud te ulla distantia, utrum *1. Reg. 14.
in paucis auxilieris, an in pluribus: adjuva 6.
nos Domine Deus noster: in te enim, & in tuo nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine Deus noster tu es, non prævaleat contra te homo.

12. Exterruit itaque Dominus Æthiopes coram Asa & Juda: fugeruntque Æthiopes.

13. Et persecutus est eos Asa, & populus, qui cum eo erat, usque Gerara: & ruerunt Æthiopes usque ad internecionem, quia Domino cædente contriti sunt, & exercitu illius præliante. Tulerunt ergo spolia multa,

14. Et percusserunt civitates omnes per circuitum Geraræ: grandis quippe cunctos terror invaserat: & diripuerunt urbes, & multam prædam asportaverunt.

15. Sed & caulas ovium destruentes, tulerunt pecorum infinitam multitudinem, & camelorum: reversique sunt in Jerusalem.

CAPUT XV.

Redeunti Asæ a victoria, Azarias propheta promittit cuncta prospera, si idola destruat, & cultum Dei instauret. Immo adversa omnia Judæis fore eventura, nisi cum Deum suum deseruerint.

1. AZarias autem filius Oded (*a*), facto in se spiritu Dei,

2. Egressus est in occursum Asa, & dixit ei: Audite me Asa, & omnis Juda & Benjamin: Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo. Si quæsieritis eum, invenietis: si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.

3. Transi-

17. (*d*) Tam occisa quam vulnerata. Alii ex Hebræo legunt, septuaginta millia.

20. (*e*) Dubium est, an de Abia, vel de Jeroboam sit sermo. Sed longe probabilius est de Jeroboam hæc dici.

CAP. XIV. 1. (*a*) Hoc est, ab anno Asæ quarto ad initium anni 15. nam ex Lib. 3. Reg. cap. 15. 23. prioribus Asæ annis tumultus fuerant, anno ejus 15. bellum exortum est cum Zara Rege Æthiopiæ.

9. (*b*) Qui post *Sesac* regnavit ante *Sethonem*; seu genere Æthiops fuerit, seu colore nigro; dubitari solet, an Æthiopia, cujus hoc loco fit mentio, sit Arabiæ vicina; an Ægyptus, an Abyssinorum regio; nam cap. 16. vers. 8 dicitur: *Nonne Æthiopes & Lybies multo plures erant quadrigis & equitibus & multitudine nimia?* Forsan ut Rex ille Æthiopiæ totius Asiæ affectabat imperium, & ex sterili solo in uberius commeare decreverit. *Usque Maresa*, urbem tribus Juda ex Adrichomio.

1. (*a*) Ut secernatur ab *Azaria*, qui tum erat Pontifex a *Facto in se spiritu Dei*, concepto in se spiritu prophetico, Asæ prædicit tempora luctuosa, & præsertim Judæorum bellum futurum. CAP. XV.

3. Transibunt (*b*) autem multi dies in Israel absque Deo vero, & absque sacerdote doctore, & absque lege.

4. Cumque reversi fuerint in angustia sua ad Dominum Deum Israel, & quæsierint eum, reperient eum.

5. In tempore illo non erit pax egredienti & ingredienti, sed terrores undique in cunctis habitatoribus terrarum:

6. Pugnabit enim gens contra gentem, & civitas contra civitatem, quia Dominus conturbabit eos in omni angustia.

7. Vos ergo confortamini, & non dissolvantur manus vestræ: erit enim merces operi vestro,

8. Quod cum audisset Asa, verba scilicet & prophetiam Azariæ filii Oded prophetæ, confortatus est, & abstulit idola de omni terra Juda, & de Benjamin, & ex urbibus, quas ceperat (*c*), montis Ephraim, & dedicavit altare Domini quod erat ante porticum Domini.

9. Congregavitque universum Judam & Benjamin, & advenas cum eis de Ephraim, & de Manasse, & de Simeon: plures enim ad eum confugerant ex Israel, videntes quod Dominus Deus illius esset cum eo.

10. Cumque venissent in Jerusalem mense tertio, anno decimoquinto regni Asa,

11. Immolaverunt Domino in die illa de manubiis, & præda, quam adduxerant, boves septingentos, & arietes septem millia.

12. Et intravit ex more ad corroborandum fœdus, ut quærerent Dominum Deum patrum suorum in toto corde, & in tota anima sua.

13. Si quis autem, inquit, non quæsierit Dominum Deum Israel, moriatur, a minimo usque ad maximum, a viro usque ad mulierem.

14. Juraveruntque Domino voce magna in jubilo, & in clangore rubæ, & in sonitu buccinarum,

15. Omnes qui erant in Juda cum execratione (*d*): in omni enim corde suo juraverunt, & in tota voluntate quæsierunt eum, & invenerunt: præstititque eis Dominus requiem per circuitum.

16. Sed & Maacham matrem Asa regis ex augusto deposuit (*e*) imperio, eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi: quod omne contrivit, & in frusta comminuens combussit in Torrente Cedron.

17. Excelsa autem derelicta sunt in Israel: attamen cor Asa erat perfectum (*f*) cunctis diebus ejus.

18. Eaque quæ voverat pater suus, & ipse, intulit in domum Domini, argentum, & aurum, vasorumque diversam supellectilem.

19. Bellum vero non fuit usque ad trigesimum quintum annum regni (*g*) Asa.

CAPUT XVI.

Asa evocat Regem Syriæ adversus Baasam Regem Israel, qui Judam invaserat. Propheta Hanani eum reprehendit ob societatem initam cum Syro. Asa in nervum conjicit Hanani. Asa moritur anno regni sui 41.

1. ANno autem trigesimo (*a*) sexto regni ejus, ascendit Baasa rex Israel in Judam, & muro circumdabat Rama, ut nullus tute posset egredi & ingredi de regno Asa.

2. Protulit ergo Asa argentum & aurum de thesauris domus Domini, & de thesauris regis, misitque ad Benadad regem Syriæ, qui habitabat in Damasco, dicens:

3. Fœdus inter me & te est, pater quoque meus & pater tuus habuere concordiam: quam ob rem misi tibi argentum & aurum, ut rupto fœdere, quod habes cum Baasa rege Israel, facias eum a me recedere.

4. Quo comperto, Benadad misit principes exercituum suorum ad urbes Israel: qui percusserunt Ahion, & Dan, & Abelmaim, & universas urbes Nephthali muratas.

5. Quod cum audisset Baasa, desiit ædificare Rama, & intermisit opus suum.

6. Porro Asa rex assumpsit universum Judam, & tulerunt lapides de Rama, & ligna quæ ædificationi præparaverat Baasa, ædificavitque ex eis Gabaa, & Maspha.

7. In tempore illo venit Hanani propheta ad Asa regem Juda, & dixit ei: Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo: idcirco evasit Syriæ regis exercitus de manu tua.

8. * Nonne Æthiopes, & Libyes multo plures erant quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia, quos, cum Domino credidisses, tradidit in manu tua? *Sup.14.9.

9. Oculi enim Domini contemplantur (*b*) universam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum. Stulte igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tempore adversum te bella consurgent.

10. Iratusque Asa adversus Videntem, jussit eum mitti in nervum: valde quippe super hoc fuerat indignatus: & interfecit (*c*) de populo in tempore illo plurimos.

11. Ope-

3. (*b*) Sine cultu veri Dei, sine ullo sacerdote legitimo, sine lege ad salutem necessaria. Vulgatus Interpres addit, *transibunt*. Nihil huic verbo respondet nec in Hebræo textu nec in Græco. Quidam existimant posse etiam suppleri, *fuerant*, nempe sub Jeroboam undecim tribubus.

8. (*c*) Adversus Baasa Regem Israel: *Et ædificavit altare Domini, quod erat ante porticum Domini*; ante vestibulum templi, in atrio sacerdotum.

15. (*d*) Malum transgressoribus imprecantes.

16. (*e*) Hebr. *Removit eam a Domina*, ne Regina esset, ne se rebus publicis immisceret, vel potius ne præesset sacris, sive Astartæ ministraret.

17. (*f*) Quoad exteriorem Dei cultum: nam in nonnullis peccavit graviter, cum scilicet non fisus in Deo confisus a Benadad Rege Syriæ petiit auxilium contra Regem Israel Baasa, & Prophetam Hanani, qui eam ob rem eum reprehenderat, conjecit in carcerem, & multos occidit iratus.

19. (*g*) Id est, regni Judaici a morte Salomonis. Capite sequenti Baasa Rex Israel dicitur ascendisse in Judam anno 36. regni Asa, qui annus proprius erat regni Asæ, annus ejus erat de imus sextus proximus ab Æthiopica victoria. Nam Lib. 3. Regum 16. dicitur Baasa obiisse anno 26. Regis Asa. Itaque bellum non fuit usque ad 35. annum regni Judæ, quod obtinebat Rex Asa: nam Roboam regnavit 17. annis, Abia triennio, quibus si addas 15. erunt anni 35. Alii legendum putant, *quintum annum*, quod toto vitæ suæ tempore dicatur bellasse cum Baasa. Lib. 3. Reg. 15.

CAPUT XVI.

1. (*a*) Alii legendum putant, vigesimo.

9. (*b*) Hebr. Oculi Domini peragrantes ad fortificandum, seu ad opitulandum iis, qui sunt corde perfecto, corde non diviso Deum inter & creaturas. *Adversum te*, adversum filium.

10. & 11. (*c*) Sept. Interpret. ἐλυμήνατο, vastavit, læsit populum id ægre ferentem, & eos interficit qui a Prophetæ partibus stabant. *Scripta sunt in Libro Regum*, non in iis libris quos habemus, sed in aliis qui exciderunt.

11. Opera autem Asa prima & novissima scripta sunt in Libro regum Juda & Israel.

12. Ægrotavit etiam Asa anno trigesimo nono regni sui, dolore pedum vehementissimo, & nec in infirmitate sua quæsivit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus (d) est.

13. Dormivitque cum patribus suis: & mortuus est anno quadragesimo primo regni sui.

14. Et sepelierunt eum in sepulcro suo quod foderat sibi in Civitate David: posueruntque eum super lectum suum plenum aromatibus & unguentis meretriciis (e), quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione nimia.

CAPUT XVII.

Josaphat patri Asæ succedit; mittit Doctores Legis per universum Juda, qui doceant populum.

1. REgnavit autem Josaphat filius ejus pro eo, & invaluit contra Israel.

2. Constituitque militum numeros in cunctis urbibus Juda, quæ erant vallatæ muris. Præsidiaque disposuit in terra Juda, & in civitatibus Ephraim, quas ceperat Asa pater ejus.

3. Et fuit Dominus cum Josaphat, quia ambulavit in viis David patris sui primis (a): & non speravit in Baalim,

4. Sed in Deo patris sui, & perrexit in præceptis illius, & non juxta peccata Israel.

5. Confirmavitque Dominus regnum in manu ejus, & dedit omnis Juda munera Josaphat: factæque sunt ei infinitæ divitiæ, & multa gloria.

6. Cumque sumpsisset cor ejus audaciam propter vias Domini, etiam excelsa & lucos de Juda abstulit.

7. Tertio autem anno regni sui misit de principibus suis Benhail, & Obdiam, & Zachariam, & Nathanael, & Michæam, ut docerent in civitatibus Juda:

8. Et cum eis Levitas, Semeiam, & Nathaniam, & Zabadiam, Asael quoque, & Semiramoth, & Jonathan, Adoniamque, & Thobiam, & Thobadoniam Levitas, & cum eis Elisama, & Joram Sacerdotes.

9. Docebantque populum in Juda, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas urbes Juda, atque erudiebant populum.

10. Itaque factus est pavor Domini super omnia regna terrarum, quæ erant per gyrum Juda, nec audebant bellare contra Josaphat.

11. Sed & Philisthæi Josaphat munera deferebant, & vectigal argenti, Arabes quoque adducebant pecora, arietum septem millia septingenta, & hircorum totidem.

12. Crevit ergo Josaphat, & magnificatus est usque in sublime: atque ædificavit in Juda domos ad instar turrium, urbesque muratas.

13. Et multa opera paravit in urbibus Juda: viri quoque bellatores, & robusti erant in Jerusalem,

14. Quorum iste numerus per domos atque familias singulorum: In Juda principes exercitus, Ednas dux, & cum eo robustissimi viri trecenta millia.

15. Post hunc Johanan princeps, & cum eo ducenta octoginta millia.

16. Post illum quoque Amasias filius Zechri, consecratus (b) Domino, & cum eo ducenta millia virorum fortium.

17. Hunc sequebatur robustus ad prælia Eliada, & cum eo tenentium arcum & clypeum ducenta millia.

18. Post istum etiam Jozabad, & cum eo centum octoginta millia expeditorum militum.

19. Hi omnes erant ad manum regis, exceptis aliis, quos posuerat in urbibus muratis, in universo Juda.

CAPUT XVIII.

Josaphat, juncta affinitate cum impio Achab, una cum eo ad bellum proficiscitur. Reliqua videri possunt Lib. 3. Regum c. 22.

1. FUit ergo Josaphat dives & inclytus multum, & affinitate (a) conjunctus est Achab.

2. Descenditque (b) post annos ad eum in Samariam: ad cujus adventum mactavit Achab arietes, & boves plurimos, ipsi, & populo qui venerat cum eo: persuasitque illi ut ascenderet in Ramoth Galaad.

3. Dixitque Achab rex Israel ad Josaphat regem Juda: Veni mecum in Ramoth Galaad. Cui ille respondit: Ut ego, & tu: sicut populus tuus, sic & populus meus: tecumque erimus in bello.

4. Dixitque Josaphat ad regem Israel: Consule obsecro impræsentiarum sermonem Domini.

5. Congregavit igitur rex Israel prophetarum quadringentos viros, & dixit ad eos: in Ramoth Galaad ad bellandum ire debemus, an quiescere? At illi, Ascende, inquiunt, & tradet Deus in manu regis.

6. Dixitque Josaphat: Numquid non est hic prophetes Domini, ut ab illo etiam requiramus?

7. Et ait rex Israel ad Josaphat: Est vir unus, a quo possumus quærere Domini voluntatem: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum omni tempore: est autem Michæas filius Jemla. Dixitque Josaphat: Ne loquaris rex hoc modo.

8. Voca-

12. (d) Hebr. *Ki barophaim*. כי ברפאים, *quia in medicis*, supple *confidit*: non tamen ideo reprehenditur, quod medicos consuluerit, sed quia precibus & pœnitentia Deum non adierit.

14. (e) Valde fragrantibus, qualia adhibere solent meretrices, ut incautos decipiant. In hodierno codice Hebræo legitur *Zenim*, זנים, vox est Chaldæa, quæ significat varia cujusque rei genera; vulgatus interpres legit *Zonim*, זונים, quæ *meretrices* significat. Græc. γένη μύρων μυρεψῶν, *genera unguentorum unguentariorum*.

CAPUT XVII.

3. (a) Antequam peccasset. MS. Gothicum, quo usus est Mariana, addit *Et novissimis*; quæ aliis in locis poni solent. *Et non speravit in Baalim*: Hebr. Non *quæsivit* Baalim, aut Idola.

16. (b) Qui ut Deo placeret, se militiæ devoverat sine stipendio. LXX. *Promptus Domino*.

CAPUT XVIII.

1. (a) Filius ejus factus est gener Achab, Athalia filia Achab nupsit Joram filio Josaphat.

2. (b) Tertio regni sui anno. *Persuasitque illi ut ascenderet in Ramoth Galaad*: urbs erat in tribu Gad, quam Syri injuria occupabant.

8. Vocavit ergo rex Israel unum de eunuchis (*c*), & dixit ei: Voca cito Michæam filium Jemla.

9. Porro rex Israel, & Josaphat rex Juda uterque sedebant in solio suo, vestiti cultu regio: sedebant autem in area juxta portam Samariæ, omnesque prophetæ vaticinabantur coram eis.

10. Sedecias vero filius Chanaana fecit sibi cornua (*d*) ferrea, & ait: Hæc dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec conteras eam.

11. Omnesque prophetæ similiter prophetabant, atque dicebant: Ascende in Ramoth Galaad, & prosperaberis, & tradet eos Dominus in manu regis.

12. Nuntius autem, qui ierat ad vocandum Michæam, ait illi: En verba omnium prophetarum uno ore bona regi annuntiant: quæso ergo te ut & sermo tuus ab eis non dissentiat, loquarisque prospera.

13. Cui respondit Michæas: Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Deus meus, hoc loquar.

14. Venit ergo ad regem. Cui rex ait: Michæa, ire debemus in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Cui ille respondit: Ascendite, cuncta enim prospera evenient, & tradentur hostes in manus vestras.

15. Dixitque rex: Iterum, atque iterum te adjuro, ut mihi non loquaris, nisi quod verum est, in nomine Domini.

16. At ille ait: Vidi universum Israel dispersum in montibus, sicut oves absque pastore: & dixit Dominus: Non habent isti dominos: revertatur unusquisque in domum suam in pace.

17. Et ait rex Israel ad Josaphat: Nonne dixi tibi, quod non prophetaret iste mihi quidquam boni, sed ea, quæ mala sunt?

18. At ille, Idcirco, ait, audite verbum Domini: Vidi Dominum sedentem in solio suo, & omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris & a sinistris.

19. Et dixit Dominus: Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat & corruat in Ramoth Galaad? Cumque diceret unus hoc modo, & alter alio:

20. Processit spiritus, & stetit coram Domino, & ait: Ego decipiam eum. Cui Dominus, In quo, inquit, decipies?

21. At ille respondit: Egrediar (*e*): & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Dixitque Dominus: Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita.

22. Nunc igitur, ecce Dominus dedit spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum, & Dominus locutus est de te mala.

23. Accessit autem Sedecias filius Chanaana, & percussit Michææ maxillam, & ait: Per quam viam transivit Spiritus Domini a me, ut loqueretur tibi?

24. Dixitque Michæas: Tu ipse videbis in die illo, quando ingressus fueris cubiculum de cubiculo ut abscondaris.

25. Præcepit autem rex Israel, dicens: Tollite Michæam, & ducite eum ad Amon principem civitatis, & ad Joas filium Amelech.

26. Et dicetis: Hæc dicit rex: Mittite hunc in carcerem, & date ei panis modicum, & aquæ pauxillum, donec revertar in pace.

27. Dixitque Michæas: Si reversus fueris in pace, non est locutus Dominus in me. Et ait: Audite (*f*) omnes populi.

28. Igitur ascenderunt rex Israel, & Josaphat rex Juda in Ramoth Galaad.

29. Dixitque rex Israel ad Josaphat: Mutabo habitum, & sic ad pugnam vadam: tu autem induere vestibus tuis. Mutatoque rex Israel habitu, venit ad bellum.

30. Rex autem Syriæ præceperat ducibus equitatus sui, dicens: Ne pugnetis contra minimum, aut contra maximum, nisi contra solum regem Israel.

31. Itaque cum vidissent principes equitatus Josaphat, dixerunt: Rex Israel est iste. Et circumdederunt eum dimicantes: at ille clamavit ad Dominum, & auxiliatus est ei, atque avertit eos ab illo.

32. Cum enim vidissent duces equitatus, quod non esset rex Israel, reliquerunt eum.

33. Accidit autem ut unus e populo sagittam in incertum jaceret, & percuteret regem Israel inter cervicem & scapulas, at ille aurigæ suo ait: Converte manum tuam, & educ me de acie, quia vulneratus sum.

34. Et finita est pugna in die illo: porro rex Israel stabat in curru suo contra Syros usque ad vesperam, & mortuus est occidente sole.

CAPUT XIX.

Josaphat ex infelici prælio reversus, a Jehu propheta corripitur, quod impio Achab auxilium præstitisset. Judices de servanda justitia, sacerdotes de cultu divino promovendo & de recta populi institutione admonet.

1. Reversus est autem Josaphat rex Juda in domum suam pacifice (*a*) in Jerusalem.

2. Cui occurrit Jehu filius Hanani Videns, & ait ad eum: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, & idcirco iram quidem Domini merebaris:

3. Sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Juda, & præparaveris cor tuum ut requireres Dominum Deum patrum tuorum.

4. Habitavit ergo Josaphat in Jerusalem: rursumque egressus est ad populum de Bersabee usque ad montem Ephraim, & revocavit eos ad Dominum Deum patrum suorum.

5. Con-

8. (*c*) De ministris. *Est autem Michæas filius Jemla*; non unus e duodecim Prophetis, qui sub Jonathan prophetavit.

10. (*d*) Prophetæ solebant actiones verbis sociare; ut altius animis illa imprimerent. Sedecias qui Prophetam simulabat, cornua ferrea parata curaverat, quibus instar tauri feriebat.

21. & 22. (*e*) Quæ verba non sunt præcipientis, cum Deus sit summa veritas: sed verba sunt concedentis facultatem spiritui maligno faciendi quod maxime cupiebat. Sic Christus Judæ dixit Joann. 13. *Quod facis, fac citius*: quæ verba sunt concedentis, non præcipientis: aut forte non est res gesta, sed hypotyposis, atque hoc exemplo exponit primam calamitatis caussam, cum Prophetæ falsa loquuntur, & annuntiant Regi mendacia. *De te*, contra te.

27. (*f*) Memores estote eorum quæ dicit.

2. (*a*) Incolumis, Dei providentia servatus.

CAP. XIX.

5. Constituitque judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca,

6. Et præcipiens judicibus, Videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium (b), sed Domini: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.

7. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas (c), * nec personarum acceptio, nec cupido munerum.

* Deut. 10. 17. Sap. 6. 8. Eccli. 35. 15. Act. 10. 34. Rom. 2. 11. Gal. 2. 6. Eph. 6. 9. Coloss. 3. 25. 1 Petr. 1. 17.

8. In Jerusalem quoque constituit Josaphat Levitas (d), & Sacerdotes, & principes familiarum ex Israel, ut judicium & causam Domini judicarent habitatoribus ejus.

9. Præcepitque eis, dicens: Sic agetis in timore Domini fideliter & corde perfecto.

10. Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis inter cognationem (e) & cognationem, ubicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus: ostendite eis, ut non peccent in Dominum, & ne veniat ira super vos & super fratres vestros: sic ergo agentes non peccabitis.

11. Amarias autem sacerdos & pontifex vester, in his, quæ ad Deum pertinent (f), præsidebit: porro Zabadias filius Ismahel, qui est dux in domo Juda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent: habetisque magistros Levitas coram vobis, confortamini, & agite diligenter, & erit Dominus vobiscum in bonis.

CAPUT XX.

Insignis Josaphat de hostibus victoria: sed reprehenditur a propheta, quod societatem inierit cum Ochozia.

1. POst hæc congregati sunt filii Moab, & filii Ammon, & cum eis de Ammonitis, ad Josaphat, ut pugnarent contra eum.

2. Veneruntque nuntii, & indicaverunt Josaphat, dicentes: Venit contra te multitudo magna de his locis, quæ trans mare (a) sunt, & de Syria, & ecce consistunt in Asasonthamar, quæ est Engaddi.

3. Josaphat autem timore perterritus, totum se contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit jejunium universo Juda.

4. Congregatusque est Judas ad deprecandum Dominum: sed & omnes de urbibus suis venerunt ad obsecrandum eum.

5. Cumque stetisset Josaphat in medio cœtu Juda & Jerusalem, in domo Domini ante atrium novum,

6. Ait: Domine Deus patrum nostrorum, tu es Deus in cælo, & dominaris cunctis regnis Gentium, in manu tua est fortitudo & potentia, neque quisquam tibi potest resistere.

7. Nonne tu Deus noster interfecisti omnes habitatores terræ hujus coram populo tuo Israel, & dedisti eam semini Abraham amici tui in sempiternum?

8. Habitaveruntque in ea, & extruxerunt in illa sanctuarium nomini tuo, dicentes:

9. Si irruerint super nos mala, gladius (b) judicii, pestilentia, & fames, stabimus coram domo hac in conspectu tuo, in qua invocatum est nomen tuum: & clamabimus ad te in tribulationibus nostris, & exaudies, salvosque facies.

10. Nunc igitur ecce filii Ammon, & Moab, & mons Seir, * per quos non concessisti Israel ut transirent quando egrediebantur de Ægypto, sed declinaverunt ab eis, & non interfecerunt illos: * Deut. 2. 4.

11. E contrario agunt, & nituntur ejicere nos de possessione, quam tradidisti nobis.

12. Deus noster, ergo non judicabis eos? in nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.

13. Omnis vero Juda stabat coram Domino, cum parvulis, & uxoribus, & liberis suis.

14. Erat autem Jahaziel filius Zachariæ, filii Banajæ, filii Jehiel, filii Mathaniæ, Levites de filiis Asaph, super quem factus est Spiritus Domini in medio turbæ,

15. Et ait: Attendite omnis Juda, & qui habitatis Jerusalem, & tu rex Josaphat: Hæc dicit Dominus vobis: Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei.

16. Cras descenderis contra eos: ascensuri enim sunt per clivum nomine Sis, & invenietis illos in summitate torrentis, qui est contra solitudinem Jeruel.

17. Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos, o Juda, & Jerusalem: nolite timere, nec paveatis: cras egrediemini contra eos, & Dominus erit vobiscum.

18. Josaphat ergo, & Juda, & omnes habitatores Jerusalem ceciderunt proni in terram coram Domino, & adoraverunt eum.

19. Porro Levitæ de filiis Caath, & de filiis Core laudabant Dominum Deum Israel una voce magna, in excelsum.

20. Cumque mane surrexissent, egressi sunt per desertum Thecue (c): profectisque eis, stans Josaphat in medio eorum, dixit: Audite me viri Juda, & omnes habitatores Jerusalem: credite in Domino Deo vestro, & securi eritis: credite prophetis ejus, & cuncta evenient prospera.

21. De-

6. (b) Cujus vices geritis: Hebr. & LXX *Non enim homini judicatis, sed Domino*: non quasi homini rationem reddituri, sed Domino: judicium vocat Domini, quod ejus nomine exercetur.

7. (c) Ergo neque apud vos ulla esse debet, cum vicarii ejus sitis.

8. (d) Senatum, seu Synedrium sub aliis Regibus valde imminutum & fractum restituit. *Judicium.* Hebr. *Lemispat Jehova*, למשפט יהוה. *Ad judicium Domini*, in rebus, quæ ad Dei cultum spectant: *& ad litem*; in negotiis populi.

10. (e) Ubi quæritur quis mortuo succedere debeat. *De mandato*, de iis præceptis quæ in se habent honestatem; de *Justificationibus*, id est, de præceptis, quæ ad modum, quo exercere debeant judicia, spectant.

11. (f) In negotiis Ecclesiasticis. *Porro Zabadias super ea opera erit, quæ ad officium Regis pertinent*: utriusque Magistratus distinguit munera. *Habetisque Levitas magistros*, Hebræo *Soterim* שטרים. *Apparitores*, seu judiciorum executores.

CAP. XX. 2. (a) Ultra mare mortuum, vel ultra mare rubrum, & de Syria Mesopotamiæ vicina.

9. & 10. (b) Gladius hostilis divino judicio immissus, quo Deus judicia sua exequitur. *Et mons Seir*, Idumæi.

20. (c) Unde erat mulier, quæ David persuasit ut filium reduceret.

21. Deditque consilium populo, & statuit cantores Domini, nt laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac voce consona dicerent: * Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia ejus. * Ps. 135. 1.

22. Cumqoe cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon, & Moab, & Montis Seir, qui egressi fuerant ut pugnarent contra Judam, & percussi sunt.

23. Namque filii Ammon, & Moab consurrexerunt adversum habitatores montis Seir, ut interficerent & delerent eos: cumque hoc opere perpetrassent, etiam in semetipsos versi, mutuis concidere vulneribus.

24. Porro Juda cum venisset ad speculam, quæ respicit solitudinem, vidit procul omnem late regionem plenam cadaveribus, nec superesse quemquam, qui necem potuisset evadere.

25. Venit ergo Josaphat, & omnis populus cum eo, ad detrahenda spolia mortuorum: inveneruntque inter cadavera variam supellectilem, vestes quoque, & vasa pretiosissima, & diripuerunt, ita ut omnia portare non possent, nec per tres dies spolia auferre præ prædæ magnitudine.

26. Die autem quarto congregati sunt in Valle benedictionis: etenim quoniam ibi benedixerant Domino, vocaverunt locum illum, Vallis benedictionis usque in præsentem diem.

27. Reversusque est omnis vir Juda, & habitatores Jerusalem, & Josaphat ante eos in Jerusalem cum lætitia magna, eo quod dedisset eis Dominus gaudium de inimicis suis.

28. Ingressique sunt in Jerusalem cum psalteriis, & citharis, & tubis in domum Domini.

29. Irruit autem pavor Domini super universa regna terrarum, cum audissent quod pugnasset Dominus contra inimicos Israel.

30. Quievitque regnum Josaphat, & præbuit ei Deus pacem per circuitum.

31. Regnavit igitur Josaphat super Judam, & erat trigintaquinque annorum cum regnare cœpisset: viginti autem & quinque annis regnavit in Jerusalem, & nomen matris ejus Azuba filia Selahi.

32. Et ambulavit in via patris sui Asa, nec declinavit ab ea, faciens quæ placita erant coram Domino.

33. Verumtamen excelsa non abstulit, & adhuc populus non direxerat (*d*) cor suum ad Dominum Deum patrum suorum.

34. Reliqua autem gestorum Josaphat priorum & novissimorum scripta sunt in verbis Jehu filii Hanani, quæ digessit in Libros regum Israel.

35. Post hæc iniit amicitias Josaphat rex Juda cum Ochozia rege Israel, cujus opera fuerunt impiissima.

36. Et particeps fuit ut facerent naves, quæ irent in Tharsis: feceruntque classem in Asiongaber.

37. Prophetavit autem Eliezer filius Dodau de Maresa ad Josaphat, dicens: Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contritæque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis.

CAPUT XXI.

Joram filius Josaphat, sed impius, occidit fratres suos. Reliqua videri possunt Lib. 3. Reg. cap. 22. & Lib. 4. cap. 8.

1. DOrmivit autem Josaphat cum patribus suis, & sepultus est cum eis in Civitate David: regnavitque Joram filius ejus pro eo. 3. Reg. 22. 51.

2. Qui habuit fratres, filios Josaphat, Azariam (*a*), & Jahiel, & Zachariam, & Azariam, & Michael, & Saphatiam: omnes hi, filii Josaphat regis Juda.

3. Deditque eis pater suus multa munera argenti, & auri, & pensitationes, cum civitatibus munitissimis in Juda: regnum autem tradidit Joram (*b*), eo quod esset primogenitus.

4. Surrexit ergo Joram super regnum patris sui: cumque se confirmasset, occidit omnes fratres suos gladio, & quosdam de principibus Israel.

5. Triginta duorum annorum erat Joram cum regnare cœpisset: & octo annis regnavit in Jerusalem.

6. * Ambulavitque in viis regum Israel, sicut egerat domus Achab: filia quippe Achab erat uxor ejus, & fecit malum in conspectu Domini. * 4. Reg. 8. 16.

7. Noluit autem Dominus disperdere domum David, propter pactum, quod inierat cum eo: & quia promiserat ut daret ei lucernam, & filiis ejus omni tempore.

8. In diebus illis rebellavit Edom, ne esset subditus Judæ, & constituit sibi regem.

9. Cumque transisset Joram cum principibus suis, & cuncto equitatu, qui erat secum, surrexit nocte, & percussit Edom, qui se circumdederat, & omnes duces equitatus ejus.

10. Attamen rebellavit Edom, * ne esset sub ditione Juda, usque ad hanc diem: eo tempore & Lobna recessit, ne esset sub manu illius. Dereliquerat enim Dominum Deum patrum suorum: * Gen. 27. 40.

11. Insuper & excelsa fabricatus est in urbibus Juda, & fornicari fecit habitatores Jerusalem, & prævaricari Judam.

12. Allatæ (*c*) sunt autem ei litteræ ab Elia propheta, in quibus scriptum erat: Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Quoniam non ambulasti in viis Josaphat patris tui, & in viis Asa regis Juda,

13. Sed incessisti per iter regum Israel, & fornicari fecisti Judam, & habitatores Jerusalem, imitatus fornicationem domus Achab, insuper & fratres tuos domum patris tui, meliores te occidisti:

14. Ecce

33. (*d*) Nam auferri non potuit ab excelsis, in quibus sacrificabat.

CAP XXI. 2. (*a*) Hic primo & secundo loco ponitur: duo fuerunt filii Josaphat ejusdem nominis. LXX. e quarto loco nomen Azariæ abstulerunt.

3. 5. & 7. (*b*) Quem jam effecerat regni consortem. Et octo annis; quatuor annis una cum patre qui eum regno sociaverat, & quatuor annis solus. *Lucernam:* principatus splendorem.

12. (*c*) Sive ex scriptæ fuerint spiritu prophetico, & traditæ Eliseo, antequam transferretur; sive e loco, in quem translatus est, missæ fuerint.

14. Ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filiis, & uxoribus tuis, universaque substantia tua.

15. Tu autem ægrotabis pessimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paullatim per singulos dies.

16. Suscitavit ergo Dominus contra Joram spiritum Philisthinorum, & Arabum, qui confines sunt Æthiopibus (*d*).

17. Et ascenderunt in Terram Juda, & vastaverunt eam, diripueruntque cunctam substantiam, quæ inventa est in domo regis, insuper & filios ejus, & uxores: nec remansit ei filius, nisi Joachaz, qui minimus natu erat.

18. Et super hæc omnia percussit eum Dominus alvi languore insanabili.

19. Cumque diei succederet dies, & temporum spatia volverentur, duorum annorum expletus est circulus: & sic longa consumptus tabe, ita ut egereret etiam viscera sua, languore pariter, & vita caruit. Mortuusque est in infirmitate pessima, & non fecit ei populus secundum morem combustionis (*e*) exequias, sicut fecerat majoribus ejus.

20. Triginta duorum annorum fuit, cum regnare cœpisset, & octo annis regnavit in Jerusalem. Ambulavitque non recte, & sepelierunt eum in Civitate David: verumtamen non in sepulcro regum.

CAPUT XXII.

Ochoziam filium Joram interficit Jehu, simul & Joram regem Israel. Cum Athalia occideret filios Regis, Joas natu minimus servatus est a Pontifice.

4. Reg. 8. 25. 1. CONstituerunt autem habitatores Jerusalem Ochoziam (*a*) filium ejus minimum, regem pro eo: omnes enim majores natu, qui ante eum fuerant, interfecerant latrones Arabum, qui irruerant in castra: regnavitque Ochozias filius Joram regis Juda.

2. Quadraginta (*b*) duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpisset, & uno anno regnavit in Jerusalem, & nomen matris ejus Athalia filia Amri.

3. Sed & ipse ingressus est per vias domus Achab: mater enim ejus impulit eum ut impie ageret.

4. Fecit igitur malum in conspectu Domini, sicut domus Achab: ipsi enim fuerunt ei consiliarii post mortem patris sui, in interitum ejus.

5. Ambulavitque in consiliis eorum. Et perrexit (*c*) cum Joram filio Achab rege Israel, in bellum contra Hazael regem Syriæ in Ramoth Galaad: vulneraveruntque Syri Joram.

6. Qui reversus est ut curaretur in Jezrahel: multas enim plagas acceperat in supradicto certamine. Igitur Ochozias filius Joram rex Juda, descendit ut inviseret Joram filium Achab in Jezrahel ægrotantem.

7. Voluntatis quippe fuit Dei adversus Ochoziam, ut veniret ad Joram: & cum venisset, & egrederetur cum eo adversus Jehu filium Namsi, quem unxit Dominus ut deleret domum Achab.

8. Cum ergo everteret Jehu domum Achab, invenit principes Juda, & filios fratrum Ochoziæ, qui ministrabant ei, & interfecit illos.

9. Ipsum quoque perquirens Ochoziam, comprehendit latitantem in Samaria: adductumque ad se, occidit, & sepelierunt eum: eo quod esset filius Josaphat, qui quæsierat Dominum in toto corde suo: nec erat ultra spes (*d*) aliqua, ut de stirpe quis regnaret Ochoziæ.

10. * Siquidem Athalia mater ejus videns 4. Reg. 11. 1.
quod mortuus esset filius suus, surrexit, &
interfecit omnem stirpem regiam domus Joram.

11. Porro Josabeth filia regis tulit Joas filium Ochoziæ, & furata est eum de medio filiorum regis, cum interficerentur: absconditque eum cum nutrice sua in cubiculo lectulorum (*e*): Josabeth autem, quæ absconderat eum, erat filia regis Joram, uxor Jojadæ pontificis, soror Ochoziæ, & idcirco Athalia non interfecit eum.

12. Fuit ergo cum eis in domo Dei absconditus sex annis, quibus regnavit Athalia super terram.

CAPUT XXIII.

Quæ hoc capite continentur, Lib. 4. Reg. cap. 11. sunt exposita.

1. ANno autem septimo (*a*) confortatus Jojada, assumpsit centuriones, Azariam 4. Reg. 11. 4.
videlicet filium Jeroham, & Ismahel filium Johanan, Azariam quoque filium Obed, & Maasiam filium Adajæ, & Elisaphat filium Zechri: & iniit cum eis fœdus.

2. Qui circumeuntes Judam, congregaverunt Levitas de cunctis urbibus Juda, & principes familiarum Israel (*b*), veneruntque in Jerusalem.

3. Iniit ergo omnis multitudo pactum in domo Dei cum rege: dixitque ad eos Jojada: Ecce filius regis regnabit, sicut locutus est Dominus super filios David.

4. Iste est ergo sermo quem facietis:

5. Ter-

16. & 17 (*d*) Sunt enim Æthiopes Asiatici. Nisi Joachaz, qui & *Ochosias*, & *Azarias* dictus est. Idem nomen est *Joachaz* Hebræis יהואחז, & *Ochosias* אחזיהו, literis transpositis, & idem significat.

19 (*e*) Non incenderunt aromata, ut fieri solet in Regum exequiis.

CAPUT XXII. 1. (*a*) Joachaz superiori capite numeratur, adeo ut binomius fuerit; regnum jure ipsi debebatur.

2. (*b*) Lib. 4. Reg. 8. dicitur fuisse 22. annorum; unde plerique interpretes mendum irrepsisse in hunc locum Paralipomen. existimant, ac proclivis error fuit cum notæ numeriçæ כ ב, *Caph*, & *Beth*, seu 22. non sint valde absimiles מ ב, *Mem* & *Beth*, seu 42. ac quidem MS. codices græci LXX. legunt 22.

5. & 6. (*c*) Rex Juda, cum Joram filio Achab. *Filius*, Hebr. Azaria.

9 (*d*) Filii ejus ob teneram ætatem regno idonei non erant, eosque occidit Athalia.

11. (*e*) Ubi dormiebant Sacerdotes & Levitæ, qui ministrabant templo: erant enim exedræ templo conjunctæ. Joram & Ochozias anno 95. post mortem Salomonis sunt mortui. Roboam enim 17. annis, Abia 3. Asa 41. Josaphat 25. Joram 8. Ochozias 1. regnaverunt in Juda: ita Mariana.

1. (*a*) Ex quo occisus est Ochozias. Quæ sequuntur, exposita sunt Lib. 4. Reg. cap. 11. CAPUT XXIII.

2. (*b*) Israel pro Juda sumitur per synecdochen.

5. Tertia (c) pars vestrum qui veniunt ad Sabbatum, Sacerdotum, & Levitarum, & janitorum erit in portis: tertia vero pars ad domum regis: & tertia ad portam, quæ appellatur Fundamenti: omne vero reliquum vulgus sit in atriis domus Domini.

6. Ne quispiam alius ingrediatur domum Domini, nisi Sacerdotes, & qui ministrant de Levitis: ipsi tantummodo ingrediantur, quia sanctificati sunt: & omne reliquum vulgus observet (d) custodias Domini.

7. Levitæ autem circumdent regem, habentes singuli arma sua: (& si quis alius ingressus fuerit templum, interficiatur) sintque cum rege & intrante & egrediente.

8. Fecerunt ergo Levitæ, & universus Juda, juxta omnia quæ præceperat Jojada pontifex: & assumpserunt singuli viros qui sub se erant, & veniebant per ordinem sabbati, cum his qui impleverant sabbatum, & egressuri erant: siquidem Jojada pontifex non dimiserat (e) abire turmas, quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueverant.

9. Deditque Jojada sacerdos centurionibus lanceas, clypeosque & peltas regis David, quas consecraverat in domo Domini.

10. Constituitque omnem populum tenentium pugiones, a parte templi dextera, usque ad partem templi sinistram, coram altari, & templo, per circuitum regis.

11. Et eduxerunt filium regis, & imposuerunt ei diadema, & testimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem, & constituerunt eum regem: unxit quoque illum Jojada pontifex, & filii ejus: imprecatique sunt ei, atque dixerunt: Vivat rex.

12. Quod cum audisset Athalia, vocem scilicet currentium atque laudantium regem, ingressa est ad populum in templum Domini.

13. Cumque vidisset regem stantem super gradum in introitu (f), & principes, turmasque circa eum, omnemque populum terræ gaudentem, atque clangentem tubis, & diversi generis organis concinentem, vocemque laudantium, scidit vestimenta sua, & ait: Insidiæ, insidiæ.

14. Egressus autem Jojada pontifex ad centuriones, & principes exercitus, dixit eis: Educite illam extra septa templi, & interficiatur foris gladio. Præcepitque sacerdos ne occideretur in domo Domini.

15. Et imposuerunt cervicibus ejus manus: cumque intrasset portam equorum domus regis, interfecerunt eam ibi.

16. Pepigit (g) autem Jojada fœdus inter se, universumque populum, & regem, ut esset populus Domini.

17. Itaque ingressus est omnis populus domum Baal, & destruxerunt eam: & altaria ac simulacra illius confregerunt: Mathan quoque sacerdotem Baal interfecerunt ante aras.

18. Constituit autem Jojada præpositos in domo Domini, sub manibus Sacerdotum, & Levitarum, quos distribuit David in domo Domini: ut offerrent holocausta Domino, sicut scriptum est in lege Moysi, in gaudio & canticis, juxta (h) dispositionem David.

19. Constituit quoque janitores in portis domus Domini, ut non ingrederetur eam immundus in omni re.

20. Assumpsitque centuriones, & fortissimos viros ac principes populi, & omne vulgus terræ, & fecerunt descendere regem de domo Domini, & introire per medium portæ superioris in domum regis, & collocaverunt eum in solio regali.

21. Lætatusque est omnis populus terræ, & urbs quievit: porro Athalia interfecta est gladio.

CAPUT XXIV.

Hoc caput pene totum cap. 11. & 12. Lib. 4. Regum fuit expositum.

1. SEptem annorum erat Joas cum regnare cœpisset: & quadraginta annis regnavit in Jerusalem, nomen matris ejus Sebia de Bersabee. 4. Reg. 11. 21. & 12. 1.

2. Fecitque quod bonum est coram Domino cunctis diebus Jojadæ sacerdotis.

3. Accepit autem ei Jojada uxores duas, e quibus genuit filios & filias.

4. Post quæ placuit Joas ut instauraret domum Domini.

5. Congregavitque Sacerdotes & Levitas, & dixit eis: Egredimini ad civitates Juda, & colligite de universo Israel pecuniam ad sartatecta templi Dei vestri, per singulos annos, festinatoque hoc facite: porro Levitæ egere negligentius.

6. Vocavitque rex Jojadam principem, & dixit ei: Quare tibi non fuit curæ, ut cogeres Levitas inferre de Juda, & de Jerusalem pecuniam, quæ constituta est a Moyse (a) servo Domini, ut inferret eam omnis multitudo Israel in tabernaculum testimonii?

7. Athalia enim impiissima, & filii ejus (b) destruxerunt domum Dei; & de universis, quæ sanctificata fuerant in templo Domini, ornaverunt fanum Baalim.

8. Præcepit ergo rex, & fecerunt arcam: posueruntque eam juxta portam domus Domini forinsecus.

9. Et

5. (c) Cum novæ turmæ Levitarum ad templum accedebant: quo factum est, ut minus notaretur eorum adventus. *Tertia vero pars ad domum Regis*, partæ templi quæ ducebat ad regiam: *& tertia ad portam quæ appellatur Fundamenti*, quod in loco declivi esset posita; per quem e regia in templum scandebatur. LXX. in porta media, quæ scilicet præcipua erat, ad plagam orientalem respiciens. *Omne vero reliquum vulgus*, qui non erant Levitæ, aut Sacerdotes, *sit in atriis domus Domini*.

6. (d) Quisque pro more fungatur officio suo.

8. & 10. (e) Eos qui jam functi erant officio suo; Et *testimonium*, legem fortasse, aut potius dignitatis regiæ ornamenta.

13. (f) Ubi sedes regia erat: Hebr. *al hamoudo*, על-עמדו, *juxta columnam suam*: locus erat elatus, in quem per gradus Rex ascendebat.

16. (g) Duplex insinuat fœdus; unum inter Deum & regnum: nam sacerdos vicem Dei agebat; & alterum inter Regem & populum, ut Rex secundum legem Dei populo præesset, & populus vicissim ei obediret.

18. (h) Cujus fit mentio Lib. 1. cap. 26.

CAPUT XXIV.

6. (a) Exodi 30. præcipitur, ut quoties populus numeraretur, offerrent per capita templo sicli semissem: Levitæ recusabant id oneris populo imponere. Hebr. *Munus Mosis servi Dei*, qualis oblatio a Mose præcipitur.

7. (b) Hieron. in traditionibus an per filios Athaliæ intelligi sacerdotes idolorum; sed *filii* dicuntur pro *filio* Ochoziæ.

9. Et prædicatum eſt in Juda & Jeruſalem, ut deferrent ſinguli pretium Domino, * quod conſtituit Moyſes ſervus Dei ſuper omnem Iſrael in deſerto. * Exod 30. 12.

10. Lætatique ſunt cuncti principes, & omnis populus: & ingreſſi contulerunt in arcam Domini, atque miſerunt ita ut impleretur.

11. Cumque tempus eſſet ut deferrent arcam coram rege per manus Levitarum (videbant enim multam pecuniam) ingrediebatur ſcriba regis, & quem primus ſacerdos conſtituerat: effundebantque pecuniam quæ erat in arca: porro arcam reportabant ad locum ſuum: ſicque faciebant per ſingulos dies, & congregata eſt infinita pecunia.

12. Quam dederunt rex & Jojada his, qui præerant operibus domus Domini: at illi conducebant ex ea cæſores lapidum, & artifices operum ſingulorum, ut inſtaurarent domum Domini: fabros quoque ferri & æris, ut quod cadere cœperat, fulciretur.

13. Egeruntque hi qui operabantur induſtriæ, & obducebatur parietum cicatrix per manus eorum, ac ſuſcitaverunt domum Domini in ſtatum priſtinum, & firmiter eam ſtare fecerunt.

14. Cumque compleſſent omnia opera, detulerunt coram rege, & Jojada reliquam partem pecuniæ: de qua facta ſunt vaſa templi in miniſterium, & ad holocauſta, phialæ quoque, & cetera vaſa aurea & argentea: & offerebantur holocauſta in domo Domini jugiter cunctis diebus Jojadæ.

15. Senuit autem Jojada plenus dierum, & mortuus eſt cum eſſet centum triginta annorum.

16. Sepelieruntque eum in Civitate David cum regibus, eo quod feciſſet bonum cum Iſrael, & cum domo ejus.

17. Poſtquam autem obiit Jojada, ingreſſi ſunt principes Juda, & adoraverunt (c) regem, qui delinitus obſequiis eorum, acquievit eis.

18. Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum ſuorum, ſervieruntque lucis & ſculptilibus, & facta eſt ira contra Judam & Jeruſalem propter hoc peccatum.

19. Mittebatque eis prophetas, ut reverterentur ad Dominum, quos proteſtantes (d), illi audire nolebant.

20. Spiritus itaque Dei induit Zachariam filium Jojadæ ſacerdotem, & ſtetit in conſpectu populi, & dixit eis: Hæc dicit Dominus Deus: Quare tranſgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquiſtis Dominum, ut derelinqueret & vos?

21. Qui congregati adverſus eum, miſerunt lapides juxta regis imperium in atrio (e) domus Domini.

22. Et non eſt recordatus Joas rex miſericordiæ, quam fecerat Jojada pater illius ſecum, * ſed interfecit filium ejus. Qui cum * Matth. 23. 35. moreretur, ait: Videat (f) Dominus, & requirat.

23. Cumque evolutus eſſet annus, aſcendit contra eum exercitus Syriæ: venitque in Judam & Jeruſalem, & interfecit cunctos principes populi, atque univerſam prædam miſerunt regi in Damaſcum.

24. Et certe cum permodicus veniſſet numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, eo quod dereliquiſſent Dominum Deum patrum ſuorum: in Joas quoque ignominioſa exercuere judicia.

25. Et abeuntes dimiſerunt eum in languoribus magnis: ſurrexerunt autem contra eum ſervi ſui in ultionem ſanguinis filii Jojadæ ſacerdotis, & occiderunt eum in lectulo ſuo, & mortuus eſt: ſepelieruntque eum in Civitate David, ſed non in ſepulcris regum.

26. Inſidiati vero ſunt ei Zabad (g) filius Semmaath Ammanitidis, & Jozabad filius Semarith Moabitidis.

27. Porro filii ejus, ac ſumma pecuniæ, quæ adunata fuerat ſub eo, & Inſtauratio domus Dei ſcripta ſunt diligentius in Libro regum: regnavit autem Amaſias filius ejus pro eo.

CAPUT XXV.

Amaſias occidit eos qui patrem interfecerant; reliqua videri poſſunt Lib. 4. Regum c. 14.

1. Viginti quinque annorum erat Amaſias cum regnare cœpiſſet, & viginti novem annis regnavit in Jeruſalem, nomen matris ejus Joadan de Jeruſalem. 4. Reg. 14. 1.

2. Fecitque bonum in conſpectu Domini: verumtamen non in corde perfecto.

3. Cumque roboratum ſibi videret imperium, jugulavit ſervos, qui occiderant regem patrem ſuum,

4. Sed filios eorum non interfecit, ſicut ſcriptum eſt in libro legis Moyſi, ubi præcepit Dominus, dicens: * Non occidentur patres pro filiis, neque filii pro patribus ſuis, ſed unuſquiſque in ſuo peccato morietur (a). * Deut. 24. 16. 4. Reg. 14. 6. Ezech. 18. 20.

5. Congregavit igitur Amaſias Judam, & conſtituit eos per familias (b), tribunoſque & centuriones in univerſo Juda, & Benjamin: & recenſuit a viginti annis ſupra, invenitque trecenta millia juvenum, qui egrederentur ad pugnam, & tenerent haſtam & clypeum.

6. Mercede quoque conduxit de Iſrael centum millia robuſtorum, centum talentis (c) argenti.

7. Venit autem homo Dei ad illum, & ait: O rex, ne egrediatur tecum exercitus Iſrael: non eſt enim Dominus cum Iſrael, & cunctis filiis Ephraim (d):

8. Quod ſi putas in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te faciet Deus ab hoſtibus: Dei quippe eſt adjuvare, & in fugam convertere.

9. Dixit-

17. (c) Non quod ei divinos honores detulerint, ſed majores quam oporteret.
19. (d) Tametſi Prophetæ cælum & terram teſtes contra eos invocarent.
21. (e) In veſtibulo; inter templum & altare.
22. (f) Videbit Dominus, & requiret: hunc eſſe Zachariam, cujus fit mentio Matth. 23. Hieronymus & multi exiſtimant.

26. (g) Qui & Joſachar 4. Reg. 12. dicitur.

CAPUT XXV.
4. (a) Pro peccato ſuo.
5. (b) Omnes qui ex eadem erant familia, uni tribuno adſcripſit: ſic major inter milites erat benevolentia.
6. (c) Forte ducibus ſolis; al milites de præda, aut de ſuo vivebant, vel certe ad breve tempus tam exigua pecunia dabatur.
7. (d) Nomine Ephraim, intellige decem tribus Iſrael.

9. Dixitque Amasias ad hominem Dei: Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Israel? Et respondit ei homo Dei: Habet Dominus unde tibi dare possit multo his plura.

10. Separavit itaque Amasias exercitum, qui venerat ad eum ex Ephraim, ut reverteretur in locum suum: at illi contra Judam vehementer irati, reversi sunt in regionem suam.

11. Porro Amasias confidenter eduxit populum suum, & abiit in Vallem salinarum, percussitque filios Seir decem millia.

12. Et alia decem millia virorum ceperunt filii Juda, & adduxerunt ad præruptum cujusdam petræ, præcipitaveruntque eos de summo in præceps, qui universi crepuerunt.

13. At ille exercitus, quem remiserat Amasias, ne secum iret ad prælium, diffusus est in civitatibus Juda, a Samaria usque ad Bethoron, & interfectis tribus millibus, diripuit prædam magnam.

14. Amasias vero post cædem Idumæorum, & allatos deos filiorum Seir, statuit illos in deos sibi, & adorabat eos, & illis adolebat incensum.

15. Quam ob rem iratus Dominus contra Amasiam, misit ad illum prophetam, qui diceret ei: Cur adorasti deos, qui non liberaverunt populum suum de manu tua?

16. Cumque hæc ille loqueretur, respondit ei: Num consiliarius regis es? quiesce, ne interficiam te. Discedensque propheta, Scio, inquit, quod cogitaverit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, & insuper non acquievisti consilio meo.

17. Igitur Amasias rex Juda, inito pessimo consilio, misit ad Joas filium Joachaz filii Jehu, regem Israel, dicens: Veni, videamus nos mutuo.

18. At ille remisit nuntios, dicens: Carduus, qui est in Libano, misit ad cedrum Libani, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem: & ecce bestiæ, quæ erant in silva Libani, transierunt, & conculcaverunt Carduum.

19. Dixisti: Percussi Edom, & idcirco erigitur cor tuum in superbiam: sede in domo tua, cur malum adversum te provocas, ut cadas & tu, & Juda tecum?

20. Noluit audire Amasias, eo quod Domini esset voluntas ut traderetur in manus hostium propter deos Edom (e).

21. Ascendit igitur Joas rex Israel, & mutuos sibi præbuere conspectus: Amasias autem rex Juda erat in Bethsames Juda:

22. Corruitque Juda coram Israel, & fugit in tabernacula sua.

23. Porro Amasiam regem Juda, filium Joas filii Joachaz, cepit Joas rex Israel in Bethsames, & adduxit in Jerusalem: destruxitque murum ejus a porta Ephraim usque ad portam anguli quadringentis cubitis.

24. Omne quoque aurum, & argentum, & universa vasa, quæ repererat in domo Dei, & apud Obededom (f), in thesauris etiam domus regiæ, necnon & filios obsidum, reduxit in Samariam.

25. Vixit autem Amasias filius Joas rex Juda, postquam mortuus est Joas filius Joachaz rex Israel, quindecim annis.

26. Reliqua autem sermonum Amasiæ priorum & novissimorum scripta sunt in Libro regum Juda & Israel.

27. Qui postquam recessit a Domino, tetenderunt ei insidias in Jerusalem. Cumque fugisset in Lachis, miserunt, & interfecerunt eum ibi.

28. Reportantesque super equos, sepelierunt eum cum patribus suis in Civitate David.

CAPUT XXVI.

Ozias, seu Azarias patri Amasiæ succedit. Hic varias civitates extruxit; Philisthæos, Arabes, & Ammonitas devicit. Reliqua Lib. 4. Regum cap. 14. legi possunt.

1. OMnis autem populus Juda filium ejus Oziam (a) annorum sedecim, constituit regem pro Amasia patre suo. 4. Reg. 14. 21.

2. Ipse ædificavit Ailath (b), & restituit eam ditioni Juda, postquam dormivit rex cum patribus suis.

3. Sedecim annorum erat Ozias cum regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis regnavit in Jerusalem, nomen matris ejus Jechelia de Jerusalem.

4. Fecitque quod erat rectum in oculis Domini, juxta omnia quæ fecerat Amasias pater ejus.

5. Et exquisivit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis (c) & videntis Deum: cumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus.

6. Denique egressus est, & pugnavit contra Philisthiim, & destruxit murum Geth, & murum Jabniæ, murumque Azoti: ædificavit quoque oppida in Azoto, & in Philisthiim.

7. Et adjuvit eum Deus contra Philisthiim, & contra Arabes, qui habitabant in Gurbaal, & contra Ammonitas.

8. Appendebantque Ammonitæ munera Oziæ: & divulgatum est nomen ejus usque ad introitum Ægypti propter crebras victorias.

9. Ædificavitque Ozias turres in Jerusalem super portam anguli, & super portam vallis, & reliquas in eodem muri latere, firmavitque eas.

10. Extruxit etiam turres in solitudine, & effodit cisternas plurimas, eo quod haberet multa pecora, tam in campestribus, quam in eremi vastitate: vineas quoque habuit & vinitores in montibus, & in Carmelo: erat quippe homo agriculturæ deditus.

11. Fuit

20. (e) Quod deos Edom coleret, aut consuleret.

24. (f) Cum Obededom, qui erat e posteris Obededom, & templi thesauris præfectus, filios obsidum, obsides.

CAPUT XXVI. 1. (a) Qui & Azarias, Lib. 4. Regum vers. 14. appellatur.

2. (b) Urbem Idumææ ad mare rubrum, quæ a Regibus Juda expugnata postea rebellaverat. Postquam dormivit Rex, Amasias.

5. (c) LXX. συνιέντος ἐν φόβῳ κυρίου, intelligentis in timore Domini; melius autem codex Hebraicus, Hammebin biroot haelohim, המבין בראת האלהים, intelligentis in visionibus Dei; peritum nimirum & experti in dijudicandis visionibus divinis; vel assueti videre Deum. Propterea etiam quamdiu vixit Zacharias filius alterius Zachariæ. Uterque, tum Amasias, tum Ozias, initio quod rectum erat, fecit; sed ille postea idola Idumæorum coluit, hic vero incensum in templo offerre voluit, & propterea lepra percussus fuit.

11. Fuit autem exercitus bellatorum (d) ejus, qui procedebant ad prælia sub manu Jehiel scribæ, Maasiæque doctoris, & sub manu Hananiæ, qui erat de ducibus regis.

12. Omnisque numerus principum per familias virorum fortium, duorum millium sexcentorum.

13. Et sub eis universus exercitus trecentorum & septem millium quingentorum: qui erant apti ad bella, & pro rege contra adversarios dimicabant.

14. Præparavit quoque eis Ozias, id est: cuncto exercitui, clypeos, & hastas, & galeas, & loricas, arcusque, & fundas ad jaciendos lapides.

15. Et fecit in Jerusalem diversi generis machinas, quas in turribus collocavit, & in angulis murorum ut mitterent sagittas, & saxa grandia: egressumque est nomen ejus procul, eo quod auxiliaretur ei Dominus, & corroborasset illum.

16. Sed cum roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum: ingressusque templum Domini, adolere voluit incensum super altare thymiamatis.

17. Statimque ingressus post eum Azarias sacerdos, & cum eo sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi,

18. Restiterunt regi, atque dixerunt: Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum
* Exod. 30. 7. & seq. Aaron, * qui consecrati sunt ad hujuscemodi ministerium: egredere de sanctuario, ne contempseris (e): quia non reputabitur tibi in gloriam hoc a Domino Deo.

19. Iratusque Ozias, tenens in manu thuribulum ut adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte ejus coram Sacerdotibus, in domo Domini super altare thymiamatis.

20. Cumque respexisset eum Azarias pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes, viderunt lepram in fronte ejus, & festinato expulerunt eum. Sed & ipse perterritus, acceleravit egredi, eo quod sensisset illico plagam Domini.

* 4. Reg. 15. 5. 21. * Fuit igitur Ozias rex leprosus usque ad diem mortis suæ, & habitavit in domo separata (f) plenus lepra, ob quam ejectus fuerat de domo Domini. Porro Joatham filius ejus rexit domum regis, & judicabat populum terræ.

22. Reliqua autem sermonum Oziæ priorum & novissimorum scripsit Isaias filius Amos, Propheta.

23. Dormivitque Ozias cum patribus suis, & sepelierunt eum in agro (g) regalium sepulcrorum, eo quod esset leprosus: regnavitque Joatham filius ejus pro eo.

CAPUT XXVII.

Joatham vincit Ammonitas.

1. Viginti quinque annorum erat Joatham cum regnare cœpisset, & sedecim annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Jerusa filia Sadoc. 4. R. 15. 33.

2. Fecitque quod rectum erat coram Domino, juxta omnia quæ fecerat Ozias pater suus, excepto quod non est ingressus templum Domini, & adhuc populus delinquebat.

3. Ipse ædificavit portam domus Domini excelsam, & in muro Ophel (a) multa construxit.

4. Urbes quoque ædificavit in montibus Juda, & in saltibus castella, (b) & turres.

5. Ipse pugnavit contra regem filiorum Ammon, & vicit eos, dederuntque ei filii Ammon in tempore illo centum talenta argenti, & decem millia coros tritici, ac totidem coros hordei: hæc ei præbuerunt filii Ammon, in anno secundo & tertio.

6. Corroboratusque est Joatham, eo quod direxisset vias suas coram Domino Deo suo.

7. Reliqua autem sermonum Joatham, & omnes pugnæ ejus, & opera, scripta sunt in Libro regum Israel & Juda.

8. Viginti quinque annorum erat cum regnare cœpisset, & sedecim annis regnavit in Jerusalem.

9. Dormivitque Joatham cum patribus suis, & sepelierunt eum in Civitate David: & regnavit Achaz filius ejus pro eo.

CAPUT XXVIII.

Propter scelera Achaz gravibus plagis Juda afficitur, cum ab Israele, tum ab Idumæis, Philisthæis & Assyriis, Lib. 4. Reg. 16.

1. Viginti annorum erat Achaz cum regnare cœpisset: & sedecim annis regnavit in Jerusalem: non fecit rectum in conspectu Domini sicut David pater ejus. 4. Reg. 16. 2.

2. Sed ambulavit in viis regum Israel, insuper & statuas fudit Baalim.

3. Ipse est, qui adolevit incensum in Vallebenennom, & lustravit filios suos in igne, juxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in adventu filiorum Israel.

4. Sacrificabat quoque, & thymiama succendebat in excelsis, & in collibus, & sub omni ligno frondoso.

5. Tradiditque eum Dominus Deus ejus in manu regis Syriæ, qui percussit eum, magnamque prædam cepit de ejus imperio, & adduxit in Damascum: manibus quoque regis Israel traditus est, & percussus plaga grandi.

6. Occiditque Phacee, filius Romeliæ, de Juda centum viginti millia in die uno, omnes viros bellatores: eo quod reliquissent Dominum Deum patrum suorum.

7. Eo-

11 (d) Hebr. Et fuit Oziæ exercitus faciens bellum egredientium in castra turmatim in numero numerationis eorum, quo quisque loco erat numeratus: *Sub manu Jehiel scribæ, Maasiæque Doctoris* Hebr. *Soter*, שׁטר, id est, *Præfecti*: LXX. κριτοῦ, *Judicis*.

18. (e) Hebr. *Tse*, צא, *egredere*: quia prævaricatus es.

21. & 22 (f) Hebr. *In domo libera*, suburbana. *Reliqua*; quæ non extant.

23. (g) Non in specu, ubi Reges ponebantur, sed in agro ei contiguo.

CAPUT XXVII. 3. (a) Turris erat sic dicta a caligine, juxta murum extructa.

4. (b) Ut pastoribus præsidio essent.

7. Eodem tempore occidit Zechri, vir potens ex Ephraim, Maasiam filium regis, & Ezricam ducem domus ejus, Elcanam quoque secundum a rege.

8. Ceperuntque filii Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum, & puellarum, & infinitam prædam: pertuleruntque eam in Samariam.

9. Ea tempestate (*a*) erat ibi propheta Domini, nomine Oded: qui egressus obviam exercitui venienti in Samariam, dixit eis: Ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Juda, tradidit eos in manibus vestris, & occidistis eos atrociter, ita ut ad cælum pertingeret vestra crudelitas.

10. Insuper filios Juda, & Jerusalem vultis vobis subjicere in servos & ancillas: quod nequaquam facto opus est: peccastis enim super hoc Domino Deo vestro.

11. Sed audite consilium meum, & reducite captivos, quos adduxistis de fratribus vestris, quia magnus furor Domini imminet vobis.

12. Steterunt itaque viri de principibus filiorum Ephraim, Azarias filius Johanan, Barachias filius Mosollamoth, Ezechias filius Sellum, & Amasa filius Adali, contra eos, qui veniebant de prælio,

13. Et dixerunt eis: Non introducetis huc captivos, ne peccemus Domino. Quare vultis adjicere super peccata nostra, & vetera cumulare delicta? grande quippe peccatum est, & ira furoris Domini imminet super Israel.

14. Dimiseruntque viri bellatores prædam, & universa quæ ceperant, coram principibus, & omni multitudine.

15. Steteruntque viri, quos supra memoravimus, & apprehendentes captivos, omnesque qui nudi erant, vestierunt de spoliis: cumque vestissent eos, & calceassent, & refecissent cibo ac potu, unxissentque propter laborem (*b*), & adhibuissent eis curam: quicumque ambulare non poterant, & erant imbecillo corpore, imposuerunt eos jumentis, & adduxerunt Jericho Civitatem palmarum ad fratres eorum, ipsique reversi sunt in Samariam.

16. Tempore illo misit rex Achaz ad regem Assyriorum, postulans auxilium.

17. Veneruntque Idumæi, & percusserunt multos ex Juda, & ceperunt prædam magnam.

18. Philisthiim quoque diffusi sunt per urbes campestres, & ad meridiem Juda: ceperuntque Bethsames, & Ajalon, & Gaderoth, Socho quoque, & Thamnan, & Gamzo, cum viculis suis, & habitaverunt in eis.

19. Humiliaverat enim Dominus Judam propter Achaz regem Juda, eo quod nudasset eum auxilio, & contemptui habuisset Dominum.

20. Adduxitque contra eum Thelgathphalnasar regem Assyriorum, qui & afflixit eum, & nullo resistente vastavit.

21. Igitur Achaz, spoliata domo Domini, & domo regum, ac principum, dedit regi Assyriorum munera, & tamen nihil ei profuit.

22. Insuper & tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum, ipse per se rex Achaz,

23. Immolavit diis Damasci victimas percussoribus suis, & dixit: Dii regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi, cum econtrario ipsi fuerint ruinæ ei, & universo Israel.

24. Direptis itaque Achaz omnibus vasis domus Dei, atque confractis, clausit (*c*) januas templi Dei, & fecit sibi altaria in universis angulis Jerusalem.

25. In omnibus quoque urbibus Juda extruxit aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam provocavit Dominum Deum patrum suorum.

26. Reliqua autem sermonum ejus, & omnium operum suorum priorum & novissimorum scripta sunt in Libro regum Juda & Israel.

27. Dormivitque Achaz cum patribus suis, & sepelierunt eum in civitate Jerusalem: neque enim receperunt eum in sepulcra regum Israel. Regnavitque Ezechias filius ejus pro eo.

CAPUT XXIX.

Ezechias templum aperit; cultum divinum instaurat.

1. IGitur Ezechias regnare cœpit, cum viginti quinque esset annorum, & vigintinovem annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Abia, filia Zachariæ (*a*). 4. Reg. 18.

2. Fecitque quod erat placitum in conspectu Domini, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus.

3. Ipse anno (*b*) & mense primo regni sui aperuit valvas domus Domini, & instauravit eas.

4. Adduxitque Sacerdotes atque Levitas, & congregavit eos in plateam (*c*) Orientalem.

5. Dixitque ad eos: Audite me Levitæ, & sanctificamini, mundate domum Domini Dei patrum vestrorum, & auferte omnem immunditiam de sanctuario.

6. Peccaverunt patres nostri, & fecerunt malum in conspectu Domini Dei nostri, derelinquentes eum: averterunt facies suas a tabernaculo Domini, & præbuerunt dorsum.

7. Clauserunt ostia, quæ erant in porticu, & extinxerunt lucernas, incensumque non adoleverunt, & holocausta non obtulerunt in sanctuario Deo Israel.

8. Concitatus est itaque furor Domini super Judam & Jerusalem, tradiditque eos in commotionem (*d*), & in interitum, & in sibilum sicut ipsi cernitis oculis vestris.

9. En,

CAPUT XXVIII.

9. (*a*) Non *Oded*, sed *Oded*, עדד, monente. Israelitæ dimiserunt prædam, & captivos vestibus induerunt, & cibo refecerunt: magno quidem exemplo, ut Principes Christiani non abutantur victoria adversus Christianos.

15. (*b*) Quod fatigationi unctio subveniat: eo quod nudasset eum auxilio divino & humano; quod cultum Dei abjecisset, & thesauros misisset ad Assyrios.

24. (*c*) Ne quis ad sacrificandum ingrederetur; *In universis angulis*; in omnibus locis.

CAPUT XXIX.

1. (*a*) Pontificis quem Joas occiderat: Ita Hieron. in tradit.

3. (*b*) Anno primo & mense primo. *Quas clauserat pater ejus Achaz*, ex cap. 28.

4. (*c*) In vestibulum portæ præcipuæ templi, quæ ad Orientem posita erat.

8. (*d*) Ejectionem, vexationem, Gr. *εἰς ἔκστασιν*, *in alienationem mentis*; nempe terrores panicos illi immisit.

9. En, corruerunt patres nostri gladiis; filii nostri, & filiæ nostræ, & conjuges captivæ ductæ sunt propter hoc scelus.

10. Nunc ergo placet mihi ut ineamus fœdus cum Domino Deo Israel, & avertet a nobis furorem iræ suæ.

11. Filii mei nolite negligere: vos elegit Dominus ut stetis coram eo, & ministretis illi, colatisque eum, & cremetis ei incensum.

12. Surrexerunt ergo Levitæ: Mahath filius Amasai, & Joel filius Azariæ, de filiis Caath: Porro de filiis Merari, Cis filius Abdi, & Azarias filius Jalaleel. De filiis autem Gerson, Joah filius Zemma, & Eden filius Joah.

13. At vero de filiis Elisaphan, Samri, & Jahiel. De filiis quoque Asaph, Zacharias, & Mathanias.

14. Necnon de filiis Heman, Jahiel, & Semei: Sed & de filiis Idithun, Semejas, & Oziel.

15. Congregaveruntque fratres suos, & sanctificati sunt, & ingressi sunt juxta mandatum regis & imperium Domini, ut expiarent domum Dei.

16. Sacerdotes quoque ingressi templum Domini ut sanctificarent (*e*) illud, extulerunt omnem immunditiam, quam intro repererant in vestibulo domus Domini, quam tulerunt Levitæ, & asportaverunt ad Torrentem Cedron foras.

17. Cœperunt autem prima die mensis primi mundare, & in die octavo ejusdem mensis ingressi sunt porticum (*f*) templi Domini, expiaveruntque templum diebus octo, & in die sextadecima mensis ejusdem, quod cœperant impleverunt.

18. Ingressi quoque sunt ad Ezechiam regem, & dixerunt ei: Sanctificavimus omnem domum Domini, & altare holocausti, vasaque ejus, necnon & mensam propositionis cum omnibus vasis suis,

19. Cunctamque templi supellectilem, quam polluerat rex Achaz in regno suo, postquam prævaricatus est: & ecce exposita sunt omnia coram altare Domini.

20. Consurgensque diluculo Ezechias rex, adunavit omnes principes civitatis, & ascendit in domum Domini:

21. Obtuleruntque simul tauros septem, & arietes septem, agnos septem, pro peccato, pro regno, pro sanctuario (*g*), pro Juda, dixitque sacerdotibus filiis Aaron ut offerrent super altare Domini.

22. Mactaverunt igitur tauros, & susceperunt sanguinem Sacerdotes, & fuderunt illum super altare, mactaverunt etiam arietes, & illorum sanguinem super altare fuderunt, immolaveruntque agnos, & fuderunt super altare sanguinem.

23. Applicuerunt hircos pro peccato, coram rege, & universa multitudine, imposueruntque manus suas super eos:

24. Et immolaverunt illos Sacerdotes, & asperserunt sanguinem eorum coram altare pro piaculo universi Israelis: pro omni quippe Israel præceperat rex ut holocaustum fieret, & pro peccato.

25. Constituit quoque Levitas in domo Domini, cum cymbalis, & psalteriis, & citharis secundum dispositionem David regis, & Gad Videntis, & Nathan prophetæ: siquidem Domini præceptum fuit per manum prophetarum ejus.

26. Steteruntque Levitæ tenentes organa David, & Sacerdotes tubas.

27. Et jussit Ezechias ut offerrent holocausta super altare: cumque offerrentur holocausta, cœperunt laudes canere Domino, & clangere tubis, atque in diversis organis, quæ David rex Israel præparaverat, concrepare.

28. Omni autem turba adorante, cantores, & ii, qui tenebant tubas, erant in officio suo, donec compleretur holocaustum.

29. Cumque finita esset oblatio, incurvatus est rex, & omnes qui erant cum eo, & adoraverunt.

30. Præcepitque Ezechias & principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus (*h*) David, & Asaph Videntis: qui laudaverunt eum magna lætitia, & incurvato genu adoraverunt.

31. Ezechias autem etiam hæc addidit: Implestis (*i*) manus vestras Domino, accedite, & offerte victimas, & laudes in domo Domini. Obtulit ergo universa multitudo hostias, & laudes, & holocausta, mente devota.

32. Porro numerus holocaustorum, quæ obtulit multitudo, hic fuit: Tauros septuaginta, arietes centum, agnos ducentos.

33. Sanctificaveruntque Domino boves (*k*) sexcentos, & oves tria millia.

34. Sacerdotes vero pauci erant, nec poterant sufficere ut pelles holocaustorum detraherent: unde & Levitæ fratres eorum adjuverunt eos, donec impleretur opus, & sanctificarentur antistites: Levitæ quippe faciliori ritu sanctificantur, quam Sacerdotes.

35. Fuerunt ergo holocausta plurima, adipes pacificorum, & libamina holocaustorum: & completus (*l*) est cultus domus Domini.

36. Lætatusque est Ezechias, & omnis populus, eo quod ministerium Domini esset expletum. De repente quippe (*m*) hoc fieri placuerat.

CA-

15. (*e*) Hebr. Interiora domus, quo Levitis intrare non licebat.

18. (*f*) Exedris & atriis sanctificatis per dies octo: totidem diebus exteriora templi expiaverunt.

21. & 24. (*g*) Pro templi sanctificatione. *Pro peccato*, & hostia pro peccato.

30. (*h*) Id est, in *Psalmis*, ex quibus sunt duodecim, qui Asaph inscribuntur, ab eo forte compositi; aut a choro cui præerat, canebantur.

31. (*i*) Id est, *Sacrati estis Deo*; aliud alibi hæc verba significant. Sed videtur populum ipsum alloqui, qui venerant non vacui, sed cum muneribus. *Offerte victimas & laudes*: nam laudes Dei & gratiarum actiones sunt Deo gratæ victimæ: *Obtulit ergo universa multitudo*; quibus verbis palam fit, non Sacerdotes, sed multitudinem a Rege compellari.

33. & 34. (*k*) Qui Deo erant immolandi. *Antistites*, Sacerdotes, qui præerant Levitis.

35. (*l*) Jam tum cœpit exerceri ministerium in domo Domini, quod ante desierat.

36. (*m*) Hebraice *Ki lepiteom haja haddavar*, כי בפתאם היה הדבר, quod ad verbum expresserunt Græci interpretes, ὅτι ἐξάπινα ἐγένετο ὁ λόγος, *quia extemplo factum est verbum*, id est, res omnis instaurata & completa est.

CAPUT XXX.

Phase Ezechiæ, ad quod omnes invitat, missis nuntiis per urbes Israel.

1. Misit quoque Ezechias ad omnem Israel & Judam: scripsitque epistolas ad Ephraim & Manassen, ut venirent ad domum Domini in Jerusalem, & facerent Phase Domino Deo Israel.

2. Inito ergo consilio regis & principum, & universi cœtus Jerusalem, decreverunt ut facerent Phase mense secundo (*a*).

3. Non enim potuerant facere in tempore suo, quia sacerdotes, qui possent sufficere, sanctificati non fuerant, & populus nondum congregatus fuerat in Jerusalem.

4. Placuitque sermo regi, & omni multitudini.

5. Et decreverunt ut mitterent nuntios in universum Israel, de Bersabee usque Dan, ut venirent, & facerent Phase Domino Deo Israel in Jerusalem, multi enim non fecerant sicut lege præscriptum est.

6. Perrexeruntque cursores cum epistolis ex regis imperio, & principum ejus, in universum Israel & Judam, juxta id quod rex jusserat, prædicantes: Filii Israel revertimini ad Dominum Deum Abraham, & Isaac, & Israel: & revertetur ad reliquias (*b*), quæ effugerunt manum regis Assyriorum.

7. Nolite fieri sicut patres vestri, & fratres qui recesserunt a Domino Deo patrum suorum, qui tradidit eos in interitum, ut ipsi cernitis.

8. Nolite indurare cervices vestras, sicut patres vestri: tradite manus Domino, & venite ad sanctuarium ejus, quod sanctificavit in æternum: servite Domino Deo patrum vestrorum, & avertetur a vobis ira furoris ejus.

9. Si enim vos reversi fueritis ad Dominum, fratres vestri, & filii habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxerunt captivos, & revertentur in terram hanc: pius enim & clemens est Dominus Deus vester, & non avertet faciem suam a vobis, si reversi fueritis ad eum.

10. Igitur cursores pergebant velociter de civitate in civitatem, per terram Ephraim, & Manasse usque ad Zabulon, illis irridentibus & subsannantibus eos.

11. Attamen quidam viri ex Aser, & Manasse, & Zabulon, acquiescentes consilio, venerunt Jerusalem.

12. In Juda vero facta est manus Domini ut daret eis cor unum, ut facerent juxta præceptum regis & principum verbum Domini.

13. Congregatique sunt in Jerusalem populi multi, ut facerent solemnitatem azymorum in mense secundo.

14. Et surgentes destruxerunt altaria quæ erant in Jerusalem, atque universa, in quibus idolis adolebatur incensum, subvertentes, projecerunt in torrentem Cedron.

15. Immolaverunt autem Phase quartadecima die mensis secundi. Sacerdotes quoque, atque Levitæ tandem sanctificati, obtulerunt holocausta in domo Domini:

16. Steteruntque in ordine suo, juxta dispositionem & legem Moysi hominis Dei: Sacerdotes vero suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Levitarum,

17. Eo quod multa turba sanctificata non esset: & idcirco immolarent Levitæ Phase his, qui non occurrerant sanctificari Domino.

18. Magna etiam pars populi de Ephraim, & Manasse, & Issachar, & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase, non juxta quod scriptum est: & oravit pro eis Ezechias, dicens: Dominus bonus propitiabitur

19. Cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum suorum: & non imputabit eis quod minus sanctificati sunt.

20. Quem exaudivit Dominus, & placatus est populo.

21. Feceruntque filii Israel, qui inventi sunt in Jerusalem, solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia magna: laudantes Dominum per singulos dies: Levitæ quoque & Sacerdotes per organa, quæ suo officio congruebant.

22. Et locutus est Ezechias ad cor omnium Levitarum, qui habebant intelligentiam (*c*) bonam super Domino: & comederunt septem diebus solemnitatis, immolantes victimas pacificorum, & laudantes Dominum Deum patrum suorum.

23. Placuitque universæ multitudini ut celebrarent etiam alios dies septem: quod & fecerunt cum ingenti gaudio.

24. Ezechias enim rex Juda præbuerat multitudini mille tauros, & septem millia ovium: principes vero dederant populo tauros mille, & oves decem millia: sanctificata est ergo sacerdotum plurima multitudo.

25. Et hilaritate perfusa omnis turba Juda, tam Sacerdotum & Levitarum, quam universæ frequentiæ, quæ venerat ex Israel; proselytorum quoque de terra Israel, & habitantium in Juda.

26. Factaque est grandis celebritas in Jerusalem, qualis a diebus Salomonis filii David regis Israel in ea urbe non fuerat.

27. Surrexerunt autem Sacerdotes atque Levitæ benedicentes populo: & exaudita est vox eorum: perveniteque (*d*) oratio in habitaculum sanctum cæli.

CA-

CAPUT XXX.

2. (*a*) Juxta legem Num. 9. Propter legales immunditias primo mense a nonnullis fieri non potuerat, cum Jerosolymæ deessent Sacerdotes, nec populus esset congregatus; visum est in secundum mensem differre Paschatis solemnitatem.

6. (*b*) Quinque tribus regnante Achaz abductæ fuerant, reliquas Theglath-Phalassar reliquerat.

22. & 23. (*c*) Qui erga cultum Domini erant bene dispositi: vel, ut aliis placet, locutus est ad peritos canticorum & rituum divinorum. *Dies septem*; ut eos instruerent.

27. (*d*) Figurata est locutio, qua orationem eorum exauditam esse a Deo insinuatur. Deus ubique adest, sed aliqua quadam ratione in cælo habitare dicitur, quod ibi gloriam suam beatis spiritibus exhibeat. Sacerdotes & Levitæ benedictionem suam orationibus & canticis sociarunt.

CAPUT XXXI.

Populus in Juda & Ephraim idola & lucos destruit. Ezechias Sacerdotes & Levitas in suo quosque ordine & ministerio disponit.

1. CUmque hæc fuissent rite celebrata, egressus est omnis Israel, qui inventus fuerat in urbibus Juda, & fregerunt simulacra, succideruntque lucos, demoliti sunt excelsa, & altaria destruxerunt, non solum de universo Juda & Benjamin, sed & de Ephraim quoque & Manasse, donec penitus everterent: reversique sunt omnes filii Israel in possessiones & civitates suas.

2. Ezechias autem constituit turmas Sacerdotales & Leviticas per divisiones suas, unumquemque in officio proprio, tam Sacerdotum videlicet quam Levitarum, ad holocausta & pacifica, ut ministrarent & confiterentur, canerentque (*a*) in portis castrorum Domini.

3. Pars autem regis erat, ut de propria ejus substantia offerretur holocaustum, mane semper & vespere. Sabbatis quoque & Calendis & solemnitatibus ceteris, sicut scriptum est in lege Moysi.

4. Præcepit etiam populo habitantium Jerusalem, ut darent (*b*) partes Sacerdotibus, & Levitis, ut possent vacare legi Domini.

5. Quod cum percrebuisset in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias filii Israel, frumenti, vini, & olei, mellis (*c*) quoque, & omnium, quæ gignit humus, decimas obtulerunt.

6. Sed & filii Israel & Juda, qui habitabant in urbibus Juda, obtulerunt decimas (*d*) boum & ovium, decimasque sanctorum, quæ voverant Domino Deo suo: atque universa portantes, fecerunt acervos plurimos.

7. Mense tertio cœperunt acervorum jacere fundamenta, & mense septimo compleverunt eos.

8. Cumque ingressi fuissent Ezechias & principes ejus, viderunt acervos, & benedixerunt Domino ac populo Israel.

9. Interrogavitque Ezechias Sacerdotes & Levitas, cur ita jacerent acervi.

10. Respondit illi Azarias Sacerdos primus de stirpe Sadoc, dicens: Ex quo cœperunt offerri primitiæ (*e*) in domo Domini, comedimus, & saturati sumus, & remanserunt plurima, eo quod benedixerit Dominus populo suo: reliquiarum autem copia est ista, quam cernis.

11. Præcepit igitur Ezechias ut præpararent horrea in domo Domini. Quod cum fecissent,

12. Intulerunt tam primitias, quam decimas, & quæcumque voverant, fideliter. Fuit autem præfectus eorum Chonenias Levita, & Semei frater ejus, secundus,

13. Post quem Jahiel, & Azarias, & Nahath, & Asael, & Jerimoth, Jozabad quoque, & Eliel, & Jesmachias, & Mahath, & Banajas, præpositi sub manibus Chononiæ, & Semei fratris ejus, ex imperio Ezechiæ regis & Azariæ pontificis domus Dei, ad quos omnia pertinebant.

14. Core vero filius Jemna Levites & Janitor orientalis portæ, præpositus erat iis, quæ sponte offerebantur Domino, primitiisque & consecratis in Sancta sanctorum.

15. Et sub cura ejus Edem, & Benjamin, Jesue, & Semejas, Amarias quoque & Sechenias in civitatibus Sacerdotum, ut fideliter distribuerent fratribus suis partes, minoribus atque majoribus:

16. Exceptis (*f*) maribus ab annis tribus & supra, cunctis qui ingrediebantur templum Domini, & quidquid per singulos dies conducebat in ministerio, atque observationibus juxta divisiones suas,

17. Sacerdotibus per familias, & Levitis a vigesimo anno & supra, per ordines & turmas suas,

18. Universæque multitudini tam uxoribus, quam liberis eorum utriusque sexus, fideliter cibi, de his quæ sanctificata fuerant, præbebantur.

19. Sed & filiorum Aaron per agros, & suburbana urbium singularum dispositi erant viri, qui partes distribuerent universo sexui masculino de Sacerdotibus & Levitis.

20. Fecit ergo Ezechias universa quæ diximus in omni Juda: operatusque est bonum & rectum & verum coram Domino Deo suo,

21. In universa cultura ministerii domus Domini, juxta legem & cæremonias, volens requirere Deum suum in toto corde suo: fecitque & prosperatus est.

CAPUT XXXII.

Sennacherib Judæam invadit, reliqua ut cap. 18. & 19. Lib. 4. Regum.

1. POst quæ & hujuscemodi veritatem (*a*), 4. Reg. 18. 13.
venit Sennacherib rex Assyriorum, & ingressus Judam, obsedit civitates munitas, vo- Eccli. 48. 20.
lens eas capere. Isai. 36. 1.

2. Quod cum vidisset Ezechias, venisse scilicet Sennacherib, & totum belli impetum verti contra Jerusalem,

3. Inito cum principibus consilio, virisque fortissimis, ut obturarent capita fontium, qui erant extra urbem: & hoc omnium decernente sententia,

4. Con-

CAPUT XXXI.

2. (*a*) In templi portis, quo Sacerdotes & Levitæ per vices & turmas instar militum conveniebant. LXX. *In portis, & in atriis domus Domini.*

4. (*b*) Præceptum illud de primitiis & decimis in summa rerum perturbatione neglectum, ab Ezechia renovatur. Hujus rei affertur ratio ex jure naturali ducta, ut possent vacare legi Dei, & ministerio suo fungi. Itaque lex positiva addit tantummodo legi naturali certum modum & determinationem quamdam. Nam ex naturæ lege, qui communitati ministrat, ab eadem sustentari debet.

5. (*c*) Non ad sacrificia, sed ad usus proprios.

6. (*d*) Hæ videntur decimæ, quas Levitæ dabant Sacerdotibus ex decimis, quas acceperant a populo, Numer. 18.

10. 11. 12. & 13. (*e*) Hebr. *Terouma*, תרומה. *Oblatio*, Græcis est ἀπαρχαί, *Primitiæ*, id est, primæ fruges Deo offerri & consecrari solitæ. *Ut præpararent*: instaurarent facta a Salomone. *Ad quos omnia pertinebant*; desunt hæc verba in Hebræo & Græco.

16. (*f*) Id est, præter pueros, quibus etiam dabatur portio aliqua a tribus annis, cum ablactati fuerant: *Cunctis qui ingrediebantur templum*: cunctis ministris Domini.

CAPUT XXXII.

1. (*a*) Post tam integram Ezechiæ justitiam graves sunt consecutæ tentationes: vel forte rerum narratarum veritas intelligitur.

4. Congregavit plurimam multitudinem, & obturaverunt cunctos fontes, & rivum qui fluebat in medio terræ, dicentes: Ne veniant reges Assyriorum, & inveniant aquarum abundantiam.

5. Ædificavit quoque, agens industrie, omnem murum, qui fuerat dissipatus, & extruxit turres desuper, & forinsecus alterum murum: instauravitque Mello in civitate David, & fecit universi generis armaturam & clypeos:

6. Constituitque principes bellatorum in exercitu: & convocavit universos in platea portæ civitatis, ac locutus est ad cor eorum, dicens:

7. Viriliter agite, & confortamini: nolite timere, nec paveatis regem Assyriorum, & universam multitudinem, quæ est cum eo: multo enim plures (b) nobiscum sunt, quam cum illo.

8. Cum illo enim est brachium carneum; nobiscum Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis. Confortatusque est populus hujuscemodi verbis Ezechiæ regis Juda.

9. Quæ postquam gesta sunt, misit Sennacherib rex Assyriorum servos suos in Jerusalem (ipse enim cum universo exercitu obsidebat (c) Lachis) ad Ezechiam regem Juda, & ad omnem populum, qui erat in urbe, dicens:

10. Hæc dicit Sennacherib rex Assyriorum: In quo habentes fiduciam sedetis obsessi in Jerusalem?

11. Num Ezechias decipit vos, ut tradat morti in fame & siti, affirmans quod Dominus Deus vester liberet vos de manu regis Assyriorum?

12. Numquid non iste est Ezechias, qui destruxit excelsa illius, & altaria, & præcepit Juda & Jerusalem, dicens: Coram altari uno adorabitis, & in ipso comburetis incensum?

13. An ignoratis quæ ego fecerim, & patres mei, cunctis terrarum populis? numquid prævaluerunt dii gentium, omniumque terrarum, liberare regionem suam de manu mea?

14. Quis est de universis diis gentium, quas vastaverunt patres mei, qui potuerit eruere populum suum de manu mea, ut possit etiam Deus vester eruere vos de hac manu?

15. Non vos ergo decipiat Ezechias, nec vana persuasione deludat, neque credatis ei. Si enim nullus potuit Deus cunctarum gentium atque regnorum liberare populum suum de manu mea, & de manu patrum meorum, consequenter nec Deus vester poterit eruere vos de manu mea.

16. Sed & alia multa locuti sunt servi ejus contra Dominum Deum, & contra Ezechiam servum ejus.

17. Epistolas quoque scripsit plenas blasphemiæ in Dominum Deum Israel, & locutus est adversus eum: Sicut dii gentium ceterarum non potuerunt liberare populum suum de manu mea: sic & Deus Ezechiæ eruere non poterit populum suum de manu ista.

18. Insuper & clamore magno, lingua Judaica contra populum, qui sedebat in muris Jerusalem, personabat, ut terreret eos, & caperet civitatem.

19. Locutusque est contra Deum Jerusalem, sicut adversum deos populorum terræ, opera manuum hominum.

20. Oraverunt igitur Ezechias rex, & Isaias filius Amos propheta, adversum hanc blasphemiam, ac vociferati sunt usque in cælum.

21. * Et misit Dominus Angelum, qui percussit omnem virum robustum, & bellatorem, & principem exercitus regis Assyriorum: reversusque est cum ignominia in terram suam. Cumque ingressus esset domum dei sui, filii qui egressi fuerant de utero ejus, interfecerunt eum gladio. *Tob.1.21.

22. Salvavitque Dominus Ezechiam & habitatores Jerusalem de manu Sennacherib regis Assyriorum, & de manu omnium, & præstitit eis quietem per circuitum.

23. Multi etiam deferebant hostias & sacrificia Domino in Jerusalem, & munera Ezechiæ regi Juda: qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus.

24. * In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem, & oravit Dominum: exaudivitque eum, & dedit ei signum. *4.Reg.20.1. Isai.38.1.

25. Sed non juxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia elevatum (d) est cor ejus: & facta est contra eum ira, & contra Judam & Jerusalem.

26. Humiliatusque (e) est postea, eo quod exaltatum fuisset cor ejus, tam ipse, quam habitatores Jerusalem: & idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ.

27. Fuit autem Ezechias dives, & inclytus valde, & thesauros sibi plurimos congregavit argenti & auri & lapidis pretiosi, aromatum, & armorum universi generis, & vasorum magni pretii.

28. Apothecas quoque frumenti, vini, & olei, & præsepia omnium jumentorum, caulasque pecorum,

29. Et urbes ædificavit sibi: habebat quippe greges ovium & armentorum innumerabiles, eo quod dedisset ei Dominus substantiam multam nimis.

30. Ipse est Ezechias, qui obturavit superiorem fontem aquarum Gihon, & avertit eas subter ad Occidentem Urbis David: in omnibus operibus suis fecit prospere quæ voluit.

31. Attamen in legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram, dereliquit eum Deus ut tentaretur (f), & nota fierent omnia, quæ erant in corde ejus.

32. Reliqua autem sermonum Ezechiæ, & misericordiarum ejus scripta sunt in visione Isaiæ filii Amos prophetæ, & in Libro regum Juda & Israel.

33. Dor-

7. (b) Quod intelligi potest de exercitu Angelorum, vel de auxilio Dei.

9. (c) Sennacherib ab expeditione Ægyptiaca contra Sethonem in Palæstinam reversus.

25. (d) Postquam periculum a Sennacherib intentatum evasit, & Babylone Legati gratulatum venerunt, ac divitiis auctus est.

26. (e) Isaiæ monitis ad meliorem mentem redit.

31. (f) Permisit eum Deus mentis elatione tentari. Deo deserente tentatio magna non vincitur, aut alia tentatione vincitur, ut clavus clavo pellitur. *Et nota fierent omnia, quæ erant in corde ejus*; ut nota fierent, non Deo, sed homini ipsi, nam occulta cordis sui sæpe sunt incognita; vel aliis hominibus, qui qualis sit proximus, experientia discunt; *Ut interrogarent de portento*: an de clade illa adeo portentosa in castris Sennacherib.

33. Dormivitque Ezechias cum patribus suis, & sepelierunt eum super sepulcra filiorum David: & celebravit ejus exequias universus Juda, & omnes habitatores Jerusalem: regnavitque Manasses filius ejus pro eo.

CAPUT XXXIII.

Manasses impius succedit pro patre Ezechia: captivus abducitur Babylonem, pœnitentiam agit, redit Jerosolymam.

4. Reg. 21. 1. 1. Duodecim annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, & quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem.

2. Fecit autem malum coram Domino, juxta abominationes gentium, quas subvertit Dominus coram filiis Israel:

3. Et conversus instauravit excelsa, quæ demolitus fuerat Ezechias pater ejus; construxitque aras Baalim, & fecit lucos, & adoravit omnem militiam cœli, & coluit eam.

4. Ædificavit quoque altaria in domo Domini, de qua dixerat Dominus: * In Jerusalem erit nomen meum in æternum. (*2. Reg. 7. 10.)

5. Ædificavit autem ea cuncto exercitui cœli, in duobus atriis domus Domini.

6. Transireque fecit filios suos per ignem in Vallebenennom (*a*): observabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inserviebat, habebat secum magos & incantatores: multaque mala operatus est coram Domino, ut irritaret eum.

7. Sculptile quoque & conflatile signum posuit in domo Dei, * de qua locutus est Deus ad David, & ad Salomonem filium ejus, dicens: In domo hac & in Jerusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meum in sempiternum. (*3. Reg. 8. 17.)

8. Et moveri non faciam pedem Israel de terra, quam tradidi patribus eorum: ita duntaxat si custodierint facere quæ præcepi eis, cunctamque legem & cæremonias, atque judicia per manum Moysi.

9. Igitur Manasses seduxit Judam, & habitatores Jerusalem, ut facerent malum super omnes gentes, quas subverterat Dominus a facie filiorum Israel.

10. Locutusque est Dominus ad eum, & ad populum illius, & attendere noluerunt.

11. Idcirco superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorum (*b*): cœperuntque Manassen, & vinctum catenis, atque compedibus duxerunt in Babylonem.

12. Qui postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum: & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum.

13. Deprecatusque est eum, & obsecravit intente: & exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum, & cognovit Manasses quod Dominus ipse esset Deus.

14. Post hæc ædificavit murum extra civitatem David, ad Occidentem Gihon in convalle, ab introitu portæ piscium per circuitum usque ad Ophel, & exaltavit illum vehementer: constituitque principes exercitus in cunctis civitatibus Juda munitis:

15. Et abstulit deos alienos, & simulacrum de domo Domini: aras quoque, quas fecerat in monte domus Domini, & in Jerusalem, & projecit omnia extra urbem.

16. Porro instauravit altare Domini, & immolavit super illud victimas, & pacifica, & laudem: præcepitque Judæ ut serviret Domino Deo Israel.

17. Attamen adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo.

18. Reliqua autem gestorum Manasse: & obsecratio ejus ad Deum suum: verba quoque Videntium, qui loquebantur ad eum in nomine Domini Dei Israel, continentur in sermonibus regum Israel.

19. Oratio quoque ejus & exauditio, & cuncta peccata atque contemptus, loca etiam in quibus ædificavit excelsa, & fecit lucos & statuas, antequam ageret pœnitentiam, scripta sunt in sermonibus Hozai (*c*).

20. Dormivit ergo Manasses cum patribus suis, & sepelierunt eum in domo sua: regnavitque pro eo filius ejus Amon.

21. Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset, & duobus annis regnavit in Jerusalem.

22. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater ejus: & cunctis idolis (*d*), quæ Manasses fuerat fabricatus, immolavit atque servivit.

23. Et non est reveritus faciem Domini, sicut reveritus est Manasses pater ejus: & multo majora deliquit (*e*).

24. Cumque conjurassent adversus eum servi sui, interfecerunt eum in domo sua.

25. Porro reliqua populi multitudo, cæsis iis, qui Amon percusserant, constituit regem Josiam filium ejus pro eo.

CAPUT XXXIV.

Josias idolorum cultu sublato templum instaurat: invento libro Legis perterritus cuncta ex illius præscripto componit, & convocato populo fœdus populi cum Domino ferit.

1. Octo annorum erat Josias cum regnare cœpisset, & triginta & uno anno regnavit in Jerusalem. 4. Reg. 22. 1.

2. Fecitque quod erat rectum in conspectu Domini, & ambulavit in viis David patris sui: non declinavit neque ad dexteram neque ad sinistram.

3. Octa-

CAPUT XXXIII. 6. (*a*) *Filii Ennom*; Hebr. *Ge hinnom*, גי־הנום. quam Syrus transtulit, גהנא, *Gehenna*; unde Græci & Latini hauserunt suum γέεννα, *Gehenna*. Locus erat vicinus urbi Jerusalem ad radicem montis Moria, in quem sordes & cadavera projiciebantur. Hic jugis accendebatur ignis ad comburenda cadavera ex R. Kimhi in Psalm. 27. versu 13. *Observabat somnia*; alii tempora, ut solent Astrologi.

11. (*b*) Tum temporis Chaldæi regnum Assyriorum invaserant, iique Assyrii solent appellari. *Cœperuntque Manassen*; anno regni 22. Brevis fuit captivitas.

19. (*c*) Nonnulli putant hunc ipse *Isaiam*.

22. (*d*) Non iisdem quæ destruxerat Manasses, sed similibus & iisdem diis.

23. (*e*) Quia non egit pœnitentiam ut Manasses: hic tamen ut fons & caussa malorum Jeremiæ 25. habetur, ob imperatum exemplum.

3. Octavo autem anno regni sui, cum adhuc esset puer (a), cœpit quærere Deum patris sui David: & duodecimo anno postquam regnare cœperat, mundavit Judam & Jerusalem ab excelsis, & lucis, simulacrisque & sculptilibus.

4. Destruxeruntque coram eo aras Baalim: & simulacra (b), quæ superposita fuerant, demoliti sunt: lucos etiam, & sculptilia succidit atque comminuit: & super tumulos eorum, qui eis immolare consueverant, fragmenta dispersit.

5. Ossa præterea sacerdotum combussit in altaribus idolorum, mundavitque Judam & Jerusalem.

6. Sed & in urbibus Manasse, & Ephraim, & Simeon, usque Nephthali cuncta subvertit.

7. Cumque altaria dissipasset, & lucos, & sculptilia contrivisset in frusta, cunctaque delubra demolitus esset de universa Terra Israel (c), reversus est in Jerusalem.

8. Igitur anno octavodecimo regni sui, mundata jam terra, & templo Domini, misit Saphan filium Esliæ, & Maasiam principem civitatis, & Joha filium Joachaz a commentariis, ut instaurarent domum Domini Dei sui.

9. Qui venerunt ad Helciam sacerdotem magnum: acceptamque ab eo pecuniam, quæ illata fuerat in domum Domini, & quam congregaverant Levitæ, & janitores de Manasse, & Ephraim, & universis reliquiis Israel, ab omni quoque Juda, & Benjamin, & habitatoribus Jerusalem,

10. Tradiderunt in manibus eorum, qui præerant operariis in domo Domini, ut instaurarent templum, & infirma quæque sarcirent.

11. At illi dederunt eam artificibus, & cæmentariis, ut emerent lapides de lapicidinis, & ligna ad commissuras ædificii, & ad contignationem domorum, quas destruxerant reges Juda.

12. Qui fideliter cuncta faciebant. Erant autem præpositi operantium, Jahath & Abdias de filiis Merari, Zacharias & Mosollam de filiis Caath, qui urgebant opus: omnes Levitæ scientes organis canere.

13. Super eos vero, qui ad diversos usus onera portabant, erant scribæ, & magistri de Levitis janitores.

14. Cumque efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias sacerdos Librum (d) legis Domini per manum Moysi.

15. Et ait ad Saphan scribam: Librum legis inveni in domum Domini: & tradidit ei.

16. At ille intulit volumen ad regem, & nuntiavit ei dicens: Omnia, quæ dedisti in manu (e) servorum tuorum, ecce complentur.

17. Argentum quod repertum est in domo Domini, conflaverunt: datumque est præfectis artificum, & diversa opera fabricantium.

18. Præterea tradidit mihi Helcias Sacerdos hunc librum. Quem cum rege præsente recitasset,

19. Audissetque ille verba legis, scidit vestimenta sua:

20. Et præcepit Helciæ, & Ahicam filio Saphan, & Abdon filio Micha, Saphan quoque scribæ, & Asaæ servo regis, dicens:

21. Ite, & orate Dominum pro me, & pro reliquiis Israel & Juda, super universis sermonibus Libri istius, qui repertus est: magnus enim furor Domini stillavit super nos, eo quod non custodierint patres nostri verba Domini, ut facerent omnia, quæ scripta sunt in isto volumine.

22. Abiit ergo Helcias, & hi qui simul a rege missi fuerant, ad Oldam prophetidem, uxorem Sellum filii Thecuath, filii Hasra custodis vestium: quæ habitabat in Jerusalem in Secunda (f): & locuti sunt ei verba, quæ supra narravimus.

23. At illa respondit eis: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dicite viro, qui misit vos ad me:

24. Hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam mala super locum istum, & super habitatores ejus, cunctaque maledicta, quæ scripta sunt in Libro hoc, quem legerunt coram rege Juda.

25. Quia dereliquerunt me, & sacrificaverunt diis alienis, ut me ad iracundiam provocarent in cunctis operibus manuum suarum, idcirco stillabit furor meus super locum istum, & non extinguetur.

26. Ad regem autem Juda, qui misit vos pro Domino deprecando, sic loquimini: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Quoniam audisti verba voluminis,

27. Atque emollitum est cor tuum, & humiliatus es in conspectu Dei, super his quæ dicta sunt contra locum hunc, & habitatores Jerusalem, reveritusque faciem meam, scidisti vestimenta tua, & flevisti coram me: ego quoque exaudivi te, dicit Dominus.

28. Jam enim colligam te ad patres tuos, & infereris in sepulcrum tuum in pace: nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus sum super locum istum, & super habitatores ejus. * Retulerunt itaque regi cuncta quæ dixerat. *4.Reg 23. 1.

29. At ille convocatis universis majoribus natu Juda & Jerusalem,

30. Ascendit in domum Domini, unaque omnes viri Juda & habitatores Jerusalem, Sacerdotes & Levitæ, & cunctus populus a minimo usque ad maximum. Quibus audientibus in domo Domini, legit rex omnia verba voluminis:

31. Et stans in tribunali suo percussit (g) fœdus coram Domino, ut ambularet post eum, & custodiret præcepta, & testimonia, & justificationes ejus in toto corde suo, & in tota anima sua, faceretque quæ scripta sunt in volumine illo, quod legerat.

32. Adju-

CAPUT XXXIV.

3. (a) Natus annos 16. quo anno genuit Eliachim.

4. 5. & 6. (b) Destruxit aras & idola illis imposita. *Idolorum*, ut ea contaminaret. *Subvertit*, omnes abominationes.

7. 8. & 10. (c) Cujus Rex cum parte populi abductus fuerat. *Principem*. Præfectum urbis. *Sarcirent*, ruinas repararent.

14. (d) Mosis autographum temporibus Manassis deperditum.

16. & 20. (e) Quæ jussisti. *Et Abdon*, Lib. 4. Regum 22. *Achebor* nominatur.

22. (f) Forte in ea parte, quæ erat inter urbis murum, & antemurale: vel in secunda parte urbis, ubi erat templum, vel denique in secunda porta secundi muri.

31. (g) Tricesimi anni Epochæ ab Ezechiele designatæ c. 1. sic annorum 40. peccati Judæ, Ezech. 46. Epocha a nonnullis hinc deducitur.

32. Adjuravit quoque super hoc omnes, qui reperti fuerant in Jerusalem, & Benjamin: & fecerunt habitatores Jerusalem juxta pactum Domini Dei patrum suorum.

33. Abstulit ergo Josias cunctas abominationes de universis regionibus filiorum Israel: & fecit omnes, qui residui erant in Israel, servire Domino Deo suo. Cunctis diebus ejus non recesserunt a Domino Deo patrum suorum.

CAPUT XXXV.

Josias Phase & Azymos dies magna cum solemnitate celebrat: anno 18. postquam regnare cœperat, in pugna cum Nechao Ægypti rege commissa vulneratus, moritur.

* 4. Reg. 23. 21. 1. FEcit autem Josias in Jerusalem Phase Domino, quod immolatum est quartadecima die mensis primi:

2. Et constituit Sacerdotes in officiis suis, hortatusque est eos, ut ministrarent in domo Domini.

3. Levitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Israel sanctificabatur (*a*) Domino, locutus est: Ponite arcam in sanctuario templi, quod ædificavit Salomon filius David rex Israel, nequaquam enim eam ultra portabitis: nunc autem ministrate Domino Deo vestro, & populo ejus Israel.

4. Et præparate vos per domos, & cognationes vestras in divisionibus singulorum, sicut præcepit David rex Israel, & descripsit Salomon filius ejus.

5. Et ministrate in sanctuario per familias turmasque Leviticas.

6. Et sanctificati immolate Phase: fratres (*b*) etiam vestros, ut possint juxta verba, quæ locutus est Dominus in manu Moysi facere, præparate.

7. Dedit præterea Josias omni populo, qui ibi fuerat inventus in solemnitate Phase, agnos & hædos de gregibus, & reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria millia: hæc de regis universa substantia.

8. Duces quoque ejus, sponte quod voverant, obtulerunt, tam populo, quam Sacerdotibus & Levitis. Porro Helcias, & Zacharias, & Jahiel principes domus Domini, dederunt sacerdotibus ad faciendum Phase pecora commixtim duo millia sexcenta, & boves trecentos (*c*).

9. Chonenias autem, & Semejas, etiam Nathanael fratres ejus, necnon Hasabias, & Jehiel, & Jozabad principes Levitarum, dederunt (*d*) ceteris Levitis ad celebrandum Phase quinque millia pecorum, & boves quingentos.

10. Præparatumque est ministerium, & steterunt sacerdotes in officio suo: Levitæ quoque in turmis juxta regis imperium.

11. Et immolatum est Phase: asperseruntque Sacerdotes manu sua sanguinem, & Levitæ detraxerunt (*e*) pelles holocaustorum:

12. Et separaverunt ea ut darent per domos & familias singulorum, & offerrentur Domino, sicut scriptum est in Libro Moysi: de bobus quoque fecerunt similiter.

13. Et assaverunt Phase super ignem, juxta quod in lege scriptum est: pacificas vero hostias coxerunt in lebetibus, & cacabis, & ollis, & festinato distribuerunt universæ plebi:

14. Sibi autem, & Sacerdotibus postea paraverunt: nam in oblatione holocaustorum & adipum usque ad noctem sacerdotes fuerunt occupati: unde Levitæ sibi, & sacerdotibus filiis Aaron paraverunt novissimis.

15. Porro cantores filii Asaph stabant in ordine suo, juxta præceptum David, & Asaph, & Heman, & Idithun prophetarum regis: Janitores vero per portas singulas observabant, ita ut nec puncto quidem discederent a ministerio: quam ob rem & fratres eorum Levitæ paraverunt eis cibos.

16. Omnis igitur cultura Domini rite completa est in die illa, ut facerent Phase, & offerrent holocausta super altare Domini, juxta præceptum regis Josiæ.

17. Fecerunt filii Israel, qui reperti fuerant ibi, Phase in tempore illo, & solemnitatem azymorum septem diebus.

18. Non fuit Phase (*f*) simile huic in Israel a diebus Samuelis prophetæ: sed nec quisquam de cunctis regibus Israel fecit Phase sicut Josias, Sacerdotibus, & Levitis, & omni Judæ, & Israel qui repertus fuerat, & habitantibus in Jerusalem.

19. Octavodecimo anno regis Josiæ hoc Phase celebratum est.

20. * Postquam instauraverat Josias templum, ascendit Nechao rex Ægypti ad pugnandum in Charcamis (*g*) juxta Euphraten: & processit in occursum ejus Josias. * 4. Reg. 23. 29.

21. At ille, missis ad eum nuntiis, ait: Quid mihi & tibi est rex Juda? non adversum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinato ire præcepit: desine adversum Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te.

22. Noluit Josias reverti, sed præparavit contra eum bellum, nec acquievit sermonibus Nechao ex ore Dei: * verum perrexit ut dimicaret in campo Mageddo (*h*). * Zach. 12. 11.

23. Ibi-

CAPUT XXXV.

3. (*a*) Mundabatur, cum se contaminaverat. LXX. Levitis potentibus in omni Israel, ut sanctificarentur Domino. Levitæ ipsi ut purificati ponerent arcam in sanctuario, unde extracta fuerat a Manasse, vel potius ab Amon. *Nequaquam enim ultra eam portabitis*. Hebr. Non vobis onus in humero: non est opus ut eam portetis, neque e Templo dimoveri debet.

6. (*b*) Præparate juxta legis ceremonias.

8. (*c*) In holocausta: non enim tantum agni, sed & varia genera animalium per septem dies immolabantur.

9. (*d*) Principes Levitarum aliis Levitis dederant ad Pascha celebrandum. *Quinque millia pecorum*, agnos & hædos.

11. & 13. (*e*) Quod Sacerdotes essent occupati. *Phase*, Agnos Paschales.

18. (*f*) Non quod major populi multitudo eo convenisset: sed quia Josias plura munera populo & Sacerdotibus quam quivis Rex alius dedit.

20. (*g*) Quæ erat urbs *Assyriorum*, eamque Nechao oppugnare voluit.

22. (*h*) In tribu Manasse, Josue cap. 17. Nechao cum per terras Josiæ transiret, huic occurrit Josias: cumque Dei voluntati obsisteret, per Prophetam sibi denuntiatæ, ex ore Dei percussus fuit. Herodotus Lib. 2. Nechao Regem Ægypti cum *Syris* (sic vocat Judæos) signa contulisse scribit in Magdelo, iis victis magnam urbem Cadytim cepisse. Hanc vir doctus P. De Montfaucon, Congregationis S. Mauri, existimat esse *Jerusalem*, quam Græci post captivitatem vocabant *Cadessa*, קדושה, seu urbem *sanctam* more Græcorum, mutata litera o in υ. Herodotus Cadytim appellat: hanc urbem *Sardis* Lydiorum Metropoli parem esse dicit: quod Cades obscuro & in deserto loco sitæ neutiquam convenire potest.

23. Ibique vulneratus a sagittariis, dixit pueris suis: Educite me de prælio, quia oppido vulneratus sum.

24. Qui transtulerunt eum de curru in alterum currum, qui sequebatur eum more regio, & asportaverunt eum in Jerusalem, mortuusque est, & sepultus in mausoleo patrum suorum: & universus Juda & Jerusalem luxerunt eum.

25. Jeremias maxime: cujus omnes cantores atque cantatrices, usque in præsentem diem lamentationes super Josiam replicant, & quasi lex obtinuit in Israel: Ecce scriptum fertur in lamentationibus.

26. Reliqua autem sermonum Josiæ & misericordiarum ejus: quæ lege præcepta sunt Domini:

27. Opera quoque illius prima & novissima, scripta sunt in Libro regum Juda & Israel.

CAPUT XXXVI.

Josiæ succedit Joachaz ejus filius, quem Nechao rex Ægypti transfert in Ægyptum, & fratrem Eliakim, seu Joakim ejus loco substituit. Hic vinctus catenis Babylonem deportatur cum vasis sacris. Regnat Joachin ejus filius. Primo eidem anno transfertur Babylonem, Sedecia in ejus locum suffecto. Tandem eversum regnum, Babylonem populus translatus, donec soluta est captivitas a Cyro.

4. Reg. 23. 30. 1. Tulit ergo populus terræ Joachaz filium Josiæ, & constituit regem pro patre suo in Jerusalem.

2. Vigintitrium annorum erat Joachaz cum regnare cœpisset, & tribus mensibus regnavit in Jerusalem.

3. Amovit autem eum rex Ægypti cum venisset in Jerusalem, & condemnavit terram centum talentis argenti, & talento auri.

* Matth. 1. 11. 4. Constituitque pro eo regem, * Eliakim fratrem ejus, super Judam & Jerusalem: & vertit nomen ejus Joakim: ipsum vero Joachaz tulit secum, & abduxit in Ægyptum.

5. Vigintiquinque annorum erat Joakim (*a*) cum regnare cœpisset, & undecim annis regnavit in Jerusalem: fecitque malum coram Domino Deo suo.

6. Contra hunc ascendit Nabuchodonosor rex Chaldæorum, & vinctum (*b*) catenis duxit in Babylonem.

7. Ad quam & vasa Domini transtulit, & posuit ea in templo suo.

8. Reliqua autem verborum Joakim, & abominationum ejus, quas operatus est, & quæ inventa sunt in eo, continentur in Libro regum Juda & Israel. Regnavit autem Joachin filius ejus pro eo.

9. Octo annorum erat Joachin (*c*) cum regnare cœpisset, & tribus mensibus, ac decem diebus regnavit in Jerusalem, fecitque malum in conspectu Domini.

10. Cumque anni circulus volveretur (*d*), misit Nabuchodonosor rex, qui adduxerunt eum in Babylonem, asportatis simul pretiosissimis vasis domus Domini. * Regem vero constituit Sedeciam patruum ejus super Judam & Jerusalem. * 4 Reg. 24. 1. Jer. 37. 1.

11. Viginti & unius anni erat Sedecias cum regnare cœpisset, & undecim annis regnavit in Jerusalem.

12. Fecitque malum in oculis Domini Dei sui, nec erubuit faciem Jeremiæ prophetæ, loquentis ad se ex ore Domini.

13. A rege quoque Nabuchodonosor recessit, qui adjuraverat eum per Deum (*e*): & induravit cervicem suam & cor, ut non reverteretur ad Dominum Deum Israel.

14. Sed & universi principes sacerdotum, & populus, prævaricati sunt inique juxta universas abominationes Gentium, & polluerunt (*f*) domum Domini, quam sanctificaverat sibi in Jerusalem.

15. Mittebat autem Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum (*g*) nuntiorum suorum, de nocte consurgens, & quotidie commonens: eo quod parceret populo & habitaculo suo.

16. At illi subsannabant nuntios Dei, & parvipendebant sermones ejus, illudebantque prophetis, donec ascenderet furor Domini in populum ejus, & esset nulla curatio.

17. Adduxit enim super eos regem Chaldæorum, & interfecit juvenes eorum gladio in domo sanctuarii sui, non est misertus adolescentis, & virginis, & senis, nec decrepiti quidem, sed omnes tradidit in manibus ejus.

18. Universaque vasa domus Domini tam majora, quam minora, & thesauros templi, & regis, & principum, transtulit in Babylonem.

19. Incenderunt hostes domum Dei, destruxeruntque murum Jerusalem, universas turres combusserunt, & quidquid pretiosum fuerat, demoliti sunt.

20. Si quis evaserat gladium, ductus in Babylonem servivit regi & filiis ejus, donec imperaret rex Persarum,

21. Et compleretur sermo Domini ex ore Jeremiæ, & celebraret terra sabbata sua: cunctis enim diebus desolationis egit sabbatum, usque dum complerentur septuaginta anni.

22. * Anno autem primo Cyri regis Persarum, ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiæ, suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum: qui jussit prædicari in universo regno suo, etiam per scripturam, dicens: * 1. Esd. 1. 1. & 6. 3. Jer. 25. 12. & 29. 10.

23. Hæc

CAPUT XXXVI.

5. (*a*) Hunc Nabuchodonosor cepit, & catenis vinxit, ut duceret Babylonem: sed mox mutato consilio in regnum suum remisit, qui cum rebellasset post tres annos, jussus est interfici. Hinc Jeremias cap. 25. *Sepultura asini sepelietur, putrefactus & ejectus extra portas Jerusalem.* Quod de illo dicitur Lib. 4. Reg. 24. *Et dormivit Joakim cum patribus suis*, sic intelligendum videtur, quemadmodum & patres ejus, non quod sepultus fuerit cum majoribus suis. hinc numerus LXX. annorum captivitatis initium ducit a quarto anno regni Joakim.

6. (*b*) Vinxit ut duceret, quamvis illum postea reliquerit: a prima illa servitute, ut dictum fuit, numerantur anni LXX. captivitatis.

9. (*c*) Lib. 4. Regum 24. dicitur fuisse 18. annorum: Hebræi dicunt regnasse cum patre decem annis, adeo ut octo annorum esset, cum regnare cœpit: solus regnavit tantum tribus mensibus, & 10. diebus: octo illi anni forte non numerantur ab illius natalibus, sed ab initio captivitatis, ut videtur Usserio.

10. (*d*) Non quod annum integrum solus regnaverit, sed ex quo annus Judaicus inceperat a mense Nisan, quando ad bellum solent procedere, ineunte vere.

11. (*e*) Mutavit ejus nomen *Mathaniæ* in *Sedeciam*, quod *justitiam Dei* significat.

14. (*f*) Quam sanctificaverat præsentia sua multis argumentis.

15. & 21. (*g*) Salutaria monita dando. *Egit sabbatum*, cessavit.

23. Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa: quis ex vobis est in omni populo ejus? sit Dominus Deus suus cum eo, & ascendat.



LIBER PRIMUS
ESDRÆ.

ESDRÆ & Nehemiæ *Libri duo apud nos distincti; uno & eodem volumine apud Hebræos continentur. Horum Librorum argumentum Hieronymus in prologo galeato paucis verbis complectitur. Instaurant templum, muros extruunt civitatis, omnisque illa turba populi redeuntis in patriam, & descriptio Sacerdotum, Levitarum, Israelis proselytorum, ac per singulas familias, murorum ac turrium opera divisa, aliud in cortice præferunt, aliud in medulla retinent.*

Sex priora Libri primi capita ab Auctore L. Paralip. scripta esse valde probabile est. Nam quæ in calce L. 2. Paral. leguntur, eadem initio L. 1. Esdræ repetita legimus. Deinde scriptor illorum capitum rebus ipsis, quas narrat, interfuit, ut ex his verbis cap. 5. v. 4. colligi potest: Ad quod respondimus eis, quæ essent nomina hominum auctorum ædificationis illius. *Quæ quidem ædificatio facta fuit anno sexto Darii Histaspidæ, ut ex cap. 6. discimus. Quocirca auctor horum capitum vixit Darii temporibus, qui alius videtur ab Esdra: cum initio c. 7. ita scriptum sit:* Post hæc autem verba in regno Artaxerxis Regis Persarum Esdras filius Saraiæ. *Ipse Esdras ascendit de Babylone. Cum igitur auctor priorum capitum esset Jerosolymæ Darii tempore, Esdras vero ascenderit Jerosolymam tempore Artaxerxis Longimani, videtur Esdras posteriorum auctor capitum, non sex primorum. Quod vero is sit auctor septimi capitis, liquet ex v. 27. & 28.* Benedictus Dominus Deum Patrum nostrorun, &c. & in me inclinavit misericordiam suam coram Rege: *& cap. 9. v. 5.* Curvavi genua mea.

Cum autem cap. 2. v. 2. mentio habeatur Nehemiæ, *qui in priore reditu non fuit, videtur probabile Nehemiam ex hoc opere descripsisse librum genealogiæ eorum, qui Babylone primum Jerosolymam redierunt; cumque hæc describeret, simul inseruit nomina eorum, qui secundo reditui interfuerunt.*

Uterque Esdræ & *Nehemiæ Liber in canonem receptus est, & a LXX. senioribus Græco sermoni redditus. Vixit Nehemias ævo Artaxerxis Longimani, atque illius reditus recentior est Esdræ reditu 13. annis; isque fuit de tribu Juda, ut Esdras e stirpe Aaron. Unde vitiosa esse hæc verba in vulgata Lectione Lib. 2. Machab. cap. 1. v. 21. censet Huetius.* Jussit Sacerdos Nehemias: *nam in Græco est*, Jussit sacerdotes. *Sic Petavius addititium esse putat hunc versiculum cap. 12. Nehemiæ, qui Jaddi Pontificis tempore Alexandri mentionem facit. Aliis tamen videtur Nehemiam fuisse e tribu Levi filium Helciæ.*

Idem duos Sanaballetos statuit, unum Artaxerxis, alterum Darii ultimi Persarum Regis coætaneum. Tyrinus scribens in idem cap. 12. ait utrumque versiculum 11. & 12. ab aliquo Hagiographo insertum fuisse huic Libro, ut posteris constaret de successione Pontificum per omne tempus dominationis Persicæ.

CAPUT PRIMUM.

Cyrus expugnata Babylone captivitatem solvit; templi ædificandi facultatem concedit.

2. Par. 36. 22. Jer. 25 12. & 29. 10. 1. N anno primo Cyri regis Persarum, ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiæ, suscitavit (a) Dominus spiritum Cyri regis Persarum: & traduxit vocem in omni regno suo, etiam per scripturam, dicens:

2. Hæc dicit Cyrus rex Persarum: Omnia regna terræ dedit (b) mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa.

3. Quis est in vobis de universo populo ejus? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Jerusalem, quæ est in Judæa, & ædificet domum Domini Dei Israel, ipse est Deus qui est in Jerusalem.

4. Et omnes reliqui in cunctis locis ubicumque habitant, adjuvent eum viri de loco suo, argento & auro, & substantia, & pecoribus, excepto quod voluntarie offerunt templo Dei, quod est in Jerusalem.

5. Et surrexerunt principes patrum de Juda, & Benjamin, & Sacerdotes, & Levitæ, & omnis, cujus Deus suscitavit spiritum (c), ut ascenderent ad ædificandum templum Domini, quod erat in Jerusalem.

6. Universique qui erant in circuitu, adjuverunt manus eorum in vasis argenteis, & aureis, in substantia & jumentis, in supellectili, exceptis his, quæ sponte obtulerant.

8. Rex quoque Cyrus protulit vasa templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Jerusalem, & posuerat ea in templo dei sui.

8. Protulit autem ea Cyrus rex Persarum per manum Mithridatis filii Gazabar, & annumeravit ea Sassabasar (d) principi Juda:

9. Et hic est numerus eorum: Phialæ aureæ triginta, phialæ argenteæ mille, cultri vigintinovem, scyphi aurei triginta,

10. Scyphi argentei secundi (e) quadringenti decem: vasa alia mille.

11. Omnia vasa aurea & argentea, quinque millia quadringenta: universa tulit Sassabasar cum his, qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Jerusalem.

CAPUT II.

Numerus eorum qui in Judæam redierunt, recensetur.

1. HI sunt autem provinciæ filii (a), qui ascenderunt de captivitate, quam transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis in Babylonem, & reversi sunt in Jerusalem & Judam, unusquisque in civitatem suam. 1. Esd. 7. 6.

2. Qui venerunt cum Zorobabel, Josue, Nehemia, Saraja, Rahelaja, Mardochai (b), Belsan, Mesphar, Beguai, Rehum, Baana. Numerus virorum populi Israel:

3. Filii Pharos, duo millia centum septuagintaduo.

4. Filii Sephatia, trecenti septuagintaduo.

5. Filii Area, septingenti septuagintaquinque.

6. Filii Phahath (c) Moab, filiorum Josue: Joab, duo millia octingenti duodecim.

7. Filii Ælam, mille ducenti quinquagintaquatuor.

8. Filii Zethua, nongenti quadragintaquinque.

9. Filii Zachai, septingenti sexaginta.

10. Filii Bani, sexcenti quadragintaduo.

11. Filii Bebai, sexcenti vigintitres.

12. Filii Azgad, mille ducenti vigintiduo.

13. Filii Adonicam, sexcenti sexagintasex.

14. Filii Beguai, duo millia quinquagintasex.

15. Filii Adin, quadringenti quinquagintaquatuor.

16. Filii Ather, qui erant ex Ezechia, nonagintaocto.

17. Filii Besai, trecenti vigintitres.

18. Filii Jora, centum duodecim.

19. Filii Hasum, ducenti vigintitres.

20. Filii Gebbar, nonagintaquinque.

21. Filii Bethlehem (d), centum vigintitres.

22. Viri

CAPUT I. 1. (a) Consilia pietatis, aut justitiæ opera, sunt dona Dei, etiam in infidelibus: edixit, per vocem præconis notam fecit & scripto.

2. (b) Quæ quidem est hyperbole, qua circumjecta regna designantur. *Et ipse præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Jerusalem*, id scilicet acceperat a Judæis hoc esse ab Isaia prædictum, cap. 44. & 45. *Excepto quod voluntarie offerunt*, præter ea quæ ultro offerunt in sacrificia.

5. (c) Quibus eam injecit voluntatem. Multi ad reditum tardi erant, qui uxores duxerant Babylone, ac soli ascenderunt, quorum Dominus suscitavit spiritum: sed Cyrus jussit, ut qui remanebant, aliquid conferrent de suo iis qui ibant in Jerusalem, eosque juvarent pecunia: *excepto eo quod voluntarie offerunt*, templo nimirum.

8. (d) Hic est *Zorobabel* nepos Jechoniæ: Chaldæi captivorum nomina persæpe mutabant.

10. (e) Primi generis erant scyphi aurei. In variis editionibus magna est numerorum diversitas, tum in vasis, tum in personis. Numerus vasorum integer habetur v. 11. 5400. v. 9. Præcipua vasa exprimuntur, nempe 2499. Hinc colligimus apud eas nationes vasa Templi in honore fuisse. Nec dubium est, quin Daniel, qui Dario Medo charus fuit, plurimum ad eam rem contulerit.

CAP. II. 1. (a) Erant quidem genere Judæi, sed in Chaldæa fere omnes nati. Unde & Judææ, quæ in provinciam Persarum redacta erat, & Chaldææ filii dici possunt.

2. (b) Non videtur idem esse cum patruo Esther, de quo suo loco.

6. (c) Vox Hebræa פחת, *Phahath ducem* significat: onde sic vertunt nonnulli, *filii ducis Moab*, ducis nimirum filiorum Josue Joabi: ita ut unus sit & idem vir *Josue & Joab*; aut duo viri illa ætate erant nobiles, quorum posterior caput erat & dux Moab. Mariana sic vertit, *filii Phahath Moab cum filiis Josue, & Joab duo millia*, adeo ut trium virorum posteri jungantur, qui fortasse cognati erant: vel loco *filiorum Josue*, legi potest *filii Josue*, aut denique *filiorum Josue*, qui erant ex nepotibus Josue. Illud addit Grotius, an forte ex Nehemiæ libro huc translata fuerit a librariis ista recensio usque ad vers. 68. Nam qui infra nominatur *Athersatha* est ipse *Nehemias*, ex cap. 8. Nehemiæ; & quod eum dixisse hoc loco narratur, id in secundo itinere ei contigit. Sic Mardochæus, cujus in hoc capite fit mentio, is fuit in comitatu secundi itineris.

21. (d) Illius orbis cives.

22. Viri Netupha (*e*), quinquagintasex.

23. Viri Anathoth, centum vigintiocto.

24. Filii Azmaveth, quadragintaduo.

25. Filii Carjathjarim, Cephira, & Beroth, septingenti quadragintatres.

26. Filii Rama & Gabaa, sexcenti vigintiunus.

27. Viri Machmas, centum vigintiduo.

28. Viri Bethel & Hai, ducenti vigintitres.

29. Filii Nebo, quinquagintaduo.

30. Filii Megbis, centum quinquagintasex.

31. Filii Ælam alterius (*f*), mille ducenti quinquagintaquatuor.

32. Filii Harim, trecenti viginti.

33. Filii Lod, Hadid, & Ono, septingenti vigintiquinque.

34. Filii Jericho, trecenti quadragintaquinque.

35. Filii Senaa, tria millia sexcenti triginta.

36. Sacerdotes: Filii Jadaja in domo Josue nongenti septuagintatres.

37. Filii Emmer, mille quinquagintaduo.

38. Filii Phesfhur, mille ducenti quadragintaseptem.

39. Filii Harim, mille decem & septem.

40. Levitæ: Filii Josue & Cedmihel filiorum Odoviæ, septuagintaquatuor.

41. Cantores: Filii Asaph, centum vigintiocto.

42. Filii Janitorum: filii Sellum, filii Ater, filii Telmon, filii Accub, filii Hatita, filii Sobai: universi centum trigintanovem.

43. Nathinæi (*g*): filii Siha, filii Hasupha, filii Tabbaoth.

44. Filii Ceros, filii Siaa, filii Phadon.

45. Filii Lebana, filii Hagaba, filii Accub,

46. Filii Hagab, filii Semlai, filii Hanan,

47. Filii Gaddel, filii Gaher, filii Raaja,

48. Filii Rasin, filii Necoda, filii Gazam,

49. Filii Aza, filii Phasea, filii Besee,

50. Filii Asena, filii Munim, filii Nephusim,

51. Filii Bacbuc, filii Hacupha, filii Harhur,

52. Filii Besluth, filii Mahida, filii Harsa,

53. Filii Bercos, filii Sisara, filii Thema,

54. Filii Nasia, filii Hatipha,

55. Filii servorum (*h*) Salomonis, filii Sotai, filii Sopheret, filii Pharuda,

56. Filii Jala, filii Dercon, filii Geddel,

57. Filii Saphatiæ, filii Hatil, filii Phocherethᴄ, qui erant de Asebaim, filii Ami.

58. Omnes Nathinæi, & filii servorum Salomonis, trecenti nonagintaduo.

59. Et hi qui ascenderunt de Thelmala (*i*), Thelharsa, Cherub, & Adon, & Emer: & non potuerunt indicare domum patrum suorum & semen suum, utrum ex Israel essent.

60. Filii Dalaja, filii Tobia, filii Necoda, sexcenti quinquagintaduo.

61. Et de filiis Sacerdotum: Filii Hobia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis, uxorem, & vocatus est nomine eorum:

62. Hi quæsierunt scripturam genealogiæ suæ, & non invenerunt, & ejecti (*k*) sunt de sacerdotio.

63. Et dixit Athersatha (*l*) eis, ut non comederent de Sancto sanctorum, donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus.

64. Omnis multitudo quasi unus (*m*), quadraginta duo millia trecenti sexaginta:

65. Exceptis servis eorum, & ancillis, qui erant septem millia trecenti trigintaseptem: & in ipsis cantores atque cantatrices ducenti.

66. Equi eorum septingenti trigintasex, muli eorum ducenti quadragintaquinque.

67. Cameli eorum quadringenti trigintaquinque, asini eorum sex millia septingenti viginti.

68. Et de principibus patrum, cum ingrederentur (*n*) templum Domini, quod est in Jerusalem, sponte obtulerunt in domum Dei, ad extruendam eam in loco suo.

69. Secundum vires suas dederunt impensas operis, auri solidos sexaginta millia & mille, argenti mnas quinque millia, & vestes sacerdotales centum.

70. Habitaverunt ergo Sacerdotes, & Levitæ, & de populo, & cantores, & janitores, & Nathinæi in urbibus suis, universusque Israel in civitatibus suis.

CAPUT III.

Convocato populo altare erigitur, solemnitas tabernaculorum celebratur, Templi fundamenta ponuntur.

1. JAmque venerat mensis septimus (*a*), & erant filii Israel in civitatibus suis: congregatus est ergo populus quasi vir unus in Jerusalem.

2. Et surrexit Josue filius Josedec, & fratres ejus sacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel, & fratres ejus, & ædificaverunt altare Dei Israel, ut offerrent in eo holocautomata, sicut scriptum est in lege Moysi viri Dei.

3. Collocaverunt autem altare Dei super bases suas, deterrentibus eos per circuitum populis terrarum, & obtulerunt super illud holocaustum Domino mane & vespere:

4. Fe-

22. (*e*) Hi erant e tribu Ephraim.
31. (*f*) Quod duæ essent urbes ejus nominis.
43. (*g*) Origine Gabaonitæ, dati ad ministerium Templi.
55. (*h*) Quod forte Salomon servos suos Templo addixerit.
59. (*i*) Hæc sunt propria nomina locorum, in quibus erant captivi, qui præ captivitatis perturbatione domum aut patriam ignorabant.
62. (*k*) Qui stirpis suæ seriem, aut genealogiam exibere non potuerunt. Atque eo tendunt genealogiæ in Scripturis memoratæ, ut sint cujusque stirpis probationes. Servorum & equorum numerus pro multitudine civium, eos qui e captivitate exierunt, pauperes fuisse manifestum facit.
63. (*l*) Id est, *Præfectus*, seu *Zorobabel*, vox enim est Persica.
64. (*m*) Ob concordiam. *Quadragintaduo millia*, inito calculo summa est 30000. viri, sed numerati sunt tantummodo qui erant ex tribu Juda, Benjamin & Levi, cum plures iis adjuncti fuerint ex aliis tribubus, qui simul juncti 42360. homines efficiebant. *Omnis multitudo quasi unus*, seu in unum collecti, hunc numerum efficiebat.
68. (*n*) Cum ingressi essent Jerusalem, in locum ubi erat Templum Domini.
1. (*a*) Quo quidem ex cap. 33. Num. tria festa celebrari solebant; primo die erat festum tubarum, decimo festum expiationis, & decimoquinto festum tabernaculorum. CAP. III.

4. Feceruntque solemnitatem tabernaculorum, sicut scriptum est, & holocaustum diebus singulis per ordinem, secundum præceptum opus (*b*) diei in die suo.

5. Et post hæc (*c*) holocaustum juge, tam in Calendis, quam in universis solemnitatibus Domini, quæ erant consecratæ, & in omnibus in quibus ultro offerebatur munus Domino.

6. A primo die mensis septimi cœperunt offerre holocaustum Domino: porro templum Dei nondum fundatum erat.

7. Dederunt (*d*) autem pecunias latomis & cæmentariis: cibum quoque, & potum, & oleum Sidoniis, Tyriisque, ut deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Joppe, juxta quod præceperat Cyrus rex Persarum eis.

8. Anno autem secundo (*e*) adventus eorum ad templum Dei in Jerusalem, mense secundo, cœperunt Zorobabel filius Salathiel, & Josue filius Josedec, & reliqui de fratribus eorum Sacerdotes, & Levitæ, & omnes qui venerant de captivitate in Jerusalem, & constituerunt Levitas a viginti annis & supra, ut urgerent opus Domini.

9. Stetitque Josue & filii ejus, & fratres ejus, Cedmihel & filii ejus, & filii Juda, quasi vir unus, ut instarent (*f*) super eos qui faciebant opus in templo Dei: filii Henadad, & filii eorum, & fratres eorum Levitæ.

10. Fundato igitur a cæmentariis templo Domini, steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis: & Levitæ filii Asaph in cymbalis, ut laudarent Deum per manus David regis Israel.

11. Et concinebant in hymnis & confessione Domino: Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus super Israel. Omnis quoque populus vociferabatur clamore magno in laudando Dominum, eo quod fundatum esset (*g*) templum Domini.

12. Plurimi etiam de Sacerdotibus & Levitis, & principes patrum, & seniores, qui viderant templum prius cum fundatum esset, & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna: & multi vociferantes in lætitia, elevabant vocem.

13. Nec poterat quisquam agnoscere vocem clamoris lætantium, & vocem fletus populi: commixtim enim populus vociferabatur clamore magno, & vox audiebatur procul.

CAPUT IV.

Judæorum hostes scriptis ad Regem Persarum epistolis Templi structuram prohibere conantur.

1. AUdierunt autem hostes Judæ & Benjamin, quia filii captivitatis ædificarent templum Domino Deo Israel:

2. Et accedentes ad Zorobabel, & ad principes patrum dixerunt eis: Ædificemus vobiscum, quia ita ut vos, quærimus Deum vestrum: ecce nos immolavimus victimas a diebus Asor Haddan regis Assur, qui adduxit nos huc.

3. Et dixit eis Zorobabel, & Josue, & reliqui principes patrum Israel: Non est vobis & nobis ut ædificemus domum Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis Cyrus rex Persarum.

4. Factum est igitur, ut populus terræ impediret manus populi Judæ, & turbaret eos in ædificando.

5. Conduxerunt autem adversus eos consiliatores (*a*), ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri regis Persarum, & usque ad regnum Darii regis Persarum.

6. In regno autem Assueri (*b*), in principio regni ejus, scripserunt accusationem adversus habitatores Judæ & Jerusalem.

7. Et in diebus Artaxersis (*c*) scripsit Beselam Mithridates, & Thabeel, & reliqui qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem regem Persarum: epistola autem accusationis scripta erat Syriace, & legebatur sermone Syro.

8. Reum Beelteem, & Samsai scriba scripserunt epistolam unam de Jerusalem Artaxerxi regi, hujuscemodi:

9. Reum Beelteem, & Samsai scriba, & reliqui consiliatores eorum, Dinæi, & Apharsathachæi, Terphalæi, Apharsæi, Erchuæi, Babylonii, Susanechæi, Dievi & Ælamitæ,

10. Et ceteri de gentibus, quas transtulit Asenaphar magnus & gloriosus: & habitare eas fecit in civitatibus Samariæ, & in reliquis regionibus trans Flumen in pace:

11. (Hoc est exemplar epistolæ, quam miserunt ad eum) Artaxerxi regi, servi tui, viri qui sunt trans Fluvium, salutem dicunt.

12. Notum sit regi, quia Judæi, qui ascenderunt a te ad nos, venerunt in Jerusalem civitatem rebellem & pessimam, quam ædificant, extruentes muros ejus, & parietes componentes.

13. Nunc

4. (*b*) Diebus singulis oblata sunt holocausta.

5. (*c*) Ad hæc, præterea holocaustum juge offerebant: *In solemnitatibus, quæ erant consecratæ*, anniversariæ. *Et in omnibus, in quibus ultro offerebatur*: præter sacrificia ex legis præcepto, alia erant ultro a populo oblata.

7. (*d*) Uti factum fuerat a Salomone: cuncta enim ad suam referunt originem.

8. (*e*) Hebr. *Kersieon cores*, כרשיון כרש Hebr. Juxta *facultatem Cyri*, ab eo concessam.

9. (*f*) Docerent & instarent operibus principes. Sacerdotes junctim operas suas conferunt.

11. & 12. (*g*) Fundaretur. *Plurimi* sensus is est, quem Vatablus expressit. Senes qui viderant domum priorem, dum fundarent hanc domum in oculis eorum, flebant: quod scilicet initia hujus templi non responderent prioris majestati. Quod enim legimus Agg. 2. *Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ*, dicit Dominus, de Christi temporibus loquitur, cum in ea domo docturus esset: nam Propheta sic ait: *Adhuc modicum*, & *veniet desideratus cunctis gentibus*. Templum quidem postetius ab Herode fuit reædificatum, sed id tamen dicitur, ut eadem est civitas quæ instauratur. Sic itaque legendum videtur ex Hebræo: *Qui viderant templum prius: cum fundatum esset & hoc templum in oculis eorum*: Et quidem secundi templi major erat amplitudo prioris templi proprie dicti amplitudine: sed ornamentis & vasis longe inferius erat. Hæc tamen sic possunt intelligi, ut lacrymas partim ex gaudio, partim ex dolore pristinæ calamitatis funderent.

5. (*a*) Provinciarum præfectos pecunia corruperunt, ut templi instaurationem impedirent, Cyro in variis bellis distracto. Idque regnante Cambyse Judæis minus æquo, qui *Assuerus* & *Artaxerxes* nominatur; in quibusdam codicibus ita legitur: *In regno autem Assueri, ipse est Artaxerxes*: vox *Assuers* Persis communis erat, ut *Augusti* apud Romanos. CAP. IV.

6. (*b*) Hic videtur Auctor persecutionum quas Judæi postea pertulerunt, cum urbem muris cingere voluere.

7. & 10. (*c*) Nisi idem fuerit qui Cambyses: Magus is fuit Oropastea, qui se filium Cambysis finxit. *Asenaphar*, Salmanasar.

13. Nunc igitur notum sit regi, quia si civitas illa ædificata fuerit, & muri ejus instaurati, tributum, & vectigal, & annuos reditus non dabunt, & usque ad reges hæc noxa perveniet.

14. Nos autem memores salis, quod in palatio comedimus, & quia læsiones regis videre nefas ducimus, idcirco misimus & nuntiavimus regi,

15. Ut recenseas in libris historiarum patrum tuorum, & invenies scriptum in commentariis: & scies quoniam urbs illa, urbs rebellis est, & nocens regibus & provinciis, & bella concitantur in ea ex diebus antiquis: quam ob rem & civitas ipsa destructa est.

16. Nuntiamus nos regi, quoniam si civitas illa ædificata fuerit, & muri ipsius instaurati, possessionem trans Fluvium non habebis.

17. Verbum misit rex ad Reum Beelteem, & Samsai scribam, & ad reliquos qui erant in consilio eorum habitatores Samariæ, & cæteris trans Fluvium, salutem dicens & pacem.

18. Accusatio, quam misistis ad nos, manifeste lecta est coram me.

19. Et a me præceptum est: & recensuerunt, inveneruntque, quoniam civitas illa a diebus antiquis adversum reges rebellat, & seditiones & prælia concitantur in ea:

20. Nam & reges fortissimi fuerunt in Jerusalem, qui & dominati sunt omni regioni, quæ trans Fluvium est: tributum quoque & vectigal, & reditus accipiebant.

21. Nunc ergo audite sententiam: Prohibeatis viros illos, ut urbs illa non ædificetur, donec si forte a me jussum fuerit.

22. Videte ne negligenter hoc impleatis, & paullatim crescat malum contra reges.

23. Itaque exemplum edicti Artaxerxis regis lectum est coram Reum Beelteem, & Samsai scriba, & consiliariis eorum: & abierunt festini in Jerusalem ad Judæos, & prohibuerunt eos in brachio & robore.

24. Tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem, & non fiebat usque ad annum secundum regni Darii (*d*) regis Persarum.

CAPUT V.

Regnante Dario, Zorobabel templi substructionem frustra obnitentibus inimicis, aggreditur.

1. Prophetaverunt autem Aggæus Propheta, & Zacharias filius (*a*) Addo, prophetantes ad Judæos, qui erant in Judæa & Jerusalem, in nomine Dei Israel.

2. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Josue filius Josedech, & cœperunt ædificare templum Dei in Jerusalem, & cum eis prophetæ Dei adjuvantes eos.

3. In ipso autem tempore venit ad eos Thathanai, qui erat dux trans Flumen, & Stharbuzanai, & consiliarii eorum: sicque dixerunt eis: Quis dedit vobis consilium ut domum hanc ædificaretis, & muros ejus instauraretis?

4. Ad quod respondimus eis, quæ essent nomina hominum auctorum ædificationis illius.

5. Oculus (*b*) autem Dei eorum factus est super senes Judæorum, & non potuerunt inhibere eos. Placuit ut res ad Darium referretur, & tunc satisfacerent adversus accusationem illam.

6. Exemplar epistolæ, quam misit Thathanai dux regionis trans Flumen, & Stharbuzanai, & consiliatores ejus Arphasachæi, qui erant trans Flumen, ad Darium regem.

7. Sermo quem miserant ei, sic scriptus erat: Dario regi pax omnis.

8. Notum sit regi isse nos ad Judæam provinciam, ad domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impolito (*c*), & ligna ponuntur in parietibus: opusque illud diligenter extruitur, & crescit in manibus eorum.

9. Interrogavimus ergo senes illos, & ita diximus eis: Quis dedit vobis potestatem ut domum hanc ædificaretis, & muros hos instauraretis?

10. Sed & nomina eorum quæsivimus ab eis, ut nuntiaremus tibi: scripsimusque nomina eorum virorum qui sunt principes in eis.

11. Hujuscemodi autem sermonem responderunt nobis, dicentes: Nos sumus servi Dei cæli & terræ, & ædificamus templum, quod erat extructum ante hos annos multos, quodque rex Israel magnus ædificaverat, & extruxerat.

12. Postquam autem ad iracundiam provocaverunt patres nostri Deum cæli, tradidit eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis Chaldæi, domum quoque hanc destruxit, & populum ejus transtulit in Babylonem.

13. Anno autem primo Cyri regis Babylonis, Cyrus rex proposuit edictum ut domus Dei hæc ædificaretur.

14. Nam & vasa templi Dei aurea & argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de templo, quod erat in Jerusalem, & asportaverat ea in templum Babylonis, protulit Cyrus rex de templo Babylonis, & data sunt Sassabasar vocabulo, quem & principem constituit,

15. Dixitque ei: Hæc vasa tolle, & vade, & pone ea in templo, quod est in Jerusalem, & domus Dei ædificetur in loco suo.

16. Tunc itaque Sassabasar ille venit, & posuit fundamenta templi Dei in Jerusalem, & ex eo tempore usque nunc ædificatur, & necdum completum est.

17. Nunc ergo, si videtur regi bonum, recenseat in bibliotheca (*d*) regis, & quæ est in Babylone, utrumnam a Cyro rege jussum fuerit ut ædificaretur domus Dei in Jerusalem, & voluntatem regis super hac re mittat ad nos.

CA-

24. (*d*) Sunt qui hunc annum septuagesimum desolationis esse putent, propter verba Angeli Zachar. 1. in præfatione allata: alii septuaginta annos captivitatis a LXX. annis desolationis secernunt, illos finiunt anno primo Cyri, hos anno secundo Darii Hystaspidæ.

CAP. V. 1. (*a*) Nepos Addo: nam cap. 1. Zachariæ vers. 1. dicitur filius Zachariæ.

5. (*b*) Divinus favor, aut providentia eos excitavit ad incipiendum & perficiendum.

8. (*c*) Sine sculptura: Hebr. *e magnis lapidibus*, LXX. λίθοις ἐκλεκτοῖς, *de lapidibus electis*.

17. (*d*) In tabulario.

CAPUT VI.

Consultus ea de re Darius, Cyri edictum confirmat. Anno sexto Darii, interioris templi fabrica perficitur: dies festi & Phase in primis celebrantur.

1. TUnc Darius rex præcepit: & recensuerunt in bibliotheca librorum, qui erant repositi in Babylone (*a*),

2. Et inventum est in Ecbatanis, quod est castrum in Medena provincia, volumen unum, talisque scriptus erat in eo commentarius:

3. Anno primo Cyri regis: Cyrus rex decrevit ut domus Dei ædificaretur, quæ est in Jerusalem, in loco ubi immolent hostias, & ut ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta, & latitudinem (*b*) cubitorum sexaginta,

4. Ordines de lapidibus impolitis (*c*) tres, & sic ordines de lignis novis: sumptus autem de domo regis dabuntur.

5. Sed & vasa templi Dei aurea & argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de templo Jerusalem, & attulerat ea in Babylonem reddantur, & referantur in templum in Jerusalem in locum suum, quæ & posita sunt in templo Dei.

6. Nunc ergo Tathanai dux regionis, quæ est trans flumen, Stharbuzanai, & consiliarii vestri Apharsachæi, qui estis trans flumen, procul recedite ab illis,

7. Et dimittite fieri templum Dei illud a duce Judæorum, & a senioribus eorum, ut domum Dei illam ædificent in loco suo.

8. Sed & a me præceptum est, quid oporteat fieri a Presbyteris Judæorum illis, ut ædificetur domus Dei, scilicet ut de arca regis, id est, de tributis, quæ dantur de regione trans flumen, studiose sumptus dentur viris illis, ne impediatur opus.

9. Quod si necesse fuerit, & vitulos, & agnos, & hædos in holocaustum Deo cæli, frumentum, sal, vinum, & oleum, secundum ritum Sacerdotum, qui sunt in Jerusalem, detur eis per singulos dies, ne sit in aliquo querimonia.

10. Et offerant oblationes Deo cæli, orentque pro vita regis, & filiorum ejus.

11. A me ergo positum est decretum: Ut omnis homo, qui hanc mutaverit jussionem, tollatur (*d*) lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo, domus autem ejus publicetur.

12. Deus autem, qui habitare fecit nomen suum ibi, dissipet omnia regna, & populum qui extenderit manum suam ut repugnet, & dissipet domum Dei illam, quæ est in Jerusalem. Ego Darius statui decretum, quod studiose impleri volo.

13. Igitur Tathanai dux regionis trans Flumen, & Stharbuzanai, & consiliarii ejus, secundum quod præceperat Darius rex, sic diligenter executi sunt.

14. Seniores autem Judæorum ædificabant, & prosperabantur juxta prophetiam Aggæi prophetæ, & Zachariæ filii Addo: & ædificaverunt & construxerunt, jubente Deo Israel, & jubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe (*e*) regibus Persarum.

15. Et compleverunt domum Dei istam, usque ad diem tertium mensis Adar, qui est annus sextus (*f*) regni Darii regis.

16. Fecerunt autem filii Israel, Sacerdotes & Levitæ, & reliqui filiorum transmigrationis, dedicationem domus Dei in gaudio.

17. Et obtulerunt in dedicationem domus Dei vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Israel duodecim, juxta numerum tribuum Israel.

18. Et statuerunt Sacerdotes in ordinibus suis, & Levitas in vicibus suis, super opera Dei in Jerusalem, * sicut scriptum est in libro Moysi. * Num. 3. & 8. 9

19. Fecerunt autem filii Israel transmigrationis, Pascha, quartadecima die mensis primi.

20. Purificati enim fuerant Sacerdotes & Levitæ quasi unus: omnes mundi ad immolandum Pascha universis filiis transmigrationis, & fratribus suis Sacerdotibus, & sibi.

21. Et comederunt filii Israel, qui reversi fuerant de transmigratione, & omnes qui se separaverant a coinquinatione gentium terræ ad eos, ut quærerent Dominum Deum Israel.

22. Et fecerunt solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia, quoniam lætificaverat eos Dominus, & converterat cor regis Assur (*g*) ad eos, ut adjuvaret manus eorum in opere domus Domini Dei Israel.

CA-

CAP. VI. 1. & 2. (*a*) In regno Babylonis, non in sola urbe: *In Ecbatanis*, hæc erat Mediæ metropolis; Chald. *Bealhmeta*, באחמתא. id est, *in scrinio litterarum*. Sept. ex MS. Alexandrino, ἐν Ἀμαθὰ: quæ vox Nobilio videtur vestigium vocis Chaldaicæ, Stephanus eam civitatem vocat Ἀγάματα.

3. (*b*) Verisimile est *latitudinem* hoc loco accipi pro *longitudine*: nam vox Chaldæa *Petе*, פתי, *extensionem* significat. Ita erat edictum Cyri: sed fieri potuit, ut Judæi ad ampliorem formam propriis sumptibus fabricam erigerent.

4. (*c*) Alii, *ex lapidibus marmoris*: impoliti dicuntur novi lapides, qui postea poliuntur, & ædificiis aptantur.

11. (*d*) Mos erat Persarum, inquit Grotius, ex ipsius condemnati domo lignum sumere, de quo suspenderetur.

14. (*e*) Filio Darii, cujus temporibus facta sunt quæ ad templi ornatum spectabant. An is filius fuit Darii imperii socius; an unus e septem principibus, qui occisis Magis Darium elegerant; An Artaxerxes Longimanus, de quo mox fit mentio? Adeo ut Cyrus, Darius & Artaxerxes, Deo ita volente, ad templi constructionem sua usi fuerint auctoritate. Videtur post Cyrum magnum nomen Xeraxis fuisse gentilitium regibus Persarum, præter nomen quod habebant ante imperium, ac mutatione aliqua litterarum factum esse, cum dicerent natione Græca, particulam vero, *Art*, esse additamentum honorificum, quod magnum significat. Ex hoc itaque communi nomine vel *Assueri*, vel *Artaxerxis*, quis hic fuerit, vix sciri potest, nisi adsint quædam temporum argumenta.

15. (*f*) Hos annos sic nonnulli computant, ut sit quadragesimus sextus, ex quo a Cyro edictum manavit: juxta ea quæ a Judæis Joann. 2. 20. dicta sunt: 46. annis ædificatum esse templum: nam Cyro duos annos tribuunt post captam Babylonem quando una cum Cyaxare regnavit, 19. annos solum regnasse eum volunt, Cambysem 8. annis, Magos septem mensibus. Itaque ab Herodoto Lib. 1. confirmatum volunt, & ex Zacharia cap. 1. ubi numerat 70. annos desolationis, nempe ab anno vigesimo Nabuchodonosoris, qui 43. annos regnavit ex Beroso apud Josephum Lib. 1. contra Appionem. Hic anno vigesimo imperii evertit Jerosolymam, reliqui sunt 23. filius Evilmerodach duobus annis regnavit ex eodem Beroso: Balthassar per triennium, reliqui ad tempus Zachariæ efficiunt septuaginta annos desolationis, cum 70. anni captivitatis in anno primo Cyri desinant: unde hoc calculo desunt nonnulli anni. Neque a communiori sententia est temere recedendum, præsertim cum voces Hebraicæ apud Zachariam de præteritis annis commode intelligantur, atque adeo necesse sit 70. annos ad Zachariæ usque tempora, aut Darii annum sextum extendere.

22. (*g*) Darius recuperata Babylone, Assyriis, ut Persis imperabat

CAPUT VII.

Anno septimo Regis Artaxerxis, Esdras Jerusalem proficiscitur cum sacerdotibus, litteris regiis munitus: libertas a tributis a Rege conceditur.

1. POst hæc autem verba, in regno Artaxerxis (*a*) regis Persarum, Esdras filius Sarajæ, filii Azariæ, filii Helciæ,

2. Filii Sellum, filii Sadoc, filii Achitob,

3. Filii Amariæ, filii Azariæ, filii Marajoth,

4. Filii Zarahiæ, filii Ozi, filii Bocci,

5. Filii Abisue, filii Phinees, filii Eleazar, filii Aaron sacerdotis ab initio.

6. Ipse Esdras ascendit de Babylone, & ipse scriba (*b*) velox in lege Moysi, quam Dominus Deus dedit Israel: & dedit ei rex secundum manum Domini Dei ejus super eum, omnem petitionem ejus.

7. Et ascenderunt de filiis Israel, & de filiis Sacerdotum, & de filiis Levitarum, & de cantoribus, & de janitoribus, & de Nathinæis in Jerusalem anno septimo Artaxerxis regis.

8. Et venerunt in Jerusalem mense quinto, ipse est annus septimus regis.

9. Quia in primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone, & in primo die mensis quinti venit in Jerusalem, juxta manum Dei sui bonam (*c*) super se.

10. Esdras enim paravit cor suum, ut investigaret legem Domini, & faceret & doceret in Israel præceptum & judicium.

11. Hoc est autem exemplar epistolæ edicti, quod dedit rex Artaxerxes Esdræ sacerdoti, scribæ erudito in sermonibus & præceptis Domini, & cæremoniis ejus in Israel.

12. Artaxerxes rex regum Esdræ sacerdoti, scribæ legis Dei cæli doctissimo, salutem.

13. A me decretum est, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Israel, & de Sacerdotibus ejus, & de Levitis, ire in Jerusalem, tecum vadat.

14. A facie enim regis, & septem consiliatorum ejus missus es, ut visites Judæam & Jerusalem in lege Dei tui, quæ est in manu (*d*) tua:

15. Et ut feras argentum & aurum, quod rex & consiliatores ejus sponte obtulerunt Deo Israel, cujus in Jerusalem tabernaculum est.

16. Et omne argentum & aurum quodcumque inveneris in universa provincia Babylonis, & populus offerre voluerit, & de Sacerdotibus quæ sponte obtulerint domui Dei sui, quæ est in Jerusalem,

17. Libere accipe, & studiose eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & sacrificia & libamina eorum, & offer ea super altare templi Dei vestri, quod est in Jerusalem.

18. Sed & si quid tibi, & fratribus tuis placuerit, de reliquo argento & auro ut faciatis, juxta voluntatem Dei vestri facite.

19. Vasa quoque, quæ dantur tibi in ministerium domus Dei tui, trade in conspectu Dei in Jerusalem.

20. Sed & cætera, quibus opus fuerit in domum Dei tui, quantumcumque necesse est ut expendas, dabitur de thesauro, & de fisco regis,

21. Et a me. Ego Artaxerxes rex, statui atque decrevi omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans Flumen, ut quodcumque petierit a vobis Esdras sacerdos, scriba legis Dei cæli, absque mora detis,

22. Usque ad argenti talenta centum, & usque ad frumenti coros centum, & usque ad vini batos centum, & usque ad batos olei centum, sal vero absque mensura.

23. Omne, quod ad ritum Dei cæli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cæli: ne forte irascatur contra regnum regis, & filiorum ejus.

24. Vobis quoque notum facimus de universis Sacerdotibus, & Levitis, & cantoribus, & janitoribus, Nathinæis, & ministris domus Dei hujus, ut vectigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi (*e*) super eos.

25. Tu autem Esdra secundum sapientiam Dei tui, quæ est in manu tua, constitue judices & præsides, ut judicent omni populo, qui est trans Flumen, his videlicet qui noverunt legem Dei tui, sed & imperitos docete libere.

26. Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, & legem (*f*) regis diligenter, judicium erit de eo, sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ ejus, vel certe in carcerem.

27. Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis, ut glorificaret domum Domini, quæ est in Jerusalem,

28. Et in me inclinavit misericordiam suam coram rege & consiliatoribus ejus, & universis principibus regis potentibus: & ego confortatus manu Domini Dei mei, quæ erat in me, congregavi de Israel principes, qui ascenderent mecum.

CAPUT VIII.

Recensentur qui cum Esdra ascenderunt Jerusalem: vasa reponuntur in templo.

1. HI sunt ergo principes familiarum, & genealogia eorum, qui ascenderunt mecum in regno Artaxerxis regis de Babylone.

2. De filiis Phinees, Gerson. De filiis Ithamar, Daniel. De filiis David, Hattus.

3. De filiis Secheniæ, filiis Pharos (*a*), Zacharias: & cum eo numerati sunt viri centum quinquaginta.

4. De

CAP. VII. 1. (*a*) Longimani Darii nepotis, anno ejus septimo, missus est Esdras cum diplomate regio.

6. (*b*) Legisperitus, qui legis intellectum & sensum penetrans hanc mira facilitate exponebat. Hinc optime colligitur toto exilii tempore legem extitisse.

9. (*c*) Quam sibi propitiam experiebatur.

14. (*d*) Quam optime tenes; cura ut Judæi illam observent.

24. (*e*) Quod forte sacerdotes Persarum tali immunitate fruerentur, ut de sacerdotibus Ægyptiis habemus Genes. 47.

26. (*f*) Regis. Quæ Judæis legum suarum exercendarum jus dabat.

CAP. VIII. 3. (*a*) Ut distinguatur ab alio, cujus fit mentio versu 5.

4. De filiis Phahath Moab, Elicenai filius Zarehe, & cum eo ducenti viri.

5. De filiis Sechenıæ, filius Ezechiel, & cum eo treceati viri.

6. De filiis Adan, Abed filius Jonathan, & cum eo quinquaginta viri.

7. De filiis Alam, Isaias filius Athaliæ, & cum eo septuaginta viri.

8. De filiis Saphatiæ, Zebedia filius Michael, & cum eo octoginta viri.

9. De filiis Joab, Obedia filius Jahiel, & cum eo ducenti decem & octo viri.

10. De filiis Selomith, filius Josphiæ, & cum eo centum sexaginta viri.

11. De filiis Bebai, Zacharias filius Bebai, & cum eo viginti octo viri.

12. De filiis Azgad, Johanan filius Eccetan, & cum eo centum & decem viri.

13. De filiis Adonicam, qui erant novissimi: & hæc nomina eorum: Elipheleth, & Jehiel, & Samajas, & cum eis sexaginta viri.

14. De filiis Begui, Uthai & Zachur, & cum eis septuaginta viri.

15. Congregavi autem eos ad fluvium (*b*), qui decurrit ad Ahava, & mansimus ibi tribus diebus: quæsivique in populo & in sacerdotibus de filiis Levi, & non inveni ibi.

16. Itaque misi Eliezer, & Ariel, & Semejam, & Elnathan, & Jarib, & alterum Elnathan, & Nathan, & Zachariam, & Mosollam principes: & Jojarib, & Elnathan sapientes.

17. Et misi eos ad Eddo, qui est primus in Chasphiæ (*c*) loco, & posui in ore eorum verba, quæ loquerentur ad Eddo, & fratres ejus Nathinæos in loco Chasphiæ, ut adducerent nobis ministros domus Dei nostri.

18. Et adduxerunt nobis per manum Dei nostri bonam super nos, virum doctissimum de filiis Moholi filii Levi filii Israel, & Sarabiam & filios ejus, & fratres ejus decem & octo,

19. Et Hasabiam, & cum eo Isaiam de filiis Merari, fratresque ejus, & filios ejus viginti:

20. Et de Nathinæis, quos dederat David & principes ad ministeria Levitarum, Nathinæos ducentos viginti: omnes hi suis nominibus vocabantur.

21. Et prædicavi ibi jejunium juxta fluvium Ahava, ut affligeremur coram Domino Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectam nobis & filiis nostris, universæque substantiæ nostræ.

22. Erubui (*d*) enim petere a rege auxilium & equites, qui defenderent nos ab inimico in via: quia dixeramus regi: Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt eum in bonitate: & imperium ejus, & fortitudo ejus, & furor super omnes, qui derelinquunt eum.

23. Jejunavimus autem, & rogavimus Deum nostrum per hoc: & evenit nobis prospere.

24. Et separavi de principibus Sacerdotum duodecim, Sarabiam, & Hasabiam, & cum eis de fratribus eorum decem.

25. Appendique eis argentum & aurum, & vasa consecrata domus Dei nostri, quæ obtulerat rex & consiliatores ejus, & principes ejus, universusque Israel eorum, qui inventi fuerant:

26. Et appendi in manibus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta, & vasa argentea centum (*e*), auri centum talenta:

27. Et crateres aureos viginti, qui habebant solidos millenos, & vasa æris fulgentis optimi duo, pulchra ut aurum.

28. Et dixi eis: Vos sancti Domini, & vasa sancta, & argentum & aurum, quod sponte oblatum est Domino Deo patrum nostrorum:

29. Vigilate & custodite, donec appendatis coram principibus Sacerdotum, & Levitarum, & ducibus familiarum Israel in Jerusalem, in thesaurum domus Domini.

30. Susceperunt autem Sacerdotes & Levitæ pondus argenti, & auri, & vasorum, ut deferrent Jerusalem in domum Dei nostri.

31. Promovimus ergo a flumine Ahava duodecimo die mensis primi ut pergeremus Jerusalem: & manus Dei nostri fuit super nos, & liberavit nos de manu inimici & insidiatoris in via.

32. Et venimus Jerusalem, & mansimus ibi tribus diebus.

33. Die autem quarta appensum est argentum, & aurum, & vasa in domo Dei nostri per manum Meremoth filii Uriæ Sacerdotis, & cum eo Eleazar filius Phinees, cumque eis Jozabed filius Josue, & Noadaja filius Bennoi Levitæ,

34. Juxta numerum & pondus omnium: descriptumque est omne pondus in tempore illo.

35. Sed & qui venerant de captivitate filii transmigrationis, obtulerunt holocautomata Deo Israel, vitulos duodecim pro omni populo Israel, arietes nonagintasex, agnos septuagintaseptem, hircos pro peccato duodecim: omnia in holocaustum Domino.

36. Dederunt autem edicta regis satrapis, qui erant de conspectu regis & ducibus trans Flumen, & elevaverunt (*f*) populum & domum Dei.

CA-

15. (*b*) Juxta confluentem utriusque fluminis consedisse. *Quæsivique in populo*. Hebr. *Intellexique in populo*, lustravi populum & sacerdotes: *Et non inveni ibi*, qui essent Levitæ & non sacerdotes.

17. (*c*) Vicus erat Babylonis, Judæorum forte habitationi destinatus. Sept. ἐν ἀργυρίῳ τοῦ τόπου. *In argento loci*, quod optime respondet Hebræo, seu mera est vocis Hebraicæ interpretatio: quam alii vertunt, *locum gazophylacii*, ἐν τῷ τόπῳ τοῦ γαζοφυλακίου.

22. (*d*) Quod dixisset Regi in tutela Dei esse omnes qui eum rite colunt. Hinc discimus nos a potestatibus sæculi ea postulare non debere, quæ cum religione ipsa non conveniunt, ut divitias, aut dignitates, quæ magis spernendæ sunt, aut fugiendæ, quam quærendæ.

26. (*e*) Hebr. *Vasa argentea centum talentorum*.

36. (*f*) Hebr. *Exaltaverunt*, adjuvarunt populum.

CAPUT IX.

Audit Esdras inter Judæos & Chananæos contra Legis præscriptum juncta esse connubia; idque luget fusa ad Deum oratione.

1. POstquam autem hæc completa sunt, accesserunt ad me principes, dicentes: Non est separatus populus Israel, Sacerdotes & Levitæ a populis terrarum, & abominationibus eorum, Chananæi videlicet, & Hethæi (a), & Pherezæi, & Jebusæi, & Ammonitarum, & Moabitarum, & Ægyptiorum, & Amorrhæorum:

2. Tulerunt enim de filiabus eorum sibi & filiis suis, & commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum: manus (b) etiam principum & magistratuum fuit in transgressione hac prima.

3. Cumque audissem sermonem istum, scidi pallium meum & tunicam, & evelli capillos capitis mei & barbæ, & sedi mœrens.

4. Convenerunt autem ad me omnes, qui timebant verbum Dei Israel, pro transgressione eorum, qui de captivitate venerant, & ego sedebam tristis usque ad sacrificium vespertinum:

5. Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea, & scisso pallio & tunica, curvavi genua mea, & expandi manus meas ad Dominum Deum meum,

6. Et dixi: Deus meus confundor & erubesco levare faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creverunt usque ad cælum

7. A diebus (c) patrum nostrorum: sed & nos ipsi peccavimus graviter usque ad diem hanc, & in iniquitatibus nostris traditi sumus ipsi, & reges nostri, & Sacerdotes nostri, in manum regum terrarum, & in gladium, & in captivitatem, & in rapinam, & in confusionem vultus, sicut & die hac.

8. Et nunc quasi parum (d) & ad momentum facta est deprecatio nostra apud Dominum Deum nostrum, ut dimitterentur nobis reliquiæ, & daretur nobis paxillus in loco sancto ejus, & illuminaret oculos nostros Deus noster, & daret nobis vitam modicam in servitute nostra,

9. Quia servi sumus, & in servitute nostra non dereliquit nos Deus noster, sed inclinavit super nos misericordiam coram rege Persarum, ut daret nobis vitam, & sublimaret domum Dei nostri, & extrueret (e) solitudines ejus, & daret nobis sepem in Juda & Jerusalem.

10. Et nunc quid dicemus Deus noster post hæc? quia dereliquimus mandata tua,

11. Quæ præcepisti in manu servorum tuorum prophetarum, dicens: Terra, ad quam vos ingredimini ut possideatis eam, terra immunda est, juxta immunditiam populorum, ceterarumque terrarum, abominationibus eorum qui repleverunt eam ab ore usque ad os (f) in coinquinatione sua.

12. Nunc ergo * filias vestras ne detis filiis eorum, & filias eorum ne accipiatis filiis vestris, & non quæratis pacem eorum, & prosperitatem eorum usque in æternum: ut confortemini, & comedatis quæ bona sunt terræ, & hæredes habeatis filios vestros usque in sæculum. * Deut. 7. 3.

13. Et post omnia (g) quæ venerunt super nos in operibus nostris pessimis, & in delicto nostro magno, quia tu Deus noster liberasti nos de iniquitate nostra, & dedisti nobis salutem sicut est hodie,

14. Ut non converteremur, & irrita faceremus mandata tua, neque matrimonia jungeremus cum populis abominationum istarum. Numquid iratus es nobis usque ad consummationem ne dimitteres nobis reliquias ad salutem?

15. Domine Deus Israel justus es tu: quoniam derelicti sumus, qui salvaremur sicut die hac. Ecce coram te sumus in delicto nostro: non enim stari potest coram te super hoc.

CAPUT X.

Audito Esdra luget populus, quod alienigenas duxerint: fore ut Legi obsequantur, jurant.

1. SIc ergo orante Esdra, & implorante eo, & flente, & jacente ante templum Dei, collectus est ad eum de Israel cœtus grandis nimis virorum, & mulierum, & puerorum, & flevit populus fletu multo.

2. Et

CAP. IX. 1. (a) Qui a Nabuchodonosore simul una cum Judæis in captivitatem abducti fuerant: unde cum iis affinitates jungere potuerant. Quin & a multis annis in Palæstinam redierant Judæi, & Chananæorum filias duxerant. Sine exceptione id vetitum erat de Chananæis, Hethæis, Pherezæis; de ceteris idem fuit constitutum a sapientibus, nisi legem susciperent. In iis difficilius, quia prudentia pravis & insolitis consuetudinibus mederi oportebat, ubi sese offert occasio. Connubia cum exteris gentibus prohibita in lege fuerant, ne Israelitas ad idololatriam inducerent. Ea quidem tolerata sunt, ubi nullus erat periculo locus: sed postquam ipsa docuit experientia viros persæpe ab uxoribus ad impietatem allici, in restitutione populi Israelitici id permagni visum est momenti legem Mosis renovare.

2. (b) Principes & magistratus primi omnium prævaricati sunt, uti ex textu Hebræo colligitur: adeo ut vox, *prima*, jungatur cum manu principum, non cum transgressione. Sic enim habet Hebræum textus: *Manus principum & magistratuum prima fuit in prævaricatione*.

7. (c) In Hebr. & Græco hæc verba junguntur cum sequentibus: A diebus patrum nostrorum nos in delicto magno usque ad diem hanc, *Sicut & dies hac*: ut experimur.

8. (d) Post captivitatem paullulum cœpimus respirare, & mox redimus ad transgressionem legis. Hebr. *Et nunc quasi parvo momento*, id est, ad exiguum tempus. *Et daretur nobis paxillus in loco sancto ejus*, id est, firma habitatio, quæ tam inconstans fuit annis superioribus, metaphora ducta a paxillis, quibus sustentantur tabernacula. Id metuebat vir sanctus, ne illa prævaricatio novas calamitates induceret: unde habitationem illam ut momentaneam spectabat.

9. (e) Ut templum nostrum reficeret: *Sepem in Juda*, concessit nobis Deus ut in tuto habitaremus in Judæa; per *sepem* non intelligit mœnia civitatis, quæ nondum erant extructa, quæque a Nehemia postea sunt excitata. Itaque per sepem & maceriam intelligit parietes tumultuario opere fabricatos, vel quasi septa ovium: nam alloquitur Deum ut pastorem, ac si id vellet, inquit Huetius, Judæos tamquam dissipatas oves jam a Deo pastore coactas, & ad antiqua ovilia esse reductas.

11. (f) Usque ad summum contaminata est terra, in quam ingredimini, instar vasis pleni.

13. (g) Etsi peccavimus, tamen liberasti nos: *Ut non converteremur*: Hebr. *Num converteremur? & irrita faceremus*: Hebr. *Ad irrita facienda præcepta tua*, supplendum, absit, ut post tale beneficium redeamus ad peccata.

2. Et respondit Sechenias filius Jehiel de filiis Ælam, & dixit Esdræ: Nos prævaricati sumus in Deum nostrum, & duximus uxores alienigenas de populis terræ: & nunc, si est pœnitentia in Israel super hoc,

3. Percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, ut projiciamus (a) universas uxores, & eos qui de his nati sunt, juxta voluntatem Domini, & eorum qui timent præceptum Domini Dei nostri: secundum legem fiat.

4. Surge, tuum est decernere, nosque erimus tecum: confortare, & fac.

5. Surrexit ergo Esdras, & adjuravit principes Sacerdotum & Levitarum, & omnem Israel, ut facerent secundum verbum hoc, & juraverunt.

6. Et surrexit (b) Esdras ante domum Dei, & abiit ad cubiculum Johanan filii Eliasib, & ingressus est illuc, panem non comedit, & aquam non bibit: lugebat enim transgressionem eorum, qui venerant de captivitate.

7. Et missa est vox in Juda, & in Jerusalem omnibus filiis transmigrationis, ut congregarentur in Jerusalem:

8. Et omnis qui non venerit in tribus diebus juxta consilium principum & seniorum, auferetur universa substantia ejus, & ipse abjicietur (c) de cœtu transmigrationis.

9. Convenerunt igitur omnes viri Juda & Benjamin in Jerusalem tribus diebus, ipse est mensis nonus, vigesimo die mensis: & sedit omnis populus in platea domus Dei, trementes pro peccato, & pluviis.

10. Et surrexit Esdras sacerdos, & dixit ad eos: Vos transgressi estis, & duxistis uxores alienigenas, ut adderetis super delictum Israel.

11. Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placitum ejus, & separamini a populis terræ, & ab uxoribus alienigenis.

12. Et respondit universa multitudo, dixitque voce magna: Juxta verbum tuum ad nos, sic fiat.

13. Verumtamen quia populus multus est, & tempus pluviæ, & non sustinemus stare foris, & opus non est diei unius vel duorum (vehementer quippe peccavimus in sermone isto)

14. Constituantur principes in universa multitudine: & omnes in civitatibus nostris qui duxerunt uxores alienigenas, veniant in temporibus statutis, & cum his seniores per civitatem & civitatem, & judices ejus, donec avertatur ira Dei nostri a nobis super peccato hoc.

15. Igitur Jonathan filius Azahel, & Jaasia filius Thecue steterunt super hoc, & Mesollam & Sebethai Levites adjuverunt eos:

16. Feceruntque sic filii transmigrationis. Et abierunt, Esdras Sacerdos, & viri principes familiarum, in domos patrum suorum, & omnes per nomina sua, & sederunt in die primo mensis decimi, ut quærerent rem.

17. Et consummati (d) sunt omnes viri, qui duxerant uxores alienigenas, usque ad diem primam mensis primi,

18. Et inventi sunt de filiis sacerdotum qui duxerant uxores alienigenas. De filiis Josue filii Josedec, & fratres ejus, Maasia, & Eliezer, & Jarib, & Godolia.

19. Et dederunt manus suas ut ejicerent uxores suas, & pro delicto suo arietem de ovibus offerrent.

20. Et de filiis Emmer, Hanani, & Zebedia.

21. Et de filiis Harim, Maasia, & Elia, & Semeja, & Jehiel, & Ozias.

22. Et de filiis Pheshur, Elioenai, Maasia, Ismael, Nathanael, Jozabed, & Elasa.

23. Et de filiis Levitarum, Jozabed, & Semei, & Celaja, ipse est Calita, Phataja, Juda, & Eliezer.

24. Et de cantoribus, Eliasib. Et de janitoribus, Sellum, & Telem, & Uri.

25. Et ex Israel, de filiis Pharos, Remeja, & Jezia, & Melchia, & Miamin, & Eliezer, & Melchia, & Banaa.

26. Et de filiis Ælam, Mathania, Zacharias, & Jehiel, & Abdi, & Jerimoth, & Elia.

27. Et de filiis Zethua, Elioenai, Eliasib, Mathania, & Jerimuth, & Zabad, & Aziza.

28. Et de filiis Bebai, Johanan, Hanania, Zabbai, Athalai.

29. Et de filiis Bani, Mosollam, & Melluch, & Adaja, Jasub, & Saal, & Ramoth.

30. Et de filiis Phahath Moab, Edna, & Chalal, Banajas, & Maasias, Mathanias, Beseleel, Bennui, & Manasse.

31. Et de filiis Herem, Eliezer, Josue, Melchias, Semejas, Simeon,

32. Benjamin, Maloch, Samarias.

33. Et de filiis Hasom, Mathanai, Mathatha, Zabad, Eliphelech, Jermai, Manasse, Semei.

34. De filiis Bani, Maaddi, Amram, & Vel,

35. Baneas, & Badajas, Cheliau,

36. Vania, Marimuth, & Eliasib,

37. Mathanias, Mathanai, & Jasi,

38. Et Bani, & Bennui, Semei,

39. Et Salmias, & Nathan, & Adajas,

40. Et Mechnedebai, Sisai, Sarai,

41. Ezrel, & Selemiau, Semeria,

42. Sellum, Amaria, Joseph.

43. De filiis Nebo, Jehiel, Mathathias, Zabad, Zabina, Jeddu, & Joel, & Banaja.

44. Omnes hi acceperant uxores alienigenas, & fuerunt ex eis mulieres, quæ pepererant filios.

CAP. X. 3. (a) Hebr. *Consilium virorum qui timent legem Dei*. Ex eorum præscripto amandabant aliquo liberos, qui ex iis matrimoniis nati fuerant; id enim par est credere, ut eorum educationi prospecta foret. Lex illa quæ Deuter. 7. & aliis in locis prohibebat matrimonia, non ea quidem irritabat, sed vetabat tantummodo. Solvi autem ea jubet Esdras privilegio libelli repudii, ne ad cultum idolorum inducerentur. Nec propterea filii ex iis nati ita sunt abjecti, ut nullam eorum curam haberent parentes. Hoc quidem a Sechenia fuit propositum; sed non legimus id executioni fuisse mandatum, aut plane perfectum: nam res ipsa rejecta est ad Nehemiæ usque tempora.

6. & 7. (b) Egressus est: jam enim surrexerat. *Missa est vox*, Hebr. *Et transire fecerunt vocem*, præconis nimirum.

8. (c) Ecce forma excommunicationis; Is quidem auctoritate regia munitus, voluit tamen hoc decretum ex principum & seniorum consilio fieri.

17. & 18. (d) Numerati sunt. *Et fratres ejus*, Hebr. *Et fratribus ejus*, cognatis Josue.

LIBER

LIBER NEHEMIÆ,

QUI ET

ESDRÆ SECUNDUS

DICITUR.

Hoc Libro, Nehemiæ simul & Esdræ acta referuntur ab anno Artaxerxis Longimani vicesimo ad annum usque 32. Utrum hi numerentur ab anno 12. Xerxis, quando una cum patre regnare cœpit, ut videtur Petavio, & aliis nonnullis: an potius vicesimus ille annus censendus sit post mortem Xerxis? utrique sententiæ sua non desunt argumenta. Is enim erat mos Regum Persarum, ut ad bella gerenda profecturi regni hæredem designarent, ex Herodoto l. 1. & 7. Deinde Thucydides l. 1. Charon Lampsacenus apud Plutarchum in Themistocle tradunt, Themistoclem exulem ad Artaxerxem Xerxis filium recens regnantem litteras dedisse. Scribit vero Diodorus Siculus l. 11. Themistoclem adiisse ad Xerxem, non ad Artaxerxem anno secundo 77. Olympiadis. Quæ vix aliter conciliari possunt, nisi simul regnaverint Xerxes & ejus filius Artaxerxes.

Sed multa sunt, quæ huic opinioni adversantur. Primum enim Xerxes bellum movit adversus Græciam anno primo 75. Olympiadis, tumque debuerat Artaxerxem in regni societatem asciscere, si hæc erat apud Persas consuetudo. Verum aliud quiddam est regni hæredem designare, aliud in consortium Imperii vocare. Deinde Plutarchus ex claris Auctoribus scribit mortuo jam Xerxe Themistoclem ad Artaxerxem venisse; isque post occisum patrem puer erat, teste Justino l. 3. ac multo magis puer is fuit, cum eum adiit Themistocles vivo adhuc patre. Idque tenendum est maxime, si Artaxerxes natus est postquam pater regnum adeptus fuerat; vix enim ulla afferri potest ratio, cur Dario prælatus fuerit, & successor patri designatus, nisi ob eam, quæ affertur a Petavio, quod in purpura natus sit, non item Darius. Quæ si vera sunt, cum Themistocles adiit Artaxerxem, hic minor erat 12. annis. Quæ tamen referunt Thucydides & Plutarchus adveniente Themistocle gesta & dicta ab Artaxerxe, a puero proficisci non potuerunt. Neque hæc conveniunt cum Thucydidis testimonio, qui Themistoclem fugisse ad Artaxerxem recens regnantem tradit. Quamobrem vicesimus ille annus Artaxerxis is fuit post occisum Xerxem, atque hinc numerandæ videntur septuaginta Hebdomades Danielis, cap. 9. vers. 25. quæ decurrunt ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem. Artaxerxes vero ille non fuit Mnemon, *seu* Memoriosus, *ut videtur Scaligero; sed* Longimanus, *ac* Darius *ille, cujus fit mentio in lib. Esdræ, non fuit* Nothus, *sed Hystaspidis filius, cujus sexto anno instauratum est templum. Qui vero cap. 4 Esdræ inseruntur* Assuerus *&* Artaxerxes, *ii fuerunt* Smerdis *&* Cambyses; *vel solus Cambyses multis nominibus designantur pro more a regibus Persarum usurpato; qui* Xerxis *&* Artaxerxis *nomina asciscebant, cum rerum summa ad eos pervenerat.*

CA-

CAPUT PRIMUM.

Nehemias, audita miseranda Jerosolymæ sorte, Dei implorat misericordiam; oratio ejus.

1. Verba Nehemiæ filii Helchiæ. Et factum est in mense Casleu, anno vigesimo, (a) & ego eram in Susis castro.

2. Et venit Hanani unus de fratribus meis, ipse & viri ex Juda: & interrogavi eos de Judæis, qui remanserant, & supererant de captivitate, & Jerusalem.

3. Et dixerunt mihi: Qui remanserunt, & relicti sunt de captivitate ibi in provincia, in afflictione magna sunt, & in opprobrio: & murus Jerusalem dissipatus est, & portæ ejus combustæ sunt igni.

4. Cumque audissem verba hujuscemodi, sedi, & flevi, & luxi diebus multis: jejunabam, & orabam ante faciem Dei cæli.

* Dan. 9. 4. 5. Et dixi: * Quæso Domine Deus cæli fortis, magne atque terribilis, qui custodis pactum & misericordiam cum his qui te diligunt, & custodiunt mandata tua:

6. Fiant aures tuæ auscultantes, & oculi tui aperti, ut audias orationem servi tui, quam ego oro coram te hodie nocte & die, pro filiis Israel servis tuis: & confiteor pro peccatis filiorum Israel, quibus peccaverunt tibi: ego & domus patris mei peccavimus,

7. Vanitate seducti sumus, & non custodivimus mandatum tuum, & cæremonias, & judicia quæ præcepisti Moysi famulo tuo.

8. Memento verbi, quod mandasti Moysi servo tuo, dicens: Cum transgressi fueritis, ego dispergam vos in populos:

9. Et si revertamini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea, etiamsi abducti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos, & reducam in locum, quem elegi ut habitaret nomen meum ibi.

10. Et ipsi servi tui, & populus tuus: quos redemisti in fortitudine tua magna, & in manu tua valida.

11. Obsecro, Domine, sit auris tua attendens ad orationem servi tui, & ad orationem servorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum: & dirige servum tuum hodie, & da ei misericordiam ante virum hunc: ego enim eram pincerna regis.

CAPUT II.

Nehemias, acceptis a Rege litteris, venit Jerusalem, murorum extructionem invitis hostibus aggreditur.

1. Factum est autem in mense Nisan (a), anno vigesimo Artaxerxis regis: & vinum erat ante eum, & levavi vinum, & dedi regi: & eram quasi languidus ante faciem ejus.

2. Dixitque mihi rex: Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam? non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est. Et timui valde, ac nimis:

3. Et dixi regi: Rex in æternum vive: quare non mœreat vultus meus, quia civitas domus sepulcrorum patris mei deserta est, & portæ ejus combustæ sunt igni?

4. Et ait mihi rex: Pro qua re postulas? Et oravi Deum cæli,

5. Et dixi ad regem: Si videtur regi bonum, & si placet servus tuus ante faciem tuam, ut mittas me in Judæam, ad civitatem sepulcri patris mei, & ædificabo eam.

6. Dixitque mihi rex, & regina quæ sedebat juxta eum: Usque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reverteris? Et placuit ante vultum regis, & misit me: & constitui ei tempus.

7. Et dixi regi: Si regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans Flumen, ut traducant me, donec veniam in Judæam:

8. Et epistolam ad Asaph custodem saltus regis, ut det mihi ligna, ut tegere possim portas (b) turris domus, & muros civitatis, & domum, quam ingressus fuero. Et dedit mihi rex juxta manum Dei mei bonam mecum.

9. Et veni ad duces regionis trans Flumen, dedique eis epistolas regis. Miserat autem rex mecum principes militum, & equites.

10. Et audierunt Sanaballat Horonites, & Tobias servus (c) Ammanites: & contristati sunt afflictione magna, quod venisset homo, qui quæreret prosperitatem filiorum Israel.

11. Et veni Jerusalem, & eram ibi tribus diebus,

12. Et surrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & non indicavi cuiquam quid Deus dedisset in corde meo ut facerem in Jerusalem, & jumentum (d) non erat mecum, nisi animal, cui sedebam.

13. Et

CAPUT I. 1. (a) Artaxerxis videlicet, cujus regni initium a mense Casleu, qui nonus a mense Nisan, seu Martio, computari solebat: unde & mense Nisan sequenti obtinuit ab Artaxerxe, cujus erat pincerna, seu a poculis, facultatem muros Jerusalem extruendi. *Et ego eram in Susis Castro*. Hebr. *In Susa palatio*. Regia erat Persarum, ubi aliquot menses exigebant inter Persidem & Babyloniam ad Coaspem fluvium.

CAP. II. 1. (a) Anni regni Artaxerxis incipiebant a mense *Casleu*, seu a nono mense Judæorum, quo quidem mense renuntiatum est Nehemiæ, quo in statu essent res Judæorum.

8. (b) Jam templum erat extructum, supererant appendices templi.

10. (c) Ammonites servus Regis: *Vobis autem*, neque in labore partem habebitis, neque in merito, neque in fama.

12. (d) Ut minori strepitu murum lustraret.

13. Et egressus sum per portam (e) vallis nocte, & ante fontem draconis, & ad portam stercoris, & considerabam murum Jerusalem dissipatum, & portas ejus consumptas igni.

14. Et transivi ad portam fontis, & ad aquæductum regis, & non erat locus jumento, cui sedebam, ut transiret (f).

15. Et ascendi per torrentem nocte, & considerabam murum, & reversus veni ad portam vallis, & redii.

16. Magistratus autem nesciebant quo abiissem, aut quid ego facerem: sed & Judæis, & sacerdotibus, & optimatibus, & magistratibus, & reliquis qui faciebant opus, usque ad id loci nihil indicaveram.

17. Et dixi eis: Vos nostis afflictionem in qua sumus: quia Jerusalem deserta est, & portæ ejus consumptæ sunt igni: venite, & ædificemus muros Jerusalem, & non simus ultra opprobrium.

18. Et indicavi eis manum Dei mei, quod esset bona mecum, & verba regis, quæ locutus esset mihi, & ajo: Surgamus, & ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono.

19. Audierunt autem Sanaballat Horonites, & Tobias servus Ammanites, & Gosem Arabs, & subsannaverunt nos, & despexerunt, dixeruntque: Quæ est hæc res, quam facitis? numquid contra regem vos rebellatis?

20. Et reddidi eis sermonem, dixique ad eos: Deus cæli ipse nos juvat, & nos servi ejus sumus: surgamus & ædificemus: vobis autem non est pars, & justitia, & memoria in Jerusalem.

CAPUT III.

Muri, turres, portæ extruuntur. Opus incipit Eliasib sacerdos magnus.

1. ET surrexit Eliasib sacerdos magnus, & fratres ejus sacerdotes, & ædificaverunt portam gregis: ipsi sanctificaverunt (a) eam, & statuerunt valvas ejus, & usque ad turrim centum cubitorum sanctificaverunt eam, usque ad turrim Hananeel.

2. Et juxta (b) eum ædificaverunt viri Jericho: & juxta eum ædificavit Zachur filius Amri.

3. Portam autem piscium ædificaverunt filii Asnaa: ipsi texerunt eam, & statuerunt valvas ejus, & feras, & vectes. Et juxta eos ædificavit Marimuth filius Uriæ, filii Accus.

4. Et juxta eum ædificavit Mosollam filius Barachiæ, filii Mesezebel: & juxta eos ædificavit Sadoc filius Baana:

5. Et juxta eos ædificaverunt Thecueni: optimates autem eorum non supposuerunt colla sua in opere (c) Domini sui.

6. Et portam veterem ædificaverunt Jojada filius Phasea, & Mosollam filius Besodia: ipsi texerunt eam, & statuerunt valvas ejus, & feras, & vectes:

7. Et juxta eos ædificaverunt Meltias Gabaonites, & Jadon Meronathites, viri de Gabaon, & Maspha, pro duce qui erat in regione trans Flumen (d).

8. Et juxta eum ædificavit Eziel filius Araja aurifex: & juxta eum ædificavit Ananias filius pigmentarii: & dimiserunt (e) Jerusalem usque ad murum plateæ latioris.

9. Et juxta eum ædificavit Raphaja filius Hur, princeps vici (f) Jerusalem.

10. Et juxta eum ædificavit Jedaja filius Haromaph contra domum suam: & juxta eum ædificavit Hattus filius Haseboniæ.

11. Mediam (g) partem vici ædificavit Melchias filius Herem, & Hasub filius Phahath Moab, & turrim furnorum.

12. Et juxta eum ædificavit Sellum filius Alohes princeps mediæ partis vici Jerusalem, ipse & filiæ ejus.

13. Et portam vallis ædificavit Hanun, & habitatores Zanoe: ipsi ædificaverunt eam, & statuerunt valvas ejus, & feras, & vectes, & mille cubitos in muro usque ad portam sterquilinii.

14. Et portam sterquilinii ædificavit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharam: ipse ædificavit eam, & statuit valvas ejus, & feras, & vectes.

15. Et portam fontis ædificavit Sellum filius Cholhoza, princeps pagi Maspha: ipse ædificavit eam, & texit, & statuit valvas ejus, & feras, & vectes, & muros piscinæ Siloe in hortum regis, & usque ad gradus, qui descendunt de Civitate David.

16. Post eum ædificavit Nehemias filius Azboc princeps dimidiæ partis vici Bethsur, usque contra sepulcrum David, & usque ad piscinam, (h) quæ grandi opere constructa est, & usque ad domum fortium.

17. Post eum ædificaverunt Levitæ, Rehum filius Benni: post eum ædificavit Hasebias princeps dimidiæ partis vici Ceilæ in vico suo.

18. Post

13. (e) Ex Villalpando & Saliano, hæ portæ erant in Jerusalem, ab oriente porta fictilis, porta equorum, porta gregis. Ab occidente porta anguli, vallis, de qua hoc loco, sterquilinii, alii eam ponunt inter meridiem & ortum, porta fontis. Ab aquilone portæ Benjamin, piscium, porta vetus, porta Ephraim.

14. & 16. (f) Hebr. additur: *Sub me*, ita ut coactus fuerit in pedes desilire: *Loci*, usque ad illud tempus.

CAP. III. 1. (a) Certis cæremoniis adhibitis post opus peractum. *Usque ad turrim centum cubitorum*; nonnulli opinantur vocem Hebræam *Meach*, מאה, nomen esse proprium, quæ & centum significat, unde interpres addidit cubitorum. Alii sic vertunt: *Usque ad turrim Ananeel, structuram ad centum usque cubitos extenderant*. Eliasib summus sacerdos primus cum familia sua pium hoc opus aggreditur. Sacerdotes quique muros juxta ædes suas positos instaurant, sique urbem non solum ut terrenam patriam, sed etiam ut Deo consecratam considerant.

2. (b) Hebr. *Et juxta manum ejus*, juxta structuram manus ejus, summi sacerdotis.

5. (c) In muri instauratione nihil opis contulerunt.

7. (d) Euphraten. Quidam intelligunt *Nehemiam* ipsum, qui de se loquitur. Aut forte locus erat in Jerusalem, ubi jura dabat dux a Persis constitutus.

8. (e) Sept. ex editione Complutensi ἔθηκαν, *Statuerunt*: at Romana editio κατέλιπον, *Reliquerunt*: *Aptaverunt*, Pagninus, *instaurarunt*. Vox Hebræa *Vajahazevou* ויעזבו proprie *dimiserunt*, significat, *designarunt*, ut suo tempore construerent: sed manum operi tum temporis non admoverunt: vel dimiserant, quod ea parte murus non esset dirutus.

9. (f) Civitas divisa erat in varias regiones; vicus dicitur una ex iis regionibus. Hebr. *Princeps dimidiæ partis Jerusalem*. Hi videntur dici duo principes, qui præfecti erant operibus ad duo urbis latera.

11. & 15. (g) Partem muri respondentem vico: *David*, quæ in monte Sion ædificata erat.

16. (h) Altera erat piscina Siloe, quæ a vicino fonte implebatur: *Usque ad domum fortium*, nomen est loci.

18. Post eum ædificaverunt fratres eorum Bavai filius Enadad, princeps dimidiæ partis Ceilæ.

19. Et ædificavit juxta eum Azer filius Josue, princeps Maspha mensuram secundam (*i*), contra ascensum firmissimi anguli.

20. Post eum in monte ædificavit Baruch filius Zachai mensuram secundam, ab angulo usque ad portam domus Eliasib sacerdotis magni.

21. Post eum ædificavit Merimuth filius Uriæ filii Haccus, mensuram secundam, a porta domus Eliasib, donec extenderetur domus Eliasib.

22. Et post eum ædificaverunt sacerdotes, viri de campestribus (*k*) Jordanis.

23. Post eum ædificavit Benjamin & Hasub contra domum suam: & post eum ædificavit Azarias filius Maasiæ filii Ananiæ contra domum suam.

24. Post eum ædificavit Bennui filius Henadad mensuram secundam, a domo Azariæ usque ad flexuram, & usque ad angulum.

25. Phalel filius Ozi contra flexuram & turrim, quæ eminet (*l*) de domo regis excelsa, id est, in atrio carceris: post eum Phadaja filius Pharos.

26. Nathinæi autem habitabant in Ophel usque contra portam aquarum ad Orientem, & turrim, quæ prominebat.

27. Post eum ædificaverunt Thecueni mensuram secundam e regione, a turre magna & eminente usque ad murum templi.

28. Sursum autem a porta equorum ædificaverunt sacerdotes, unusquisque contra domum suam.

29. Post eos ædificavit Sadoc filius Emmer contra domum suam. Et post eum ædificavit Semaja filius Secheniæ, custos portæ Orientalis.

30. Post eum ædificavit Hanania filius Selemiæ, & Hanun filius Seleph sextus, mensuram secundam: post eum ædificavit Mosollam filius Barachiæ, contra gazophylacium suum. Post eum ædificavit Melchias filius aurificis usque ad domum Nathinæorum, & scruta vendentium (*m*) contra portam judicialem, & usque ad cœnaculum anguli.

31. Et inter cœnaculum anguli in porta gregis ædificaverunt aurifices & negotiatores.

CAPUT IV.

Sanaballat Samarita & Tobias subsannant Judæos qui ædificabant muros, iisque moliuntur insidias: sed Judæi armati opus inceptum prosequuntur.

1. FActum est autem, cum audisset Sanaballat quod ædificaremus murum, iratus est valde: & motus nimis subsannavit Judæos,

2. Et dixit coram fratribus suis, & frequentia Samaritanorum: Quid Judæi faciunt imbecilles? Num dimittent (*a*) eos gentes? Num sacrificabunt, & complebunt in una die? Numquid ædificare poterunt lapides de acervis pulveris, qui combusti sunt?

3. Sed & Tobias Ammanites proximus ejus, ait: Ædificent: si ascenderit vulpes, transiliet murum eorum lapideum.

4. Audi Deus noster, quia facti sumus despectui: converte opprobrium super caput eorum, & da eos in despectionem in terra captivitatis.

5. Ne operias (*b*) iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes.

6. Itaque ædificavimus murum, & conjunximus totum usque ad partem dimidiam: & provocatum est cor populi ad operandum.

7. Factum est autem, cum audisset Sanaballat, & Tobias, & Arabes, & Ammanitæ, & Azotii, quod obducta esset cicatrix muri Jerusalem, & quod cœpissent interrupta concludi, irati sunt nimis.

8. Et congregati sunt omnes pariter, ut venirent, & pugnarent contra Jerusalem, & molirentur insidias.

9. Et oravimus Deum nostrum, & posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos.

10. Dixit autem Judas: Debilitata est fortitudo portantis, & humus (*c*) nimia est, & nos non poterimus ædificare murum.

11. Et dixerunt hostes nostri: Nesciant, & ignorent, donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos, & cessare faciamus opus.

12. Factum est autem, venientibus Judæis, qui habitabant juxta eos, & dicentibus nobis per decem vices, ex omnibus locis quibus venerant ad nos,

13. Statui in loco post murum per circuitum populum in ordinem cum gladiis suis, & lanceis, & arcubus.

14. Et perspexi atque surrexi: & ajo ad optimates & magistratus, & ad reliquam partem vulgi: Nolite timere a facie eorum. Domini magni & terribilis mementote, & pugnate pro fratribus vestris, filiis vestris, & filiabus vestris, & uxoribus vestris, & domibus vestris.

15. Factum est autem, cum audissent inimici nostri nuntiatum esse nobis, dissipavit Deus consilium eorum. Et reversi sumus omnes ad muros, unusquisque ad opus suum.

16. Et factum est a die illa, media pars juvenum eorum faciebant opus, & media parata erat ad bellum, & lanceæ, & scuta, & arcus, & loricæ, & principes post eos in omni domo Juda,

17. Ædi-

19. (*i*) Muri partem alteram: *Contra ascensum firmissimi anguli*, e regione ascensus: Hebr. *Armaturæ anguli*; suspicatur Vatablus ibi armamentarium extitisse.
22. (*k*) Qui in agris degebant, & Jerosolymæ domos habebant.
25. & 26. (*l*) Quæ excelsior est domo Regis. *Portam*, qua Nathinæi aquas in templum offerebant, aut quia aquæ fluviæ per eam affluebant.
30. & 31. (*m*) Vilia aut minutas merces. *Aurificis*, aurifex: *Et scruta vendentium*, scruta sunt res usu detritæ.

CAP. IV.

2. (*a*) An opus absolvere iis per gentes licebit? *Et complebunt in una die?* opus suum. Id fuit instar vaticinii. Nihil est servis Dei utilius, quam ab inimicis insultantibus contemni: Deus enim superbis resistit.
5. & 6. (*b*) Sit coram te, ut puniatur: quod vaticinium est, non imprecatio. *Partem dimidiam*, ædificationis.
10. (*c*) Rudera, quæ inde asportari debent, & terra quæ educitur, id est, multum calcis & arenæ portandum.

17. Ædificantium in muro, & portantium onera, & imponentium: una manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium (*d*):

18. Ædificantium enim unusquisque gladio erat accinctus renes. Et ædificabant, & clangebant buccina juxta me.

19. Et dixi ad optimates, & ad magistratus, & ad reliquam partem vulgi: Opus grande est & latum, & nos separati sumus in muro procul alter ab altero:

20. In loco quocumque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos: Deus noster pugnabit pro nobis.

21. Et nos ipsi faciamus opus: & media pars nostrum teneat lanceas ab ascensu auroræ donec egrediantur astra.

22. In tempore quoque illo dixi populo: Unusquisque (*e*) cum puero suo maneat in medio Jerusalem, & sint nobis vices per noctem, & diem, ad operandum.

23. Ego autem & fratres mei, & pueri mei, & custodes, qui erant post me, non deponebamus vestimenta nostra: unusquisque tantum nudabatur ad baptismum (*f*).

CAPUT V.

Populum fame & ære alieno oppressum Nehemias sublevat, oppignoratos agros restitui jubet, totumque ex gratia datum, quod anno Jubilæi ex jure futurum erat.

1. ET factus est clamor populi, & uxorum ejus magnus adversus fratres suos Judæos.

2. Et erant qui dicerent: Filii nostri, & filiæ nostræ multæ sunt nimis: accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & vivamus.

3. Et erant qui dicerent: Agros nostros, & vineas, & domos nostras opponamus, & accipiamus frumentum in fame.

4. Et alii dicebant: Mutuo sumamus pecunias in tributa regis, demusque agros nostros & vineas:

5. Et nunc sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes (*a*) nostræ sunt: & sicut filii eorum, ita & filii nostri. Ecce nos subjugamus filios nostros, & filias nostras in servitutem, & de filiabus nostris sunt famulæ, nec habemus unde possint redimi, & agros nostros, & vineas nostras alii possident.

6. Et iratus sum nimis cum audissem clamorem eorum secundum verba hæc:

7. Cogitavitque cor meum mecum: & increpavi optimates & magistratus, & dixi eis: Usurasne (*b*) singuli a fratribus vestris exigitis? Et congregavi adversum eos concionem magnam,

8. Et dixi eis: Nos, ut scitis, redemimus fratres nostros Judæos, qui venditi fuerant gentibus, secundum possibilitatem nostram: & vos igitur vendetis fratres vestros, & redimemus eos? Et siluerunt, nec invenerunt quid responderent.

9. Dixitque ad eos: Non est bona res, quam facitis: quare non in timore Dei nostri ambulatis, ne exprobretur nobis a gentibus inimicis nostris?

10. Et ego, & fratres mei, & pueri mei commodavimus plurimis pecuniam & frumentum: non repetamus in commune istud, æs alienum (*c*) concedamus, quod debetur nobis.

11. Reddite (*d*) eis hodie agros suos, & vineas suas, & oliveta sua, & domos suas: quin potius & centesimam pecuniæ, frumenti, vini, & olei, quam exigere soletis ab eis, date pro illis.

12. Et dixerunt: Reddemus, & ab eis nihil quæremus: sicque faciemus ut loqueris. Et vocavi Sacerdotes (*e*), & adjuravi eos, ut facerent juxta quod dixeram.

13. Insuper excussi (*f*) sinum meum, & dixi: Sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleverit verbum illud, de domo sua, & de laboribus suis: sic excutiatur, & vacuus fiat. Et dixit universa multitudo: Amen. Et laudaverunt Deum. Fecit ergo populus sicut erat dictum.

14. A die autem illa, qua præceperat rex mihi ut essem dux in terra Juda, ab anno vigesimo usque ad annum trigesimumsecundum Artaxerxis regis, per annos duodecim (*g*), ego & fratres mei annonas, quæ ducibus debebantur, non comedimus.

15. Duces autem primi, qui fuerant ante me, gravaverunt populum, & acceperunt ab eis in pane & vino, & pecunia, quotidie siclos quadraginta: sed & ministri eorum depresserunt populum. Ego autem non feci ita propter timorem Dei:

16. Quin potius in opere muri ædificavi, & agrum non emi (*h*), & omnes pueri mei congregati ad opus erant.

17. Judæi quoque & magistratus, centum quinquaginta viri, & qui veniebant ad nos de gentibus, quæ in circuitu nostro sunt, in mensa mea erant.

18. Para-

17. (*d*) Figurata locutione significatur Judæos sic operi intentos fuisse, ut gladio accincti parati essent ad defensionem, ut mox subditur.

22. (*e*) Nemo extra urbem exeat, cum nocte vigilandum sit, & de die laborandum.

23. (*f*) Ad ablutiones aut lege præscriptas, aut moribus inductas.

CAP. V. 5. (*a*) Nos & illi, inquiebant pauperes, ex eodem genere prognati sumus, & tamen egestate oppressi liberos nostros vendere compellimur, nec contribules nostram sublevant miseriam. Nehemias primum usuras prohibet.

7. (*b*) Contra legem Deuteron. 23. divinam: *Et congregavi adversus eos concionem magnam*, ut publice confunderet, qui noluerant monenti parere.

10. (*c*) Alii sic vertunt textum Hebraicum: *Remittemus hoc onus*, quod scilicet præter sortem accipimus, non sortem ipsam, ut iis videtur.

11. (*d*) Quos habetis oppignoratos. *Et centesimam pecuniæ*, usuram nempe unius pro centum, singulis mensibus. Quæ usura Romanis frequens erat, & inter Judæos tum usitata.

12. (*e*) Ejusdem criminis participes, quos ob reverentiam ordinis noluit coram populo confundere.

13. (*f*) Illud erat Judæis familiare, actione corporis exprimere quæ verbis volebant: *Sinum meum*, extremam vestem. *Sic excutiat Deus*; male precatus sum iis qui aliter facerent. Usuræ crimen in eo maxime consistit, quod fratres suos divexarent, & in eos essent injurii: remedium in ipsa injuriæ reparatione ponit.

14. (*g*) Credibile est eo temporis spatio ad Regem se identidem contulisse.

16. (*h*) Ex pauperibus & vili pretio, non vana ostentatione, sed ex humili spe & fiducia in Dei misericordiam, hæc dicit: ac forte non deerant invidi, qui eum apud plebem criminarentur.

18. Parabatur autem mihi per dies singulos bos unus, arietes sex electi, exceptis volatilibus, & inter dies decem vina diversa, & alia multa tribuebam: insuper & annonas ducatus mei non quæsivi: valde enim attenuatus erat populus.

19. Memento mei Deus meus in bonum, secundum omnia quæ feci populo huic.

CAPUT VI.

Judæorum inimici, & præ aliis Sannaballat & Tobias nullum lapidem non movent, quo opus inceptum disturbent; Nehemias dolos & consilia eorum detegit.

1. Factum (*a*) est autem, cum audisset Sanaballat, & Tobias, & Gosem Arabs, & ceteri inimici nostri, quod ædificassem ego murum, & non esset in ipso residua interruptio (usque ad tempus autem illud valvas non posueram in portis)

2. Miserunt Sanaballat & Gosem ad me, dicentes: Veni, & percutiamus fœdus pariter in viculis in Campo Ono. Ipsi autem cogitabant ut facerent mihi malum.

3. Misi ergo ad eos nuntios, dicens: Opus grande ego facio, & non possum descendere: ne forte negligatur cum venero, & descendero ad vos.

4. Miserunt autem ad me secundum verbum hoc per quatuor vices: & respondi eis juxta sermonem priorem.

5. Et misit ad me Sanaballat juxta verbum prius quinta vice puerum suum, & epistolam habebat in manu sua scriptam hoc modo:

6. In gentibus auditum est, & Gosem dixit, quod tu & Judæi cogitetis rebellare, & propterea ædifices murum, & levare te velis super eos regem: propter quam causam

7. Et prophetas posueris, qui prædicent de te in Jerusalem, dicentes: Rex in Judæa est. Auditurus est rex verba hæc: idcirco nunc veni, ut ineamus consilium pariter.

8. Et misi ad eos, dicens: Non est factum secundum verba hæc, quæ tu loqueris: de corde enim tuo tu componis hæc.

9. Omnes enim hi terrebant nos, cogitantes quod cessarent manus nostræ ab opere, & quiesceremus. Quam ob causam magis confortavi manus meas:

10. Et ingressus sum domum Semajæ filii Dalajæ filii Metabeel secreto. Qui ait: Tractemus nobiscum in domo Dei in medio templi, & claudamus portas ædis: quia venturi sunt ut interficiant te, & nocte venturi sunt ad occidendum te.

11. Et dixi: Num quisquam similis mei fugit? & quis ut ego ingredietur templum, & vivet (*b*)? non ingrediar.

12. Et intellexi quod Deus non misisset eum, sed quasi vaticinans locutus esset ad me, & Tobias & Sanaballat conduxissent eum:

13. Acceperat enim pretium, ut territus facerem, & peccarem, & haberent malum, quod exprobrarent mihi.

14. Memento mei Domine pro Tobia & Sanaballat, juxta opera eorum talia: sed & Noadiæ prophetæ, & ceterorum prophetarum, qui terrebant me.

15. Completus est autem murus vigesimo quinto die mensis Elul (*c*), quinquaginta duobus diebus.

16. Factum est ergo cum audissent omnes inimici nostri, ut timerent universæ gentes, quæ erant in circuitu nostro, & conciderent intra semetipsos, & scirent quod a Deo factum esset opus hoc.

17. Sed & in diebus (*d*) illis multæ optimatum Judæorum epistolæ mittebantur ad Tobiam, & a Tobia veniebant ad eos.

18. Multi enim erant in Judæa habentes juramentum ejus, quia gener erat Sechemiæ filii Area, & Johanan filius ejus acceperat filiam Mosollam filii Barachiæ;

19. Sed & laudabant eum coram me, & verba mea nuntiabant ei: & Tobias mittebat epistolas ut terreret me.

CAPUT VII.

Per Nehemiam constituuntur custodes in Jerusalem: deinde convocato populo recensentur hi qui primum ascenderant Jerusalem, una cum jumentis ipsorum; danturque munera ad opus ædificationis.

1. Postquam autem ædificatus est murus, & Eccli. 49. 15.
posui valvas, & recensui janitores, &
cantores, & Levitas:

2. Præcepi (*a*) Hanani fratri meo, & Hananiæ principi domus de Jerusalem (ipse enim quasi vir verax & timens Deum plus ceteris videbatur)

3. Et dixi eis: Non aperiantur portæ Jerusalem usque ad calorem solis. Cumque adhuc assisterent, clausæ portæ sunt, & oppilatæ, & posui custodes de habitatoribus Jerusalem, singulos per vices suas, & unumquemque contra domum suam.

4. Civitas autem erat lata nimis & grandis, & populus parvus in medio ejus, & non erant domus ædificatæ.

5. Deus autem dedit in corde meo, & congregavi optimates, & magistratus, & vulgus, ut recenserem eos: & inveni librum census eorum, qui ascenderant primum (*b*), & inventum est scriptum in eo.

6. * Isti

CAP. VI. 1. (*a*) In Tobia & Sanaballat intueri licet quæ sit hujus sæculi hominibus vivendi & agendi ratio. Hi quippe solent bonis operibus adversari; contra in Nehemia viri probi & prudentis adversus eorum dolos miramur sapientiam. Illi amicitiam simulant, falsos spargunt rumores, jungunt inter se fœdera & affinitates, ut bonis struant insidias. Nehemias nihil horum iis opponit, non fraudes, non calumnias, sed prudentiam tantummodo, conscientiam puram, atque in conscientia sua tutus eorum calumnias fortitudine & robore animi repellit.

11. (*b*) An sperare possem ut saluti consulerem, si populo deserto me inimicorum furori exponerem?

15. (*c*) Qui est mensis Augusto respondens ex parte.

17. (*d*) Post Epistolam missam a Sanaballat. Quod admirantes vicinæ gentes, merito exclamarunt a Deo factum esse hoc opus. Johanan filius ejus, cap. 3. vers. 4. inter eos numeratur, qui ad instaurationem murorum magis intenti erant.

CAP. VII. 2. (*a*) De portis custodiendis.

5. (*b*) Cum Esdra, inquit Grotius; unde factum est, ut hæc recensio Esdræ libro non sine mutatione aliqua insereretur.

*1.Esd.s.1. 6. * Isti filii provinciæ, qui ascenderunt de captivitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis, & reversi sunt in Jerusalem, & in Judæam, unusquisque in civitatem suam.

7. Qui venerunt cum Zorobabel, Josue, Nehemias, Azarias, Raamias, Nahamani, Mardochæus, Belsam, Mesphárath, Begoai, Nahum, Baana. Numerus virorum populi Israel:

8. Filii Pharos, duo millia centum septuagintaduo:

9. Filii Saphatia, trecenti quinquagintaduo:

10. Filii Area, sexcenti septuagintaduo:

11. Filii Phahathmoab filiorum Josuæ & Joab: duo millia octingenti decem & octo:

12. Filii Ælam, mille ducenti quinquagintaquatuor:

13. Filii Zethua, octingenti quadragintaquinque.

14. Filii Zachai, septingenti sexaginta:

15. Filii Bannui, sexcenti quadragintaocto:

16. Filii Bebai, sexcenti vigintiocto.

17. Filii Azgad, duo millia trecenti vigintiduo:

18. Filii Adonicam, sexcenti sexagintaseptem:

19. Filii Beguai, duo millia sexagintaseptem:

20. Filii Adin, sexcenti quinquagintaquinque:

21. Filii Ater, filii Hezeciæ, nonagintaocto:

22. Filii Hasem, trecenti vigintiocto:

23. Filii Besai, trecenti vigintiquatuor:

24. Filii Hareph, centum duodecim:

25. Filii Gabaon, nonagintaquinque:

26. Filii Bethlehem, & Netupha, centum octogintaocto.

27. Viri Anathoth, centum vigintiocto.

28. Viri Bethazmoth, quadragintaduo.

29. Viri Carjathjarim, Cephira, & Beroth, septingenti quadragintatres.

30. Viri Rama & Gema, sexcenti vigintiunus.

31. Viri Machmas, centum vigintiduo.

32. Viri Bethel & Hai, centum vigintitres.

33. Viri Nebo alterius, quinquagintaduo.

34. Viri Ælam alterius, mille ducenti quinquagintaquatuor.

35. Filii Harem, trecenti viginti.

36. Filii Jericho, trecenti quadragintaquinque.

37. Filii Lod Hadid & Ono, septingenti vigintiunus.

38. Filii Senaa, tria millia nongenti triginta.

39. Sacerdotes: Filii Idaja in domo Josue, nongenti septuagintatres.

40. Filii Emmer, mille quinquagintaduo.

41. Filii Phasur, mille ducenti quadragintaseptem:

42. Filii Arem, mille decem & septem. Levitæ:

43. Filii Josue & Cedmihel filiorum

44. Oduiæ, septuagintaquatuor. Cantores:

45. Filii Asaph, centum quadragintaocto.

46. Janitores: Filii Sellum, filii Ater, filii Telmon, filii Accub, filii Hatita, filii Sobai: centum trigintaocto.

47. Nathinæi: filii Soha, filii Hasupha, filii Tebbaoth,

48. Filii Ceros, filii Siaa, filii Phadon, filii Lebana, filii Hagaba, filii Selmai,

49. Filii Hanan, filii Geddel, filii Gaher,

50. Filii Raaja, filii Rasin, filii Necoda,

51. Filii Gezem, filii Aza, filii Phasea,

52. Filii Besai, filii Munim, filii Nephussim,

53. Filii Bacbuc, filii Hacupha, filii Harhur,

54. Filii Besloth, filii Mahida, filii Harsa,

55. Filii Bercos, filii Sisara, filii Thema,

56. Filii Nasia, filii Hatipha,

57. Filii servorum Salomonis, filii Sothai, filii Sophereth, filii Pharida,

58. Filii Jahala, filii Darcon, filii Jeddel,

59. Filii Saphatia, filii Hatil, filii Phochereth, qui erat ortus ex Sabaim, filio Amon.

60. Omnes Nathinæi, & filii servorum Salomonis, trecenti nonagintaduo.

61. Hi sunt autem, qui ascenderunt de Thelmela, Thelharsa, Cherub, Addon, & Emmer: & non potuerunt indicare domum patrum suorum, & semen suum, utrum ex Israel essent.

62. Filii Dalaja, filii Tobia, filii Necoda, sexcenti quadragintaduo.

63. Et de Sacerdotibus, filii Habia, filii Accos, filii Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis uxorem: & vocatus est nomine eorum.

64. Hi quæsierunt scripturam suam in censu, & non invenerunt: & ejecti sunt de sacerdotio.

65. Dixitque Athersatha (c) eis ut non manducarent de Sanctis sanctorum, donec staret Sacerdos doctus & eruditus.

66. Omnis multitudo quasi vir unus, quadragintaduo millia trecenti sexaginta,

67. Absque servis & ancillis eorum, qui erant septem millia trecenti trigintaseptem, & inter eos cantores, & cantatrices, ducenti quadragintaquinque.

68. Equi eorum, septingenti trigintasex: muli eorum, ducenti quinquagintaquinque:

69. Cameli eorum, quadringenti trigintaquinque: asini, sex millia septingenti viginti.

Hucusque refertur quid in commentario scriptum fuerit; exin, Nehemiæ historia texitur.

70. Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt in opus. Athersatha dedit in thesaurum auri drachmas mille, phialas quinquaginta, tunicas sacerdotales quingentas triginta.

71. Et de principibus familiarum dederunt in thesaurum operis, auri drachmas viginti millia, & argenti mnas duo millia ducentas.

72. Et quod dedit reliquus populus, auri drachmas viginti millia, & argenti mnas duo millia, & tunicas sacerdotales sexagintaseptem.

73. Ha-

65. (c) Sic Nehemias a Persis vocabatur.

73. Habitaverunt autem Sacerdotes, & Levitæ, & janitores, & cantores, & reliquum vulgus, & Nathinæi, & omnis Israel in civitatibus suis.

CAPUT VIII.

Convocato populo Esdras publice legit Librum legis distincte & aperte: eriguntur tabernacula ad solemnitatem dierum.

1. ET venerat mensis septimus: filii autem Israel erant in civitatibus suis. Congregatusque est omnis populus quasi vir unus, ad plateam, quæ est ante portam aquarum: & dixerunt Esdræ scribæ ut afferret Librum legis Moysi, quam præceperat Dominus Israeli.

2. Attulit ergo Esdras Sacerdos legem coram multitudine virorum & mulierum, cunctisque qui poterant intelligere (*a*), in die prima mensis septimi.

3. Et legit in eo aperte in platea quæ erat ante portam aquarum, de mane usque ad mediam diem, in conspectu virorum & mulierum & sapientium: & aures omnis populi erant erectæ (*b*) ad Librum.

4. Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquendum: & steterunt juxta eum, Mathathias, & Semeja, & Ania, & Uria, & Helcia, & Maasia, ad dexteram ejus: & ad sinistram, Phadaja, Misael, & Melchia, & Hasum, & Hasbadana, Zacharia, & Mosollam.

5. Et aperuit Esdras Librum coram omni populo: super universum quippe populum eminebat: & cum aperuisset eum, stetit omnis populus.

6. Et benedixit Esdras Domino Deo magno: & respondit omnis populus: Amen, Amen: elevans manus suas, & incurvati sunt, & adoraverunt Deum proni in terram.

7. Porro Josue, & Bani, & Serebia, Jamin, Accub, Septhai, Odia, Maasia, Celita, Azarias, Jozabed, Hanan, Phalaja, Levitæ, silentium faciebant in populo ad audiendam legem: populus autem stabat in gradu suo.

8. Et legerunt in Libro legis Dei distincte, & aperte ad intelligendum: & intellexerunt (*c*) cum legeretur.

9. Dixit autem Nehemias (ipse est Athersatha) & Esdras sacerdos & scriba, & Levitæ interpretantes (*d*) universo populo: Dies sanctificatus est Domino Deo nostro: nolite lugere, & nolite flere. Flebat enim omnis populus cum audiret verba Legis.

10. Et dixit eis: Ite, comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes (*e*) his, qui non præparaverunt sibi, quia sanctus dies Domini est, & nolite contristari: gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.

11. Levitæ autem silentium faciebant in omni populo, dicentes: Tacete, quia dies sanctus est, & nolite dolere.

12. Abiit itaque omnis populus, ut comederet & biberet, & mitteret partes, & faceret lætitiam magnam: quia intellexerant verba, quæ docuerat eos.

13. Et in die secundo congregati sunt principes familiarum universi populi, Sacerdotes & Levitæ, ad Esdram scribam, ut interpretaretur eis verba Legis.

14. Et invenerunt scriptum in Lege, præcepisse Dominum in manu Moysi, ut habitent filii Israel in tabernaculis, in die solemni, mense septimo:

15. Et ut prædicent, & divulgent vocem in universis urbibus suis, & in Jerusalem, dicentes: Egredimini in montem, & afferte frondes olivæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemorosi, ut fiant tabernacula, sicut scriptum est.

16. Et egressus est populus, & attulerunt. Feceruntque sibi tabernacula unusquisque in domate suo, & in atriis suis, & in atriis domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim.

17. Fecit ergo universa Ecclesia eorum, qui redierant de captivitate, tabernacula, & habitaverunt in tabernaculis: non enim fecerant a diebus Josue filii Nun taliter filii Israel usque ad diem illum. Et fuit lætitia magna nimis.

18. Legit autem in libro legis Dei per dies singulos, a die primo usque ad diem novissimum: & fecerant solemnitatem septem diebus, & in die octavo collectam (*f*) juxta ritum.

CA-

CAP. VIII. 2. (*a*) Ætate scilicet maturis. At perperam hinc colligunt Novatores Scripturas per se solas intelligi facile posse: præterquam enim solum Deuteronomium lectum est, & præsertim ea quæ ad cultum Dei & mores pertinent, Esdras ipse quod obscurius erat, interpretabatur. Non aliam magis edocendi legem occasionem invenit Esdras, quam si illam die ipso festo exponeret.

3. (*b*) Hinc colligunt viri eruditi linguam Hebræam nondum fuisse penitus exstinctam: tametsi populus Chaldaicæ linguæ jam diu esset assuetus.

8. (*c*) Obscuriora quæque exponebat Esdras. Legerunt quoque alii diversis in locis, ut satis est vero simile. *Nolite lugere*; nam legem Dei explorare velle, & ejus mandata contueri, magis est lætitiæ nostræ ratio. Hæc verba Nehemiæ multi in pravum sensum detorquent Protestantes, ut persuadeant Scripturam non ex traditione Ecclesiæ, sed per Scripturam ipsam, tamquam solam interpretem, exponere. Atque in hanc sententiam Junius & Tremellius omnes Grammaticæ Hebraicæ apices & syntaxeos regulas commovent, ut alium a vulgata & a LXX. editione sensum ex Hebræo textu proposito suo idoneum excudant: sic enim de Levitis vulgata habet versu 7. *Silentium faciebant in populo ad audiendam legem*: & LXX. Interpr. *Instruentes populum in lege*: & versiculo insequenti iidem LXX. *Et ponendo intellectum intellexerunt quod legebatur*, atque ut exponit *Aben Ezra*, adhibuerunt animum ad intelligendam lectionem. Hunc autem locum sic verterunt Junius & Tremellius: *Legebant enim Levitæ librum illum, legem Dei explanate, & exponendo sensum dabant intelligentiam per Scripturam*. Quam interpretationem novam plane esse & falsam, nulli e veteribus in mentem venisse, & Grammaticæ legibus omnino contrariam, pluribus probat P. Despineul S. J. in tertia parte suæ criticæ adversus D. le Clerc. Trevoltii edita anno 1705. Negat voce *Mikra*, Scripturam universim designari, sed lectionem legis, ut voce *Sechel*, verborum sensum designari, sed adhibere intellectum; placuit tamen hæc interpretatio Genevensibus, qui veteri sua versione rejecta nunc cum Junio & Tremellio legunt, a Levitis expositam Scripturam fuisse per Scripturam: quam veteri Testamento non aliam ob caussam intrusam, quam ut traditionis & Ecclesiæ auctoritatem in Scripturis interpretandis convellerent.

9. (*d*) Quia Hebraice legebantur, poterant a Levitis Chaldaice aut Syriace exponi.

10. (*e*) Sportulas pauperibus.

18. (*f*) Præcipuam celebritatem cum lætitia.

CAPUT IX.

Post jejunii & facci pœnitentiam, fit confessio peccatorum populi: fœdus cum Domino renovatur.

1. IN die autem vigesimoquarto mensis hujus convenerunt filii Israel in jejunio & in saccis, & humus (*a*) super eos.

2. Et separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena: & steterunt, & confitebantur peccata sua, & iniquitates patrum suorum.

3. Et consurrexerunt ad standum: & legerunt in volumine Legis Domini Dei sui, quater in die, & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum.

4. Surrexerunt autem super gradum Levitarum Josue, & Bani, & Cedmihel, Sabania, Bonni, Sarebias, Bani, & Chanani: & clamaverunt voce magna ad Dominum Deum suum.

5. Et dixerunt Levitæ Josue, & Cedmihel, Bonni, Hasebnia, Serebia, Odaja, Sebnia, Phathahia: Surgite, benedicite Domino Deo vestro ab æterno usque in æternum: & benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione & laude.

6. Tu ipse Domine solus, tu fecisti cælum, & cælum cælorum, & omnem exercitum eorum: terram, & universa quæ in ea sunt: maria, & omnia quæ in eis sunt: & tu vivificas omnia hæc, & exercitus cæli te adorat.

7. Tu ipse, Domine Deus, qui elegisti
* Gen. 11. 31. Abram, & * eduxisti eum de igne (*b*) Chaldæorum, & posuisti nomen ejus Abraham.

8. Et invenisti cor ejus fidele coram te: & percussisti cum eo fœdus, ut dares ei Terram Chananæi, Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Jebusæi, & Gergesæi, ut dares semini ejus: & implesti verba tua, quoniam justus es.

9. Et vidisti afflictionem patrum nostrorum in Ægypto: clamoremque eorum audisti super Mare rubrum.

10. Et dedisti signa atque portenta in Pharaone, & in universis servis ejus, & in omni populo terræ illius: cognovisti enim quia superbe egerant contra eos: & fecisti tibi nomen, sicut & in hac die (*c*).

11. Et mare divisisti ante eos, & transierunt per medium maris in sicco: persecutores autem eorum projecisti in profundum, quasi lapidem in aquas validas.

12. Et in columna nubis ductor eorum fuisti per diem, & in columna ignis per noctem, ut appareret eis via, per quam ingrediebantur.

13. Ad montem quoque Sinai descendisti, & locutus es cum eis de cælo, & dedisti eis judicia recta, & legem veritatis, cæremonias, & præcepta bona:

14. Et sabbatum sanctificatum (*d*) tuum ostendisti eis, & mandata, & cæremonias, & legem præcepisti eis in manu Moysi servi tui.

15. Panem quoque de cælo dedisti eis in fame eorum, & aquam de petra eduxisti eis sitientibus, & dixisti eis ut ingrederentur & possiderent terram, super quam levasti manum tuam, ut traderes eis.

16. Ipsi vero & patres nostri superbe egerunt, & induraverunt cervices suas, & non audierunt mandata tua.

17. Et noluerunt audire, & non sunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras eis. Et induraverunt cervices suas, & dederunt caput ut converterentur ad servitutem suam, quasi per contentionem. Tu autem Deus propitius, clemens, & misericors longanimis, & multæ miserationis, non dereliquisti eos,

18. Et quidem cum fecissent sibi vitulum conflatilem, & dixissent: Iste est Deus tuus, qui eduxit te de Ægypto: feceruntque blasphemias magnas.

19. Tu autem in misericordiis tuis multis non dimisisti eos in deserto: columna nubis non recessit ab eis per diem, ut duceret eos in viam, & columna ignis per noctem, ut ostenderet eis iter per quod ingrederentur.

20. Et spiritum tuum bonum dedisti qui doceret eos, & manna tuum non prohibuisti ab ore eorum, & aquam dedisti eis in siti.

21. Quadraginta annis pavisti eos in deserto, nihilque eis defuit: vestimenta eorum non inveteraverunt, & pedes eorum non sunt attriti (*e*).

22. Et dedisti eis regna, & populos, & partitus es eis sortes: & possederunt terram Sehon, & terram regis Hesebon, & terram Og regis Basan.

23. Et multiplicasti filios eorum sicut stellas cæli, & adduxisti eos ad terram, de qua dixeras patribus eorum ut ingrederentur & possiderent.

24. Et venerunt filii, & possederunt terram, & humiliasti coram eis habitatores terræ Chananæos, & dedisti eos in manu eorum, & reges eorum & populos terræ, ut facerent eis sicut placebat illis.

25. Ceperunt itaque urbes munitas, & humum pinguem, & possederunt domos plenas cunctis bonis: cisternas ab aliis fabricatas, vineas, & oliveta, & ligna pomifera multa: & comederunt, & saturati sunt, & impinguati sunt, & abundaverunt deliciis in bonitate tua magna.

26. Provocaverunt autem te ad iracundiam, & recesserunt a te, & projecerunt Legem tuam post terga sua: & prophetas tuos occiderunt, qui contestabantur eos ut reverterentur ad te: feceruntque blasphemias grandes.

27. Et

CAP. IX. 1. & 5. (*a*) *Aspersi pulvere*: *Surgite*, jam pedibus stabant, itaque *surgite pro agite*: *Ab æterno usque in æternum laudabilis*, *excelso in omni benedictione*: Hebr. *Excelso supra omnem benedictionem*: nomen Dei sublimius est, quam ut pro dignitate laudari possit.

7. (*b*) Hebr. de Ur Chaldæorum: est proprium urbis nomen, ubi ignis colebatur. Beneficiorum Dei memoriam cum peccatorum dolore semper conjungunt, ut spe divinæ bonitatis consolationem inveniant, & amor Dei augeatur. Sancta diei festi lætitia justum de peccatis dolorem non extinguit. Unde post festi solemnitatem redeunt ad pœnitentiam.

10. (*c*) Sept. Interpr. *Sicut dies hac*, *ὡς ἡ ἡμέρα αὕτη*, supple, testatur.

14. 15. & 17. (*d*) Hebr. *Sabbatum sanctitatis tuæ*, tibi consecratum. *Elevasti manum*, jurans more: *Caput*: Caput verterunt ut redirent in Ægyptum.

21. (*e*) Non intumuerunt: LXX. Calceamenta eorum non sunt interrupta.

27. Et dedisti eos in manu hostium suorum & afflixerunt eos. Et in tempore tribulationis suæ clamaverunt ad te, & tu de cælo audisti, & secundum miserationes tuas multas dedisti eis salvatores, qui salvarent eos de manu hostium suorum.

28. Cumque requievissent, reversi sunt ut facerent malum in conspectu tuo: & dereliquisti eos in manu inimicorum suorum, & possederunt eos. Conversique sunt, & clamaverunt ad te: tu autem de cælo exaudisti, & liberasti eos in misericordiis tuis, multis temporibus.

29. Et contestatus es eos ut reverterentur ad Legem tuam. Ipsi vero superbe egerunt, & non audierunt mandata tua, & in judiciis tuis peccaverunt, quæ faciet homo, & vivet in eis: & dederunt humerum recedentem (*f*), & cervicem suam induraverunt, nec audierunt.

30. Et protraxisti super eos annos multos, & contestatus es eos in spiritu tuo per manum prophetarum tuorum: & non audierunt, & tradidisti eos in manu populorum terrarum.

31. In misericordiis autem tuis plurimis non fecisti eos in consumptionem, nec dereliquisti eos: quoniam Deus miserationum, & clemens es tu.

32. Nunc itaque Deus noster magne, fortis, & terribilis, custodiens pactum & misericordiam, ne avertas a facie tua omnem laborem, qui invenit nos, reges nostros, & principes nostros, & sacerdotes nostros, & prophetas nostros, & patres nostros, & omnem populum tuum a diebus regis Assur usque in diem hanc.

33. Et tu justus es in omnibus, quæ venerunt super nos: quia veritatem fecisti, nos autem impie egimus.

34. Reges nostri, principes nostri, sacerdotes nostri, & patres nostri non fecerunt legem tuam, & non attenderunt mandata tua, & testimonia tua quæ testificatus es in eis.

35. Et ipsi in regnis suis, & in bonitate tua multa, quam dederas eis, & in terra latissima & pingui, quam tradideras in conspectu eorum, non servierunt tibi, nec reversi sunt a studiis suis pessimis.

36. Ecce nos ipsi hodie servi (*g*) sumus: & terra, quam dedisti patribus nostris ut comederent panem ejus, & quæ bona sunt ejus, & nos ipsi servi sumus in ea.

37. Et fruges ejus multiplicantur regibus (*h*), quos posuisti super nos propter peccata nostra, & corporibus nostris dominantur, & jumentis nostris secundum voluntatem suam, & in tribulatione magna sumus.

38. Super (*i*) omnibus ergo his nos ipsi percutimus fœdus, & scribimus, & signant principes nostri, Levitæ nostri, & Sacerdotes nostri.

CAPUT X.

In fœderis icti cum Deo & obsignati expositione statuitur de vetito cum alienigenis connubio, de sabbati observatione, de oblationibus, primitiis, & decimis.

1. Signatores (*a*) autem fuerunt, Nehemias, Athersata filius Hachelai, & Sedecias,
2. Sarajas, Azarias, Jeremias,
3. Pheshur, Amarias, Melchias,
4. Hattus, Sebenia, Melluch,
5. Harem, Merimuth, Obdias,
6. Daniel, Genthon, Baruch,
7. Mosollam, Abia, Miamin,
8. Maazia, Belgai, Semeja: hi Sacerdotes (*b*).
9. Porro Levitæ, Josue filius Azaniæ, Bennui de filiis Henadad, Cedmihel,
10. Et fratres eorum, Sebenia, Odaja, Celita, Phalaja, Hanan,
11. Micha, Rohob, Hasebia,
12. Zachur, Serebia, Sabania,
13. Odaja, Bani, Baninu,
14. Capita populi, Pharos, Phahathmoab, Aelam, Zethu, Bani,
15. Bonni, Azgad, Bebai,
16. Adonia, Begoai, Adin,
17. Ater, Hezecia, Azur,
18. Odaja, Hasum, Besai,
19. Hareph, Anathoth, Nebai,
20. Megphias, Mosollam, Hazir,
21. Mesizabel, Sadoc, Jeddua,
22. Pheltia, Hanan, Anaja,
23. Osee, Hanania, Hasub,
24. Alohes, Phalea, Sobec,
25. Rehum, Hasebna, Maasia,
26. Echaja, Hanan, Anan,
27. Melluch, Haran, Baana:

28. Et reliqui de populo, Sacerdotes, Levitæ, janitores, & cantores, Nathinæi, & omnes qui se separaverunt de populis terrarum ad legem Dei, uxores eorum, filii eorum, & filiæ eorum,

29. Omnes qui poterant sapere (*c*) spondentes pro fratribus suis, optimates eorum, & qui veniebant ad pollicendum, & jurandum ut ambularent in lege Dei, quam dederat in manu Moysi servi Dei, ut facerent & custodirent universa mandata Domini Dei nostri, & judicia ejus & cæremonias ejus,

30. Et ut non daremus filias nostras populo terræ, & filias eorum non acciperemus filiis nostris.

31. Populi quoque terræ, qui important venalia, & omnia ad usum, per diem sabbati, ut vendant, non accipiemus ab eis in sabbato & in die sanctificato. Et dimittemus (*d*) annum septimum, & exactionem universæ manus.

32. Et

29. (*f*) Aversum ab onere legis.
36. (*g*) In hac ipsa patria non est nobis libertas: nam facultas nostris utendi legibus ab imperio Persarum nos non eximit.
37. (*h*) In utilitatem Regum externorum cedunt fructus terræ nostræ.
38. (*i*) Propter hæc omnia ecce nos tibi novo obstringimus fœdere.

CAP. X. 1. (*a*) Qui signarunt fœdus initum, recensentur.
8. (*b*) Cum de rebus sacris ageretur, primi subscribunt Sacerdotes.

29. (*c*) Hebr. *Omnis intelligens*, qui ea ætate erant, ut essent sui compotes. *Optimates*. Hebr. *Optimates venientes erant*, venerunt: non omnis populus fœdus sancitum obsignare poterat; sed optimates, quique inter plebem magis sapiebant, pro fratribus suis subscripsere: principum erat præconsultum, cætera omnium. Grot.
31. (*d*) Transigetur annus septimus sine collectione fructuum. Nam qui sponte nascebantur, in commune colligi poterant ab iis qui indigebant: nec licebat eo anno debita exigere. Deuter. 15. Hebr. *Et onus omnis manus*. Debita quæ syngraphis constituuntur. Isa v. 48. vocat fasciculos deprimentes;

32. Et statuemus super nos præcepta, ut demus tertiam partem sicli per annum ad opus (e) domus Dei nostri,

33. Ad panes propositionis, & ad sacrificium sempiternum, & in holocaustum sempiternum in sabbatis, in calendis, in solemnitatibus, & in sanctificatis, & pro peccato: ut exoretur pro Israel, & in omnem usum domus Dei nostri.

34. Sortes (f) ergo misimus super oblationem lignorum inter Sacerdotes, & Levitas, & populum, ut inferrentur in domum Dei nostri per domos patrum nostrorum, per tempora, a temporibus anni usque ad annum: ut arderent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in lege Moysi:

35. Et ut afferremus primogenita terræ nostræ, & primitiva universi fructus omnis ligni, ab anno in annum, in domo Domini.

36. Et primitiva filiorum nostrorum, & pecorum nostrorum, sicut scriptum est in lege, & primitiva boum nostrorum, & ovium nostrarum, ut offerrentur in domo Dei nostri, Sacerdotibus qui ministrant in domo Dei nostri:

37. Et primitias ciborum (g) nostrorum, & libaminum nostrorum, & poma omnis ligni, vindemiæ quoque & olei afferemus Sacerdotibus ad gazophylacium Dei nostri, & decimam partem terræ nostræ Levitis. Ipsi Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum nostrorum.

38. Erit autem Sacerdos (h) filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum, & Levitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei nostri, ad gazophylacium in domum thesauri.

39. Ad gazophylacium enim deportabunt filii Israel, & filii Levi primitias frumenti, vini, & olei: & ibi erunt vasa sanctificata, & Sacerdotes, & cantores, & janitores, & ministri, & non dimittemus domum Dei nostri.

CAPUT XI.

Præcipitur ut nobiles Jerosolymam, & præterea pars populi decima incolant. Qui Jerosolymæ, quique in civitatibus Juda habitent, designantur.

1. HAbitaverunt autem principes populi in Jerusalem: reliqua vero plebs misit sortem ut tollerent unam partem de decem, qui habitaturi essent in Jerusalem civitate sancta, novem vero partes in civitatibus (a).

2. Benedixit autem populus omnibus viris qui se sponte obtulerant, ut habitarent in Jerusalem (b).

3. Hi sunt itaque principes (c) provinciæ qui habitaverunt in Jerusalem, & in civitatibus Juda. Habitavit autem unusquisque in possessione sua, in urbibus suis, Israel, Sacerdotes, Levitæ, Nathinæi, & filii servorum Salomonis.

4. Et in Jerusalem habitaverunt de filiis Juda, & de filiis Benjamin: de filiis Juda, Athajas filius Aziam, filii Zachariæ, filii Amariæ, filii Saphatiæ, filii Malaleel: de filiis Phares,

5. Maasia filius Baruch, filius Cholhoza (d) filius Hazia, filius Adaja, filius Joarib, filius Zachariæ, filius Silonitis:

6. Omnes hi filii Phares, qui habitaverunt in Jerusalem, quadringenti sexagintaocto viri fortes.

7. Hi sunt autem filii Benjamin: Sellum filius Mosollam, filius Joed, filius Phadaja, filius Colaja, filius Masia, filius Etheel, filius Isaia,

8. Et post eum Gebbai, Sellai, nongenti vigintiocto,

9. Et Joel filius Zechri præpositus eorum, & Juda filius Senua super civitatem secundus.

10. Et de Sacerdotibus, Idaja filius Joarib, Jachin,

11. Saraja filius Helciæ, filius Mosollam, filius Sadoch, filius Merajoth, filius Achitob, princeps (e) domus Dei,

12. Et fratres eorum facientes opera templi: octingenti vigintiduo. Et Adaja filius Jeroham, filius Phelelia, filius Amsi, filius Zachariæ, filius Pheshur, filius Melchiæ,

13. Et fratres ejus principes (f) patrum: ducenti quadragintaduo. Et Amassai filius Azreel, filius Ahazi, filius Mosollamoth, filius Emmer,

14. Et fratres eorum potentes nimis: centum vigintiocto, & præpositus eorum Zabdiel filius potentium.

15. Et de Levitis Semeja filius Hasub, filius Azaricam, filius Hasabia, filius Boni,

16. Et Sabathai & Jozabed super omnia opera, quæ erant forinsecus in domo Dei, a principibus Levitarum.

17. Et Mathania filius Micha, filius Zebedei, filius Asaph, princeps ad laudandum & ad confitendum in oratione, & Becbecia secundus de fratribus ejus, & Abda filius Samua, filius Galal, filius Idithum:

18. Omnes Levitæ in civitate sancta ducenti octogintaquatuor.

19. Et janitores, Accub, Telmon, & fratres eorum, qui custodiebant ostia: centum septuagintaduo.

20. Et reliqui ex Israel Sacerdotes & Levitæ in universis civitatibus Juda, unusquisque in possessione sua.

21. Et Nathinæi, qui habitabant in Ophel (g) & Siaha, & Gaspha de Nathinæis.

22. Et

32. & 33. (e) Hebr. *Ad cultum & ministerium*: LXX. *εἰς δουλείαν*, *In servitutem*. *Sanctificatis*, hostiis pacificis.

34. (f) Inter singulos sors mittebatur, ut suo quisque tempore ligna in altari holocaustorum suppeditaret, aut eorum pretium persolveret. *Per tempora, a temporibus anni*. Hebr. *Ad tempora constituta*.

37. (g) Alii vertunt massarum, seu farinæ subactæ.

38. (h) Sacerdotes filii Aaron, coram aderunt, cum Levitis solventur decimæ, ut decimam decimæ accipiant.

CAP. XI. 1. (a) Instaurata urbe statutum fuit, ut principes populi habitarent Jerusalem: plebs vero reliqua misit sortem, ut pars decima ibi habitaret, præter urbanas veteres familias, quæ in urbem sunt revocatæ.

2. (b) Ubi domus non erant instauratæ: nec agrorum proventus, ut in agris, homines alliciebat.

3. (c) Qui e Chaldæa venerant.

5. & 7. (d) Hebr. *Filius filius Silonitis*, quod esset e Silo. *Filius Joed*, Hebr. *Filii*: itaque filius pro filii.

11. (e) Procurator: nam Pontifex erat Eliasib, vel præfor erat templi.

13. 16. (f) Præcipui inter patres. *Principibus*, qui ad principes Levitarum spectabant.

21. (g) Vicus erat in Jerusalem, ubi habitabant Nathinæi.

22. Et Episcopus (*h*) Levitarum in Jerusalem, Azzi filius Bani, filius Hasabiæ, filius Mathaniæ, filius Michæ. De filiis Asaph, cantores in ministerio domus Dei.

23. Præceptum (*i*) quippe regis super eos erat, & ordo in cantoribus per dies singulos,

24. Et Phathahia filius Mesezebel, de filiis Zara filii Juda in manu (*k*) regis, juxta omne verbum populi,

25. Et in domibus (*l*) per omnes regiones eorum. De filiis Juda habitaverunt in Carjatharbe, & in filiabus ejus: & in Dibon, & in filiabus ejus: & in Cabseel, & in viculis ejus,

26. Et in Jesue, & in Molada, & in Bethphaleth,

27. Et in Hasersual, & in Bersabee, & in filiabus ejus,

28. Et in Siceleg, & in Mochona, & in filiabus ejus,

29. Et in Remmon, & in Saraa, & in Jerimuth,

30. Zanoa, Odollam, & in villis earum, Lachis & regionibus ejus, & Azeca, & filiabus ejus. Et manserunt in Bersabee usque ad vallem Ennom.

31. Filii autem Benjamin, a Geba, Mechmas, & Hai, & Bethel (*m*), & filiabus ejus:

32. Anathoth, Nob, Anania,

33. Asor, Rama, Gethaim,

34. Hadid, Seboim, & Neballat, Lod

35. Et Ono valle artificum.

36. Et de Levitis portiones (*n*) Judæ & Benjamin.

CAPUT XII.

Sacerdotes & Levitæ qui venerant cum Zorobabel recensentur. Murus civitatis dedicatur; custodes thesaurorum assignantur.

1. HI sunt autem Sacerdotes & Levitæ, qui ascenderunt cum Zorobabel filio Salathiel, & Josue: Saraja, Jeremias, Esdras,

2. Amaria, Melluch, Hattus,

3. Sebenias, Rheum, Merimuth,

4. Addo, Genthon, Abia,

5. Miamin, Madia, Belga,

6. Semeja, & Jojarib, Idaja, Sellum, Amoc, Helcias,

7. Idaja. Isti principes Sacerdotum, & fratres eorum, in diebus Josue.

8. Porro Levitæ, Jesua, Bennui, Cedmihel, Sarebia, Juda, Mathanias, super hymnos ipsi & fratres eorum:

9. Et Becbecia atque Hanni, & fratres eorum, unusquisque in officio (*a*) suo.

10. Josue autem genuit Joacim, & Joacim genuit Eliasib, & Eliasib genuit Jojada,

11. Et Jojada genuit Jonathan, & Jonathan genuit Jeddoa.

12. In diebus autem Joacim erant Sacerdotes & principes familiarum: Sarajæ (*b*), Marajа: Jeremiæ, Zanania:

13. Esdræ, Mosollam, Amariæ, Johanan:

14. Milicho, Jonathan, Sebeniæ, Joseph:

15. Haram, Edna: Marajoth, Helci:

16. Adajæ, Zacharia: Genthon, Mosollam:

17. Abiæ, Zechri: Miamin & Moadiæ, Phelti:

18. Belgæ, Sammua: Semajæ: Jonathan:

19. Jojarib, Mathanai: Jodajæ, Azzi:

20. Sellai, Celai: Amoc, Heber:

21. Helciæ, Hasebia: Idajæ, Nathanael.

22. Levitæ in diebus Eliasib, & Jojada, & Johanan, & Jeddoa, scripti (*c*) principes familiarum, & Sacerdotes in regno Darii Persæ.

23. Filii Levi principes familiarum, scripti in Libro verborum dierum, & usque ad dies Jonathan, filii Eliasib.

24. Et principes Levitarum, Hasebia, Serebia, & Josue filius Cedmihel: & fratres eorum per vices suas, ut laudarent & confiterentur juxta præceptum David viri Dei, & observarent æque per ordinem.

25. Mathania, & Becbecia, Obedia, Mosollam, Telmon, Accub, custodes portarum & vestibulorum ante portas.

26. Hi in diebus Joacim filii Josue, filii Josedec, & in diebus Nehemiæ ducis, & Esdræ sacerdotis scribæque.

27. In dedicatione autem muri Jerusalem requisierunt Levitas de omnibus locis suis, ut adducerent eos in Jerusalem, & facerent dedicationem & lætitiam in actione gratiarum, & cantico, & in cymbalis, psalteriis, & citharis.

28. Congregati sunt autem filii cantorum de campestribus circa Jerusalem, & de villis Netuphati,

29. Et de domo Galgal, & de regionibus Geba & Azmaveth: quoniam villas ædificaverunt sibi cantores in circuitu Jerusalem.

30. Et mundati sunt Sacerdotes & Levitæ, & mundaverunt populum, & portas, & murum.

31. Ascen-

22. (*h*) Præfectus: LXX. verterunt ἐπίσκοπος, id est, *Inspector*, seu *Episcopus*, quam vocem retinuit Interpres. Digestis Titul. de muneribus: *Episcopi*, sic vocantur, qui præsunt pani & venalibus rebus: est nomen curæ magis quam dignitatis. Cicero ad Atticum, *A populo*, ait, *se constituunt Episcopum oræ maritimæ*, id est, *inspectorem*.

23. (*i*) Rationem affert cur in eadem habitarent domo: quod Rex illis annonam per singulos dies stabili decreto constituisset: vel ut præsto essent ad ministrandum; ac potius Rex ille est David, qui ordinem illum constituerat.

24. (*k*) Hebr. *Ad manum Regis*, erat velut Internuncius, & quasi libellorum magister; preces populi ad Regem deferebat, sed post Nehemiam.

25. (*l*) Hebr. *Et in villis*; adeo ut hoc sit initium sequentis versus: *Et in filiabus ejus*. In vicis

31. (*m*) Sunt in tribu Ephraim, adeo ut hæ tribus non fuerint antiquis finibus arctatæ.

36. (*n*) Non universa opp. in quæ sunt nominata, possidebant Juda & Benjamin: sed in iis Levitæ suas habebant portiones.

CAP. XII.

9 & 10. (*a*) Suis vicibus. *Josue*; sex numerat Pontifices, quorum primus fuit *Josue*, Cyri temporibus, ultimus *Jeddoa*, vel forte *Jaddus* tempore Darii Codomani ultimi Persarum Regis, post centum fere annos ab Artaxerxe. Ex quo nonnulli colligunt hunc librum non compositum fuisse a Nehemia, vel hunc versiculum, uti & 22. a aliquo auctore hagiographo insertum fuisse, ut supra monuimus, vel *Jeddoa* alium esse a *Jaddo*.

12 (*b*) In vice Sacerdotum, quæ a Saraja olim capite familiæ nomen habuit. Quod intelligi debet in aliis quæ sequuntur familiis.

22 & 23. (*c*) In libris genealogiarum suarum. *In regno*. Hebr. *In regnum*, usque ad regnum Darii Nothi filii Artaxerxis Longimani. Id nonnullis videtur probabile; quæ dicuntur ab initio hujus capitis ad versum usque 27. adjecta fuisse, aut transposita. Non enim ea sunt connexa cum iis quæ antecedunt, & sequuntur; immo & seriem historiæ videntur interrumpere. Murorum dedicatio vers. 27. relata, cum censu familiarum erat per se connexa.

31. Ascendere autem feci principes Juda super murum, & statui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dexteram super (*d*) murum ad portam sterquilinii.

32. Et ivit post eos Osajas, & media pars principum Juda,

33. Et Azarias, Esdras, & Mosollam, Judas, & Benjamin, & Semeja, & Jeremias.

34. Et de filiis sacerdotum in tubis, Zacharias filius Jonathan, filius Semejæ, filius Mathaniæ, filius Michajæ, filius Zechur, filius Asaph,

35. Et fratres ejus Semeja, & Azareel, Malalai, Galalai, Maai, Nathanael, & Judas, & Hanani, in vasis cantici David viri Dei: & Esdras scriba ante eos in porta Fontis.

36. Et contra eos ascenderunt in gradibus civitatis David in ascensu muri super domum David, & usque ad portam aquarum ad Orientem.

37. Et chorus secundus gratias referentium ibat ex adverso, & ego post eum, & media pars populi super murum & super turrim furnorum, & usque ad murum latissimum,

38. Et super portam Ephraim, & super portam antiquam, & super portam piscium & turrim Hananeel, & turrim Emath, & usque ad portam gregis: & steterunt in porta custodiæ,

39. Steteruntque duo chori laudantium in domo Dei, & ego, & dimidia pars magistratuum mecum.

40. Et Sacerdotes, Eliachim, Maasia, Miamin, Michea, Elioenai, Zacharia, Hanania in tubis,

41. Et Maasia, & Semeja, & Eleazar, & Azzi, & Johanan, & Melchia, & Ælam, & Ezer. Et clare cecinerunt cantores, & Jezraja præpositus:

42. Et immolaverunt in die illa victimas magnas, & lætati sunt: Deus enim lætificaverat eos lætitia magna: sed & uxores eorum & liberi gavisi sunt, & audita est lætitia in Jerusalem procul.

43. Recensuerunt quoque in die illa viros super gazophylacia thesauri ad libamina, & ad primitias, & ad decimas, ut introferrent per eos principes civitatis in decore gratiarum actionis, Sacerdotes & Levitas: quia lætificatus est Juda in Sacerdotibus & Levitis astantibus.

44. Et custodierunt observationem Dei sui, & observationem expiationis, & cantores & janitores juxta præceptum David, & Salomonis filii ejus,

45. Quia in diebus David & Asaph ab exordio erant principes constituti cantorum in carmine laudantium, & confitentium Deo.

46. Et omnis Israel, in diebus Zorobabel, & in diebus Nehemiæ dabant partes cantoribus & janitoribus per dies singulos, & sanctificabant (*e*) Levitas, & Levitæ sanctificabant filios Aaron.

CAPUT XIII.

Nehemias ad Regem revertitur, exactis 12. annis in patria sua; cum facultatem eundi Jerusalem a rege impetrat, ubi multa quæ corrigenda erant, corrigit: gazophylacia in primis pristino & legitimo usui restituit.

1. IN die (*a*) autem illo lectum est in volumine Moysi audiente populo: & inventum est scriptum in eo, quod non debeant introire Ammonites & Moabites in ecclesiam Dei usque in æternum: Deut.23.3.

2. Eo quod non occurrerint filiis Israel cum pane & aqua: & conduxerint adversum eos Balaam, ad maledicendum eis: & convertit Deus noster maledictionem in benedictionem.

3. Factum est autem, cum audissent legem, separaverunt omnem alienigenam ab Israel.

4. Et super hoc erat Eliasib sacerdos, qui fuerat præpositus in gazophylacio domus Dei nostri, & proximus Tobiæ (*b*).

5. Fecit ergo sibi gazophylacium (*c*) grande, & ibi erant ante eum reponentes munera, & thus, & vasa, & decimam frumenti, vini, & olei, partes Levitarum, & cantorum, & janitorum, & primitias sacerdotales.

6. In omnibus autem his non fui in Jerusalem, quia anno trigesimo secundo Artaxerxis regis Babylonis veni ad regem, & in fine (*d*) dierum rogavi regem.

7. Et veni in Jerusalem, & intellexi malum, quod fecerat Eliasib Tobiæ, ut faceret ei thesaurum in vestibulis domus Dei.

8. Et malum mihi visum est valde. Et projeci vasa domus Tobiæ foras de gazophylacio:

9. Præcepique, & emundaverunt gazophylacia: & retuli ibi vasa domus Dei, sacrificium, & thus.

10. Et cognovi quod partes Levitarum non fuissent datæ: & fugisset unusquisque in regionem suam de Levitis, & cantoribus, & de his, qui ministrabant:

11. Et egi causam (*e*) adversus magistratus, & dixi: Quare dereliquimus domum Dei? Et congregavi eos, & feci stare in stationibus suis.

12. Et omnis Juda apportabat decimam frumenti, vini, & olei in horrea.

13. Et constituimus super horrea Selemiam sacerdotem, & Sadoc scribam, & Phadajam de Levitis, & juxta eos Hanan filium Zachur, filium Mathaniæ: quoniam fideles comprobati sunt, & ipsis creditæ sunt partes fratrum suorum.

14. Memento mei Deus meus pro hoc, & ne deleas miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, & in cæremoniis ejus.

15. In

31. (*d*) Juxta murum.
46. (*e*) Sanctificare hoc loco non aliud quiddam est, quam subsidia propter sacrum ministerium suppeditare.

CAP.XIII. 1. (*a*) Sub id tempus: postquam Nehemias profectus fuerat ad Regem. *Quod non debeant intrare Ammonites*: ad connubia & honores admitti non debeant, sed ad fidem converti poterant.
4. (*b*) Qui erat princeps aut præfectus Ammonitarum, ex cap. 2. vers. 10.
5. (*c*) Tobiæ qui hostis erat populi Dei: Græc. in quibusdam MSS. exemplaribus legitur αὐτῷ, ipsi, non ἑαυτῷ, sibi: id est, fecit sedem illi, nempe Tobiæ: id factum fuit absente Nehemia.
6. (*d*) Post aliquot dies, vel circa finem vitæ meæ, id est, *Eliasib Tobiæ*, in gratiam Tobiæ: *Ut faceret ei thesaurum*. Hebr. *Cubiculum*, in usum Tobiæ fecit Eliasib.
11. (*e*) Acriter eos objurgavi: *Et feci stare in stationibus suis*: Levitas in sui ministerii functionibus consistere.

15. In diebus illis vidi in Juda calcantes torcularia in sabbato, portantes acervos, & onerantes super asinos vinum, & uvas, & ficus, & omne onus, & inferentes in Jerusalem die sabbati. Et contestatus sum, ut in die qua vendere liceret, venderent.

16. Et Tyrii habitaverunt in ea inferentes pisces, & omnia venalia: & vendebant in sabbatis filiis Juda in Jerusalem:

17. Et objurgavi optimates Juda, & dixi eis: Quæ est hæc res mala, quam vos facitis, & profanatis diem sabbati?

18. Numquid non hæc fecerunt patres nostri, & adduxit Deus noster super nos omne malum hoc, & super civitatem hanc? Et vos additis iracundiam super Israel violando sabbatum.

19. Factum est autem, cum quievissent portæ (f) Jerusalem in die sabbati, dixi: & clauserunt januas, & præcepi ut non aperirent eas usque post sabbatum: & de pueris meis constitui super portas, ut nullus inferret onus in die sabbati.

20. Et manserunt negotiatores, & vendentes universa venalia, foris Jerusalem semel & bis.

21. Et contestatus sum eos, & dixi eis: Quare manetis ex adverso muri? si secundo hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaque ex tempore illo non venerunt in sabbato.

22. Dixi quoque Levitis ut mundarentur, & venirent ad custodiendas portas, & sanctificandam diem sabbati: & pro hoc ergo memento mei Deus meus, & parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum.

23. Sed & in diebus illis vidi Judæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas.

24. Et filii eorum ex media parte loquebantur Azotice, & nesciebant loqui Judaice, & loquebantur juxta linguam populi & populi.

25. Et objurgavi eos, & maledixi. Et cecidi ex eis viros, & decalvavi eos, & adjuravi in Deo, ut non darent filias suas filiis eorum, & non acciperent de filiabus eorum filiis suis, & sibimetipsis, dicens:

26. * Numquid non in hujuscemodi re peccavit Salomon rex Israel? & certe in gentibus * 3 Reg. 3. 1. & 11. 1.
multis non erat rex similis ei, & dilectus Deo suo erat, & posuit eum Deus regem super omnem Israel: * & ipsum ergo duxerunt ad peccatum mulieres alienigenæ. * 3. Reg. 11. 4.

27. Numquid & nos inobedientes faciemus omne malum grande hoc, ut prævaricemur in Deo nostro, & ducamus uxores peregrinas?


28. De filiis autem Jojada filii Eliasib Sacerdotis magni, gener erat Sanaballat Horonites, quem fugavi a me.

29. Recordare Domine Deus meus, adversum eos qui polluunt sacerdotium, jusque sacerdotale & Leviticum.

30. Igitur mundavi eos ab omnibus alienigenis, & constitui ordines Sacerdotum & Levitarum, unumquemque in ministerio suo:

31. Et in oblatione lignorum in temporibus constitutis, & in primitivis: memento mei Deus meus in bonum. Amen.

19. 20. & 21. (f) Pridie sabbati sub vesperam. *Manetis:* ut emendi desiderium excitarent Judæis, cum expositas merces viderent.



LIBER TOBIÆ.

LIBER Tobiæ non est quidem in Canone Hebræorum, sed est in Ecclesiæ Canone, cujus non minor est auctoritas, quam Synagogæ magnæ, qua post captivitatem Babylonicam libros sacros in ordinem digessit, atque, ut verissimillimum est, Esdræ usa est opera, qui priscos Hebraicæ linguæ characteres Chaldæis mutavit, quod iis Judæi insuevissent. Id vero factum non fuit sine auctoritate Synagogæ magnæ, quæ recognitum & expensum opus comprobavit. Unde Josephus lib. 1. *contra Appionem testatur duo & viginti volumina veterem omnem anteacti temporis memoriam complexa, a Mosis usque temporibus ad Artaxerxis tempora scripta, ut sacra a Judæis haberi; ab hac vero ætate, cetera fuisse litteris mandata, sed eamdem, quam superiora, fidem non esse consecuta.*

Nec mirum si liber Tobiæ ante hac tempora Chaldaice conscriptus in manus Esdræ non venerit: vix enim fieri potuit, ut Esdras difficillimis temporibus, quantumvis diligens & doctus, omnes gentis suæ historias, & veteris memoriæ monumenta a popularibus scripta colligeret, quæ postmodum ab aliis in Canone clauso & obsignato locum non habuerunt, ut illustriss. Huetius in Demonstratione Evangelica fusius prosequitur. Et tamen hunc Librum inter hagiographos *Judæi referunt, teste Hieronymo, qui illum e Chaldaica in Latinam linguam vertit, usus opera Judæi utriusque linguæ peritissimi. Ac SS. Patrum pars major hunc Librum inter canonicos recenset, ut Irenæus l.* 1. *cap.* 34. *Innocentius I. in Epistola ad Exuperium; Ambrosius in libro quem de Tobia inscripsit, ubi Tobiam Prophetæ nomine insignit; Augustinus lib.* 1. *de Doctr. Christ. cap.* 8. *Gelasius in Decreto de libris Canonicis; Concilium Carthag. III. Hilarius, Chrysostomus, quos citat Serrarius in præloquio. Illud verisimillimum est priora capita duodecim ab utroque Tobia fuisse conscripta, cum is esset Hebræorum mos, ut res suas in commentarios referrent. Deinde dubitari non potest, quin uterque Angeli mandato paruerit cap.* 12. *v.* 21. *ubi vulgata versio sic habet:* Narrate omnia mirabilia ejus: *Græcus Interpres qui vetustissimus est, ita vertit,* Scribite in libro quæ evenerunt. *Atque ea interpretatione usi sunt SS. Patres Hieronymo antiquiores, ut S. Polycarpus in Epist. ad Philip. Clemens Alex. l.* 1. *Stromatum. Chaldaica libri oratio persuadet in iis regionibus librum scriptum fuisse. Tobias loquitur in propria persona juxta Græcam interpretationem, ad quam Syriaca & Hebraica sunt expressæ. Sic Nehemias cap.* 1. *de seipso loquitur in prima persona:* Ego eram in Susis: *sic Prophetæ persæpe. Quamobrem id ipsum historiæ nihil obest.*

CAPUT PRIMUM.

Tobiæ ortus, patria, acta in prima ætate ante captivitatem, in juvenili ætate post captivitatem.

1. TOBIAS ex tribu & civitate Nephthali (a) (quæ est in superioribus Galilææ supra Naasson, post viam, quæ ducit ad Occidentem, in sinistro habens civitatem Sephet)
* 4. Reg. 17. 3. & 18. 9. 2. * Cum captus esset in diebus Salmanasar
regis Assyriorum, in captivitate tamen positus,
viam veritatis non deseruit,
3. Ita ut omnia, quæ habere poterat, quotidie concaptivis fratribus, qui erant ex ejus genere, impertiret.
4. Cumque esset junior (b) omnibus in tribu Nephthali, nihil tamen puerile gessit in opere.
5. Denique cum irent (c) omnes ad vitulos
aureos, * quos Jeroboam fecerat rex Israel, * 3. Reg. 12. 28.
hic solus fugiebat consortia omnium,

6. Sed

CAPUT I. 1. (a) Ejusdem nominis cum tribu: *Supra Naasson*: Gr. *Aser*; urbs est in tribu Aser.

4. (b) Hebr. & Gr. *Cum esset juvenis*, prudentiam cum simplicitate, senectutis & adolescentiæ dotes, sapientiam & humilitatem conjunxit. Augustin. in Psalm. 112. *Sit senectus vestra puerilis, & pueritia senilis: ut nec sapientia vestra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia.*

5. (c) Ante captivitatem: cum omnes ederent ex cibis gentilium aut lege vetitis, aut idolis immolatis.

6. Sed pergebat in Jerusalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiva sua, & decimas suas fideliter offerens,

7. Ita ut in tertio anno proselytis & advenis ministraret omnem decimationem.

8. Hæc & his similia secundum legem Dei puerulus observabat.

9. Cum vero factus esset vir, accepit uxorem Annam de tribu sua, genuitque ex ea filium, nomen suum imponens ei,

10. Quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.

11. Igitur cum per captivitatem devenisset cum uxore sua, & filio in civitatem Niniven cum omni tribu sua,

12. (Cum omnes ederent ex cibis Gentilium) iste custodivit animam suam, & numquam contaminatus est in escis eorum.

13. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit (*d*) illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar regis,

14. Et dedit illi potestatem quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset.

15. Pergebat ergo ad omnes, qui erant in captivitate, & monita salutis dabat eis.

16. Cum autem venisset in Rages civitatem Medorum, & ex his, quibus honoratus fuerat a rege, habuisset decem talenta argenti:

17. Et cum in multa turba generis sui Gabelum egentem videret, qui erat ex tribu ejus, sub chirographo dedit illi memoratum pondus argenti.

18. Post multum vero temporis, mortuo Salmanasar rege, cum regnaret Sennacherib filius ejus pro eo, & filios Israel exosos haberet in conspectu suo:

19. Tobias quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, dividebatque unicuique, prout poterat, de facultatibus suis:

20. Esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat.

* 4. Reg. 19. 35. 21. * Denique cum reversus esset rex Sennacherib, fugiens a Judæa plagam, quam circa
Eccli. 48. 24. eum fecerat Deus propter blasphemiam suam,
2 Mac. 8. 19. & iratus multos occideret ex filiis Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum.

22. At ubi nuntiatum est regi, jussit eum occidi, & tulit omnem substantiam ejus.

23. Tobias vero cum filio suo, & cum uxore fugiens, nudus latuit, quia multi diligebant eum.

* 4 Reg. 19. 37. 24. * Post dies vero quadragintaquinque occiderunt regem filii ipsius,
2 Par. 32. 21. 25. Et reversus est Tobias in domum suam,
Isai 37. 38. omnisque facultas ejus restituta est ei.

CAPUT II.

Tobias sepelit mortuos, oculis multatur, & gratias Deo agit: uxor illi molesta ut Job.

1. POst hæc vero, cum esset dies festus Domini, & factum esset prandium bonum in domo Tobiæ,

2. Dixit filio suo: Vade, & adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, ut epulentur nobiscum.

3. Cumque abiisset, reversus nuntiavit ei, unum ex filiis Israel jugulatum jacere in platea. Statimque exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus:

4. Tollensque illud portavit ad domum suam occulte, ut dum sol occubuisset, caute sepeliret eum.

5. Cumque occultasset corpus, manducavit panem cum luctu & tremore,

6. Memorans illum sermonem, quem dixit
Dominus * per Amos Prophetam: Dies festi * Amos 8. 10
vestri convertentur in lamentationem & luctum. 1. Mach. 1. 41.

7. Cum vero sol occubuisset, abiit, & sepelivit eum.

8. Arguebant autem eum omnes proximi ejus, dicentes: Jam hujus rei causa interfici jussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterum sepelis mortuos?

9. * Sed Tobias plus timens Deum, quam * Sap. 1. 21.
regem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & mediis noctibus sepeliebat ea.

10. Contigit autem ut quadam die fatigatus a sepultura, veniens in domum suam, jactasset se juxta parietem, & obdormisset,

11. Et ex nido hirundinum (*a*) dormienti illi calida stercora inciderent super oculos ejus, fieretque cæcus.

12. Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut & sancti Job.

13. Nam cum ab infantia sua semper Deum timuerit, & mandata ejus custodierit, non est contristatus contra Deum, quod plaga cæcitatis evenerit ei,

14. Sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.

15. Nam sicut beato Job insultabant reges, ita isti parentes & cognati ejus irridebant vitam ejus, dicentes:

16. Ubi est spes tua, pro qua eleemosynas & sepulturas faciebas?

17. Tobias vero increpabat eos, dicens: Nolite ita loqui:

18. Quoniam filii sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est his, qui fidem suam numquam mutant ab eo.

19. An-

13. (*d*) Græce hæc referuntur in prima persona: quin & illud additur, eum fuisse regis dispensatorem: unde potuit facile decem talenta Gabelo mutuo dare, vel depositi nomine, sic tamen ut ea pecunia uteretur, donec Tobias eam repeteret.

CAP. II. 11. (*a*) Vox Græca στρουθία, omne genus avicularum significat, nec textus Græcus memorat Tobiam dormisse: calida stercora, Deo ita sinente, ut patientia Tobiæ exerceretur, membrana oculos obduxerunt. Cæcitas illa ut multis videtur, incidit in annum Tobiæ 56. nec textus Græcus habet id contigisse eadem nocte, qua sepelivit mortuum. Ambros. lib. 2. de Tobia cap. 2. *Fraudari magis se dolebat obsequiorum quam oculorum munere, nec cæcitatem putans, sed impedimentum putabat.*

19. Anna vero uxor ejus ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat.

20. Unde factum est, ut hædum caprarum accipiens detulisset domi:

21. Cujus cum vocem balantis vir ejus audisset, dixit: Videte, ne forte furtivus sit, reddite eum dominis suis, quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.

* Job 2. 9. 22. * Ad hæc uxor ejus irata respondit: Manifeste vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modo apparuerunt.

23. Atque his & aliis hujuscemodi verbis exprobrabat ei.

CAPUT III.

Tobias in magna tribulatione positus Deum deprecatur.

1. TUnc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis,

2. Dicens: Justus es Domine, & omnia judicia tua justa sunt, & omnes viæ tuæ, misericordia, & veritas, & judicium.

3. Et nunc Domine memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum.

* Deut. 28. 25. 4. * Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, & captivitatem, & mortem, & in fabulam, & in improperium omnibus nationibus, in quibus dispersisti nos.

5. Et nunc Domine magna judicia tua, quia non egimus secundum præcepta tua, & non ambulavimus sinceriter coram te.

6. Et nunc Domine secundum voluntatem tuam fac mecum, & præcipe (*a*) in pace recipi spiritum meum: expedit enim mihi mori magis quam vivere.

7. Eadem itaque die contigit ut Sara filia Raguelis in Rages (*b*) civitate Medorum, & ipsa audiret improperium ab una ex ancillis patris sui,

8. Quoniam tradita fuerat septem viris, & dæmonium nomine Asmodæus (*c*) occiderat eos, mox ut ingressi fuissent ad eam.

9. Ergo cum pro culpa sua increparet puellam, respondit ei, dicens: Amplius ex te non videamus filium, aut filiam super terram, interfectrix virorum tuorum.

10. Numquid & occidere me vis, sicut jam occidisti septem viros? Ad hanc vocem perrexit in superius cubiculum domus suæ: & tribus diebus, & tribus noctibus non manducavit, neque bibit:

11. Sed in oratione persistens, cum lacrymis deprecabatur Deum, ut ab isto improperio liberaret eam.

12. Factum est autem die tertia, dum compleret orationem, benedicens Dominum,

13. Dixit: Benedictum est nomen tuum Deus patrum nostrorum: qui cum iratus fueris, misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.

14. Ad te Domine faciem meam converto, ad te oculos meos dirigo.

15. Peto Domine ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certe desuper terram eripias me.

16. Tu scis Domine, quia numquam concupivi virum, & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia.

17. Numquam cum ludentibus miscui me: neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui.

18. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere.

19. Et, aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni: quia forsitan viro alii conservasti me.

20. Non est enim in hominis potestate consilium tuum.

21. Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit.

22. Non enim delectaris in perditionibus nostris: quia post tempestatem, tranquillum facis: & post lacrymationem & fletum, exultationem infundis.

23. Sit nomen tuum Deus Israel benedictum in sæcula.

24. In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei:

25. Et missus est Angelus Domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.

CAPUT IV.

Tobias qui moriturum se putabat, præclaris præceptis filium instituit, circa Dei religionem, justitiam, misericordiam.

1. IGitur cum Tobias putaret orationem suam exaudiri ut mori potuisset, vocavit ad se Tobiam filium suum,

2. Dixitque ei: Audi fili mi verba oris mei, & ea in corde tuo, quasi fundamentum construe.

3. Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli: * & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus: * Exod. 20. 12. Eccl. 7. 19.

4. Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo.

5. Cum autem & ipsa compleverit tempus vitæ suæ, sepelias eam circa me.

6. Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri.

7. * Ex

CAP. III. 6. (*a*) Et tamen adhuc vixit 42. annos.

7. (*b*) Gr. *In Ecbatanis*. Hic juxta Latinam versionem oritur difficultas: nam cap. 2. dicitur Gabelus habitasse eodem in loco; & tamen cap. 9. Angelus proficiscitur ad Gabelum, qui habitabat in urbe Rages procul dissita, nempe itinere duorum dierum, ab habitatione Saræ. Sed responsio est facilis ex texta Græco, qui habet Saram habitasse Ecbatanis: aut forte duæ erant urbes in eadem Provincia ejusdem nominis, ut duæ Antiochiæ, duæ Cesareæ &c. ac demum, quod sæpe accidit, urbs primaria eodem vocabulo cum Provincia ipsa designari solebat.

8. (*c*) *Asmodæus* Rex dæmonum, Medorum videlicet, vocatur in textu Hebraico, isque ad libidinem incitare perhibetur.

* Prov. 3. 9. Eccli. 4. 1. & 14. 13. 7. * Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini.

* Luc. 14. 13. 8. * Quomodo potueris, ita eſto miſericors.

* Eccli. 35. 12. 9. * Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.

10. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis (*a*).

* Eccli. 29. 15. 11. * Quoniam eleemoſyna ab omni peccato & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras (*b*).

12. Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam.

* 1. Theſſ. 4. 3. 13. * Attende tibi fili mi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam numquam patiaris crimen ſcire.

14. Superbiam numquam in tuo ſenſu, aut
* Gen. 3. 5. in tuo verbo dominari permittas: * in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.

* Lev. 19. 13. Deut. 24. 14. 15. * Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat.

* Matth. 7. 12. Luc. 6. 31. 16. * Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.

* Luc. 14. 13. 17. * Panem tuum cum eſurientibus & egenis comede, & de veſtimentis tuis nudos tege.

18. Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue (*c*), & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.

19. Conſilium ſemper a ſapiente perquire.

20. Omni tempore benedic Deum: & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant.

21. Indico etiam tibi, fili mi, dediſſe me decem talenta argenti, dum adhuc infantulus eſſes, Gabelo, in Rages civitate Medorum, & chirographum ejus apud me habeo:

22. Et ideo perquire quo modo ad eum pervenias, & recipias ab eo ſupra memoratum pondus argenti, & reſtituas ei chirographum ſuum.

* Rom. 8. 17. 23. Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, ſed * multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene.

CAPUT V.

Mittitur Tobias junior cum ſyngrapha ut pecuniam a Gabelo reciperet; colloquium ejus cum Angelo.

1. TUnc reſpondit Tobias patri ſuo, & dixit: Omnia quæcumque præcepiſti mihi faciam pater.

2. Quo modo autem pecuniam hanc requiram, ignoro: ille me neſcit, & ego eum ignoro: quod ſignum dabo ei? ſed neque viam, per quam pergatur illuc, aliquando cognovi.

3. Tunc pater ſuus reſpondit illi, & dixit: Chirographum quidem illius penes me habeo: quod dum illi oſtenderis, ſtatim reſtituet.

4. Sed perge nunc, & inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum ſalva mercede ſua: ut, dum adhuc vivo, recipias eam.

5. Tunc egreſſus Tobias, invenit juvenem ſplendidum, ſtantem præcinctum, & quaſi paratum ad ambulandum.

6. Et ignorans quod Angelus Dei eſſet, ſalutavit eum, & dixit: Unde te habemus bone juvenis?

7. At ille reſpondit: Ex filiis Iſrael. Et Tobias dixit ei: Noſti viam, quæ ducit in regionem Medorum?

8. Cui reſpondit: Novi, & omnia itinera ejus frequenter ambulavi (*a*), & manſi apud Gabelum fratrem noſtrum, qui moratur in Rages civitate Medorum, quæ poſita eſt in monte Ecbatanis.

9. Cui Tobias ait: Suſtine me obſecro, donec hæc ipſa nunciem patri meo.

10. Tunc ingreſſus Tobias, indicavit univerſa hæc patri ſuo. Super quæ admiratus pater, rogavit ut introiret ad eum.

11. Ingreſſus itaque ſalutavit eum, & dixit: Gaudium tibi ſit ſemper.

12. Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?

13. Cui ait juvenis: Forti animo eſto, in proximo eſt ut a Deo cureris.

14. Dixit itaque illi Tobias: Numquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages civitate Medorum? & cum redieris, reſtituam tibi mercedem tuam.

15. Et dixit ei Angelus: Ego ducam, & reducam eum ad te.

16. Cui Tobias reſpondit: Rogo te, indica mihi, de qua domo, aut de qua tribu es tu?

17. Cui Raphael Angelus dixit: Genus (*b*) quæris mercenarii, an ipſum mercenarium, qui cum filio tuo eat?

18. Sed ne forte ſollicitum te reddam, ego ſum Azarias (*c*) Ananiæ magni filius.

19. Et Tobias reſpondit: Ex magno genere es tu. Sed peto ne iraſcaris quod voluerim cognoſcere genus tuum.

20. Dixit autem illi Angelus: Ego ſanum ducam, & ſanum tibi reducam filium tuum.

21. Reſpondens autem Tobias, ait: Bene ambuletis, & ſit Deus in itinere veſtro, & Angelus ejus comitetur vobiſcum.

22. Tunc

CAP. IV. 10. (*a*) Mortis quam ſubire neceſſe eſt: cum moriens divina miſericordia maxime indigebis.

11. (*b*) Ergo animæ juſtorum veteris teſtamenti poſt mortem verſabantur in luce. Hinc Auguſt. in Pſalm. 95. *Hoc loquebatur ille qui in tenebris erat; & quare hoc dicebat, niſi quia aliam lucem videbat? Eleemoſyna ab omni peccato liberat;* quod gratiam iis conferat Deus, qui cum pietate eleemoſynam largiuntur.

18. (*c*) Præbe eleemoſynam pauperibus, ut orent pro mortuis; pauperes invitari ſolebant ad pia convivia in ſepulturis, idque in primis Eccleſiæ ſæculis fuit uſitatum. Paulinus Epiſtola 33. *Lacrymas corporis fundens, eleemoſynam animæ infundens, patronos animarum noſtrarum pauperes in aulam Apoſtoli congregaſti.* Itaque has eleemoſynas utiles eſſe juſtorum animabus perſuaſum erat fidelibus.

CAP. V. 8. (*a*) More humano loquitur. *Et manſi apud Gabelum fratrem noſtrum;* miſſus a Deo ut Gabelum in captivitate adjuvaret. fratrem appellat, quod ſub Iſraelitæ ſpecie appareret, & Angeli ſe ut fratres horum, & conſervos conſiderent.

17. (*b*) Cur de genere meo ſolliciti eſtis? nonne vobis ſatis eſt, quod ducem itineris inveneritis?

18. (*c*) Nec propterea mentitus eſt Angelus, cum ait ſe *Iſraelitem eſſe*, & *Raphaelis* nomen in *Azariam* vertit, quæ nominum explicatio evolvit: erat enim videns Deum, & Iſraelitis charitate conjunctus; *Azarias* vero *auxilium Dei* ſignificat. Deinde formam & perſonam Azariæ induit. ſic Angelus Geneſ. 31. vere dixit, *Ego ſum Deus.*

22. Tunc paratis omnibus, quæ erant in via portanda, fecit Tobias vale patri suo & matri suæ, & ambulaverunt ambo simul.

*Inf. 10. 4. 23. * Cumque profecti essent, cœpit mater ejus flere, & dicere: Baculum senectutis nostræ tulisti, & transmisisti a nobis.

24. Numquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eum.

25. Sufficiebat enim nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus hoc, quod videbamus filium nostrum.

26. Dixitque ei Tobias: Noli flere, salvus perveniet filius noster, & salvus revertetur ad nos, & oculi tui videbunt illum.

27. Credo enim quod Angelus Dei bonus comitetur ei, & bene disponat omnia, quæ circa eum geruntur, ita ut cum gaudio revertatur ad nos.

28. Ad hanc vocem cessavit mater ejus flere, & tacuit.

CAPUT VI.

Piscis capti exenteratio & usus. Angelus ad Raguelem jubet divertere, matrimonium prædicit, idque felix.

1. PRofectus est autem Tobias, & canis secutus est eum, & mansit prima mansione juxta fluvium Tigris.

2. Et exivit ut lavaret pedes suos, & ecce piscis immanis exivit ad devorandum eum.

3. Quem expavescens Tobias clamavit voce magna, dicens: Domine, invadit me.

4. Et dixit ei Angelus: Apprehende branchiam ejus, & trahe eum ad te. Quod cum fecisset, attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes ejus.

5. Tunc dixit ei Angelus: Exentera hunc piscem, & cor ejus, & fel, & jecur repone tibi: sunt enim hæc necessaria ad medicamenta utiliter.

6. Quod cum fecisset, assavit carnes ejus, & secum tulerunt in via: cætera salierunt, quæ sufficerent eis, quousque pervenirent in Rages civitatem Medorum.

7. Tunc interrogavit Tobias Angelum, & dixit ei: Obsecro te, Azaria frater, ut dicas mihi, quod remedium habebunt ista, quæ de pisce servare jussisti?

8. Et respondens Angelus, dixit ei: Cordis ejus particulam (*a*) si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum, sive a viro, sive a muliere, ita ut ultra non accedat ad eos.

9. Et fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur.

10. Et dixit ei Tobias: Ubi vis ut maneamus?

11. Respondensque Angelus, ait: Est hic Raguel nomine, vir propinquus de tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram, sed neque masculum, neque feminam ullam habet aliam præter eam.

12. * Tibi debetur omnis substantia ejus, & oportet eam te accipere conjugem. *Num. 27. 8. & 36. 8.

13. Pete ergo eam a patre ejus, & dabit tibi eam in uxorem.

14. Tunc respondit Tobias; & dixit: Audio quia tradita est septem viris, & mortui sunt: sed & hoc audivi, quia dæmonium occidit illos.

15. Timeo ergo, ne forte & mihi hæc eveniant: & cum sim unicus parentibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos.

16. Tunc Angelus Raphael dixit ei: Audi (*b*) me, & ostendam tibi qui sunt, quibus prævalere potest dæmonium.

17. Hi namque qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; habet potestatem dæmonium super eos.

18. Tu autem cum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea.

19. Ipsa autem nocte (*c*), incenso jecore piscis, fugabitur dæmonium.

20. Secunda vero nocte in copulatione sanctorum patriarcharum admitteris.

21. Tertia autem nocte benedictionem consequeris, ut filii ex vobis procreentur incolumes.

22. Transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.

CAPUT VII.

Tobias a Raguele bene excipitur, agit de nuptiis cum Tobia, matrimonium contrahitur.

1. INgressi sunt autem ad Raguelem, & suscepit eos Raguel cum gaudio.

2. Intuensque Tobiam Raguel, dixit Annæ uxori suæ: Quam similis est juvenis iste consobrino meo!

3. Et cum hæc dixisset, ait: Unde estis juvenes fratres nostri? At illi dixerunt: Ex tribu Nephthali sumus, ex captivitate Ninive.

4. Dixitque illis Raguel: Nostis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt: Novimus.

5. Cumque multa bona loqueretur de eo, dixit Angelus ad Raguelem: Tobias, de quo interrogas, pater istius est.

6. Et misit se Raguel (*a*), & cum lacrymis osculatus est eum, & plorans super collum ejus,

7. Dixit

CAP. VI.

8 (*a*) Quod hoc loco dicitur hujus piscis assati fumum ejicere omne genus dæmoniorum, id utique non vi naturali & intrinseca, nec omnino supernaturali, sed externa & angelica virtute factum credimus: quæ virtus ad talis signi positionem hunc producebat effectum; idque precibus Tobiæ, cum dæmonem fugari precabatur. Fel autem potuit vim quamdam habere naturalem, qua albugo oculorum sanabatur. Plinius l. 32. de pisce callionymo loquens, hæc habet: *Cujus fel*, inquit, *cicatrices sanat, & oculorum carnem superfluam consumit.*

16. (*b*) Et quæ sequuntur, magis nobis videntur insinuendo præcepta, præsertim in contrahendo matrimonio, & legitimo illius usus tradunt.

19 (*c*) Angelus triplicem fructum ex humili oratione & casta præceptorum notat. Primo fugabit dæmonem impurum, tum ut secunda nocte in societatem Patriarcharum admittendus Tobias, eorum sanctitatis particeps, ut caste cum Sara viveret, quemadmodum Abraham, Isaac & Jacob cum uxoribus suis pie & caste vixerunt, tandem filios ex iis procreandos incolumes fore Abrahæ dignam progeniem.

CAP. VII.

6. (*a*) Græce ἀναπηδήσας, exsilit, loco motus est.

7. Dixit: Benedictio sit tibi fili mi, quia boni & optimi viri filius es.

8. Et Anna uxor ejus, & Sara ipsorum filia lacrymatæ sunt.

9. Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem, & parari convivium. Cumque hortaretur eos discumbere ad prandium,

10. Tobias dixit: Hic ego hodie non manducabo neque bibam, nisi prius petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam.

11. Quo audito verbo Raguel, expavit, sciens quid evenerit illis septem viris, qui ingressi sunt ad eam: & timere cœpit ne forte & huic similiter contingeret: & cum nutaret, & non daret petenti ullum responsum,

12. Dixit ei Angelus: noli timere dare eam isti, quoniam huic timenti Deum debetur conjux filia tua: propterea alius non potuit habere illam.

13. Tunc dixit Raguel: Non dubito quod Deus preces & lacrymas meas in conspectu suo admiserit.

14. Et credo quoniam ideo fecit vos venire ad me, ut ista conjungeretur cognationi suæ * secundum legem Moysi: & nunc noli dubium gerere quod tibi eam tradam. *Num. 36. 6.

15. Et apprehendens dexteram filiæ suæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus (b) Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob vobiscum sit, & ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis.

16. Et accepta charta, fecerunt conscriptionem conjugii.

17. Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum.

18. Vocavitque Raguel ad se Annam uxorem suam, & præcepit ei ut præpararet alterum cubiculum.

19. Et introduxit illuc Saram filiam suam, & lacrymata est.

20. Dixitque ei: Forti animo esto filia mea: Dominus cæli det tibi gaudium pro tædio quod perpessa es.

CAPUT VIII.

Sublatis impedimentis nuptiæ peraguntur. Raguel filiæ in dotem dat dimidium bonorum.

1. POstquam vero cœnaverunt, introduxerunt juvenem ad eam.

2. Recordatus itaque Tobias sermonum Angeli, protulit de cassidili (a) suo partem jecoris, posuitque eam super carbones vivos.

3. Tunc Raphael Angelus apprehendit (b) dæmonium, & religavit illud in deserto superioris Ægypti.

4. Tunc hortatus est virginem Tobias, dixitque ei: Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras: quia his tribus noctibus Deo jungimur: tertia autem transacta nocte, in nostro erimus conjugio.

5. Filii quippe sanctorum sumus, & non possumus ita conjungi sicut gentes, quæ ignorant Deum.

6. Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, ut sanitas daretur eis.

7. Dixitque Tobias: Domine Deus patrum nostrorum, benedicant te cæli & terræ, mareque & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ, quæ in eis sunt.

8. * Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistique ei adjutorium Hevam. *Gen. 2. 7.

9. Et nunc Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.

10. Dixit quoque Sara: Miserere nobis Domine, miserere nobis, & consenescamus ambo pariter sani.

11. Et factum est circa pullorum (c) cantum, accersiri jussit Raguel servos suos, & abierunt cum eo pariter ut foderent sepulcrum.

12. Dicebat enim: Ne forte simili modo evenerit ei, quo & ceteris illis septem viris, qui sunt ingressi ad eam.

13. Cumque parassent fossam, reversus Raguel ad uxorem suam, dixit ei:

14. Mitte unam ex ancillis tuis, & videat si mortuus est, ut sepeliam eum antequam illucescat dies.

15. At illa misit unam ex ancillis suis. Quæ ingressa cubiculum, reperit eos salvos & incolumes, secum pariter dormientes.

16. Et reversa nuntiavit bonum nuntium: & benedixerunt Dominum, Raguel videlicet & Anna uxor ejus,

17. Et dixerunt: Benedicimus te Domine Deus Israel, quia non contigit quemadmodum putabamus.

18. Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam, & exclusisti a nobis inimicum persequentem nos.

19. Misertus es autem duobus unicis. Fac eos Domine plenius benedicere te: & sacrificium tibi laudis tuæ & suæ sanctitatis offerre, ut cognoscat universitas gentium, quia tu es Deus solus in universa terra.

20. Statimque præcepit servis suis Raguel, ut replerent fossam quam fecerant, priusquam elucesceret.

21. Uxori autem suæ dixit ut instrueret convivium, & præpararet omnia, quæ in cibos erant iter agentibus necessaria.

22. Duas quoque pingues vaccas, & quatuor arietes occidi fecit, & parari epulas omnibus vicinis suis, cunctisque amicis.

23. Et adjuravit Raguel Tobiam, ut duas hebdomadas moraretur apud se.

24. De omnibus autem, quæ possidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ, & fecit scripturam, ut pars dimidia, quæ supererat, post obitum eorum, Tobiæ dominio deveniret.

CA-

15. (b) Tobias junior admonente Angelo postulavit a Raguele filiam Saram in uxorem. Nec peccavit ille quod inferiore parte has nuptias contraxerit: id enim fecit ex consilio Angeli, quem ut pium, sanctum & prudentem virum noverit. Ipse conjungat vos: Deus enim hanc inter conjuges arctam societatem efficit: *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Matth. 19. Nisi Deus [illegible] & animos conjungat, exterior illa societas in [illegible] divisionem desinit.

2. (a) Extra partem jecoris; cap. 6. cordis tantummodo mentionem fecit: nec dubium est quin cor & jecur simul admoverit Tobias; quod enim Scriptura in uno loco omisit, in alio solet exprimere.

3. & 4. (b) Virtute sua alligavit. *Cras*, post diem crastinum.

11. & 17. (c) Gallicinium. *Putabamus*, suspicabamur.

CAPUT IX.

Quæ Angelus cum Gabelo egerit, ut secum ad nuptias eum duxerit.

1. TUnc vocavit Tobias Angelum ad se, quem quidem hominem existimabat, dixitque ei: Azaria frater, peto ut auscultes verba mea.

2. Si me ipsum tradam tibi servum, non ero condignus (a) providentiæ tuæ.

3. Tamen obsecro te ut assumas tibi animalia sive servitia, & vadas ad Gabelum in Rages civitatem Medorum: reddasque ei chirographum suum, & recipias ab eo pecuniam, & roges eum venire ad nuptias meas.

4. Scis enim ipse quoniam numerat pater meus dies: & si tardavero una die plus, contristatur anima ejus.

5. Et certe vides quomodo adjuravit me Raguel, cujus adjuramentum spernere non possum.

6. Tunc Raphael assumens quatuor ex servis Raguelis, & duos camelos, in Rages civitatem Medorum (b) perrexit: & inveniens Gabelum, reddidit ei chirographum suum, & recepit ab eo omnem pecuniam.

7. Indicavitque ei de Tobia filio Tobiæ omnia quæ gesta fuut: fecitque eum secum venire ad nuptias.

8. Cumque ingressus esset domum Raguelis, invenit Tobiam discumbentem: & exiliens, osculati sunt se invicem: & flevit Gabelus, benedixitque Deum,

9. Et dixit: Benedicat te Deus Israel, quia filius es optimi viri, & justi, & timentis Deum, & eleemosynas facientis:

10. Et dicatur benedictio super uxorem tuam & super parentes vestros:

11. Et videatis filios vestros, & filios filiorum vestrorum, usque in tertiam & quartam generationem: & sit semen vestrum benedictum a Deo Israel: qui regnat in sæcula sæculorum.

12. Cumque omnes dixissent, Amen, accesserunt ad convivium: sed & cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.

CAPUT X.

Tobias reditum ad patrem ægre impetrat a socero; qui eum tandem dimittit, & benedicit abeuntibus; dat filiæ salutaria monita.

1. CUm vero moras faceret Tobias, causa nuptiarum, sollicitus erat pater ejus Tobias, dicens: Putas quare moratur filius meus, aut quare detentus est ibi?

2. Putasne Gabelus mortuus est, & nemo reddet illi pecuniam?

3. Cœpit autem contristari nimis ipse, & Anna uxor ejus cum eo: & cœperunt ambo simul flere: eo quod die statuto minime reverteretur filius eorum ad eos.

4. * Flebat igitur mater ejus irremediabilibus lacrymis, atque dicebat: Heu heu me fili mi, ut quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? * Sup. 5. 23.

5. Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis.

6. Cui dicebat Tobias: Tace, & noli turbari, sanus est filius noster: satis est fidelis vir ille, cum quo misimus eum.

7. Illa autem nullo modo consolari poterat, sed quotidie exiliens circumspiciebat, & circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem.

8. At vero Raguel dicebat ad generum suum: Mane hic: & ego mittam nuntium salutis de te ad Tobiam patrem tuum.

9. Cui Tobias ait: Ego novi quia pater meus & mater mea modo dies computant, & cruciatur spiritus eorum in ipsis.

10. Cumque verbis multis rogaret Raguel Tobiam, & ille eum nulla ratione vellet audire, tradidit ei Saram, & dimidiam partem omnis substantiæ suæ in pueris, in puellis, in pecudibus, in camelis, & in vaccis, & in pecunia multa: & salvum atque gaudentem dimisit eum a se,

11. Dicens: Angelus Domini sanctus sit in itinere vestro, perducatque vos incolumes, & inveniatis omnia recte circa parentes vestros, & videant oculi mei filios vestros priusquam moriar.

12. Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, & dimiserunt ire:

13. Monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & se ipsam irreprehensibilem (a) exhibere.

CAPUT XI.

Redeuntibus occurrit Tobias senex. Jussu Angeli Tobias junior ungit oculos patris & sanat: aguntur gratiæ Deo.

1. CUmque reverterentur, pervenerunt ad Charan (a), quæ est in medio itinere contra Niniven, undecimo die.

2. Dixitque Angelus: Tobia frater, scis quemadmodum reliquisti patrem tuum.

3. Si placet itaque tibi, præcedamus, & lento gradu sequantur iter nostrum familiæ, simul cum conjuge tua, & cum animalibus.

4. Cumque hoc placuisset ut irent, dixit Raphael ad Tobiam: Tolle tecum ex felle piscis (b): erit enim necessarium. Tulit itaque Tobias ex felle illo, & abierunt.

5. Anna

CAP. IX. 2. & 5. (a) Non referam gratiam ut par est. *Adjuravit me*, jurare me fecit.

6. (b) Videtur hinc colligi urbem Rages, unde Raphael proficiscebatur, non fuisse in regione Medorum.

CAP. X. 13. (a) Non modo per conjugalem castitatem, sed per totius vitæ disciplinam cum domesticis & exteris: *honorare soceros*: præcipua officia conjugatorum paucis verbis complectitur: addit textus Græcus; *vicem agere parentum*: sed contra sæpius evenit.

CAP. XI. 1. (a) Non illa est civitas cujus fit mentio Genes. cap. 11 vers. 4. quæ erat in Mesopotamia: sed quædam erat urbs Assyriæ ultra Tigrim; *in medio itinere*, seu in itinere interjecto: nam a Ninive aberat tantum itinere quatuor dierum: in Græco legitur prope Niniven: in Hebræo non *Haran*, sed אכרים *Acrim* nominatur.

4. (b) Nullis potentia divina terminis circumscribitur, ac sæpe remedia adhibet, quæ ex se nullam vim habent, ut cum Dominus Joann. c. 9. v. 7. cæcum adhibito luto sanavit.

5. Anna autem sedebat secus viam, quotidie in supercilio montis, unde respicere poterat de longinquo.

6. Et dum ex eodem loco speculatetur adventum ejus, vidit a longe, & illico agnovit venientem filium suum: currensque nuntiavit viro suo, dicens: Ecce venit filius tuus.

7. Dixitque Raphael ad Tobiam: At ubi introjeris domum tuam, statim adora Dominum Deum tuum: & gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & osculare eum.

8. Statimque lini super oculos ejus ex felle isto piscis, quod portas tecum: scias enim quoniam mox aperientur oculi ejus, & videbit pater tuus lumen cæli, & in aspectu tuo gaudebit.

9. Tunc præcucurrit canis (c), qui simul fuerat in via: & quasi nuntius adveniens, blandimento suæ caudæ gaudebat.

10. Et consurgens cæcus pater ejus, cœpit offendens pedibus currere: & data manu puero, occurrit obviam filio suo.

11. Et suscipiens osculatus est eum cum uxore sua, & cœperunt ambo flere præ gaudio.

12. Cumque adorassent Deum, & gratias egissent, consederunt.

13. Tunc sumens Tobias de felle piscis, linivit oculos patris sui.

14. Et sustinuit quasi dimidiam fere horam: & cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi,

15. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit.

16. Et glorificabant Deum, ipse videlicet, & uxor ejus, & omnes qui sciebant eum.

17. Dicebatque Tobias: Benedico te Domine Deus Israel, quia tu castigasti me, & tu salvasti me: & ecce ego video Tobiam filium meum.

18. Ingressa est etiam post septem dies Sara uxor filii ejus, & omnis familia sana, & pecora, & cameli, & pecunia multa uxoris: sed & illa pecunia, quam receperat a Gabelo:

19. Et narravit parentibus suis omnia beneficia Dei, quæ fecisset circa eum per hominem, qui cum duxerat.

20. Veneruntque Achior & Nabath consobrini Tobiæ, gaudentes ad Tobiam, & congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illum ostenderat Deus.

21. Et per septem dies epulantes, omnes cum gaudio magno gavisi sunt.

CAPUT XII.

Azarias seipsum manifestat. Ego, inquit, sum Raphael: multa de laudando Deo, & virtutis studio præfatus evanuit.

1. TUnc vocavit ad se Tobias filium suum, dixitque ei: Qoid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum?

2. Respondens Tobias, dixit patri suo: Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus?

3. Me duxit, & reduxit sanum, pecuniam a Gabelo ipse recepit, uxorem ipse me habere fecit, & dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus ejus fecit, meipsum a devoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per eum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?

4. Sed peto te, pater mi, ut roges eum, si forte dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata sunt, sibi assumere.

5. Et vocantes eum, pater scilicet & filius, tulerunt eam in partem: & rogare cœperunt, ut dignaretur dimidiam partem omnium quæ attulerant, acceptam habere.

6. Tunc dixit eis occulte: Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam.

7. Etenim sacramentum (a) regis abscondere bonum est: opera autem Dei revelare & confiteri honorificum est.

8. Bona est oratio cum jejunio, & eleemosyna (b) magis quam thesauros auri recondere:

9. Quoniam eleemosyna a morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam & vitam æternam.

10. Qui autem faciunt peccatum & iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.

11. Manifesto ergo vobis veritatem, & non abscondam a vobis occultum sermonem.

12. Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli (c) orationem tuam Domino.

13. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te.

14. Et nunc misit me Dominus ut curarem te, & Saram uxorem filii tui a dæmonio liberarem.

15. Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, (d) qui astamus ante Dominum.

16. Cumque hæc audissent, turbati sunt, & trementes ceciderunt super terram in faciem suam.

17. Dixitque eis Angelus: Pax vobis, nolite timere.

18. Etenim cum essem vobiscum, per voluntatem Dei eram: ipsum benedicite, & cantate illi.

19. Vide-

9. (c) Levis in se videtur circumstantia: sed canis qui Tobiam in tam longo itinere secutus, qui une parti afflicto tam lætum affert nuntium, divinam Providentiam non mediocriter commendat.

CAP. XII. 7. (a) Nam si palam fierent Regum consilia, omni carerent successu, sed in consiliis & operibus Dei res non ita se habet, cum nulla re impediri possint ea quæ revelare religionis est.

8. (b) Nam ita conjuncta multo est efficacior: id vero divitibus persuadere arduum est, quibus oratio est fastidio, jejunium exosum, eleemosyna molesta.

12. (c) Ergo Angeli preces nostras offerunt Deo.

15. (d) Quæ est metaphorica locutio, ad similitudinem ministrorum qui adstant ante Regem ad omne obsequium parati. Septenarius numerus plerumque in Scripturis universitatem quamdam significat: sic Joann. Apoc. 4. vers. 5. septem spiritus se vidisse in conspectu throni scribit, qui scilicet prærogativa quadam potestatis ad quædam munera destinantur.

19. Videbar quidem vobiscum manducare (*e*) & bibere: sed ego cibo invisibili, & potu qui ab hominibus videri non potest, utor.

20. Tempus est ergo ut revertar ad eum, qui me misit: vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia ejus.

21. Et cum hæc dixisset, ab aspectu eorum ablatus est, & ultra eum videre non potuerunt.

22. Tunc prostrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum: & exurgentes narraverunt omnia mirabilia ejus.

CAPUT XIII.

Gratiarum actio cum pia oratione conjuncta: hanc excipit Prophetia de excidio Jerosolymæ & ejus instauratione.

1. APeriens autem Tobias senior os suum, benedixit Dominum, & dixit: Magnus es Domine in æternum, & in omnia sæcula regnum tuum:

2. * Quoniam tu flagellas, & salvas: deducis ad Inferos, & reducis: & non est qui effugiat manum tuam. (* Deut. 32. 39. 1 Reg. 2. 6. Sap. 16. 13.)

3. Confitemini Domino filii Israel, & in conspectu gentium laudate eum:

4. Quoniam ideo dispersit vos inter gentes, quæ ignorant eum, ut vos enarretis mirabilia ejus, & faciatis scire eos, quia non est alius Deus omnipotens præter eum.

5. Ipse castigavit nos propter iniquitates nostras: & ipse salvabit nos propter misericordiam suam.

6. Aspicite ergo quæ fecit nobiscum, & cum timore & tremore confitemini illi: regemque sæculorum exaltate in operibus vestris.

7. Ego autem in terra captivitatis meæ confitebor illi: quoniam ostendit majestatem suam in gentem peccatricem (*a*).

8. Convertimini itaque peccatores, & facite justitiam coram Deo, credentes quod faciat vobiscum misericordiam suam.

9. Ego autem, & anima mea in eo lætabimur.

10. Benedicite Dominum omnes electi ejus: agite dies lætitiæ, & confitemini illi.

11. Jerusalem civitas Dei, castigavit (*b*) te Dominus in operibus manuum tuarum:

12. Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum sæculorum, ut reædificet in te tabernaculum suum, & revocet ad te omnes captivos, & gaudeas in omnia sæcula sæculorum.

13. Luce splendida fulgebis (*c*): & omnes fines terræ adorabunt te.

14. * Nationes ex longinquo ad te venient: & munera deferentes, adorabunt in te Dominum, & terram tuam in sanctificationem (*d*) habebunt. (* Isa. 60. 5.)

15. Nomen enim magnum invocabunt in te.

16. Maledicti erunt qui contempserint te: & condemnati erunt omnes qui blasphemaverint te: benedictique erunt qui ædificaverint te.

17. Tu autem lætaberis in filiis tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum.

18. Beati omnes qui diligunt te, & qui gaudent super pace tua.

19. Anima mea benedic Dominum, quoniam liberavit Jerusalem civitatem suam a cunctis tribulationibus ejus, Dominus Deus noster.

20. Beatus ero, si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem.

21. * Portæ Jerusalem ex sapphiro (*e*) & smaragdo ædificabuntur: & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus. (* Apoc. 21. 18.)

22. Ex lapide candido & mundo omnes plateæ ejus sternentur: & per vicos ejus alleluja cantabitur.

23. Benedictus Dominus, qui exaltavit eam, & sit regnum ejus in sæcula sæculorum super eam. Amen.

CAPUT XIV.

Tobiæ senioris ætas, mors, & sepultura. De Ninives eversione moriturus vaticinatur; uti de Ecclesia; & filio dat præclara monita.

1. ET consummati sunt sermones Tobiæ. Et postquam illuminatus est Tobias, vixit annis quadraginta duobus, & vidit filios nepotum suorum.

2. Completis itaque annis centum duobus, sepultus est honorifice in Ninive.

3. Quinquaginta (*a*) namque & sex annorum lumen oculorum amisit, & sexagenarius vero recepit.

4. Reliquum vero vitæ suæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.

5. In hora autem mortis suæ vocavit ad se Tobiam filium suum, & septem juvenes filios ejus nepotes suos, dixitque eis:

6. Prope erit interitus Ninive (*b*): non enim excidit verbum Domini: & * fratres nostri, qui dispersi sunt a terra Israel, revertentur ad eam. (* 1. Esd. 3. 8.)

7. Omnis

19 (*e*) August. Epist. 99. *Angelos legimus escas sumpsisse non ficto & inani phantasmate, sed manifestissima veritate; nec tamen necessitate, sed potestate. Aliter enim absorbet terra aquam sitiens, aliter solis radius candens; illa indigentia, iste potentia.*

CAP. XIII. 7. (*a*) Vel in Israelitas, vel in Assyrios qui paucis ante annis deleti fuerant sub Ezechia.

11. (*b*) Gr. Μαστιγώσει σε ἐπὶ τὰ ἔργα τῶν υἱῶν σου, *flagellabit te super opera filiorum tuorum*; sed more prophetico præteritum pro futuro ponitur. *Confitere Domino in bonis tuis*; quibus te ornavit Dominus; *ut reædificet in te tabernaculum suum*, templum suum; *& revocet ad te omnes captivos*, non singula capita, sed ex omnibus complura. Quamquam hæc prophetia Ecclesiæ Christi optime aptatur, in quam nationes omnes convenere; eaque per Jerusalem designari solet, quod in ea urbe prima Ecclesiæ jacta sint fundamenta. Quæ sequuntur, ad cælestem Jerusalem omnino pertinent, aut certe ad Ecclesiam ipsam spectant.

13. (*c*) Ecce vocationem gentium, & Ecclesiæ visibilis perpetuitatem.

14. (*d*) Ut sanctam venerabuntur: hanc sanctitatem haurient per sacramenta & fontes gratiæ. *Nomen enim magnum invocabunt in te*; nomen Dei, aut Jesu Christi.

21. (*e*) Alludit ad hunc locum Joannes in Apoc. 21. Uterque de Ecclesia cælesti loquitur more Prophetarum, qui a rebus terrenis ad cælestes statim transire solent.

CAP. XIV. 3. (*a*) Gr. 58. annorum. Videtur nonnullis Tobias natus anno 51. Oziæ Regis, obiisse anno 40. Manassis, ætatis anno 102.

6. (*b*) Quæ sæpe capta est: *Non enim excidit verbum Domini*; cum enim Ninivitæ Jona prædicante pœnitentiam egissent, Deus huic civitati pepercerat; sed ad priora redeuntibus flagitia, juxta Nahum vaticinium, destructa est post Tobiæ mortem circa annum Josiæ 13. a Nabuchodonosore seniore.

7. Omnis autem deserta terra ejus replebitur, & domus Dei, quæ in ea incensa est, iterum reædificabitur: ibique revertentur omnes timentes Deum,

8. Et relinquent (c) gentes idola sua, & venient in Jerusalem, & inhabitabunt in ea,

9. Et gaudebunt in ea omnes reges terræ, adorantes regem Israel.

10. Audite ergo filii mei patrem vestrum: Servite Domino in veritate, & inquirite ut faciatis quæ placita sunt illi:

11. Et filiis vestris mandate ut faciant justitias & eleemosynas, ut sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute sua.

12. Nunc ergo filii audite me, & nolite manere hic: sed quacumque die sepelieritis matrem vestram circa me in uno sepulcro, ex eo dirigite gressus vestros ut exeatis hinc:

13. Video enim quia iniquitas ejus finem dabit ei.

14. Factum est autem post obitum matris suæ, Tobias abscessit ex Ninive cum uxore sua, & filiis, & filiorum filiis, & reversus est ad soceros suos.

15. Invenitque eos incolumes in senectute bona: & curam eorum gessit, & ipse clausit oculos eorum: & omnem hæreditatem domus Raguelis ipse percepit: viditque quintam generationem, filios filiorum suorum.

16. Et completis annis nonaginta novem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum.

17. Omnis autem cognatio ejus, & omnis generatio ejus in bona vita, & in sancta conversatione permansit, ita ut accepti essent tam Deo, quam hominibus, & cunctis habitantibus in terra.

8. (c) Hæc manifeste pertinent ad vocationem gentium. Ac nullus est Rex Israel, quem Gentes post captivitatem adoraverint, præter Christum Dominum.

LIBER JUDITH.

COMMUNIOR quidem sententia est & certior hanc Judith historiam in tempus Manassis Regis incidisse, non post solutam captivitatem, ut liquet ex cap. 4. v. 2. Quo autem anno Manassis Regis hæc evenerint, incertum est. Placet nonnullis Manassen usque ad annum vigesimumprimum regni sui impie vixisse, unde Josephus acta illius temporis vocat juvenilia Manassis; hunc rediisse in regnum anno 23. occisum Holofernem anno 24. Quod autem difficile sit hæc cum anno duodecimo Merodach, cujus mentio habetur cap. 1. conciliare, respondent diversas ejusdem Regis variari Epochas juxta varios rerum eventus. Sic a capta Ninive, vel ab alio casu, diversitas Epocharum oriri potuit.

Illud quoque accedit Historiam Judith cum sacris & profanis auctoribus apte consentire: nam acta Arphaxad *hujus Libri cum actis* Phraortis *apud Herodotum conveniunt. Tam repentina Medorum restitutio post mortem Phraortis vix repugnantibus Assyriis cum clade Holofernis optime convenit. Nihil est in hac Historia quod parabolam referat, ut nonnulli e Protestantibus sibi persuaserunt. Historia tot circumstantiis munita, in qua tot facta: tot prælia narrantur, longe abest a parabola, aut ab ænigmate, nisi quis velit hoc Auctori fuisse propositum, ut homines falleret, tot facta vera iis sociare, quæ sensum tantum haberent ænigmaticum & fictum. Id sane voluit Auctor hujus Libri, ut rei gestæ veritatem persuaderet; eodem jure quivis audaculus plerasque Scripturæ historias, ut Samsonis, Estheris, ut alias omittam, in numerum parabolarum, aut tragœdiarum adscribet. Quid illud festum, quod in memoriam hujus victoriæ celebrarunt Judæi? an forte erit Auctoris figmentum? an ille ita impudens fuit, ut rem adeo publicam contra omnium qui vivebant testimonium ausus fuerit comminisci?*

Id certe constat hunc Librum non fuisse in canone Judæorum, sed inter Hagiographos receptum tradit Hieronymus. Nam teste Maimonide apud Huetium Propos. 4. titulo de Libro Judith, *erant apud Judæos Hagiographa duplicis generis; alia quæ dicebant dictata per Spiritum Sanctum, iisque secundum Prophetiæ gradum concedebant, cujus generis erant Hagiographa relata in canonem: sed nobilioribus prophetiis desitis post solutam captivitatem, alias ediderunt scriptiones Hagiographas a Deo quidem inspiratas, quas libris sacris adjungere non ausi sunt, quod inferioris ordinis eas esse censerent. Verum Ecclesia Christi utriusque generis libros sacro volumi-*

lumine contentos a Spiritu sancto dictatos esse pro certo habet, ut libros Tobiæ, Judith, & libros Machabæorum. Et quidem Librum Judith Nicænum Concilium inter canonicos recenset, teste Hieronymo Præfat. in Lib Judith. Hunc Librum, *inquit*, Synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse. *Concilium Carthaginense idem statuit. Ut de libro canonico, sic de Lib. Judith loquitur Clemens Alexandrinus Lib 4. stromatum, Tertullianus de Monogamia exemplum Judith profert, quæ semel tantum nupsit. Origenes homilia 9. in libr. Judic. factum illud Judith ut heroicum extollit adeo ut ea veterum omnium constans fuerit persuasio, historiam Judith non fictam esse sed veram.*

Quis autem hujus Libri sit Auctor, id plane incertum est: captivitatis temporibus eum conscriptum fuisse ad erigendos Israelitarum animos suspicatur Huetius, cum lingua Chaldaica scriptus fuerit, teste Hieronymo, qui inde translationem suam desumpsit: sic tamen ut fateatur se magis e sensu ad sensum, quam ex verbo ad verbum transtulisse. Unde Græca versio a Latina multum discrepat: fors est ut Græca versio ab Hellenistis facta fuerit. Illa usi sunt Patres primæ ætatis, Clemens Romanus Epist. 2. ad Corinth. Clemens Alexandr. Stromat. Lib. 4. Origen. homil. 24. in Jeremiam & alibi. Ac nullus e SS. Patribus hanc historiam ut parabolam, aut fictam agnovit. Quin & Judæi teste Hieronymo hunc Librum inter Hagiographos posuerunt.

Quod autem opponunt adversus hujus Libri, uti & Tobiæ auctoritatem, Josephi silentium, inficiale est argumentum, nullius quidem hac in re momenti, cum in canonem Hebræorum hi libri non essent recepti: præterquam idem Auctor Jobi historiam prætermisit. Ac Josephus de rebus ante captivitatem gestis ea tantummodo commemorat, quæ in libris Regum & Paralipomenon continentur: nec forte satis illi exploratum erat quibus hæc temporibus accidissent.

Nec majoris est ponderis objectio e profanis Auctoribus deprompta, quod de tantis rebus nihil scripserint; aut diversa plane scripserint. Nam sacra historia profanam corrigit, ubi aberrat a vero, non vicissim. Strabo Lib. 15. Orientalium imperia Græcis ante Persarum dominationem incognita esse ultro fatetur; Homerum Græcorum vetustissimum scriptorem Ægyptiorum quidem, & Phœnicum, non item Medorum, & Assyriorum meminisse. Ex omnibus autem Barbaris, *inquit Strabo*, Persis usuvenit ut notissimi apud Græcos essent, quod nulli Græcis imperaverint eorum, qui Asiam tenuere præter eos: *& Lib. 16.* Jam de Syrorum imperio scribunt, cum Medos a Persis eversos dicunt, Syros autem a Medis nullos alios Syros intelligunt, quam eos, qui Babylonis & Ninivæ regnum condiderunt. *Unus inter veteres Herodotus de rebus Medorum scripsit majore fide: nam a Scripturis minus dissidet. Is Lib. 2. cap.* 14. Sennacherib *expeditionem in Ægyptum commemorat, eum vocat* Sannacharybum; *Regis Ægypti ingressum in Palæstinam narrat; eum nominat* Necos, *uti alio loco diximus. Jeremiæ vaticinium cap.* 44. *adversus Ægyptios impletum legimus. Pharaonem* Ephree, *aut juxta Massoretas* Aphree *rebellibus traditum & Amasim tyrannum in illius locum suffectum. Perpauca de Regibus Babylonis attingit, hos vocat* Labynitos. *Vox* Nabo *Babyloniis communis erat in Scripturis, & apud Berosum* Nabonidus *occurrit, prono transitu litteræ* L. *in* N. *Babylonii sine discrimine pronuntiabant*, Nabo *&* Labo, Nabonides *&* Labonides. *Id advertit Petavius in Rationario temporum, voces* Nabopollassarus *&* Nabo-collassarus *in quibusdam MSS. Ptolemii scribi; litteram quoque* o, *facile in* u, *Græci commutant.*

CAPUT PRIMUM.

Arphaxad vincitur a Nabuchodonosore, qui nuntios in vicina mittit regna; ut sibi pareant jubet.

1. ARphaxad itaque (*a*) rex Medorum, subjugaverat multas gentes imperio suo, & ipse ædificavit civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatanis,

2. Ex lapidibus quadratis & sectis: fecit muros ejus in latitudinem cubitorum (*b*) septuaginta, & in altitudinem cubitorum triginta, turres vero ejus posuit in altitudinem cubitorum centum.

3. Per quadrum vero earum, latus utrumque vicenorum pedum spatio tendebatur, posuitque portas ejus in altitudinem turrium:

4. Et gloriabatur quasi potens in potentia exercitus sui, & in gloria quadrigarum suarum.

5. Anno igitur duodecimo (*c*) regni sui: Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui regnabat in Ninive civitate magna, pugnavit contra Arphaxad, & obtinuit eum

6. In campo magno (*d*), qui appellatur Ragau, circa Euphraten, & Tigrin, & Jadason in campo Erioch regis Elicorum.

7. Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor, & cor ejus elevatum est: & misit ad omnes, qui habitabant in Cilicia, & Damasco, & Libano,

8. Et ad gentes quæ sunt in Carmelo, & Cedar, & inhabitantes Galilæam in campo magno Esdrelon,

9. Et ad omnes qui erant in Samaria, & trans flumen Jordanem usque ad Jerusalem, & omnem terram Jesse, quousque perveniatur ad terminos Æthiopiæ.

10. Ad hos omnes misit nuntios Nabuchodonosor rex Assyriorum:

11. Qui omnes uno animo contradixerunt, & remiserunt eos vacuos, & sine honore abjecerunt.

12. Tunc indignatus Nabuchodonosor rex adversus omnem terram illam, juravit per thronum & regnum suum, quod defenderet se de omnibus regionibus his.

CAPUT II.

Nabuchodonosor mittit Holofernem cum ingenti exercitu, qui vicinas regiones sibi subjiciat.

1. ANno tertiodecimo Nabuchodonosor regis, vigesima & secunda die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum, ut defenderet se.

2. Vocavitque omnes majores natu, omnesque duces, & bellatores suos, & habuit cum eis mysterium consilii sui:

3. Dixitque cogitationem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugaret imperio.

4. Quod dictum cum placuisset omnibus, vocavit Nabuchodonosor rex Holofernem principem militiæ suæ,

5. Et dixit ei: Egredere adversus omne regnum Occidentis, & contra eos præcipue, qui contempserunt imperium meum.

6. Non parcet oculus tuus ulli regno, omnemque urbem munitam subjugabis mihi.

7. Tunc Holofernes vocavit duces, & magistratus virtutis Assyriorum: & dinumeravit viros in expeditionem, sicut præcepit ei rex, centum viginti millia peditum pugnatorum, & equitum sagittariorum duodecim millia.

8. Omnemque expeditionem suam fecit præire in multitudine innumerabilium camelorum, cum his quæ exercitibus sufficerent copiose, boum quoque armenta, gregesque ovium, quorum non erat numerus.

9. Frumentum ex omni Syria in transitu suo parari constituit.

10. Aurum vero, & argentum de domo regis assumpsit multum nimis.

11. Et profectus est ipse, & omnis exercitus cum quadrigis, & equitibus, & sagittariis, qui cooperuerunt faciem terræ, sicut locustæ.

12. Cumque pertransisset fines Assyriorum, venit ad magnos montes Ange, qui sunt a sinistro Ciliciæ, ascenditque omnia castella eorum, & obtinuit omnem munitionem.

13. Effregit autem civitatem opinatissimam Melothi, prædavitque omnes filios Tharsis, & filios Ismael, qui erant contra faciem deserti, & ad austrum terræ Cellon.

14. Et transivit Euphratem, & venit in Mesopotamiam: & fregit omnes civitates excelsas, quæ erant ibi, a torrente Mambre usque quo perveniatur ad mare:

15. Et occupavit terminos ejus, a Cilicia usque ad fines Japheth, qui sunt ad austrum.

16. Abduxitque omnes filios Madian, & prædavit omnem locupletationem eorum, omnesque resistentes sibi occidit in ore gladii.

17. Et post hæc descendit in campos Damasci in diebus messis, & succendit omnia sata, omnesque arbores, & vineas fecit incidi.

18. Et cecidit timor illius super omnes inhabitantes terram.

CA-

CAPUT I. 1. (*a*) Vox illa, *Itaque*, sæpe in scripturis præmittitur initio sermonis, uti copulæ, *&*, *autem*, idque ornatus gratia.

2. (*b*) Salianus ad annum 3345. putat legendum esse: In altitudinem cubitorum septuaginta, & in latitudinem cubitorum triginta; idque videtur admodum probabile. Hujus urbis mentionem facit Q. Curtius Lib. 7. cap. 8. nec abhorret a vero eam ab Arphaxad instauratam fuisse; nam Tobiæ cap. 5. v. 9 urbs illa memoratur.

5. (*c*) Sed finitum fuit bellum anno 17. ex textu Græco.

6. (*d*) Inter Græcam & Latinam versionem est aliqua varietas in nominibus, quod forte & campus & fluvii diversa habuerint nomina. Sic fluvius qui *Jadason* hoc loco dicitur, in Græco est *Hydaspes*, seu Indiæ fluvius, ex Plinio Lib. 6. c. 2.

CAPUT III.

Qua hoc loco est Syria-Sobal, Adrichomio est Arabia Petræa. Nonnulli non Libyam, sed Lyciam legunt, quod Libya longius distaret; quanquam res per legatos agi potuit in locis admodum dissitis. Apamea est Calesyria provincia, a civitate ejus nominis dicta.

1. TUnc miserunt legatos suos, universarum urbium, ac provinciarum reges ac principes, Syriæ scilicet Mesopotamiæ, & Syriæ Sobal, & Libyæ, atque Ciliciæ, qui venientes ad Holofernem, dixerunt:

2. Desinat indignatio tua circa nos: Melius est enim ut viventes serviamus Nabuchodonosor regi magno, & subditi simus tibi, quam morientes cum interitu nostro ipsi servitutis nostræ damna patiamur.

3. Omnis civitas nostra, omnisque possessio, omnes montes, & colles, & campi, & armenta boum, gregesque ovium, & caprarum, equorumque & camelorum, & universæ facultates nostræ, atque familiæ in conspectu tuo sunt:

4. Sint omnia nostra sub lege tua.

5. Nos, & filii nostri, servi tui sumus.

6. Veni nobis pacificus dominus, & utere servitio nostro, sicut placuerit tibi.

7. Tunc descendit de montibus cum equitibus in virtute magna, & obtinuit omnem civitatem, & omnem inhabitantem terram.

8. De universis autem urbibus assumpsit sibi auxiliarios viros fortes, & electos ad bellum.

9. Tantusque metus provinciis illis incubuit, ut universarum urbium habitatores principes, & honorati simul cum populis, exirent obviam venienti,

10. Excipientes eum cum coronis & lampadibus, ducentes choros in tympanis & tibiis.

11. Nec ista tamen facientes, ferocitatem ejus pectoris mitigare potuerunt:

12. Nam & civitates eorum destruxit, & lucos eorum excidit.

13. Præceperat enim illi Nabuchodonosor rex, ut omnes deos terræ exterminaret, videlicet ut ipse solus diceretur deus ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis potentia subjugari.

14. Pertransiens autem Syriam Sobal, & omnem Apameam, omnemque Mesopotamiam, venit ad Idumæos in terram Gabaa (*a*),

15. Accepitque civitates eorum, & sedit ibi per triginta dies, in quibus diebus adunari præcepit universum exercitum virtutis suæ.

CAPUT IV.

Filii Israel perterriti montes occupant. Eliachim civitates obit, ad defensionem hortatur.

1. TUnc audientes hæc filii Israel, qui habitabant in terra Juda, timuerunt valde a facie ejus.

2. Tremor & horror invasit sensus eorum, ne hoc faceret Jerusalem & templo Domini, quod fecerat ceteris civitatibus & templis earum.

3. Et miserunt in omnem Samariam (*a*) per circuitum usque Jericho, & præoccupaverunt omnes vertices montium:

4. Et muris circumdederunt vicos suos, & congregaverunt frumenta in præparationem pugnæ.

5. Sacerdos etiam Eliachim (*b*) scripsit ad universos, qui erant contra Esdrelon, quæ est contra faciem campi magni juxta Dothain, & universos, per quos viæ transitus esse poterat,

6. Ut obtinerent ascensus montium, per quos via esse poterat ad Jerusalem, & illic custodirent ubi angustum iter esse poterat inter montes.

7. Et fecerunt filii Israel secundum quod constituerat eis sacerdos Domini Eliachim.

8. Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliaverunt animas suas in jejuniis & orationibus, ipsi & mulieres eorum.

9. Et induerunt se sacerdotes ciliciis, & infantes prostraverunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio:

10. Et clamaverunt ad Dominum Deum Israel unanimiter, ne darentur in prædam infantes eorum, & uxores eorum in divisionem, & civitates eorum in exterminium, & sancta eorum in pollutionem, & fierent opprobrium Gentibus.

11. Tunc Eliachim sacerdos Domini magnus, circuivit omnem Israel, allocutusque est eos,

12. Dicens: Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras, si manentes permanseritis in jejuniis & orationibus in conspectu Domini.

13. * Memores estote Moysi servi Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, & in potentia sua, & in exercitu suo, & in clypeis suis, & in curribus suis, & in equitibus suis, non ferro pugnando, sed precibus sanctis orando dejecit: * Exod. 17. 11.

14. Sic erunt universi hostes Israel: si perseveraveritis in hoc opere, quod cœpistis.

15. Ad

CAP. III. 14 (*a*) In montanam regionem.

CAP. IV. 3. (*a*) In ea regione multi erant Israelitæ, qui Judæis se adjunxerant.

5. (*b*) Hic versu undecimo vocatur *Sacerdos Domini magnus*; fuit autem hic omius; nam cap. 15. *Joakim* est summus sacerdos. Sic Lib. 4. Regum 24. idem Josiæ filius *Eliakim*, & *Joakim* appellatur. Quod opponunt hunc Pontificem apud Josephum non reperiri, hoc nihil est: nam Josephus multos omittit Pontifices, qui in Scriptura memorantur; ut *Amasias* regnante Josaphat, *Jojadas* regnante Joas, *Azarias* regnante Ozia, & *Achaz*. Sed merito quæri solet, cur nulla hoc in libro Manassis mentio habeatur. An forte ante reditum Manassis hæc gesta sunt, an potius tum erat in itinere, aut in recenti adventu, ac nondum se rerum administrationi dederat, aut Jerosolymæ defensionem, & regni gubernationem, summo sacerdoti commiserat? Ac subinde fieri potest, ut ex captivitate morbum contraxerit. Id vero ab Isaia prædictum videtur cap 22. ornamenta Pontificis Sobnæ detracta in Eliachim translatum iri; tunicam, baltheum, coronam gloriosam, nomen patris, clavem domus David, hoc est, supremam in Judæos auctoritatem, & spiritualem, & temporalem. Postremo Bethulia non erat in terra Juda; aliæ tribus Regem Juda non agnoscebant, sed summum Pontificem.

15. Ad hanc igitur exhortationem ejus deprecantes Dominum, permanebant in conspectu Domini,

16. Ita ut etiam hi, qui offerebant Domino holocausta, præcincti ciliciis offerrent sacrificia Domino, & erat cinis super capita eorum.

17. Et ex toto corde suo omnes orabant Deum, ut visitaret populum suum Israel.

CAPUT V.

Holofernes inquirit, quænam sit hæc tam audax natio, quæ potentissimo regi resistat. Achior eum docet, quæ sit illa, & quam habeat spem.

1. NUntiatumque est Holoferni principi militiæ Assyriorum, quod filii Israel præpararent se ad resistendum, ac montium itinera conclusissent,

2. Et furore nimio exarsit in iracundia magna, vocavitque omnes principes Moab & duces Ammon,

3. Et dixit eis: Dicite (*a*) mihi quis sit populus iste, qui montana obsidet: aut quæ, & quales, & quantæ sint civitates eorum: quæ etiam sit virtus eorum, aut quæ sit multitudo eorum: vel quis rex militiæ illorum:

4. Et quare præ omnibus qui habitant in Oriente, isti contempserunt nos, & non exierunt obviam nobis, ut susciperent nos cum pace?

5. Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon respondens, ait: Si digneris audire domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo, de populo isto, qui in montanis habitat, & non egredietur verbum falsum ex ore meo.

6. Populus iste ex progenie Chaldæorum est.

* Gen. 11. 31. 7. * Hic primum in Mesopotamia habitavit, quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum.

8. Deserentes itaque cæremonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant,

* Gen. 12. 1. 9. Unum Deum cæli coluerunt, * qui & præcepit eis ut exirent inde, & habitarent in Charan (*b*). Cumque operuisset omnem ter-
* Gen. 46. 6. ram fames, * descenderunt in Ægyptum, illicque per quadringentos annos sic multiplicati sunt, ut dinumerari eorum non posset exercitus.

10. Cumque gravaret eos rex Ægypti, atque in ædificationibus urbium suarum in luto & latere subjugasset eos, clamaverunt ad Dominum suum, & percussit totam terram Ægypti plagis variis.

* Exod. 12. 33. 11. * Cumque ejecissent eos Ægyptii a se, & cessasset plaga ab eis, & iterum eos vellent capere, & ad suum servitium revocare,

12. * Fugientibus his Deus cæli mare ape- * Exod. 14. 29.
ruit, ita ut hinc inde aquæ quasi murus solidarentur, & isti pede sicco fundum maris perambulando transirent.

13. In quo loco dum innumerabilis exercitus Ægyptiorum eos persequeretur, ita aquis coopertus est, ut non remaneret vel unus, qui factum posteris nuntiaret.

14. Egressi vero mare rubrum, deserta Sina montis occupaverunt, in quibus numquam homo habitare potuit, vel filius hominis requievit.

15. Illic fontes amari obdulcati sunt eis ad bibendum, & per annos quadraginta annonam de cælo consecuti sunt.

16. Ubicumque ingressi sunt sine arcu & sagitta, & absque scuto & gladio, Deus eorum pugnavit pro eis, & vicit.

17. Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit a cultu Domini Dei sui.

18. Quotiescumque autem præter ipsum Deum suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium.

19. Quotiescumque autem pœnituerunt se recessisse a cultura Dei sui, dedit eis Deus cæli virtutem resistendi.

20. Denique Chananæum regem, & Jebusæum, & Pherezæum, & Hethæum, & Hevæum, & Amorrhæum, & omnes potentes in Hesebon (*c*) prostraverunt, & terras eorum, & civitates eorum ipsi possederunt:

21. Et usque dum non peccarent in conspectu Dei sui, erant cum illis bona: Deus enim illorum odit iniquitatem.

22. Nam & ante hos annos, cum recessissent a via, quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt præliis a multis nationibus, & plurimi eorum captivi abducti (*d*) sunt in terram non suam.

23. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum, ex dispersione qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, & iterum possident Jerusalem, ubi sunt sancta eorum.

24. Nunc ergo mi domine, perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum: ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & subjugati erunt sub jugo potentiæ tuæ.

25. Si vero non est offensio populi hujus coram Deo suo, non poterimus resistere illis; quoniam Deus eorum defendet illos: & erimus in opprobrium universæ terræ.

26. Et factum est, cum cessasset loqui Achior verba hæc, irati sunt omnes magnates Holofernis, & cogitabant interficere eum, dicentes ad alterutrum:

27. Quis

CAP. V. 3. (*a*) Achior dux Ammonitarum rogante Holoferne, quis esset ille populus qui montana obsidebat, eum docet; historiam Judæorum sic enarrat, ut nonnulla leviora mutare videatur, tanquam homo externus, & in bello educatus; rerum tamen Judaicarum non ignarus. Et quidem Holofernes Manassem a Babylonio captum potuit ignorare: non enim Niniven, aut Susam, sed Babylonem fuit abductus, idque dolo, ut multi opinantur: vel forte Holofernes non ignorabat quinam essent Judæi, sed ex contemptu tam vilis, ut putabat, gentis interrogavit, qui illi essent qui tanto principi obsistere auderent. Achior dux Ammonitarum, atque ut verisimile est, Idumæorum; de rebus Judaicis instructus erat.

9 (*b*) Textus Græcus & Syriacus habent Chanaan: quod cum historiæ serie magis convenit. In utroque textu desunt quoque hæc verba per 400. annos.

10. (*c*) Hesebon erat in terra Galaad. Cant. 7.

22. (*d*) Is non loquitur de captivitate Babylonica: nam pars minima abducta est, non a multis gentibus, sed ab una gente Chaldaica. Quamobrem alias captivitates, & novissimam sub Manasse, aut eam quæ facta est sub Rege Salmanassar, indicat. Quod autem in Græco additur, templum Jerosolymitanum eversum, & solo æquatum fuisse, merito suspicatur Bellarminus hæc verba supposititia esse, cum Hieronymus nihil de eversione templi in sua editione posuerit. Sed verba Græca non aliud significant quam templum fuisse profanatum: *Templum Dei eorum factum est in pavimentum.*

27. Quis est iste, qui filios Israel posse dicat resistere regi Nabuchodonosor, & exercitibus ejus, homines inermes, & sine virtute, & sine peritia artis pugnæ?

28. Ut ergo agnoscat Achior quoniam fallit nos, ascendamus in montana: & cum capti fuerint potentes eorum, tunc cum eisdem gladio transverberabitur.

29. Ut sciat omnis gens, quoniam Nabuchodonosor deus terræ est, & præter ipsum alius non est.

CAPUT VI.

Holofernes ira excandescens Achiorem Judæis tradit post victoriam occidendum.

1. Factum est autem cum cessassent loqui, indignatus Holofernes vehementer, dixit ad Achior:

2. Quoniam prophetasti nobis dicens, quod genus Israel defendatur a Deo suo, ut ostendam tibi quoniam non est Deus, nisi Nabuchodonosor:

3. Cum percusserimus eos omnes, sicut hominem unum, tunc & ipse cum illis Assyriorum gladio interibis, & omnis Israel tecum perditione disperiet:

4. Et probabis quoniam Nabuchodonosor dominus sit universæ terræ: tuncque gladius militiæ meæ transiet per latera tua, & confixus cades inter vulneratos Israel, & non respirabis ultra, donec extermineris cum illis.

5. Porro autem si prophetiam tuam veram existimas, non concidat vultus tuus, & pallor, qui faciem tuam obtinet, abscedat a te, si verba mea hæc putas impleri non posse.

6. Ut autem noveris quia simul cum illis hæc experieris, ecce ex hac hora illorum populo sociaberis, ut dum dignas mei gladii pœnas exceperint, ipse simul ultioni subjaceas.

7. Tunc Holofernes præcepit servis suis ut comprehenderent Achior, & perducerent eum in Bethuliam (*a*), & traderent eum in manus filiorum Israel.

8. Et accipientes eum servi Holofernis, profecti sunt per campestria: sed cum appropinquassent ad montana, exierunt contra eos fundibularii.

9. Illi autem divertentes a latere montis, ligaverunt Achior ad arborem manibus & pedibus, & sic vinctum restibus dimiserunt eum, & reversi sunt ad dominum suum.

10. Porro filii Israel descendentes de Bethulia, venerunt ad eum: Quem solventes duxerunt ad Bethuliam, atque in medium populi illum statuentes, percunctati sunt quid rerum esset, quod illum vinctum Assyrii reliquissent.

11. In diebus illis erant (*b*) illic principes, Ozias filius Micha de tribu Simeon, & Charmi, qui & Gothoniel.

12. In medio itaque seniorum, & in conspectu omnium Achior dixit omnia quæ locutus ipse fuerat ab Holoferne interrogatus, & qualiter populus Holofernis voluisset propter hoc verbum interficere eum,

13. Et quemadmodum ipse Holofernes iratus jusserit eum Israelitis hac de causa tradi; ut dum vicerit filios Israel, tunc & ipsum Achior diversis jubeat interire suppliciis, propter hoc quod dixisset: Deus cæli defensor eorum est.

14. * Cumque Achior universa hæc exposuisset, omnis populus cecidit in faciem, adorantes Dominum, & communi lamentatione & fletu unanimes preces suas Domino effuderunt, * Sup. 5. 6.

15. Dicentes: Domine Deus cæli & terræ, intuere superbiam eorum, & respice ad nostram humilitatem, & faciem sanctorum tuorum attende (*c*), & ostende quoniam non derelinquis præsumentes de te: & præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes, humilias.

16. Finito itaque fletu, & per totam diem oratione populorum completa, consolati sunt Achior.

17. Dicentes: Deus patrum nostrorum, cujus tu virtutem prædicasti, ipse tibi hanc dabit vicissitudinem, ut eorum magis tu interitum videas.

18. Cum vero Dominus Deus noster dederit hanc libertatem servis suis, sit & tecum Deus in medio nostri: ut sicut placuerit tibi, ita cum tuis omnibus converseris nobiscum.

19. Tunc Ozias, finito consilio, suscepit eum in domum suam, & fecit ei cœnam magnam.

20. Et vocatis omnibus presbyteris, simul expleto jejunio refecerunt.

21. Postea vero convocatus est omnis populus, & per totam noctem intra ecclesiam oraverunt, petentes auxilium a Deo Israel.

CAPUT VII.

Bethuliæ obsessæ aqua deficit; preces ad Deum fusæ, deditionem populus & magistratus petunt.

1. Holofernes autem altera die præcepit exercitibus suis, ut ascenderent contra Bethuliam.

2. Erant autem pedites bellatorum centum viginti millia, & equites (*a*) viginti duo millia, præter præparationes virorum illorum, quos occupaverat captivitas, & abducti fuerant de provinciis & urbibus universæ juventutis.

3. Omnes

CAP. VI. 7. (*a*) Ante deportatas decem tribus Bethuliæ montana pertinebant ad Galilæam inferiorem, & Bethulia parum distabat a mari Genesareth, ac sub monte Bethuliæ erant Dothaim & Scythopolis, quæ ad regnum Juda non pertinebant: sed post captivitatem Israeliticam pleraque loca forsitan Judæ regno adhæserunt. Locum Bethuliæ describit Adrichomius, ac subinde putat eam esse urbem in tribu Zabulon, quæ Josue 19. 15. Bethlehem vocatur, atque obsidionis illius vestigia prope hanc urbem adhuc superesse scribit. Serarius existimat *Bethuliam* eandem esse cum urbe *Bethul* in tribu Simeonis, cujus fit mentio Josue 19. unde & Judith ex ea tribu erat oriunda. Quod ajunt nullam alibi in veteri Testamento hujus urbis fieri mentionem: Responsio facilis est, neque Ephrem, Nazareth, aut Corozaim ulla est in veteri Testamento mentio.

11. (*b*) Forte missus ab Eliachim summo sacerdote, aut a Manasse.

15. (*c*) Ad humilitatem eorum quos sanctificasti, & tibi consecrasti.

CAP. VII. 2. (*a*) 22000. Equitatus initio erat tantum 12000. auctus postea fuit 10000. equitibus.

3. Omnes paraverunt se pariter ad pugnam contra filios Israel, & venerunt per crepidinem montis usque ad apicem, qui respicit super Dothaim (*b*), a loco qui dicitur Belma usque ad Chelmon, qui est contra Esdrelon.

4. Filii autem Israel ut viderunt multitudinem illorum, prostraverunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, unanimes orantes ut Deus Israel misericordiam suam ostenderet super populum suum.

5. Et assumentes arma sua bellica, sederunt per loca, quæ ad angusti itineris tramitem dirigunt inter montosa, & erant custodientes ea tota die ac nocte.

6. Porro Holofernes, dum circuit per gyrum, reperit quod fons, qui influebat, aquæductum illorum a parte australi extra civitatem dirigeret: & incidi præcepit aquæductum illorum.

7. Erant tamen non longe a muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam, ad refocillandum potius quam ad potandum.

8. Sed filii Ammon & Moab accesserunt ad Holofernem, dicentes: Filii Israel non in lancea, nec in sagitta confidunt, sed montes defendunt illos, & muniunt illos colles in præcipitio constituti.

9. Ut ergo sine congressione pugnæ possis superare eos, pone custodes fontium, ut non hauriant aquam ex eis, & sine gladio interficies eos, vel certe fatigati tradent civitatem suam, quam putant in montibus positam superari non posse.

10. Et placuerunt verba hæc coram Holoferne, & coram satellitibus ejus, & constituit per gyrum centenarios per singulos fontes.

11. Cumque ista custodia per dies viginti (*c*) fuisset expleta, defecerunt cisternæ, & collectiones aquarum omnibus habitantibus Bethuliam, ita ut non esset intra civitatem unde satiarentur, vel una die; quoniam ad mensuram dabatur populis aqua quotidie.

12. Tunc ad Oziam congregati omnes viri, feminæque, juvenes, & parvuli, omnes simul una voce

* Exod. 5. 21. 13. Dixerunt: * Judicet Deus inter nos & te, quoniam fecisti in nos mala, nolens loqui pacifice cum Assyriis, & propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum.

14. Et ideo non est qui adjuvet, cum prosternamur ante oculos eorum in siti, & perditione magna.

15. Et nunc congregate universos, qui in civitate sunt, ut sponte tradamus nos omnes populo Holofernis.

16. Melius (*d*) est enim ut captivi benedicamus Dominum, viventes, quam moriamur, & simus opprobrium omni carni, cum viderimus uxores nostras, & infantes nostros mori ante oculos nostros.

17. Contestamur hodie cælum & terram, & Deum patrum nostrorum, qui ulciscitur nos secundum peccata nostra, ut jam tradatis civitatem in manu militiæ Holofernis, & sit finis noster brevis in ore gladii, qui longior efficitur in ariditate sitis.

18. Et cum hæc dixissent, factus est fletus & ululatus magnus in ecclesia ab omnibus, & per multas horas una voce clamaverunt ad Deum, dicentes:

19. * Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. * Ps. 105. 6.

20. Tu, quia pius es, miserere nostri, aut in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te, populo qui ignorat te,

21. Ut non dicant inter Gentes: Ubi est Deus eorum?

22. Et cum fatigati his clamoribus, & his fletibus lassati siluissent,

23. Exurgens Ozias infusus lacrymis, dixit: Æquo animo estote fratres, & hos quinque dies expectemus a Domino misericordiam.

24. Forsitan enim indignationem suam abscindet, & dabit gloriam nomini suo.

25. Si autem transactis quinque diebus non venerit adjutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis.

CAPUT VIII.

Judith, cujus genealogia, status, mores enarrantur, seniores ad se evocatos corripit, ad pœnitentiam eos hortatur, & ad spem erigit.

1. ET factum est, cum audisset hæc verba Judith vidua, quæ erat filia Merari, filii Idox, filii Joseph, filii Oziæ, filii Elai, filii Jamnor, filii Gedeon, filii Raphaim, filii Achitob, filii Melchiæ, filii Enan, filii Nathaniæ, filii Salathiel, filii Simeon, filii Ruben (*a*):

2. Et vir ejus fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeaceæ:

3. Instabat enim super alligantes manipulos in campo, & venit æstus super caput ejus, & mortuus est in Bethulia civitate sua, & sepultus est illic cum patribus suis.

4. Erat autem Judith relicta ejus vidua jam annis tribus, & mensibus sex.

5. Et in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur,

6. Et habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & neomenias, & festa domus Israel.

7. Erat autem eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat divitias multas, & familiam copiosam, ac possessiones armentis boum, & gregibus ovium plenas.

8. Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.

9. Hæc

3. (*b*) Hoc castrum erat ad radices montis Bethuliæ, quæ erat in tribu Zabulon, ut vulgo creditur. Numerus bellatorum aliter in Græco, aliter in Latino textu ponitur, quod facile crescat & minuatur exercitus.

11. (*c*) In Græco, per dies 34.

16. (*d*) Magno terrore perculsi videntur contraria & inter se pugnantia proferre. Quos Dei instinctu & infcius definivit.

CAP. VIII. 1. (*a*) Illa quidem erat e tribu Simeon; unde quod additur, *filii Ruben*, mendosum esse censent Serarius, & Bellarminus, eaque verba desunt in Græco. Nullus enim ex filiis Ruben, Simeonis nomen habuit. Græcus textus habet *Simeonis filii Israel*, 15 avi & proavi numerantur: in Græco sunt tantum 12. Nominum varietas a scribis plerumque oritur: interdum idem homo plura habet nomina.

9. Hæc itaque cum audisset, quoniam Ozias promisisset quod transacto quinto die traderet civitatem, misit ad presbyteros (*b*) Chabri & Carmi.

10. Et venerunt ad illam, & dixit illis: Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, ut tradat civitatem Assyriis, si intra quinque dies non venerit vobis adjutorium?

11. Et qui estis vos, qui tentatis Dominum?

12. Non est iste sermo, qui misericordiam provocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat.

13. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum, diem constituistis ei.

14. Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus:

15. Non enim quasi homo, sic Deus comminabitur, neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur.

16. Et ideo humiliemus illi animas nostras, & in spiritu constituti humiliato, servientes illi,

17. Dicamus flentes Domino, ut secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam: ut sicut conturbatum est cor nostrum in superbia eorum, ita etiam de nostra humilitate gloriemur:

18. Quoniam non sumus secuti peccata patrum nostrorum, qui dereliquerunt Deum suum, & adoraverunt deos alienos,

19. Pro quo scelere dati sunt in gladium, & in rapinam, & in confusionem inimicis suis: nos autem alterum Deum nescimus præter ipsum.

20. Expectemus humiles consolationem ejus, & exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum, & humiliabit omnes Gentes, quæcumque insurgunt contra nos, & faciet illas sine honore Dominus Deus noster.

21. Et nunc fratres, quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite, ut memores sint, quia tentati sunt patres nostri ut probarentur, si vere colerent Deum suum.

* Gen. 22. 1. 22. * Memores esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus est.

23. Sic Isaac, sic Jacob, sic Moyses, & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles.

24. Illi autem, qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatientiam suam & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt,

* 1. Cor. 10. 9. 25. * Exterminati sunt ab exterminatore, & a serpentibus perierunt.

26. Et nos ergo non ulciscamur nos pro his quæ patimur,

27. Sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi servi corripimur, ad emendationem & non ad perditionem nostram evenisse credamus.

28. Et dixerunt illi Ozias, & presbyteri: Omnia quæ locuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis ulla reprehensio.

29. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, & timens Deum.

30. Et dixit illis Judith: Sicut quod potui loqui, Dei esse cognoscitis:

31. Ita quod facere disposui, probate si ex Deo est, & orate ut firmum faciat Deus consilium meum.

32. Stabitis vos ad portam nocte ista, & ego exeam cum abra mea: & orate, ut sicut dixistis, in diebus quinque respiciat Dominus populum suum Israel.

33. Vos autem nolo ut scrutemini actum meum, & usque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum.

34. Et dixit ad eam Ozias princeps Juda: Vade in pace, & Dominus sit tecum in ultionem inimicorum nostrorum. Et revertentes abierunt.

CAPUT IX.

Oratio quam Judith cilicio induta palam & publice pronuntiat.

1. QUibus abscedentibus, Judith ingressa est oratorium suum: & induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum: & prosternens se Domino, clamabat ad Dominum, dicens:

2. Domine Deus patris mei Simeon, * qui dedisti illi gladium in defensionem (*a*) alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudaverunt femur virginis in confusionem: * Gen. 34. 27.

3. Et dedisti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captivitatem; & omnem prædam in divisionem servis tuis, qui zelaverunt zelum tuum: subveni quæso te Domine Deus meus mihi viduæ.

4. Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti (*b*): & hoc factum est quod ipse voluisti.

5. Omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, & tua judicia in tua providentia posuisti.

6. * Respice castra Assyriorum nunc, sicut tunc castra Ægyptiorum videre dignatus es, quando post servos tuos armati currebant, confidentes in quadrigis, & in equitatu suo, & in multitudine bellatorum. * Exod. 14. 9.

7. Sed aspexisti super castra eorum, & tenebræ fatigaverunt eos.

8. Tenuit pedes eorum abyssus, & aquæ operuerunt eos.

9. Sic fiant & isti, Domine, qui confidunt in multitudine sua, & in curribus suis, & in contis, & in scutis, & in sagittis suis, & in lanceis gloriantur,

10. Et

9. (*b*) *Ad seniores:* idque fecit modestiæ caussa, ne se in conspectum populi daret.

CAP. IX. 2. (*a*) In ultionem violatæ sororis a filiis Sichem. Duo sunt in hoc facinore, zelus, seu justa indignatio, & crudelis ulciscendi modus, qui merito punitus fuit a Jacob. Prius laudat Judith, non posterius. Addit Estius nihil necesse esse verba ejus omnia habere pondus & auctoritatem Scripturæ sacræ.

4. (*b*) Quoad executionem in tempore, cum æternæ sint Dei cogitationes & ideæ rerum agendarum.

10. Et nesciunt quia tu ipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio, & Dominus nomen est tibi.

11. Erige brachium tuum sicut ab initio, & allide virtutem illorum in virtute tua: cadat virtus eorum in iracundia tua, qui promittunt se violare sancta tua, & polluere tabernaculum nominis tui, & dejicere gladio suo cornu altaris tui.

12. Fac Domine, ut gladio proprio ejus superbia amputetur:

13. Capiatur (c) laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ.

14. Da mihi in animo constantiam, ut contemnam illum; & virtutem, ut evertam illum.

* Jud. cap. 13. & 5. 16. 15. * Erit enim hoc memoriale nominis tui, cum manus feminæ dejecerit eum.

16. Non enim in multitudine est virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi ab initio placuerunt tibi: sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.

17. Deus cælorum, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, & de tua misericordia præsumentem.

18. Memento Domine testamenti tui, & da verbum in ore meo, & in corde meo consilium corrobora, ut domus tua in sanctificatione tua permaneat:

19. Et omnes Gentes agnoscant, quia tu es Deus, & non est alius præter te.

CAPUT X.

Judith ad profectionem se comparat, & ornat; exit ab urbe, occurrit Assyriis, ducitur ad Holofernem.

1. Factum est autem, cum cessasset clamare ad Dominum, surrexit de loco, in quo jacuerat prostrata ad Dominum.

2. Vocavitque abram suam, & descendens in domum suam, abstulit a se cilicium, & exuit (a) se vestimentis viduitatis suæ,

3. Et lavit corpus suum, & unxit se myro (b) optimo, & discriminavit crinem capitis sui, & imposuit mitram super caput suum, & induit se vestimentis jucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis suis ornavit se.

4. Cui etiam Dominus contulit splendorem, quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat: & ideo Dominus hanc in illam pulcritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.

5. Imposuit itaque abræ suæ ascoperam (c) vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes, & caseum, & profecta est.

6. Cumque venissent ad portam civitatis, invenerunt expectantem Oziam & presbyteros civitatis.

7. Qui cum vidissent eam, stupentes mirati sunt nimis pulcritudinem ejus.

8. Nihil tamen interrogantes eam, dimiserunt transire, dicentes: Deus patrum nostrorum det tibi gratiam, & omne consilium tui cordis sua virtute corroboret, ut glorietur super te Jerusalem, & sit nomen tuum in numero sanctorum & justorum.

9. Et dixerunt hi qui illic erant, omnes una voce: Fiat, fiat.

10. Judith vero orans Dominum, transivit per portas ipsa & abra ejus.

11. Factum est autem, cum descenderet montem circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Assyriorum, & tenuerunt eam, dicentes: Unde venis? aut quo vadis?

12. Quæ respondit: Filia sum Hebræorum, ideo (d) ego fugi a facie eorum, quoniam futurum agnovi, quod dentur vobis in deprædationem, pro eo quod contemnentes vos, noluerunt ultro tradere seipsos, ut invenirent misericordiam in conspectu vestro.

13. Hac de causa cogitavi mecum, dicens: Vadam ad faciem principis Holofernis, ut indicem illi secreta (e) illorum, & ostendam illi quo aditu possit obtinere eos, ita ut non cadat vir unus de exercitu ejus.

14. Et cum audissent viri illi verba ejus, considerabant faciem ejus, & erat in oculis eorum stupor, quoniam pulcritudinem ejus mirabantur nimis.

15. Et dixerunt ad eam: Conservasti animam tuam, eo quod tale reperisti consilium, ut descenderes ad dominum nostrum.

16. Hoc autem scias, quoniam cum steteris in conspectu ejus, bene tibi faciet, & eris gratissima in corde ejus. Duxeruntque illam ad tabernaculum Holofernis, annuntiantes eam.

17. Cumque intrasset ante faciem ejus, statim captus est in suis oculis Holofernes.

18. Di-

13. (c) Ex gratia sermonis: ut captus venustate sermonis ferox animum mitescat. Itaque *labia* pro *verbis* ponuntur, quæ ad amorem illiciunt: non quod Judith optaret Holofernem ad libidinem incitare, sed tantummodo ad amorem honestum, quo illam ut futuram conjugem prosequeretur. Sciebat quidem illum ad turpem amorem illectum iri: sed hoc ipsum vitio Holofernis futurum erat, & Judith nullam habebat caussam perficiendi quod cogitaverat, & utendi vitio Holofernis ad liberandam patriam: idque postulavit a Deo spiritu prophetico, quo id ipsum quod futurum erat, acceperat a Deo, cujus providentiæ se committebat.

CAP. X. 2. (a) Voluit placere Deo liberando patriam, non homini. Ambros. Lib. de vidui. Et *bene conjugales pugnatura resumpsit ornatus, quia monumenta conjugii arma sunt castitatis. neque enim vidua aliis aut placere posset, aut vincere.* Spem suam non in pulcritudine, sed in Dei adjutorio collocabat: spiritu Dei agebatur, cum Deus augeret splendorem ejus.

3. (b) Gr. *Unguento crasso*, quod ex Plinio Lib. 13. cap. 1. & 2. est alio præstantius. *Assumpsit dextraliola, & lilia*: Græc. ψέλλια, ex quo forte per errorem scribæ posuerunt *lilia*, ea quæ erant armillæ.

5. (c) Ἀσκὸς, *utrem* significat. Et *palathas*: massam ficuum & pinguium caricarum, quod ex cibis gentilium vesci nollet.

12. (d) Plerique interpretes non excusant Judith a mendacii officiosi ob salutem patriæ. Serarius eam ab omni purgat mendacio. Nam cap. 11. hæc omnia exponit Holoferni, & ait sibi dicta per providentiam Dei: & cap. 13. diserte asseritur, quod sine pollutione peccati custodita fuerit. Potuit prudenter veritatem celare Assyrios, non aperte loqui. Futurum ait ut Judæi dentur Assyriis in deprædationem, nisi præter consuetum rerum ordinem Deus illis succurreret. Justum bellum gerebat, in quo simulationi & stratagemati locus esse potest. Nec mentita est: nam & Judæos deseruit, & fugientis instar se habuit, ac Deum Judæis offensum esse ob peccata verum erat. Adoravit Holofernem, nec periculum castitatis adiit, cum sciret se divina providentia tutam esse. Adde verba & actiones in veteri Testamento figurata esse & prophetica, ab omni mendacio aliena.

13. (e) Quæ revera fecit: nam extremam Judææ famem & sitim aperuit.

18. Dixeruntque ad eum satellites ejus: Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his merito pugnare contra eos debeamus?

19. Videns itaque Judith Holofernem sedentem in conopeo, quod erat ex purpura, & auro, & smaragdo, & lapidibus pretiosis intextum:

20. Et cum in faciem ejus intendisset, adoravit (*f*) eum, prosternens se super terram. Et elevaverunt eam servi Holofernis, jubente domino suo.

CAPUT XI.

Colloquium inter Judith & Holofernem: qui adstabant, mirabantur ejus sapientiam & formam: magnifica Holofernis promissa.

1. TUnc Holofernes dixit ei: Æquo animo esto, & noli pavere in corde tuo: quoniam ego nunquam nocui viro, qui voluit servire Nabuchodonosor regi.

2. Populus autem tuus, si non contempsisset me, non levassem lanceam meam super eum.

3. Nunc autem dic mihi, qua ex causa recessisti ab illis, & placuit tibi ut venires ad nos?

4. Et dixit illi Judith: Sume verba ancillæ tuæ, quoniam si secutus fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum.

5. Vivit (*a*) enim Nabuchodonosor rex terræ, & vivit virtus ejus, quæ est in te ad correptionem omnium animarum errantium: quoniam non solum homines serviunt illi per te, sed & bestiæ agri obtemperant illi.

6. Nuntiatur enim animi tui industria universis gentibus, & indicatum est omni sæculo, quoniam tu solus bonus (*b*) & potens es in omni regno ejus, & disciplina tua omnibus provinciis prædicatur.

Sup. 5. 3. 7. * Nec hoc latet, quod locutus est Achior; nec illud ignoratur, quod ei jusseris evenire.

8. Constat enim, Deum nostrum sic peccatis offensum, ut mandaverit per prophetas suos ad populum, quod tradat eum pro peccatis suis.

9. Et quoniam sciunt se offendisse Deum suum filii Israel, tremor tuus super ipsos est.

10. Insuper etiam fames invasit eos, & ab ariditate aquæ jam inter mortuos computantur.

11. Denique hoc ordinant, ut interficiant pecora sua, & bibant sanguinem eorum:

12. Et sancta Domini Dei sui quæ præcepit Deus non contingi, in frumento, vino, & oleo, hæc cogitaverunt impendere, & volunt consumere quæ nec manibus deberent contingere: ergo quoniam hæc faciunt, certum est quod in perditionem dabuntur.

13. Quod ego ancilla tua cognoscens, fugi ab illis, & misit me Dominus hæc ipsa nuntiare tibi.

14. Ego enim ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te: & exiet ancilla tua, & orabo Deum,

15. Et dicet mihi quando eis reddat peccatum suum, & veniens nuntiabo tibi, ita ut ego adducam te per mediam Jerusalem, & habebis omnem populum Israel sicut oves, quibus non est pastor, & non latrabit vel unus canis contra te:

16. Quoniam hæc mihi dicta sunt per providentiam Dei.

17. Et quoniam iratus est illis Deus, hæc ipsa missa sum nuntiare tibi.

18. Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holoferne, & coram pueris ejus, & mirabantur sapientiam ejus, & dicebant alter ad alterum:

19. Non est talis mulier super terram in aspectu, in pulcritudine, & in sensu verborum.

20. Et dixit ad illam Holofernes: Benefecit Deus, qui misit te ante populum, ut des illum tu in manibus nostris:

21. Et quoniam bona est promissio tua, si fecerit mihi hoc Deus tuus, erit & Deus meus, & tu in domo Nabuchodonosor magna eris, & nomen tuum nominabitur in universa terra.

CAPUT XII.

Quatriduo Judith manet in castris Assyriorum: huic concedit Holofernes, ut iis, quæ secum attulit, cibis vescatur. Sub quarti diei vesperam invitatur ad cœnam: Holofernes obruitur vino.

1. TUnc jussit eam introire ubi repositi erant thesauri (*a*) ejus, & jussit illic manere eam, & constituit quid daretur illi de convivio suo.

2. Cui respondit Judith, & dixit: Nunc non potero manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat super me offensio: ex his autem, quæ mihi detuli, manducabo.

3. Cui Holofernes ait: Si defecerint tibi ista, quæ tecum detulisti, quid faciemus tibi?

4. Et dixit Judith: Vivit anima tua domine meus, quoniam non expendet omnia hæc ancilla tua donec faciat Deus in manu mea hæc, quæ cogitavi (*b*). Et induxerunt illam servi ejus in tabernaculum, quod præceperat.

5. Et

20. (*f*) Cultu civili qui principibus haberi solet.

CAP XI. 5. (*a*) Hoc est, quam vere vivit Nabuchodonosor, tam verum erit quod dicam. Nihil falsi habent hæc verba, cum gentes multæ huic Regi per Holofernem paruerint. *Ad correptionem omnium animarum errantium*: cum tyranni ipsi puniendis criminibus a Deo destinentur.

6. (*b*) Vox ἀγαθὸς, fortem quoque significat. partim ironice, partim per amphibologiam, partim prophetice loquitur. Quin & ea potuit promittere secundum præsentem rerum statum, si Deus voluisset eum in melius rem commutare: virtutem ejus in re militari laudibus extollit, non suis, sed adulatorum: quæ ab aliis dicebantur, repetit. Quæ vers. 15. & 16. subjicit, ironice dicuntur & prophetice, habita ratione Judith. Circumduxit enim eum per Jerusalem in triumphi modum: cum hoste patriæ, & divinarum rerum aperte agere non tenebatur; jus habuit celandæ veritatis, potuit ambiguo sermone uti; cum duplex esset verborum sensus, satis id fuit, ut si esset verus, quem Judith conceperat animo; cujusmodi sunt illa verba vers. 4. *Si secutus fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum.* Executioni mandabit quod decrevit, perfectam dabit victoriam, non tibi, sed de te. Sic illud vers. 12. *Certum est quod in perditionem dabuntur*, nisi Deus succurreret, non sine miraculo. Proinde prophetico sensu loqui potuit de futura captivitate. August. de mendacio ad Consent. cap. 5. *Credendum est illos homines omnia prophetice gessisse, atque dixisse. Quod autem figurate fit, aut dicitur, non est mendacium*: sed nihil dixit contra veritatem. Quamvis Abulensis quæst. in cap. 1. Exod. & Lyranus ad hæc verba, *Ideo fugi a facie eorum*; & S. Thomas in caput 10. vers. 11. officiosa mendacia concedant, nec absurde quis dixerit in præclaro illo facinore aliquid humani admissum fuisse.

CAP. XII. 1. (*a*) Ubi erant vasa & supellex pretiosa.

4. (*b*) Ut liberem patriam meam.

5. Et petiit dum introiret, ut daretur ei copia nocte & ante lucem egrediendi foras ad orationem, & deprecandi Dominum.

6. Et præcepit cubiculariis suis, ut sicut placeret illi, exiret & introiret ad adorandum Deum suum, per triduum:

7. Et exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat se in fonte aquæ.

8. Et ut ascendebat, orabat Dominum Deum Israel, ut dirigeret viam ejus ad liberationem populi sui.

9. Et introiens, munda manebat in tabernaculo, usque dum acciperet escam suam in vespere.

10. Et factum est, in quarto die Holofernes fecit cœnam servis suis, & dixit ad Vagao eunuchum suum: Vade, & suade Hebræam illam, ut sponte consentiat (c) habitare mecum.

11. Fœdum est enim apud Assyrios, si femina irrideat virum, agendo ut immunis ab eo transeat.

12. Tunc introivit Vagao ad Judith, & dixit: Non vereatur bona puella introire ad dominum meum, ut honorificetur ante faciem ejus, ut manducet cum eo, & bibat vinum in jucunditate.

13. Cui Judith respondit: Quæ ego sum, ut contradicam (d) domino meo?

14. Omne quod erit ante oculos ejus bonum & optimum faciam. Quidquid autem illi placuerit, hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ.

15. Et surrexit, & ornavit se vestimento suo, & ingressa stetit ante faciem ejus.

16. Cor autem Holofernis concussum est: erat enim ardens in concupiscentia ejus.

17. Et dixit ad eam Holofernes: Bibe nunc, & accumbe in jucunditate, quoniam invenisti gratiam coram me.

18. Et dixit Judith: Bibam domine, quoniam magnificata (e) est anima mea hodie præ omnibus diebus meis.

19. Et accepit, & manducavit, & bibit coram ipso ea, quæ paraverat illi ancilla ejus,

20. Et jucundus factus est Holofernes ad eam, bibitque vinum multum nimis, quantum nunquam biberat in vita sua.

CAPUT XIII.

Finita cœna Holofernes vino obrutus dormit alte Judith sola in cubiculo inclusa orat Deum et occidit Holofernem: caput aufert secum: redit Bethuliam. Deo gratiæ aguntur, & magna sequitur gratulatio.

1. UT autem sero factum est, festinaverunt servi illius ad hospitia sua, & conclusit Vagao ostia cubiculi, & abiit.

2. Erant autem omnes fatigati a vino:

3. Eratque Judith sola in cubiculo.

4. Porro Holofernes jacebat in lecto, nimia ebrietate sopitus.

5. Dixitque Judith puellæ suæ ut staret foris (a) ante cubiculum, & observaret.

6. Stetitque Judith ante lectum, orans cum lacrymis, & labiorum motu in silentio,

7. Dicens: Confirma me Domine Deus Israel, & respice in hac hora ad opera manuum mearum, ut, sicut promisisti (b), Jerusalem civitatem tuam erigas: & hoc quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam.

8. Et cum hæc dixisset, accessit ad columnam (c), quæ erat ad caput lectuli ejus, & pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat, exolvit.

9. Cumque evaginasset illum, apprehendit comam capitis ejus, & ait: Confirma me Domine Deus in hac hora.

10. Et percussit bis in cervicem ejus, & abscidit caput ejus, & abstulit conopeum ejus a columnis, & evolvit (d) corpus ejus truncum.

11. Et post pusillum exivit, & tradidit caput Holofernis ancillæ suæ, & jussit ut mitteret illud in peram suam.

12. Et exierunt duæ, secundum consuetudinem suam, quasi ad orationem, & transierunt castra, & gyrantes vallem, venerunt ad portam civitatis.

13. Et dixit Judith a longe custodibus murorum: Aperite portas, quoniam nobiscum est Deus, qui fecit virtutem in Israel.

14. Et factum est, cum audissent viri vocem ejus, vocaverunt presbyteros civitatis.

15. Et concurrerunt ad eam omnes, a minimo usque ad maximum: quoniam sperabant (e) eam jam non esse venturam.

16. Et accendentes luminaria congyraverunt circa eam universi: illa autem ascendens in eminentiorem locum, jussit fieri silentium. Cumque omnes tacuissent,

17. Dixit Judith: Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se:

18. Et in me ancilla sua adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israel: & interfecit in manu mea hostem populi sui hac nocte.

19. Et proferens de pera caput Holofernis, ostendit illis, dicens: Ecce caput Holofernis principis militiæ Assyriorum, & ecce conopeum illius, in quo recumbebat in ebrietate sua, ubi per manum feminæ percussit illum Dominus Deus noster.

20. Vivit autem ipse Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari, sed sine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoria sua, in evasione mea, & in liberatione vestra.

21. * Con-

10. (c) Fecit Holofernes cœnam servis suis, hoc est, domesticis, non ducibus, ne testes essent suæ libidinis.

13. (d) Duplex verborum sensus, unus simplex, quo tantum ad cœnam & ad familiaritatem quamdam invitabatur, alter tectus & insidiosus, quo ad peccatum vocabatur Judith. In priori sensu & magis obvio verba Eunuchi accepit Judith: vel potius domini sui nomine, Deum ipsum intelligit, cui uni placere vult.

18. (e) Quod homo impius mulieris manu sit interficiendus.

CAP. XIII.

5. (a) Ne quis accederet, aut consilium ejus audiret.

7. (b) Promisisti sæpe per Prophetas fore ut ab hostibus populum ad te confugientem liberares.

8. (c) Græce τοῦ κώνωπος. Serarius legendum putat, τοῦ κίονος: quæ vox κίων, columnam significat. Et pugionem ejus, Græce ἀκινάκην, acinacem, seu ensem Persicum, qui brevior erat.

10. (d) Ut majorem incuteret spectatoribus terrorem.

15. (e) Metuebant, de reditu ejus desperabant.

* Psal. 105. 1. & 106. 1. 21. * Confitemini illi omnes, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus.

22. Universi autem adorantes Dominum, dixerunt ad eam: Benedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum redegit inimicos nostros.

23. Porro Ozias (f) princeps populi Israel, dixit ad eam: Benedicta es tu filia a Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram.

24. Benedictus Dominus, qui creavit cælum & terram, qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum nostrorum:

25. Quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ propter angustias & tribulationem generis tui, sed subvenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri.

26. Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.

27. Porro Achior vocatus venit, & dixit ei Judith: Deus Israel, cui tu testimonium dedisti quod ulciscatur se de inimicis suis, ipse caput omnium incredulorum incidit hac nocte in manu mea.

28. Et ut probes quia ita est, ecce caput Holofernis, qui in contemptu superbiæ suæ Deum Israel contempsit, & tibi interitum minabatur, dicens: Cum captus fuerit populus Israel, gladio perforari præcipiam latera tua.

29. Videns autem Achior caput Holofernis, angustiatus præ pavore, cecidit in faciem suam super terram, & æstuavit anima ejus.

30. Postea vero quam resumpto spiritu recreatus est, procidit ad pedes ejus, & adoravit eam, & dixit:

31. Benedicta tu a Deo tuo in omni tabernaculo Jacob, quoniam in omni gente, quæ audierit nomen tuum, magnificabitur super te Deus Israel.

CAPUT XIV.

Holofernis capite in muro suspenso, Achiorque circumciso, Judæi in Assyrios irruunt; qui Holofernem mortuum invenientes, vehementi timore concutiuntur.

1. Dixit autem Judith ad omnem populum: Audite me fratres, suspendite caput hoc super muros nostros:

2. Et erit, cum exierit Sol, accipiat unusquisque arma sua, & exite cum impetu, non ut descendatis (a) deorsum, sed quasi impetum facientes.

3. Tunc exploratores necesse erit ut fugiant ad principem suum excitandum ad pugnam.

4. Cumque duces eorum cucurrerint ad tabernaculum Holofernis, & invenerint eum truncum in suo sanguine volutatum, decidet super eos timor.

5. Cumque cognoveritis fugere eos, ite post illos securi, quoniam Dominus conteret eos sub pedibus vestris.

6. Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Israel, relicto gentilitatis ritu, credidit Deo, & circumcidit carnem præputii sui, & appositus est ad populum Israel, & omnis successio generis ejus usque in hodiernum diem.

7. Mox autem ut ortus est dies, suspenderunt super muros caput Holofernis, accepitque unusquisque vir arma sua, & egressi sunt cum grandi strepitu & ululatu.

8. Quod videntes exploratores, ad tabernaculum Holofernis cucurrerunt.

9. Porro hi, qui in tabernaculo erant, venientes, & ante ingressum cubiculi perstrepentes, excitandi gratia, inquietudinem arte moliebantur, ut non ab excitantibus, sed a sonantibus Holofernes evigilaret.

10. Nullus enim audebat cubiculum virtutis Assyriorum pulsando aut intrando aperire.

11. Sed cum venissent ejus duces ac tribuni, & universi majores exercitus regis Assyriorum, dixerunt cubiculariis:

12. Intrate, & excitate illum, quoniam egressi mures de cavernis suis, ausi sunt provocare nos ad prælium.

13. Tunc ingressus Vagao cubiculum ejus, stetit ante cortinam, & plausum fecit manibus suis: suspicabatur enim illum cum Judith dormire:

14. Sed cum nullum motum jacentis sensu aurium caperet, accessit proximans ad cortinam, & elevans eam, videnfque cadaver absque capite Holofernis in suo sanguine tabefactum jacere super terram, exclamavit voce magna cum fletu, & scidit vestimenta sua.

15. Et ingressus tabernaculum Judith, non invenit eam, & exiliit foras ad populum,

16. Et dixit: Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor; ecce enim Holofernes jacet in terra, & caput ejus non est in illo.

17. Quod cum audissent principes virtutis Assyriorum, sciderunt omnes vestimenta sua, & intolerabilis timor & tremor cecidit super eos, & turbati sunt animi eorum valde.

18. Et factus est clamor incomparabilis in medio castrorum eorum.

CAPUT XV.

Assyrii persequentes Hebræos, omnibus relictis, fugiunt: Judith a pontifice & populo benedicitur, & quæ Holofernis propria fuerant, ipsi traduntur.

1. Cumque omnis exercitus decollatum Holofernem audisset, fugit mens & consilium ab eis, & solo tremore & metu agitati, fugæ præsidium sumunt,

2. Ita ut nullus loqueretur cum proximo suo, sed inclinato capite, relictis omnibus, evadere festinabant Hebræos, quos armatos super se venire audiebant, fugientes per vias camporum & semitas collium.

3. Videntes itaque filii Israel fugientes, secuti sunt illos. Descenderuntque clangentes tubis, & ululantes post ipsos.

4. Et

23. (f) Inter Israelitas, qui post & decem tribuum captivitatem adhæserant regno Judæorum, saltem professione religionis princeps erat Ozias.

CAP. XIV. 2. (a) Nam repulsi facile fuissent ab Assyriis. Sed velut impetum facientes; Assyrii ad tabernaculum Holofernis concurrentes, eo spectaculo turbabuntur.

4. Et quoniam Assyrii non adunati, in fugam ibant præcipites: filii autem Israel uno agmine persequentes, debilitabant omnes, quos invenire potuissent.

5. Misit itaque Ozias nuntios per omnes civitates & regiones Israel.

6. Omnis itaque regio, omnisque urbs electam juventutem armatam misit post eos, & persecuti sunt eos in ore gladii, quousque pervenirent ad extremitatem finium suorum.

7. Reliqui autem, qui erant in Bethulia, ingressi sunt castra Assyriorum, & prædam, quam fugientes Assyrii reliquerant, abstulerunt, & onustati sunt valde.

8. Hi vero, qui victores reversi sunt ad Bethuliam, omnia quæ erant illorum attulerunt secum, ita ut non esset numerus in pecoribus, & jumentis, & universis mobilibus eorum, ut a minimo usque ad maximum omnes divites fierent de prædationibus eorum.

9. Joacim autem summus pontifex de Jerusalem venit in Bethuliam cum universis presbyteris suis, ut videret Judith.

10. Quæ cum exisset ad illum, benedixerunt eam omnes una voce, dicentes: Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri:

11. Quia fecisti viriliter, & confortatum est cor tuum, eo quod castitatem amaveris, & post virum tuum, alterum nescieris: ideo & manus Domini confortavit te, & ideo eris benedicta in æternum:

12. Et dixit omnis populus: Fiat, fiat.

13. Per dies autem triginta, vix collecta sunt spolia Assyriorum a populo Israel.

14. Porro autem universa, quæ Holofernis peculiaria fuisse probata sunt, dederunt Judith in auro, & argento, & vestibus, & gemmis, & omni supellectili, & tradita sunt omnia illi a populo.

15. Et omnes populi gaudebant cum mulieribus, & virginibus, & juvenibus, in organis & citharis.

CAPUT XVI.

Judith proficiscitur Jerosolymam gratias Deo actura cum populo. Gladium & conopeum offert in anathema: dies festus decernitur. Vita Judith, ætas, mors denique.

1. TUnc cantavit canticum hoc Domino Judith, dicens:

2. Incipite (a) Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum novum, exaltate & invocate nomen ejus.

3. Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi.

4. Qui posuit castra (b) sua in medio populi sui, ut eriperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum.

5. Venit Assur ex montibus ab Aquilone in multitudine fortitudinis suæ: cujus multitudo obturavit torrentes, & equi eorum cooperuerunt valles.

6. Dixit se incensurum fines meos, & juvenes meos occisurum gladio, infantes meos dare in prædam, & virgines in captivitatem.

7. Dominus autem omnipotens nocuit (c) eum, & tradidit eum in manus feminæ, & confodit eum.

8. Non enim cecidit potens eorum a juvenibus, nec filii Titan percusserunt eum, nec excelsi gigantes opposuerunt se illi, sed Judith filia Merari in specie faciei suæ dissolvit eum.

9. Exuit enim se vestimento viduitatis, & induit se vestimento lætitiæ in exultatione filiorum Israel.

10. Unxit faciem suam unguento, & colligavit cincinnos suos mitra, accepit stolam novam ad decipiendum illum.

11. Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus, pulcritudo ejus captivam fecit animam ejus, amputavit pugione cervicem ejus.

12. Horruerunt Persæ constantiam ejus, & Medi audaciam ejus.

13. Tunc ululaverunt castra Assyriorum, quando apparuerunt humiles mei, arescentes in siti.

14. Filii puellarum compunxerunt (d) eos, & sicut pueros fugientes occiderunt eos: perierunt in prælio a facie Domini Dei mei.

15. Hymnum cantemus Domino, hymnum novum cantemus Deo nostro.

16. Adonai Domine magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem superare nemo potest.

17. Tibi serviat omnis creatura tua: * quia dixisti, & facta sunt: misisti spiritum tuum, & creata sunt, & non est qui resistat voci tuæ. * Gen. 1. Ps. 32. 9.

18. Montes (e) a fundamentis movebuntur cum aquis: petræ, sicut cera, liquescent ante faciem tuam.

19. Qui autem timent te, magni erunt apud te per omnia.

20. Væ genti insurgenti super genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die judicii visitabit illos.

21. Dabit enim ignem, & vermes (f) in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum.

22. Et factum est post hæc, omnis populus post victoriam venit in Jerusalem adorare Dominum: & mox ut purificati sunt, obtulerunt omnes holocausta, & vota, & repromissiones suas.

23. Porro Judith universa vasa bellica Holofernis, quæ dedit illi populus, & conopeum, quod ipsa sustulerat de cubili ipsius, obtulit in anathema oblivionis (g).

24. Erat

CAP. XVI. 2. & 3. (a) Epinicium canit Judith. Incipite; psallere. Dominus conterens bella exercit[illegible]

4. (b) [illegible] Anc[illegible]

7. [illegible] Percussit eum [illegible] Nec filii Titan percusserunt eum, non gigantes [illegible] Qui [illegible] quod dicitur [illegible] per ea vocabula quæ [illegible] combiberunt.

14. (d) [illegible] sunt [illegible].

18. [illegible] hominum [illegible]

21. [illegible] & propria & metaphorice. [illegible]

23. (g) [illegible] Græco [illegible] esse, oblivionis, [illegible]

24. Erat autem populus jucundus secundum faciem sanctorum, & per tres menses gaudium hujus victoriæ celebratum est cum Judith.

25. Post dies autem illos unusquisque rediit in domum suam, & Judith magna facta est in Bethulia, & præclarior erat universæ terræ Israel.

26. Erat etiam virtuti castitas adjuncta, ita ut non cognosceret virum omnibus diebus vitæ suæ, ex quo defunctus est Manasses vir ejus.

27. Erat autem diebus festis procedens cum magna gloria.

28. Mansit autem in domo viri sui annos (*h*) centum quinque, & dimisit abram liberam suam, & defuncta est ac sepulta cum viro suo in Bethulia.

29. Luxitque illam omnis populus diebus septem.

30. In omni autem spatio vitæ ejus non fuit qui perturbaret (*i*) Israel, & post mortem ejus annis multis.

31. Dies (*k*) autem victoriæ hujus festivitatis, ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur a Judæis ex illo tempore usque in præsentem diem.

28 (*h*) Hoc est, usque ad annum 105. vita ejus producta est.

30 (*i*) Pax secuta est, eaque diuturna usque ad captivitatem Babylonicam.

31. (*k*) Deest hæc clausula in Græco textu; nulla quidem hujus festivitatis ex facto Judith instituta extat in libris Judæorum memoria: sed, ut sæpe evenit, ea potuit temporum lapsu abrogari. Neque id ulli homini sano in mentem venire potest hoc festum a Judæis numquam fuisse celebratum. Auctor enim se omnibus ridendum præbuisset, qui ad sua usque tempora festum illud solemni ritu celebratum fuisse assereret, si falsum id fuisset: Neque id Grotio quis concedet hoc festum esse Encænia a Juda Machabæo longo post tempore celebrata. Nam ipse in præfatione fatetur hanc historiam compositam fuisse antequam Antiochus templum profanaret. Cumque hæc verba Joannis exponit, *Facta sunt encænia*, hoc festum a Juda Machabæo institutum fuisse ait. Festum illud encæniorum post Josephi tempora desiisse ait, quod utique de festo, cujus fit mentio in Lib. Judith, quodque multis ante sæculis fuerat præscriptum, potiori ratione dici potest, præsertim cum Judæi tot revolutionibus obnoxii multa ejusmodi festa ob insignes victorias de hostibus reportatas celebrare desierint.



LIBER ESTHER.

Hujus Libri argumentum est liberatio Judæorum ab imminente gentis excidio. Estheris & Mardochæi exaltatio; festivitatis Phurim, *seu sortium institutio. Quod autem hæc historia non sit commentitia, ut calumniantur Lutherani, hinc liquet, quod Judæi diutissime observaverint hanc solemnitatem* Phurim, *ut liquet ex lib. 2. Machab. cap. 15. ex Codice Theodos. Tit.* de Judæis. *Quin & ab Hebræis ut canonicus semper habitus est hic liber, teste Josepho scribente contra Appionem, Athanasio in Synopsi, aut quisquis sit alius Auctor, & Epiphanio hæresi 29.*

Sex posteriora capita in Hebraico exemplari desiderantur. Hieronymus in Joel. 1. & Isaiæ 65. citat cap. 14. Estheris: etsi in præfatione hujus Libri ait se nactum esse exemplar, cui canonicam auctoritatem non tribuit, quod forte nondum id esset emendatum. Quæ Hieronymi dubitatio occasionem præbuit Rabano, Lyrano & Sixto Senensi, ut magnam hujus Libri partem inter apocrypha recenserent, quod in Hebræo textu & in Græcis interpretibus desideretur, sed ea tantum capita in vulgata editione reperta sint. Sed librum integrum agnoscit Ecclesia ex Concilio Tridentino, quod recepit libros omnes, eosque integros cum omnibus suis partibus, legi solitos in Ecclesia, & vulgata editione contentos.

Neque hac in re audiendus est Sixtus Senensis, lib. 1. Biblioth. cum ait verba Concilii intelligi de veris ac germanis partibus, non de male assumptis: nam ut sint quædam in postremis capitibus difficilia, quæ suo loco exponentur, utraque epistola Assueri a Josepho profertur lib. 11. Antiq. cap. 6. atque iisdem verbis concepta est, quibus in vulgata editione. Hinc Mariana scribens in cap. 10. hujus Libri, & Sixti Senensis opinionem ponderans. Non ausim, *inquit,* huic sententiæ subscribere, *quod eadem libertate possent Danielis capita, quæ Hebraice non extant, explodi; neque certi aliquid relinquetur, si exceptio de veris & germanis partibus admittatur. Itaque in editione Romana, etsi studiose resecarunt apocrypha, ut Orationem Manassis, Libros Esdræ tertium & quartum, Machabæorum tertium, has tamen lacinias Libri Esther retinuerunt, ut alias librorum sacrorum partes.*

Fatendum est quidem hoc in Libro, ut in multis aliis, non servari rerum & tem-

& temporum ordinem. Quod refertur cap. 11. *v.* 2. *de somno Mardochæi, principium esse libri multi existimant.*

Quis ille fuerit Rex Assuerus, *valde obscurum est. An* Darius *Medus, qui &* Cyaxares *dictus fuit? Hæc quidem vox affinis est* Assueri *vocabulo* 120. *satrapæ apud Danielem cap.* 5. *in Assuerum satis conveniunt; ætas ipsa Mardochæi, si is ipse in transmigratione sub Jechonia translatus fuit, huic favet conjecturæ. Darius Medis & Persis imperabat, sed tamen penes Cyrum præcipua erat auctoritas juxta Xenophontem. Nec Darii imperium ab India usque ad Æthiopiam patuit.*

Quamquam in Scripturis duplex Æthiopia, una in Arabia, in Africa est altera. An forte Assuerus *ille est* Cambyses *Ciri filius? nam lib.* 1. *Esdræ cap.* 4. *idem* Assuerus *vocitatur, ac mores satis conveniunt. Sed Cambyses septem tantummodo, aut octo annos regnavit.*

Quid ergo? an Darius Hystaspis filius is ipse est Assuerus? multa id suadent; imperium ejus late fusum ab India ad Æthiopiam usque porrectum: Nam & Arabes & Indos primus in suam redegit ditionem, ac libro 3. *Esdræ imperii ejus fines sic describuntur, ut ab Herodoto fere non dissentiant. Urbs regia utriusque & Assueri & Darii Susa fuit, quam Darius ornavit, insigne palatium extruxit, in quo thesauros suos reposuit ex Herodoto: Insulas maris sibi subjecit, uti cap.* 10. *hujus Libri scriptum legimus, idque a Thucydide est confirmatum. Verum obstant tres uxores Darii ex Herodoto, quarum nulla* Esther *esse potuit: præter quam Darius jam ab initio regni sui Judæis favit. Mitto ætatem* Mardochæi, *hujus Darii temporibus ad* 90. *usque annos provectam; aulico homini minus idoneam videri.*

Quamquam ex textu Hebræo non satis liquet, an cum Jechonia *ipse fuerit Babylonem abductus, an ejus proavus* Cis *nomine, & ipse* Mardochæus *e stirpe eorum fuerit, qui deportati sunt e Judæa, & translati Babylonem a Nabuchodonosore: Atque ea ratione potuit* Assuerus *unus esse ex iis regibus qui sunt consecuti. Nam cap.* 2. *vers.* 6. *sic habet textus Hebraicus, ut dubium relinquat an* Mardochæus *ipse, aut avus illius* Cis *e Judæa translatus fuerit.*

Quod autem textus Græcus Assuerum *Estheris maritum* Artaxerxis *nomine designet,* & Aman *Macedonem fuisse doceat, vix* Dario, *aut ullis decessoribus* Artaxerxis *aptari potest: cum iis temporibus Macedonum nomen in Chaldæa, & in Assyria penitus esset incognitum. Unde Josephus ad Artaxerxem Longimanum hanc producit historiam, cui textus Græcus non parum favet. Res est in ambiguo posita, ac meo quidem judicio Josephi sententia sua probabilitate non caret.*

Hic Liber primum Hebraice scriptus est, qualis ad versiculum usque 24. *cap.* 10. *legitur. Sed plerisque auctus videtur ab Auctore Hagiographo, eoque forsan Hellenista Judæo. Quin etiam ab aliis jam facta fuerant quædam additamenta juxta Hieronymum.* Librum Esther, *inquit*, variis translationibus constat esse vitiatum: quem ego de Archiviis Judæorum revelans verbum e verbo pressius transtuli. Quem librum editio vulgata laciniosis hinc inde verborum finibus trahit, addens ea quæ ex tempore dici poterant & audiri. Sicut solitum est scholaribus disciplinis sumpto themate excogitare, quibus verbis uti potuit, qui injuriam passus est, vel ille qui injuriam fecit.

Quæ initio cap. 11. *facta est additio, tempus ipsum quo facta est, non obscure designat; uti & multa alia quæ præter ceteros Theologus Parisiensis* Elias du Pin *cap.* 3. *prolegomenon fuse prosequitur. Styli quoque diversitas id ipsum suadet; atque hæc additamenta in Græco tantum textu occurrunt, non in aliis versionibus, eaque bona fide a Græco translatore inserta sunt.*

Quis Auctor hujus Libri fuerit, & qua ætate res conscriptæ in eo evenerint, magna est & vetus controversia. Plerique a Mardochæo *ipso librum editum esse ex cap.* 9. *v.* 20. *colligunt:* Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & litteris comprehensa misit ad Judæos. *Thalmudistæ hoc opus esse Synagogæ magnæ fœtum opinantur, cui sententiæ adstipulari videtur Illustr.* Huetius. *Nam alias pene omnes de Auctore hujus Libri sententias conciliat, tum eorum qui Esdræ, tum aliorum qui* Joachimo *Josue summi Pontificis filio, aut* Mardochæo *ipsi eum tribuunt Librum.*

brum. Hunc vero non esse Esdræ temporibus recentiorem hinc colligi posse videtur, quod in Canonem Hebræorum fuerit adscriptus, quem Artaxerxe Longimano non fuisse posteriorem ex Josepho ostendimus.

Narrat quidem Mardochæus se librum scripsisse, eumque ad Judæos misisse: sed liber ille fuit Epistola *Mardochæi, quam ideo scripsit, ut festivitas sortium anniversario ritu celebraretur, uti ex cap. 9. & initio cap. 10. colligitur. Caussam vero hujus solemnitatis, & cæremonias explicare fuit magnæ synagogæ munus, quæ fortasse Mardochæi & Estheris epistolam huic Libro totam inseruit, quibusdam tantum adjectis ad historiæ lucem.*

Sex vero postrema capita Hebraice scripta olim fuisse, tum excidisse putat Origenes in epistola ad Africanum. Sixtus Senensis ea censet deprompta e variis historicis: sed eam opinionem jam supra rejecimus. Bellarminus duas suspicatur fuisse editiones Hebraicas, unam quæ extat quæque brevior est, alteram uberiorem, quæ intercidit: sed ex ea prodiit Græca interpretatio.

Huetius *qui Synagogæ magnæ hunc libellum attribuit, complures ad eum scribendum adjecisse animum existimat; atque inde factum est, ut diversa ejus prodierint exemplaria, unum quod habemus, alterum locupletius, ex quo quæ habemus Græca cum additamentis sunt derivata. Origenes tomo 2. in Joann. nonnulla ex cap. 14. profert ut a LXX. in Græcum sermonem conversa.* In Libro, *inquit*, Esther, qui est juxta LXX. quæ opponi solent, suo quæque loco diluentur.

CAPUT PRIMUM.

Regis Assueri convivium: Vasthi regina invitatur a Rege: huic interesse dedignata ejicitur.

1. IN diebus Assueri (*a*), qui regnavit ab India usque Æthiopiam, super centum viginti septem provincias:

2. Quando sedit in solio regni sui, Susan civitas regni ejus exordium (*b*) fuit.

3. Tertio igitur anno imperii sui fecit grande convivium cunctis principibus, & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & præfectis provinciarum coram se,

4. Ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus.

5. Cumque implerentur dies convivii, invitavit omnem populum, qui inventus est in Susan, a maximo usque ad minimum: & jussit septem diebus convivium præparari in vestibulo (*c*) horti, & nemoris, quod regio cultu & manu consitum erat.

6. Et pendebant ex omni parte tentoria (*d*) aerii coloris, & carbasini ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei & argentei, super pavimentum smaragdino & pario stratum lapide, dispositi erant: quod mira varietate pictura decorabat.

7. Bibebant autem qui invitati erant, aureis poculis, & aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, ut magnificentia regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur.

8. Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet.

9. Vasthi quoque regina fecit convivium feminarum in palatio, ubi rex Assuerus manere consueverat.

10. Itaque die septimo, cum rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit Mauman, & Bazatha, & Harbona, & Bagatha, & Abgatha, & Zethar, & Charchas, septem eunuchis, qui in conspectu ejus ministrabant,

11. Ut

CAPUT I. 1. (*a*) Quis ille fuerit Rex Persarum, qui communi Persarum Imperatoribus nomine *Assuerus* nominatur, an *Darius* Hystaspidæ filius, an *Cambyses*, an *Artaxerxes* Longimanus, aut Mnemon, aut *Ochus* ut nonnullis videtur, magna est difficultas. Qua de re jam diximus in præfatione. Sunt qui Darium Hystaspidem esse velint, qui ex Herodoto Lib. 4. Indos subegit: eadem fere huic tribuuntur Lib. 3. Esdræ cap. 3. licet is liber sit apocryphus. Josephus Lib. 11. Longimanum Artaxerxem esse opinatur. *Qui regnavit ab India usque Æthiopiam*, sunt qui Æthiopiam Asiaticam esse putant, non Africanam: *Super 127. provincias*, seu præfecturas, & satrapias, in quibus erant judices & tribunalia. Hinc variæ erant ejusmodi præfecturæ penes voluntatem principis.

2. (*b*) Seu caput regni: inter Persidem & Babyloniam posita erat civitas, in qua anno tertio regni sui voluit inaugurari exhibendo solemne epulum aulicis, *& præfectis provinciarum*; Hebr. *& principibus*.

5. (*c*) Hebr. *In atrio domus Regis*: cetera forte addidit Interpres. *Invitavit omnem populum* in ultimis diebus convivii.

6. (*d*) Peristromata: *Aerii coloris*, colores illos alii aliter exponunt. *Super pavimentum smaragdino & pario stratum lapide*: vox Hebræa *Sais*, שיש, & *Ses*, שש, lapidem significat marmori similem: diversa marmoris genera forte indicat. *Quod mira varietate pictura decorabat*: Quæ desunt in Hebræo, ex lapidum varietate.

11. Ut introducerent reginam Vasthi coram rege, posito super caput ejus diademate, ut ostenderet cunctis populis & principibus pulcritudinem illius: erat enim pulcra valde.

12. Quæ renuit, & ad regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, venire contempsit. Unde iratus rex, & nimio furore succensus,

13. Interrogavit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges, ac jura majorum:

14. (Erant autem primi & proximi, Charsena, & Sethar, & Admatha, & Tharsis, & Mares, & Marsana, & Mamuchan, septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, & primi post eum residere soliti erant)

15. Cui sententiæ Vasthi regina subjaceret, quæ Assueri regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, facere noluisset.

16. Responditque Mamuchan, audiente rege, atque principibus: Non solum regem læsit regina Vasthi, sed & omnes populos, & principes, qui sunt in cunctis provinciis regis Assueri.

17. Egredietur enim sermo reginæ ad omnes mulieres, ut contemnant viros suos, & dicant: Rex Assuerus jussit ut regina Vasthi intraret ad eum, & illa noluit.

18. Atque hoc exemplo omnes principum conjuges Persarum atque Medorum, parvipendent imperia maritorum: unde regis justa est indignatio.

19. Si tibi placet, egrediatur edictum a facie tua, & scribatur juxta legem Persarum atque Medorum, quam præteriri illicitum est, ut nequaquam ultra Vasthi ingrediatur ad regem, sed regnum illius, altera, quæ melior est illa, accipiat.

20. Et hoc in omne (quod latissimum est) provinciarum tuarum divulgetur imperium, & cunctæ uxores tam majorum, quam minorum deferant maritis suis honorem.

21. Placuit consilium ejus regi, & principibus: fecitque rex juxta consilium Mamuchan.

22. Et misit epistolas ad universas provincias regni sui, ut quæque gens audire & legere poterat, diversis linguis & litteris, esse viros principes ac majores in domibus suis: & hoc per cunctos populos divulgari.

CAPUT II.

Esther in locum Vasthi ad Regem inducitur: Bagathan conspirat adversus Regem: proditionem detegit Mardochæus.

1. HIs ita gestis, postquam regis Assueri indignatio deferbuerat, recordatus est Vasthi, & quæ fecisset, vel quæ passa esset:

2. Dixeruntque pueri regis, ac ministri ejus: Quærantur regi puellæ virgines ac speciosæ,

3. Et mittantur qui considerent per universas provincias puellas speciosas & virgines: & adducant eas ad civitatem Susan, & tradant eas in domum feminarum sub manu Egei eunuchi, qui est præpositus & custos mulierum regiarum: & accipiant mundum muliebrem, & cetera ad usus necessaria.

4. Et quæcumque inter omnes oculis regis placuerit, ipsa regnet pro Vasthi. Placuit sermo regi: & ita, ut suggesserant, jussit fieri.

5. Erat vir Judæus in Susan civitate, vocabulo Mardochæus * filius (a) Jair, filii Semei, * Inf. 11. 2.
filii Cis, de stirpe Jemini,

6. Qui translatus (b) fuerat de Jerusalem eo tempore, * quo Jechoniam regem Juda Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat, * 4. Reg. 24. 15.

7. Qui fuit nutritius filiæ (c) fratris sui Edissæ, quæ altero nomine vocabatur Esther: & utramque parentem amiserat: pulcra nimis, & decora facie. Mortuisque patre ejus ac matre, Mardochæus sibi eam adoptavit in filiam.

8. Cumque percrebuisset regis imperium, & juxta mandatum illius multæ pulcræ virgines adducerentur Susan, & Egeo traderentur eunucho; Esther quoque inter ceteras puellas ei tradita est, ut servaretur in numero feminarum.

9. Quæ placuit (d) ei, & invenit gratiam in conspectu illius. Et præcepit eunucho, ut accelerarет mundum muliebrem, & traderet ei partes suas, & septem puellas speciosissimas de domo regis, & tam ipsam, quam pedissequas ejus ornaret atque excoleret.

10. Quæ noluit indicare (e) ei populum & patriam suam; Mardochæus enim præceperat ei, ut de hac re omnino reticeret:

11. Qui deambulabat quotidie ante vestibulum domus, in qua electæ virgines servabantur, curam agens salutis Esther, & scire volens quid ei accideret.

12. Cum autem venisset tempus singularum per ordinem puellarum, ut intrarent ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, mensis duodecimus vertebatur: ita dumtaxat, ut sex mensibus oleo ungerentur myrrhino, & aliis sex quibusdam pigmentis & aromatibus uterentur.

13. Ingredientesque ad regem, quidquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebant, & ut eis placuerat, compositæ de triclinio feminarum ad regis cubiculum transibant.

14. Et quæ intraverat vespere, egrediebatur mane, atque inde in secundas (f) ædes deducebatur, quæ sub manu Susagazi eunuchi erant, qui concubinis regis præsidebat: nec habebat potestatem ad regem ultra redeundi, nisi voluisset rex, & eam venire jussisset ex nomine.

15. Evo-

CAP. II.

5. (a) Quæ nomina vulgaria erant in ea tribu.
6. (b) An Cis ipse Mardochæi proavus? Ita quidem statuendum, si hæc historia ad extremum imperium Persarum refertur, isque translatus fuerit in parentibus suis. Quod autem cap. 11. vers. 4. de eo scriptum est: *Erat autem de eo numero captivorum, quos transtulerat Nabuchodonosor*, hoc est, ex eo populo, qui tum temporis abductus fuit in captivitatem. Unde in avo suo, aut proavo, non in propria persona captivus fuit.
7. (c) Hebr. *Filia patrui sui*: ex Josepho, Mardochæus erat patruus Esther.

9. (d) Eunucho regio: *Et præcepit eunucho*, alteri eunucho: *Et traderet ei partes suas*: cibos e mensa Regis.
10. (e) Cum nata esset Susæ, de patria sua aut gente non fuit interrogata.
14. (f) Hebr. *Revertebatur in domum mulierum secundum*. Vox Hebræa *Seni*, שני, & *secundam*, significare potest, & *secundo*: adeo ut ad eamdem domum reverteretur sub alio præfecto: nam vers. 3. unius domus facit mentionem, non plurium.

15. Evoluto autem tempore per ordinem, instabat dies, quo Esther filia Abihail fratris Mardochæi, quam sibi adoptaverat in filiam, deberet intrare ad regem. Quæ non quæsivit muliebrem cultum, sed quæcumque voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valde, & incredibili pulcritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur.

16. Ducta est itaque ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth, septimo anno regni ejus.

17. Et adamavit eam rex plus quam omnes mulieres, habuitque (g) gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite ejus, fecitque eam regnare in loco Vasthi.

18. Et jussit convivium præparari permagnificum cunctis principibus, & servis suis, pro conjunctione & nuptiis Esther. Et dedit requiem universis provinciis, ac dona largitus est juxta magnificentiam principalem.

19. Cumque secundo quærerentur virgines (h) & congregarentur, Mardochæus manebat ad januam regis;

20. Necdum prodiderat Esther patriam, & populum suum, juxta mandatum ejus. Quidquid enim ille præcipiebat, observabat Esther: & ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat.

21. Eo igitur tempore (i), quo Mardochæus ad regis januam morabatur, irati sunt Bagathan & Thares duo eunuchi regis, qui janitores erant, & in primo palatii limine præsidebant: volueruntque insurgere in regem, & occidere eum.

22. Quod Mardochæum non latuit, statimque nuntiavit reginæ Esther: & illa regi ex nomine Mardochæi, qui ad se rem detulerat.

23. Quæsitum est, & inventum: & appensus est uterque eorum in patibulo. Mandatumque est historiis, & annalibus traditum coram rege.

CAPUT III.

Aman de stirpe Agag secundus a Rege factus, Mardochæo infensus quod eum adorare nollet, de universa Judæorum gente delenda edictum ferale a Rege extorquet, ut certa die omnes occiderentur.

1. POst hæc rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag (a): & posuit solium ejus super omnes principes, quos habebat.

2. Cunctique servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: sic enim præceperat eis imperator (b): solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum.

3. Cui dixerunt pueri regis, qui ad fores palatii præsidebant: Cur præter ceteros non observas mandatum regis?

4. Cumque hoc crebrius dicerent, & ille nollet audire, nuntiaverunt Aman, scire cupientes utrum perseveraret in sententia: dixerat enim eis se esse Judæum.

5. Quod cum audisset Aman, & experimento probasset quod Mardochæus non flecteret sibi genu, nec se adoraret, iratus est valde.

6. Et pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus suas: audierat enim quod esset gentis Judææ: magisque voluit omnem Judæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem.

7. Mense primo (cujus vocabulum est Nisan) anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in urnam (c), quæ Hebraice dicitur phur, coram Aman, quo die & quo mense gens Judæorum deberet interfici: & exivit mensis duodecimus, qui vocatur Adar.

8. Dixitque Aman regi Assuero: Est populus per omnes provincias regni tui dispersus, & a se mutuo separatus, novis utens legibus & cæremoniis, insuper & regis scita contemnens. Et optime nosti quod non expediat regno tuo ut insolescat per licentiam.

9. Si tibi placet, decerne ut pereat, & decem millia talentorum (d) appendam arcariis gazæ tuæ.

10. Tulit ergo rex annulum, quo utebatur, de manu sua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Judæorum,

11. Dixitque ad eum: Argentum, quod tu polliceris, tuum sit: de populo age quod tibi placet.

12. Vocatique sunt scribæ regis mense primo Nisan, tertiadecima die ejusdem mensis: & scriptum est, ut jusserat Aman, ad omnes satrapas regis, & judices provinciarum, diversarumque gentium, ut quæque gens legere poterat, & audire pro varietate linguarum, ex nomine regis Assueri: & litteræ signatæ ipsius annulo,

13. Missæ sunt per cursores regis ad universas provincias, ut occiderent atque delerent omnes Judæos, a puero usque ad senem, parvulos & mulieres, uno die, hoc est, tertiodecimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent.

14. Sum-

17. & 18. (g) Illius gratiam sibi conciliavit Regiam, id est, dies festos egit, aut potius tributa & onera imminuit.

19. (h) Quæ Regi nuberent secundo: nam primum id factum erat ante Vasthi connubium.

21. (i) Postquam illa virginum inquisitio facta est, & Esther matrimonium consummatum.

CAP. III. 1. (a) Cap. 16. LXX. Interpretes & noster ajunt eum fuisse Macedonem; communiter responsio est, ex paterno genere fuisse Amalecitam, ex materno Macedonem: Huetius id probabile existimat. Græcum interpretem aliter legisse verba Hebraica cap. 16. vel potius nec in libro nomina Hebraica misere [illegible] & deformia [illegible] Lysimachum, de quo [illegible] pro Agag eum [illegible] Macedo[illegible] hæc fa[illegible] Macedonum nomen ob [illegible] post [illegible] tempore.

2. (b) Ex Q. Curtio Lib. 8. Persarum reges adorari se volebant ut deos: id recusat Mardochæus; ex quo id liquet cultum latriæ externum distinctum fuisse a cultu civili: alioqui imprudenter egisset Mardochæus si denegasset cultum, quem mens sola potuit corrigere. Nec abhorret a verisimili noluisse Mardochæum hunc honorem deferre homini Amalecitæ, populi Dei inimico.

7. (c) Quæ Hebraice dicitur פור Phur: vocem hanc Phur, פור, alii Hebream, alii melius Persicam esse ajunt, quod videtur satis probabile. Ideo enim Hebraica interpretatio adjungitur, *ipsa sors*, nempe est. Id erat solemne Persis & Orientalibus populis, ut sortes mitterent, cum rem aliquam majoris momenti faciendam susciperent, ut dies fausti consiliorum executioni contingerent.

9. (d) Argenti, ad resarcienda tributa, quæ ex ea gente colligi solebant, id quoque lucri e spoliis Judæorum pollicitus est, ut ostenderet gentem illam esse locupletem.

14. Summa autem epistolarum hæc fuit, ut omnes provinciæ scirent, & pararent se ad prædictam diem.

15. Festinabant cursores, qui missi erant, regis imperium explere. Statimque in Susan pependit edictum, rege & Aman celebrante convivium, & cunctis Judæis, qui in urbe erant, flentibus.

CAPUT IV.

Luctus Mardochai & Estheris; quæ per nuntium inter Mardochæum, & Reginam acta fuerint, ut illa Regem adiret.

1. QUæ cum audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti: & in platea mediæ civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui.

2. Et hoc ejulatu usque ad fores palatii gradiens. Non enim erat licitum indutam sacco aulam regis intrare.

3. In omnibus quoque provinciis, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Judæos, jejunium, ululatus, & fletus, sacco & cinere multis pro strato utentibus.

4. Ingressæ autem sunt puellæ Esther & eunuchi, nuntiaveruntque ei. Quod audiens consternata est: & vestem misit, ut ablato sacco induerent eum: quam accipere noluit.

5. Accitoque Athach eunucho, quem rex ministrum ei dederat, præcepit ei ut iret ad Mardochæum, & disceret ab eo cur hoc faceret.

6. Egressusque Athach, ivit ad Mardochæum stantem in platea civitatis, ante ostium palatii:

7. Qui indicavit ei omnia, quæ acciderant, quomodo Aman promisisset, ut in thesauros regis pro Judæorum nece inferret argentum.

8. Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Susan, dedit ei, ut reginæ ostenderet, & moneret eam, ut intraret ad regem, & deprecaretur eum pro populo suo.

9. Regressus Athach, nuntiavit Esther omnia, quæ Mardochæus dixerat.

10. Quæ respondit ei, & jussit ut diceret Mardochæo:

11. Omnes servi regis, & cunctæ quæ sub ditione ejus sunt, norunt provinciæ, quod sive vir, sive mulier, non vocatus, interius (a) atrium regis intraverit, absque ulla cunctatione statim interficiatur: nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atque ita possit vivere. Ego igitur quomodo ad regem intrare potero, quæ triginta jam diebus non sum vocata ad eum?

12. Quod cum audisset Mardochæus,

13. Rursum mandavit Esther, dicens: Ne putes quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Judæis:

14. Si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Judæi: & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis novit utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris?

15. Rursumque Esther hæc Mardochæo verba mandavit:

16. Vade & congrega omnes Judæos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter jejunabo, & tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti & periculo.

17. Ivit itaque Mardochæus, & fecit omnia, quæ ei Esther præceperat.

CAPUT V.

Esther adit Regem bene ornata, hanc blande excipit: invitat Regem ad convivium. Quæ autem cap. 15. a vers. 4. ad versiculum 19. narrantur, huc sunt revocanda.

1. DIe autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, & stetit in atrio domus regiæ, quod erat interius, contra basilicam (a) regis: at ille sedebat super solium suum in consistorio palatii contra ostium domus.

2. Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis ejus, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens, osculata est summitatem virgæ ejus.

3. Dixitque ad eam rex: Quid vis Esther regina? quæ est petitio tua? etiam si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.

4. At illa respondit: Si regi placet, obsecro ut venias ad me hodie, & Aman tecum ad convivium, quod paravi.

5. Statimque rex, Vocate, inquit, cito Aman, ut Esther obediat voluntati. Venerunt itaque rex & Aman ad convivium, quod ei regina paraverat.

6. Dixitque ei rex, postquam vinum biberat abundanter: Quid petis ut detur tibi? & pro qua re postulas? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.

7. Cui respondit Esther: Petitio mea, & preces sunt istæ:

8. Si inveni in conspectu regis gratiam, & si regi placet, ut det mihi quod postulo, & meam impleat petitionem: veniat rex & Aman ad convivium, quod paravi eis, & cras aperiam regi voluntatem meam.

9. Egressus est itaque illo die Aman lætus & alacer. Cumque vidisset Mardochæum sedentem ante fores palatii, & non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suæ, indignatus est valde:

10. Et dissimulata ira, reversus in domum suam, convocavit ad se amicos suos, & Zares uxorem suam,

11. Et exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam, & quanta eum gloria super omnes principes & servos suos rex elevasset.

12. Et

CAP. IV. 11. (a) In exteriori atrio erant aulici, in inferiori rex solus, & quos is vocasset: ex ea lege nulli licebat regem adire nisi vocato, ex Herodoto Lib. 1. cap 23. ex Ammiano Marcellino Lib. 14. Ad hanc narrationem cap. 4. referenda sunt, quæ cap. 15. primis versiculis continentur, quæque cap. 13. a versu 8. ad vers. 18. scripta sunt.

CAP. V. 1. (a) Pars erat intima, seu palatii consistorium, ubi erat thronus ille magnificus.

12. Et post hæc ait: Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium cum rege, præter me: apud quam etiam cras cum rege pransurus sum.

13. Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Judæum sedentem ante fores regias.

14. Responderuntque ei Zares uxor ejus, & ceteri amici: Jube parari excelsam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, & dic mane regi ut appendatur super eam Mardochæus, & sic ibis cum rege lætus ad convivium. Placuit ei consilium, & jussit excelsam parari crucem.

CAPUT VI.

Aman jubetur publice honorare Mardochæum, eumque equo impositum præcedere.

1. NOctem illam duxit rex insomnem, jussitque sibi afferri historias & annales priorum temporum. Quæ cum illo præsente legerentur,

2. Ventum est ad illum locum ubi scriptum erat, quomodo nuntiasset Mardochæus insidias Bagathan & Thares eunuchorum, regem Assuerum jugulare cupientium.

3. Quod cum audisset rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei servi illius ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit (*a*).

4. Statimque rex, Quis est, inquit, in atrio? Aman quippe interius (*b*) atrium domus regiæ intraverat, ut suggereret regi, & juberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum.

5. Responderunt pueri: Aman stat in atrio. Dixitque rex: Ingrediatur.

6. Cumque esset ingressus, ait illi: Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat? Cogitans autem in corde suo Aman, & reputans quod nullum alium rex, nisi se, vellet honorare,

7. Respondit: Homo, quem rex honorare cupit,

8. Debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella regis est, & accipere regium diadema (*c*) super caput suum,

9. Et primus (*d*) de regiis principibus ac tyrannis teneat equum ejus, & per plateam civitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare.

10. Dixitque ei rex: Festina, & sumpta stola & equo, fac, ut locutus es, Mardochæo Judæo, qui sedet ante fores palatii. Cave ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas.

11. Tulit itaque Aman stolam & equum, indutumque Mardochæum in platea civitatis, & impositum equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare.

12. Reversusque est Mardochæus ad januam palatii: & Aman festinavit ire in domum suam, lugens & operto capite:

13. Narravitque Zares uxori suæ, & amicis omnia quæ evenissent sibi. Cui responderunt sapientes, quos habebat in consilio, & uxor ejus: Si de semine Judæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu ejus.

14. Adhuc illis loquentibus, venerunt eunuchi regis, & cito eum ad convivium, quod regina paraverat, pergere compulerunt.

CAPUT VII.

Venit Rex ad Reginæ convivium, cui adest Aman. Esther sibi & populo suo vitam salvam petit adversus Aman, quem Rex jubet in patibulo suspendi, quod ipse Aman paraverat Mardochæo.

1. INtravit itaque rex & Aman, ut biberent cum regina.

2. Dixitque ei rex etiam secunda die, postquam vino incaluerat: Quæ est petitio tua, Esther, ut detur tibi? & quid vis fieri? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.

3. Ad quem illa respondit: Si inveni gratiam in oculis tuis, o rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obsecro.

4. Traditi enim sumus ego & populus meus, ut conteramur, jugulemur, & pereamus. Atque utinam in servos & famulas venderemur: esset tolerabile malum, & gemens tacerem: nunc autem hostis noster est, cujus crudelitas redundat in regem.

5. Respondensque rex Assuerus ait: Quis est iste, & cujus potentiæ, ut hæc audeat facere?

6. Dixitque Esther: Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman. Quod ille audiens, illico obstupuit, vultum regis ac reginæ ferre non sustinens.

7. Rex autem iratus surrexit, & de loco convivii intravit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit, ut rogaret Esther reginam pro anima sua; intellexit enim a rege sibi paratum malum.

8. Qui cum reversus esset de horto nemoribus consito, & intrasset convivii locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo jacebat Esther, & ait: Etiam reginam vult opprimere, me præsente, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, & statim operuerunt faciem ejus.

9. Dixitque Harbona, unus de eunuchis, qui stabant in ministerio regis: En lignum (*a*), quod paraverat Mardochæo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite eum in eo.

10. Suspensus est itaque Aman in patibulo quod paraverat Mardochæo: & regis ira quievit.

CA-

CAP. VI. 3. (*a*) Et tamen cap. 11. versu 5. data ei munera pro delatione legimus: ministri forte nihil magni, aut gloriosi datum respondent, non de aliis præmiis.

4. (*b*) Exterius erat cum atrio Regis comparatum, interius habita ratione exteriorum.

8. (*c*) Non legimus hoc executioni mandatum esse: ac verisimile est id honoris rejectum fuisse a Mardochæo.

9. (*d*) Hebr. *Et detur vestis & equus per manum viri de principibus regis [illegible], & [illegible] virum, quem Rex vult honorare:* principi cura [illegible] vellem & equum: sed tamen ex vers. 11. Aman [illegible] fecit omnia.

CAP. VII. 9. (*a*) Hic lignum [illegible] erat ad Mardochæi necem; illud ad nubes portam [illegible], ex cap. 16. versu 18.

CAPUT VIII.

Mardochæus regii annuli custos constituitur, edictum revocatur, mittuntur litteræ in provincias. Ad hoc caput 8. decimumsextum totum pertinet.

1. DIe illo dedit rex Assuerus Esther reginæ domum Aman adversarii Judæorum, & Mardochæus ingressus (*a*) est ante faciem regis. Confessa est enim ei Esther quod esset patruus suus.

2. Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi jusserat, & tradidit Mardochæo. Esther autem constituit Mardochæum super domum suam.

3. Nec his contenta, procidit ad pedes regis, flevitque, & locuta ad eum oravit, ut malitiam Aman Agagitæ, & machinationes ejus pessimas, quas excogitaverat contra Judæos, juberet irritas fieri.

4. At ille ex more sceptrum aureum protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur: illaque consurgens stetit ante eum,

5. Et ait: Si placet regi, & si inveni gratiam in oculis ejus, & deprecatio mea non ei videtur esse contraria, obsecro, ut novis epistolis, veteres Aman litteræ, insidiatoris & hostis Judæorum, quibus eos in cunctis regis provinciis perire præceperat, corrigantur.

6. Quomodo enim potero sustinere necem & interfectionem populi mei?

7. Responditque rex Assuerus Esther reginæ, & Mardochæo Judæo: Domum Aman concessi Esther, & ipsum jussi affigi cruci, quia ausus est manum mittere in Judæos.

8. Scribite ergo Judæis, sicut vobis placet, regis nomine, signantes litteras annulo meo. Hæc enim consuetudo erat, ut epistolis, quæ ex regis nomine mittebantur, & illius annulo signatæ erant, nemo auderet contradicere.

9. Accitisque scribis & librariis regis (erat autem tempus tertii mensis, qui appellatur Siban) vigesima & tertia die illius scriptæ sunt epistolæ, ut Mardochæus voluerat, ad Judæos, & ad principes, procuratoresque & judices, qui centum viginti septem provinciis ab India usque ad Æthiopiam præsidebant; provinciæ atque provinciæ, populo & populo, juxta linguas & litteras suas, & Judæis, (*b*) prout legere poterant, & audire.

10. Ipsæque epistolæ, quæ regis nomine mittebantur, annulo ipsius obsignatæ sunt, & missæ per veredarios (*c*): qui per omnes provincias discurrentes, veteres litteras novis nuntiis prævenirent.

11. Quibus imperavit rex, ut convenirent Judæos per singulas civitates, & in unum præciperent congregari, ut starent pro animabus suis, & omnes inimicos suos, cum conjugibus ac liberis & universis domibus interficerent (*d*) atque delerent, & spolia eorum diriperent.

12. Et constituta est per omnes provincias una ultionis dies, id est, tertiadecima mensis duodecimi Adar.

13. Summaque epistolæ hæc fuit, ut in omnibus terris ac populis, qui regis Assueri subjacebant imperio, notum fieret, paratos esse Judæos ad capiendam vindictam de hostibus suis.

14. Egressique sunt veredarii celeres nuntia perferentes, & edictum regis pependit in Susan.

15. Mardochæus autem, de palatio & de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regiis, hyacinthinis videlicet, & aeriis, coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio atque purpureo: omnisque civitas exultavit, atque læta est.

16. Judæis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor & tripudium.

17. Apud omnes populos, urbes, atque provincias, quocumque regis jussa veniebant, mira exultatio, epulæ atque convivia, & festus dies, in tantum ut plures alterius gentis & sectæ eorum religioni & cæremoniis jungerentur. Grandis enim cunctos Judaici nominis terror invaserat.

CAPUT IX.

Percussi hostes a Judæis, filii Aman suspensi.

1. IGitur duodecimi mensis, quem Adar vocari ante jam diximus, tertiadecima die, quando cunctis Judæis interfectio parabatur, & hostes eorum inhiabant sanguini, versa vice Judæi superiores esse cœperunt, & se de adversariis vindicare.

2. Congregatique sunt per singulas civitates, oppida, & loca, ut extenderent manum contra inimicos, & persecutores suos. Nullusque ausus est resistere, eo quod omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat.

3. Nam & provinciarum judices, & duces, & procuratores, omnisque dignitas, quæ singulis locis ac operibus præerat, extollebant Judæos timore Mardochæi:

4. Quem principem esse palatii, & plurimum posse cognoverant: fama quoque nominis ejus crescebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat.

5. Itaque percusserunt (*a*) Judæi inimicos suos plaga magna, & occiderunt eos, reddentes eis quod sibi paraverant facere:

6. In tantum ut etiam in Susan quingentos viros interficerent, extra decem filios Aman Agagitæ hostis Judæorum: quorum ista sunt nomina:

7. Pharsandata, & Delphon, & Esphatha,

8. Et Phoratha, & Adalia, & Aridatha,

9. Et Phermesta, & Arisai, & Aridai, & Jezatha.

10. Quos

CAP. VIII. 1. & 2. (*a*) Admissus est ad intimam ejus familiaritatem. *Annulum*, hoc erat signum dignitatis & potestatis.

9 (*b*) Hebr. *Et Judæis juxta scripturam eorum, & juxta linguam eorum*, Hebræo charactere & idiomate.

10 (*c*) Cursores, qui mutatis equis ferebantur.

11. & 13 (*d*) Deus sic voluit punire impios, qui se comparaverant ad occidendos innocentes. hæc tum erat talionis pœna in veteri lege usitata. Judæi hoc temporis intervallo eos notaverant, qui ad necem Judæorum se parabant. *Et aeriis*, coloris candidi, aut cærulei.

CAP. IX. 5. (*a*) Qui eorum cervicibus imminebant. Hoc factum est publica Regis auctoritate, ut populo Dei saluti consultum foret, & cultus divinus conservaretur. Persæ judæorum hostes priori Regis edicto paruerunt, forte posteriori parere recusabant, sed magistratuum auctoritate repressi sunt.

10. Quos cum occidissent, prædas de substantiis eorum tangere noluerunt (b).

11. Statimque numerus eorum, qui occisi erant in Susan, ad regem relatus est.

12. Qui dixit reginæ: In urbe Susan interfecerunt Judæi quingentos viros, & alios decem filios Aman: quantam putas eos exercere cædem in universis provinciis? Quid ultra postulas, & quid vis ut fieri jubeam?

13. Cui illa respondit: Si regi placet, detur potestas Judæis, ut sicut fecerunt hodie in Susan, sic & cras faciant, & decem filii Aman in patibulis suspendantur.

14. Præcepitque rex ut ita fieret. Statimque in Susan pependit edictum, & decem filii Aman suspensi ( ) sunt.

15. Congregatis Judæis quartadecima die mensis Adar, interfecti sunt in Susan trecenti viri: nec eorum ab illis direpta substantia est.

16. Sed & per omnes provincias, quæ ditioni regis subjacebant, pro animabus suis steterunt Judæi, interfectis hostibus ac persecutoribus suis; in tantum ut septuagintaquinque millia occisorum implerentur, & nullus de substantiis eorum quidquam contingeret.

17. Dies autem tertiusdecimus mensis Adar, primus apud omnes interfectionis fuit, & quartadecima die cædere desierunt. Quem constituerunt esse solemnem, ut in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio atque conviviis.

18. At hi, qui in urbe Susan cædem exercuerant, tertiodecimo & quartodecimo die ejusdem mensis in cæde versati sunt: quintodecimo autem die percutere desierunt. Et idcirco eumdem diem constituerunt solemnem epularum atque lætitiæ.

19. Hi vero Judæi, qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, quartamdecimum diem mensis Adar conviviorum & gaudii decreverunt, ita ut exultent in eo, & mittant sibi mutuo partes epularum & ciborum.

20. Scripsit (d) itaque Mardochæus omnia hæc, & litteris comprehensa misit ad Judæos, qui in omnibus regis provinciis morabantur, tam in vicino positis, quam procul,

21. Ut quartamdecimam & quintamdecimam diem mensis Adar pro festis susciperent, & revertente semper anno solemni celebrarent honore:

22. Quia in ipsis diebus se ulti sunt Judæi de inimicis suis, & luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumque conversa sunt, essentque dies isti epularum atque lætitiæ, & mitterent sibi invicem ciborum partes, & pauperibus munuscula largirentur.

23. Susceperuntque Judæi in solemnem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus litteris facienda mandaverat.

24. Aman enim, filius Amadathi stirpis Agag, hostis & adversarius Judæorum, cogitavit contra eos malum, ut occideret illos, atque deleret: & misit phur, quod nostra lingua vertitur in sortem.

25. Et postea ingressa est Esther ad regem, obsecrans ut conatus ejus, litteris regis irriti fierent: & malum quod contra Judæos cogitaverat, reverteretur in caput ejus. Denique & ipsum & filios ejus affixerunt cruci,

26. Atque ex illo tempore dies isti appellati sunt phurim (e), id est sortium: eo quod phur: id est sors, in urnam missa fuerit. Et cuncta, quæ gesta sunt, epistolæ, id est Libri hujus volumine continentur:

27. Quæque sustinuerunt (f), & quæ deinceps immutata sunt, susceperunt Judæi super se & semen suum, & super cunctos, qui religioni eorum voluerunt copulari, ut nulli liceat duos hos dies absque solemnitate transigere: quod scriptura testatur, & certa expetunt tempora, annis sibi jugiter succedentibus.

28. Isti sunt dies, quos nulla umquam delebit oblivio: & per singulas generationes cunctæ in toto orbe provinciæ celebrabunt: nec est ulla civitas, in qua dies phurim, id est, sortium, non observentur a Judæis, & ab eorum progenie, quæ his cæremoniis obligata est.

29. Scripseruntque Esther regina filia Abihail, & Mardochæus Judæus etiam secundam epistolam, ut omni studio dies ista solemnis sanciretur in posterum.

30. Et miserunt ad omnes Judæos, qui in centum viginti septem provinciis regis Assueri versabantur, ut haberent pacem, & susciperent veritatem,

31. Observantes dies Sortium, & suo tempore cum gaudio celebrarent: sicut constituerant Mardochæus & Esther, & illi observanda susceperunt a se, & a semine suo, jejunia, & clamores, & sortium dies,

32. Et omnia quæ Libri hujus, qui vocatur Esther, historia continentur.

CAPUT X.

Primis versiculis cap. historia Estheris concluditur; quæ sequuntur, ea desunt in textu Hebræo; & sunt instar appendicis ad præcedentem historiam.

1. REx vero Assuerus omnem terram, & cunctas maris insulas fecit tributarias:

2. Cujus fortitudo, & imperium, & dignitas atque sublimitas, qua exaltavit Mardochæum, scripta sunt in libris Medorum atque Persarum:

3. Et

10. (b) Ut ostenderent se auctoritate regia inimicos ultos esse, non ex cupiditate bona eorum invadendi, sed sui conservandi necessitate.

12. (c) Anno 12. Regis cum suspensus est Aman, filii conjecti sunt in carcerem, & anno 13. suspensi. Inter duo edicta, unum contra Judæos, alterum pro Judæis, duo intercesserunt menses: sed postulavit Esther ut filii Aman exponerentur in patibulis, ut Persæ timerent in Judæos sævire. Quod cap. 16. vers. 18. de cognatione Aman dicitur, ad filios Aman non pertinet, sed conjecti in carcerem ad diem ultionis generalis sunt reservati.

20. & 24. (d) Epistolam. *Phur*, quod nostra lingua vertitur in *sortem*. פור. phur, est vox Persica, *Ghoral*. גורל. Hebraica.

26. (e) Id est, *sortium*, eo quod *fors*, id est, *phur*, in urnam missa fuerit. *Et cuncta quæ gesta sunt*, *in epistolis*. Hebr. *Propterea*, propter verba epistolæ hujus, quam Mardochæus misit, pendet sententia quæ versu proximo absolvitur.

27 (f) Hebr. *Statuerunt*. & susceperunt Judæi super se, & super semen suum, *& super adhærentes eis*, proselytos: *& non transibit*, non omittent.

3. Et quomodo Mardochæus Judaici generis secundus a rege Assuero fuerit: & magnus apud Judæos, & acceptabilis plebi fratrum suorum, quærens bona populo suo, & loquens ea, quæ ad pacem seminis sui pertinerent.

Quæ habentur in Hebræo, plena fide expressi. Hæc autem quæ sequuntur, scripta reperi in editione vulgata, quæ Græcorum lingua & litteris continentur: & interim post finem libri hoc capitulum ferebatur; quod juxta consuetudinem nostram obelo, id est veru, prænotavimus.

4. Dixitque Mardochæus (a): A Deo facta sunt ista.

5. Recordatus sum somnii, quod videram, hæc eadem significantis: nec eorum quidquam irritum fuit.

6. Parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem, solemque conversus est, & in aquas plurimas redundavit: Esther est, quam rex accepit uxorem, & voluit esse reginam.

7. Duo autem dracones: ego sum, & Aman.

8. Gentes, quæ convenerant: hi sunt, qui conati sunt delere nomen Judæorum.

9. Gens autem mea: Israel est, quæ clamavit ad Dominum, & salvum fecit Dominus populum suum: liberavitque nos ab omnibus malis, & fecit signa magna atque portenta inter Gentes:

10. Et duas sortes esse præcepit, unam populi Dei, & alteram cunctarum Gentium.

11. Venitque utraque sors in statutum ex illo jam tempore diem coram Deo universis Gentibus:

12. Et recordatus est Dominus populi sui, ac misertus est hæreditatis suæ.

13. Et observabuntur dies isti in mense Adar, quartadecima & quintadecima die ejusdem mensis, cum omni studio, & gaudio in unum cœtum populi congregati, in cunctas deinceps generationes populi Israel.

CAPUT XI.

Somnium Mardochæi.

1. ANno quarto, regnantibus Ptolomæo & Cleopatra (a), attulerunt Dositheus, qui se Sacerdotem, & Leviticì generis ferebat, & Ptolemæus filius ejus hanc epistolam phurim, quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum Ptolemæi filium in Jerusalem.

Hoc quoque principium erat in editione vulgata, quod nec in Hebræo, nec apud ullum fertur interpretum.

2. Anno secundo, regnante Artaxerxe (b) maximo, prima die mensis Nisan, vidit somnium Mardochæus filius Jairi, filii Semei, filii Cis, de tribu Benjamin:

3. Homo Judæus, qui habitabat in urbe Susis, vir magnus, & inter primos aulæ regiæ.

4. * Erat autem de eo numero captivorum, *4.Reg.24.
quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis 15.
de Jerusalem cum Jechonia rege Juda: Sup. 2. 6.

5. Et hoc ejus somnium fuit: Apparuerunt voces, & tumultus, & tonitrua, & terræmotus, & conturbatio super terram:

6. Et ecce duo dracones magni, * paratique * Sup. 10.
contra se in prælium. 7.

7. Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ sunt nationes, ut pugnarent contra gentem justorum.

8. Fuitque dies illa tenebrarum & discriminis, tribulationis, & angustiæ, & ingens formido super terram.

9. Conturbataque est gens justorum timentium mala sua, & præparata ad mortem.

10. Clamaveruntque ad Deum: & illis vociferantibus, fons parvus crevit in fluvium maximum, & in aquas plurimas redundavit.

11. Lux & sol ortus est, & humiles exaltati sunt, & devoraverunt inclytos.

12. Quod cum vidisset Mardochæus, & surrexisset de strato, cogitabat quid Deus facere vellet: & fixum habebat in animo scire cupiens quid significaret somnium.

CAPUT XII.

Manifestatio insidiarum eunuchorum in regem a Mardochæo, ex secundo cap. repetita.

1. MOrabatur autem eo tempore in aula re- Sup. 2. 21.
gis cum Bagatha & Thara eunuchis re- & 6. 2.
gis, qui janitores erant palatii.

2. Cumque intellexisset cogitationes eorum, & curas diligentius pervidisset, didicit quod conarentur in regem Artaxerxem manus mittere, & nuntiavit super eo regi.

3. Qui de utroque habita quæstione, confessos jussit duci ad mortem.

4. Rex autem quod gestum erat, scripsit in commentariis: sed & Mardochæus rei memoriam litteris tradidit.

5. Præcepitque ei rex, ut in aula palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus.

6. Aman vero filius Amadathi bugæus, erat gloriosissimus coram rege, & voluit nocere Mardochæo & populo ejus, pro duobus eunuchis regis, qui fuerant interfecti.

Huc usque procemium.

Quæ sequuntur, in eo loco posita erant, ubi scriptum est in volumine,

Et diripuerunt bona, vel substantias eorum.

Quæ in sola vulgata editione reperimus,

Epistolæ autem hoc exemplar fuit.

CA-

CAP. X. 4. (a) Quæ sequuntur, desunt in Hebræo.

CAP. XI. 1. (a) Quod initium deerat in Hebræo: ac videtur esse totius libri exordium vers. 1. cap. 1. Hinc colligitur hanc epistolam Jerosolymis in Ægyptum perlatam esse post tempora Alexandri Magni. Quis fuerit Rex ille *Ptolemæus*, an *Philometor* lestus ab Alexandro, qui Judæos militiæ suæ duces Oniam & Dositheum constituit, ex Josepho Lib. 2. contra Appionem: an potius is fuit *Philadelphus*, cujus anno septimo libros sacros interpretati sunt LXX. senes, ex Epiphanio Lib. de ponderibus & mensuris. Epistolam phurim Dositheus & Ptolemæus ejus filius a Lysimacho translatam attulerunt, quæ magna pars erat libri Esther: hanc interpretatus erat Lysimachus. Suspicatur Huetius LXX. senes, ne actum agerent, hanc interpretationem suæ lucubrationi intexuisse, ac bonæ partis libri Lysimachum habendum esse interpretem. Hujus versionis magnam esse licentiam admonuit Hieronymus in præfatione sua, & exemplar lacinosis hinc inde verborum finibus trahens; neque illic LXX. seniorum castitatem in vertendo, & fidem reperies, ut vel inde alienum interpretem possis agnoscere, inquit Huetius.

2. (b) Id commune erat persarum nomen, ut *Assuerus* Medorum.

CAPUT XIII.

Epistola ab Aman missa de cæde Judæorum; item oratio Mardochæi.

1. REx maximus (*a*) Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem provinciarum principibus & ducibus, qui ejus imperio subjecti sunt, salutem.

2. Cum plurimis gentibus imperarem, & universum orbem meæ ditioni subjugassem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, sed clementia & lenitate gubernare subjectos, ut absque ullo terrore vitam silentio transigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur.

3. Quærente autem me a consiliariis meis, quomodo posset hoc impleri, unus qui sapientia & fide ceteros præcellebat, & erat post regem secundus, Aman nomine,

4. Indicavit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui novis uteretur legibus, & contra omnium Gentium consuetudinem faciens, Regum jussa contemneret, & universarum concordiam nationum sua dissensione violaret.

5. Quod cum didicissemus, videntes unam gentem rebellem adversus omne hominum genus perversis uti legibus, nostrisque jussionibus contraire, & turbare subjectarum nobis provinciarum pacem atque concordiam,

6. Jussimus ut quoscumque Aman, qui omnibus provinciis præpositus est, & secundus a rege, & quem patris loco colimus, monstraverit, cum conjugibus ac liberis deleantur ab inimicis suis: nullusque eorum misereatur, quartadecima die duodecimi mensis Adar anni præsentis:

7. Ut nefarii homines uno die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem, quam turbaverant.

Hucusque exemplar epistolæ.

Quæ sequuntur, post eum locum scripta reperi, ubi legitur,

Pergensque Mardochæus, fecit omnia quæ ei mandaverat Esther.

Nec tamen habentur in Hebraico, & apud nullum penitus feruntur interpretum.

8. Mardochæus (*b*) autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum ejus,

9. Et dixit: Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel.

10. Tu fecisti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur.

11. Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ.

12. Cuncta nosti, & scis quia non pro superbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum,

13. (Libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem,)

14. Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.

15. Et nunc Domine rex Deus Abraham miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, & hæreditatem tuam delere.

16. Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto.

17. Exaudi deprecationem meam, & propitius esto sorti & funiculo tuo, & converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium.

18. Omnis quoque Israel pari mente & obsecratione clamavit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.

CAPUT XIV.

Esther prostrata coram Deo postulat averti periculum.

1. ESther quoque regina confugit ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat.

2. Cumque deposuisset vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro unguentis variis, cinere & stercore implevit caput, & corpus suum humiliavit jejuniis: omniaque loca, in quibus antea lætari consueverat, crinium laceratione complevit.

3. Et deprecabatur Dominum Deum Israel, dicens: Domine mi, qui rex noster es solus, adjuva me solitariam, & cujus præter te nullus est auxiliator alius.

4. Periculum meum in manibus meis est.

5. * Audivi a patre meo, quod tu Domine tulisses Israel de cunctis Gentibus, & patres nostros ex omnibus retro majoribus suis, ut possideres hæreditatem sempiternam, fecistique eis sicut locutus es. * Deut. 4. 10. 34. & 32. 9.

6. Peccavimus in conspectu tuo, & idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum:

7. Coluimus enim deos eorum. Justus es Domine:

8. Et nunc non eis sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute, sed robur manuum suarum, idolorum potentiæ deputantes,

9. Volunt tua mutare promissa, & delere hæreditatem tuam, & claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi (*a*) & altaris tui,

10. Ut aperiant ora Gentium, & laudent idolorum fortitudinem, & prædicent carnalem regem in sempiternum.

11. Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram: sed converte consilium eorum super eos, & eum, qui in nos cœpit sævire, disperde.

12. Memento Domine, & ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ, & da mihi fiduciam Domine rex deorum, & universæ potestatis:

13. Tri-

CAP. XIII. 1. (*a*) Hæc Assueri epistola loco suo emota, ad tertii capitis finem fuit collocanda.
8. (*b*) Hæc Mardochæi oratio extremo capitis 4. videtur inserenda, uti & oratio Esther, cap. 15.
CAP. XIV. 9. (*a*) Quod Darius jusserat ædificandum.

13. Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri, ut & ipse pereat, & ceteri qui ei consentiunt.

14. Nos autem libera manu tua, & adjuva me, nullum aliud auxilium habentem, nisi te, Domine, qui habes omnium scientiam,

15. Et nosti quia oderim gloriam iniquorum, & detester cubile incircumcisorum, & omnis alienigenæ.

16. Tu scis necessitatem meam, quod abominor signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentii mei,

17. Et quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit convivium regis, & non biberim vinum libaminum:

18. Et numquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham.

19. Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum, qui nullam aliam spem habent, & libera nos de manu iniquorum, & erue me a timore meo.

CAPUT XV.

Epistolam Assueri pro salute Judæorum complectitur.

Hæc quoque addita reperi in editione vulgata.

1. ET mandavit ei (haud dubium quin Esther Mardochæus) ut ingrederetur ad regem, & rogaret pro populo suo, & pro patria sua.

2. Memorare (inquit) dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita sis in manu mea, quia Aman secundus a rege locutus est contra nos in mortem:

3. Et tu invoca Dominum, & loquere regi pro nobis, & libera nos de morte.

Necnon & ista quæ subdita sunt.

4. Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui, & circumdata est gloria sua.

5. Cumque regio fulgeret habitu, & invocasset omnium rectorem & salvatorem Deum, assumpsit duas famulas,

6. Et super unam quidem innitebatur, quasi præ deliciis & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens:

7. Altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans.

8. Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, & gratis ac nitentibus oculis tristem celabat animum, & nimio timore contractum.

9. Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, ubi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroque fulgens, & pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu.

10. Cumque elevasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinavit caput.

11. Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem, & festinus ac metuens exilivit de solio, & sustentans eam ulnis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur:

12. Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere.

13. Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.

14. Accede igitur, & tange sceptrum.

15. Cumque illa reticeret, tulit auream virgam, & posuit super collum ejus, & osculatus est eam, & ait: Cur mihi non loqueris?

16. Quæ respondit: Vidi te domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ.

17. Valde enim mirabilis es domine, & facies tua plena est gratiarum.

18. Cumque loqueretur, rursus corruit, & pene exanimata est.

19. Rex autem turbabatur, & omnes ministri ejus consolabantur eam.

CAPUT XVI.

Assueri epistola pro Judæorum salute cum inimicorum suorum interemptione, ad singulas regni provincias, irritando epistolam missam ab Aman.

Exemplar epistolæ regis Artaxerxis, quam pro Judæis ad totas regni sui provincias misit: quod & ipsum in Hebraico volumine non habetur.

1. REx magnus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum vigintiseptem provinciarum ducibus ac principibus, qui nostræ jussioni obediunt, salutem dicit. *Sup. 11. 2.*

2. Multi bonitate principum, & honore qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam:

3. Et non solum subjectos regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias.

4. Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, & humanitatis in se jura violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam.

5. Et in tantum vesaniæ proruperunt, ut eos, qui credita sibi officia diligenter observant, & ita cuncta agunt ut omnium laude digni sint, mendaciorum cuniculis conentur subvertere,

6. Dum aures principum simplices, & ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt.

7. Quæ res & ex veteribus probatur historiis, & ex his, quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorumdam suggestionibus regum studia depraventur.

8. Unde providendum est paci omnium provinciarum.

9. Nec putare debetis, si diversa jubeamus, ex animi nostri venire levitate; sed pro qualitate & necessitate temporum, ut reipublicæ poscit utilitas, ferre sententiam.

10. Et ut manifestius, quod dicimus, intelligatis, * Aman filius Amadathi, & animo & gente Macedo, alienusque a Persarum sanguine, & pietatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus a nobis susceptus est: ** Sup. 3. 1.*

11. Et tantam in se expertus humanitatem, ut pater noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus post regem secundus:

12. Qui

12. Qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, ut regno privare nos niteretur & spiritu.

13. Nam Mardochæum, cujus fide & beneficiis vivimus, & consortem regni nostri Esther cum omni gente sua novis quibusdam atque inauditis machinis expetivit in mortem:

14. Hoc cogitans, ut illis interfectis, insidiaretur nostræ solitudini, & regnum Persarum transferret in Macedonas.

15. Nos autem a pessimo mortalium Judæos neci destinatos, in nulla penitus culpa reperimus, sed e contrario justis utentes legibus,

16. Et filios altissimi & maximi, semperque viventis Dei, cujus beneficio & patribus nostris & nobis regnum est traditum, & usque hodie custoditur.

17. Unde eas litteras, quas sub nomine nostro ille direxerat, sciatis esse irritas.

18. Pro quo scelere ante portas hujus urbis, id est, Susan, & ipse qui machinatus est, & omnis cognatio ejus pendet in patibulis: non nobis, sed Deo reddente ei quod meruit.

19. Hoc autem edictum, quod nunc mittimus, in cunctis urbibus proponatur, ut liceat Judæis uti legibus suis.

20. Quibus debetis esse adminiculo, ut eos, qui se ad necem eorum paraverant, possint interficere tertiadecima die mensis duodecimi, qui vocatur Adar.

21. Hanc enim diem, Deus omnipotens, mœroris & luctus, eis vertit in gaudium.

22. Unde & vos inter ceteros festos dies, hanc habetote diem, & celebrate eam cum omni lætitia, ut & in posterum cognoscatur,

23. Omnes, qui fideliter Persis obediunt, dignam pro fide recipere mercedem: qui autem insidiantur regno eorum, perire pro scelere.

24. Omnis autem provincia & civitas, quæ noluerit solemnitatis hujus esse particeps, gladio & igne pereat, & sic deleatur, ut non solum hominibus, sed etiam bestiis invia sit in sempiternum, pro exemplo contemptus, & inobedientiæ.



LIBER JOB.

DE Auctore & argumento hujus Libri diximus in Synopsi librorum veteris Testamenti, quam Theologiæ Clericorum subjecimus. Illud in primis admodum probabile esse arbitramur, hunc Librum a Mose ipso conscriptum fuisse in solatium gentis Israeliticæ, cum ab Ægyptiis gravi servitutis jugo premeretur. Præcipuam hujus conjecturæ rationem hinc petit Illustrissimus Huetius ex manifesta styli & charactëris similitudine. Nam utrobique simplex est & nativa oratio omni ornatu detracto. Neque abhorret a verisimili, cum Librum a Mose scriptum fuisse, cum degeret inter Madianitas, ac recens esset earum rerum memoria. Moses tum in Arabia degens potuit facile hujus viri tam nobilis casus cognoscere. Res adeo gestas & sermonum argumenta multorum litteris & fama constanti perlata, facile potuit narrationis filo pertexere. Quanquam neque id fuit omnino necessarium, cum Moses res gestas divino afflatus Spiritu, uti & ea quæ libro Genesis continentur, sine ulla dubitatione scripserit. Grotius etiam suspicatur hanc contigisse historiam agentibus in deserto Hebræis: nulla enim fit legis mentio, & vita adeo producta his convenit temporibus.

Non desunt viri pereruditi, qui hujus Libri elucubrationem ad tempora captivitatis Babylonicæ referant, quod Chaldaicis locutionibus scateat, & sermo ex aliarum gentium commercio permistus videatur, ac rem dudum gestam sic narret, ut orationem figuratam & floridam adhibeat.

Jobum revera extitisse, & in acerbissimas incidisse calamitates, uxorem & amicos verba in eam sententiam protulisse, quæ in hoc volumine continentur; controversiam inter Jobum & amicos a Deo ipso fuisse compositam, sanitatem illi fuisse restitutam, auctas ejus opes, domum numerosa prole fundatam constat. Sed verba quæque, & eorum collocationem, dialogi compositionem, figuras, & reliquum sermonis ornatum esse Mosis ipsius suspicatur Huetius. Atque ut longe abest a Thalmudistarum & Anabaptistarum insania, qui fictam historiam, & meram parabolam esse volunt, nemo tamen ipsam Poetice dictam negat, eoque delectu verborum, non quæ prolata sunt, sed quæ pro tempore proferri potuerunt. Vix enim quis crediderit Jobum in summis corporis & animi doloribus carmina ad amicos fudisse, aut ipsos vicissim virum tot malis oppressum versibus esse allocutos. Opus autem numeris esse illigatum testatur Hieronymus in Epist. ad Paulinum. In eadem senten-

sententia fuit P. Vavassorius S. J. in præfatione sui opusculi, quo hunc Librum stricta oratione vertit & exposuit. Stylus ipse quo scripta est hæc historia, colloquium Dei cum dæmone, amicorum Jobi prolixæ dissertationes, ac figuratæ locutiones, palam faciunt narrationem sic ab Auctore ornatam fuisse & amplificatam, ut perfectæ patientiæ illustre præberet exemplum, & doceret plenius quo animo ferre debeamus prosperam & adversam fortunam. Auctor hujus Libri, quisquis ille fuerit, Jobum & amicos ejus potuit sic inducere loquentes, ut cujusque statum & conditionem decebat, quod historicis quibusque vel fidissimis solemne est. Ita fere Auctor mox laudatus Vavassorius.

Antiquitas Libri ex aliis scripturæ locis comprobatur, ut ex cap. 2. Tobiæ, ex Ezechiele cap. 14. v. 14. Si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel, & Job; ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. *Multa in Psalmis, Isaia, Jeremia, & aliis in libris canonicis ex eo Libro sunt desumpta. Sic illud 1. Cor. 3. v. 19.* Scriptum est enim; Comprehendam sapientes in astutia eorum; *scriptum est Job 5.* Qui apprehendit sapientes in astutia eorum; *Hujus sanctissimi viri exemplum fidelibus imitandum proponit Jacobus Apostolus, cap. 5. v. 11.* Sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis.

Præcipua in eo Libro Jobum inter & ejus amicos quæstio agitatur, an soli improbi hoc in mundo affligantur, an vero etiam pii & justi? posteriorem sententiam adversus amicos qui eum consolaturi advenerant, tuetur B. Job: cujus verba pro canonicis habenda sunt, non item cuncta quæ ejus amici interdum temere effundunt. Gregorius M. in præfatione quam suis commentariis in hunc Librum præfixit, Jobum venisse, ait, ad ostendendam inter flagella patientiam, ut Abel venit ad ostendendam innocentiam, Enoch ad docendam cordis munditiem, Noe ad insinuandam longanimitatem spei & operis, Abraham ad manifestandam obedientiam, Isaac ad demonstrandam conjugalis vitæ castimoniam, Jacob ad insinuandam laboris tolerantiam, Joseph ad rependendam pro malo bonæ retributionis gratiam.

CAPUT PRIMUM.

Quis & qualis fuerit Job, filii ejus & opes. Satan, permittente Deo, ejus patientiam aggreditur, & bona diripit.

1. VIR erat in terra Hus (*a*), nomine Job, & erat vir ille simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo:

2. Natique sunt ei septem filii, & tres filiæ.

3. Et fuit possessio ejus, septem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, & quingentæ asinæ, ac familia multa nimis: eratque vir ille magnus inter omnes Orientales.

4. Et ibant (*b*) filii ejus, & faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas ut comederent & biberent cum eis.

5. Cumque in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Job, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei, & benedixerint (*c*) Deo in cordibus suis. Sic faciebat Job cunctis diebus.

6. Quadam autem die, cum venissent filii Dei ut assisterent (*d*) coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan.

7. Cui

CAPUT I. 1. (*a*) Probabilior videtur eorum sententia, qui existimant Jobum e stirpe Esau ortum fuisse, & terram Hus positam esse in Idumæa; sic enim legimus cap. 4. Threnorum: *Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus.* Hoc nomine nonnulli conjiciunt Job esse appellatum, qui ante Jobad ex stirpe Esau, ab auctore stirpis Esau quintus. *Simplex:* Hebr. *vitæ integræ*, simplex opere, rectus fide. *Ut nec zelum rectitudinis in mansuetudinis pondere amitteret, nec rursum pondus mansuetudinis zelum rectitudinis perturbaret*, ait Gregorius.

4. (*b*) Greg. Lib. 1. cap. 4. *O inæstimabilem paternæ institutionis laudem! Pater dives dicitur, & filii concordes asseruntur: & dum dividenda esset substantia, corda tamen omnium individua charitas replebat.* Unusquisque in die suo, natali, ut mos erat illis gentibus.

5. (*c*) *Benedicere* hoc loco ut & 3. Reg. 21. sumitur pro *maledicere*: quæ est antiphrasis; tum crimen blasphemiæ adeo erat execrabile, ut illud voce propria designare non auderent. An potius ne non benedixerint. Chaldæus: Ne forte peccaverint filii mei, & non oraverint in nomine Domini in cordibus suis. Sollicitus erat, inquit Vavassorius, & angebatur metu potius ne quid omisissent, quam ne quid commisissent.

6. (*d*) Cum adessent Angeli parati ad jussa divina exequenda. Hic notat Emmanuel Sa post Origenem, quæ hoc in loco dicuntur de Angelis & Satana, magis dici humano more, ut possint a nobis utcumque intelligi, quam quo gesta sint modo: nam Angeli Deo semper assistunt. Aliis videtur voce, Domini, præcipuum quemdam Angelum qui Deum referebat, designari: adeo ut hic fuerit quasi quoddam judicium, ut Chaldæus paraphr. appellat, in quo sancti Angeli sua ministeria referebant; Satan vero ut lictor aderat, sola locutione munia

cum

7. Cui dixit Dominus: Unde venis? Qui respondens, ait: Circuivi terram, & perambulavi eam.

8. Dixitque Dominus ad eum: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo?

9. Cui respondens Satan, ait: Numquid Job frustra timet Deum?

10. Nonne tu vallasti (e) eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum, operibus manuum ejus benedixisti, & possessio ejus crevit in terra?

11. Sed extende paullulum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.

12. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce, universa quæ habet, in manu tua sunt: tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusque est Satan a facie Domini.

13. Cum autem quadam die filii & filiæ ejus comederent & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti,

14. Nuntius venit ad Job, qui diceret: Boves arabant, & asinæ pascebantur juxta eos,

15. Et irruerunt Sabæi (f), tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio, & evasi ego solus ut nuntiarem tibi.

16. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit: Ignis Dei (g) cecidit e cælo, & tactas oves puerosque consumpsit, & effugi ego solus ut nuntiarem tibi.

17. Sed & illo adhuc loquente, venit alius, & dixit: Chaldæi fecerunt tres turmas (h), & invaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio, & ego fugi solus ut nuntiarem tibi.

18. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intravit, & dixit: Filiis tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti,

19. Repente ventus vehemens irruit a regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt, & effugi ego solus ut nuntiarem tibi.

20. Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adoravit,

* Eccles. 5. 14. 1. Tim. 6. 7. 21. Et dixit: * Nudus egressus sum de utero matris (i) meæ, & nudus revertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.

22. In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est.

CAPUT II.

De secundo Jobi certamine cum dæmone, Uxor Jobi eum objurgat; amici ad eum veniunt.

1. Factum est autem, cum quadam die venissent filii Dei, & starent coram Domino, venisset quoque Satan inter eos, & staret in conspectu ejus,

2. Ut diceret Dominus ad Satan: Unde venis? Qui respondens ait: Circuivi terram, & perambulavi eam.

3. Et dixit Dominus ad Satan: Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, actimens Deum, & recedens a malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commovisti (a) me adversus eum, ut affligerem eum frustra.

4. Cui respondens Satan, ait: Pellem pro pelle (b), & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua:

5. Alioquin mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.

6. Dixit ergo Dominus ad Satan: Ecce in manu tua est, verumtamen animam ( ) illius serva.

7. Egressus igitur Satan a facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, a planta pedis usque ad verticem ejus:

8. Qui testa saniem radebat, sedens in sterquilinio (d).

9. Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo & morere.

10. Qui ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es: si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis.

11. Igitur audientes tres amici Job omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, ut pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.

12. Cum-

cum Deo & Angelis loquens. Neque id necesse est, ut diabolus simul adsierit cum Angelis in cælo: nam Deus est ubique præsens. *Venit quippe*, ait Greg. Lib. 2. *ut videretur, non ut videret ipse, in conspectu Domini, non autem Dominus in conspectu ipsius adfuit. Filii Dei: Loquitur Deus ad Angelos sanctos eo ipso quo eorum cordibus occulta sua invisibilia ostendit. Quod enim audientibus dicitur, quod videntibus inspiratur.... Loqui Dei ad diabolum, est vias ejus ac negotia animadversione occultæ districtionis increpare; sicut hic dicitur, Unde venis?*

10. (e) Quasi Job Deum coleret, ut bonis hujus mundi frueretur. Gregor. Lib. 2. cap 9. *Ut fruantur hoc sæculo transitorie, ars volunt Deo:* qui amor est mercenarius.

15. (f) Hi teste Strabone in Arabia felici positi latrocinia & excursiones in vicinas regiones exercebant.

16. (g) ut montes Dei dicuntur, magni montes, vel ictus fulminis.

17. (h) Sept. Interpr. verterunt equites qui de Arabia deserta venerunt.

21. (i) De terra. Matris nomine recte intelligitur terra ipsa.

3. (a) Tu a me impetrasti ut immerentem affligerem, vel frustra; & tamen quod sperabas ut malediceret, non es consecutus. CAP. II.

4. (b) Quidquid alienum est, opes, supellectilem, pro pelle sua, *Et cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua*, ut vita salva sit. Ambr. in Psalm. 37. *Quid paramus patrimonium; quod & ipse tuo solus vile judicas præ se ute?*

6. (c) Ambr. ibidem: *Quanta est Christi, ut custodiam hominis imperet ipsi diabolo, cujus malitiam nobis in praesidium convertit?* Deus illi circumscribit licentiæ cancellos.

8. (d) LXX addunt, *Extra civitatem*, alii, *In medio cineris*, seu vili in loci, in quem cineres, fimus & sordes ejiciebantur e domibus. Augustin. serm. 221. de temp. *Deo gratias referebat, nec mollis linteo, sed testa radebat saniem fluentem.* Id quoque adverte, ex omnibus bonis Job solam uxorem a dæmone relictam, non ut consolaretur, sed ut eum seduceret. *Melior Job vulneribus plenus in sterquilinio, quam Adam integer in paradiso.* Augustin. ibidem.

12. Cumque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cælum.

13. Et sederunt cum eo in terra septem (e) diebus & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem.

CAPUT III.

Post longum silentium, calamitatum suarum enarratione Job amicos provocat ad colloquium.

1. POst hæc aperuit Job os suum, & maledixit (a) diei suo,

2. Et locutus est:

*Jer.20.14. 3. * Pereat (b) dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Conceptus est homo.

4. Dies ille vertatur in tenebras (c), non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine.

5. Obscurent eum tenebræ, & umbra mortis, occupet eum caligo, & involvatur amaritudine (d).

6. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in mensibus.

7. Sit nox illa solitaria (e), nec laude digna:

8. Maledicant ei qui maledicunt (f) diei, qui parati sunt suscitare Leviathan:

9. Obtenebrentur stellæ caligine ejus: expectet lucem & non videat, nec ortum surgentis auroræ:

10. Quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis.

11. Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii (g)?

12. Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus?

13. Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem:

14. Cum regibus & consulibus (h) terræ, qui ædificant sibi solitudines:

15. Aut cum principibus, qui possident aurum, & replent domos suas argento:

16. Aut sicut abortivum absconditum non subsisterem, vel qui concepti non viderunt lucem.

17. Ibi impii cessaverunt a tumultu, & ibi requieverunt fessi robore.

18. Et quondam vincti (i) pariter sine molestia, non audierunt vocem exactoris.

19. Parvus & magnus ibi sunt, & servus liber a domino suo.

20. Quare misero data est lux, & vita his, qui in amaritudine animæ sunt?

21. Qui expectant mortem, & non venit, quasi effodientes thesaurum:

22. Gaudentque vehementer cum invenerint sepulcrum:

23. Viro cujus abscondita (k) est via, & circumdedit eum Deus tenebris?

24. Antequam comedam suspiro (l): & tamquam inundantes aquæ, sic rugitus meus:

25. Quia timor, quem timebam, evenit mihi: & quod verebar, accidit.

26. Nonne dissimulavi (m)? nonne silui? nonne quievi? & venit super me indignatio.

CA-

13. (e) Attamen cibi sumendi caussa & somni subinde discedebant sedituri: Et nemo loquebatur ei verbum, forte in primo eorum adventu; aut certe nemo ex iis longam cum eo disputationem habuit, nisi post septem dies expletos.

CAP. III. 1. (a) Miseriam suam & vitam exaggerans conqueri cœpit. Nam maledictio pro infelicitate, ut benedictio pro felicitate sæpe usurpatur. Gregor. Lib. 4. cap. 6. *Non est maledictio ex malitia delinquentis, sed ex certitudine judicis; non est ira commoti, sed doctrina tranquilli.* Et August. *Ille autem gestabat personam magnam magni* Prophetæ. Nam voces quibus utitur in calamitatem suam exprimat, ad archetypum ipsam, seu ad Christum patientem æque referuntur, atque ad Jobum ipsum.

3. (b) His similia verba habentur Jerem. 20. estque hyperbolica exaggeratio miseriæ, quasi dicat, mallem perditum me non fuisse natum. Dies illa non recolatur anniversarie, ut dies natalis suaviter viventium. Dies ille inter atros dies habeatur.

4. (c) Dignus fuit tenebris, utinam non illuxisset: eamdem querelam ingeminat. Anagogice hæc Job verba perperam opponunt, quasi ea sint hominis impatientissimi; nam dies ille cui maledicit, nihil erat, cum jam pridem effluxisset, qui nihil maledixit, non peccavit. Deinde Gregor. duplicem distinguit diem vitæ nostræ, alterum primæ conditionis, cum creatus est homo in justitia, alterum quo natus est homo in peccato: hunc diem corruptionis Job maledicit ex rectitudine judicii.

5. (d) Caliginis.

7. (e) Ab omnibus deseratur, nihil operis in illa fiat, nulla sit & infausta, indigna cujus memoria habeatur.

8. (f) Diebus Infaustis: vel qui conducti funeribus adhiberi solebant, huic diei maledicant. *Qui parati sunt suscitare Leviathan:* Chaldæus luctum, seu lamentationem exponit: ita ut sit vox appellativa, quam interpres ut propriam retinuit; vox enim ipsa gemitum, aut luctum significat: tensus est, qui in extremis sunt angustiis. Existimat Mariana eo vocabulo significari canticum execrationibus plenum, quod suscitari dicitur, cum canitur. Aquila & Theodotio vertunt draconem, vel cetum: serpentem quoque significat, ut Isaiæ 27. Sensus erit, ille maledicat qui potentia sua opprimat dæmonem: vel maledicant qui magicis carminibus monstra suscitant.

11. (g) In hoc statum suum cum statu infantis ante mortui quam nasceretur, comparat, quod status ille functus sit cum silentio, ac nulla illius fiat mentio.

14. (h) LXX. *Consiliariis terræ*, quorum consilio respublica administrantur. *Qui sibi ædificant solitudines*, magnifica sepulcra, in quibus soli conduntur. P. Vavassorius aliud eo pertinere arbitratus, quod principes & divites solent late sua vicinias comparare domos, quas adjungunt & continuent suis. LXX. *Qui lætantur in gladiis*, quod vox Hebræa *chorabot*, חרבות, id est, *solitudines*, loca deserta & desolata, eadem sit quæ *charabot*, חרבות, & *chereb* חרב, quæ gladium etiam significat.

18. (i) Qui dum viverent, servi erant: non audierunt. Exactoris tributi, aut vectigalis, aut ejus qui militat operibus, more hominum usitato loquitur, non autem negat terribilia Dei judicia. Sic Deus interdum pias animas probat, ut omnem exitus spem iis eripere videatur.

23. (k) Qui difficultatibus septus quo se vertat nescit, Vatablus. In Hebræo, uti & in Græco textu vox illa deest, *in tenebris*.

24. (l) Insuavis est mihi cibus omnis, cum sumendus est.

26. (m) Molest per patientiam, neque in pace fui, neque in silentio, nec in requie. *Venit autem mihi ira*, muneri meo non defui, molestias non fugi: & tamen malis premor. Non obmurmuravi adversus Deum, nihilo secius venit malum. Job ut propheta loquens, conceptum diem ratione peccati originalis considerat, & principi tenebrarum maledicit.

CAPUT IV.

Disseratio inter Jobum & Eliphaz, qui contendit Jobum juste puniri, cum Deus innoxios non puniat.

1. Respondens (*a*) autem Eliphaz Themanites, dixit:

2. Si cœperimus loqui tibi, forsitan moleste accipies, sed conceptum sermonem tenere quis poterit (*b*)?

3. Ecce docuisti (*c*) multos, & manus lassas roborasti:

4. Vacillantes confirmaverunt sermones tui, & genua trementia confortasti:

5. Nunc autem venit super te plaga, & defecisti: tetigit te, & conturbatus es.

6. Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum?

7. Recordare obsecro te, quis unquam innocens periit (*d*)? aut quando recti deleti sunt?

8. Quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores (*e*), & metunt eos,

9. Flante Deo periisse, & spiritu iræ ejus esse consumptos:

10. Rugitus (*f*) leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt.

11. Tigris periit, eo quod non haberet prædam, & catuli leonis dissipati sunt.

12. Porro ad me dictum est verbum absconditum & quasi furtive (*g*) suscepit auris mea venas susurri ejus.

13. In horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor occupare homines,

14. Pavor tenuit me, & tremor, & omnia ossa mea perterrita sunt:

15. Et cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.

16. Stetit quidam, cujus non agnoscebam vultum, imago coram oculis meis, & vocem quasi auræ lenis audivi.

*Inf. 25.4. 17. * Numquid homo, Dei comparatione justificabitur (*h*), aut factore suo purior erit vir?

*Inf. 15.15. 2 Petr. 2.4. 18. * Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in angelis suis reperit pravitatem:

19. Quanto magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum (*i*), consumentur velut a tinea?

20. De mane usque ad vesperam succidentur (*k*): & quia nullus intelligit, in æternum peribunt.

21. Qui autem reliqui (*l*) fuerint, auferentur ex eis: morientur, & non in sapientia.

CAPUT V.

Eliphaz idem prosequitur argumentum, quod Job suæ causæ plus satis fidat.

1. Voca ergo, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem sanctorum convertere (*a*).

2. Vere stultum (*b*) interficit iracundia, & parvulum occidit invidia.

3. Ego vidi stultum firma radice (*c*), & maledixi pulcritudini ejus statim.

4. Longe fient filii ejus a salute, & conterentur in porta (*d*), & non erit qui eruat.

5. Cujus messem famelicus comedat, & ipsum rapiet armatus, & bibent sitientes divitias ejus.

6. Nihil in terra sine causa (*e*) fit, & de humo non oritur dolor.

7. Homo nascitur ad laborem (*f*), & avis ad volatum.

8. Quam ob rem ego deprecabor (*g*) Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum:

9. Qui facit magna & inscrutabilia & mirabilia absque numero:

10. Qui dat pluviam super faciem terræ, & irrigat aquis universa:

11. Qui ponit humiles in sublime, & mœrentes erigit sospitate:

12. Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant:

13. * Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium pravorum dissipat: * 1. Cor. 3. 19.

14. Per diem (*h*) incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie.

15. Porro salvum faciet egenum a gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.

16. Et erit egeno spes, iniquitas autem contrahet os suum.

17. Bea-

CAP. IV. 1. (*a*) Theman urbs erat Idumææ. Hic quidem & alii amici Job universim de genere bonorum & malorum apte quidem disputant, sed acerbius quam par esset in Jobum invehuntur, quod falso sibi persuasissent eum malis premi ob peccata ante commissa: propositiones veras protulerant, sed assumptiones erant falsæ.

2. (*b*) Quis acerbitatem in dictis tuis tacitus ferat?

3. (*c*) Qui alios docuisti, & confirmasti in calamitatibus, tibi ipsi nunc dees, & concidis.

7. (*d*) Hæc sententia sic intellecta, ut nemo perseverans in innocentia sua unquam perierit absolute, verissima est; sed intellecta secundum mentem dicentis de interitu hujus vitæ, falsissima est. Id enim falsum est bonis nihil evenire mali.

8. (*e*) Hebr. laborem, id est, peccatum, Psalm 54. *Labor in medio ejus, & injustitia*, qui scilicet iniqua machinantur. Nefarii ut serunt, ita metunt.

10. (*f*) *Rugitus leonis*: potentes & truculentos indicat. Quorum violentos impetus Deus comprimit.

12. (*g*) Clam & confusa rei imagine.

17. (*h*) Numquid homo præ Deo justus erit, aut cum eo comparandus?

19. (*i*) Corpus luteum: *velut a tinea*, sensim sine sensu tempus exedit. Ita consumentur, ut quæ a vermibus consumuntur.

20. (*k*) Nascentes enim morimur. Nemo intelligit, cum id nemini curæ sit. *Et quia nullus*, fere, *intelligit*, id ipse ignorat: *in æternum peribunt*, damnati.

21. (*l*) Superstites & posteri: *morientur & non in sapientia*; in sua sapientia. Pereunt incauti & socordes.

CAP. V. 1. (*a*) Si mihi nondum credis, ex sanctorum numero aliquem cita, qui contrarium nos doceat. Innoxium scilicet a Deo plecti: vide etiam an aliquis sanctus & justus unquam perierit. LXX. Si quem sanctorum Angelorum videris, non dignus es qui visa cælestia percipias.

2. (*b*) Stulti est irasci, ut tu facis, ob res adversas, nam sua quemque interficit iracundia, uti & invidia, quæ est abjecti animi.

3. (*c*) Qui alte radices agere videbatur. *Et maledixi &c.* male illi sum ominatus.

4. (*d*) In judicio publico.

6. (*e*) Hæc casu & temere non eveniunt impiis. *Et de humo non oritur dolor*: Hebr. *Nec egredietur de pulvere iniquitas*: Non ut herbæ in agris, obveniunt nobis calamitates, sed e peccatis tanquam e seminibus.

7. (*f*) Non ad quietem. Gregor. Lib. 6. cap. 7. *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volatum, quia inde mens ad summa evolat, unde caro in infimis durius laborat.*

8. (*g*) Non obmurmurandum, sed exorandus mihi est Deus, ut eum mihi propitium reddam.

14. (*h*) Nihil vident etiam in rebus claris.

17. Beatus homo, qui corripitur a Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes:

18. Quia ipse vulnerat, & medetur (*i*): percutit, & manus ejus sanabunt.

19. In sex tribulationibus (*k*) liberabit te, & in septima non tanget te malum.

20. In fame eruet te de morte, & in bello de manu gladii.

21. A flagello (*l*) linguæ absconderis, & non timebis calamitatem cum venerit.

22. In vastitate, & fame ridebis, & bestias terræ non formidabis.

23. Sed cum lapidibus regionum pactum tuum, & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.

24. Et scies quod pacem habeat tabernaculum tuum, & visitans speciem (*m*) tuam, non peccabis.

25. Scies quoque quoniam multiplex erit semen tuum, & progenies tua quasi herba terræ.

26. Ingredieris in abundantia (*n*) sepulcrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo.

27. Ecce hoc, ut investigavimus, ita est: quod auditum, mente pertracta.

CAPUT VI.

Job respondet Eliphaz, ac dolorum suorum magnitudinem deplorat.

1. REspondens (*a*) autem Job, dixit:

2. Utinam appenderentur peccata (*b*) mea, quibus iram merui: & calamitas, quam patior, in statera.

3. Quasi arena maris hæc gravior appareret: unde & verba mea dolore sunt plena:

4. Quia sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio (*c*) ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me.

5. Numquid rugiet onager (*d*) cum habuerit herbam? aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit?

6. Aut poterit comedi insulsum (*e*), quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum affert mortem?

7. Quæ prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia (*f*) cibi mei sunt.

8. Quis det ut veniat petitio mea: & quod expecto, tribuat mihi Deus?

9. Et qui cœpit (*g*), ipse me conterat: solvat manum suam, & succidat me?

10. Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat (*h*), nec contradicam sermonibus Sancti.

11. Quæ est enim fortitudo (*i*) mea, ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam?

12. Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.

13. Ecce, non est auxilium mihi in me, & necessarii (*k*) quoque mei recesserunt a me.

14. Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit.

15. Fratres mei præterierunt me, sicut torrens qui raptim transit in convallibus.

16. Qui timent pruinam (*l*), irruet super eos nix.

17. Tempore, quo fuerint dissipati (*m*), peribunt: & ut incaluerint, solventur de loco suo.

18. Involutæ sunt semitæ (*n*) gressuum eorum: ambulabunt in vacuum, & peribunt.

19. Considerate semitas Thema (*o*), itinera Saba, & expectate paulisper.

20. Confusi sunt, quia speravi: venerunt quoque usque ad me, & pudore cooperti sunt.

21. Nunc venistis (*p*): & modo videntes plagam meam timetis.

22. Numquid dixi: Afferte mihi, & de substantia vestra donate mihi (*q*)?

23. Vel,

18 (*i*) Qui in eorum caput convertit prava consilia. Quem locum citat Paulus 1. Cor. 3. 19. *Comprehendam sapientes in astutia eorum.*

19 (*k*) Hebraismus: Sæpius in calamitatem incurres, & liberabit te Deus.

21. & 23. (*l*) A calumnia. *Cum lapidibus*, nec te lædent lapides. Tunc forte nudis pedibus incedebant; vel inconcussus & immotus eris ut saxum: *Et bestiæ agri*, homines agrestes ut feræ.

24. (*m*) Familiæ pulcritudinem: Hebr. *Habitaculum*, seu domum, quam recognoscens boni patrisfamilias munus obibis.

26. (*n*) Dives & plenus dierum.

CAP. VI. 1. (*a*) Sunt qui putent ea quæ Job locutus est, vim auctoritatis divinæ non habere, quod a Deo fuerit reprehensus: sed aliter sentiendum cum Gregor. Lib. 7. *Ab æterno judice casurus laudari non potuit, nec lapsus proferri.*

2. (*b*) In Hebræo nulla fit mentio peccatorum: *Utinam appenderetur ira mea*, id est, pœna ex ira Dei proveniens. quæ est hyperbolica hominis querela miseriam suam deplorantis. *Vel ira mea appenderetur*, gemitus mei: nam calamitas mea quasi arena maris gravior appareret querelis meis & gemitibus. Hyperbole utitur in Scriptura valde usitata. Deinde cum ait, *Utinam appenderentur peccata mea*, hoc tantum contendit Deum in peccata infirmitatis, quibus obnoxius erat, non tam severe animadvertere: adeo ut mala ista ob peccata ab eo commissa non obvenerint.

4. (*c*) Statum animæ quam Deus probationibus suis exercet, pulcre exprimit: sic enim sub potenti Dei manu jacet quasi prostrata, ut actiones suas non audeat expromere, adeo vim ejus & spiritum ebibit & absorbet terror Domini, ut nesciat utrum agat nec ne, inquiunt mystici.

5. (*d*) Vox Hebræa *Pere*, פרא, feram significat. An quis conqueritur, cum omnia ex voto succedunt?

6. (*e*) Multo minus quod est amarissimum & lethiferum.

7. (*f*) Legit olim Interpres Latinus, מדוי לחמי, *medevai lachmai*, id est, *Præ dolore nunc panes & cibi mei sunt*: pro quibus in codice hodierno legitur, כדוי לחמי, *kideva lachme*, mutatis quibusdam vocalibus, & מ in כ, id est, *tamquam dolores panis mei*, pro cibi dolorum, ut Psalm. 127 dicitur *panis dolorum*.

9. (*g*) Et qui cœpit: id mihi esset aptabilius, ne infirmitate aut impatientia victus, Dei voluntati repugnem.

10. (*h*) Ne obloquar, & patienter feram. *Nec contradicam sermonibus Sancti*, voluntati Dei: plerumque verba Dei non sunt dictorum sonitus, sed effectus operationum.

11. (*i*) Timet ne succumbat præ impatientia tentationi; ac tandem eo desinunt ejus querelæ, ut spem omnem in Deo collocet.

13. (*k*) Me deseruerunt, in amicum immisericordes, in Deum impii.

16 (*l*) Stultus qui leve devitat periculum, ut in aliud majus currat. Alius est Hebraici textus ex Vavassore sensus: Amici mei sunt similes torrentium, quibus imminet pruina, & in quos nix crebra descendit.

17. (*m*) Pagninus vertit, *effluxerint*. LXX. *liquefacti*: pergit enim in allegoria torrentium, qui liquatis nivibus intumescunt, & æstate exsiccantur; sic amici Job inhumani, nisi resipiscant, sunt perituri, vel potius ii sunt ut torrentes, hyeme nocent, æstate nihil prosunt.

18. (*n*) Fallaces amici obliquas agendi rationes sequuntur, ut torrentes quibus comparat amicos, qui tortuosas incedunt vias: *Et ambulant in vacuum*; cum a via salutis recedunt.

19. & 20. (*o*) Peribunt amici infideles, ut torrentes Theman: per ea loca iter facientes sperant se inventuros aquam, ac spe sua frustrantur. *Confusi sunt*, puduit eos amicitiæ mecum initæ

21. (*p*) Hebr. Nulli mihi adjumento fuistis. Id timetis ne quid a vobis petam.

22. (*q*) Satis est vobis, si verba futilia & sine ratione ad increpandum effundatis.

23. Vel, Liberate (r) me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me?

24. Docete me, & ego tacebo: & si quid forte ignoravi, instruite me.

25. Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit qui possit arguere me?

26. Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis.

27. Super pupillum (f) irruitis, & subvertere nitimini amicum vestrum.

28. Verumtamen quod cœpistis explete (t): præbete aurem, & videte an mentiar.

29. Respondete (u) obsecro absque contentione: & loquentes id quod justum est, judicate.

30. Et non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus (x) meis stultitia personabit.

CAPUT VII.

Job institutam defensionem prosequitur, ac querelas suas; an sint legitimæ, expendi eas oportere, non temere condemnari contendit.

1. Militia (a) est vita hominis super terram: & sicut dies mercenarii, dies ejus.

2. Sicut servus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui:

3. Sic & ego habui menses vacuos (b), & noctes laboriosas enumeravi mihi.

4. Si dormiero, dicam: Quando consurgam? & rursum expectabo vesperam, & replebor doloribus usque ad tenebras (c).

5. Induta est caro mea putredine & sordibus pulveris, cutis mea aruit, & contracta est.

6. Dies mei velocius transierunt quam a texente tela succiditur, & consumpti sunt absque ulla spe.

7. Memento quia ventus est vita mea, & non revertetur (d) oculus meus ut videat bona.

8. Nec aspiciet me visus hominis: oculi tui in me, & non subsistam (e).

9. Sicut consumitur nubes, & pertransit: sic qui descenderit ad inferos, non ascendet (f).

10. Nec revertetur ultra in domum suam, nec cognoscet eum amplius locus ejus.

11. Quapropter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei: confabulabor cum amaritudine animæ meæ.

12. Numquid mare (g) ego sum, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?

13. Si dixero: Consolabitur me lectulus meus, & relevabor loquens mecum in strato meo:

14. Terrebis me per somnia, & per visiones horrore concuties.

15. Quam ob rem elegit (h) suspendium anima mea, & mortem ossa mea.

16. Desperavi (i), nequaquam ultra jam vivam: parce mihi, nihil enim sunt dies mei.

17. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?

18. Visitas eum diluculo, & subito probas illum:

19. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me ut glutiam (k) salivam meam?

20. Peccavi (l), quid faciam tibi o custos hominum? quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis?

21. Cur non tollis (m) peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam? ecce, nunc in pulvere dormiam: & si mane me quæsieris, non subsistam.

CAPUT VIII.

Baldad Eliphaz sententiam firmaturum Jobum aggreditur, & male pertendit Jobum, ac filios ejus scelerum pœnas dedisse.

1. Respondens autem Baldad Suhites, dixit:

2. Usquequo loqueris talia, & spiritus multiplex (a) sermones oris tui?

3. Numquid Deus supplantat (b) judicium? aut Omnipotens subvertit quod justum est?

4. Etiam si filii tui peccaverunt ei, & dimisit eos in manu iniquitatis suæ:

5. Tu tamen si diluculo consurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus:

6. Si mundus & rectus incesseris, statim evigilabit ( ) ad te, & pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ:

7. Ita

23. (r) Auxilium a vobis non postulavi.
27. (f) Eo nomine se appellat, quod ab omnibus esset desertus.
28. (t) Hebr. *Placeat vobis oculos in me conjicere.*
29. (u) Hebr. Convertimini disceptatores sine contentione, & jus mihi dicite.
30. (x) Ex Hebræo, Palatum meum dijudicabit quæ corrupta sunt, quæ prave dicuntur.

CAP. VII. 1. (a) LXX. Tentatio, vel tentationis locus. Nam vox Græca utrumque significat, & ipsa tentatio bellum est.
3. (b) A quiete, & laboriosas.
4. (c) Ad noctem usque.
7. (d) Ego non revertar, ut *videam bona*, sortem feliciorem. Vatabl.
8. (e) Quærent me oculi tui, & non invenient morte jam extinctum: loquitur humano more.
9. (f) Ad præsentis vitæ statum.
12. (g) Qui littoribus ut claustris sim coercendus. *Aut cetus*, vox Hebræa *Tannin*, תנין, ea Mercero tetam tam marinam, quam terrestrem significat.
15. (h) Optarem potius suffocationem quam vitam.
16. (i) De salute corporis: nulla mihi vitæ spes superest; *Parce mihi*, tam diris flagellis. Quæ in speciem videtur desperatio & blasphemia, amoris est excessus, cum amicus videtur nos deserere, & contemnere. Ex Hebræo, tædet me, ne diutius vivam.
19. (k) Ut paullulum respirem.

20. (l) Vatabl. Quomodo me geram erga te, si hominis facta observare velis? Dicitur Deus custos hominum, quia diligens est humanarum actionum observator. *Quare posuisti me contrarium tibi?* Deplorat legem membrorum repugnantem legi mentis suæ: videtur prima specie quasi cum Deo expostulare, sed Deum ut peccati destructorem, non ut auctorem statim agnoscens veniam petit: vis amoris sub specie indignationis latet.
21. (m) Cur non clementiæ potius, quam severitatis effectus in me exeris? *Quibus profecto verbis quid aliud quam desideratum præstolati Mediatoris innuitur?* Gregor.

CAP. VIII. 2. (a) Hebr. fortis, vehemens, quod Job nimis audacter loqui ipsi Baldad videretur. Quamdiu tam vehementer culpam tuam excusabis?
3. (b) Hinc concludit Jobum juste affligi, quod Deus justus sit: quæ fallax est argumentatio propter homonymiam in voce, *justitia*, positam. Alia enim est, ut bene advertit Estius, justitia generalis, quæ est rectitudo quædam, juxta quam Deus agit omnia; alia est specialis, quæ reddit unicuique quod suum est. Juxta specialem justitiam non necesse est Deum omnia operari. Nam creatio mundi, aut justificatio impii non est ex justitia particulari. Sic ubi Deus justum affligit in hac vita ultra quam meruit, non injuste agit, aut juste ex justitia particulari: Cum non sit retributio quædam, quæ piæ ipsi servatur in futuro sæculo: sed juste agit ex justitia generali, & ob alium finem.
6. (c) Cito tibi aderit: *Et pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ*, pacem in domo tua constituet.

7. In tantum, ut si priora tua fuerint parva, & novissima tua multiplicentur nimis.

8. Interroga enim generationem pristinam, & diligenter investiga patrum memoriam:

9. (Hesterni quippe sumus, & ignoramus quoniam sicut * umbra dies nostri sunt super terram.)

* Infr. 14. 2. Ps. 143. 4.

10. Et ipsi docebunt te: loquentur tibi, & de corde suo proferent eloquia.

11. Numquid vivere potest scirpus (d) absque humore? aut crescere carectum sine aqua?

12. Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit:

13. Sic viæ omnium, qui obliviscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit:

14. Non ei placebit vecordia (e) sua, & sicut tela aranearum fiducia ejus.

15. Innitetur super domum suam, & non stabit, fulciet eam, & non consurget:

16. Humectus (f) videtur antequam veniat Sol, & in ortu suo germen ejus egredietur.

17. Super acervum petrarum radices ejus densabuntur, & inter lapides commorabitur.

18. Si absorbuerit (g) eum de loco suo, negabit eum, & dicet: Non novi te.

19. Hæc est enim lætitia viæ ejus, ut rursum de terra alii germinentur.

20. Deus non projiciet simplicem, nec porriget manum malignis:

21. Donec impleatur risu (h) os tuum, & labia tua jubilo.

22. Qui oderunt te, induentur confusione: & tabernaculum impiorum non subsistet.

CAPUT IX.

Job solvit quæ sibi sunt objecta, & ostendit Deum citra ullam injustitiam innocentem probare & exercere pœnis temporalibus.

1. ET respondens Job, ait:

2. Vere scio quod ita sit, & quod non justificetur (a) homo compositus Deo.

3. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille.

4. Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit (b) ei, & pacem habuit?

5. Qui transtulit montes (c), & nescierunt hi quos subvertit in furore suo.

6. Qui commovet terram de loco suo, & columnæ (d) ejus concutiuntur.

7. Qui præcipit Soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo:

8. Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris.

9. Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora (e) Austri.

10. Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.

11. Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit, non intelligam.

12. Si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest: Cur ita facis?

13. Deus, cujus iræ (f) nemo resistere potest, & sub quo curvantur qui portant orbem.

14. Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo?

15. Qui etiam si habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicem deprecabor.

16. Et cum invocantem exaudierit me, non credo quod audierit vocem meam.

17. In turbine (g) enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea etiam sine causa.

18. Non concedit requiescere spiritum meum, & implet me amaritudinibus.

19. Si fortitudo (h) quæritur, robustissimus est: si æquitas judicii, nemo audet pro me testimonium dicere.

20. Si justificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, pravum me comprobabit.

21. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ.

22. Unum est quod locutus sum, & innocentem & impium ipse consumit (i).

23. Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat (k).

24. Terra data est in manus impii, vultum judicum ejus operit (l): quod si non ille est, quis ergo est?

25. Dies

11. (d) Juncus: LXX. *papyrus*, *aut crescere carectum sine aqua?* Carices sunt junci: LXX. *pratum* vertunt. Illæ herbæ aqua destitutæ arescunt: sic homines cum a fonte bonorum Deo recedunt, plane exarescunt; atque ut humiditate plantæ, ubi aqua deficit, sic qui vera pietate carent, in adversa fortuna pietatis larvam deponunt.

14. (e) Non gaudebit diu, sua spes eum fallet.

16. (f) Seu juncus, *antequam veniat sol*; existimat se vivere & florere posse. At sol uliginosum locum arefaciet: *In ortu suo*; Hebr. in horto germinans: *sed super acervum petrarum radices ejus densabuntur*. Humus solis ardore exsiccata erit instar petræ: adeo ut locus ipse dicere possit. Non novi te. Sic hypocrita initio florens & felix, mox marcescit. Ex Hebræo, alii vertunt: etiam si eo usque excreverit, ut altas domos despiciat. Alii de terra germinantur. & in locum ejus succedunt, pietas ejus, aut fortuna videtur bene constituta, inter petras crescit: sed radices non habet humore destitutas destituta, ubi Sol justitiæ ardorem tribulationum immiserit.

18. (g) Similitudine arboris in lapidosis locis consitæ & robustæ sceleratum expressit, quem loco suo evulsum Deus e conspectu subduxit.

21. (h) Seu gaudio; vel mutatus sermo, & convertitur ad impium.

CAP. IX. 2. (a) Nam si justitia ejus cum Dei justitia comparetur, nulla est. Hinc Gregor. in hunc locum: *Sanctus vir, quia omne virtutis nostræ meritum esse vitium conspicit, si ab interno arbitro districte judicetur, hunc subjungit, vere scio, &c.* Ubi Gregor. loquitur de totius vitæ decursu, si districte judicetur, propter multa occulta, & aliena peccata. Quare hic locus nihil favet Novatoribus.

4. (b) Hebr. *Induravit*, nempe cor suum.

5. (c) Chald. *Reges*; *&* nescierunt; neque id prospexerunt.

6. & 7. (d) Columnas tribuit velut ædificio cuidam, ad vulgi captum sermonem accommodans. *Præcipit*, ex Vatabl. *præcipit soli*, & potuit præcipere. *Claudit*; cælum in scripturis ut Isaiæ 4. & Apocal. 6. conferri solet cum libro, cujus characteres sunt sidera, & signaculum quo clauditur, sunt tenebræ ipsæ: extenditur, cum stellis ornatum micat, aut serenum est.

9. (e) Stellas prope polum Antarcticum nobis occultas.

13. (f) Hebr. Deus non revocat iram suam, non facile placatur. *Sub quo curvantur*, Angeli. Hebr. Sub quo curvantur adjutores roboris superbi.

17. (g) Tribulationum: *Conteret me etiam sine caussa*, mihi cognita: *Implet me amaritudinibus*; hic status est probationis.

19. (h) Is est omnipotens, robustissimus est; *si æquitas judicii*, ipse est fons justitiæ: quare mihi unum restat; ut silcam, & ejus clementiam implorem.

22. (i) Neque id verum est hominem miserum propter improbitatem semper vexari; unum est, omnibus rite consideratis hoc unum pronuntio, &c.

23. (k) Non ita se gerat, ac si pœnis meis delectaretur. Hebr. *Tentationem innocentum subsannabit*; ut pater qui castigat filium, lacrymis ejus non movetur: ridere est humana miseria non affici.

24. (l) Col. judices impius, & quasi velo eos induit donis suis. *Quis ergo est*. Probat Job non semper pœnas a Deo propter delicta decerni. In hac vita terra data est a Deo in manus impii, qui vultum judicis operit ne videat, & donis eum corrumpit; vel sinit Deus justo sed occulto judicio orbem terrarum ab impiis & ignavis judicibus regi.

25. Dies mei velociores (*m*) fuerunt cursore: fugerunt, & non viderunt bonum.

26. Pertransierunt quasi naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam.

27. Cum dixero: Nequaquam ita loquar: commuto (*n*) faciem meam, & dolore torqueor.

28. Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.

29. Si autem & sic impius sum, quare frustra laboravi (*o*).

30. Si lotus fuero quasi aquis nivis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ:

31. Tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta (*p*) mea.

32. Neque enim viro qui similis mei est, respondebo: nec qui mecum in judicio ex æquo possit audiri.

33. Non est qui utrumque valeat arguere, & ponere (*q*) manum suam in ambobus.

34. Auferat a me virgam suam, & pavor ejus non me terreat.

35. Loquar (*r*), & non timebo eum: neque enim possum metuens respondere.

C A P U T X.

Job Deum deprecatur, ut ærumnas quibus opprimitur, auferat: collata in se Dei beneficia commemorat.

1. TÆdet animam meam vitæ meæ, dimittam (*a*) adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ.

2. Dicam Deo: Noli me condemnare: indica (*b*) mihi cur me ita judices?

3. Numquid bonum tibi videtur, si calumnieris (*c*) me, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum adjuves?

4. Numquid oculi (*d*) carnei tibi sunt: aut sicut videt homo, & tu videbis?

5. Numquid sicut dies hominis dies tui, & anni tui sicut humana sunt tempora,

6. Ut quæras iniquitatem meam, & peccatum meum scruteris?

7. Et scias quia nihil impium fecerim, cum sit nemo qui de manu tua possit eruere.

8. Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu (*e*): & sic repente præcipitas me?

9. Memento quæso quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.

10. Nonne sicut lac mulsisti me (*f*), & sicut caseum me coagulasti?

11. Pelle & carnibus vestisti me: ossibus & nervis compegisti me:

12. Vitam & misericordiam (*g*) tribuisti mihi, & visitatio tua custodivit spiritum meum.

13. Licet hæc celes in corde tuo, tamen scio quia universorum memineris (*h*).

14. Si peccavi, & ad horam pepercisti mihi: cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris (*i*)?

15. Et si impius fuero, væ mihi est: & si justus, non levabo (*k*) caput, saturatus afflictione & miseria.

16. Et propter superbiam (*l*) quasi leænam capies me, reversusque mirabiliter me crucias.

17. Instauras testes (*m*) tuos contra me, & multiplicas iram tuam adversum me, & pœnæ militant in me.

18. Quare (*n*) de vulva eduxisti me? qui utinam consumptus essem ne oculus me videret.

19. Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum.

20. Numquid non paucitas dierum (*o*) meorum finietur brevi? dimitte ergo me, ut plangam paullulum dolorem meum.

21. Antequam vadam (*p*) & non revertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine:

22. Terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra (*q*) mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

C A P U T XI.

Sophar Jobum arguit ut loquacem & furiosum nimis, qui sublimia loqui aut scire amat.

1. REspondens autem Sophar Naamathites dixit:

2. Numquid qui multa loquitur, non & audiet (*a*)? aut vir verbosus justificabitur?

3. Tibi

25. (*m*) Prosperitas qua usus sum, brevis fuit, nec diu stetit.

27. (*n*) LXX. Tacite apud me gemam.

29. (*o*) Summæ justitiæ comparatione fatebor me innocentem non esse.

31. (*p*) Gregor. id explicat de concupiscentia mala. Affinis huic locus est in Epist. Judæ Apost. vers. 23. *Odientes & eam quæ carnalis est, maculatam tunicam.*

33. (*q*) Nemo est qui possit litem componere.

35. (*r*) Si tamen Deus auferat a me virgam suam & dolores corporis, accedam ad caussam dicendam.

CAP. X. 1. (*a*) Libere laxabo habenas: *super me*, de rebus meis.

2. (*b*) Sed indica, quæso.

3. (*c*) Si ita mecum agis, quasi velles me opprimere, quod faciunt amici mei: verba sunt hominis gravi oppressi calamitate. *Adjuves*, Hebr. *Illustres*, successu gloriosum facias.

4. (*d*) Qui exteriora tantum videant.

8. & 9. (*e*) Omni ex parte. *Reduces me*, quasi ex argilla finxisti me; an opus tuum vertes in pulverem? per interrogationem.

10. (*f*) Cura & inspectio tua.

12. (*g*) Quia parum erat vita, quam nascendo sortitus est, ideo addidit & misericordiam, ne remaneret naturaliter filius iræ, sicut & ceteri, atque inter vasa iræ, non inter vasa misericordiæ haberetur.

13. (*h*) Scio hæc aliunde quam ex providentiæ tuæ ordine fieri.

14. (*i*) Cur ab iniquitate mea non emundabis me? Vatabl.

15. (*k*) Non gloriabor tot miseriis afflictus. Quod non pugnat cum eo loco 1. Joann. 3. *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum*; non enim ex eo ipso gloriabitur, quasi non acceperit.

16. (*l*) Ita me tractabis ut superbos: videris ut leænam & crudelem infectari me, dum plagas plagis addis.

17. (*m*) Mala me premunt, quasi tot meæ impietatis testes; vel amicos meos ut testes contra me adducis.

18. (*n*) Frustra, inquit Vavassorius identidem a me laudatus, a calamitosis expectes modum, aut ordinem. *Ne oculus me videret*: Hebr. *Et oculus non vidisset me.*

20. (*o*) Brevi finienda vita est, id saltem exiguum quod superest vitæ tempus concede, ut *plangam paullulum dolorem meum*: LXX. quietiam parum.

21. (*p*) Aliter: *Ne vadam.*

22. (*q*) Umbra lethalis. Sempiternus horror. Hebr. ubi illuxit, est sicut caligo: id est, nox ibi perpetua est.

CAP. XI. 2. (*a*) Hebr. *An multiloquium non habebis responsionem?* Vatabl. *Aut vir verbosus justificabitur?* numquid & ex multiloquio te justum ostendes?

3. Tibi soli tacebunt (*b*) homines? & cum ceteros irriseris, a nullo confutaberis?

4. Dixisti enim: Purus est sermo meus, & mundus sum in conspectu tuo.

5. Atque utinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi.

6. Ut ostenderet tibi secreta sapientiæ, & quod multiplex esset lex (*c*) ejus, & intelligeres quod multo minora exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua.

7. Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum (*d*) Omnipotentem reperies?

8. Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces?

9. Longior terra mensura ejus, & latior mari.

10. Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit (*e*), quis contradicet ei?

11. Ipse enim novit hominum vanitatem (*f*), & videns iniquitatem nonne considerat?

12. Vir vanus in superbiam erigitur, & tamquam pullum onagri se liberum natum putat.

13. Tu autem firmasti (*g*) cor tuum, & expandisti ad eum manus tuas.

14. Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, & non manserit in tabernaculo tuo injustitia:

15. Tunc levare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis.

16. Miseriæ quoque oblivisceris, & quasi aquarum quæ præterierunt recordaberis.

17. Et quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam: & cum te consumptum (*h*) putaveris, orieris ut lucifer.

18. Et habebis fiduciam, proposita tibi spe, & defossus (*i*) securus dormies.

*Lev. 26. 5. 19. * Requiesces, & non erit qui te exterreat: & deprecabuntur (*k*) faciem tuam plurimi.

* Lev. 26. 16. 20. * Oculi autem impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & spes illorum abominatio (*l*) animæ.

CAPUT XII.

Job causam suam tuetur, & amicorum de rebus divinis sapientiam elevat.

1. RESpondens autem Job, dixit:

2. Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia?

3. * Et mihi est cor, sicut & vobis, nec inferior vestri sum: quis enim hæc, quæ nostis, ignorat? *Infr. 10 3.

4. * Qui deridetur (*a*) ab amico suo sicut ego, invocabit Deum, & exaudiet eum: deridetur enim justi simplicitas. * Prov. 14. 2.

5. Lampas contempta apud cogitationes divitum (*b*), parata ad tempus statutum.

6. Abundant tabernacula prædonum (*c*), & audacter provocant Deum, cum ipse dederit omnia in manus eorum.

7. Nimirum interroga (*d*) jumenta, & docebunt te: & volatilia cæli, & indicabunt tibi.

8. Loquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris.

9. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit?

10. In cujus manu anima omnis viventis, & spiritus universæ carnis hominis.

11. * Nonne auris verba dijudicat (*e*), & fauces comedentis, saporem? * Inf. 34. 3.

12. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.

13. Apud ipsum est sapientia & fortitudo, ipse habet consilium & intelligentiam.

14. * Si destruxerit, (*f*) nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. *Is. 22. 22. Apoc. 3. 7.

15. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: & si emiserit eas, subvertent terram.

16. Apud ipsum est fortitudo & sapientia: ipse novit & decipientem, & eum qui decipitur.

17. Adducit (*g*) consiliarios in stultum finem, & judices in stuporem.

18. Balteum regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum.

19. Ducit

3. (*b*) An forte tuis convicti rationibus obmutescent omnes? An cum aliorum dicta irriseris, nemo tua eludet & confutabit?

6. (*c*) Hebr. Et *duplicia secundum legem*, supple, meruisti, ut ex iis quæ sequuntur liquet. Unde alii vertunt: duplex rationum pagina, quasi liber rationum intus, & a tergo scriptus sit. *Et intelligeres quod multo minora exigaris ab eo quod mereatur iniquitas tua*. Itaque hinc efficitur multiplicem esse legem ejus, & multis modis in eam peccari.

7. (*d*) Perfecte Omnipotentem reperies.

10. (*e*) Si late fusa in angustum spatium contraxerit, *quis contradicet ei?*

11. (*f*) Scelera; novit quid quisque peccet, & debitas exigit pœnas.

13. (*g*) Tu autem in scientia obfirmatus manes. Et expandisti *manus tuas*: Impatiens oras Deum, & exaudiri te posse putas: Hebr. *Si praeparaveris cor tuum*.

17. (*h*) Cum de te actum esse existimaveris, tibi insperanti succedent omnia.

18. (*i*) Somnum capies quasi circumcinctus fossa adversus hostes tuos.

19. (*k*) Multi tibi blandientur.

20. (*l*) Spes illorum cecidet in rem odiosissimam.

CAP. XII. 4. (*a*) *Qui ut impius deridetur, Deum invocat. & seipsum intus robustius in Deo solidat, qui foris non invenit in quo requiescat. Tota enim spes in Auctorem figitur, & inter irrisionum convicia solus interior testis imploratur*. Gregor. Lib. 10. cap. 15. Vos me luditis, cum me admonetis, ut Dei implorem auxilium, quasi id non agerem. Quod agitis, est amicum ridere.

5. (*b*) Nihili eum faciunt, & justitiam ejus contemnunt: *Parata ad tempus statutum*. Quanti facienda sit justitia ejus, apparebit die constituto. Gregor. *Contempta lampas quæ irrisiones tolerat, de cælo lucidius per judicium coruscat*. Homo justus lucerna est, quam ii contemnunt, quibus res sunt secundæ.

6. (*c*) Domus potentum, qui vi & potentia in perniciem aliorum abutuntur: neque vero impii semper in afflictione versantur, cum prædones abundent divitiis.

7. (*d*) Quæ ab amicis sunt commemorata, sunt ejusmodi, ut jumenta, & res creatæ omnes si loqui possent, non minora dicerent, & auctorem Deum prædicarent.

11 (*e*) Ut sensu percipiuntur sensibilia, sic mente opera Dei, & auctor ipse agnoscendus.

14 (*f*) Destruit non pugnando, sed deserendo. *Mutum est os omne quod loquitur, si illa interius in corde non clamet, qui aspirat verba quæ audiuntur*. Gregor. Lib. 11. cap. 5. *Si incluserit hominem*: si ad extremas redegerit angustias. *Alium erigit, dum cor ejus gratiæ præparat, alium sub ruina peccatorum inclusum relinquit*, ut docet Gregorius: *& nullus est qui aperiat*, nemo quantumvis potens aut fortis eum inde extricare & eximere poterit.

17. (*g*) Sic versu 20. *Commutans labium veracium*: & vers. 24. *Qui immutat cor principum, & decipit eos ut frustra incedant per invium*. His & similibus perperam abutitur Calvinus, ut probet Deum esse Auctorem peccati. Nam hoc loco Job agit de potentia Dei, qui bona homini malo objicit, & homo suo vitio his abutitur ad malum: Deus vero liberam hominis voluntatem, quæ est caussa deficiens, permittit ab incommutabili bono deficere. *Commutans labia veracium*: stulte facit eos, qui se sapientes putant.

19. Ducit sacerdotes (*h*) inglorios, & optimates supplantat:

20. Commutans labium veracium (*i*), & doctrinam senum auferens.

21. Effundit (*k*) despectionem super principes, eos, qui oppressi fuerant, relevans.

22. Qui revelat (*l*) profunda de tenebris, & producit in lucem umbram mortis.

23. Qui multiplicat gentes & perdit eas, & subversas in integrum restituit.

24. Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos ut frustra incedant per invium:

25. Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios.

CAPUT XIII.

Negat Job se hactenus ex ignorantia divinæ sapientiæ, aut potentiæ locutum, sed ex conscientia sua.

1. Ecce omnia hæc vidit (*a*) oculus meus, & audivit auris mea, & intellexi singula.

2. Secundum scientiam vestram & ego novi: nec inferior vestri sum.

3. Sed tamen ad Omnipotentem loquar, & disputare cum Deo cupio (*b*):

4. Prius vos ostendens fabricatores (*c*) mendacii, & cultores perversorum dogmatum.

5. Atque utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes.

6. Audite ergo correptionem meam, & judicium labiorum meorum attendite.

7. Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos (*d*)?

8. Numquid faciem ejus accipitis (*e*), & pro Deo judicare nitimini?

9. Aut placebit ei quem celare nihil potest? aut decipietur ut homo, vestris fraudulentiis?

10. Ipse vos arguet (*f*), quoniam in abscondito faciem ejus accipitis.

11. Statim ut se commoverit, turbavit vos, & terror ejus irruet super vos.

12. Memoria (*g*) vestra comparabitur cineri, & redigentur in lutum cervices vestræ.

13. Tacete paulisper, ut loquar quodcumque mihi mens suggesserit.

14. Quare lacero (*h*) carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis?

15. Etiam si occiderit me, in ipso sperabo: verumtamen vias meas in conspectu ejus arguam (*i*).

16. Et ipse erit salvator (*k*) meus: non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita.

17. Audite sermonem meum, & ænigmata percipite auribus vestris.

18. Si fuero judicatus (*l*), scio quod justus inveniar.

19. Quis est qui judicetur (*m*) mecum? veniat: quare tacens consumor?

20. Duo tantum ne facias mihi, & tunc a facie tua non abscondar:

21. Manum (*n*) tuam longe fac a me, & formido tua non me terreat.

22. Voca me, & ego respondebo tibi: aut certe loquar, & tu responde mihi.

23. Quantas habeo (*o*) iniquitates & peccata, scelera mea & delicta ostende mihi.

24. Cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum?

25. Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris:

26. Scribis (*p*) enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ.

27. Posuisti in nervo (*q*) pedem meum, & observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti:

28. Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur a tinea (*r*).

CAPUT XIV.

Jam cœperat Job ad Deum convertere sermonem, & ejus implorare misericordiam; id ipsum fusius prosequitur.

1. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur (*a*) multis miseriis.

2. * Qui quasi flos egreditur & conteritur, * Sap. 8. 9. Ps. 143. 4.
& fugit velut umbra, & numquam in eodem statu permanet.

3. Et

19. (*h*) Chald. Optimates. *Decipit eos ut frustra incedant per invium*: sinit eos decipi.
20. (*i*) Vox Hebræa, ait Grotius, homines auctoritate præditos significat.
21. (*k*) Efficit ut principes contemptui sint civibus quos oppressos tenent.
22. (*l*) Profert in lucem res occultissimas.

CAP. XIII. 1. (*a*) Quæ fecerit Deus pro summa potestate & sapientia.
3. (*b*) Nam a vobis doceri nihil possum: sed opto cum Deo disceptare, qui est vera sapientia.
4. (*c*) Hebr. *Falsi usores*.
7. (*d*) Falsas calumnias.
8. (*e*) Numquid cum Deo sic agere vultis, ut solent homines qui personas potentum accipiunt? Vultis Deo gratificari me opprimendo.
10. (*f*) Vestram agendi rationem condemnabit. *Quoniam in abscondito faciem ejus accipitis*, fraudulenter, ut favere Deo videamini.
12. (*g*) Quidquid in vobis est memorabile: *Et redigentur in lutum cervices vestræ*, Hebr. Corpora vestra.
14. (*h*) Videor vobis instar furibundi dentibus meis meipsum dilacerare. *Et animam meam porto in manibus meis*, quasi illius prodigus: sed non ita despero.
15. (*i*) Deo qui falli non potest, probabo innocentiam meam.
16. (*k*) Si me purgavero, salutem cum venia dabit.
18. (*l*) Hebr. *Si disposuero judicium*: si caussam ex ordine dixero, persuasum habeo fore ut illam obtineam. Quæ persuasio humana est, quæ falli potest, nec pugnat cum illo cap. 9. loco: *Etiam si simplex fuero, ipsum ignorabit anima*: nam cor hominis sibi ipsi est inscrutabile. Itaque hæc verba. *Scio quod justus inveniar*, sic intelligi debent, bene confido.
19. (*m*) Hebr. Qui litiget mecum coram judice. *Quare tacens consumor?* quasi nocens convictus. In persona Christi videtur loqui, quem nemo arguere potuit de peccato. Tacens, conqueri est solatium quoddam.
21. (*n*) Duo petit a Deo, ne se excruciet, ac ne majestate perterreat.
23. (*o*) Hoc a Deo petit, non tam sua, quam amicorum caussa.
26. (*p*) Adversum me severissimam sententiam pronuntias. *Et consumere me vis*. An ob peccata adolescentiæ jam dimissa punire me vis? nullo modo.
27. (*q*) Se in carcere inclusum & vinctum considerat, cujus actiones omnes diligenter observantur.
28. (*r*) Hebr. Ut vestimentum hoc comedit tinea, corpus suum demonstrans.

CAP. XIV. 2. (*a*) Hebr. *Satur ira, plenus Dei flagellis*.

3. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium (b)?

*Ps. 50. 4. 4. * Quis potest facere mundum de immundo (c) conceptum semine? nonne tu qui solus es?

5. Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituisti (d) terminos ejus, qui præteriri non poterunt.

6. Recede paullulum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii dies ejus.

7. Lignum (e) habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami ejus pullulant.

8. Si senuerit (f) in terra radix ejus, & in pulvere emortuus fuerit truncus illius,

9. Ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quasi cum primum plantatum est:

10. Homo vero cum mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, ubi (g) quæso est?

11. Quomodo si recedant aquæ de mari, & fluvius vacuefactus arescat:

12. Sic homo cum dormierit, non resurget, donec atteratur (h) cælum, non evigilabit, nec consurget de somno suo.

13. Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno (i) protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?

14. Putasne (k) mortuus homo rursum vivat? cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.

15. Vocabis (l) me, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram.

*Infr. 31. 4. & 34. 21. Prov. 5. 21. 16. * Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

17. Signasti quasi in sacculo (m) delicta mea, sed curasti iniquitatem meam.

18. Mons cadens defluit (n), & saxum transfertur de loco suo.

19. Lapides excavant aquæ, & alluvione paullatim terra consumitur: & hominem ergo similiter perdes.

20. Roborasti (o) eum paullulum ut in perpetuum transiret: immutabis faciem ejus, & emittes eum.

21. Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget (p).

22. Attamen caro ejus dum vivet dolebit, & anima illius super semetipso lugebit.

CAPUT XV.

Eliphaz pergit Jobum incessere, quasi ea patiatur mala ob graviora peccata, eumque acerbius impietatis accusat.

1. RESpondens autem Eliphaz Themanites, dixit:

2. Numquid sapiens respondebit (a) quasi in ventum loquens, & implebit ardore stomachum suum?

3. Arguis verbis eum, qui non est æqualis tibi, & loqueris quod tibi non expedit.

4. Quantum in te est, evacuasti timorem (b), & tulisti preces coram Deo.

5. Docuit enim iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blasphemantium (c).

6. Condemnabit te os tuum, & non ego: & labia tua respondebunt tibi.

7. Numquid primus homo tu natus es, & ante colles formatus?

8. Numquid consilium Dei audisti, & inferior te erit ejus sapientia?

9. Quid nosti quod ignoremus? quid intelligis quod nesciamus?

10. * Et senes & antiqui sunt in nobis, multo vetustiores quam patres tui. *Eccli. 18. 8.

11. Numquid grande est ut consoletur (d) te Deus? sed verba tua prava hoc prohibent.

12. Quid te elevat cor tuum, & quasi magna cogitans, attonitos habes oculos?

13. Quid tumet contra Deum spiritus tuus, ut proferas de ore tuo hujuscemodi sermones?

14. Quid est homo, ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus de muliere?

15. * Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis (e), & cæli non sunt mundi in conspectu ejus. *Sup. 4. 10.

16. Quanto magis abominabilis, & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?

17. Ostendam tibi, audi me: quod vidi narrabo tibi.

18. Sapientes confitentur (f), & non abscondunt patres suos.

19. Qui-

3. (b) LXX. *Et hunc fecisti venire in judicium coram te*. Miror quod de rebus minutissimis hominem velis rationem reddere, tunc illum judicare velis.

4. (c) Addit Interpres. *Conceptum semine*; Hebr. *Quis dabit mundum ex immundo?* supple Adamo: LXX. *Quis enim mundus erit a sorde?* Sane nemo: *Etiam si unius diei sit vita ejus super terram*. Dicitur autem immundum semen, caussaliter, ut ajunt: quia in ipso est caussa humanæ generationis. *Nonne tu qui solus es?* Qui a nullo esse accepisti.

5. (d) Tamdiu vivit homo, quamdiu vult Deus, necessitate consequentiæ, atque apud ipsum est certissima præscientia dierum quibus homo victurus est, non inevitabilis caussarum connexio, seu fatum hanc necessitatem inducit. *Apud te est*, tibi notus. Vel noluisti ne in plura sæcula, ut olim, vitam produceret.

7. (e) Alia est hominis, alia arboris ratio: hæc excisa, non evulsa fruticatur; non item homo.

8. (f) Si vel minima radix superest, reparari potest, & reviviscere si irrigetur.

10. (g) Nusquam in hoc mundo comperies.

12. (h) Nam cæli mutabuntur. Itaque non resurget homo, quamdiu stabit hic rerum status.

13. (i) In sepulcro *protegas me*, toto hoc tempore quo me cruciari sinis.

14. (k) Sed quid ego opto quod fieri nequit? *Expecto donec veniat immutatio mea*: vitæ immortalis spe me sustento.

15. (l) In resurrectione corporum: *Operi manuum tuarum porriges dexteram*. Porrexit Dominus dexteram suam, quia ut abjectum ad summa erigeret genus humanum, incarnatum ad hoc Unigenitum misit.

17. (m) Quasi in marsupio merita mea & delicta obsignasti. Hinc Apost. Rom. 2. *Thesaurizas tibi iram in die iræ*.

18. (n) Saxeos montes tempus exedit, multo magis homines.

20. (o) Nonnihil roboris ei tribuisti: *Immutabis faciem ejus*, inducto senio.

21. (p) Id naturaliter nesciunt: sed ut viventes multa per fidem norunt de statu futuri sæculi, ita qui in Christo mortui sunt, ea norunt quæ ad suam felicitatem spectant. ex Greg. in hunc locum, & August. Lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 15. & 16.

CAP. XV.

2. (a) Non est sapientis vana respondere, & plena indignatione, ut tu facis.

4. (b) Religionem verbis tuis, quantum in te fuit, evertisti.

5. (c) Hebr. *Versutorum*, qui sermone fallaci obscurant veritatem.

11. (d) Non esset Deo arduum te consolari.

15. (e) Hebr. *Ecce in sanctis suis non posuit veritatem*, omnino perfectam, & ex omni parte absolutam: sic creati sunt Angeli, ut deficere a justitia possent.

18. (f) Sapientis est eos prodere, per quos profecerit: *Et non abscondunt patres suos*, quæ a patribus acceperint.

19. Quibus solis data est terra (*g*), & non transivit alienus per eos.

20. Cunctis (*h*) diebus suis impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis ejus.

21. Sonitus terroris semper in auribus illius (*i*): & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur.

22. Non credit quod reverti possit (*k*) de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium.

23. Cum se moverit ad quærendum panem, novit (*l*) quod paratus sit in manu ejus tenebrarum dies.

24. Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut regem (*m*), qui præparatur ad prælium.

25. Tetendit enim adversus Deum (*n*) manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est.

26. Cucurrit adversus eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.

27. Operuit faciem ejus crassitudo, & de lateribus ejus arvina dependet.

28. Habitavit in civitatibus desolatis (*o*), & in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ.

29. Non ditabitur (*p*), nec perseverabit substantia ejus, nec mittet in terra radicem suam.

30. Non recedet de tenebris: ramos ejus arefaciet flamma, & auferetur spiritu oris sui (*q*).

31. Non credet frustra (*r*) errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit.

32. Antequam dies ejus impleantur, peribit: & manus ejus arescent.

33. Lædetur quasi vinea in primo flore botrus ejus, & quasi oliva projiciens florem suum.

34. Congregatio enim hypocritæ sterilis (*f*), & ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.

* Ps. 7. 15. Isa. 59. 4. 35. * Concepit dolorem, & peperit iniquitatem (*t*), & uterus ejus præparat dolos.

CAPUT XVI.

Job acerbos consolatores, ut par est, excipit. Tum Deum compellat, ut testem & vindicem.

1. Respondens autem Job, dixit:

2. Audivi frequenter talia, consolatores onerosi omnes vos estis.

3. Numquid habebunt finem verba ventosa? aut aliquid tibi molestum est si loquaris (*a*)?

4. Poteram & ego similia vestri loqui: atque utinam (*b*) esset anima vestra pro anima mea.

5. Consolarer & ego vos sermonibus, & moverem (*c*) caput meum super vos:

6. Roborarem vos ore meo: & moverem labia mea, quasi parcens vobis.

7. Sed quid agam (*d*)? si locutus fuero, non quiescet dolor meus: & si tacuero: non recedet a me.

8. Nunc autem oppressit me dolor meus & in nihilum redacti sunt omnes artus mei.

9. Rugæ (*e*) meæ testimonium dicunt contra me, & suscitatur falsiloquus adversus faciem meam contradicens mihi.

10. Collegit (*f*) furorem suum in me, & comminans mihi, infremuit contra me dentibus suis: hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.

11. Aperuerunt (*g*) super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis.

12. Conclusit (*h*) me Deus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit.

13. Ego ille quondam opulentus (*i*), repente contritus sum: tenuit cervicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum.

14. Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terra viscera mea.

15. Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.

16. Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam.

17. Facies mea intumuit a fletu, & palpebræ meæ caligaverunt (*k*).

18. Hæc

19. (*g*) Regenda, quamque ab incursibus hostium tutati sunt.

20. (*h*) Gr. Omnis vita impii in cura. Ex Hebr. Tota vita impius est se ipsum puniens.

21. (*i*) Quolibet terrentur sono.

22. (*k*) Non credit se emersurum e calamitatibus.

23. (*l*) Quod morte sit opprimendus.

24. (*m*) Ut cohortes stipant Regem proficiscentem ad bellum.

25. (*n*) Quia se adversus Deum obfirmavit.

28. (*o*) Quas ipse fecit populos superbe vexans.

29. (*p*) Cum populi frequentia destruatur.

30. (*q*) Oris enim, Dei scilicet, qui spiritum tyranni difflabit.

31. (*r*) Ex Hebræo, ne credat vanitati. *Qui decipitur*: nam vanitas erit merces ejus. *Quod aliquo pretio redimendus sit*: Quod e suis malis possit liberari.

34. (*f*) Sine liberis. *Devorabit*: Hebr. Tabernacula munerum ex male partis.

35. (*t*) Hebr. *Vanitatem*, magno conatu nihil egit. *Et uterus ejus præparat dolos*: non desinit novas fraudes animo moliri.

CAP. XVI. 3. (*a*) Nullo labore tam inconsiderate loqueris.

4. (*b*) Si ita contingeret ut loco meo essetis, non ita vobiscum agerem ut vos erga me.

5. (*c*) Non irridentis, sed plangentis affectu. Movere caput est insultare. Si vos in eo essetis statu, in quo ego sum, possem similiter vobis illudere. Sed movere caput potest etiam esse obstupefacti animi.

7. (*d*) Verba videntur esse interpretis.

9. (*e*) Hebr. *Vincula*, quibus me constringit, videntur favere calumniatoribus meis. Græce, prehendisti me, in testimonium fuit. Et *suscitatur falsiloquus*, nec deest qui me falso accuset.

10. (*f*) Hostis, aut diabolus. Quæ sequuntur, Christo Domino aptari recte possunt. Adeo ut in Jobo imago Christi patientis expressa videretur: quæ fusius in Psalmo 21. prædicuntur, iisdem pene verbis sunt hoc loco descripta, comminari, frendere dentibus, intueri terribilibus oculis.

11. (*g*) Convicits me incesserunt. *Exprobrantes percusserunt maxillam meam*, per summum probrum.

12. (*h*) Vinctum me tradidit iniquis.

13. (*i*) Hebr. *Tranquille vivebam*. Crescit oratio tribus his versibus, qui sequuntur: Cum tranquille viverem, obtrivit me repente, confregit, & posuit me in signum, seu in scopum sagittariis propositum.

17. (*k*) Præ nimio fletu.

18. Hæc passus (*l*) sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.

19. Terra ne operias sanguinem (*m*) meum, neque inveniat in te locum latendi clamor meus.

20. Ecce enim (*n*) in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis.

21. Verbosi (*o*) amici mei: ad Deum stillat oculus meus.

22. Atque utinam sic judicaretur vir cum Deo, quomodo judicatur filius hominis cum collega suo.

23. Ecce enim breves anni transeunt, & semitam, per quam non revertar, ambulo.

CAPUT XVII.

Eo tandem oratione sua Job adducitur, ut in morte tranquillitatem expectet, quæ est sapientia summa.

1. Spiritus meus attenuabitur (*a*), dies mei breviabuntur, & solum mihi superest sepulcrum.

2. Non peccavi (*b*), & in amaritudinibus moratur oculus meus.

3. Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.

4. Cor eorum longe fecisti a disciplina (*c*), propterea non exaltabuntur.

5. Prædam pollicetur (*d*) sociis, & oculi filiorum ejus deficient.

6. Posuit me quasi in proverbium vulgi, & exemplum (*e*) sum coram eis.

7. Caligavit ab indignatione (*f*) oculus meus, & membra mea quasi in nihilum redacta sunt.

8. Stupebunt (*g*) justi super hoc, & innocens contra hypocritam suscitabitur.

9. Et tenebit justus viam suam (*h*), & mundis manibus addet fortitudinem.

10. Igitur omnes vos convertimini, & venite, & non inveniam (*i*) in vobis ullum sapientem.

11. Dies mei transierunt, cogitationes (*k*) meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum.

12. Noctem verterunt in diem, & rursum post tenebras (*l*) spero lucem.

13. Si sustinuero (*m*), infernus domus mea est, & in tenebris stravi lectulum meum.

14. Putredini dixi (*n*): Pater meus es: mater mea, & soror mea, vermibus.

15. Ubi est ergo nunc præstolatio mea, & patientiam meam quis considerat?

16. In profundissimum infernum descendent omnia mea: putasne (*o*) saltem ibi erit requies mihi?

CAPUT XVIII.

Baldad Jobum impatientis animi, immo & impietatis accusat.

1. Respondens autem Baldad Suhites, dixit:

2. Usque (*a*) ad quem finem verba jactabitis? Intelligite prius, & sic loquamur.

3. Quare reputati sumus ut jumenta (*b*), & sorduimus coram vobis?

4. Qui perdis animam tuam in furore tuo, numquid propter te derelinquetur (*c*) terra, & transferentur rupes de loco suo?

5. Nonne lux (*d*) impii extinguetur, nec splendebit flamma ignis ejus?

6. Lux obtenebrescet in tabernaculo illius, & lucerna, quæ super eum est, extinguetur.

7. Arctabuntur (*e*) gressus virtutis ejus, & præcipitabit eum consilium suum.

8. Immisit enim in rete pedes suos, & in maculis (*f*) ejus ambulat.

9. Tenebitur planta illius laqueo, & exardescet contra eum sitis (*g*).

10. Abscondita est in terra pedica ejus, & decipula illius super semitam.

11. Undique terrebunt eum formidines, & involvent (*h*) pedes ejus.

12. Attenuetur fame robur (*i*) ejus, & inedia invadat costas illius.

13. Devo-

18. (*l*) In Hebræo, & in LXX. Neque Deum neglexi, neque nocui alteri.

19. (*m*) Nota sit omnibus calamitas mea: aut potius videat Deus afflictionem meam, ne sit locus ullus, qui intercipiat clamorem meum. Vel, si quid tale feci, sanguinem meum linquat caræa.

20. (*n*) Multo plura locutus est Job, quam amici ejus: qui tamen verbosi dicuntur, quod sermones inutiles, & falsas argumentationes funderent: non enim verbosus is censetur, qui multa loquitur vera, necessaria, & magni ponderis.

21. (*o*) Interea ad Deum confugio, cum lacrymis eum deprecor, in eo solatium invenio.

CAPUT XVII. 1. (*a*) Hebr. *Attenuatus est*, vitæ meæ sunt immutatæ.

2. (*b*) Nec tantum peccavit ut ea flagella mereretur; nec tamen sine peccato esse potuit.

4 (*c*) A vera sapientia, ab intelligentia.

5. (*d*) Forte Eliphaz: *Et oculi filiorum ejus deficient*; videntes interitum patris. Vatabl. aut fatigabuntur frustra se sperantes aliquid accepturos; aut de stulto loquitur generatim. Hebr. *Qui dolo appellat amicos suos*: qui blando amici nomine decipit.

6. (*e*) Hebr. tympanum: Ita maledictis obtundor.

7 (*f*) Ab indignatione Dei, aut dolore meo.

8 (*g*) Zelo commoti, cum me premi tot adversis videbunt.

9. (*h*) Invitus tamen, quique est mundis manibus, a recto itinere non deflectit.

10 (*i*) Ostendam vos nihil sapere.

11. (*k*) Spes mea inanis fuit & fallax.

12. (*l*) Quos probat Deus, ii videntur aliquando spem omnem amittere, sed radius consolationis identidem affulget. Hebr. Noctem efficiunt velut diem curæ & cogitationes meæ.

13. (*m*) Si patienter expectavero, infernus domus mea est, tamen mihi moriendum est. Nam infernus in Scriptura locum mortui hominis significat, vel secundum corpus, tumque est sepulcrum, vel secundum animam, quicumque sit locus ille, in quo nondum beatus est.

14. (*n*) Si d vero.

16 (*o*) Nequaquam, nam ossa erunt dissipata; anima adventum Messiæ expectabit. Ex Hebræo in vectes, aut in fulcra inferni, seu sepulcri descendent. Spes illæ omnes quas mihi proponitis. Vox Hebræa Baddim, בדים, & fulcra & vectes significat. At Bedei-seol, בדי-שאל, fulcra inferne, merus est Hebraismus, pro sepulcro, unde Pagninus vertit: *In sepulcrum descendant*; & LXX. εἰς ᾅδου, in infernum.

CAPUT XVIII. 2. (*a*) Usquequo?

3 (*b*) Nos ut plane rudes habuisti: cum dixisti, cor eorum longe fecisti a disciplina.

4. (*c*) Putasne Deum suæ providentiæ ordinem immutare velle, qui non punit nisi scelestos? id enim persuasum habebant amici Job, hominem justum tot malis affici non posse.

5. (*d*) Impii felicitas.

7. (*e*) Non poterit quæ vellet efficere.

8 (*f*) Maculæ sunt retium foramina.

9. (*g*) Hebr. *Sitibundi*, prædones, vel concupiscentiæ flamma, quæ eo magis augetur, quo ei indulgetur magis.

11. (*h*) Præ timore cadent.

12 (*i*) Filii: hæc utique & quæ sequuntur, per futurum tempus sunt exponenda. *Invadat costas ejus*, Hebr. Excidium paratum sit costæ ejus, id est, mulieri.

13. Devoret pulchritudinem cutis ejus, consumat brachia illius primogenita (k) mors.

14. Avellatur de tabernaculo suo fiducia (l) ejus, & calcet super eum, quasi rex, interitus.

15. Habitent in tabernaculo illius socii ejus, qui non est (m), aspergatur in tabernaculo ejus sulphur.

16. Deorsum radices ejus siccentur, sursum autem atteratur messis ejus.

* Prov. 2. 22. 17. * Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen ejus in plateis.

18. Expellet eum de luce in tenebras, & de orbe transferet eum.

19. Non erit semen ejus, neque progenies in populo suo, nec ullæ reliquiæ in regionibus ejus.

20. In die ejus stupebunt novissimi, & primos invadet horror.

21. Hæc sunt ergo tabernacula (n) iniqui, & iste locus ejus, qui ignorat Deum.

CAPUT XIX.

Job cum amicis id expostulat, quod suam violent existimationem. Addit spem omnem suam positam esse in futura resurrectione.

1. RESpondens autem Job, dixit:

2. Usquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus?

3. En, decies (a) confunditis me, & non erubescitis opprimentes me.

4. Nempe, etsi ignoravi, mecum (b) erit ignorantia mea.

5. At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis (c) meis.

6. Saltem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio (d) afflixerit me, & flagellis suis me cinxerit.

7. Ecce clamabo (e) vim patiens, & nemo audiet: vociferabor, & non est qui judicet.

8. Semitam meam circumsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit.

9. Spoliavit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo.

10. Destruxit me undique, & pereo, & quasi evulsæ arbori abstulit spem meam.

11. Iratus est contra me furor ejus, & sic me habuit quasi hostem suum.

12. Simul venerunt latrones (f) ejus, & fecerunt sibi viam per me, & obsederunt in gyro tabernaculum meum.

13. Fratres meos longe fecit a me, & noti mei quasi alieni recesserunt a me.

14. Dereliquerunt me propinqui mei: & qui me noverant, obliti sunt mei.

15. Inquilini domus meæ, & ancillæ meæ, sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum.

16. Servum meum vocavi, & non respondit, ore proprio deprecabar illum.

17. Halitum meum exhorruit uxor mea, & orabam filios uteri (g) mei.

18. Stulti quoque despiciebant me, & cum ab eis recessissem, detrahebant mihi.

19. Abominati sunt me quondam consiliarii mei: & quem maxime diligebam, aversatus est me.

20. Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.

21. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.

22. Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini (h)?

23. Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? quis mihi det ut exarentur in libro

24. Stylo ferreo, & plumbi lamina (i), vel celte sculpantur in silice?

25. Scio enim quod Redemptor (k) meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum:

26. Et rursum circumdabor (l) pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.

27. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.

28. Qua-

13. (k) Ceteris acrabior. Hebr. *Vorat ramos cutis ejus*, brachia.

14. (l) Liberi & opes.

15. (m) Forte diabolos, qui Deo periit; socii ejus mors, vastitas, egestas, aut sodales hominis impii, qui mala morte extincti sunt. *Habitant in tabernaculo illius*, rapiant bona defuncti. Hebr. Habitet in tabernaculo ejus, qui nihil ad eum pertinet, id est, extraneus. *Aspergatur in tabernaculo ejus sulphur*: conflagrabit igne & sulphure domus impii.

21. (n) Hic exitus manet impium & domum ejus.

CAP. XIX. 3. (a) Sæpe me pudore afficitis.

4. (b) Mihi uni nocebit.

5. (c) In me jactatis: contenditis me scelerum reum esse, quod in eum statum inciderim.

6. (d) Peccatis pœnas ad æquitatem non rependens. Greg. *Quod dicit Deus se frustra eum percussisse, hoc & Job ait, dicens, se non æquo judicio a Domino afflictum. In quo itaque peccavit, qui a sententia sui auctoris in nullo discrepavit? Nec tamen injustitia est, quia non ad puniendum, sed ad probandum afflixit.* Idque justum est secundum justitiam generalem, ut diximus. Ob impietatem meam punire me arbitramini, cum scelera non admiserim quæ fingitis. Injustum esset judicium illud, quo scelerati tantummodo, ut putatis, a Deo puniuntur.

7. (e) Job verba servi, qui in chirurgi manus incidit, usurpat: nam frustra is clamat, cum uritur, aut secatur.

12. (f) LXX. *Tentationes*: Hebr. *Exercitus: dolores multi, mors filiorum, &c. Et fecerunt sibi viam per me*: Hebr. *super me*, conculcaverunt.

17. (g) LXX. *Filios concubinarum mearum*, aut nepotes meos.

22. (h) Saturari vobis ut vultures conviciis vestris: *sicut Deus*. Uni Deo id convenit innoxium affligere, ut eum probet, & purget, vos inflat Dei idem facere dum facitis.

24. (i) Antiqui ut ceratis, sic plumbi laminis multa inscribere solebant. In antiquis sepulcris Neapoli inventas esse hujusmodi laminas ex Fabritio testatur Tirinus. *Celte* est instrumentum sculptorum, seu cælum, vulgo *le ciseau*. Ad ea quæ dicturus est præparat animos.

25. (k) Hebr. in eumdem sensum, *Novi Redemptorem meum vivum, & novissimus super pulverem*, vel super terram surget, ad resuscitandos suos præsens a mortuis: tamen obscurus est admodum textus Hebr. Unde Mercerus in hunc locum: Nostri fere omnes tam veteres quam recentiores hunc versum cum duobus sequentibus ad resurrectionem referunt: sed ego cum Hebræis locum hunc aliter accipio. An non melius erat Hebræum textum ut incertum deserere, quam a recepta totius Ecclesiæ sententia discedere, & Græc. LXX. interpretationi adhærere, quam absurdum, & imperitum sensum sequi? Quis enim capiet sequentem versum ut est in textu Hebr. *Et post pellem meam contriverunt hanc, & de carne mea videbo Deum*. Quod si versiones in Ecclesia hanc sublimem veritatem non conservassent, frustra in textu Hebræo, qualem nunc habemus, quæreretur: sed in LXX. & in Vulgata versione altius hæc sunt exarata quam in cera & in silice. Favet etiam huic sententiæ Chaldæus interpres, quam & ipse Theodoretus sequutus est, ut constat ex Sancto Chrysostomo. Vide Drusii notas in Jobum, & Nobilium in Græca LXX editione.

26. (l) Postquam me circumdederit hic mea pelle, spectabo Deum in carne mea: *Quem ego visurus sum, ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius*. LXX. iisdem prope utuntur verbis.

18. Quare ergo nunc dicitis: Persequamur eum, & radicem (*m*) verbi inveniamus contra eum?

19. Fugite ergo a facie gladii, quoniam ultor iniquitatum gladius est: & scitote esse judicium.

CAPUT XX.

Sophar Jobo irascitur, & contendit eum debitas pœnas luere.

1. RESpondens autem Sophar Naamathites, dixit:

2. Idcirco cogitationes meæ variæ succedunt sibi, & mens in diversa rapitur.

3. Doctrinam, qua me arguis, audiam (*a*), & spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi.

4. Hoc scio (*b*) a principio, ex quo positus est homo super terram,

5. Quod laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ (*c*) ad instar puncti.

6. Si ascenderit usque ad cælum superbia ejus, & caput ejus nubes tetigerit:

7. Quasi sterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent: Ubi est?

8. Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna.

9. Oculus, qui eum viderat, non videbit, neque ultra intuebitur eum locus suus.

10. Filii ejus atterentur egestate, & manus illius reddent ei dolorem (*d*) suum.

11. Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ (*e*) ejus, & cum eo in pulvere dormient.

12. Cum enim dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet (*f*) illud sub lingua sua.

13. Parcet (*g*) illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture suo.

14. Panis ejus (*h*) in utero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus.

15. Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.

16. Caput aspidum suget (*i*), & occidet eum lingua viperæ.

17. (Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis, & butyri.)

18. Luet (*k*) quæ fecit omnia, nec tamen consumetur: juxta multitudinem adinventionum suarum, sic & sustinebit:

19. Quoniam confringens nudavit pauperes: domum rapuit, & non ædificavit (*l*) eam.

20. * Nec est satiatus (*m*) venter ejus: & cum habuerit quæ concupierat, possidere non poterit. * Eccl. 5. 9.

21. Non remansit de cibo ejus, & propterea nihil permanebit de bonis ejus:

22. Cum satiatus (*n*) fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum.

23. Utinam (*o*) impleatur venter ejus, ut emittat in eum iram furoris sui, & pluat super illum bellum suum.

24. Fugiet (*p*) arma ferrea, & irruet in arcum æreum.

25. Eductus, & egrediens de vagina sua, & fulgurans in amaritudine sua: vadent & venient super eum horribiles.

26. Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis (*q*) ejus: devorabit eum ignis, qui non succenditur, affligetur relictus in tabernaculo suo.

27. Revelabunt cæli iniquitatem ejus, & terra consurget adversus eum.

28. Apertum erit germen domus (*r*) illius, detrahetur in die furoris Dei.

29. Hæc est pars hominis impii a Deo, & hæreditas verborum (*s*) ejus a Domino.

CAPUT XXI.

Job docet impios non semper puniri in hac vita.

1. RESpondens autem Job, dixit:
2. Audite quæso sermones meos, & agite pœnitentiam (*a*).

3. Sustinete me, & ego loquar, & post mea, si videbitur, verba ridete.

4. Numquid contra hominem disputatio (*b*) mea est, ut merito non debeam contristari?

5. Attendite (*c*) me, & obstupescite, & superponite digitum ori vestro:

6. Et

28. (*m*) Occasionem eius infestandi, qui hac spe resurrectionis innixus tot mala perpetitur. Hebr. Verbi radix inventa est in me: verbum pro re, & vulg. Interpres legit Bo, בו, in eum, pro Bi, בי, in me.

CAP. XX. 3. (*a*) Audire non renuo, *Et spiritus intelligentiæ meæ respondebit tibi*; conscientia mea facit ut respondeam tibi.

4. (*b*) Scio ita fuisse ab orbe condito, ut gloria viri improbi non sit diuturna.

5. (*c*) Cujusque impii: sic enim vox hypocritæ in hac disputatione usurpatur: *Ad instar puncti*, quæ sententia vera est absolute. Nam quantumcumque impius fruatur rebus prosperis in hoc sæculo, totum illud tempus est momenti instar respectu æternitatis: etsi Sophar de temporali tantum miseria id intellexerit.

10. (*d*) Mala quæ aliis intulit, quæque sentiet, mala ex iis quæ admisit criminibus, profluent.

11. (*e*) Quibus adolescens assuescit vitiis, usque ad senium, & post mortem manebunt: nam opera sequuntur morientes.

12. (*f*) Ut degustet.

13. (*g*) Paullatim gustabit.

14. (*h*) Greg. *Quia transitoria delectatio in retributionis fine ad amaritudinem vertetur.*

16. (*i*) Quod comedit, in venenum convertetur: cibis, seu sceleribus suis quasi veneno necabitur.

18. (*k*) Pœnas dabit: *Nec tamen consumetur*, nam perpetuum erit eorum supplicium.

19. (*l*) Diripuit domum quam non ædificaverat.

20. (*m*) De suis epulis, nihil reliqui fecit in usum pauperum.

21. (*n*) Ex Hebræo, cum se impleverit ad satietatem: *Arctabitur*, Hebr. concupiscet.

23. (*o*) Quæ verba sunt denuntiantis, non optantis. *Ut emittat in eum iram furoris sui*; nam Deus emittet in illum iram furoris sui, postquam impleverit ventrem epulis: *Et pluet super illum*, fulminibus eum obteret.

24. (*p*) Proverbium, quod iis quadrat, qui dum fugiunt minus malum, incurrunt in majus.

26. (*q*) Nullum inveniet locum satis tutum, ubicumque delitescere conetur: *Devorabit eum ignis qui non succenditur*; ignis inferni; impius tenebras, quibus obsidetur, non percipit. Vel ignis pestilentiæ.

28. (*r*) Opes impii prædæ futuræ sunt.

29. (*s*) Pro malefactis suis omne malorum genus huic obveniet velut hereditario jure.

2. (*a*) LXX. ἵνα ᾖ μοι παρ' ὑμῶν αὕτη ἡ παράκλησις; ut sit mihi a vobis hæc consolatio. Vox Hebræa nicham, נחם, utrumque significat, & pœnitere, & consolari. CAP. XXI.

4. (*b*) Job probat non semper in hac vita puniri impios, ac sæpe justos affligi; itaque attentos vult esse amicos.

5. (*c*) Gregor. *Considerate quæ ego, & admiramini in hac percussione jus patior.* Paullo ante dixerat juxta Hebr. *Cur non arctabitur spiritus meus?* Caussam inquirit moliorum suorum, non arguit Deum: in Hebr. verba sunt in hunc ita: *An ergo ad hominem eloquium meum?* An de iis rebus cum hominibus disceptare volo? An potius divinum numen implorare?

6. Et ego quando recordatus (*d*) fuero, pertimesco, & concutit carnem meam tremor.

*Jer. 12. 1. Habac. 1. 3. 13. 7. * Quare ergo impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis?

8. Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum.

9. Domus eorum securæ sunt & pacatæ, & non est virga Dei super illos.

10. Bos (*e*) eorum concepit, & non abortivit: vacca peperit, & non est privata fœtu suo.

11. Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus.

12. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitum organi.

13. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt (*f*).

14. Qui dixerunt Deo: Recede a nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.

*Malach. 3. 14. 15. * Quis est Omnipotens, ut serviamus ei? & quid nobis prodest si oraverimus illum?

16. Verumtamen quia non sunt in manu (*g*) eorum bona sua, consilium impiorum longe sit a me.

17. Quoties lucerna impiorum extinguetur (*h*), & superveniet eis inundatio, & dolores dividet furoris sui?

18. Erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut favilla, quam turbo dispergit.

19. Deus servabit filiis illius dolorem patris: & cum reddiderit, tunc sciet.

20. Videbunt oculi ejus interfectionem suam, & de furore Omnipotentis bibet.

21. Quid enim ad eum pertinet de domo sua post se? & si numerus mensium ejus dimidietur?

22. Numquid Deum docebit (*i*) quispiam scientiam, qui excelsos judicat?

23. Iste moritur (*k*) robustus & sanus, dives & felix.

24. Viscera ejus plena sunt adipe, & medullis ossa illius irrigantur:

25. Alius vero moritur in amaritudine animæ absque ullis opibus:

26. Et tamen simul in pulvere dormient, & vermes operient eos.

27. Certe novi cogitationes vestras, & sententias contra me iniquas.

28. Dicitis enim: Ubi (*l*) est domus principis? & ubi tabernacula impiorum?

29. Interrogate quemlibet de viatoribus (*m*), & hæc eadem illum intelligere cognoscetis.

30. Quia in diem perditionis servatur malus (*n*), & ad diem furoris ducetur.

31. Quis arguet coram eo viam ejus? & quæ fecit, quis reddet illi?

32. Ipse ad sepulcra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit (*o*).

33. Dulcis fuit glareis Cocyti, & post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles.

34. Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?

CAPUT XXII.

Eliphaz tertio cum Jobo congressus pertendit non aliam calamitatum causam quæri oportere præter Jobi scelera.

1. RESpondens autem Eliphaz Themanites, dixit:

2. Numquid Deo potest comparari (*a*) homo, etiam cum perfectæ fuerit scientiæ?

3. Quid prodest Deo, si justus fueris? aut quid ei confers, si immaculata fuerit via tua?

4. Numquid timens arguet te, & veniet tecum in judicium,

5. Et non propter malitiam tuam plurimam, & infinitas iniquitates tuas?

6. Abstulisti enim pignus fratrum tuorum sine causa, & nudos (*b*) spoliasti vestibus.

7. Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem.

8. In fortitudine brachii tui possidebas terram, & potentissimus obtinebas eam.

9. Viduas dimisisti vacuas (*c*), & lacertos pupillorum comminuisti.

10. Propterea circumdatus es laqueis, & conturbat te formido subita.

11. Et putabas te tenebras (*d*) non visurum, & impetu aquarum inundantium non oppressum iri?

12. An

6. (*d*) Calamitatis meæ, vel eorum quæ dixturus sum. *Quare ergo impii vivunt?* Si id verum est, hujus vitæ ærumnas in scelerum pœnam & ultionem tantummodo immitti a Deo.

10. (*e*) In Hebræo de tauro prius, tum de vacca, quæ partus suos edit, distincte agitur.

13. (*f*) Duplex sensus esse potest. Id enim vel pertinet ad prosperitatem impiorum, vel ad inopinatam eorum perditionem; prior sensus ex contextu sermonis eruі videtur, posteriorem veteres sequuntur. Nam impiis mors repentina sæpe evenit, nec spatium pœnitendi iis conceditur.

16. (*g*) Non in eorum potestate sita est eorum felicitas.

17. (*h*) Quam brevis est eorum felicitas! sic videtur quæstioni propositæ responderi. Quare impii vivunt? nam in æternum sunt perituri. *Et dolores dividet furoris sui*, pœnas pro meritis cuique infliget.

22. (*i*) Qua scilicet ratione mundum regere debeat, & impios punire.

23. (*k*) Ostendit non semper male malis, & bene bonis in hac vita contingere, ut amici ejus pertendebant.

28. (*l*) Divitis: ubi est domus Jobi? ubi similium ejus opes?

29. (*m*) Quemvis hominem, vel unum ex iis qui multas regiones peragrarunt.

30. (*n*) Quem manet in æternum supplicium. Multi impii subducuntur communi exitio. Non ergo judicium omne hic peragitur.

32. & 33. (*o*) Manebit. Cocyti, Sept. lapidibus torrentis. Cocytus est Arcadiæ fluvius e Styge manans; sensus est delationem cadaveris ad sepulcrum festis & epulis conditam tristem non esse, sed lætam. Hebr. *Dulces erunt ei cespites vallis*. In vallibus enim erant sepulcra. Ac forte hoc in loco nec de inferis, nec de morte impii loquitur juxta Hebræam lectionem; sed de vita molli & deliciis impii, quamdiu vivit: atque ad hanc vitam voluptuosam tot homines post se trahit. Fluvius autem ille Arcadiæ cum ignotus plane esset Jobi temporibus, nec illius mentionem faciat textus Hebraicus, verisimile est Auctorem vulgatæ editionis eo vocabulo usum fuisse. Cum ergo impiis sæpe cuncta feliciter succedant, non item piis, hinc concluditur post hanc vitam utrisque reservari justam retributionem, nec propter sola scelera homines in hac vita conflictari, neque adeo Jobum propterea impium esse, quod tot malis agitetur. *Et post se omnem hominem trahit:* Omnes eum sequuntur.

CAPUT XXII. 2. (*a*) Hebr. Numquid Deo proderit vir? Numquid Deo potest comparari homo, sive aliquid commodi afferre, etiamsi ipse sit perfectæ scientiæ?

6. (*b*) Ne egentibus quidem pepercisti.

9. (*c*) Omni ope destitutas: *Et lacertos pupillorum comminuisti*, facultates omnes.

11. (*d*) Tenebræ te deprehendent, & vis aquarum te obruet.

12. An non cogitas (*e*) quod Deus excelsior cælo sit, & super stellarum verticem sublimetur?

13. Et dicis (*f*): Quid enim novit Deus? & quasi per caliginem judicat.

14. Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat.

15. Numquid semitam (*g*) sæculorum custodire cupis, quam calcaverunt viri iniqui?

16. Qui sublati sunt ante tempus (*h*) suum, & fluvius subvertit fundamentum eorum:

17. Qui dicebant Deo: Recede a nobis: & quasi nihil posset facere Omnipotens, æstimabant eum:

18. Cum ille implesset domos eorum bonis: quorum sententia procul sit a me.

* Ps. 106. 42. 19. * Videbunt justi, & lætabuntur, & innocens subsannabit (*i*) eos.

20. Nonne succisa est erectio eorum, & reliquias eorum devoravit ignis?

21. Acquiesce igitur ei, & habeto pacem; & per hæc habebis fructus optimos.

22. Suscipe ex ore illius legem, & pone sermones ejus in corde tuo.

23. Si reversus fueris ad Omnipotentem, ædificaberis, & longe facies iniquitatem a tabernaculo tuo.

24. Dabit pro terra silicem (*k*), & pro silice torrentes aureos.

25. Eritque Omnipotens contra hostes tuos, & argentum coacervabitur tibi.

26. Tunc super Omnipotentem deliciis afflues, & elevabis ad Deum faciem tuam.

27. Rogabis eum, & exaudiet te, & vota tua reddes.

28. Decernes rem: & veniet tibi, & in viis tuis splendebit lumen.

* Prov. 29. 23. 29. * Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinaverit oculos, ipse salvabitur.

30. Salvabitur innocens, salvabitur autem in munditia manuum suarum.

CAPUT XXIII.

Job ad Deum conversus, ejus opem implorat, & sententiam ejus expectat.

1. RESpondens autem Job, ait:

2. Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, & manus plagæ (*a*) meæ aggravata est super gemitum meum.

3. Quis mihi tribuat ut cognoscam & inveniam illum, & veniam usque ad solium ejus?

4. Ponam coram eo judicium (*b*), & os meum replebo increpationibus.

5. Ut sciam verba quæ mihi respondeat (*c*), & intelligam quid loquatur mihi.

6. Nolo multa fortitudine contendat (*d*) mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat.

7. Proponat æquitatem (*e*) contra me, & perveniat ad victoriam judicium meum.

8. Si ad Orientem iero, non apparet: (*f*) si ad Occidentem, non intelligam eum.

9. Si ad sinistram, quid agam? non apprehendam eum: si me vertam ad dexteram, non videbo illum.

10. Ipse vero scit viam (*g*) meam, & probavit me quasi aurum, quod per ignem transit.

11. Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, & non declinavi ex ea.

12. A mandatis labiorum ejus non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris ejus.

13. Ipse enim solus est, & nemo avertere potest cogitationem ejus: & anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit.

14. Cum expleverit in me voluntatem suam, & alia multa similia præsto sunt ei.

15. Et idcirco a facie ejus turbatus sum, & considerans eum, timore sollicitor.

16. Deus mollivit cor (*h*) meum, & Omnipotens conturbavit me.

17. Non enim perii propter imminentes tenebras (*i*), nec faciem meam operuit caligo.

CA-

12. (*e*) Græg. absque negatione legit.

13. (*f*) Et audes dicere: *Quid enim novit Deus?* Hæc est Eliphaz argumentatio, aut Jobum juste & pro meritis affligi, aut nullam esse providentiam, sed Deum cæli cardines perambulantem terrena non curare: quæ est fallax & captiosa argumentatio. Potest tamen hic locus cum negatione legi & intelligi. An non cogitas, non attendis Deum cælo longe sublimiorem esse, ac malum te falli, si existimes, quæ hic aguntur, Deum fugere? At frustra fingit Eliphas Jobum ea mente esse.

15. (*g*) An vis eorum sequi sententiam, qui superioribus sæculis jam impie senserunt de providentia Dei?

16. (*h*) Ætate immatura.

19. & 20. (*i*) Iis merito insultabunt justi. *Erectio*: Superbia eorum. *Et reliquias eorum devoravit ignis*, filios & divitias eorum absumpsit ignis divinæ ultionis.

24. (*k*) Pro debilitate robur; *Et pro silice torrentes aureos?* Hebr. *Ophir*: ubi excideris silices auri venæ occurrente: sed bona spiritualia, non terrena, intelligi commode possunt.

CAPUT XXIII. 2. (*a*) Chald. *Plaga mea*, vel manus Dei, qui hanc mihi inflixit plagam. *Aggravata est super gemitum meum*: major est quam ut gemitu meo exprimi possit.

4. (*b*) Caussam meam ei proponerem, & ejus judicio committerem: *Os meum replerem increpationibus*, quibus vos coram eo arguerem: provocat ad judicium Dei, quod gravissima illi scelera objicerent. Hebr. *Replevero os meum argumentis*, quibus innocentiam meam defenderem.

5. (*c*) Non vult cum Deo contendere, sed optat ad ejus tribunal sisti, ut amicis veram suæ calamitatis caussam aperiat; optat Dei consilium & voluntatem cognoscere, ut eam amici venerentur, quod vers. proximo declarat.

6. (*d*) Ne meam innocentiam ad normam supremæ justitiæ exigat.

7. (*e*) Æquitatis vocem penes consuetum loquendi modum usurpat, juxta quam Jobus Deo ipso judice innoxius erat & justus.

8. (*f*) Dixerat vers. 3. *Quis mihi tribuat ut inveniam illum?* nunc votum suum damnat, quod Deus sit invisibilis, & loquatur more humano: ubique est, sed invisibilis: viæ ejus sunt impenetrabiles.

10. & 13. (*g*) Vitæ meæ rationem & fidem. *Solus est*, essentialiter. Hebr. *Ipse est in uno*, in sua unitate constans, in decreto stabilis. *Et nemo avertere potest cogitationem ejus*, nemo impedire potest quominus quidquid voluerit, efficiat.

16. (*h*) Antea firmum: vel emollivit timore suo, & perculit.

17. (*i*) Propter desperationem; *Nec faciem meam operuit caligo*; necdum tot tribulationes me excæcarunt; vel potius, numquam cessi calumniis eorum, qui me injuste accusarunt. Ubique enim Job suam tuetur innocentiam; neque id est veræ humilitatis, ut quem cor proprium non redarguit, credat se omni omnino virtute esse destitutum: nam Sanctos non latent dona a Deo concessa. *Nos autem*, ait Apostol. 1. Cor. 2. 12. *non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis*. Omnis quidem homo quantumvis justus, se peccatorem debet agnoscere, propter venialia peccata occulta, & aliena.

Nec faciem meam operuit caligo; oculus fidei semper micet illæsus quantumvis eum conetur obducere inimicus, ne statim terrenas & inanes cogitationes adjicit.

C A P U T XXIV.

Job providentiam divinam tuetur, etiamsi permittat impios in quadam vivere felicitate.

1. AB Omnipotente non sunt abscondita (*a*) tempora: qui autem noverunt eum, ignorant dies illius.

2. Alii terminos transtulerunt (*b*), diripuerunt greges, & paverunt eos.

3. Asinum pupillorum abegerunt, & abstulerunt pro pignore bovem viduæ.

4. Subverterunt pauperum viam (*c*), & oppresserunt pariter mansuetos terræ.

5. Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum: vigilantes ad prædam, præparant panem liberis.

6. Agrum non suum demetunt: & vineam ejus, quem vi oppresserint, vindemiant.

7. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore:

8. Quos imbres montium rigant (*d*): & non habentes velamen, amplexantur lapides.

9. Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem spoliaverunt.

10. Nudis & incedentibus absque vestitu, & esurientibus tulerunt spicas.

11. Inter acervos (*e*) eorum meridiati sunt, qui calcatis torcularibus sitiunt.

12. De civitatibus fecerunt viros gemere, & anima vulneratorum clamavit, & Deus inultum abire non patitur.

13. Ipsi fuerunt rebelles lumini (*f*), nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas ejus.

14. Mane primo consurgit homicida, interficit egenum & pauperem: per noctem vero erit quasi fur.

15. Oculus adulteri observat caliginem, dicens: Non me videbit oculus: & operiet vultum suum.

16. Perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, & ignoraverunt lucem.

17. Si subito apparuerit aurora (*g*), arbitrantur umbram mortis: & sic in tenebris quasi in luce ambulant.

18. Levis (*h*) est super faciem aquæ: maledicta sit pars ejus in terra, nec ambulet per viam vinearum.

19. Ad nimium calorem transeat (*i*) ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum illius.

20. Obliviscatur ejus misericordia: dulcedo (*k*) illius vermes: non sit in recordatione, sed conteratur quasi lignum infructuosum.

21. Pavit enim sterilem (*l*), quæ non parit, & viduæ bene non fecit.

22. Detraxit fortes in fortitudine sua: & cum steterit, non credet vitæ suæ.

23. * Dedit ei Deus locum pœnitentiæ: & ille abutitur eo in superbiam: oculi autem ejus sunt in viis illius. * Apoc. 2. 21.

24. Elevati sunt ad modicum, & non subsistent, & humiliabuntur sicut omnia, & auferentur, & sicut summitates spicarum conterentur.

25. Quod (*m*) si non est ita, quis me potest arguere esse mentitum, & ponere ante Deum verba mea?

C A P U T XXV.

Baldad ex Dei sublimitate, & hominis humilitate, negat hominem Deo comparatum justificari posse.

1. RESpondens autem Baldad Suhites, dixit:

2. Potestas & terror apud eum (*a*) est, qui facit concordiam in sublimibus suis.

3. Numquid est numerus militum (*b*) ejus? & super quem non surget lumen illius?

4. Numquid justificari potest homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere?

5. Ecce luna etiam non splendet (*c*), & stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus:

6. Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?

CA-

CAPUT XXIV.

1. (*a*) Neque enim Omnipotens ea occultavit: sed neque justi, neque impii dies ejus norunt, quibus justitiæ suæ severitatem ostendit in impios. Fideles & pii *ignorant dies illius*, æternitatem; juxta S. Gregor. consilia & rationes cur singula sic efficiat, aut permittat: Deus impiis velut habenas laxat: sed in diem ultionis quem ignorant, eorum pœnas differt.

2. (*b*) Hebr. *Attigerunt*. Id mystice ostendit Gregor. de Sanctorum Patrum dogmatibus, quæ mutari & perverti non debent, ut fieri solet ab hæreticis.

4. & 5. (*c*) Pauperes coguntur se abscondere, vel a suo itinere deflectere. *Opus*. Chald. Ad opera sua mala.

8. (*d*) LXX. *De stillicidiis montium madescunt*. Qui in cavernis degunt, amplexantur lapides, antra subeunt, ut ab externis aeris injuriis se tueantur.

11. (*e*) Olivarum, vel uvarum *Meridiati sunt*, hos invadunt raptores de meridie: sitientes interim, *calcatis torcularibus*.

13. & 16. (*f*) Naturali. *Lucem*, tenebras quæsierunt.

17. (*g*) Ipsum diluculum & lucem perinde ut mortem oderunt.

18. (*h*) Diffluens & profusus in libidinem: *Nec ambulat per viam vinearum*, cultam & fertilem: aut vilis est illi sors in terra, maria peragrat, nec vineas dignatus colere. *Maledicta*: in locis incultis & Dei maledicto damnatis latent, non publica via, aut secundum vineas consitas gradiantur. Vel pirata mare celerrime decurrit, & ab omnibus timetur.

19. (*i*) Ab una calamitate in aliam devolvatur: *Et usque ad inferos peccatum illius*: pœna eum ad sepulcrum usque sequatur, immo usque ad inferos. Hebr. Ut terra torrida & calor absumant aquas nivis, ita mors eos qui peccarunt.

20. (*k*) Aut vermis conscientiæ, aut illi dulcedo erit vermium. Vel vermibus esca dulcis est.

21. 22. 23. & 24. (*l*) Meretricem. *Detraxit*, LXX Furore evertit: *Et cum steterit, non credet vitæ suæ*: in sua felicitate non erit timoris expers. *Oculi, &c.* Deus acta illius considerat. *Omnia*: Ut res omnes ad interitum tendunt.

25. (*m*) Hebraismus: Id si non ita esset: *Quis arguet & ponet ante Deum?* Quis me accusabit coram Deo?

CAPUT XXV.

2. (*a*) Deum scilicet. *Qui facit concordiam in sublimibus suis*, in cœlis & Angelis ubi omnia sunt ordinatissima. Cur Job cum Deo ut adversario vis contendere?

3. (*b*) De *Angelis*, Gregor. Alii de *militia cœli* intelligunt. *Super quem quis ab eo non illuminatur?* Potentissimus est, qui globos cœlestes in officio suo & statione continet, quique adeo si tibi bellum indixit; id fecit merito tuo.

5. & 6. (*c*) *Splendet*. Comparata cum divino lumine. *Putredo*; immundus homo censebitur, qui est putredo & vermis.

CAPUT XXVI.

Job de justitia, sapientia, & patientia Dei agit magnifice.

1. RESpondens autem Job, dixit:

2. Cujus adjutor (*a*) es? numquid imbecillis? & sustentas brachium ejus, qui non est fortis.

3. Cui dedisti consilium? forsitan illi, qui non habet sapientiam, & prudentiam tuam ostendisti plurimam?

4. Quem docere voluisti? nonne eum, qui fecit spiramentum (*b*)?

5. Ecce gigantes gemunt sub aquis, & qui habitant cum eis.

6. Nudus est infernus coram (*c*) illo, & nullum est operimentum perditioni.

7. Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.

8. Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter (*d*) deorsum.

9. Qui tenet vultum solii (*e*) sui, & expandit super illud nebulam suam.

10. Terminum circumdedit aquis, usque dum finiantur (*f*) lux & tenebræ:

11. Columnæ (*g*) cæli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus.

12. In fortitudine illius repente maria congregata sunt, & prudentia ejus percussit superbum (*h*).

13. Spiritus ejus ornavit cælos: & obstetricante manu ejus, eductus est coluber (*i*) tortuosus.

14. Ecce, hæc ex parte (*k*) dicta sunt viarum ejus: & cum vix parvam stillam sermonis ejus audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?

CAPUT XXVII.

Job suam de improborum punitione confirmat sententiam.

1. ADdidit quoque Job, assumens parabolam (*a*) suam, & dixit:

2. Vivit Deus, qui abstulit (*b*) judicium meum, & Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam.

3. Quia donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis,

4. Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium.

5. Absit a me ut justos vos esse judicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.

6. Justificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram: neque enim reprehendit (*c*) me cor meum in omni vita mea.

7. Sit ut impius, inimicus meus: & adversarius meus quasi iniquus.

8. Quæ est enim spes hypocritæ (*d*) si avare rapiat, & non liberet Deus animam ejus?

9. Numquid Deus audiet clamorem ejus cum venerit super eum angustia?

10. Aut poterit in Omnipotente delectari (*e*), & invocare Deum omni tempore?

11. Docebo vos per manum (*f*) Dei quæ Omnipotens habeat, nec abscondam.

12. Ecce, vos omnes nostis, & quid sine causa vana loquimini?

13. Hæc est pars (*g*) hominis impii apud Deum, & hæreditas violentorum, quam ab Omnipotente suscipient.

14. Si multiplicati fuerint filii ejus, in gladio erunt, & nepotes ejus non saturabuntur pane.

15. Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur (*h*) in interitu, & viduæ illius non plorabunt.

16. Si comportaverit quasi terram argentum, & sicut lutum præparaverit vestimenta:

17. Præparabit quidem, sed justus vestietur illis: & argentum innocens dividet.

18. Ædificavit sicut tinea domum suam, & sicut custos (*i*) fecit umbraculum.

19. * Di-

CAPUT XXVI. 2. (*a*) Job reprehendit Baldad, quod non zelo divini honoris tuendi, sed spiritu contentionis disputaret.

4. & 5. (*b*) Animam: *Gigantes*, vel cete, vel potentes, vel dæmones; *Et qui habitant cum eis*, exercitus eorum, gigantes satis apte intelligantur regnorum invasores, qui nunc gemunt sub aqua in terræ infimis.

6. & 7. (*c*) Quæ geruntur in inferno, contuetur. *Aquilonem*, ventos: *Super vacuum*, super aera ex vulgi opinione.

8. (*d*) Sed paullatim; aquas in nubibus pendulas diu sustinet.

9. (*e*) Occultat aliquando faciem cæli. Hebraice. *Meachez*, מאחז, *constringit*, seu contrahit & *corroborat faciem solii sui*, nempe cæli, quod in Scriptura *solium Dei* dicitur, ut terra scabellum pedum ejus.

10. (*f*) Quamdiu erit lucis & tenebrarum vicissitudo, seu in perpetuum.

11. (*g*) Angeli ob Dei reverentiam. Alii per *columnas cæli* montes præcelsos poetice describi volunt.

12. (*h*) Mare tumens coercuit. *Maria*, sedantur fluctus maris.

13. (*i*) Vel *lucifer*, vel *fulmen* tortuoso jactu cadens: Chald. *Leviathan*, seu Balæna, seu quilibet serpens, seu dæmon ipse, aut draco tortuosus intelligatur.

14. (*k*) Quæ diximus, pars est minima eorum quæ Deus providentia sua efficit.

CAPUT XXVII. 1. (*a*) Sententias graves, & sermonem figuratum.

2. & 3. (*b*) Qui mihi non concessit ut me sisterem ad ejus tribunal. Hoc unum plerisque videtur esse ex iis quæ Deus ut minus considerate dicta reprehendit cap. 40. *Numquid irritum facies judicium meum?* Non aliud tamen contendit Job, quam his flagellis non vindicari peccata sua: sed videtur non tanta reverentiæ detulisse justitiæ divinæ. Quamquam non iisdem forte verbis usus fuit Job, quæ teste Hieronymo poetico stylo describuntur, & possunt vehementiori stylo referri, quam dicta fuerint. *Abstulit judicium meum*, Hebr. *Amovit jus meum*. *Et spiritus*, vita a Deo data.

6. & 7. (*c*) In tota conversatione mea non sum mihi conscius ullius gravioris culpæ; cum figura esset Christi, illud omnino erat necessarium, ut innocentiam suam defenderet. *Inimicus*, ita habendus est qui me falso accusat, quod miser sim.

8. (*d*) LXX. *Impii*, non ita constanter in Deum sperarem, si essem hypocrita. In persona sua justos omnes calumniis oppressos exprimit.

10. (*e*) Cum amor bonorum temporalium in eo dominetur. *Et invocare Deum omni tempore*: in prosperis & diversis.

11. (*f*) Deo juvante. *Quæ omnipotens habeat*, quam sint occultæ viæ & consilia Dei, cur innocentes aliquando affligat.

13. (*g*) Hic exitus manet impios.

15. (*h*) Acerba morte extincti: Chald. *Aut forte non sepelientur*, mors ipsa erit eorum sepulcrum. Domus quam ædificabit tam facile peribit, quam tineæ domicilium quod ipsa exedit.

18. (*i*) Custos fructuum brevi tempore duraturum parat sibi domicilium.

*Pf.48.18. 19. * Dives cum dormierit, nihil secum auferet: aperiet (*k*) oculos suos, & nihil inveniet.

20. Apprehendet eum quasi aqua inopia, nocte opprimet eum tempestas.

21. Tollet eum ventus urens, & auferet, & velut turbo rapiet eum de loco suo.

22. Et mittet super eum, & non parcet: de manu ejus fugiens (*l*) fugiet.

23. Stringet super eum manus suas, & sibilabit super illum, intuens locum ejus.

CAPUT XXVIII.

Supplicium improborum a morte potissimum incipere, ut bonorum felicitatem.

1. HAbet argentum, venarum suarum principia (*a*): & auro locus est in quo conflatur.

2. Ferrum de terra tollitur: & lapis solutus calore, in æs vertitur.

3. Tempus (*b*) posuit tenebris, & universorum finem ipse considerat, lapidem quoque caliginis, & umbram mortis.

4. Dividit torrens (*c*) a populo peregrinante, eos quos oblitus est pes egentis hominis, & invios.

5. Terra (*d*), de qua oriebatur panis in loco suo, igni subversa est.

6. Locus sapphiri (*e*) lapides ejus, & glebæ illius aurum:

7. Semitam ignoravit avis, nec intuitus est eam oculus vulturis:

8. Non calcaverunt eam filii institorum (*f*), nec pertransivit per eam leæna.

9. Ad silicem extendit manum suam, subvertit a radicibus montes.

10. In petris rivos excidit, & omne pretiosum vidit oculus ejus.

11. Profunda (*g*) quoque fluviorum scrutatus est, & abscondita in lucem produxit.

12. Sapientia (*h*) vero ubi invenitur? & quis est locus intelligentiæ?

13. Nescit homo pretium ejus, nec invenitur (*i*) in terra suaviter viventium.

14. Abyssus dicit: Non est in me: & mare loquitur: Non est mecum.

15. * Non dabitur aurum obrizum (*k*) pro ea, nec appendetur argentum in commutatione ejus. *Sap.7.9.

16. Non conferetur tinctis (*l*) indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro.

17. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum (*m*) nec commutabuntur pro ea vasa auri:

18. Excelsa (*n*) & eminentia non memorabuntur comparatione ejus: trahitur autem sapientia de occultis.

19. Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur.

20. Unde ergo sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ?

21. Abscondita est ab oculis omnium viventium, volucres quoque cæli latet.

22. Perditio (*o*) & mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam ejus.

23. Deus intelligit (*p*) viam ejus, & ipse novit locum illius.

24. Ipse enim fines mundi intuetur: & omnia, quæ sub cælo sunt, respicit.

25. Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit (*q*) in mensura.

26. Quando ponebat pluviis legem, & viam procellis sonantibus:

27. Tunc vidit illam, & enarravit (*r*), & præparavit, & investigavit.

28. Et dixit homini: Ecce timor Domini, ipsa est sapientia (*f*): & recedere a malo, intelligentia.

CAPUT XXIX.

Priorum temporum felicitatem commemorat, ut hinc divinam commendet providentiam, atque hinc se impium non fuisse distant.

1. ADdidit quoque Job, assumens parabolam suam, & dixit:

2. Quis mihi tribuat (*a*), ut sim juxta menses pristinos, secundum dies, quibus Deus custodiebat me?

3. Quan-

19. & 20. (*k*) Mortuo corpore excitatur anima, & vanitatem divitiarum clare intuetur: Vel etiam a suis deseretur dum vivit. *Ventus urens*, Tempestas cui comparat mortem impii inopinatam.

22. & 23. (*l*) Nihil non molietur ut effugiat mortem. *Stringet*: quisquis pœnam & exitum impii viderit vel audierit, eum irridebit, aut impetet.

CAPUT XXVIII. 1. (*a*) Horum locus, origo, materia, inventu sunt facilia, non item sapientia, de qua vers. 12. & seq. ubi quærenda sit, ignorant impii, a Deo illam peti oportere nesciunt.

3. (*b*) Finem, LXX. Ordinem, *Lapidem quoque caliginis*, lapides absconditos in terræ visceribus, & quasi in umbra mortis, quod metallorum fodinæ sint profundiores. Itaque videtur loqui de homine, cujus describit industriam in detegendis auri, argenti & gemmarum venis.

4. (*c*) Torrens aquarum dividit quæsita metalla a fossoribus, qui plerumque sunt peregrini & egeni, ac efficit ut pes fossoris nequeat ulterius progredi: vel forte torrentis nomine mare ipsum intelligit, quod homines auri & argenti avidi peragrant, ut hos quærant thesauros, quo pervenire non possunt egeni.

5. (*d*) Ante frumenti ferax, igne subversa est, fornacibus ad fusionem metallorum extructis.

6. (*e*) Nam sapphiri in terra aurifera inveniuntur.

8. & 9. (*f*) Hebr. *Filii superbiæ*: ut feræ, truces & immanes, ut leones. *Ad silicem*, qui metalli venas quærit.

11. (*g*) Ex Hebræo textu, fluviorum cursum sistit. His exsiccatis apparent quæ intus latebant.

12. (*h*) Quæ hactenus sunt memorata, videbantur hominibus inaccessa, & tamen illa detexit hominum industria: sed homo non quærit sapientiam, cujus pretium ignorat.

13. (*i*) Vox, *Suaviter*, deest in Hebr. & in LXX.

15. (*k*) Aurum hic quinque nominibus exprimitur, quod sit multiplex illius genus Hebræis *Ophaz*, de quo alibi dictum fuit, nempe in caput 9. Lib. 3. Regum.

16. (*l*) Rubris tinctis. *Sardonycho*, una erat e gemmis, quæ in summi Pontificis rationali fulgebant. *Sapphira*, eadem est vox Hebræis, Græcis & Latinis.

17. (*m*) Hebr. *Chrystallus*. Pagninus vertit *Adamantem*.

18. (*n*) Vox Hebræa, *Corallia*, ut eminentia, *Carbunculos* etiam significat.

22. (*o*) Mortui aliquid tantummodo de ea audierunt.

23. (*p*) A Deo solo est expectanda.

25. (*q*) Res omnes in certa proportione & ratione constituit.

27. (*r*) Visibilem fecit ab initio mundi per effectus. Greg. *Filius Dei est incarnata sapientia, quam vidit Deus, quia Spiritus est, enarravit quia Verbum, præparavit quia remedium, investigavit quia occultum.*

28. (*f*) Quod alibi timor Domini initium sapientiæ dicatur, ut Psalm. 110. vox illa *initium*, aut principium, non solam originem, sed præcipuam sapientiæ partem significat. Quæ autem a Philosophis definitur, nec sapientiam Christianam totam continet, nec in ea continentur: nam multi Christiani sapientes naturæ arcana non habent perspecta.

2. (*a*) B. Job optat sibi restitui bona temporalia ad usum legitimum pro se & familia sua. Magna quidem de justitia Dei & vera sapientia locutus fuerat, quæ ab amicis, non ut par erat, excepta fuerant, quod miser esset & afflictus, atque adeo contemptibilis iis videretur, unde optat in pristinum suum statum restitui, in quo facilius vitæ suæ rationem probaret. *Secundum dies quibus Deus custodiebat me*, in bonis, liberis, salute corporis: cum afflictus videretur quasi desertus a Deo. CAPUT XXIX.

3. Quando splendebat lucerna ejus super caput meum, & ad lumen ejus ambulabam in tenebris?

4. Sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto (*b*) Deus erat in tabernaculo meo?

5. Quando erat Omnipotens mecum: & in circuitu meo pueri mei?

6. Quando lavabam pedes meos butyro (*c*), & petra fundebat mihi rivos olei?

7. Quando procedebam ad portam civitatis, & in platea parabant cathedram mihi?

8. Videbant me juvenes, & abscondebantur: & senes assurgentes stabant.

9. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo.

10. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat.

11. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi.

12. Eo quod liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor.

13. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum.

14. Justitia (*d*) indutus sum: & vestivi me, sicut vestimento & diademate, judicio meo.

15. Oculus fui cæco, & pes claudo.

16. Pater eram pauperum: & causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam.

17. Conterebam (*e*) molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.

18. Dicebamque: In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.

19. Radix mea aperta est secus aquas, & ros morabitur in messione mea.

20. Gloria mea semper innovabitur, & arcus (*f*) meus in manu mea instaurabitur.

21. Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum.

22. Verbis meis addere nihil audebant, & super illos stillabat eloquium meum.

23. Expectabant me sicut pluviam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum.

24. Si quando ridebam ad eos, non credebant, (*g*) & lux vultus mei non cadebat in terram.

25. Si voluissem ire ad eos, sedebam primus: cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.

CAPUT XXX.

Cum pristina felicitate præsentem statum comparat.

1. NUnc autem derident me juniores tempore, quorum non dignabar (*a*) patres ponere cum canibus gregis mei:

2. Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni.

3. Egestate & fame steriles, qui rodebant (*b*) in solitudine, squallentes calamitate & miseria.

4. Et mandebant herbas, & arborum cortices, & radix juniperorum erat cibus eorum.

5. Qui de convallibus ista rapientes, cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant.

6. In desertis habitabant torrentium, & in cavernis terræ, vel super glaream.

7. Qui inter hujuscemodi lætabantur, & esse sub sentibus delicias computabant.

8. Filii stultorum & ignobilium, & in terra penitus non parentes (*c*).

9. Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum eis in proverbium.

10. Abominantur me, & longe fugiunt a me, & faciem meam conspuere (*d*) non verentur.

11. Pharetram enim suam aperuit, & afflixit me, & frænum (*e*) posuit in os meum.

12. Ad dexteram orientis (*f*) calamitates meæ illico surrexerunt: pedes meos subverterunt, & oppresserunt quasi fluctibus semitis suis.

13. Dissipaverunt (*g*) itinera mea, insidiati sunt mihi, & prævaluerunt, & non fuit qui ferret auxilium.

14. Quasi rupto muro, & aperta janua, irruerunt super me, & ad meas miserias devoluti sunt.

15. Redactus sum in nihilum: abstulisti quasi ventus desiderium meum: & velut nubes pertransiit salus mea.

16. Nunc

4. (*b*) Cum Deus arcana sua apud me deponeret.

6. (*c*) Figurato sermone summam rerum abundantiam exprimit. Divitiæ antiquorum in pecorum & in armentorum multitudine sitæ erant. LXX. *Fluebant viæ meæ butyro, & montes mei fluebant lacte, & petra fundebat mihi rivos olei*: petrosi montes, aut petra torcularis.

14. (*d*) Justitia in judiciis meis, & in cunctis actionibus apparebat: *Et sicut diademata judicia mea*, decus omne meum erat recte judicare.

17. & 19. (*e*) Vim & injustitiam comprimebam. *Radix*: Nam subducta terra arbores aquam liberius per radices suas exugunt.

20. (*f*) Vires meæ & opes magis ac magis augebantur: *arcus* enim in Scripturis sumitur pro *viribus*.

24. (*g*) Nam in risu meo quiddam latere existimabant. *Lux vultus mei, &c.* Cum familiariter ageret, nihil de suæ gravitatis splendore amittebat; nec gloria dignitatis benignitate & charitate erga mœrentes eum privabat.

CAPUT XXX. 1. (*a*) Quibus curam canum meorum noluissem committere: vel proverbialis est locutio, qua eorum hominum vilis conditio designatur.

3. (*b*) Hebr. *Fugientes errabant, vagabantur.*

8. (*c*) Non apparentes, viles omnino & abjecti.

10. (*d*) In quo etiam Job fuit Christi Domini figura. Id merito advertit Pezronius in antiquitate temporum propugnata, pag. 224 textum Hebræum in 10. versu adeo esse obscurum, ut nullus hinc sensus rationi consonus exsculpi possit: ex vulgata interpretatione facile intelligimus quasdam gentes viles & abjectas designari, quæ in antris degebant. LXX. Interpretes clarius designant quoddam Arabum genus, qui in speluncis degentes ad maris rubri littora herba salsa vescebantur, quam Græci *halimum* vocant. Nam vox Hebræa *Maluach*, מלוח, non *Malvam*, ut quidam verterunt, sed aliquid *salsum* significat; aut fruticem Rhamno similem, nisi quod spinis caret, quam Syri vocant *Maluch*, teste Bochart, Lib. 3. de animal. sacr. cap. 16. Itaque hac planta vescebantur hi barbari, quos Græci vocant *Troglodytas*, qui etiam radices *Xylini*, seu frutices, ex quibus *Xylinum*, Gall. du coton, conficitur, edebant. Vide locum citatum apud eruditissimum virum.

11. (*e*) Hæc verba nonnulli ad amicos Jobi referunt ex textu Hebræo. Vel *frænum* dimiserunt me præsente: efferati licentia in me invecti sunt.

12. (*f*) Vox Hebraica, quam Pagninus vertit, *pueri germen erumpens* significat, aut *florem*, & metaphorice pueros. Sensus est, simul atque ad quamdam perveni felicitatem, & florui, mox invasit me agmen calamitatum. Hebræi interpretes hæc omnia ad amicos Jobi referunt, & contextus ipse id videtur suadere. Quidam legunt, *calamitatis*; Deus fecit initium calamitatis, & mox velut signo dato adverterunt mei axores. Aliter, cum secundæ res meæ essent, & quasi in ortu, calamitates subito invaserunt. Græci, *Ad dexteram germinis*: *oriens* pro *germine* ponitur. *Pedes meos subverterunt*, præcipitem me egerunt: *Quasi fluctibus*, quasi inundatione quadam malorum.

13. (*g*) Omnem vitæ meæ rationem conturbarunt.

16. Nunc autem in memetipso marcescit anima mea, & possident me dies afflictionis.

17. Nocte os (*h*) meum perforatur doloribus: & qui me comedunt, non dormiunt.

18. In multitudine eorum consumitur vestimentum meum, & quasi capitio tunicæ succinxerunt me.

19. Comparatus (*i*) sum luto, & assimilatus sum favillæ & cineri.

20. Clamo ad te, & non exaudis me: sto, & non respicis me.

21. Mutatus es mihi in crudelem (*k*), & in duritia manus tuæ adversaris mihi.

22. Elevasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me valide.

23. Scio quia morti trades me, ubi constituta est domus omni viventi.

24. Verumtamen non ad consumptionem (*l*) eorum emittis manum tuam: & si corruerint, ipse salvabis.

25. Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.

26. Expectabam bona, & venerunt mihi mala: præstolabar lucem, & eruperunt tenebræ.

27. Interiora mea efferbuerunt absque ulla requie, præevenerunt me dies afflictionis.

28. Mœrens incedebam, sine furore (*m*); consurgens, in turba clamabam.

29. Frater fui draconum, & socius struthionum.

30. Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate.

31. Versa est in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium.

CAPUT XXXI.

Ostendit Jobus anteactam vitam plenam fuisse bonorum operum, ne amici amplius hæreant in fictis criminibus, quibus iram Dei meruerit.

1. PEpigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.

2. Quam (*a*) enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem Omnipotens de excelsis?

3. Numquid non perditio est iniquo, & alienatio (*b*) operantibus injustitiam?

4. Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?

5. Si ambulavi (*c*) in vanitate, & festinavit in dolo pes meus:

6. Appendat me in statera justa, & sciat Deus simplicitatem meam.

7. Si declinavit gressus meus de via, & si secutum est oculos meos cor (*d*) meum, & si manibus meis adhæsit macula:

8. Seram, & alius comedat: & progenies mea eradicetur.

9. Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum:

10. Scortum alterius sit uxor mea, & super illam incurventur alii.

11. Hoc enim nefas est, & iniquitas (*e*) maxima.

12. Ignis (*f*) est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.

13. Si contempsi subire judicium cum servo meo, & ancilla mea, cum disceptarent adversum me.

14. Quid enim faciam cum surrexerit ad judicandum Deus? & cum quæsierit, quid respondebo illi?

15. Numquid non in utero fecit me qui & illum operatus est; & formavit me in vulva unus?

16. Si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci:

17. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea:

18. (Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio: & de utero matris meæ egressa est mecum.)

19. Si despexi pereuntem (*g*), eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem:

20. Si non benedixerunt mihi latera (*h*) ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus est:

21. Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem:

22. Humerus meus a junctura sua cadat (*i*), & brachium meum cum suis ossibus confringatur.

23. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus ejus ferre non potui. (*k*)

24. Si putavi aurum robur meum, & obrizo dixi: Fiducia mea.

25. Si lætatus sum super multis divitiis meis, & quia plurima reperit manus mea.

26. Si vidi (*l*) solem cum fulgeret, & lunam incedentem clare:

27. Et lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo.

28. Quæ

17. & 18. (*h*) Ossa mea: *Et qui me comedunt*, vermes scilicet, non *dormiunt*. Capitio. Hebr. *Quasi os tunicæ*, Gr. *Circumerale*, quod os, seu collum cingit undique, & stringit, ita me vermes undique arrodunt.

19. (*i*) Hebr. Projecit me in lutum.

21. (*k*) More humano sæpe loquitur Scriptura de Deo: ita mecum agis, ac si crudelis esses. Greg. *Mutatus es*, adjunxit, *mihi*, *ut ipsa hæc crudelitas non sit in qualitate judicis*, *sed in mente patientis*. Itaque in hac locutione usitato hominum sermone utitur.

24. (*l*) Nam anima adhuc persistat, nec extinguitur. *Et si corruerint*, *ipse servabis*: si morte occubuerint, salvabis, suo tempore excitabis. Hebr. *Si in contritione*: dum morte conteruntur: *Clamor eis*, ad te clamaverint, salutem imperties.

28. (*m*) Bonis & liberis orbatus, non in furorem actus sum.

CAPUT XXXI. 2. (*a*) Hebr. *Quæ portio Dei desuper?* Quod præmium propositum iis, qui vel aspectu virginem violarint? nonne certa pernicies?

3. (*b*) Exilium, vel ablegatio in alias terras.

5. & 6. (*c*) Si mendax fui, & fraudulentus. *Et sciat*, humano loquitur more, ut homines capiant quæ animo consequi non poterant.

7. (*d*) Hebr. *Si abiit post oculos meos cor meum*: si interius concupivi, quæ oculis vidi; *Et manibus meis*, operibus meis adhæsit macula, peccati labes.

11. (*e*) Hebr. *Iniquitas Judicum*, quæ ad Judices publicos pertinet.

12. (*f*) Est consumptor omnium fortunarum.

19. (*g*) Qui perit frigore.

20. (*h*) Quæ beneficium acceptum senserunt.

22. (*i*) Totius brachii jacturam sibi imprecatur, si vel manum sustulerit ad percutiendum.

23. (*k*) Numquam me parem existimavi ad resistendum, aut repugnandum Deo.

26. (*l*) De cultu quodam idololatriæ usitato in iis regionibus loquitur, quo videntes solem aut lunam fulgentem, manum ad ea porrigebant, tum ori admovebant, ut eo signo se hæc sidera deosculari velle innuerent, si id fieri posset; sic porrecta manu idolum tangebant, & manum ad os reducebant.

28. Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.

29. Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat, & exultavi quod invenisset eum malum.

30. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus.

31. Si non dixerunt viri tabernaculi (*m*), mei: Quis det de carnibus ejus ut saturemur?

32. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.

33. Si abscondi (*n*) quasi homo peccatum meum, & celavi in sinu meo iniquitatem meam.

34. Si expavi (*o*) ad multitudinem nimiam, & despectio propinquorum terruit me: & non magis tacui, nec egressus sum ostium.

35. Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum audiat Omnipotens: & librum (*p*) scribat ipse qui judicat.

36. Ut in humero meo portem illum, & circumdem illum quasi coronam mihi?

37. Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, & quasi principi offeram eum.

38. Si adversum me terra mea clamat (*q*), & cum ipsa sulci ejus deflent:

39. Si fructus ejus comedi absque pecunia, & animam agricolarum ejus afflixi:

40. Pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo spina (*r*).

Finita sunt verba Job.

CAPUT XXXII.

Eliu de cognatione Ram, seu Aram Syrus origine, adversus Job invehitur.

1. OMiserunt autem tres viri isti respondere Job, eo quod justus sibi videretur.

2. Et iratus, indignatusque est Eliu filius Barachel Buzites, de cognatione Ram: Iratus est autem adversum Job, eo quod justum se esse diceret coram (*a*) Deo.

3. Porro adversum amicos ejus indignatus est, eo quod non invenissent (*b*) responsionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Job.

4. Igitur Eliu expectavit Job loquentem: eo quod seniores essent qui loquebantur.

5. Cum autem vidisset quod tres respondere non potuissent, iratus est vehementer.

6. Respondensque Eliu filius Barachel Buzites, dixit:

Junior sum tempore, vos autem antiquiores, idcirco demisso capite, veritus sum vobis indicare meam sententiam.

7. Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam.

8. Sed, ut video, Spiritus (*c*) est in hominibus, & inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.

9. Non sunt longævi (*d*) sapientes, nec senes intelligunt judicium.

10. Ideo dicam: Audite me, ostendam vobis etiam ego meam sapientiam.

11. Expectavi enim sermones vestros, audivi prudentiam vestram, donec disceptaremini sermonibus:

12. Et donec putabam vos aliquid dicere, considerabam: sed, ut video, non est qui possit arguere Job, & respondere ex vobis sermonibus ejus.

13. Ne forte dicatis: Invenimus sapientiam (*e*), Deus projecit eum, non homo.

14. Nihil locutus est mihi, & ego non secundum sermones vestros respondebo illi.

15. Extimuerunt, nec responderunt ultra, abstuleruntque a se eloquia.

16. Quoniam igitur expectavi, & non sunt locuti: steterunt, nec ultra responderunt:

17. Respondebo & ego partem meam, & ostendam scientiam meam.

18. Plenus sum enim sermonibus (*f*), & coarctat me spiritus uteri mei.

19. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit.

20. Loquar, & respirabo paullulum: aperiam labia mea, & respondebo.

21. Non accipiam (*g*) personam viri, & Deum homini non æquabo.

22. Nescio enim quamdiu subsistam, & si post modicum tollat me Factor meus.

CAPUT XXXIII.

Eliu in hoc præcipue Jobum arguit, quod cum Deo expostulare visus est.

1. AUdi igitur Job eloquia mea, & omnes sermones meos ausculta.

2. Ecce aperui os meum, loquatur (*a*) lingua mea in faucibus meis.

3. Simplici corde meo sermones mei, & sententiam puram labia mea loquentur.

4. Spi-

31. (*m*) Domestici. Utinam nobis liceret eum habere semper præsentem.

33. (*n*) Inter crimina, quæ a se removet, ponit illud, non confiteri peccata sua. Absque crimine erat coram hominibus, non absque levioribus peccatis, quæ justi admittunt.

34. (*o*) Non timui, ne quid mihi objici posset, quod peccassem ut princeps in populum: *Et despectio propinquorum terruit me*: cum me despiciebant, quod animo essem humili, & nimis religioso: *Nec egressus sum ostium*, ut scirem quid ad domus meæ ostia otiosi garrirent de me.

35. (*p*) Hebr. Librum scribat vir litis meæ, scriptam accusationem tradat adversarius meus.

38. (*q*) Quasi injuste possessa, aut aliquo scelere violata.

40. (*r*) Vox Hebræa herbam frugibus noxiam significat.

CAPUT XXXII. 2. (*a*) Ut se probare Deo posse innocentiam suam confideret.

3. (*b*) Quod Jobum condemnassent non convictum idoneis argumentis.

8. (*c*) Spiritus intelligentiæ: Chald. *Spiritus prophetiæ*: *Et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam*: Non senium dat veram sapientiam, sed solus Deus.

9. (*d*) Non id semper evenit: *Nec senes intelligunt judicium*: non habent justam rerum æstimationem.

13. (*e*) Veram Jobi convincendi rationem, nihil est quod loquar verbosius. *Deus projecit eum*, propter scelera eum percussit. Quod occultum erat sapientiæ invenimus, ne illud silentio vestro præteream.

18. (*f*) Multæ mihi occurrunt rationes.

21. (*g*) Nec cujusquam reverentia impediar, quominus dicam quæ vera puto. *Et Deum homini non æquabo*, nec patiar ut Job se Deo æquet. Hebr. *Hominem non agnominabo*, non onerabo eum epithetis, nec congeram agnomina.

CAPUT XXXIII. 2. (*a*) Ut loquatur lingua mea quæ formavit verba.

4. Spiritus Dei fecit (*b*) me, & spiraculum Omnipotentis vivificavit me.

5. Si potes, responde mihi, & adversus faciem meam consiste.

6. Ecce, & me sicut & te fecit Deus, & de eodem luto ego quoque formatus sum (*c*).

7. Verumtamen miraculum (*d*) meum non te terreat, & eloquentia mea non sit tibi gravis.

8. Dixisti ergo in auribus meis, & vocem verborum tuorum audivi.

9. Mundus sum ego, & absque delicto: immaculatus, & non est iniquitas in me.

10. Quia querelas in me reperit (*e*), ideo arbitratus est me inimicum sibi.

11. Posuit in nervo pedes meos, custodivit omnes semitas meas.

12. Hoc est ergo, in quo non es justificatus (*f*): respondebo tibi, quia major sit Deus homine.

13. Adversus eum contendis, quod non ad omnia verba responderit tibi?

14. Semel (*g*) loquitur Deus, & secundo idipsum non repetit.

15. Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo:

16. Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina,

17. Ut avertat hominem ab his quæ facit, & liberet eum de superbia:

18. Eruens animam ejus a corruptione: & vitam illius, ut non transeat in gladium (*h*).

19. Increpat (*i*) quoque per dolorem in lectulo, & omnia ossa ejus marcescere facit.

20. Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus ante desiderabilis.

21. Tabescet caro ejus; & ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur.

22. Appropinquavit corruptioni anima ejus, & vita illius mortiferis.

23. Si fuerit pro eo Angelus (*k*) loquens, unus de millibus, ut annuntiet hominis æquitatem:

24. Miserebitur (*l*) ejus, & dicet: Libera eum, ut non descendat in corruptionem: inveni in quo ei propitier.

25. Consumpta est caro ejus a suppliciis, revertatur ad dies adolescentiæ suæ.

26. Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit: & videbit faciem ejus in jubilo (*m*), & reddet homini justitiam suam.

27. Respiciet (*n*) homines, & dicet: Peccavi, & vere deliqui, &, ut eram dignus, non recepi.

28. Liberavit animam suam (*o*) ne pergeret in interitum, sed vivens lucem videret.

29. Ecce, hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos (*p*):

30. Ut revocet animas eorum a corruptione, & illuminet luce viventium.

31. Attende Job, & audi me: & tace, dum ego loquor.

32. Si autem habes quod loquaris, responde mihi, loquere: volo enim, te apparere justum.

33. Quod si non habes, audi me: tace, & docebo te sapientiam.

CAPUT XXXIV.

Eliu totus est ut ostendat Deum esse in rerum omnium administratione justissimum, & Jobum male conqueri de judicio Dei.

1. PRonuntians itaque Eliu, etiam hæc locutus est:

2. Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me:

3. * Auris enim verba probat, & guttur escas gustu dijudicat. * Sup. 12. 11.

4. Judicium eligamus nobis, & inter nos videamus quid sit melius.

5. Quia dixit Job: Justus sum, & Deus (*a*) subvertit judicium meum.

6. In judicando enim me, mendacium (*b*) est: violenta sagitta mea absque ullo peccato.

7. Quis est vir ut est Job, qui bibit subsannationem quasi aquam:

8. Qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impiis?

9. Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiam si cucurrerit (*c*) cum eo.

10. Ideo viri cordati audite me, absit a Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas.

11. Opus enim hominis reddet ei, & juxta vias singulorum restituet eis.

12. Vere enim Deus non condemnabit frustra, nec Omnipotens subvertet judicium.

13. Quem

4. (*b*) Eumdem auctorem omnes agnoscimus: *Et spiraculum vitæ vivificavit me*, pares sumus: non est cur congressum detrectes. Juxta Hebr. textum: Ecce Dei caussam ago, de eodem luto ambo formati sumus: non te movebit terror meus, nec timebo ne manus meæ pondus te opprimat. Ita enim Job postulaverat, ut manus Dei paullulum ab eo recederet.

6. (*c*) Hebr. *Ecce ego secundum os tuum*, ita ut ipse postulaveras, loquar pro Deo.

7. (*d*) Mira quæ dicam: quemadmodum times ne Deus præsentia sua te perterreat.

10. (*e*) Quæ dixerat Job cap. 13. reperit Eliu, sed ea interpretatur in malam partem, quasi Deus occasionem quæsisset Jobi deterendi & puniendi. Nam quæ dixit Job, c. 13. v. 27. verba sunt hominis misericordiam a Deo deprecantis, non blasphemo ore & cum indignatione animi Deo injuriam facientis.

12. (*f*) In eo peccas, quod de Deo, ut de iniquo tyranno, verba facias.

14. (*g*) Quereris Deum tibi non respondere ad singula; at scito eum non statim respondere solitum ad interrogata, sed diversis eum loqui modis. Vatablus sic vertit: *Etenim semel loquitur & iterum, si homo, ad animadvertat*, Gregorius: *In Scripturæ eloquio caussas nostras si singuli requirimus, invenimus; nec opus est in eo quod specialiter quisque tolerat, responderi sibi divina voce specialiter quærat*.

18. (*h*) Ut vitam a gladio imminente tueatur.

19 (*i*) Per morbum gravem nos Deus admonet.

23. (*k*) Vel propheta, vel homo Deo gratus, vel Angelus a Deo electus, qui hominem doceat justitiæ officia, bene sperandi de misericordia Dei, locus ei datur. Ex Greg. *Angeli* nomine magni consilii Angelum Christum Dominum licet intelligere. Vox Hebræa significat *advocatum*.

24. (*l*) Ex Hebræo, *supplicet illi*, nempe Deo.

26. (*m*) Deus ipsum benigne respiciet, & eum rursum justificabit.

27 (*n*) Respiciens homines dicet.

28. (*o*) Quidam ex Hebr. vertunt, *meam: Sed vivens lucem videret*: lux pro felicitate ponitur.

29. (*p*) Aliquoties & sæpius: *Per singulos*. Hebr. Cum viro: eo modo agere solet Deus cum hominibus.

CAPUT XXXIV.

5. (*a*) Hebr. *Abstulit*. Interpres paullo durius videtur transtulisse, idque ad sensum minus verum Eliu detorsit; non enim Job his verbis Deo voluit injustitiam aliquam tribuere, quæ fuisset horrenda blasphemia; sed tantum hæc flagella non pertinere ad justitiam Dei specialem, sed ad generalem tantummodo, ut identidem diximus.

6. (*b*) Seu error in divino judicio: *Violenta sagitta*, Deus me malis opprimit. Ex Hebræo, *Judicio meo mentiri faciam eum*, mendacii convincam.

9. (*c*) Etiamsi paruerit mandatis ejus; quæ erat calumnia. Dixerat quidem Job interdum pios a Deo tractari ut impios, quantum ad exteriores casus.

13. Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?

14. Si direxerit (*d*) ad eum cor suum, spiritum illius & flatum ad se trahet.

15. Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem revertetur.

16. Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, & ausculta vocem eloquii mei.

17. Numquid qui non amat judicium, sanari potest? & quomodo tu eum, qui justus (*e*) est, in tantum condemnas?

18. Qui dicit regi, apostata (*f*): qui vocat duces, impios:

19. * Qui non accipit personas principum: nec cognovit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem: opus enim manuum ejus sunt universi.

* Deut. 10. 17. 2. Par. 19. 7. Sap. 6. 8. Eccli. 35. 16. Act. 10. 34. Rom. 2. 11. Gal. 2. 6. Ephes. 6. 9. Coloss. 3. 25. 1. Petr. 1. 17.

20. Subito morientur, & in media nocte turbabuntur populi, & pertransibunt, & auferent violentum absque manu (*g*).

21. Oculi enim ejus super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat.

22. Non sunt tenebræ, & non est umbra mortis, ut abscondantur ibi qui operantur iniquitatem.

23. Neque enim ultra in hominis potestate est, ut veniat ad Deum in judicium (*h*).

24. Conteret (*i*) multos & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis.

25. Novit enim opera eorum: & idcirco inducet noctem, & conterentur.

26. Quasi impios percussit eos in loco videntium (*k*).

27. Qui quasi de industria recesserunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt:

28. Ut pervenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum.

29. Ipso enim concedente pacem, quis est qui condemnet (*l*)? ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum & super gentes, & super omnes homines?

30. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.

31. Quia ergo ego locutus sum ad Deum, (*m*) te quoque non prohibebo.

32. Si erravi, tu doce me: si iniquitatem locutus sum, ultra non addam.

33. Numquid a te Deus expetit (*n*) eam, quia displicuit tibi? tu enim cœpisti loqui, & non ego: quod si quid nosti melius loquere.

34. Viri intelligentes loquantur mihi, & vir sapiens audiat me.

35. Job autem stulte locutus est, & verba illius non sonant disciplinam.

36. Pater (*o*) mi, probetur Job usque ad finem: ne desinas ab homine iniquitatis.

37. Quia addit super peccata sua blasphemiam, inter nos interim constringatur (*p*): & tunc ad judicium provocet sermonibus suis Deum.

CAPUT XXXV.

Pergit Eliu Jobum arguere, quod in tuenda vita innocentia perstet.

1. Igitur Eliu hæc rursum locutus est:

2. Numquid æqua tibi videtur tua cogitatio, ut diceres: Justior sum Deo?

3. Dixisti enim: Non tibi placet quod rectum (*a*) est: vel quid tibi proderit, si ego peccavero?

4. Itaque ego respondebo sermonibus tuis & amicis tuis tecum.

5. Suspice cælum & intuere, & contemplare æthera, quod altior te sit.

6. Si peccaveris, quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum?

7. Porro si juste egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?

8. Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua: & filium hominis adjuvabit justitia tua.

9. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt: & ejulabunt propter vim brachii tyrannorum.

10. Et non dixit: Ubi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina (*b*) in nocte?

11. Qui docet nos super jumenta terræ, & super volucres cæli erudit nos.

12. Ibi clamabunt, & non exaudiet, propter superbiam malorum.

13. Non ergo frustra (*c*) audiat Deus, & Omnipotens causas singulorum intuebitur.

14. Etiam cum dixeris: Non considerat: judicare coram illo, & expecta eum.

15. Nunc enim non infert furorem suum, nec ulciscitur scelus valde.

16. Ergo Job frustra aperit os suum, & absque scientia verba multiplicat.

CA-

14. (*d*) Si Deo placuerit hominem etiam immerentem perdere, id illi facillimum est, si cum eo severe agat: ex Hebræo. *Si Deus spiritum suum auferret*, cuncta in pulverem abirent.

17. (*e*) LXX. *Sempiternum justum*, quod soli Deo convenit.

18. (*f*) Hebr. *Belial*. Qui regem suum aut judicem accusat injustitiæ, an sanari poterit? Aut forte qui Reges pravos per suos prophetas vocat *Apostatas*, & libere increpat. Vel an dicere licet Regi? Quanto minus licet dicere Deo, qui non accipit personas principum.

20. (*g*) Absque exercitu: aut copiis in media nocte ex improviso, si Deus ita voluerit.

23. (*h*) Non est in potestate hominis declinare Dei judicium postquam peccavit: *Ut veniat ad Deum*, ut sententiæ executioni moras injiciat.

24. (*i*) Hebr. *Conteret insigne*. *Sine investigatione*; non ei opus est longa inquisitione.

26. (*k*) Coram multis spectatoribus.

29. (*l*) Sive enim concedat pacem hominibus, nemo eum turbare poterit: *sive absconderit vultum*, seu punire voluerit, nemo illud arcanum consiliorum Dei contemplari poterit, aut penetrare: cujusmodi fuit vocatio Gentium, & reprobatio Judæorum.

31. (*m*) De Deo.

33. (*n*) An Deus exiget a te rationem eorum quæ locutus sum? ne id timeas: nam pœnam ipse luam.

36. (*o*) Forte Eliphaz major ætate.

37. (*p*) Nostris rationibus constringatur. Gregor. *Ex nostra assertione cognoscat, quia nequaquam divinæ examinationi sufficiat.*

CAPUT XXXV.

1. (*a*) Nam te innocentem vexari ais: *Quid tibi proderit?* *Tibi*, pro *mihi*, inquit Vatablus. Nihil his simile dixerat Job; sed illud solemne est ejusmodi hominibus ut calumnientur, atque ut ait Greg. Lib. 27. c. 7. *Et cum non possunt reprehendere justa, quæ sunt reprehendunt mentiendo quæ non sunt*: falsum enim est Job dixisse Deo, ipsi non placere quod rectum est.

10. (*b*) Qui in calamitate positus Dei opem non implorat. Hebr. *Qui ponit carmina in nocte*. Greg. *Qui noctem ornavit stellis, quæ sua pulcritudine velut quodam cantu homines invitant ad laudem & cognitionem Dei*; vel ut idem ait, *carmen in nocte est lætitia in tribulatione*; vel demum intelliguntur revelationes, quæ a Deo noctu frequentius immitti solent, quam de die.

13. (*c*) Sed suo tempore, & pro sua providentia pœnas ab impiis exigit, & innoxios liberat. Gregor. *Sæpe vota nostra hoc ipso exaudiuntur, quod non statim sicut & semina messium gelu pressa solidantur, & quoad superficiem tardius se exerunt*. In Hebr. sensus omnino est diversus: *Profecto mendacium non exaudit Deus*.

CAPUT XXXVI.

Eliu pergit divinam propugnare justitiam, & docere quomodo mala sint perferenda.

1. ADdens quoque Eliu, hæc locutus est:
2. Sustine me paullulum, & indicabo tibi: adhuc enim habeo quod pro Deo loquar.
3. Repetam scientiam meam a principio, & operatorem meum probabo justum.
4. Vere enim absque mendacio sermones mei, & perfecta scientia probabitur tibi.
5. Deus potentes non abjicit (*a*), cum & ipse sit potens.
6. Sed non salvat impios, & judicium pauperibus tribuit.
7. Non auferet a justo oculos suos, & reges in solio (*b*) collocat in perpetuum, & illi eriguntur.
8. Et si fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis:
9. Indicabit eis opera eorum, & scelera eorum, quia violenti fuerunt.
10. Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat: & loquetur, ut revertantur ab iniquitate.
11. Si audierint & observaverint, complebunt dies suos in bono, & annos suos in gloria.
12. Si autem non audierint, transibunt per gladium, & consumentur in stultitia.
13. Simulatores & callidi provocant iram Dei, neque clamabunt (*c*) cum vincti fuerint.
14. Morietur in tempestate (*d*) anima eorum, & vita eorum inter effeminatos.
15. Eripiet de angustia sua pauperem, & revelabit in tribulatione aurem ejus.
16. Igitur salvabit te de ore angusto (*e*) latissime, & non habente fundamentum subter se: requies autem mensæ tuæ erit plena pinguedine.
17. Causa tua quasi impii judicata est, causam judiciumque recipies (*f*).
18. Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te.
19. Depone (*g*) magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine.
20. Ne protrahas noctem (*h*), ut ascendant populi pro eis.
21. Cave ne declines ad iniquitatem: hanc enim cœpisti sequi post miseriam.
22. Ecce, Deus excelsus in fortitudine sua, & nullus ei similis in legislatoribus (*i*).
23. Quis poterit scrutari vias ejus? aut quis potest ei dicere: Operatus es iniquitatem?
24. Memento quod ignores opus ejus, de quo cecinerunt viri.
25. Omnes homines vident (*k*) eum, unusquisque intuetur procul.
26. Ecce, Deus magnus vincens scientiam nostram: numerus annorum ejus inæstimabilis.
27. Qui aufert (*l*) stillas pluviæ, & effundit imbres ad instar gurgitum.
28. Qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta desuper.
29. Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum,
30. Et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet.
31. Per hæc enim judicat populos, & dat escas multis mortalibus.
32. In manibus abscondit lucem, & præcipit ei ut rursus adveniat.
33. Annuntiat (*m*) de ea amico suo, quod possessio ejus sit, & ad eam possit ascendere.

CAPUT XXXVII.

Eliu divinam sapientiam & justitiam commendat, ut Jobum reprehendat.

1. SUper hoc expavit (*a*) cor meum, & emotum est de loco suo.
2. Audite auditionem in terrore vocis (*b*) ejus, & sonum de ore illius procedentem.
3. Subter omnes cælos ipse considerat, & lumen illius super terminos terræ.
4. Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ; & non investigabitur, cum audita fuerit vox ejus.
5. Tonabit Deus in voce sua mirabiliter, qui facit magna & inscrutabilia.
6. Qui præcipit nivi ut descendat in terram, & hiemis pluviis, & imbri fortitudinis (*c*) suæ.
7. Qui in manu omnium hominum signat (*d*), ut noverint singuli opera sua.
8. Ingredietur bestia latibulum, & in antro suo morabitur.
9. Ab interioribus (*e*) egredietur tempestas, & ab Arcturo frigus.
10. Flante Deo concrescit gelu, & rursum latissimæ funduntur aquæ.

11. Fru-

CAPUT XXXVI.

5. (*a*) Non propterea opprimit potentes, quasi ab eorum potentia sibi metuat. Hebr. *Ecce Deus fortis non abjiciet fortem corde*, & magna sapientia præditum.
7. (*b*) Collocat, vel cum Regibus.
13. (*c*) Ad Deum, ut mereantur exaudiri. Non dabitur illi tempus ad agendam pœnitentiam; subito opprimentur.
14. (*d*) In calamitate, vel in morte præcipiti: LXX. & Hebr. *In juventute: Et vita eorum inter effeminatos*; LXX. *Et vita eorum vulnerata ab Angelis*. Quod intelligi potest de Sodomitis. Eorum vita intercipietur ut in Sodomitis.
16. (*e*) De barathro, & in latitudinis locum te educet.
17. (*f*) Si coram Deo humiliatus misericordiam ejus implores, caussam obtinebis.
19. (*g*) Depone tumorem magnitudinis tuæ, ne differas eam exuere, cum tribulatione ipsa cogeris eam deponere; *Omnes motus depone fortitudine superbiæ roboratos*. Greg.
20. (*h*) Plus æquo dormiendo, vel comessando: *Ut ascendant populi pro eis*; ut clientes tui aut subditi possint pro negotiis suis te facile adire; vel ne fatiges te de nocte cogitans qua ratione tibi populos subjicias: ex Hebr. Vel ne tu de nocte id mediteris, quomodo populi excutiantur de locis suis.
22. (*i*) Gr. Quis enim est ad eum dynasta? aut *quis est, sicut ille, potens?*
25. (*k*) Naturali & obscura quadam cognitione.
27. (*l*) Qui post magnam siccitatem effundit imbres.
31. (*m*) Quod ejus caussa nubes moveantur, & pluviæ effundantur. Quod allegorice de luce fidei & cælesti gratia, anagogice de lumine gloriæ intelliges commode potest.

CAPUT XXXVII.

1. (*a*) Super iis, quæ mox sum dicturus.
2. (*b*) Tonitrui, quod in Scriptura vox Dei appellatur.
6. (*c*) Imbres copiosi.
7. (*d*) In divina sua potentia omnem hominem clausum tenet; nam tunc demonstrat se esse Dominum Universi: *Ut noverint singuli opera sua*: hæc omnia a Deo esse, & quibus apta sint operibus.
9. (*e*) LXX. *De promptuariis*. Nubes spargunt fulgura ab Austri polo, qui nobis non est conspicuus. *Ab Arcturo frigus*: ab arctio scripsisse Interpretem suspicatur Grotius.

11. Frumentum desiderat nubes (*f*), & nubes spargunt lumen suum.

12. Quæ lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum:

13. Sive in una tribu (*g*), sive in terra sua, sive in quocumque loco misericordiæ suæ eas jusserit inveniri.

14. Ausculta hæc Job: sta, & considera mirabilia Dei.

15. Numquid scis quando præceperit Deus pluviis, ut ostenderent lucem nubium ejus?

16. Numquid nosti semitas nubium magnas, & perfectas scientias (*h*)?

17. Nonne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra Austro?

18. Tu forsitan cum eo fabricatus es cælos, qui solidissimi quasi ære fusi (*i*) sunt.

19. Ostende nobis quid dicamus illi: nos quippe involvimur tenebris.

20. Quis narrabit ei quæ loquor? etiam si locutus fuerit homo, devorabitur (*k*).

21. At nunc non vident lucem: subito aer cogetur in nubes, & ventus transiens fugabit eas.

22. Ab Aquilone (*l*) aurum venit, & ad Deum formidolosa laudatio.

23. Digne eum invenire non possumus: magnus fortitudine, & judicio, & justitia, & enarrari non potest.

24. Ideo timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes, qui sibi videntur esse sapientes.

CAPUT XXXVIII.

Deus ipse Jobum alloquitur, atque ex naturæ ipsius mirabilibus providentiam suam commendat.

1. RESpondens (*a*) autem Dominus Job de turbine, dixit:

2. Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?

3. Accinge (*b*) sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & responde mihi.

4. Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi si habes intelligentiam.

5. Quis posuit mensuras ejus, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam (*c*)?

6. Super quo bases illius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem ejus,

7. Cum me laudarent simul astra matutina (*d*), & jubilarent omnes filii Dei?

8. Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens:

9. Cum ponerem nubem vestimentum ejus, & caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem?

10. Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem (*e*), & ostia;

11. Et dixi: Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.

12. Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, & ostendisti auroræ locum suum?

13. Et tenuisti concutiens (*f*) extrema terræ, & excussisti impios ex ea?

14. Restituetur ut lutum signaculum (*g*), & stabit sicut vestimentum:

15. Auferetur ab impiis lux sua, & brachium excelsum confringetur.

16. Numquid ingressus es profunda maris, & in novissimis abyssi deambulasti?

17. Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa (*h*) vidisti?

18. Numquid considerasti latitudinem terræ? indica mihi, si nosti, omnia,

19. In qua via lux habitet (*i*), & tenebrarum quis locus sit?

20. Ut ducas (*k*) unumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas domus ejus.

21. Sciebas tunc quod nasciturus esses? & numerum dierum tuorum noveras?

22. Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti?

23. Quæ præparavi in tempus hostis, in diem pugnæ & belli?

24. Per quam viam spargitur lux (*l*), dividitur æstus super terram?

25. Quis dedit vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui,

26. Ut plueret super terram absque homine in deserto, ubi nullus mortalium commoratur,

27. Ut impleret inviam & desolatam, & produceret herbas virentes?

28. Quis est pluviæ pater? vel quis genuit stillas roris?

29. De

11. (*f*) Ex Hebræo, *Etiam serenitas premit nubem, ut rorem emittat.*

13. (*g*) Ex Hebr. quidam vertunt, sive pro *flagello*, ut affligant homines inundationibus: sive in *terra sua*, ut det humorem necessarium.

16. (*h*) Multas res scitu dignas, vel perfectam ejus scientiam, qui nubes regit.

18. (*i*) Hebr. *Instar speculi e fuso metallo parati*. Vatabl.

20. (*k*) Multitudine rerum contritus.

22. (*l*) LXX. *A Borea*, veniunt nubes aurei fulgoris: tamets e Pannonia, & exteriore Germania aurum quoque educitur. *Ad Deum formidolosa laudatio*, plena timoris & reverentiæ esse debet.

CAPUT XXXVIII. 1. (*a*) De nube obscura, aut e procellosa caligine Jobum allocutus dixit *Quis est iste?* nempe Eliu, qui postremus verba fecit. Angelus vero Dei personam gerens loquebatur. Vocet illæ: *Quis est iste?* ad eum referri fuerit, qui non novimus. Nisi autem Dei est approbare. Cum Eliu elatiore animo diutius esset locutus, hanc ejus præsumptionem Deus his verbis condemnat: *Involvens sententias sermonibus imperitis*. Sententiæ autem in bonam partem accipi solent, ut Proverb. 26.

3. (*b*) Quæ sequuntur, ad Jobum referuntur, ex Gregor. *Hoc itaque despectis ad erudiendum Job verba vertuntur.*

5. (*c*) Amussim, similitudo ab Architectis, aut a fabris lignariis ducta.

7. (*d*) Sidera in primo suæ creationis tempore, quæ gloriam sui Conditoris prædicant.

10. (*e*) Littora.

13. (*f*) In istis versiculis de rerum humanarum regimine loquitur, metaphora utitur ab iis ducta, qui tapetes, aut vestimenta excutiunt: sic enim Deus sceleratos expellit instar pulveris.

14. (*g*) Homo divina imagine consignatus, luto aut pulvere excussis istius vestimenti integer manet, ut sigillum e luto restituti solet. Apud LXX. sensus est apertior: *An tu ex terra formasti hominem, & loquendi facultatem dedisti ei?* Restituetur, Hebr. *Mutatur sicut lutum sigilli*, *stabit sicut vestimentum*, quia non consumitur; vel *stabunt*, homines.

17. (*h*) Terræ abdita.

19. (*i*) Hæc describuntur stylo poetico: Ubinam lux habitat?

20. (*k*) Hebr. *Si duxis me in fines earum, ubi lux & tenebræ habitant. Et intelligas semitas domus ejus*; quæ ducit ad earum domicilium.

24. (*l*) In Caldaice: *Dividitur æstus super terram*, calor effunditur super terram.

29. De cujus utero egressa est glacies? & gelu de cælo quis genuit?

30. In similitudinem lapidis aquæ durantur, & superficies abyssi (*m*) constringitur.

31. Numquid conjungere valebis micantes stellas Plejadas (*n*), aut gyrum Arcturi poteris dissipare?

32. Numquid producis Luciferum (*o*) in tempore suo, & Vesperum super filios terræ consurgere facis?

33. Numquid nosti ordinem (*p*) cæli, & pones rationem ejus in terra?

34. Numquid elevabis in nebula (*q*) vocem tuam, & impetus aquarum operiet te?

35. Numquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi: Adsumus (*r*)?

36. Quis posuit in visceribus hominis sapientiam (*s*)? vel quis dedit gallo intelligentiam?

37. Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum (*t*) cæli quis dormire faciet?

38. Quando fundebatur pulvis in terra (*u*), & glebæ compingebantur:

39. Numquid capies leænæ (*x*) prædam, & animam catulorum ejus implebis,

40. Quando cubant in antris, & in specubus insidiantur?

* Ps 146.9. 41. * Quis præparat corvo escam suam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes, eo quod non habeant cibos?

CAPUT XXXIX.

Institutus de providentia & sapientia Dei sermo producitur. Jobus fatetur suam in ratiocinando imperitiam.

1. NUmquid nosti tempus partus ibicum (*a*) in petris, vel parturientes cervas observasti?

2. Dinumerasti menses conceptus earum, & scisti tempus partus earum?

3. Incurvantur ad fœtum, & pariunt, & rugitus emittunt.

4. Separantur filii earum, & pergunt ad pastum: egrediuntur, & non revertuntur ad eas.

5. Quis dimisit (*b*) onagrum liberum, & vincula ejus quis solvit?

6. Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula ejus in terra salsuginis.

7. Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit.

8. Circumspicit montes pascuæ suæ, & virentia quæque perquirit.

9. Numquid volet rhinoceros (*c*) servire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum?

10. Numquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo? aut confringet glebas vallium post te?

11. Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus, & derelinques ei labores tuos?

12. Numquid credes illi quod sementem reddat tibi, & aream tuam congreget?

13. Penna struthionis (*d*) similis est pennæ herodii, & accipitris,

14. Quando derelinquit ova sua in terra, tu forsitan in pulvere calefacies ea?

15. Obliviscitur (*e*) quod pes conculcet ea, aut bestia agri conterat.

16. Duratur ad filios suos quasi non sint sui, frustra laboravit nullo timore (*f*) cogente.

17. Privavit enim eam Deus sapientia (*g*), nec dedit illi intelligentiam.

18. Cum tempus fuerit, in altum alas erigit: deridet equum & ascensorem ejus.

19. Numquid præbebis (*h*) equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum?

20. Numquid suscitabis (*i*) eum quasi locustas? gloria narium ejus terror.

21. Terram ungula fodit, exultat audacter: in occursum pergit armatis.

22. Contemnit pavorem, nec cedit gladio.

23. Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus.

24. Fervens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem (*k*).

25. Ubi audierit buccinam, dicit: Vah, procul odoratur (*l*) bellum, exhortationem ducum, & ululatum exercitus.

26. Num-

30. (*m*) Maris, *constringitur*: Mare quibusdam in locis concrescit in glaciem.

31. (*n*) Ut eas conjunxi, quæ ita dictæ sunt a multitudine. *Arcturi*, Græci Orionem vertunt.

32. (*o*) Vox Hebraica Mazaroe, מזרות, *constellationem*, seu stellarum congeriem significat, forsan *canopum*: *Super filios terræ*. Hebr. *ejus*, cum minoribus stellis.

33. (*p*) Sept. Vicissitudines annuas, tempestates: *Et pones rationem ejus in terra*, describes nobis in terra totam cæli formam.

34. (*q*) An jussis tuis nubes obtemperabunt, ut magnam vim aquarum effundant.

35. (*r*) Quæ est catachresis: nam creaturæ sic Deo parent, ac si essent animatæ.

36. (*s*) Si quid sapiunt homines, id ex Deo habent. *Quis*, ut statis horis cantat, & solis ortum prænuntiat!

37. (*t*) Deus in fine mundi. Chald. *Utres cæli an cessare faciet?* Pluvias, ventos, tempestates sere.

38. (*u*) Dum duraretur terra exclusis aquis; alludit ad mundi originem.

39. (*x*) Deinceps agitur de animantibus. An tuum est suppeditare victum leoni & leunculis!

CAPUT XXXIX. 1. (*a*) Caprarum sylvestrium in petris, & in rupibus inaccessis, vel *parturientes cervas observasti*? in silvis, quæ teste Plinio pariunt cum summis doloribus. Quis earum curam gerit, aut fœtus alit, & tam cito ad pastum ducit!

5. (*b*) Quis ei hunc dedit instinctum, ut vivat liber ab hominum jugo! Frequentes sunt onagri in Arabia, ut testatur Xenophon Lib. 3. de Expedit. Cyri cap. 2.

9. (*c*) An illum domare poteris, ut tibi serviat ad eosdem usus, ad quos boves destinantur?

13. (*d*) Alii aliter vocem Hebræam vertunt, magna est inter Interpretes varietas. Sic *Herodii* & *Accipitris* vox Hebr. una est, quam alii *Milvum*, alii Ciconiam interpretantur. Hujus loci ea fere est sententia: In hac agnosce providentiam meam in struthione, quæ cum fere avis non sit, alis tamen instar herodii, seu falconis instructa est, ut illius cursus in magna corporis mole sit incitatior. Hebr. Penna *struthionis expansa & exultans; nonne pennæ herodii & accipitris?* id est, ut exponit P. Vavassorius, struthio tam avis est, quam herodius & accipiter, ac propemodum tam perniciter incedit. Est enim ex genere animantium partim terrestrium, partim volucrum

15. (*e*) Non advertit se ova projicere conculcanda ferarum pedibus.

16. (*f*) Frustra ova peperit, quibus non cavet.

17. (*g*) Non autem illum Deus donavit intelligentia aut instinctu, quo aves ceteras.

19. (*h*) Hæc oculis subjecta homo consequi non potest: frustra is igitur alta Dei consilia penetrare nititur. De quo nunc agit, quoniam proxime ejus mentionem fecit, alioqui de eo non acturus; nam de fera tantum, non de cicuribus verba facit.

20. (*i*) An tu equum tam facile agitabis, ac locustam trepidam bestiolam? Pugnacem describit equum, qui faucibus magnos edit hinnitus, magnos naribus flatus, terram excavat ungula, fremit, effervescit, fodit terram, & quasi exsorbet, cum reprimitur a cursu: ita P. Vavassorius.

24 (*k*) Ex Hebr. Cum primum tuba insonat, vix satis sibi videtur audire præ impatientia.

25. (*l*) Plinius Lib. 7. cap 42. Iidem præsagiunt pugnam.

26. Numquid per sapientiam tuam plumescit accipiter (*m*), expandens alas suas ad Austrum?

27. Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum?

28. In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus.

29. Inde contemplatur escam, & de longe oculi ejus prospiciunt.

30. Pulli ejus lambent sanguinem: & ubicumque cadaver fuerit, statim adest.

31. Et adjecit Dominus, & locutus est ad Job:

32. Numquid qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit? utique qui arguit Deum, debet respondere ei.

33. Respondens (*n*) autem Job Domino, dixit:

34. Qui leviter locutus sum, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum.

35. Unum locutus sum, quod utinam non dixissem; & alterum, quibus ultra non addam.

CAPUT XL.

Idem est quod superioris capitis argumentum.

1. RESpondens autem Dominus Job de turbine, dixit:

2. Accinge (*a*) sicut vir lumbos tuos: interrogabo te: & indica mihi.

3. Numquid irritum facies judicium meum: & condemnabis me, ut tu justificeris?

4. Et si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas?

5. Circumda tibi decorem (*b*), & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus.

6. Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia.

7. Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo.

8. Absconde eos in pulvere simul, & facies eorum demerge in foveam:

9. Et ego confitebor quod salvare te possit dextera tua.

10. Ecce, Behemoth (*c*), quem fecit tecum, fœnum quasi bos comedet:

11. Fortitudo ejus in lumbis ejus, & virtus illius in umbilico ventris ejus.

12. Stringit caudam suam quasi (*d*) cedrum, nervi testiculorum ejus perplexi sunt.

13. Ossa ejus velut fistulæ æris, cartilago illius quasi laminæ ferreæ.

14. Ipse est principium (*e*) viarum Dei, qui fecit eum, applicabit gladium ejus.

15. Huic montes herbas ferunt: omnes bestiæ (*f*) agri ludent ibi.

16. Sub umbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus (*g*).

17. Protegunt umbræ umbram ejus, circumdabunt eum salices torrentis.

18. Ecce, absorbebit fluvium (*h*), & non mirabitur: & habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus.

19. In oculis (*i*) ejus quasi hamo capiet eum, & in sudibus perforabit nares ejus.

20. An extrahere poteris Leviathan (*k*) hamo, & fune ligabis linguam ejus?

21. Numquid pones circulum in naribus ejus, aut armilla perforabis maxillam ejus?

22. Numquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia?

23. Numquid feriet tecum pactum, & accipies eum servum sempiternum?

24. Numquid illudes ei quasi avi, aut ligabis eum ancillis tuis?

25. Concident eum amici, divident illum negotiatores?

26. Numquid implebis sagenas pelle ejus, & gurgustium (*l*) piscium capite illius?

27. Pone super eum manum tuam: memento belli (*m*), nec ultra addas loqui.

28. Ecce, spes ejus frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur.

CAPUT XLI.

Plenior Leviathan descriptio.

1. NOn quasi crudelis (*a*) suscitabo eum: quis enim resistere potest vultui meo?

2. Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? omnia quæ sub cælo sunt, mea sunt.

3. Non

26. (*m*) Quis docuit accipitrem expandere alas suas ad austrum, aut solum vertere impatientia frigoris, cum veteres plumæ decidunt, & novæ renascuntur?

33. (*n*) In duobus potissimum Job a Deo reprehensus videtur, quod voluerit quodammodo cum Deo contendere, & jus suum experiri: *Indica mihi, cur me ita judices, &c.* Deinde facta sua & actiones plus satis exaggerare visus est: quaedam ejus loquendi rationes arguit Deus, quia amicorum injustitia expresserat: unde venialiter tantummodo peccavit, si præ dolorum acerbitate quædam illi exciderint, quæ reprehensionem mereantur.

CAP. XL. 2 (*a*) Para te labori.

5. & 6. (*b*) Etiamsi in solio sederes, non in fimo, an superbos solo aspectu dejiceres?

10. (*c*) Vox quæ Hebr. est, *animal* significat: sed hoc loco ingens aliquod animal, cujusmodi est Elephas, designari creditur; *Quem feci tecum*, ut esset apud te, & tibi deserviret. Vel feci itidem ac te, uno & eodem die, qui naturali prudentia proxime accedit ad te.

12. (*d*) Non de cauda id videtur dictum, quæ est perparva pro mole corporis, nec magno usui, sed de proboscide interpretatur Vavassorius, in quam cadunt quæ in hoc versu habentur. *Nervus*, Hebr. *Nervus terroris ejus*; cauda, ut cedrus; nervi, ut funes; ossa, ut fistulæ æris; cartilago, ut laminæ ferreæ.

14. (*e*) Vox illa *principium*, in Scripturis sæpe id quod est præcipuum significat: Elephas in quadrupedum genere excellit. *Applicabit gladium ejus*, proboscidem, vel dentes, ne noceat. Spirituali sensu est diabolus, cujus gladius, seu potentia voluntati Dei subjicitur. Molem Elephantis & ubi quantitatem stylo poetico describit, item qua ratione capiatur, dum illi paratur fovea. Quæ omnia dæmoni recte aptari possunt.

15. (*f*) Tanta est Elephantis lenitas, ex Aristotele, Histor. Animal. Lib. 8. cap. 9.

16. (*g*) Plinius Lib. 8. cap. 10. Gaudent amnibus maxime.

18. (*h*) Est hyperbole, quod largo potu egeat.

19. (*i*) An quis palam, & sine insidiis capiet illum?

20. (*k*) An balæna, aut cete quodvis, ut minutiores pisces hamo capietur: nec concedi amicis potest, & distribui, ut thunni sale conditi. Quod si hæc de dæmone intelligantur, referri debent ad Leviathan.

26. (*l*) Nassa est piscatoria, in quam minores pisces facile intrant, non item majores.

27. (*m*) Ex Hebræo, *Belli ultra memineris*. Vi capere non potes, vide an dolo?

1. (*a*) Minimo negotio Leviathan possum in ordinem cogere, nec necesse est ut mea utar potentia. *Quis enim potest resistere vultui meo?* Sunt qui putent quoddam olim carmen fuisse, quo Leviathan tanquam aliquid exitiale contra inimicos advocaretur. Non ego, inquit, quasi crudelis & vindictæ cupidus Leviathan alicui infestum arcessam, cum meis viribus polleam, nec quisquam mihi possit resistere. Id facio ut mei timorem salutarem excitem in hominibus, quo ii fiant humiliores & vigilantiores. Sensus quoque mysticus Christo Domino aptatur, qui de Leviathan, seu de diabolo triumphavit, eumque expugnavit non omnipotentia sua, sed humilitate & infirmitate. CAP. XLI.

3. Non parcam (*b*) ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compositis.

4. Quis revelabit (*c*) faciem indumenti ejus? & in medium oris ejus quis intrabit?

5. Portas vultus ejus quis aperiet? per gyrum dentium ejus formido.

6. Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus.

7. Una uni conjungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas:

8. Una alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.

9. Sternutatio (*d*) ejus splendor ignis, & oculi ejus, ut palpebræ diluculi.

10. De ore ejus lampades procedunt, sicut tedæ ignis accensæ.

11. De naribus ejus procedit fumus (*e*), sicut ollæ succensæ atque ferventis.

12. Halitus ejus prunas ardere (*f*) facit, & flamma de ore ejus egreditur.

13. In collo ejus morabitur fortitudo, & faciem ejus præcedit egestas (*g*).

14. Membra (*h*) carnium ejus cohærentia sibi: mittet contra eum fulmina, & ad locum alium non ferentur.

15. Cor ejus indurabitur (*i*) tamquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.

16. Cum sublatus (*k*) fuerit, timebunt angeli, & territi purgabuntur.

17. Cum apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit (*l*) neque hasta, neque thorax:

18. Reputabit enim quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum, æs.

19. Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ.

20. Quasi stipulam æstimabit malleum (*m*), & deridebit vibrantem hastam.

21. Sub ipso erunt radii (*n*) solis, & sternet sibi aurum quasi lutum.

22. Fervescere (*o*) faciet quasi ollam profundum mare, & ponet quasi cum unguenta bulliunt.

23. Post eum lucebit (*p*) semita, æstimabit abyssum quasi senescentem.

24. Non est super terram potestas (*q*), quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.

25. Omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbiæ.

CAPUT XLII.

Brevis Jobi responsio.

1. RESpondens autem Job Domino, dixit:
2. Scio quia omnia potes (*a*), & nulla te latet cogitatio.

3. Quis est iste, qui celat (*b*) consilium absque scientia? Ideo insipienter locutus sum, & quæ ultra modum excederent scientiam meam.

4. Audi, & ego loquar: interrogabo te, & responde mihi.

5. Auditu (*c*) auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.

6. Idcirco ipse me (*d*) reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.

7. Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos (*e*) amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job.

8. Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite (*f*) ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam ut non vobis imputetur stultitia: neque enim locuti estis ad me recta, sicut servus meus Job.

9. Abierunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerunt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, & suscepit Dominus faciem Job.

10. Do-

3. (*b*) Si velim perdere: *Et verbis potentibus*, non minacibus uti, sed ad persuadendum aptis, cum tamen possim cogere potestate mea.

4. (*c*) Ex Hebr. Quis eruet balænam simplici capistro, ut habenas illi & frænum injiciat? *Faciem indumenti?* Indumentum hoc loco dicitur *pellis*, qua facies & caput obvolvitur, ut sequentia indicant. Quæ autem de pelle instar scuti squamis munitae subjicit, hæc crocodillo magis, quam balenæ conveniunt, uti & ea quæ sequuntur vers. 5. de ordinibus dentium qui sunt formidabiles, ut in Charcharia pisce. *Et in medium oris ejus quis intrabit?* Quis frænare audebit.

9. (*d*) Respiratio, quæ in modum sternutamenti magno strepitu aquam spargit, & aqua ipsa splendet instar ignis. *Oculi ejus ut palpebræ diluculi*: splendentes ut lux diluculo.

11. (*e*) Narrant piscatores, inquit Vavassorius, nulla re magis balænas e longinquo deprehendi, quam indicio fumi.

12. (*f*) Instar follium, quibus fabri ferrarii ignem excitant: ardores libidinis velut ille draco injicit.

13. (*g*) Pernicies eorum in quos incurrit. Quæ sane dæmoni melius aptantur quam ulli animali; fortitudo illius in superbia consistit.

14. (*h*) Sept. Interpr. *Carnes membrorum*. Sic caro compacta est, ut distrahi non possit. Membra ejus non movebuntur loco: hæc ad impios præcipua dæmonis membra referuntur. *Fulmina*, alii legunt flumina.

15. (*i*) Durum est instar incudis.

16. (*k*) In altum erectus: *Angeli*, Hebr. & Chald. *Elim* אלים, *fortes*, seu *fortissimi timebunt*, & *territi purgabuntur*: immo & naturæ præ timore purgabuntur. Greg. purgationem Angelorum mystico sensu sic interpretatur, ut diabolo e medio Angelorum ejecto, quodammodo purgati sint, ut purgatur triticum zizaniis detractis.

17. (*l*) Frangetur hasta.

20. (*m*) Alii *catapultam* vertunt, qua tela jaciuntur.

21 (*n*) Agitatis fluctibus Solis eripiet aspectum. *Sternent sibi aurum, quasi lutum*, merces copiosas. *Radii Solis*. Hebr. Sub ipso erunt testæ acutæ, seu squamarum apices. Alii vertunt. Apud ipsum erunt hastæ catapultæ vibratæ, ut testarum fragmina: Sic enim a dura cute resilient. *Et acutum ille deponet in lutum*; Ferrum in profundum maris cadet. Gregor. *Aurum*, hoc est, *viros sanctitatis claritate fulgentes*, *quasi lutum sibi vitiis conjungendo substernit*.

22. (*o*) Spumas excitabit. Plinius Lib. 9. cap. 6. Fluctus vero ad anhelitus, utrisque, quanti nulli turbines, volvunt.

23. (*p*) Post se albicantem relinquet semitam.

24. (*q*) Ex hoc versu & ultimo colligitur sub Leviathan nomine dæmonem intelligi, qui pater est superbiæ. Sic vers. 23. *Post eum lucebit semita*, seu candor spumæ; in dæmonem cadit, cujus semitæ veram lucem perverse imitantur.

2 (*a*) Quæ dixit Deus eo tendunt, ut homo se demittat, & potentiam Dei & sapientiam in rerum creatione & regimine agnoscat. CAPUT XLII.

3. (*b*) LXX. *Celat a te*: qui putat posse abscondere sua consilia, idque stulte & imperite. *Ideo insipienter locutus sum*, non ita moderate, ut æquum fuisset. Sic erunt verba agnoscentis culpam suam, quod de divina justitia & providentia minus circumspecte lo,ut visus fuerit. Quis adeo desipit, ut quicquam in hoc universo sine Dei consilio evenire putet?

5. (*c*) Ex auditione tantum noveram te, nunc te ipso docente mens perfectius te agnoscit.

6. (*d*) Revocat dictum quod obscurius locutus locum dederit amicis interpretandi malam in partem.

7. (*e*) Eliu non nominatur, quod unus e tribus amicis esset assecla.

8. (*f*) Qui sacerdotis & mediatoris fungetur munere.

10. Dominus quoque conversus (*g*) est ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia quæcumque fuerant Job, duplicia.

11. Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & universæ sorores suæ, & cuncti qui noverant eum prius, & comederunt cum eo panem in domo ejus: & moverunt super eum caput, & consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum: & dederunt ei unusquisque ovem (*h*) unam, & inaurem auream unam.

12. Dominus autem benedixit novissimis Job magis quam principio ejus. Et facta sunt ei quatuordecim millia ovium, & sex millia camelorum, & mille juga boum, & mille asinæ.

13. Et fuerunt ei septem filii, & tres filiæ.

14. Et vocavit nomen (*i*) unius Diem, & nomen secundæ Cassiam, & nomen tertiæ Cornustibii.


15. Non sunt autem inventæ mulieres speciosæ sicut filiæ Job in universa terra: deditque eis pater suus hæreditatem inter fratres earum.

16. Vixit autem Job post hæc, centum quadraginta annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum usque ad quartam generationem, & mortuus est senex & plenus dierum.

10. (*g*) Ex Hebr. Restituit, redire fecit captivitatem Job in pristinum statum, & duplo meliorem. Captivitas Job dicitur, quod addictus fuerit Domino: Et *addidit*, quod de possessionibus, non de liberis est intelligendum.

11. (*h*) Quidam nummum intelligunt ovis signo percussum.

14. (*i*) Ob pulcritudinem: Et *nomen secundæ Cassiam*, quasi odoratæ, & gratæ. *Et nomen tertiæ Cornustibii*, quasi tota stibio depicta. Vatablus notat Jobum ea indidisse filiabus suis vocabula ob memoriam utriusque suæ fortunæ, quod e miseriarum tenebris ope divina rediisset ad pristinæ felicitatis diem, a pedore ad fragrantiam, e sordibus ad nitorem.



LIBER PSALMORUM.

HIC Liber 150. Psalmis, seu sacris Hymnis comprehensus, Davidi tribuitur non quod omnes eum habeant Auctorem: nam ex ipsis titulis Psalmorum liquet complures quidem a Davide fuisse compositos, sed quosdam ex iis Asaphi, Idithuni, Hemani. Ethani, & aliorum nominibus esse inscriptos, atque ut videtur Hieronymo ab iisdem fuisse exaratos; idque ex lib. 2. Paralip cap. 29. videtur colligi: Præcepitque Ezechias & principes Levitis ut laudarent Dominum sermonibus David & Asaph Videntis, qui laudaverunt eum magna lætitia: *ubi Psalmi Asapho & Davidi ex æquo tribuuntur. Utrum eos Psalmos a se compositos David Asapho tradiderit ut caneret, quemadmodum videtur Ambrosio, an potius Asaph eos ipse composuerit, ut existimat Hieronymus, quæstio est non permagni momenti, cum omnes Spiritus sancti afflatu fuerint perscripti. Titulus Psalmi 76.* Pro Idithun Psalmus Asaph, *multum Hieronymi sententiæ favet, quemadmodum & inscriptiones Psalm. 38. & 61.* Pro Idithun Psalmus David, *probant hos Psalmos a David compositos & traditos fuisse Idithun ut caneret. Hinc Hieronymus in epistola ad Cyprianum sic ait:* Sciamus errare eos, qui omnes Psalmos David arbitrantur, & non eorum, quorum nominibus inscripti sunt; *idque ex rebus, quæ in Psalmis narrantur, quæque ætatem Auctorum indicant, satis liquet. Sic Psalm. 136.* Super flumina Babylonis, *uti & Psal. 125.* In convertendo, *soluta captivitate; Psalmi vero 64. 70. 111. 145. post Davidis tempora sunt conscripti.*

Liber tamen Psalmorum, Davidis nomine merito inscribitur, quod præcipuam hujus Libri partem ipse condiderit, & eos in primis Psalmos. quos tituli ipsi Davidi adscribunt in Codicibus Hebraicis, Græcis, & Latinis, & alios complures, quorum tituli exciderunt, sed ex ipso contextu & rerum gestarum historia non alium habere Auctorem constat. Sic Psal. 109. a Christo Domino Davidi tribuitur Matth. 22. 44.

Ac de Auctore hujus Libri ex Illustriss. Huetio in Demonstratione Evangelica satis multa, qui etiam suspicatur hoc ordine Psalmos ab Esdra & a Synagoga magna esse digestos, quod in templo canerentur, prout nempe vel anniversariæ solemnitates, vel sacrorum ratio postulabat.

Quæ autem sit Psalmis subjecta materies, qui finis propositus, quæ utilitas, diximus alibi ex perdocta dissertatione Illustrissimi Meldensis Episcopi. quam suis in hunc Librum notis præfixit, ad quam lectorem mittimus. Id unum taceri non potest in Psalmis vel mores ad pietatem informari, vel rerum gestarum historiam in memoriam revocari, vel denique redemptionis nostræ mysteria prænuntiari, ut Christus ipse nos docuit: Quæ in lege, *inquit*, & Psalmis scripta sunt de me, *Luc. 24. 44.*

Ubique Propheta divinum amorem spirat, mansuetudinem, patientiam. injuriarum oblivionem exemplo suo docet. Quæ quidem sententiarum pondere. styli sublimitate, & grata figurarum varietate sic ornat, ut circumcisam brevitatem cum motibus concitatis conjunctam adhibeat, & lectorem languescere non sinat.

Id unum restat, ut perpauca subjiciamus de titulorum, qui plerisque Psalmis inscribuntur. auctoritate. Censent viri docti titulos, notas, aut lemata ab Esdra esse retenta, eaque ejusdem esse auctoritatis cum textu, ubi in Hebræo, aut in antiquis LXX. interpretum codicibus, & maxime in Hexaplis continentur. Hinc August in Psalm. 64. Agnoscenda, *inquit*, est vox sanctæ Prophetiæ ex ipso titulo Psalmi. *Hieron. in Præfat. Comment. in Psalmos, eos titulos claves appellat. Qui autem Psalmi a LXX. notantur, ut anepigraphi, hoc est, sine titulo. si qui sint iis præfixi. hos Chrysost. & Theodoretus ut dubios habent & incertos, ac videntur a quibusdam studiosis adjecti.*

PSAL.

PSALMUS PRIMUS.

Argumentum hujus Psalmi est de vera beatitudine, quæ haberi non potest aut inchoata in hac vita, aut perfecta in altera citra veram justitiam. Licet Psalmus sit sine titulo, Davidi tamen tribuitur, ut plures alii. Sic Psalm. 15. Act. 2. v. 25. citatur ut Davidis.

1. BEATUS vir qui non abiit (*a*) in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit:

* Jos. 1. 8. 2. * Sed in lege Domini voluntas (*b*) ejus, & in lege ejus meditabitur die, ac nocte.

* Jer. 17. 8. 3. * Et erit tamquam lignum (*c*), quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo:

Et folium ejus non defluet: & omnia quæcumque faciet prosperabuntur.

4. Non sic impii, non sic: sed tamquam pulvis (*d*), quem projicit ventus a facie terræ.

5. Ideo non resurgent impii in judicio (*e*): neque peccatores in concilio justorum.

6. Quoniam novit (*f*) Dominus viam justorum: & iter impiorum peribit.

PSALMUS II.

Prophetia est aperta de regno Christi.

Act. 4. 25. 1. QUare fremuerunt Gentes (*a*), & populi meditati sunt inania?

2. Astiterunt reges (*b*) terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

3. Dirumpamus (*c*) vincula eorum: & projiciamus a nobis jugum ipsorum.

4. Qui habitat in cælis irridebit eos: & Dominus subsannabit eos.

5. Tunc (*d*) loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.

6. Ego (*e*) autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.

7. * Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui (*f*) te. * Act. 13. 33. Heb. 1. 5. & 5. 5.

8. Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem (*g*) tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

9. * Reges (*h*) eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos. * Apoc. 2. 27. & 19. 15.

10. Et nunc reges intelligite: erudimini qui judicatis terram.

11. Servite (*i*) Domino in timore: & exultate ei cum tremore.

12. Apprehendite (*k*) disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.

13. Cum

PSALM. I. 1. (*a*) Tres peccatoris gradus distinguuntur. 1. impiorum audire consilia, 2. eorum vias progredi. 3. in peccandi consuetudine manere, & aliis corrumpendis operam dare. Theodoretus hic notat, 1. motum in malum. 2. statum. 3. habitum. *Peccatorum:* In Hebr. est *derisorum*, qui præ arrogantia pios irrident: in primo gradu cogitatione peccatur, in secundo actione: in tertio per obstinationem; cogitando impiorum consilia sequimur, prave agendo eorum viam seu vivendi rationem insistimus, obdurati in cathedra, seu in consessu pestilentiæ, ut doctores sedemus. Non *sedit*; illud est gradationis genus, quod *anabasim* vocant, cum crescit per gradus oratio; *abiit*, *stetit*, *sedit*. Primus gradus est eorum qui incipiunt, secundus eorum qui perstant, tertius eorum qui in mala vita acquiescunt.

2. (*b*) Justum ante descripsit per negationem, hic vero per affirmationem: adeo ut ille sit justus & beatus, qui legi Dei addictus eam meditatur, de illa cogitat sæpissime, idque maxime cum peccandi occurrit occasio. Vox Hebræa propensum animi affectum significat.

3. (*c*) Ut arbor virens plantata: *Secus decursus aquarum*, in loco fertili. Viror ejus non marcescet; id pertinet ad lignum fructiferum. *Et omnia quæcumque faciet* homo justus, prospere succedent ad futuram gloriam: gemmæ arboris in fructus abeunt.

4. (*d*) Gluma, minutum palearum.

5. (*e*) Extremo, ad beatitudinem. Hebr. Non *stabunt* cum justis, *non subsistent*. Nam ille consistit in judicio, qui caussam obtinet: impii vero prodita non audebunt: vel impii non resurgent in judicio justorum, non resurgent ad vitam. In cœtu non habebunt locum inter justos.

6. (*f*) Probat, remunerat. Hebræi solent verborum significationes a dictis ad facta transferre: sic benedicere Dei est benefacere, scire idem ac probare, aut diligere. Perire faciet, in exitium eos ducet; omnia eorum studia in nihilum redigentur.

PSAL. II. 1. (*a*) Romani; *Et populi*, Judæi scilicet ex Act. 4. 25. Vox Hebræa Geim. גוים. in sacris litteris pro Ethnicis passim usurpatur. Hebr. *Quare tumultuantur gentes congregantur?*

2. (*b*) Herodes, Pilatus, Principes Sacerdotum in unum coierunt adversus Deum, qui Regem constituit Christum, eumque unxit.

3. (*c*) Ex persona impiorum, qui Christi jugum excutere conantur, quod iis durum videtur.

5. (*d*) Tunc, cum tempus id exiget: *Conturbabit eos*, perdet eos.

6. (*e*) Christus loquitur, sed in Hebr. *Deus*: ego constitui Regem meum, scilicet Christum.

7. (*f*) Quod ad æternam generationem & temporalem manifestationem, immo ad Christi resurrectionem id quoque pertinet, ex Paulo, Act. 13. tum enim quasi natus est ad vitam immortalem. Atque in eadem sententia possunt esse plures sensus etiam litterales. *Filius meus es tu*, unigenitus. *Ego hodie genui te*, non gratia, non adoptione, sed natura. Vix ullus in Psalmis locus afferri potest expressior, quo Christus Dominus vere & proprie Filius Dei asseratur, ut multis probat argumentis Illustr. D. Bossuet Episc. Meldensis in Supplem. ad Psalmos. Atque in hanc sententiam citat SS. PP. cum Græcos, tum Latinos: e Græcis S. Athan. oratione 3. contra Arianos, qui hanc vocem *Genui te*, post Paulum Apostol. ad Hebræos 1. ponderat, *Cui Angelorum dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Ubi de Angelis loquens vocem longe diversam usurpat. *Qui facit Angelos suos Spiritus*: nam Scriptura sacra generationis & creationis apertum ponit discrimen. Ex Latinis, August. in hunc Psalm. quem Latini Patres pene omnes sequuntur: *Hodie, inquit, quia præsentiam significat, atque in æternitate nec præteritum quicquam est, quasi esse desierit, nec futurum quasi nondum sit, sed præsens tantum, quia quod æternum est, semper est*. Unde Paulus Hebr. 1. cum id demonstrandum suscepisset, novissimis diebus Deum locutum esse, non per servos, sed per Filium verum & æternum, per quem fecit & sæcula, Christum multo præstantiorem Angelis esse ex hoc loco probat: *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu?*

8. (*g*) Nec aliter sensisse veteres Rabbinos probat Illustriss. Huetius, prop. 7. n. 14. ubi refert hæc verba R. Salomonis: *Doctores nostri ad Regem Messiam Psalmum hunc referebant: expedit tamen eum referre ad Davidem propter Minæos, sive hæreticos*, Christianos indicat.

9. (*h*) Hebr. *Conteres*: vox Græca ποιμανεῖς, regimen pastorale significat: sed in virga ferrea, seu inflexibili judicio obdurata gentium corda confringet. August. Lib. 1. de consensu Evang. cap. 4. *Reguntur enim boni per hanc disciplinam, mali vero comminuuntur*.

11. (*i*) August. in Psalm. 50. *In exultatione, ut gratias agamus, in tremore, ne cadamus*.

12. (*k*) Hieron. *Adorate pure*, alii ex Hebr. *Osculamini filium*, quam versionem approbat Hieronymus. Subjicite vos ei, quod manuum osculo Judæi significabant: Adorate me, & colite ut regem vestrum.

13. Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt (*l*) in eo.

PSALMUS III.

Hic Psalmus optime convenit Christo, qui omnium ordinum homines habuit adversarios, qui mortuus est in cruce, in sepulcro dormivit, & soporatus est. Vox David, *est in dativo casu, quasi Psalmus Davidi sit a Deo inspiratus, vel Psalmus quem scripsit Davidi.*

1. Psalmus David, cum fugeret a facie Absalom filii sui. (2. *Reg.* 15. 14.)

2. DOmine quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.

3. Multi dicunt animæ meæ: Non est salus (*a*) ipsi in Deo ejus.

4. Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

5. Voce mea ad Dominum clamavi: & exaudivit me de monte (*b*) sancto suo.

6. Ego dormivi, & soporatus sum; & exurrexi, quia Dominus suscepit me.

7. Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, salvum (*c*) me fac Deus meus.

8. Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: dentes peccatorum contrivisti (*d*).

9. Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua.

PSALMUS IV.

Titulus Vulgatæ & LXX. In finem, *qui passim occurrit. Ex Hebr.* Victori in Canticis, *Hebræi exponunt*, præcentori in carminibus. *Vox Hebræa* neginot, *genus instrumenti musici indicat; vel forte* usque in finem *sacrificii canebatur. In persona Ecclesiæ aut fidelis animæ loquitur David, & exemplo suo monet peccatores ut convertantur ad Dominum.*

1. In finem in carminibus.

Psalmus David.

2. CUm invocarem exaudivit me Deus justitiæ (*a*) meæ: in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei, & exaudi orationem meam.

3. Filii hominum usquequo (*b*) gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

4. Et scitote quoniam mirificavit (*c*) Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.

5. * Irascimini (*d*), & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. *Eph. 4. 26.

6. Sacrificate (*e*) sacrificium justitiæ, & sperate in Domino. Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?

7. Signatum (*f*) est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.

8. A fructu frumenti (*g*) vini, & olei sui, multiplicati sunt.

9. In pace in idipsum (*h*) dormiam, & requiescam;

10. Quoniam tu Domine singulariter in spe (*i*) constituisti me.

PSAL-

11. (*l*) Qui salutem suam a Christo expectant.

PSAL. III. 3. (*a*) Deus non eum adjuvabit. Hebr. textus addit vocem *Selah*, סלה, quam Hieron. interpretatur, *semper*; alii volunt esse notam silentii, vel majoris attentionis: vel, ut aliis placet, cantum interiorem postulat, modo in mœrore, modo in gaudio.

5. (*b*) De cælo sublimi, vel de monte Sion, in quo erat Propitiatorium.

7. (*c*) Perfice quod cœpisti. Si ad Christum referatur, de Christo in membris & Ecclesia est intelligendum.

8. (*d*) Sævitiam & robur inimicorum. *Domini est salus*, ipse est a quo petendum auxilium. *Et super populum tuum benedictio tua*; personæ verborum & nominum apud Hebræos & Hellenistas sæpe permutantur, atque ab una persona ad aliam subinde convertuntur.

PSAL. IV. 2. (*a*) Hebraismus. Auctor & testis justitiæ meæ; vel vindex justitiæ meæ adversus calumniatores; vel *cum invocarem*, *in tribulatione*, seu David ipse, seu Justus quivis; *dilatasti mihi*, LXX. legunt *dilatasti me*, lætitia affecisti etiam in angustiis, qua premebar. Cum Hebraice & Græce verbum tribuitur dativo, interpres Latinus sæpe eumdem retinet casum, qui in Hebræo legitur.

3. (*b*) Cur me contemnitis, & vana sequimini? Hieron. *Usquequo inclyti mei? Ut quid Absalonem sequimini?* Usquequo inclyti mei, aut proceres gloriam meam ad nihilum deducere conamini? Sed ea Davidis verba ad omnes homines qui in rebus fluxis & caducis spem suam ponunt, commode referuntur.

4. (*c*) Augustin. *Ut quid vultis beati esse de infimis? ... sola Veritas facit beatos, ex qua vera sunt omnia: ut quid tamquam prima, extrema sectamini?* vel ut quid diligitis opera iniquitatis & impia consilia?

5. (*d*) Omnibus modis admirandum præstitit, Davidem a se unctum evehendo ad regiam dignitatem; quæ verba de Christo ad gloriam suam exaltato recte intelligi possunt. Vel si irascimini, ne in opus erumpat ira vestra: simul & nos admonet, ut iræ motus per veram cordis compunctionem reprimantur. Alii ex Hebr. *Righezou*, רגזו vertunt *expavescite*, timete vobis a Deo, & pro *compungimini*, *Dimmou*, דמו, tacete, cessate, ne sitis amplius rebelles.

6. (*e*) Opera justitiæ quæ illi sunt accepta, vel sacrificia pro peccato. *Sperate in Domino*, nolite eos audire, qui dicunt nobis nullam superesse spem præ hostium multitudine. Vel ex Hebr. Quandonam potiemur bonis quæ speramus, pace & abundantia? Tu vero iis qui sperant in te, præstas omnia ad vitam præsidia; itaque tua fretus misericordia in pace requiescam. *Multi dicunt*, forte impiorum objectio est, ubinam sunt hæc bona quæ promittis? quibus respondet Propheta.

7. (*f*) Hebr. *Eleva super nos lumen vultus*; lumen vultus Dei favorem illius significat. Tuo nos favore prosequere, quæ sunt verba Davidis. Unde in Hebr. legitur deprecative, *eleva super nos*. *Dedisti lætitiam*, solidam hanc nobis consolationem adjecisti. Alii, si extuleris super nos lumen vultus tui Domine, id est, si nos benigne aspexeris, dabis lætitiam cordi nostro.

8. (*g*) Majorem scilicet dabis lætitiam, quam esse solet, ubi magnus est frumenti, vini, & olei proventus.

9. (*h*) Id est, simul, aut conjunctim cum illis requiescam & dormiam; ea spe dormiam secure vel in medio inimicorum, Hebr. *Quia tu solus*, confidenter habitare facies me: vel *in idipsum*, in te ipsum totus conversus in hac vera boni meditatione conquiescam.

10. (*i*) Hier. specialiter securum habitare me fecisti, cum sim solus, confidenter habitabo, post divinas promissiones tuas, hanc mihi dedisti fiduciam.

PSALMUS V.

Sensus litteralis esse potest pro Ecclesia Israelitica, quæ hæreditatem in terra promissionis est consecuta: adeo ut hic Psalmus sit gratiarum actio. In Hebræo genus quoddam instrumenti designatur, quod ex similitudine bombi quem edunt apes, nomen suum consequitur.

1. In finem pro ea, quæ hæreditatem consequitur, Psalmus David.

2. VErba mea auribus percipe (*a*) Domine, intellige clamorem meum.

3. Intende voci orationis meæ, rex meus & Deus meus.

4. Quoniam ad te orabo: Domine mane exaudies vocem meam.

5. Mane astabo tibi & videbo (*b*): quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

6. Neque habitabit juxta te malignus: neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

7. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.

8. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ (*c*),

Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

9. Domine deduc me in justitia (*d*) tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

10. Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.

* Infr. 13. 3. Rom. 3. 13. 11. * Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, judica illos Deus.

Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te Domine.

12. Et lætentur omnes, qui sperant in te: in æternum exultabunt: & habitabis in eis.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum,

13. Quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti (*e*) nos.

PSALMUS VI.

Vox Hebr. in titulo Pro octava, *ut multis placet, citharam octo chordarum designat, ut dictum est, qui sonus est intentissimus, datus præcentori, ut clarissima voce caneretur. Psalmus ad pœnitentiam, aut ægrotantibus proponitur.*

1. In finem in carminibus, Psalmus David, pro octava.

2. DOmine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira (*a*) tua corripias me.

3. Miserere mei Domine quoniam infirmus sum: sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa (*b*) mea.

4. Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine usquequo (*c*)?

5. Convertere (*d*) Domine, & eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.

6. Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno (*e*) autem quis confitebitur tibi?

7. Laboravi (*f*) in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

8. Turbatus est a furore (*g*) oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

9. * Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei. * Matth. 7. 23. & 25. 41.

10. Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

11. Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur (*h*) & erubescant valde velociter.

PSALMUS VII.

Psalmus quem cantavit Domino David pro verbis Chusi filii Jemini e Tribu Benjamin, Ducis Saul, cui mandaverat ut persequeretur David: pro verbis *seu factis Chusi, aut forte Semei, ut aliis videtur: sed hic Psalmus ad persecutionem Saulis potius referri debet.*

1. Psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini. (2. *Reg.* 16.)

2. DOmine Deus meus in te speravi: salvum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.

3. Ne-

PSAL. V. 2. (*a*) Deum orat ut impios coerceat. Tria obstant quominus audiamus, sonus, hebetatio, attentio. his respondent hæc tria, *percipe*, *intellige*, *intende*. Deum quasi m humano more compellat, ut fervorem orationis suæ exprimat. Oris & cordis clamorem tibi notum esse ostende.

5. (*b*) Te contemplaturus adstabo, aut expectabo, dum mihi sis auxilio, nam *od* di iniquitatem. Hebr. *Præparabo tibi*, i. e. audi orationem meam: vel adstare faciam, quod est sedentis precantis. Prima præparatio est a peccatis abhorrere, *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es*.

8. (*c*) Sperabo. Ellipsis verbi apud Hebræos usitata.

9. (*d*) In gratia tua vitam, seu vivendi rationem dirige, ne prævaleant inimici. Hieron. *Dirige ante faciem meam viam tuam*: cum via Domini nobis est recta, tunc & via nostra Deo quoque est recta. Ubi nullus hominum videt. *Quibus credendum non est exasperantibus aut laudantibus*, inquit Aug. in hunc locum. Dirige coram te viam meam, ne inimici habeant quod in me reprehendant.

13. (*e*) Hier. *Coronabis eum*, cinges eum gratia tua, & benevolentia tamquam scuto eum munies.

PSAL. VI. 2. (*a*) Augu. *Quid ergo iste orat qui non vult in ira Domini redargui, vel emendari? quid, nisi ut sanetur? ubi enim sanitas est, nec mors metuenda est, nec urentis aut secantis manus.* Atque tantum, ut corrigas, non ut perdas.

3. (*b*) Obstupuerunt, infirmata: vis morbi ipsa pervasit ossa.

4. (*c*) August. *Quis non intelligat significari animam luctantem cum morbis suis?*

5. (*d*) A quo aversus videris placare mihi.

6 (*e*) In sepulchro: loquitur David de laudibus Dei canendis in cœtu piorum; his enim mortui celebrare non possunt. Quod in morte extrinsecus apparet, cessatio a vitæ operibus, hoc loco exprimitur. Serva me ut possim te laudare inter vivos.

7. (*f*) Defatigatus sum gemendo: *Lavabo*, in gemitu meo, ut Psal. 118. *exitus aquarum deduxerunt oculi mei*. Hebr. *Natare faciam*, ubi major est hyperbole.

8 (*g*) Inimicorum, vel a mœrore & tristitia. Hebr. *Caligavit, contabuit, nitorem suum amisit*: oculus pro facie: *Inter inimicos meos*, Hebr. *Propter inimicos*.

11. (*h*) Orat pro inimicis, ut cito convertantur.

3. Nequando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

4. Domine Deus meus si feci (*a*) istud, si est iniquitas in manibus meis:

5. Si reddidi retribuentibus mihi mala (*b*), decidam merito ab inimicis meis inanis.

6. Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.

7. Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum (*c*).

Et exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandasti:

8. Et synagoga populorum circumdabit te:

Et propter hanc in altum regredere (*d*):

9. Dominus judicat populos.

Judica me Domine secundum justitiam meam, & secundum innocentiam meam super me (*e*).

10. Consumetur (*f*) nequitia peccatorum,
*1 Par. 28. 9. Jer. 11. 20. & 17. 10. & 20. 12. & diriges justum, * scrutans corda & renes Deus.

11. Justum adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos (*g*) corde.

12. Deus judex justus, fortis, & patiens: numquid irascitur per singulos dies (*h*)?

13. Nisi conversi (*i*) fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, & paravit illum.

14. Et in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus (*k*) effecit.

*Job 15. 35. Isa. 59. 4. 15. * Ecce parturiit (*l*) injustitiam: concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

16. Lacum aperuit, & effodit eum: & incidit in foveam, quam fecit.

17. Convertetur dolor ejus in caput ejus: & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

18. Confitebor Domino secundum justitiam ejus: & psallam nomini Domini altissimi.

PSALMUS VIII.

Hic forte peracta vindemia in Tabernaculorum festo canebatur; alii vertunt, Super citharam. Canticum est lætitiæ de Ecclesiæ ipsius constitutione.

1. In finem pro torcularibus, Psalmus David.

2. DOmine Dominus noster, quam admirabile est nomen (*a*) tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua super cælos.

3. Ex ore infantium (*b*) & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & ultorem.

4. Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum: lunam & stellas, quæ tu fundasti.

5. Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

6. * Minuisti eum paullo minus ab Angelis (*c*), gloria & honore coronasti eum: *Hebr. 2. 7.

7. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

8. * Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas: insuper & pecora campi; *Gen. 1. 28. 1. Cor. 15. 26.

9. Volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.

10. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

PSAL-

PSAL. VII. 4. (*a*) Quod suspicatur Saul, ut quæram ei malum: tota imprecatio ad mala temporalia spectat, non ad privationem gratiæ.

5. (*b*) Hier. *Si dimisi hostes meos vacuos, si spoliavi eos* rebus suis: hoc est hominis parcentis inimicis suis: *si reddidi malum pro malo, decidam merito*. Græce utique. Unde filius Ammon post longam patientiam ultus est Dei injuriam, non suam privatam. Ex Hebræo quidam vertunt: si malum iis reddidi qui mihi fecerunt, ab inimicis vinci & spoliari non recuso. August. *Ne reddat itaque retribuentibus mala, iram potius quam hominem vincit.*

7. (*c*) Alii vertunt, Adversus iram & furorem inimicorum meorum: iidem erant Dei & Davidis hostes: Potentiam tuam ostende ad opprimendos hostium meorum conatus.

8 (*d*) Cœtus populorum judicium tuum exspectantium circumdabit te, ut fit in publicis judiciis, propter hunc cœtum ascende iterum tribunal tuum. Hæc Davidis oratio, Christi Domini resurrectionem & triumphum exhibet: *exurge Domine in præcepto*, juxta decretum æternum, quo Filium pro salute hominum morti traditum suscitare statuisti.

9. (*e*) Secundum justitiam quæ est in me; quæ verba Christo conveniunt, Davidi vero propter caussæ suæ justitiam.

10. (*f*) Græce, *Perficiatur*, imperativo modo, *nequitia*, non peccatum, sed pœna peccati; vel secundum Vulgatam, *finietur*, *cessabit nequitia*, quod est consolationis. *Et diriges justum*, Hieron. *& confirmetur justus*, in bono eum stabilies. *Scrutans corda & renes*: Solet Scriptura per renes affectus interiores designare.

11. (*g*) Tum cor rectum est, cum in Deum totum convertitur, adeo ut in res creatas non detorqueatur.

12. (*h*) Hieron. *Comminans tota die*; diutissime comminari soles, ne tandem ferire cogaris. *Numquid irascitur?* non statim punit, sed invitat ad pœnitentiam: quo magis interminatur, eo majori misericordia id facit.

13. (*i*) Nisi conversus fuerit impius, acuit Deus gladium suum.

14. (*k*) Hieron. *Sagittas suas ad comburendum ignitas effecit*, vel totum sagittarum igne fabricatus est.

15. (*l*) Inversus verborum ordo: prius enim est concipere, tum parturire, & eniti, tandem parere. Hæc omnia iniquo conveniunt, ut cum dolore concipiat iniquitatem, & pariat dolorem; *ut pœna sibi sit omnis inordinatus animus*. Sic vertendum putat Grotius: Et parturit vanitatem, concepit enim molestiam, & parat inania, successu carebit omnis ille labor: parturire fraudem, vel injustiam, est totum esse in concinnanda injustia.

2. (*a*) Fama nominis tui, vel potentiæ tuæ: duplici nomine *Dominus meus*, & creationis, & redemptionis. PSALMUS VIII.

3. (*b*) Hunc versum Christus sibi accommodat. Matth. 21. 16. *Perfecisti laudem nominis tui*. Hebr. *Confirmasti robur*, aut *fundasti fortitudinem*. Ostendit linguæ infantiles manifeste loqui, quam liberalis sit Deus erga homines: nam statim ab utero egressis præsto est alimentum, & Deus sugendi industriam iis præstat; *Destruas inimicum & ultorem*, ut confundantur inimici tui, qui tuam providentiam negant: Hæc verba citantur a Christo juxta versionem LXX. & clarior est sensus, quam in textu Hebræo, qualem habemus.

6. & 8. (*c*) Paulus, Hebr. 2. id Christo perfecte convenire docet, qui tempore passionis, aut vitæ suæ mortalis, infra Angelos videtur constitutus, ut postea gloria & honore coronaretur post resurrectionem. Probabile est Davidem hunc cecinisse Psalmum, cum adhuc puer pasceret oves patris sui, idque de nocte. Unde Solis non meminit, sed lunæ & stellarum. Ita videtur & nonnullis: Sed tamen altiori intellectu Christus ipse est filius hominis, qui Dei nomen celebre efficit, & hominem visitare dignatus est.

PSALMUS IX.

Patres de Christi morte hunc Psalmum interpretantur. Quod ad sensum litteralem spectat, David agit Deo gratias, quod victoriam de hoste retulerit: quis ille fuerit, non liquet. Secundum spiritalem sensum, hostis ille humani generis est Diabolus, quem Christus debellavit: unde omnia Dei mirabilia, in redemptionis opere comprehensa, venerator.

1. In finem pro occultis filii, Psalmus David.

2. CONfitebor (*a*) tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

3. Lætabor & exultabo in te: psallam nomini tuo Altissime,

4. In convertendo (*b*) inimicum meum retrorsum: infirmabuntur, & peribunt a facie tua.

5. Quoniam (*c*) fecisti judicium meum & causam meam: sedisti super thronum qui judicas justitiam.

6. Increpasti Gentes, & periit impius: nomen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi.

7. Inimici (*d*) defecerunt frameæ in finem: & civitates eorum destruxisti.

Periit memoria eorum cum sonitu:

8. Et Dominus in æternum permanet.

Paravit (*e*) in judicio thronum suum:

9. Et ipse judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in justitia.

10. Et factus est Dominus refugium pauperi: adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.

11. Et sperent in te qui noverunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.

12. Psallite Domino, qui habitat in Sion: annuntiate inter Gentes studia (*f*) ejus.

13. Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamorem pauperum.

14. Miserere mei Domine: vide humilitatem (*g*) meam de inimicis meis.

15. Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

16. Exultabo in salutari tuo: infixæ sunt Gentes (*h*) in interitu, quem fecerunt.

In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.

17. Cognoscetur Dominus judicia faciens: in operibus (*i*) manuum suarum comprehensus est peccator.

18. Convertantur (*k*) peccatores in infernum, omnes Gentes quæ obliviscuntur Deum.

19. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.

20. Exurge Domine, non confortetur homo: judicentur Gentes in conspectu tuo.

21. Constitue Domine legislatorem (*l*) super eos, ut sciant Gentes quoniam homines sunt.

Psalmi hujus argumentum plane diversum est a superiori, in quo fit mentio victoriæ contra hostem reportatæ, & mores impii describuntur: In hoc Psalmo invocatur Dei auxilium.

PSALMUS X. secundum Hebræos.

1. UT quid Domine recessisti longe, despicis in opportunitatibus, in tribulatione (*a*)?

2. Dum superbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in consiliis quibus cogitant (*b*).

3. Quoniam laudatur (*c*) peccator in desideriis animæ suæ: & iniquus benedicitur.

4. Exacerbavit Dominum peccator, secundum multitudinem (*d*) iræ suæ non quæret.

5. Non est Deus in conspectu ejus: inquinatæ (*e*) sunt viæ illius in omni tempore.

Auferuntur judicia tua a facie ejus: omnium inimicorum suorum dominabitur.

6. Dixit enim in corde suo: Non movebor (*f*) a generatione in generationem sine malo.

7. * Cujus maledictione (*g*) os plenum est, * *Isai. 13. 9. Rom. 3. 14.*
& amaritudine, & dolo: sub lingua ejus labor & dolor.

8. Sedet

PSAL. IX. 2. (*a*) *Confessio* est gratiarum actio. *Narrabo*, ad eruditionem aliorum.

4. (*b*) Hieron. *Cum ceciderint inimici*; cum eversi tui nominis inimici infirmabuntur, & corruent.

5. (*c*) Celebrabo te: *Sedisti super thronum*, quoniam sedisti pro tribunali, ubi pro me pronuntiasti: adeo ut sit quædam verborum inversio. *Judicas justitiam*. Hebr. *Judex juste*, fecisti justitiam, mihi caussam adjudicasti. Allegorice: Acta est Ecclesiæ caussa contra illius oppressores.

7. (*d*) Gladius hostilis consumptus est, inimici hominis in genitivo casu (sic enim est in Græco) ceciderunt in gladio ad internecionem usque: idque tum evenit, cum fortis armatus a fortiore prostratus est: *In finem*, nulla remanente.

8. (*e*) Per Passionem suam paravit sibi sedem & tribunal ad judicandum.

12 (*f*) Voluntates ejus, gesta ejus insignia, opera, consilia.

14. (*g*) Afflictionem, in quam me inimici conjecerunt. Aut loquitur in persona Ecclesiæ, & auxilium petit a Deo.

16 (*h*) A nobis victæ: *In interitu*. Hebr. *In fovea quam mihi foderant*.

17. (*i*) In ipsis suis malis operibus pereunt iniqui.

18. (*k*) Prophetia est potius quam imprecatio: Ad pœnas post hanc vitam referunt Rabbini.

21. (*l*) Christum scilicet, ut lege nova accepta intelligant se malos homines esse: desinant superbire, ac demum propriam agnoscant infirmitatem.

Psalm. 10. sec. Hebr. 1 (*a*) Hieron. *In temporibus angustiæ*: Cum maxime opus est auxilio: utile est nobis Dei auxilium implorare, quo noverimus cur Deus a nobis recesserit.

2. (*b*) Hebr. *Capiantur in cogitationibus, quas cogitant*: sive ad impios divites, sive ad pauperes id referatur, ille se decipit qui felicitatem sibi debitam putat: ubi secum examinat, cur impii tam prospere agant, sed de solis divitibus addit.

3. (*c*) Hier. *Laudavit impius desiderium animæ suæ*. Impius laudem ad se refert, quasi bene egerit. Ea commemorat, quæ justi animum urunt. *Et iniquus benedicitur*. En cur pauper scandalum patiatur. August. *Adulantium linguæ alligant animas in peccatis: delectat enim facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur*.

4. (*d*) Hieron. *Secundum altitudinem furoris sui*, propter superbiam: *Non quæret*, Deum scilicet: progressum impietatis notat, 1. Sibi placet impius, 2. Deo contumeliam facit, 3. Nec eum requirit ultra, quo fit ut in omnem ruat impietatem. August. *Multum irascitur Dominus, dum non exquirit, dum quasi obliviscitur*. In Hebræo, *Præ fastu suo non requirit* Deum.

5. (*e*) Hieron. *Parturiunt viæ ejus*: iniqua laboribus plenæ. *Dominabitur*, Hieron. *Omnes inimicos suos despicit*.

6. (*f*) Inconcussæ erunt res meæ: immobilis ero per omnes generationes: *sine malo*, nec mihi mala supervenient.

7. (*g*) Os pro sermone, & *amaritudine sub lingua ejus*, contumeliis, verborum acerbitate, dolis. Nam *linguæ* nomine cor ipsum intelligitur: in cogitatione eorum est injuria.

8. Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem.

9. Oculi ejus in pauperem respiciunt: insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua.

Insidiatur ut rapiat pauperem: rapere pauperem dum attrahit eum.

10. In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se (*h*), & cadet cum dominatus fuerit pauperum.

11. Dixit enim in corde suo: Oblitus est Deus, avertit faciem suam ne videat in finem.

12. Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua: ne obliviscaris pauperum.

13. Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde suo: Non requiret.

14. Vides (*i*), quoniam tu laborem & dolorem consideras: ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adjutor.

15. Contere brachium peccatoris & maligni: quæretur (*k*) peccatum illius, & non invenietur.

16. Dominus regnabit in æternum, & in sæculum sæculi: peribitis (*l*) gentes de terra illius.

17. Desiderium (*m*) pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.

18. Judicare (*n*) pupillo & humili, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.

PSALMUS X.

Quod in tempore persecutionis spes omnis in Deo ponenda sit.

1. In finem, Psalmus David.

2. IN Domino confido (*a*): quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer?

3. Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde (*b*).

4. Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt (*c*): justus autem quid fecit?

5. * Dominus in templo (*d*) sancto suo, * *Habac.* 2. 20.
Dominus in cælo sedes ejus:

Oculi ejus in pauperem respiciunt: palpebræ ejus interrogant filios hominum.

6. Dominus interrogat justum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

7. Pluet super peccatores laqueos: ignis & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis (*e*) eorum.

8. Quoniam justus Dominus & justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.

PSALMUS XI.

Justus orat, ut salvus fiat inter tot vitæ pericula: in Deo, non in hominibus, ponendam esse fiduciam docet.

1. In finem pro octava, Psalmus David.

2. SAlvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates (*a*) a filiis hominum.

3. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum: labia dolosa, in corde & corde (*b*) locuti sunt.

4. Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam.

5. Qui dixerunt: Linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt (*c*), quis noster Dominus est?

6. Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.

Ponam in salutari (*d*): fiducialiter agam in eo.

7. * Eloquia Domini, eloquia casta (*e*): * *Prov.* 30. 5.
argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.

8. Tu Domine servabis nos: & custodies nos a generatione hac in æternum (*f*).

9. In circuitu impii ambulant (*g*): secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

PSAL-

10. (*h*) Instar leonis prædam invasuri incurvat sese; humilem se facit, ut facilius pauperem opprimat.

14. (*i*) Humana non curat, ait impius, *Ne videat in finem*, in perpetuum.

15. (*k*) Nihil te latet: injurias improborum cernis, & dolorem pauperum, ut eos pauperes in tutelam recipias: vel de impiis, ut de iis vindictam sumas.

16. (*l*) *Gentes* hic vocat Israelitas impios, qui nullum habituri sunt locum in terra Domini.

17. (*m*) Ubi primum desiderare incipiunt, antequam vota sua exponant. Deus intima cordia penetrans eum exaudit. Hebr. *Præparas cor eorum*; prævenis eos, ut petant quæ tibi grata sunt.

18. (*n*) Hebr. *Ut judices*: ut jus dicas pauperi, & illum vindices.

PSAL. X. 1. (*a*) Quid est quod mihi dicitis? Amicos qui fugam suadebant, compellat.

3. & 4. (*b*) Hier. *Leges dissipatæ sunt*.

(*c*) *Justus autem quid fecit?* Quid faciet justus, ubi nullæ sunt leges! Vel justus nihil tale fecit, in sua mansit innocentia.

5. (*d*) *In cælo*: Ubique tamen est, & humilia respicit. *Dominus in cælo sedes ejus*: Sedes Domini in cælo est: pleonasmus est relativi concurrentis cum suo antecedente. *Interrogant*; actiones hominum explorant; præ somno non clauduntur, sed intuentur omnium facinora.

7. & 8. (*e*) Sors eorum. E calice sortes ducebantur: hæc est sors illorum. *Justitias*: Dilexit justitiam, quæ punit iniquitatem.

PSAL. XI. 1. (*a*) Hieron. *Quoniam imminuti sunt fideles*; rari sunt homines veraces & sinceri. *A filiis hominum*. Inter homines nulla fides inter eos.

3. (*b*) Fallaci sunt & duplici corde: Ac Deus disperdet talia mendacia.

5. (*c*) Hieron. *Nobiscum sunt*; penes nos & nostra sunt: possumus quidvis persuadere Sauli in Davidis perniciem.

6. (*d*) Viram bonum ponam in tuto, ponam in salute. *Fiducialiter*, fortiter eum tuebor. Hebr. *Illaqueabit eum*, vir probus improbum inimicum: audacter & libere agam hac in re, ex Græco textu.

7. (*e*) Augustin. *Casta dicit sine corruptione simulationis. Multi enim prædicant veritatem non caste, quia vendunt illam pretio commodorum hujus sæculi*. *Probatum* Hieron. *Separatum a terra*; forsitan *terræ* vox posita pro *in terra*: in fornace nempe argillacea, juxta Genebrardum. Tacitæ objectioni respondet. Innoxios & inopes non semper ab impiorum oppressione eximi.

8. (*f*) Vel ab hoc tempore usque in æternum. Non solum a laqueis impiorum nos eximit, sed in æterna quiete nos constituit.

9. (*g*) Me undique obsident. August. *In temporalium rerum cupiditate, quæ septem dierum repetito circuitu, tanquam rota volvitur. Secundum altitudinem tuam*, occultissimo tuo judicio: *Multiplicasti filios hominum*, iniquos videlicet. *Impii in circuitu ambulant*, quærentes occasionem perdendi bonos. Sic quasi in circuitu erroris ambulantes, in viam veritatis non perveniunt: satis apte impii, Judæi & hæretici in circuitu ambulare dicuntur, ut vagi & instabiles, ex uno errore in alium labuntur; circa Ecclesiam hæretici oberrant, disputant de doctrina Christi & de Scriptura sacra, sic tamen ut non ingrediantur.

PSALMUS XII.

Oratio ad Deum tempore tentationis.

1. In finem, Psalmus David.

Usquequo (*a*) Domine oblivisceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me?

2. Quandiu ponam consilia (*b*) in anima mea, dolorem in corde meo per diem?

3. Usquequo exaltabitur inimicus meus super me?

4. Respice, & exaudi me Domine Deus meus.

Illumina oculos meos ne umquam obdormiam in morte (*c*):

5. Ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum.

Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero (*d*):

6. Ego autem in misericordia tua speravi.

Exultabit cor meum in salutari tuo (*e*) cantabo Domino qui bona tribuit mihi: & psallam nomini Domini altissimi.

PSALMUS XIII.

Deplorat naturæ humanæ corruptionem.

1. In finem, Psalmus David.

Dixit insipiens in corde suo (*a*): Non est Deus.

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

2. Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

3. Omnes declinaverunt, simul inutiles (*b*) facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

Sepulcrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum.

Quorum os maledictione & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum.

4. Nonne cognoscent (*c*) omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis.

5. Dominum non invocaverunt (*d*), illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

6. Quoniam Dominus in generatione justa est, consilium inopis confudistis: quoniam Dominus spes ejus est.

7. Quis dabit (*e*) ex Sion salutare Israel? cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, & lætabitur Israel.

PSALMUS XIV.

Hic Psalmus viam ad salutem commonstrat.

1. Psalmus David.

Domine quis habitabit in tabernaculo (*a*) tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

2. Qui ingreditur sine macula (*b*), & operatur justitiam:

3. Qui loquitur veritatem (*c*) in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximos suos.

4. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat:

Qui jurat proximo suo, & non decipit,

5. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram (*d*), & munera super innocentem non accepit:

Qui facit hæc, non movebitur in æternum.

PSAL-

PSALM. XII. 1. (*a*) Quæ habent formam interrogationis, non sunt plerumque interrogationes, sed precationes. *Ne oblivisceris me in finem*, in perpetuum. Afflicti hominis oratio est, dum variis tentationibus agitatur. Vel quousque tandem videberis hominibus negligere res meas?

2. (*b*) Quamdiu variis agitabor curis? Quid sit de dubiis rerum agendarum apud me inibo consilia, quibus a tantis periculis eripiar?

4. (*c*) Hebr. *In mortem*: Ne mortis æternæ somnus obrepat. Hier. in comment. *Ne animus calamitatibus obrutus succumbat*. Alium a Saule inimicum indicat, humani generis hostem: & lumen Spiritus sancti postulat, ne peccato consentiat. *Illumina*, expelle tenebras tribulationum, quæ me fere enecant, ne dormiam dormitionem mortis.

5. (*d*) Si impingam, si res minus prospere cadant, si nutavero, aut dejectus fuerim.

6. (*e*) August. *In Christo*, *in sapientia Dei*, exultabit propter opem tuam quæ mihi saluti erit.

PSALM. XIII. 1. (*a*) Qui negat Deum curare quicquam, in corde dixit, non ausus ore pronuntiare. Cor illius locutum est, ita corruptum: ut vellet rem ita esse. Augustin. *Ideo ergo dixit in corde suo: quia hoc nemo audet dicere, etiam si ausus fuerit cogitare*. Hic Psalmus ingentem hominum infidelis describit.

3. (*b*) Hebr. *Putruerant*. Perpauci sunt qui faciant bonum. Paucus est. Hæc distant in Hebræo usque ad illud vers. 4. *Nonne cognoscent?* Ea tamen habet Paulus Roman. 3. quem locum existimat Hier. ex variis Scripturæ locis Apostolum texuisse; ac forte ex ejus Epistola in hunc locum translata sunt. Non omnia hæc vitia in singulis inerant, sed aliud crimen in uno, aliud in altero erat. Illud probabilius videtur viro docto hos versus erasos esse a Judæis, quod ipsis viderentur injuriosi: nam in Oriente juxta & in Occidente ita lectus est hic Psalmus: magna quidem indicia hos versus in editione LXX. non defuisse. In Hexaplis quidem Origenis obelo notati sunt, quod abessent ab Hebræo textu qualis tum erat; Verumtamen in sententia Hieronymi acquiescendum nobis videtur. *Sepulcrum patens*, ex Psalm 5. vers. 10. *Venenum aspidum* ex Psalm 140. vers 4. *Quorum os*, *&c.* ex Psalm. 10. vers. 8. *Veloces pedes eorum*, ex Is. 59. 7. *Contritio & infelicitas*, ex Proverb. c. 15. *Non est timor*, ex Psalm 35 esse decerpta.

4. (*c*) Deum scilicet res humanas curare.

5. & 6. (*d*) Hæc causa est, cur tot mala admittant. *Justa est*, habitat inter justos.

7. (*e*) August. *Nisi ipse Dominus*, *nisi ipse Deus*, *cujus humilitatem contempsistis*. *Jacob*, Ecclesia scilicet Christum exaltabit.

PSALM. XIV. 1. (*a*) In cælesti illa domo, quam paras electis: his mox ipse respondet.

2. (*b*) Qui Deum non offendit, qui vivit vitam innoxiam.

3. (*c*) Nam vir bonus id lingua profert quod corde gerit, & lingua doli omnis expers esse debet. Mox de opere ipso agit. *Opprobrium non accepit*. August. *Id est*, *non libenter*, *aut temere credidit criminatori*.

5. (*d*) Qui ex alterius necessitate suum non quæsivit commodum: *Non movebitur*: Ad tempus commoveri is potest, sed non in æternum. August. *Id est*, *perveniet ad illa majora*, *in quibus est magna & inconcussa stabilitas*.

PSALMUS XV.

Columna inscriptio, cui has sententias inscribi voluit David. Videtur propheta septem primis versiculis de se ipso loqui, non de Christo, nisi forte pro eo tempore, quo fuit obnoxius passioni, & expectabat gloriam corporis sui: vel loquitur Christus, ut est Ecclesiæ caput.

1. Tituli inscriptio ipsi David.

CONserva me Domine, quoniam speravi in te.

2. Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

3. Sanctis, qui sunt in terra ejus (a) mirificavit omnes voluntates meas in eis.

4. Multiplicatæ sunt infirmitates eorum (b): postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.

5. Dominus pars hæreditatis meæ (c), & calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.

6. Funes ceciderunt (d) mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.

7. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum (e): insuper & usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

* Act. 2. 25. 8. * Providebam Dominum (f) in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

9. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe (g).

10. * Quoniam non derelinques animam meam in inferno (h): nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. * Act. 2. 31 & 13. 3[illegible]

11. Notas mihi fecisti vias vitæ (i), adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.

PSALMUS XVI.

Oratio est justi persecutionem patientis.

1. Oratio David.

EXaudi Domine justitiam meam (a): intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.

2. De vultu tuo judicium meum prodeat (b): oculi tui videant æquitates.

3. Probasti cor meum, & visitasti nocte: igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.

4. Ut non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

5. Perfice (c) gressus meos in semitis tuis: ut non moveantur vestigia mea.

6. Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

7. Mirifica (d) misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.

8. A resistentibus (e) dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.

Sub

PSALM. XV. 3. (a) Videtur nonnullis Hebraica transpositio verborum, quæ ita disponi possunt: *Mirificavit Dominus omnes voluntates meas, Gr. sas, in Sanctis, qui sunt in terra ejus*, Apostolis & eorum successoribus, quibus doctrinam miraculis firmitam infudit. Vel magis ad verbum: *Quoniam bonorum meorum non eges*, ac tibi nihil utilitatis afferre possunt, beneficus ero in Sanctos qui sunt in terra, ac mirabilem erga eos benevolentiam ostendam. Alii per Sanctos intelligunt sanctuarium, quod & sancta solet appellari; idque non abhorret a verisimili, si David in persona sua loquitur. August. *Sanctis qui in terra viventium spem suam posuerunt.*

4. (b) Hieron. *Idola eorum*, Gentilium, apud quos exulabat David. Si Christus ipse loquatur, hic est magnus benevolentiæ suæ in gentes effectus, quod multiplicatis peccatis & idolis ad Deum tandem acceleraverint. August. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, non ad perniciem, sed ut medicum desiderarent: Conventicula*, Hebr. *Libamina*. *De sanguinibus*: Cruenta; nam loco nominis adjectivi, Hebræi quandoque usurpant substantivum cum præpositione, *de*, *in*, *a*, ut Jo. 3. *De terra loquitur*, id est, terrena. Non offerens mihi sacrificia animalium, ac ne digna quidem erunt, ut nominentur in Ecclesia. Augustin. *Erunt enim conventicula eorum non carnalia, nec de sanguinibus pecorum propitiatus congregabo eos.*

5. (c) Quæ mihi contigit: *Meam*, Hebr. *Tu possessor fortis meæ*: tu sustentas sortem meam; efficies ut mihi salva maneat. Vel in persona Christi, tu es optatissima hæreditas mea: sed præterea restitues mihi secundariam hæreditatem, Ecclesiam scilicet a me redemptam.

6. (d) Ad hæreditatem dividendam, præclara mihi sors contigit, in locis amœnis & præclaris: agrorum mensores mihi assignarunt loca peramœna. Quod etiam intelligitur de Ecclesia, cujus Deus est hæreditas; optimam mihi terra sorte obtigit.

7. (e) Hieron. *Dedit mihi consilium*. Celebrabo Dominum, cujus voluntatem ipsam delegi pro hæreditate: *Renes*, Hieron. *Insuper & noctibus erudierunt renes mei*. cogitationes a Deo immissæ me erudierunt. *Renes* pro mente ipsa & ejus affectibus sumuntur.

8. (f) Hæc & sequentia in persona Christi dicta esse liquet ex Actor 2. Idque copiose demonstrat Illustris Meldensis Episcopus in supplemento ad Psalmos. Nam ut forte Propheta de se ipso hactenus in sensu litterali locutus fuerit, in his qui sequuntur versiculis, Christus de se & de sua resurrectione manifeste differit. *Providebam Dominum*, hunc ut ducem meum aspiciebam. *Quoniam a dextris est mihi*, in cruciatibus & in morte, *ne commovear*.

9. (g) Placide expectando resurrectionem brevi futuram. Hebr. *Et caro mea habitabit confidenter*, seu in fiducia & spe certa.

10. (h) Seu in eo loco, in quo piorum animæ tenebantur; vel more Hebraismo *animam* usurpat pro se ipso mortuo, quin & *corpus* interdum animæ nomine intelligitur. Sic Levit. 19. 28. *Super mortuo non incidetis carnem vestram*, Hebr. inanime. *In inferno*, in sepulcro, vel potius inferno inferiori, seu in sinu Abrahæ.

11. (i) Aperuisti mihi aditum ad vitam, ad quam rediturus sum æterna gloria in corpore fruiturus. August. *Notas fecisti per me humilitatis vias, ut ad vitam redirent homines, unde per superbiam ceciderant*. Hæc itaque est verborum series. Corpus requiescet in spe, nec relinqueris in sepulcro, corruptioni non erit obnoxium, sed reviviscet. Atque hæ voces hominem vivum & a mortis periculo exemptum, sed ante jacentem in sepulcro, subjiciunt mentis oculis. Unde Apostoli his verbis usi sunt, ut Judæis Christi resurrectionem persuaderent, quorum nulla vis fuisset ad probandum, si hunc tantum haberent intellectum: *Non incurrebo in foveam*, seu in sepulcrum: ostendes mihi viam, qua a morte liberer. Hinc Petrus & Paulus ostendunt verba hæc ad Davidem non pertinere, sed ad Christum secundum carnem. Davidi quidem id congruebat, ut Christi sibi promissi nomine loqueretur. Unus inter veteres Theodorus Mopsuestenus ausus est dicere, hunc locum ex eventu acceptum fuisse, cum ad alium sensum pertineat: quem in morem alia quoque vaticinia desormabat.

1. (a) Caussæ meæ. *Dolosis*; Oro te Domine, sed sincero corde & puro. PSALM. XVI.

2 & 3. (b) Sententiam fer de jure meo: *Nocte*: Scrutatus es in noctis silentio, igne tribulationum me examinasti.

5 & 6. (c) Hebr. *Sustenta gressus meos*: *Quoniam*; conjunctiones illæ, *quia*, *quoniam*, *quod*, caussam ipsam plerumque denotant, interdum eventum, ut in hoc loco. Nam, ut observat August. Lib. 11. de Civitate Dei, cap. 14. *Non ideo clamavit, quoniam exaudivit Deus; sed ideo exaudivit Deus, quia clamavit.*

7. (d) Omnibus innotescant. Alii vertunt, segrega, vel subtrahe misericordias.

8. (e) Ab iis qui insurgunt contra dexteram tuam: *Ut pupillam*: Ea cura, qua solent homines oculorum pupillas custodire.

Sub umbra alarum tuarum protege me,
9. A facie impiorum, qui me afflixerunt.
Inimici mei animam meam circumdederunt,
10. Adipem (f) suum concluserunt: os eo-
rum locutum est superbiam.
11. Projicientes me nunc circumdederunt
me: oculos (g) suos statuerunt declinare in
terram.
12. Susceperunt me sicut leo paratus ad præ-
dam: & sicut catulus leonis habitans in abditis.
13. Exurge Domine, præveni eum, & sup-
planta (h) eum: eripe animam meam ab im-
pio, frameam tuam
14. Ab inimicis manus tuæ.
Domine a paucis de terra divide eos in vi-
ta eorum: de (i) absconditis tuis adimpletus
est venter eorum.
Saturati sunt filiis: & dimiserunt reliquias
suas parvulis suis.
15. Ego autem in justitia (k) apparebo con-
spectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua.

PSALMUS XVII.

Exponit calamitates suas, & Deum sibi præ-bentem auxilium laudat: hic Psalmus 2. Regum, cap. 22. pene totus describitur.

1. In finem puero Domini David, qui locu-
tus est Domino verba cantici hujus, in die,
qua eripuit eum Dominus de manu omnium
inimicorum ejus, & de manu Saul, & di-
xit: (2. *Reg.* 22. 2.)

2. DIligam te Domine fortitudo mea:
3. Dominus firmamentum (a) meum,
& refugium meum, & liberator meus.
* Heb. 2. 13. * Deus meus adjutor meus, & sperabo in
eum.
Protector meus & cornu salutis meæ, & su-
sceptor meus.
4. Laudans invocabo Dominum: & ab ini-
micis meis salvus ero.
5. Circumdederunt me dolores (b) mortis:
& torrentes iniquitatis conturbaverunt me.
6. Dolores inferni circumdederunt me: præ-
occupaverunt me laquei mortis.
7. In tribulatione mea invocavi Dominum,
& ad Deum meum clamavi:
Et exaudivit de templo sancto suo vocem
meam: & clamor meus in conspectu ejus, in-
troivit in aures ejus.
8. Commota est, & contremuit terra (c):
fundamenta montium conturbata sunt, & com-
mota sunt, quoniam iratus est eis.
9. Ascendit fumus (d) in ira ejus: & ignis
a facie ejus exarsit: carbones succensi sunt
ab eo.
10. Inclinavit cælos (e), & descendit: &
caligo sub pedibus ejus.
11. Et ascendit super cherubim (f), & vo-
lavit: volavit super pennas ventorum.
12. Et posuit tenebras latibulum suum (g),
in circuitu ejus tabernaculum ejus: tenebrosa
aqua in nubibus aeris.
13. Præ fulgore in conspectu ejus nubes tran-
sierunt, grando, & carbones ignis.
14. Et intonuit de cælo Dominus, & Altis-
simus dedit vocem suam: grando & carbones
ignis.
15. Et misit sagittas suas, & dissipavit eos:
fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.
16. Et apparuerunt fontes aquarum, & re-
velata sunt fundamenta orbis terrarum:
Ab increpatione tua (h) Domine, ab inspi-
ratione spiritus iræ tuæ.
17. Misit de summo (i), & accepit me: &
assumpsit me de aquis multis.
18. Eripuit me de inimicis meis fortissimis,
& ab his qui oderunt me: quoniam confortati
sunt super me.
19. Prævenerunt (k) me in die afflictionis
meæ: & factus est Dominus protector meus.
20. Et eduxit me in latitudinem: salvum
me fecit, quoniam voluit me (l).
21. Et retribuet mihi Dominus secundum ju-
stitiam meam, & secundum puritatem manuum
mearum retribuet mihi:
22. Quia custodivi vias Domini, nec impie
gessi a Deo meo (m).
23. Quoniam omnia judicia ejus in conspe-
ctu meo: & justitias ejus non repuli a me.
24. Et ero immaculatus (n) cum eo: & ob-
servabo me ab iniquitate mea.

25. Et

10. (f) Hieron. *Adipe suo concluserunt, operti sunt*, in deliciis vixerunt; vel viscera sua clauserunt, ut solent qui in deliciis vivunt, & ob id loquuntur superbe.

11. (g) Ut laqueos mihi tenderent, vel ut sævirent in me. Hebr. *In gressu nostro nunc circumdant me*; quocumque pergimus, nos infestantur & circumdant, quærunt occasionem perdendi nos, nec cogitant de judicio Dei.

13. (h) Eripe potestatem nocendi iis, qui hac potestate male utuntur. Hieron. *A viris manus tuæ, quibus me exerces*. Quamquam hæc quoque de ipso dæmone intelligi possunt, qui est inimicus Dei. *Supplanta eum*, Hebr. *Incurva eum*.

14. (i) Qui spem omnem in hac vita ponunt. Prophetia est per modum imprecationis: Separa multitudinem impiorum a pusillo grege electorum tuorum. Ex Hebr. *Erue me manu tua*, per potentiam tuam, *ab iis quorum pars est in vita*, a viris quorum felicitas tota posita est in voluptatibus hujus Mundi: *De absconditis*, de bonis quæ terra velut thesauros profert. *Saturati sunt*. His quidem abundant, sed non diu; nam *dimiserunt reliquias suas parvulis*, nepotibus & posteris.

15. (k) Justi quidem alia spes est. *Satiabor*, non modo cum tecum ab exitio videbo eam, quæ gloriam tuam adversus hostes populi tui manifestam facit; sed multo magis cum apparuerit æterna gloria tua: non sic inimici Dei. Nec bonæ conscientiæ mercede frustrabor, familiarem tuum conspectum mihi promitto, quamvis in speciem videar ab eo procul ejectus.

3. (a) Hebr. *Petra mea*, rupes mea, cui totus innitor. Quæ sequuntur, totidem sunt affectuum argumenta. *Refugium meum*, arx mea; *cornu meum*, robur invictum. Lib. 2. Regum sunt crebræ metaphoræ, quas LXX. Interpretes propriis vocibus exprimunt. PSALM. XVII.

5. (b) Hebr. Laquei mortis. Insidiæ inimicorum.

8. (c) Poetica descriptio horrendæ tempestatis, & iræ divinæ.

9. (d) Densæ nubis, ex qua fulgura coruscant.

10. (e) Ut sub Deo se demittant: inclinatum videtur cælum, ubi nubes apparent propiores, & imbre graves: *Caligo*: Ponit fontes, etiamsi hanc non videant.

11. (f) Ita Dei prælo est. Deus quasi in curru vectus & circumdatus nubibus ita describitur, adeo ut nubes speciem tabernaculi præ se ferant.

12. (g) Efficiendo in nubibus tenebras, quasi ibi lateret: profunda quoque ejus judicia, & in exequendo celeritas adumbrantur.

16. (h) Ut in mari rubro. Ita enim jussisti quasi iratus.

17. (i) Summo e cælo Angelos suos misit, & eripuit me a gravissimis periculis.

19. (k) Prævenerant: in me nihil tale cogitantem irruerant.

20. (l) Dilexit, de angustiis in locum spatiosum eduxit me depulsa tristitia.

22. (m) Non improbe egi contra Deum meum.

24. (n) Integer fui & sincerus. Cavi ne quid mali admitterem.

25. Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam: & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus,

26. Cum sancto sanctus eris (o); & cum viro innocente innocens eris.

27. Et cum electo electus eris (p): & cum perverso perverteris.

28. Quoniam tu populum humilem salvum facies: & oculos superborum humiliabis.

29. Quoniam tu illuminas (q) lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.

30. Quoniam in te eripiar (r) a tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.

31. Deus meus impolluta via (s) ejus: eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.

32. Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?

33. Deus qui præcinxit me virtute: & posuit immaculatam viam meam (t).

* 2.Reg.22. 34. 34. * Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, & super excelsa statuens me.

* 2.Reg.22. 35. 35. * Qui docet manus meas ad prælium: & posuisti ut arcum æreum, brachia mea.

36. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: & dextera tua suscepit me:

Et disciplina tua correxit (u) me in finem: & disciplina tua ipsa me docebit.

37. Dilatasti gressus meos (x) subtus me: & non sunt infirmata vestigia mea.

38. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non convertar (y) donec deficiant.

39. Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos.

40. Et præcinxisti me virtute ad bellum: & supplantasti insurgentes in me subtus me.

41. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti.

42. Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum: nec exaudivit eos.

43. Et comminuam eos, ut pulverem ante faciem venti: ut lutum platearum delebo eos.

44. Eripies me de contradictionibus populi: constitues me in caput Gentium (z).

45. Populus, quem non cognovi, servivit mihi: in auditu auris obedivit mihi.

46. Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt a semitis suis.

47. Vivit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ.

48. Deus qui das vindictas mihi, & subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.

49. * Et ab insurgentibus in me exaltabis me: a viro iniquo eripies me. * 2.Reg.22. 49.

50. * Propterea confitebor tibi in nationibus Domine: & nomini tuo psalmum dicam, * 2.Reg.22. 50. Rom.15. 9.

51. Magnificans (aa) salutes regis ejus, & faciens misericordiam christo suo David, & semini ejus usque in sæculum.

PSALMUS XVIII.

Divinam legem commendat, quæ triplex est, Naturalis, Mosaica & Nova. Ex iis vera Dei cognitio ducitur. Ex triplici illa lege excellentiam Dei ostendit.

1. In finem, Psalmus David.

2. CÆli enarrant (a) gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

3. Dies diei eructat verbum (b), & nox nocti indicat scientiam.

4. Non sunt loquelæ (c), neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.

5. * In omnem terram exivit sonus eorum (d): * Rom. 10. 18.
& in fines orbis terræ verba eorum.

6. In sole posuit tabernaculum suum (e): * * Luc. 24. 45.
& ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo:

Exultavit ut gigas ad currendam viam,

7. A summo cælo egressio ejus:

Et occursus ejus usque ad summum ejus (f): nec est qui se abscondat a calore ejus.

8. Lex

26. (o) Hæc est prophetæ sententia, Deum bonum esse bonis & benignum: vox enim, *Sanctus*, apud Hebræos, quandoque & misericordem significat, ut perversis severum pœnarum exactorem se præstat. Sic Psalm. 72. *Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde*, non item iis qui pravo sunt corde: qui loquendi modus etiam profanis auctoribus est usitatus. Hinc Plautus: *Nam ut servi volunt herum esse, ita ille solet, bonus cum bonus est, malus cum malus*: ex contextu patet Prophetam mutatione personæ Deum ipsum compellare, & dicere Deum ita se cum hominibus gerere, ut ipsi cum Deo se gerunt: Severus est erga impios, & bonis favet. Ita Mortanæus.

27. (p) Cum candido candide agis: *Electus*. Hebræis sincerum & purum significat. *Perverso*. Cum iis qui sunt duplici corde sic te geris, ut doli & astutiæ in eorum capita recidant.

29. (q) Facis ut prospera omnia mihi contingant.

30. (r) Victorem me efficies in tentationibus: *Murum*; Superatis maximis difficultatibus. Hebr. *Quoniam in te contriui exercitum, perfregi aciem*: *Transgrediar murum*, ac eam expugnabo.

31. (s) Via Domini est impolluta. Nam Hebræi quandoque nominativum absolute ponunt, ut Matth. 12. *Omne verbum otiosum reddet rationem*. Via ponitur pro ratione agendi, qua Deus erga suos uti solet; numquam frustratur servos suos.

33. (t) Planam & æquabilem, tollit omnia impedimenta de via mea.

36. (u) Hebr. *Mansuetudo tua multiplicavit me*; auxit me, effecit ut multi me sequerentur: vel correptio tua, qua in me humiliasti, multis me auxit bonis.

37. (x) Effecisti ut mihi pateat iter expeditum.

38. (y) Non revertar, pedem non referam.

44. (z) Hæc quidem Davidi conveniunt, sed ad Christum Dominum in primis pertinent, uti & vers. 38. præcedens: *Eripies me de contradictione populi*, quæque sequuntur, *Populus quem non cognovi, servivit mihi*: reprobationem Judæorum & vocationem Gentium apprime designant.

51. (aa) Qui magnificas, *salutem Regis sui*: *In sæculum*: Hoc inchoatum est in Davide, perfectum in Christo, cujus regni non erit finis.

2. (a) Aspectu ipso, de Apostolis hæc interpretatur Augustin. PSALM. XVIII.

3. (b) Dierum & noctium vicissitudo in Dei cognitionem nos ducit: dies quasi loquatur, annuntiat diei insequenti: *Scientiam*, Potentiam Dei prædicat.

4. (c) Aut linguæ, aut nationes, ad quas hæc prædicatio non pervenerit. Quod Apostolis a sequenti aptatur, qui sunt spirituales Cæli, quique Evangelium toto orbe tum noto publicarunt.

5. (d) Hebr. *Delineatio eorum*. Melior est LXX. & vulgata lectio, quæ antecedentibus apte respondet: unde sic legit Apostolus Rom. 10. Alii sic vertunt, Iis, nempe cælis, non sunt loquelæ, & tamen vox eorum ubique percipitur: vel denique, non sunt populi, quantumvis differant linguis, quos non doceat cælorum fabrica.

6. (e) Hebr. *Soli posuit tabernaculum in eis*, scilicet in cælis: *Sponsus*, Decorus & splendidus. Hæc utique ad Christum optime referuntur. *Gigas*, Dei potentiam annuntiaturus, expeditus ad currendum per universum vitæ suæ spatium sine quiete. Augustin. *Natus est, crevit, docuit, passus est, resurrexit, ascendit, cucurrit, non hæsit in via*.

7. (f) Ad Orientem, unde egressus est: nec est qui calorem ejus non sentiat.

8. Lex Domini immaculata (*g*) convertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

9. Justitiæ Domini rectæ (*h*), lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

10. Timor (*i*) Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

11. Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel & favum.

12. Etenim servus tuus custodit ea (*k*), in custodiendis illis retributio multa.

13. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me:

14. Et ab alienis parce servo tuo.

Si mei (*l*) non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: & emundabor a delicto maximo.

15. Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adjutor meus (*m*), & redemptor meus.

PSALMUS XIX.

Hic Psalmus Rege ad bellum eunte & Sacrificium offerente videtur a populo decantatus. Christo proprie convenit; David ut typo Christi, aliis Regibus ex usu Ecclesiæ aptari solet, nam formulam precandi pro Rege continet.

1. In finem, Psalmus David.

2. EXaudiat te Dominus in die tribulationis (*a*): protegat te nomen Dei Jacob.

3. Mittat tibi auxilium de sancto (*b*): & de Sion tueatur te.

4. Memor sit omnis sacrificii tui: & holocaustum tuum pingue fiat.

5. Tribuat tibi secundum cor tuum: & omne consilium tuum confirmet.

6. Lætabimur in salutari tuo (*c*): & in nomine Dei nostri magnificabimur.

7. Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus CHRISTUM suum.

Exaudiet illum de cælo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ ejus (*d*).

8. Hi in curribus, & hi in equis (*e*): nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

9. Ipsi obligati sunt (*f*), & ceciderunt: nos autem surreximus & erecti sumus.

10. Domine (*g*) salvum fac regem: & exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

PSALMUS XX.

Regi parta victoria redeunti ut epinicium canitur, ac Christo ut triumphatori merito aptari solet.

1. In finem, Psalmus David.

2. DOmine in virtute tua (*a*) lætabitur rex: & super salutare tuum exultabit vehementer.

3. Desiderium cordis ejus tribuisti ei: & voluntate (*b*) labiorum ejus non fraudasti eum.

4. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

5. Vitam petiit a te: & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi.

6. Magna est gloria ejus in salutari tuo (*c*): gloriam & magnum decorem impones super eum.

7. Quoniam dabis eum in benedictionem (*d*) in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

8. Quoniam rex sperat in Domino: & in misericordia Altissimi non commovebitur.

9. Inve-

8. (*g*) Jam de lege scripta dicere incipit, cujus dotes & proprietates commendat. Nam a sapientia Dei mundum gubernante, transit ad legem, quæ mores hominum componit, transitu in Psalmis usitato, ut in Psalm. 92. & 118. *Fidele*: Præceptum verax, constans sibi doctrina Dei fallere non potest. *Parvulis*, Augustin. *Non superbis*: *iis qui dociles se præbent*, & *simplices convertunt animas ab erroribus*.

9. (*h*) Præcepta quæ rectum iter ad vitam docent: *Lætificantes*, August. *Quam dulcia sint custodienda probat servus tuus non loquendo*: *Præceptum*, Doctrina quæ præcipit quomodo Deum timere oporteat.

10. (*i*) August. *Non servilis, sed castus, gratis amans, non puniri timens ab eo quem tremit, sed separari ab eo quem diligit.* Timor Dei castus, per quem legem Dei servamus, præmium habet æternum: *Justificata*, Non egent justificatione nostra, cum ex se justa sint: præ superbia tamen & ignorantia, veritatem & justitiam divinorum præceptorum non agnoscimus.

12 & 13. (*k*) Est quidem magna retributio servantibus legem, sed tum etiam prævaricatio eorum qui eam transgrediuntur importat; ac subinde contingunt delicta, tum occulta, tum aliena, a quibus mundari postulat. August. *Delicta, inquit, mea tentaverunt me, delicta aliena affligunt me, ab his munda me, ab illis parce*: *Ab alienis*, ab iis quæ seductione eorum, quibuscum vivimus, oriuntur.

14. (*l*) In genitivo casu: *Dominati*. Illud notat Theodoretus, in hoc Psalmo tres leges referuntur. Naturalem a v. 1. ad 8. Mosaicam, & Novam, ubi vitæ nostræ & peccatorum remissio memoratur: *Maximo*. August. *Dei* [illegible] *magnum arbitror esse superbiam*: *quæ ista quam magnum sit hoc delictum, quod dejecit Angelum*?

15. (*m*) August. *Adjutor in bonis*, *Redemptor a malis*. *Adjutor ut habitem in charitate tua*. *Redemptor ut liberer ab iniquitate mea*.

2. (*a*) Pugnæ, cum divino auxilio maxime opus est. Si ad Christum id referatur, in die passionis. Sic enim David Christum alloquitur tamquam accinctum ad certamen passionis pro salute generis humani. PSALM. XIX.

3. & 4. (*b*) De sanctuario suo, aut e cælo: *Sacrificii*, cruenti. & sanguinis sui pro reconciliatione generis humani: *Pingue*, August. *Et crucem, in qua totus oblatus es Deo, in lætitiam resurrectionis convertat*.

6. (*c*) Lætabimur populi in salute accepta. *Salus* etiam pro victoria sumitur, cum sit fructus victoriæ: *Magnificabimur*, Hebr. *Vexillum erigemus*.

7. (*d*) In fortitudine dexteræ ejus. Dei scilicet. Principum salus & fortitudo a Deo est, qui potentes salvat: vel in Principibus constituendis aut servandis necessaria est salus dexteræ ejus.

8. (*e*) Multitudo hominum & equorum nihil prodest, cum Deus non fert opem.

9. (*f*) Hebr. *Incurvati sunt*, prostrati succubuerunt. Id utique bello adversus Ammonitas suscepto, & feliciter transacto, ad verbum convenit, nam illi Syros cum numeroso exercitu vocaverant, qui debellati penitus fuerunt.

10. (*g*) Finem jungit cum principio.

2. (*a*) De fortitudine quam in illum contulisti: *Super*, ob salutem quam ei præstitisti; præpositio, *super*, interdum loco præpositionis, *propter*, usurpatur. Salutem vocat opem, quam Deus præstare solet, quia ille auctor est victoriæ. PSALM. XX.

3. (*b*) Hebr. *Et prolationem labiorum ejus non prohibuisti*, quæ precatus est.

6. (*c*) Te salvante. Chald. *In Redemptione tua*. Vel Christus ipse salus nostra designatur, cujus exaltationem & decorem describit in sequentibus versiculis.

7. (*d*) Effecisti ut per eum omnes benedictionem & bonorum omnium abundantiam accipiant.

9. Inveniatur (*e*) manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

10. Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui (*f*): Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.

11. Fructum eorum de terra perdes: & semen eorum (*g*) a filiis hominum.

12. Quoniam declinaverunt in te mala; cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

13. Quoniam pones eos dorsum: in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

14. Exaltare Domine (*h*) in virtute tua: cantabimus & psallemus virtutes tuas.

PSALMUS XXI.

Pro susceptione matutina, *ut Aug. legit. Theodoretus & alii Patres Græci*, pro festino auxilio, *quod Christus est consecutus ipso resurrectionis mane. Hebræi legunt*, de cerva matutina: *alii*, super stella matutina.

1. In finem pro susceptione matutina, Psalmus David.

Matth. 27. 46. Marc. 15. 34. 2. DEus Deus meus respice (*a*) in me: quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.

3. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi.

4. Tu autem in sancto habitas, Laus Israel (*b*).

5. In te speraverunt patres nostri: speraverunt, & liberasti eos.

6. Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt: in te speraverunt, & non sunt confusi.

7. Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.

*Matth. 27. 39. Marc. 15. 29. 8. * Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, & moverunt caput.

9. * Speravit in Domino, eripiat eum: salvum faciat eum, quoniam vult (*c*) eum. *Matth. 27. 43.

10. Quoniam (*d*) tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meæ.

11. In te projectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu,

12. Ne discesseris a me:

Quoniam (*e*) tribulatio proxima est: quoniam non est qui adjuvet.

13. Circumdederunt me vituli multi: tauri (*f*) pingues obsederunt me.

14. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.

15. Sicut aqua effusus (*g*) sum: & dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

16. Aruit tamquam testa virtus mea (*h*), & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in pulverem mortis deduxisti me.

17. Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me.

Foderunt (*i*) manus meas & pedes meos:

18. Dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt & inspexerunt me:

19. * Diviserunt (*k*) sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. *Matth. 27. 35. Joann. 19. 23. 24.

20. Tu autem Domine ne elongaveris (*l*) auxilium tuum a me: ad defensionem meam conspice.

21. Erue a framea Deus animam meam: & de manu canis unicam meam (*m*):

22. Salva me ex ore leonis, & a cornibus unicornium (*n*) humilitatem meam.

23. * Narrabo (*o*) nomen tuum fratribus meis: in medio ecclesiæ laudabo te. *Hebr. 2. 12.

24. Qui timetis Dominum laudate eum: universum semen Jacob glorificate eum.

25. Timeat eum omne semen Israel: quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis:

Nec

9. (*e*) Hebr. *Inveniet manus tua omnes inimicos tuos*: non erit ullus latebræ locus: *Dextra tua*. Chald. *Ultio dexteræ tuæ*.

10. (*f*) Chald. *Iræ tuæ*: nam faciem iræ in vultu se produnt. Propheta in medium [illegible], qui in diem ultimum [illegible] sæculi adversus regnum Dei insurgunt, sibi ponit ob oculos.

11. 12. & 13. (*g*) Posteros eorum perdes: *Mala*, multi fuere mala adversus Christum & Ecclesiam: *Dorsum*, in fugam convertes. Cassiodorus legit, *deorsum*, pro nihilo habebis: *In reliquiis*, [illegible] ex eis de [illegible], in eos præparabis iram tuam. Qui percussi [illegible], reliquiæ dicuntur, quod sint e majori numero residui. Hieron. *Funes tuos firmabis contra facies eorum*. Vox Hebræa pro utroque accipi potest. Sic funes sunt laquei, in quos [illegible].

14. (*h*) Augustin. *Quem humilem non cognoverunt, exaltare Domine in virtute tua, quam infirmitate [illegible] putaverunt*.

PSALM. XXI. 2. (*a*) Hæc verba desunt in Hebræo, & a Christo Domino fuerunt in cruce prætermissa. *Meorum*, nostrorum, quæ ipse portavit in cruce. Mundi delicta sua vocat, [illegible] quibus expiandis præceptum habuit moriendi. Al. [illegible], *Longe abest a salute mea, & a verbis [illegible] meorum*. Hieron. ex Hebr. ut tum legebatur *Verba rugitus mei*. *Quare dereliquisti me?* Non sunt hæc verba expostulantis, sed doloris magnitudinem declarantis.

4 (*b*) Videtur respicere ad duplicem Christi orationem, priorem in horto, posteriorem in cruce. *Et non ad insipientiam mihi*, supple, erit: sed ad sapientiam infinitam, ut salvetur mundus. Hebr. *Et non est silentium mihi*.

9. (*c*) Quoniam amat eum Deus, ut ipse ait.

10. (*d*) Hieron. *Propugnator meus ex utero*, qui illæsa matris virginitate ex illius utero me eduxisti: Deum alloquitur ut homo.

12. (*e*) Vox, *quoniam*, in Hebræo, ut in Græco, sæpe [illegible] causam denotat.

13. (*f*) Hebr. *Tauri Basan*, regio montuosa, & opimis pascuis nobilis.

15. (*g*) Hæc qui sequuntur versiculis, malorum, quæ in passione Christum invaserunt, moles exponuntur.

17. (*h*) Hæc sitis, de qua tantummodo questus est in cruce Dominus, Joann. 19. Hæc [illegible] maxime in tormentis, cum vires sunt exhaustæ effuso sanguine. Augustin. *Exaruit passione virtus mea, non sicut fœnum, sed sicut testa quæ igne firmior*: *Pulverem*, nam sepulcra in terra fodiuntur.

18. (*i*) Hieron. *Vinxerunt*. Hæc ita in Christo impleta sunt, ut nulli alteri conveniant. Aquila & veteres omnes legunt, *foderunt*. In Hebr. textu qualem nunc habemus, duplex est lectio, כרו Caru, foderunt, & כארי Caari, sicut leo, Judæi recentiores posteriorem lectionem elegerunt, ut tam illustre testimonium Christianis eriperent. Quin & perfecti [illegible] his sæculis in id magno studio incubuerunt, ut in librorum editionibus Caari, non Caru legeretur, ut testantur [illegible] & alii. Vox autem *leonis* nullum efficit sensum: neque enim hoc de leone [illegible] solet, quod mordeat manus, aut involvat, sed quod devoret, aut corpus dilaceret.

19 (*k*) Hoc save partiendi & sortiendi vestimenta discrimen neque in Davide, neque in ullo alio invenient Judæi: quamobrem ipsi [illegible] idem ex persona Christi locutum fuisse fateantur necesse est.

20. (*l*) Hebr. *Fortitudo mea, in auxilium meum festina*. [illegible] explicatis passionis circumstantiis, redit ad interpellandum Patrem pro festinata resurrectione sua.

21 (*m*) Vitam e canum [illegible] erue, cum unica sit & sola [illegible] multos [illegible].

22. (*n*) Ab efferatis inimicis: *Humilitatem*, infirmitatem meam.

23. (*o*) Fructum passionis commemorat, conversionem gentium.

Nec avertit faciem suam a me : & cum clamarem ad eum exaudivit me.

26. Apud te (p) laus mea in ecclesia magna : vota mea reddam in conspectu timentium eum.

27. Edent (q) pauperes, & saturabuntur : & laudabunt Dominum qui requirunt eum: vivent corda eorum in sæculum sæculi.

28. Reminiscentur (r) & convertentur ad Dominum universi fines terræ:

Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ Gentium.

29. Quoniam Domini est regnum : & ipse dominabitur Gentium.

30. Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ : in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

31. Et anima mea illi vivet (s) : & semen meum serviet ipsi.

32. Annuntiabitur Domino generatio ventura (t): & annuntiabunt cæli justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus.

PSALMUS XXII.

Gratiarum actio.

1. Psalmus David.

Isai.40, 11. Jer. 23. 4. Ezech. 34. 11. 23. 1. Petr. 2. 25. & 5. 4.

DOminus regit (a) me, & nihil mihi deerit:

2. In loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis (b) educavit me:

3. Animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.

4. Nam, & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala : quoniam tu mecum es.

Virga tua, & baculus tuus (c), ipsa me consolata sunt.

5. Parasti in conspectu meo mensam (d), adversus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum : & calix meus inebrians quam præclarus est!

6. Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ:

Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

PSALMUS XXIII.

De Resurrectione Christi, aut de ejus Ascensione, aut forte de die quo Mundus est creatus. Ad litteram fortassis hic Psalmus cantatus est, cum Arca Dei e domo Obededom in Montem Sion translata fuit. 2. Reg. 5.

1. Prima sabbati, Psalmus David.

DOmini est terra, & plenitudo (a) ejus : orbis terrarum, & universi qui habitant in eo. Ps. 49. 12. 1. Cor. 10. 26.

2. Quia ipse super maria fundavit eum : & super flumina præparavit eum.

3. Quis ascendet in montem (b) Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?

4. Innocens manibus (c) & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

5. Hic accipiet benedictionem a Domino, & misericordiam a Deo salutari suo.

6. Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.

7. Attollite (d) portas principes vestras, & elevamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.

8. Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio.

9. Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.

10. Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum (e) ipse est rex gloriæ.

PSALMUS XXIV.

Hic Psalmus ordine alphabetico, ut quidam alii, contexitur, eaque forsitan serie vulgaris carminis; aut in usum puerorum, qui scribere discebant, ita distingui solebant, ut conjicit Grotius. Est oratio quæ convenit homini in periculo constituto, & ab inimicis vexato. Ex Augustino Christus in persona Ecclesiæ loquitur.

1. In finem, Psalmus David.

AD te Domine levavi animam meam:

2. Deus meus in te confido, non erubescam:

3. Neque

26. (p) Coram te, Hebr. *A te laus mea profluet in Ecclesia magna*, ubique dist 11.

27. (q) Ex hoc sacrificio.

28. (r) Petræ ex quarum excisi, qui ante in oblivione Dei erant sepulti. *Adorabunt in conspectu ejus*, Hebr. *Ante ipsum inclinabunt se omnes descendentes in pulverem:* ejusdem gratiæ erunt participes: quidam videntur in cinerem redacti, quique in gratia obierunt.

31. (s) Hebr. *Anima ejus vivet* : eo quod vitam abjecerit, habebit potiorem per fidem e cruce ortam: vel *Illi vivet* vita divina, ad Dei gloriam in æternum vivet: *Semen meum*, de Ecclesiæ incremento illustre vaticinium hac conclusione continetur.

32. (t) Annuntiabitur generationi venturæ de Domino, sic Matth. 11, *Pauperes evangelizantur*, id est, *Evangelizatur pauperibus*, phrasi Græca: *Quem fecit*, Hebr *Quia fecit Dominus*; Quod exhibuerit justitiam illam promissam per Christum.

PSALM. XXII. 1. (a) Hebr. *Pascite me* : Verba sunt confidentis in Dei providentia: nullius rei indigebo, cum pastor meus sit.

2. (b) Aquam Baptismi qua reficiuntur, qui integritatem suam virescque amiserant.

4. (c) Persistit in allegoria Pastorali : in virga & baculo directio Dei in via, & castigatio aberrantium innuitur. Deus tuetur suos cum virga & correctione paterna, cum baculo quo sustentat assistentes.

5. (d) Magnis tentationibus magnas consolationes opponendo: vel ex Chrysostomo, mensam Corporis & Sanguinis Domini in Eucharistia: *Mensam*, Gr. Calicem : *Fors* adversus dæmones, libidines, tyrannos: *In oleo*, in tenui unguento, quo utebantur in conviviis. Chrysost. & Theodoretus, de oleo Chrismatis illud interpretantur.

PSALM. XXIII. 1. (a) Plantæ, pecudes, homines e Maria, juxta mare : nam interdum hæc propositio sumitur pro juxta, adeo ut terra & aqua unum constituant globum.

3. (b) In Sion cælestem & locum ubi Deus habitat.

4. (c) *Manus* pro operibus; qui sancta facit opera: In vano, qui non pejeravit: qui se ad vitam æternam natum esse considerans erca res vanas non occupatur. August. *Quis ergo illuc ascendet, & permanebit ibi? innocens in operibus, & mundus in cogitationibus.*

7. (d) Hieron. *Capita levate*: Alternis choris hæc videntur cantata; per prosopopœjam jubet patere portas; occurrunt Angeli novitate rei attoniti, qui inquirunt de ascendente, aut de introeunte in Cælum ante mortem ejus hominibus occlusum. Ad litteram videntur portæ illæ Sion fuisse pendulæ, & recidentes, quæ attolluntur in sublime : *Rex*, ipse est Christus.

10 (e) Hebr. *Sabbaoth*, seu exercituum: *Portæ æternales*, perpetuæ. Optat David templi Jerosolymitani extructionem.

3. Neque irrideant me inimici mei: etenim universi qui sustinent te, non confundentur.

4. Confundantur omnes iniqua agentes supervacue (a).

Vias tuas Domine demonstra mihi: & semitas tuas edoce me.

5. Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus salvator meus, & te sustinui tota die.

6. Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.

7. Delicta juventutis meæ, & ignorantias (b) meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.

8. Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via (c).

9. Diriget mansuetos in judicio: docebit mites vias suas.

10. Universæ viæ Domini, misericordia & veritas, requirentibus testamentum (d) ejus & testimonia ejus.

11. Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.

12. Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.

13. Anima ejus in bonis demorabitur: & semen ejus hæreditabit terram.

14. Firmamentum est Dominus timentibus eum: & testamentum ipsius ut manifestetur (e) illis.

15. Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

16. Respice in me, & miserere mei: quia unicus & pauper sum ego.

17. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.

18. Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte universa delicta mea.

19. Respice inimicos meos quoniam multi-
*Joan. 15. 25. plicati sunt, & * odio iniquo oderunt me.

20. Custodi animam meam, & erue me: non erubescam quoniam speravi in te.

21. Innocentes & recti adhæserunt mihi: quia sustinui te.

22. Libera Deus Israel, ex omnibus tribulationibus suis.

PSALMUS XXV.

Invocat Deum suæ innocentiæ testem.

1. In finem, Psalmus David.

JUdica (a) me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: & in Domino sperans non infirmabor.

2. Proba (b) me Domine, & tenta me: ure renes meos & cor meum.

3. Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: & complacui (c) in veritate tua.

4. Non sedi cum consilio vanitatis: (d) & cum iniqua gerentibus non introibo.

5. Odivi ecclesiam malignantium: & cum impiis non sedebo.

6. Lavabo inter innocentes (e) manus meas: & circumdabo altare tuum Domine:

7. Ut audiam (f) vocem laudis, & enarrem universa mirabilia tua.

8. Domine dilexi decorem (g) domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

9. Ne perdas (h) cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam:

10. In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

11. Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, & miserere mei.

12. Pes meus stetit in directo (i): in ecclesiis benedicam te Domine.

PSLALMUS XXVI.

Antequam ungeretur Rex Juda, aut forte cum e deserto ipse in Saulis castra penetravit. Deest titulus in Hebræo.

1. Psalmus David priusquam liniretur.

DOminus illuminatio (a) mea, & salus mea, quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?

2. Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas:

Qui

PSALM. XXIV. 4. (a) Nullo fructu. Hebr. *Prævaricantes frustra*, & sine caussa me persequentes.

7. (b) Hebr. *Prævaricationum mearum*: delicta vocat, quæ adolescens commisit; prævaricationes aut scelera, quæ jam grandior admisit.

8. (c) Hebr. *Peccatores viam quam approbat, docebit*; dirigit lege sua justos, & corrigit delinquentes, dirigit in judicio, efficit ut recte & ex ordine vitam instituant.

10. (d) Pactum, aut fœdus ejus, aut fœderis conditiones, ut Deus noster sit, & nos populus ejus: *Testimonia*, leges quæ Dei voluntatem nobis testantur.

14. (e) Deus quasi pactum init cum timentibus se, ut illos doceat arcana sua. Ordo inversus, ut notum eis faciat pactum.

PSALM. XXV. 1. (a) Tu enim solus judex es adversus Saulem regem, qui me persequitur.

2. (b) Ne quid tamen occultorum meorum me fugiat, proba me Domine. *Tenta*, notum me facito, non tibi quem nihil latet, sed mihi. *Ure*, purga interiora mea, ut in fornace aurum: Intimos affectus cordis mei proba; non ut ignorans explores æquitatem caussæ meæ, sed ut notam eam facias hominibus qui eam ignorant. Vel ure igne tribulationis, sic tamen ut faciam cum tentatione proventum. August. in secunda expositione. Cor pro cogitationibus, renes pro delectationibus posuit: ne aliquid mali cogitem, ne aliquid mali me delectet. Renum nomine Hebræi significant quidquid est in hominibus reconditum.

3. (c) Hebr. *Ambulavi in veritate tua*: quod probat v. 4. & 5.

4. (d) Vertunt nonnulli ex Hebræo: *Cum occultantibus veritatem Dei*, quam Deus exigit, cui opponit fallaciam & vanitatem.

6. (e) Hebr. *In innocentia*. Videtur alludere ad morem Judæorum, qui manus lavabant priusquam intrarent in atrium tabernaculi; immo lavabant manus cum se puros a scelere testabantur, Deuter. 21.

7. (f) August. *Id est, ex ipso bono meo non de me præsumam, sed de eo qui dedisti*. Hebr. *Ut audire faciam vocem confessionis*, ut palam te celebrem.

8. (g) Hebr. *Dilexi habitaculum domus tuæ*, ipsum sanctuarium & ejus sanctitatem David regno destinatus, idem exul, non regni splendore, sed domus Dei decore captus, hujus desiderio tenebatur. Augustin. *Decor domus Dei in bonis est*.

9. (h) Hebræo. Ne *congreges cum peccatoribus*: Ne perdas me cum improbis, cum de ipsis sumes supplicium.

12. (i) Hier. *In recto tramite*. *In Ecclesiis*; id videtur prophetice dictum, cum in omnibus Ecclesiis ejus Psalmi canantur: non tam æquitatem suam, quam Dei gratiam celebrat.

1. (a) Deus est qui efficis, ut omnia prospere mihi succedunt. PSALM. XXVI.

Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati (*b*) sunt & ceciderunt.

3. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo (*c*).

4. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ:

Ut videam voluptatem Domini, & visitem templum ejus.

5. Quoniam abscondit me in tabernaculo (*d*) suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

6. In petra (*e*) exaltavit me: & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: cantabo, & psalmum dicam Domino.

7. Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te: miserere mei, & exaudi me.

8. Tibi dixit cor (*f*) meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

9. Ne avertas faciem tuam a me: ne declines in ira (*g*) a servo tuo.

Adjutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.

10. Quoniam pater (*h*) meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.

11. Legem (*i*) pone mihi Domine in via tua: & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

12. Ne tradideris me in animas (*k*) tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.

13. Credo videre bona Domini (*l*) in terra viventium.

14. Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

PSALMUS XXVII.

Oratio Davidis adversus pericula; Christo salutem allegorico sensu convenit.

Psalmus ipsi David.

1. AD te Domine clamabo, Deus meus ne sileas a me (*a*): ne quando taceas a me, & assimilabor descendentibus in lacum.

2. Exaudi Domine vocem deprecationis meæ dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum sanctum (*b*) tuum.

3. Ne simul trahas (*c*) me cum peccatoribus: & cum operantibus iniquitatem ne perdas me:

Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

4. Da (*d*) illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundum opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.

5. Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum ejus destrues illos, & non ædificabis eos.

6. Benedictus Dominus: quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.

7. Dominus adjutor meus, & protector meus: in ipso speravit cor meum, & adjutus sum.

Et refloruit (*e*) caro mea: & ex voluntate mea confitebor ei.

8. Dominus fortitudo plebis suæ: & protector salvationum Christi sui est.

9. Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, & extolle illos usque in æternum.

PSALMUS XXVIII.

Theodoretus existimat hunc Psalmum exeunte festo Tabernaculorum, aut forte absoluto tabernaculo esse decantatum, quando arcam in eo collocavit: fieri etiam potest, ut occasione ingentis alicujus tempestatis hic Psalmus fuerit compositus: videtur sub tabernaculi typo Ecclesia designari.

Psalmus David.

1. In consummatione tabernaculi.

AFferte Domino filii (*a*) Dei: afferte Domino filios arietum.

2. Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.

3. Vox (*b*) Domini super aquas, Deus majestatis intonuit: Dominus super aquas multas.

4. Vox

2. (*b*) Hieron. *Impetum*, cum impressionem facerent in me, coram me petierunt.

3 & 4. (*c*) Felicem pugnæ exitum sperabo. *Unam*: Unum petii: Hebræi carent neutro genere, & illius loco solent femininum ponere. *Requiram*: Identidem adhuc petam, & indesinenter petam: non enim est momentanea voluntas, sed cum perfecto & puro amore conjuncta. *Ut videam voluptatem Domini*: Alii pulchritudinem, objectum scilicet voluptatis & gaudii, ut non sim vagus, & facrorum expers, sed in tabernaculo assiduus. Ac multo magis ad cælestem domum intendebat animum, quam ubique insinuat. *Unam petii*: Hæc postulatio perfecta est, vota implet omnia.

5 (*d*) Hieron. *In umbra sua*: Sic me tutatus est, ac si me in tabernaculi sui intima recepisset.

6 (*e*) Hebr. *In petram*, in locum editum, & inaccessum, in rupem præruptam. *Circuivi & immolavi*: quæ sunt in eodem versu, sunt conjungenda. Hier. *Circumibo et immolabo* *in tabernaculo ejus* ... *sacrificia*: Aut decrevi sibi hostias laudis. Aut fortasse hic est sensus. Post tam longum & molestum exilium spero fore ut in tabernaculo hostias Eucharisticas sibi tandem offeram.

8. (*f*) Vox cordis ... mea versavi in corde meo hæc verba quæ dixisti: *Exquisivit*. Hebr. *Quærite faciem meam*.

9 (*g*) Hebr. *In iram*: Ne abjicias in ira servum tuum.

10. (*h*) Iam ... obierant, aut recesserant parentes tam longo exilii tempore, aut certe orphani similitudine exprimit, quantum egeat divina ope.

11. (*i*) Legem interiorem & mentis directionem in custodiendis mandatis.

12. (*k*) Voluntati & desiderio hostium.

13 (*l*) Qui patitur ab iniquo, expectat vitam in terra viventium, in cælo, ubi mors amplius non regnat. Hebr. *Nisi credidissem me visurum bonitatem Dei*, supplendum putant, defecissem: despondissem animum inter tot calamitates, nisi credidissem.

1. (*a*) Mihi: Nam præpositio, *a*, interdum ponitur pro dativo. Alii vertunt, *Ne recedas a me*. Hieron. *Ne obsurdescas mihi*. *Assimilabor*: Ne assimiler, ne, si votis meis non responderis, peream. PSALM. XXVII.

2. (*b*) Hieron. *Ad oraculum*, ad arcam. Cum David fugeret Absalom, stetit in monte Oliveti, & conversus est ad Dei tabernaculum more Judæorum.

3. (*c*) Ne finas me tradi in exitium; ne trahas me ad mortem tempore vindictæ cum improbis.

4 (*d*) Hebr.: prophetice ultionem denuntiat.

7 (*e*) Id Christo resurgenti bene aptatur.

1. (*a*) Israeli e. Hebr. *Filii fortium*: Hos invitat, ut audita voce tonitrui ad Deum confugiant: sed allegorice jubentur fideles afferre filios arietum, qui in lege nova designant proprium Christi sacrificium. PSALM. XXVIII.

3. (*b*) Sic Hebræi vocant tonitru. Vel *super aquas*, cum in mundi creatione divisæ sunt aquæ, quæ super cælum sunt, ab iis quæ sub cælo.

4. Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.

5. Vox Domini confringentis cedros (*c*): & confringet Dominus cedros Libani.

6. Et comminuet eas tamquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius unicornium.

7. Vox Domini intercidentis (*d*) flammam ignis:

8. Vox Domini concutientis desertum: & commovebit Dominus desertum Cades.

9. Vox Domini præparantis cervos (*e*), & revelabit condensa: & in templo ejus omnes dicent gloriam.

10. Dominus diluvium (*f*) inhabitare facit: & sedebit Dominus rex in æternum.

11. Dominus virtutem populo suo dabit (*g*): Dominus benedicet populo suo in pace.

PSALMUS XXIX.

Ex Hilario & Chrysost. Psalmus *est sonus organi solius:* Canticum *vox canentis sine organo:* Psalmus cantici *cum utroque conjungitur.* In dedicatione domus David. 2. *Reg.* 5. & 1. *Paralip.* 14. *Pii homines domos suas constituebant, & commendabant tuitioni Dei. Sensus duplex, litteralis & propheticus de recuperata hominum salute.*

Psalmus Cantici.

1. In dedicatione domus David.

2. EXaltabo te Domine quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.

3. Domine Deus meus clamavi ad te, & sanasti me.

4. Domine eduxisti ab inferno animam meam: salvasti (*a*) me a descendentibus in lacum.

5. Psallite Domino sancti ejus: & confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

6. Quoniam ira (*b*) in indignatione ejus: & vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia.

7. Ego autem dixi in abundantia mea: Non movebor in æternum.

8. Domine in voluntate tua, præstitisti decori meo virtutem (*c*).

Avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus.

9. Ad te Domine clamabo: & ad Deum meum deprecabor.

10. Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?

11. Audivit Dominus, & misertus est mei: Dominus factus est adjutor meus.

12. Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum (*d*) meum, & circumdedisti me lætitia:

13. Ut cantet tibi gloria mea (*e*), & non compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.

PSALMUS XXX.

In Hebræo desunt hæc verba, Pro extasi: *videntur sumpta ex vers.* 28. *ubi LXX. hanc habent vocem. Sensus litteralis pertinet ad Davidem, cum fugeret Absalonem: allegorice ad Christum & Ecclesiam.*

1. In finem, Psalmus David, pro extasi.

2. IN te Domine speravi non confundar (*a*) in æternum: in justitia tua libera me.

3. Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem: & in domum refugii, ut salvum me facias.

4. Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

5. Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

6. * In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti (*b*) me Domine Deus veritatis. * Luc. 23. 46.

7. Odisti observantes vanitates, supervacue ( ).

Ego autem in Domino speravi:

8. Exultabo, & lætabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.

9. Nec

5. (*c*) Libani cedros. & terræ principes dejicit, vel & vitulos qui pascuntur in Libano. Syros Libano vicinos quidam interpretantur.

7. (*d*) Hebr. *Dividens*, seu dispersas flammas ejaculans.

9. (*e*) Vel cervas. Hieron. *Obstetricante cervas*: Nam tempore tonitrui cervas parere communis est opinio. Symmachus, *Cruciatu afficiet*, *cervas*, quod vox Hebræa *Cholel*. חלל modo parere, modo *laborare*, aut *dolere*, significet: perterrebit Montibus quasi cervas. *Condensa*, Hebr. *Detegit silvas*; arbores suo foliis nudabit. Quæ omnes confirmant terrore concussi. *In templo*: Omnia Dei gloriam & potentiam loquentur, ipsi quæ sequuntur verba.

10. (*f*) Hebr. *Dominus in diluvio sedit*; potentia ejus quoque in diluviis elucet. *Rex*: Ut supremus semper moderator presidebit.

11. (*g*) Sic in consolationem desinit Psalmus. Roboris nomine omnem vitæ humanæ statum complectitur.

PSALM. XXIX. 4. (*a*) Hieron. *Vivificasti me, ne descenderem in lacum*, in sepulcrum: eduxisti me ab inferno, aut e mortis faucibus.

6. (*b*) Hebr. *Ad momentum ira ejus*. Ira quidem brevis est, indignatio gravior & diuturnior. Juste ob peccata damnat, & ex voluntate sua misericorditer salvat. *Voluntate*. Momentanea est illius ira, amor vero per omnem vitam durat. *Ad vesperum demorabitur*, Pagninus pernoctabit: Ita ut vespere sit fletus, mane lætitia. Hanc vicissitudinem in reliquo pene Psalmo declarat, ut cum cœperint cessare justi a labore & tristitia, in matutino & resurrectione lætitiam inveniant.

8. (*c*) Pro beneplacito tuo præstitisti felicitati meæ virtutem, robur & firmitatem: quæ omnia Davidi, justis, immo & Christo, si tempus Passionis & Resurrectionis spectetur, aptari possunt.

12. (*d*) Vestem lugubrem solvisti, exuisti me sacco, a squalore & mœroribus ad lætitiam tum revocasti.

13. (*e*) Lingua sæpe *gloriæ* nomine in Psalmis usurpatur: lingua mea tuas laudes personet, ne cesset umquam. *Compungar*, Non doleam: Hebr. *Et non tacebit*.

PSALM. XXX. 2. (*a*) Augustin. *Videtis quia pavet & sperat*: *& tamen Christus loquitur, quia in membris Christi Christus*: Non *confundar*, opprimi, inde, confundi me ne patiaris in æternum. Augustin. *Illam*, inquit, *confusionem perhorresco, quæ est in æternum*. *Nam est quædam confusio temporalis utilis, perturbatio animi respicientis peccata sua*. *In justitia tua*: Ob justitiam tuam, pro tua bonitate & benignitate.

6. (*b*) Redimes. Vox illa ad populum Christianum transferri potest: Hæc verba Christus in cruce protulit.

7. (*c*) Odisti idola, odisti vanas & superstitiosas observationes, res vanas & fallaces: Hebr. *Odi observantes vanitates frustra*, vanitates mendaces.

9. Nec conclusisti me in manibus inimici : statuisti in loco spatioso pedes meos.

10. Miserere mei Domine quoniam tribulor: conturbatus est in ira (*d*) oculus meus, anima mea, & venter meus:

11. Quoniam defecit in dolore vita mea : & anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea : & ossa mea conturbata sunt.

12. Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis valde : & timor notis meis.

Qui videbant me, foras fugeruot a me:

13. Oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde (*e*).

Factus sum tamquam vas perditum:

14. Quoniam audivi vituperationem multorum (*f*) commorantium in circuitu:

In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.

15. Ego autem in te speravi Domine: dixi : Deus meus es tu:

16. In manibus tuis sortes (*g*) meæ.

Eripe me de manu inimicorum meorum, & a persequentibus me.

17. Illustra (*h*) faciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericordia tua:

18. Domine non confundar, quoniam invocavi te.

Erubescant impii, & deducantur in infernum:

19. Muta fiant labia dolosa,

Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia, & in abusione (*i*).

20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus (*k*) te!

Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.

21. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo (*l*) tuo a contradictione linguarum.

22. Benedictus Dominus : quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita (*m*).

23. Ego autem dixi in excessu (*n*) mentis meæ : Projectus sum a facie oculorum tuorum.

Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

24. Diligite Dominum omnes sancti ejus : quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.

25. Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.

PSALMUS XXXI.

Ubi hic titulus occurrit, altius quiddam insinuat. Scriptus est post commissum peccatum: ad pœnitentiam adhortatur.

Ipsi David intellectus.

1. Beati quorum remissæ sunt iniquitates : & quorum tecta (*a*) sunt peccata. Rom. 4. 7.

2. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus (*b*).

3. Quoniam tacui, inveteraverunt (*c*) ossa mea, dum clamarem tota die.

4. Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus (*d*) sum in ærumna mea, dum configitur spina.

5. Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi.

* Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti (*e*) impietatem peccati mei. * Isai. 65. 24.

6. Pro hac (*f*) orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

7. Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me : exultatio mea erue me a circumdantibus me.

8. Intellectum (*g*) tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris : firmabo super te oculos meos.

9. Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.

Io ca-

10. (*d*) Præ ira. Turbatur orans, dum iram Dei intuetur contra peccatum. August. Concil. 2. Non *ergo extinctus oculus meus præ ira, sed turbatus : nam si & extinguitur, jam odium est, non ira. Venter*, Interiora mea : Sic utique intelligendum, hoc est, turbata sunt interiora mea. Hebr. *Computruit præ ira oculus meus, contabuit in angore & curis.*

13. (*e*) Animum despondi, nec est qui memor sit mei, tamquam si mortuus essem. Vel ita disponi possunt ea verba. Oblivioni datus sum, ex corde eorum sic delectus, ac si pridem mortuus essem. *Factus sum*, Habitus sum ab hominibus ut vas confractum.

14. (*f*) Nam qui miseri sunt, ut imprudentes, aut improbi haberi solent. Varios miseriæ suæ gradus describit. Primum infirmus fuit, tum ab inimicis probro habitus, vicinis etiam & amicis oblivioni traditus, rerum omnium inops, omnium judicio condemnatus, inde tamen Dei beneficio expeditus. *In circuitu*, Circa me.

16. (*g*) Hieron. *Tempora mea*, sive prospera, sive adversa. Ita legisse LXX. probabile est, & pro καιροὶ. scripsisse κλῆροι, sortes.

17. & 18. (*h*) Sis mihi propitius & favens. *Deducantur*, Pagninus ex Hebræo vertit, *Silebunt*.

19. (*i*) Hebr. *Loquuntur adversus justum dura cum superbia & contemptu.*

20. (*k*) Hebr. *Quam multum est bonum tuum, quod seposuisti timentibus te.* Tam velut thesaurum quemdam reponis apud te.

21. (*l*) In Sanctuario: August. *Contradicunt linguæ, diversæ hæreses, diversa schismata personant, tu curre ad tabernaculum, & Ecclesiam Catholicam tene, a regula veritatis noli discedere, & protegeris in tabernaculo a contradictione linguarum.*

22. (*m*) Quasi essem in civitate munita.

23. & 24. (*n*) Hieron. *In stupore meo*: Et quidem quæ sequuntur, sunt valde concitata : Vel in excessu, cum nimio timore perculsus dixi, *sum*; &c. *Ideo exaudisti*: Eos quidem terra..., qui fide te colunt. *Requiret*: Non negliget.

1. (*a*) Sed remissa. Sic charitas dicitur operire multitudinem peccatorum. PSALM. XXXI.

2. (*b*) Nec sibi, nec aliis imponit, qui sincero corde convertitur ad Deum. Huic Deus non imputavit peccatum, cum infudit justitiam: ut sol tenebras pellit, dum illuminat. Insigniter ille est beatus, qui nihil commisit, quod possit ipsi imputari in peccatum.

3. (*c*) Dum taceo peccatum meum, inveteraverunt ossa mea: Hieron. *Attrita sunt*, consumptæ sunt vires, donec tandem peccatum meum aperte confessus sum: *Et delictum meum cognitum tibi feci*; neque aliud profuit silentium meum, nisi ut augeret infirmitatem meam, quousque ad Deum clamarem.

4. (*d*) Hieron. *Versatus sum in miseria mea. Spina*, acutis doloribus vexatus sum, perinde ac si mihi infigeretur spina; aut spina illa est conscientiæ stimulus. Pagninus vertit, *succus meus*, seu humor meus exaruit.

5. (*e*) Re nondum expleta: humano more loquitur. Aug. *Vox mea in ore nondum erat, sed auris Dei jam in corde erat.*

6. (*f*) Femininum pro neutro. Hieron. *Pro hac orabit ad te omnis misericors, ut cum inundaverint aquæ multæ, ad illum non accedant.*

8. (*g*) Hic est Psalmus intelligentiæ. *Firmabo*, jam Deus loquitur. *Oculos providentiæ meæ.*

In camo & fræno (*h*) maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

10. Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

11. Lætamini in Domino & exultate justi, & gloriamini (*i*) omnes recti corde.

PSALMUS XXXII.

Hic Psalmus est sine titulo. Justos ad laudes Dei celebrandas adhortatur.

Psalmus David.

1. EXultate justi in Domino: (*a*) rectos decet collaudatio.

2. Confitemini Domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite illi.

3. Cantate ei canticum novum: bene psallite ei in vociferatione (*b*).

4. Quia rectum est verbum Domini, & omnia opera ejus in fide (*c*).

5. Diligit misericordiam (*d*) & judicium: misericordia Domini plena est terra.

6. Verbo (*e*) Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

7. Congregans sicut in utre aquas maris: ponens in thesauris abyssos (*f*).

8. Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Judith 16. 17. 9. * Quoniam ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.

10. Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum.

11. Consilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis ejus in generatione & generationem.

12. Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus: populus, quem elegit in hæreditatem sibi.

13. De cælo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum.

14. De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.

15. Qui finxit singillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.

16. Non salvatur rex per multam virtutem (*g*): & gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.

17. Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.

18. Ecce oculi Domini super metuentes eum: & in eis qui sperant super misericordia ejus:

19. Ut eruat a morte animas eorum: & alat eos in fame.

20. Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adjutor & protector noster est.

21. Quia in eo lætabitur cor nostrum: & in nomine sancto ejus speravimus.

22. Fiat misericordia tua Domine super nos quemadmodum speravimus in te.

PSALMUS XXXIII.

In vulgata legebatur olim Abimelech, *qui fuit sacerdos: sed Bellarminus existimat librariorum culpa id evenisse, ut unius litteræ mutatione Abimelech irreperet pro Achimelech. Videtur autem hoc nomen commune fuisse Regibus Palæstinis: nam proprium nomen fuit Achis in hoc Psalmo. David a tanto liberatus periculo gratias agit Deo. Est autem Psalmus alphabeticus.*

1. Davidi, cum immutavit vultum suum coram Achimelech, & dimisit eum, & abiit. (1. *Reg.* 21.)

2. BEnedicam Dominum in omni tempore (*a*): semper laus ejus in ore meo.

3. In Domino laudabitur anima mea (*b*): audiant mansueti, & lætentur.

4. Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen ejus in idipsum (*c*).

5. Exquisivi Dominum, & exaudivit me: & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

6. Accedite ad eum, & illuminamini (*d*): & facies vestræ non confundentur.

7. Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum: & de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

8. Immittet Angelus Domini in circuitu (*e*) timentium eum: & eripiet eos.

9. Gustate (*f*), & videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.

10. Timete Dominum omnes sancti ejus: quoniam non est inopia timentibus (*g*) eum.

11. * Di-

9 (*h*) Nam calamitatibus frænantur cupiditates. *Constringe*, adige ad te Domine eos, qui verbis tuis non moventur; alioqui ad te non adibunt.

11. (*i*) Hebr. *Et laudate omnes recti corde*: In quorum spiritu non est dolus.

PSALM. XXXII. 1. (*a*) August. *Non in vobis, nam etiam hoc tutum est, sed in Domino*. Item. *Ille placet Deo, cui placet Deus*. *Justis*: Justi tantummodo Deum vere laudant; quod enim distortum est, & pravum, cum ipso regula non convenit.

3. (*b*) Hieron. *In Jubilo*. Psallere est fides tangere; Jubilare est vocem organo comitem addere. August. *Quid est in jubilatione canere? Intelligere, verbis explicare non posse, quod canitur ore Deo. Jubilum sonus quidam est, significans cor parturire quod dicere non potest. Et quem decet ista jubilatio, nisi ineffabilem Deum?* Et conc. 1. *Quidquid Deus mandat & statuit, rectum est; quidquid opere ipso perficit, fidele est, ac verax.*

4. (*c*) Promissa sua implet fideliter. August. *Teneamus fidelissimum debitorem; quia tenemus misericordissimum promissorem.*

5. (*d*) Illum piis impartiendo: *Judicium*, impios puniendo, judicando quemque secundum opera sua. August. *Omnipotens est Deus, nec in misericordia amisit judicium, nec in judicio misericordiam.*

6 (*e*) Laudavit Deum ex ejus bonitate, nunc ex ejus potentia, quam demonstrat Mundus ab eo conditus. Sed & Sancta Trinitas mystice adumbratur, Pater Domini, Verbi nomine Filius, & Spiritus Sanctus, *virtus eorum*. Hier. *Ornatus exercitus*: Hebr. *Saba* צבא. Sic passim vocantur *Sidera*, interdum *Angeli*.

7. (*f*) Profunda maris, sic thesauri in locis profundis conduntur.

16. (*g*) Hieron. *In multitudine exercitus*. Fors est ut hic Psalmus sit compositus ex occasione discriminis, quod David adierat, cum adversus Philisthæos pugnantem, gigas interfecturus erat, nisi Abisai gigantem ipsum occupasset, eumque occidisset, 2. *Reg.* 21.

2. (*a*) Cum id faciendum est. Beati id expresse faciunt omni momento. PSALM. XXXIII.

3 (*b*) Hebraismus, Laudabit se & gloriabitur, sed in Domino.

4 & 5. (*c*) Pariter. Exaudivit. Augustin. *Qui ergo non exaudiuntur, non Dominum quærunt.*

6. (*d*) Hebr. *Oculos ad eum tollent, & illuminabuntur*, in futuro.

8. (*e*) Hieron. *Circumdat Angelus*, Hebr. *Castrametabitur*.

9. (*f*) August. *Aperte modo de ipso Sacramento vult dicere, quod ferebatur in manibus suis. Quomodo iste poterit nobis dare carnem suam ad manducandum? Si ignoras, gusta & vide quam suavis est Dominus.*

10 (*g*) August. *Pascebat te Dominus contemnentem se, & deseret te timentem se!*

* Luc. 1. 53. 11. * Divites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono (h).

12. Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos.

* 1. Pet. 3. 10. 13. * Quis est homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos?

14. Prohibe linguam tuam a malo: & labia tua ne loquantur dolum.

15. Diverte a malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam.

* Eccli. 15. 20. Hebr. 4. 13. 16. Oculi Domini * super justos: & aures ejus in preces eorum.

17. Vultus autem Domini super facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum.

18. Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos: & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

19. Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: & humiles (i) spiritu salvabit.

20. Multæ tribulationes justorum: & de omnibus his liberabit eos Dominus.

21. Custodit Dominus omnia ossa (k) eorum: unum ex his non conteretur:

22. Mors peccatorum pessima: & qui oderunt justum delinquent.

23. Redimet Dominus animas servorum suorum: & non delinquent omnes qui sperant in eo.

PSALMUS XXXIV.

Oratio est Davidis cum fugeret Saulem. Allegorice ad Christum & Ecclesiam refertur. Tropologice ad viros justos in persecutione.

1. Ipsi David.

JUdica (a) Domine nocentes me, expugna impugnantes me.

2. Apprehende arma & scutum: & exurge in adjutorium mihi.

3. Effunde frameam (b), & conclude adversus eos, qui persequuntur me: dic animæ meæ: Salus tua ego sum.

* Infr. 39. 15. 4. * Confundantur & revereantur, quærentes animam meam.

Avertantur retrorsum, & confundantur cogitantes mihi mala.

5. Fiant tamquam pulvis ante faciem venti: & Angelus Domini coarctans eos.

6. Fiat via illorum tenebræ (c) & lubricum: & Angelus Domini persequens eos.

7. Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: supervacue exprobraverunt animam meam.

8. Veniat illi laqueus, quem ignorat: & captio, quam abscondit, apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipsum.

9. Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur super salutari suo.

10. Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?

Eripiens inopem de manu fortiorum ejus: egenum & pauperem a diripientibus eum.

11. Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.

12. Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem (d) animæ meæ.

13. Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio.

Humiliabam in jejunio animam meam: & oratio mea in sinu meo convertetur.

14. Quasi proximum (e), & quasi fratrem nostrum, sic complacebam: quasi lugens & contristatus sic humiliabar.

15. Et adversum me lætati sunt, & convenerunt: congregata sunt super me flagella (f), & ignoravi.

16. Dissipati (g) sunt, nec compuncti, tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis.

17. Domine quando respicies? restitue animam meam a malignitate (h) eorum, a leonibus unicam meam.

18. Confitebor tibi in ecclesia magna, in populo gravi (i) laudabo te.

19. Non supergaudeant (k) mihi qui adversantur mihi inique: * qui oderunt me gratis, * Joann. 15. 25.
& annuunt oculis.

20. Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur (l): & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.

21. Et dilataverunt super me os suum: dixerunt: Euge (m), euge, viderunt oculi nostri.

22. Vidisti Domine, ne sileas: Domine ne discedas a me.

23. Exurge & intende judicio meo: Deus meus, & Dominus meus, in causam (n) meam.

24. Judi-

11 (h) Spirituali. Augustin. *Sed ubi sunt? Non videntur oculis, sed corde: non video ipsa bona, vides illi qui amat; justitiam non vides, & si non vides fidem, quare amas servum fidelem?*

19 (i) August. *Erigis te, & non illum tangis; humilias te, & ipse ad te descendit.*

21. & 22. (k) Per synecdochen, omnia membra, per ossa, firmitatem & constantiam justorum licet intelligere: custodit ossa quæ in resurrectione una conjunguntur. *Delinquent.* Hebr. Non vastabuntur; non deficient.

PSALM. XXXIV. 2. (a) Ultionem Deo permittit, ipse a vindicta purus.

3. (b) Hieron. *Evagina gladium. Conclude*, occupa et adverso me persequentem, interclude illi viam.

6. (c) August. *Tenebra est ignorantia, lubricum est luxuria. Hæc est futura prædicit.* Hieron *Sine caussis fuderunt animæ meæ interitum laquei sui, laqueum interitus.*

12. (d) Hebr. *Orbitatem.* Volunt me interficere. Convertebam in sinu, orationem meam apud me iterabam: futurum apud Hebræos pro omni tempore positus; hic autem pro imperfecto. Hieron. In *sinum meum revertetur*, aut prono in pectus capite orabam.

14. (e) Hieron. *Quasi ad amicum.* Quasi ad fratrem meum.

15. (f) Id Christo plane convenit: ex loco simili Job 30. 8 vertunt, *Viles. Conversi sunt adversus me homines viles.*

16. (g) In sententiis sunt discordes, nec testimonia eorum inter se conveniunt. Vel ex Hebr. *In linguis suis me laceravunt, & tristfurunt.*

17 (h) Hebr. *A calumniatoribus eripe animam meam*, a desolationibus eorum, vel a tumultibus.

18. (i) Denso multum, in populo numeroso.

19 (k) Non mihi tamquam victores insultent.

20. (l) Hieron. *Non enim pacem loquuntur, sed in rapina terræ verba fraudulenta concinnant.* Ita se gerunt ut rapaces & violenti. Vox Hebræa commotiones terræ, aut scissiones significat. Vulgata, *In iracundia terræ loquentes*, qui vehementer irascitur, quasi ab ira scinditur: unde in Hebræo, *Super scissuras terræ*, id est, homines calamitosos & fractos.

21. (m) Particula gratulantis, interdum exultantis de malo proximi. *Viderunt*, Optatam ultionem: est reticentia, qua oratio ita abrumpitur, ut pars ejus etiam præcipua reticeatur.

23. 24. 25. & 26. (n) Ut jus meum vindices. *Justitiam tuam:* Postulat caussam suam contra inimicos judicari a Deo. *Euge; euge*, pro voto successit. *Reverentia.* Qui *volunt*, qui favent justitiæ meæ.

24. Judica me ſecundum juſtitiam tuam Domine Deus meus, & non ſupergaudeant mihi.

25. Non dicant in cordibus ſuis: Euge, euge, animæ noſtræ: nec dicant: Devoravimus eum.

26. Erubeſcant & revereantur ſimul, qui gratulantur malis meis.

Induantur confuſione & reverentia, qui magna loquuntur ſuper me.

27. Exultent & lætentur qui volunt juſtitiam meam: & dicant ſemper: Magnificetur Dominus, qui volunt pacem ſervi ejus.

28. Et lingua mea meditabitur juſtitiam tuam, tota die laudem tuam.

PSALMUS XXXV.

Dei miſericordiam & multorum impietatem deſcribit.

1. In finem, ſervo Domini ipſi David.

2. Dixit injuſtus (*a*) ut delinquat in ſemetipſo: Non eſt timor Dei ante oculos ejus.

* Sup. 13. 3. 3. * Quoniam doloſe egit in conſpectu (*b*) ejus: ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.

4. Verba oris ejus iniquitas, & dolus: noluit intelligere ut bene ageret.

5. Iniquitatem meditatus eſt in cubili (*c*) ſuo: aſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odivit.

6. Domine in cælo miſericordia tua: & veritas tua uſque ad nubes (*d*).

7. Juſtitia tua ſicut montes Dei: judicia tua abyſſus multa.

Homines, & jumenta ſalvabis Domine:

8. Quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus.

Filii autem hominum, in tegmine alarum tuarum ſperabunt.

9. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

10. Quoniam apud te eſt fons (*e*) vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.

11. Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te, & juſtitiam tuam his, qui recto ſunt corde.

12. Non veniat mihi pes ſuperbiæ (*f*): & manus peccatoris non moveat me.

13. Ibi (*g*) ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare.

PSALMUS XXXVI.

Hortatur homines ad bene ſentiendum de Providentia divina, neve eos offendat impiorum proſperitas. Pſalmus eſt alphabeticus, quem Origenes vocat humanæ animæ medicinam.

1. Pſalmus ipſi David.

Noli æmulari in malignantibus (*a*) neque zelaveris facientes iniquitatem.

2. Quoniam tamquam fœnum velociter areſcent: & quemadmodum olera herbarum cito decident.

3. Spera (*b*) in Domino, & fac bonitatem: & inhabita terram, & paſceris in divitiis ejus.

4. Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.

5. Revela (*c*) Domino viam tuam, & ſpera in eo: & ipſe faciet.

6. Et educet quaſi lumen (*d*) juſtitiam tuam; & judicium tuum tamquam meridiem:

7. Subditus eſto Domino, & ora eum.

Noli æmulari (*e*) in eo, qui proſperatur in via ſua: in homine faciente injuſtitias.

8. Deſine (*f*) ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari ut maligneris.

9. Quoniam qui malignantur, exterminabuntur: ſuſtinentes autem Dominum, ipſi hæreditabunt terram.

10. Et adhuc puſillum, & non erit peccator: & quæres locum ejus, & non invenies.

11. * Manſueti (*g*) autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. * Matth. 5. 4.

12. Obſervabit peccator juſtum: & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis.

13. Dominus autem irridebit eum: quoniam proſpicit quod veniet dies ejus.

14. Gladium evaginaverunt peccatores: intenderunt arcum ſuum,

Ut dejiciant pauperem & inopem: ut trucident rectos corde.

15. Gla-

PSALM. XXXV. 2. (*a*) Dixit in ſemetipſo, ut liberius peccet. Hoc tantum cogitat & molitur, ut delinquat, quia non eſt timor Dei in eo.

3. (*b*) Hieron. *Adverſus eum*, ſcilicet Deum: is ſibi blanditur, quaſi poſſit Deo imponere. *Ad odium*: Sentiet odium Dei, cum deliberato conſilio peccet.

5. (*c*) Vel in ſecreto cordis ſui, quid mali facturus ſit, meditatur. *Aſtitit*, ſcelera patrantibus ſocium ſe præbet.

6. 7. & 8. (*d*) Jam miſericordiam Dei cum juſtitia & veritate conjunctam exhibet. *Jumenta*, ad bruta etiam tua Providentia ſe extendit, ſed non eamdem eſſe in utriſque ſalutem mox inſinuat. Bruta conſervat, & dat illis neceſſaria ad vitam. Hebr. *Hominem & animal ſervas*. Ad homines & animalia curam tuam porrigis. *Multiplicaſti*. Hieron. *Quam pretioſa ſit miſericordia tua erga homines*. *Filii autem hominum*, ſingulari præſidio tuti erunt, non enim temporalibus tantum bonis, ut jumenta & carnales homines, ſed ſpiritualibus replebuntur.

10. (*e*) Auguſt. *Quis eſt fons, niſi Chriſtus? Venit ad te in carne ut irrigaret fauces tuas ſitientes; Fons, quia ſatiat ſitientes; Lumen, quia illuminat cæcos. Lumen*, in te temetipſum videbimus: Hier. ſcribens in cap. 3. Habac. *In Filio videbimus Spiritum*. Hæc enim verba ad Patrem fontem luminis dici exiſtimat. Ambroſius Lib. de Spiritu Sancto ex iis verbis colligit Trinitatem Perſonarum.

12. (*f*) Non veniat contra me pes ſuperborum; vel longe a me abſit ſuperbia.

13. (*g*) In ſuperbia, quæ fuit lapis offenſionis, in quem impegerunt. *Stare*. Hieron. *Surgere*: Corruunt citra ullam ſpem.

PSALM. XXXVI. 1. (*a*) Noli imitari malos, aut malo zelo ex eorum felicitate commoveri. Hebr. *Ne commovearis propter malignos, ne imiteris eos, nec illis invideas proſperum ſucceſſum*.

3. (*b*) Initium ſalutis eſt ſperare in Deum, & operari ex charitate. *Terram*, inhabitabis; prædicit enim promiſſio; *& paſceris in divitiis ejus*; Hebr. *Et paſce in veritate*, ſecurus quieſce, vox enim Hebræa non modo fidem, ſed etiam animi tranquillitatem ſignificat. Syrus, *Inquire veritatem*. Auguſt. *Quæ ſunt divitiæ ejus terræ? Divitiæ ejus; Dominus ejus*.

5. (*c*) Projice enim curam tuam in Deum, quæ tibi opus erunt ſuppeditabit.

6. (*d*) Ut noctis tenebras aurora diſcutit, ſic divini favoris expectatio hujus vitæ ærumnas pellit.

7. (*e*) Ut male agas, noli eos imitari. Auguſt. *Proſperatur, ſed in via ſua: laboras, ſed in via Dei: Illi proſperitas in via eſt, in perventione infelicitas; tibi labor in via, in perventione felicitas*.

8. (*f*) Auguſt. *Quid tibi promiſit Chriſtus? Si felicitatem hujus ſæculi promiſit, murmura adverſus Chriſtum, quando vides infidelem felicem. Quid tibi promiſit felicitatis? quid niſi in reſurrectione mortuorum? Quid autem in hac vita pateris, quod non ipſe?*

11. (*g*) Auguſtin. *Aurum tuum, pax: argentum tuum, pax: Deus tuus, pax: quidquid deſideras, pax tibi erit*.

15. Gladius eorum intret in corda ipsorum : & arcus eorum confringatur.

16. Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas.

17. Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat (*h*) autem justos Dominus.

18. Novit Dominus (*i*) dies immaculatorum: & hæreditas eorum in æternum erit.

19. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur:

20. Quia peccatores peribunt.

Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint (*k*) & exaltati: deficientes, quemadmodum fumus deficient.

21. Mutuabitur peccator, & non solvet: justus autem miseretur & tribuet.

22. Quia benedicentes ei (*l*) hæreditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt.

23. Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet.

24. Cum ceciderit, non collidetur : quia Dominus supponit manum suam.

25. Junior fui, etenim senui: & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

26. Tota die miseretur & commodat: & semen illius in benedictione erit.

27. Declina a malo, & fac bonum: & inhabita in sæculum sæculi.

28. Quia Dominus amat judicium, & non derelinquet sanctos suos: in æternum conservabuntur.

Injusti punientur: & semen impiorum peribit.

29. Justi autem hæreditabunt terram: & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam.

* Prov. 31. 26. 30. * Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.

* Isa. 51. 7. 31. * Lex Dei ejus in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus (*m*) ejus.

32. Considerat peccator justum: & quærit mortificare eum.

33. Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus: nec damnabit (*n*) eum cum judicabitur illi.

34. Expecta Dominum, & custodi viam ejus: & exaltabit te ut hæreditate capias terram: cum perierint peccatores videbis.

35. Vidi impium superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani.

36. Et transivi, & ecce non erat: & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.

37. Custodi innocentiam, & vide æquitatem: quoniam sunt reliquiæ (*o*) homini pacifico.

38. Injusti autem disperibunt simul: reliquiæ impiorum interibunt.

39. Salus autem justorum a Domino: & protector eorum in tempore tribulationis.

40. Et adjuvabit eos Dominus, & liberabit eos: & eruet eos a peccatoribus, & salvabit eos: quia speraverunt in eo.

PSALMUS XXXVII.

Hebr. Ad commemorandum, *supple beneficium liberatoris Dei*. In sabbato. *Quod forte in die sabbati caneretur. Est oratio pœnitentis.*

1. Psalmus David, in rememorationem de sabbato.

2. Domine ne in furore tuo arguas (*a*) me, neque in ira tua corripias me. Sup. 6. 2.

3. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum (*b*) tuam.

4. Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

5. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

6. Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ (*c*) meæ.

7. Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

8. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus (*d*): & non est sanitas in carne mea.

9. Afflictus sum, & humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

10. Domine, ante te omne desiderium (*e*) meum: & gemitus meus a te non est absconditus.

11. Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

12. Amici mei, & proximi mei adversum (*f*) me appropinquaverunt, & steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt:

13. Et vim faciebant (*g*) qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur.

14. Ego autem tamquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.

15. Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones (*h*).

16. Quoniam in te Domine speravi (*i*): tu exaudies me Domine Deus meus.

17. Quia

17. (*h*) August. *Quidquid acciderit justo, voluntati divinæ deputet, non potestati inimici.*

18. & 19. (*i*) Novit tempus quo eos juvaturus est. *Peribunt*, Hebr. *Quando impii peribunt.*

20. (*k*) Hieron. *Sicut gloria verveceum, qui primum impinguantur, mox occiduntur*; vel sicut pretiosum agnorum consumentur, sicut adeps agnorum in fumo absumentur.

22. (*l*) Hebr. *Benedicti ab eo. Apud*, a Domino, ut habent Hebræa & Græca. *Volet*, gratam habebit rationem vivendi. *Panem*, quomodo id intelligendum sit de pane corporeo, quæri solet? An loquitur de iis que fere semper accidunt? An justi pauperes non derelinquuntur a Deo, cum referant amplam patientiæ suæ fructum, ut Martyres non deseruntur a Deo cum moriuntur?

31. (*m*) Rectum cursum tenet. Divina Providentia protegit justos, dummodo sibi non desint. Frustra Calviniani ex hoc loco justitiam esse inamissibilem probare nituntur.

33. (*n*) Deus asseret ejus innocentiam ab iniquis hominum judiciis.

37. (*o*) Hieron. *Erit ad extremum viro pax.* Theodor. *Sunt futuræ homini pacifico reliquiæ impiorum*: Impii fine frustrantur.

2. (*a*) Ne iratus & severe pro magnitudine peccati me arguas. PSALM. XXXVII.

3. (*b*) Aggravata est super me manus tua: Hebr. *Et descendes super me manus tua.*

6 & 7. (*c*) Hebr. *Propter stultitiam meam. In finem.* Vehementer, & ita passim.

8. (*d*) Pravis motibus. Chald. Combustione, ardoribus.

10. (*e*) Augustin. *Ipsum enim desiderium tuum oratio tua est: & si continuum desiderium, continua oratio: tacebit si amare defeceris.*

12. (*f*) Non adjutores in calamitate, sed spectatores. Hebr. *E regione plagæ meæ steterunt.*

13. (*g*) Hebr. *Laqueos tetenderunt quærentes animam meam.*

15. (*h*) Quibus eos confutare possem.

16. (*i*) August. *Non securus sis cum confessus fueris peccatum, tamquam semper præparatus ad confitendum & committendum peccatum. Fiant eleemosynæ, gaudeat indigens de dato tuo, ut & tu gaudeas de dato Dei.* Circumspecte me geram, cohibebo os meum.

17. Quia dixi: Nequando fupergaudeant mihi inimici mei: & dum commoventur pedes mei, fuper me magna locuti funt.

18. Quoniam ego in flagella paratus fum: & dolor meus in confpectu meo femper.

19. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo.

20. Inimici autem mei vivunt, & confirmati funt fuper me: & multiplicati funt qui oderunt me inique.

21. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam fequebar bonitatem.

22. Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne difcefferis a me.

23. Intende in adjutorium meum, Domine Deus falutis meæ.

PSALMUS XXXVIII.

Quem Pfalmum David canendum dedit Idithun uni ex tribus principibus cantorum. 1. Paral. 16. *Argumentum eft de retinenda patientia, comprimendis affectibus, & de continenda lingua.*

1. In finem, ipfi Idithun, Canticum David.

2. Dixi: Cuftodiam (*a*) vias meas, ut non delinquam in lingua mea.

Pofui ori meo cuftodiam, cum confifteret peccator adverfum me.

3. Obmutui, & humiliatus fum, & filui a bonis: & dolor meus renovatus eft.

4. Concaluit (*b*) cor meum intra me: & in meditatione mea exardefcet ignis.

5. Locutus fum in lingua mea: Notum fac mihi Domine finem meum,

Et numerum dierum meorum quis eft: ut fciam quid defit mihi.

6. Ecce menfurabiles pofuifti dies meos (*c*): & fubftantia mea tamquam nihilum ante te.

Verumtamen univerfa vanitas, omnis homo vivens.

7. Verumtamen in imagine pertranfit homo: fed & fruftra conturbatur.

Thefaurizat: & ignorat cui congregabit ea.

8. Et nunc quæ eft expectatio mea? nonne Dominus? & fubftantia mea apud te eft.

9. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium infipienti (*d*) dedifti me.

10. Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecifti:

11. Amove a me plagas tuas.

12. A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuifti hominem.

Et tabefcere fecifti ficut araneam (*e*) animam ejus: verumtamen vane conturbatur omnis homo.

13. Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas.

Ne fileas: quoniam advena ego fum apud te, & peregrinus, ficut omnes patres mei.

14. Remitte (*f*) mihi, ut refrigerer prius quam abeam, & amplius non ero.

PSALMUS XXXIX.

De Chrifto, & Ecclefia, ac præcipue de adventu Chrifti tam expectato. Duplex itaque eft hujus Pfalmi fenfus, litteralis unus ad Davidem quem Abfalom perfequebatur; alter allegoricus, ac præcipue intentus, ad Chriftum & Ecclefiam pertinet.

1. In finem, Pfalmus ipfi David.

2. Expectans (*a*) expectavi Dominum, & intendit mihi.

3. Et exaudivit preces meas: & eduxit me de lacu miferiæ (*b*), & de luto fæcis:

Et ftatuit fuper petram pedes meos, & direxit greffus meos.

4. Et immifit in os meum canticum novum, carmen Deo noftro.

Videbunt multi & timebunt: & fperabunt in Domino.

5. Beatus vir, cujus eft nomen Domini fpes ejus: & non refpexit in vanitates & infanias falfas.

6. Multa fecifti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non eft qui fimilis fit tibi.

Annuntiavi & locutus fum: multiplicati (*c*) funt fuper numerum.

7. * Sacrificium & oblationem noluifti (*d*): *Heb. 10. 5.
aures autem perfecifti mihi.

Holocauftum & pro peccato non poftulafti:

8. Tunc dixi: Ecce venio.

In capite (*e*) libri fcriptum eft de me

9. Ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

10. An-

PSALM. XXXVIII. 2. & 3. (*a*) Symmachus *Capiftrum* vertit. *A bonis*, Abftinui ab omnibus lætis rebus, vel a licita & bona defenfione: unde & dolor meus increduit, quod me fraudarem debita defenfione. Id feci, ne darem improbis occafionem calumniandi.

4. (*b*) Dum tacitus obmurmurabam.

6. (*c*) Hebr. *Breves & ad quatuor digitos*, *feu palmæ menfurabiles*. *Subftantia*, vita mea. *Ante te*, judicio tuo & recto & vero.

9. (*d*) Hebr. *Ne des me in opprobrium ftulti*, Ne exponas me opprobrio ftultis hominibus.

12. (*e*) Hebr. *Tineam*: quomodo tinea veftem confumit.

14. (*f*) Plagas relaxa; oftende te mihi non amplius effe iratum: *Et amplius non ero*, in hac vita. His & aliis id unum infinuatur, animum non reverti ad corpus in ftatu præfentis vitæ.

PSALM. XXXIX. 2. (*a*) Vehementiffime, quod in illa vocum ingeminatione femper eft intelligendum.

3. (*b*) Chriftus ut caput Ecclefiæ loquitur, quam eduxit de lacu miferiæ & damnationis, de luto fæcis, & *ftatuit fuper petram* fanctæ humanitatis *pedes noftros*, ac direxit ad ambulandum per gradus divinæ gratiæ.

6. (*c*) Hieron. *Plura funt quam ut enarrare queam opera tua*, multiplices cogitationes.

7. (*d*) Auguftin. *Antiqui enim, quando adhuc facrificium verum, quod fideles norunt, in figuris prænuntiabatur, celebrabant figuras futurorum, multi fcientes, fed plures ignorantes. Sacrificia ergo illa, tamquam verba promiffiva, ablata funt. Quid eft quod datum eft completivum? Corpus quod noftis, quod utinam, qui noftis omnes, non ad judicium noveritis.* *Perfecifti*, ita LXX. aut *præparafti*: quod autem in Hebr. legunt, *fodifti* aut *perforafti*, negat Bellarminus hanc lectionem admitti oportere, quæ veritati mysterii, ut putat, repugnat. Quamvis voces illæ, *fodifti*, *perfecifti*, *præparafti*; idem fignificent, quod aperuifti, aut cavitas tribuifti, feu dociles, ut corpus, aures. Omnia facrificiorum genera commemorat, pacificum, libationem, feu munus, holocauftum, & pro peccato. *Aures autem*, Obedientiam Chrifti per aures defignat Propheta. Paulus totum corpus exprimit cum LXX. Auguftin. *Tempus eft ut veniant quæ promittebantur, quia auferuntur ea per quæ promittebantur: dat mihi modo gens Judæa facerdotum, ubi funt facrificia illarum.*

8. (*e*) Cum Chriftus fit caput prædeftinatorum; vel in limine facri voluminis id in primis fcriptum, ut redimeret genus humanum.

10. Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo: Domine tu scisti.

11. Justitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam, a concilio multo.

12. Tu autem Domine ne longe facias miserationes tuas a me: misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me.

13. Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit (*f*) me.

*Infr. 69. 1. 14. Complaceat tibi Domine ut eruas me: * Domine ad adjuvandum me respice.

* Sup. 34. 4. 15. * Confundantur & revereantur simul, qui quærunt animam meam, ut auferant eam.

Convertantur retrorsum, & revereantur qui volunt mihi mala.

16. Ferant (*g*) confestim confusionem suam, qui dicunt mihi: Euge, euge.

17. Exultent & lætentur super te omnes quærentes te: & dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.

18. Ego autem mendicus sum, & pauper: Dominus solicitus (*h*) est mei.

Adjutor meus, & protector meus tu es: Deus meus ne tardaveris.

PSALMUS XL.

Citatur hic Psalmus a Christo Domino Joann. 13. de proditione Judæ, unde ex Chrysostomo explicari debet de Passione Christi.

1. In finem, Psalmus ipsi David.

2. Beatus qui intelligit (*a*) super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

3. Dominus conservet (*b*) eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

4. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti (*c*) in infirmitate ejus.

5. Ego dixi: Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi.

6. Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen ejus?

7. Et si ingrediebatur ut videret (*d*), vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, & loquebatur

8. In idipsum (*e*).

Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi.

9. Verbum iniquum constituerunt (*f*) adversum me? Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?

10. * Etenim homo pacis meæ (*g*), in quo speravi: qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. *Act. 1. 16.

11. Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me: & retribuam eis (*h*).

12. In hoc cognovi quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

13. Me autem propter innocentiam suscepisti (*i*): & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

14. Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, & usque in sæculum: fiat, fiat (*k*).

PSALMUS XLI.

Erant præcipui inter cantores, quibus plures dati sunt Psalmi cantandi. Persequente Saule desiderium suum videndi domus Domini exprimit.

In finem,

1. Intellectus filiis Core.

2. Quemadmodum desiderat (*a*) cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.

3. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?

4. Fuerunt mihi lacrymæ meæ (*b*) panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?

5. Hæc

13. (*f*) August. *Quid mirum si cor tuum deseratur a Deo suo, quando ipsum deseruit?*

16. (*g*) Hieron. *Pereant post confusionem.* Propheta loquitur prædicendo, non optando.

18 (*h*) August. *Dando consolatur ut permaneat, auferendo corrigit ne pereas; nunquam tibi deest, tu illi noli deesse.*

PSAL. XL. 2. (*a*) Hieronym. *Qui cogitat de paupere, & illi proficit.*

3 (*b*) Conservabit vitam ejus, vivificabit per gratiam, & beatum faciet in terra viventium.

4 (*c*) Frequens est apud Hebr. personarum mutatio. *Versasti*, Versabis: Deus confert omnia humanitatis officia in eum, qui *intelligit super egenum.*

7. (*d*) Jungendum est cum præcedentibus ex Græco & Hebræo. Si hæc ad Davidem in sensu litterali referantur, inimicus ejus aliud ore, aliud corde loquebatur.

8 (*e*) Simul omnes adversum me loquebantur: *Adversum me susurrabant omnes una congregati*, ex Hebræo.

9. (*f*) Hebr. *Verbum Belial*, res pessima, res impietatis, peccatum ingens, dicitur tum de morte Christi. *Numquid qui dormit*, forte verba sunt inimici, prostratus est, non resurget? Scribæ & Pharisæi Christi interficiendi consilium ineunt; sed Propheta divinam illam virtutem, qua Christus se a mortuis excitavit, designat. At si ad Davidem ægrotantem in sensu litterali referas, hic sensus erit: At qui in lecto decumbit, non convalescet? Hebr. sine interrogatione: *Qui decumbit non addet ut resurgat.* Cætus Davidis est absque spe ullia bonitatis.

10. (*g*) Singularem designat amicum, forsitan Achitophel; id Christus Judæ aptat. *Magnificavit.* Hieron. *Levavit contra me plantam*: Insidias struxit me supplantavit, conculcare me voluit. August. *Adversus me struxit insidias.*

11. (*h*) Judæis quod merentur.

13 (*i*) Hæc ad solum Christum pertinent, quem Pater post resurrectionem suscepit; & *confirmavit in conspectu suo in æternum*, ut substantiæ suæ imaginem. Augustin. *Confirmasti me in conspectu tuo, infirmasti in conspectu hominum.*

14. (*k*) Hebr. *Amen, amen*: Firmum sit & firmum. Auditum sermonem approbantes ea voce utebantur.

PSAL. XLI. 2. & 3. (*a*) Desiderans accurrit ad fontes aquarum; unum verbum pro duobus interdum ponitur, brevitatis caussa. *Fortem*, Hebr. *Deum*, *Deum vivum*, *Faciem Dei*; Ante arcam, in qua Deus suam præsentiam declarabat. Id quoque sic exponitur de cælesti patria. David renovat memoriam meliorum quæ olim pertulerat.

4. & 5 (*b*) Hæ ipsæ me sustentabant instar panis. *Effudi.* Laxavi doloris habenas. *Tabernaculi.* In cæleste tabernaculum: vel ad litteram, ad locum orationis, ubi erat arca; tum erit exultatio & laudis confessio. *Epulantis*; Festa celebrantis. Cæleftem patriam comparat cum voce exultationis, qualis in conviviis solemnioribus, & in festis resonabat.

5. Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei:

In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.

6. Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi (c): salutare vultus mei,

7. Et Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Jordanis (d), & Hermoniim a monte modico.

8 Abyssus abyssum invocat (e), in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt.

9 In die mandavit (f) Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ,

10. Dicam Deo: Susceptor meus es,

Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

11. Dum confringuntur ossa mea (g), exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei:

Dum dicunt mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus?

12. Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

PSALMUS XLII.

Idem argumentum quod præcedentis: seipsum consolatur in spe futuræ beatitudinis.

Psalmus David.

1. JUdica me Deus (a), & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso erue me.

2. Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti (b)? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

3. Emitte lucem tuam (c) & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

4. Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat juventutem meam (d).

Confitebor tibi in cithara, Deus Deus meus:

5. Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

PSALMUS XLIII.

Continet pias Judæorum querelas in persecutione, & videtur esse propheticus ita ut satis congruat persecutioni Antiochi Machabæorum temporibus. Primum commemorat accepta a Deo beneficia, tum mala quibus affliguntur.

1. In finem, filiis Core ad intellectum.

2. DEus auribus nostris audivimus: patres nostri annuntiaverunt nobis.

Opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.

3. Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos:

4. Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos:

Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.

5. Tu es ipse rex meus & Deus meus: qui mandas salutes Jacob (a).

6. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

7. Non enim in arcu meo sperabo: & gladius meus non salvabit me.

8. Salvasti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudisti.

9. In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in sæculum.

10. Nunc autem repulisti & confudisti nos (b): & non egrederis Deus in virtutibus nostris.

11. Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros: & qui oderunt nos, diripiebant sibi.

12. Dedisti nos tamquam oves escarum: & in gentibus dispersisti nos.

13. Vendidisti populum tuum sine pretio (c): & non fuit multitudo in commutationibus eorum.

14. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his, qui sunt in circuitu nostro.

15. Posuisti nos in similitudinem Gentibus, commotionem capitis in populis.

16. Tota

6. (c) Sic dicam: Tu es salus mea: laudabo multum illius salutare. *Deus meus*: Hieron. per exclamationem: *Deus meus!*

7. (d) Loca commemorat trans Jordanem, in quibus exul agebat sub Saule; aut potius torrem suum deplorat, quod tam procul exulet a terra Jordanis, a monte Hermon.

8. (e) Aliæ ex aliis calamitates me obruerunt. *In voce*, aquis undique incurrentibus: ut fluctus fluctum impellit cum magno sonitu, sic adversa fere mutuo excipiebant.

9. (f) Mandabit, mittet consolationem. *Canticum*; Apud me canam gratiarum actiones. Sic vicissitudinem bonorum & malorum, tristitiæ & consolationis describit, ut prospera ex adversis oriantur. Promittit sibi misericordiam, quæ tunc occulta erat. Gr. *Oratio Deo vitæ meæ*.

11. (g) Dum voces istæ & probra quibus me afficiunt, ossa mea & medullas penetrant.

PSALM. XLII. 1. (a) Suscipe causam meam, litem meam cum gente impia dirime. *Non sancta*. Iniqua erue me. Hebr. De gente immisericorde. Aulam & comitatum Saulis videtur indicare.

2. (b) Sic mecum agis, quasi me repuleris. Augustin. *Quædam sanis profusis colloquutio, reliqua pravas partis confessio. Forte in te volebat sperare: spera in Dominum, noli in te: ille sit sanitas in te, qui suscepit vulnera propter te.*

3. (c) Fac ut veritas promissionum tuarum me deducat in montem. *Adduxerunt*, præteritum pro futuro, ut passim. Hier. *Deducent & adducent*.

4. (d) Hebr. *Deus exultationis meæ*. Vox Hebræa Ghilhag, varia est in Scripturis, unde varie illam interpretantur.

5. (a) Hebr. *Præcipe salutes Jacob*: Eripe Jacob de tantis tribulationibus, qui toties nos jussu tuo salvasti. PSALM. XLIII.

10. & 11. (b) Aliter nunc te geris erga nos: si hostes invadimus, non egrederis nobiscum. *Virtutibus*, Exercitibus: non protegis nos ut solebas. *Avertisti*, Vertisti nos in fugam.

13 (c) Vili pretio. Tempore Antiochi id factum. *Multitudo*. Eadem geminatur sententia. Hebr. *Et non multiplicasti in pretiis eorum*: Quasi pro nihilo vendens nos. Hæc Augustin. Martyribus & Ecclesiæ nascenti applicat.

16. Tota die verecundia mea contra me (*d*) est, & confusio faciei meæ cooperuit me.

17. A voce exprobrantis, & obloquentis: a facie inimici, & persequentis.

18. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus (*e*) te: & inique non egimus in testamento tuo.

19. Et non recessit retro cor nostrum: & declinasti (*f*) semitas nostras a via tua.

20. Quoniam humiliasti (*g*) nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis.

21. Si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad deum alienum:

22. Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis.

* Rom. 8. 36. * Quoniam propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves (*h*) occisionis.

23. Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem.

24. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ?

25. Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster.

26. Exurge Domine, adjuva nos: & redime nos propter nomen tuum.

PSALMUS XLIV.

Nuptiæ Christi & Ecclesiæ sub persona Salomonis pulcre in hoc spiritali Epitalamio exprimuntur: favet finis tituli, Pro dilecto: *Hieron. vertit*, Pro filiis: *in Vulgata*, Pro iis qui commutabuntur, *ab idololatria scilicet ad fidem. Psalmus historicus est, quando Salomon duxit filiam Pharaonis; simul & propheticus de Christo & Ecclesia. Ex Hebr.* Canticum amorum, *qui casti sunt ac pudici, unde &* erudiens carmen *inscribitur.*

1. In finem, pro iis qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto.

2. Eructavit (*a*) cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.

Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.

3. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia (*b*) in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

4. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime,

5. Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, (*c*) & regna,

Propter veritatem & mansuetudinem, & justitiam; & deducet te mirabiliter dextera tua.

6. Sagittæ tuæ acutæ (*d*), populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.

7. * Sedes tua Deus (*e*) in sæculum sæculi: * Heb. 1. 8.
virga directionis virga regni tui.

8. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus (*f*) tuis.

9. Myr-

16. & 17. (*d*) Ante oculos est ignominia nostra: vel quisque commemorat peccata sua, non tantum universæ plebis. *Exprobrantis*. Propter inimicos.

18. (*e*) Hæc tantum conveniunt Judæis post captivitatem, & temporibus Machabæorum. *Hebr. Nec prævaricati sumus in fœdus tuum.*

19. (*f*) Hier. *Nec declinaverunt gressus nostri*; Non permisisti nos declinare a semitis tuis.

20. (*g*) Hieron. *Abjecisti nos in loco draconum*, In deserto, quo fugerunt Mathathias & filii ejus. Vox, *Quoniam*, sæpe redundat in Hebræo, ut in Græco. *Umbra mortis*, in scriptura non raro significat miserandam servitutem aut calamitatem. Augustin. *Hæc enim mortalitas umbra mortis est; Vera mors est damnatio cum diabolo.*

21. (*h*) Occisioni destinatæ: nam genitivi casus regimen interdum caussam finalem denotat: trucidamur ut victimæ.

PSALM. XLIV. 2. (*a*) Eructat animus in plenitudine, & lingua quæ mente concepta sunt profert velociter, ut *calamus scribæ*. Chrys. *Spiritu plenus spiritalia profudit, talia eructavit, qualia comedit. Regi*, Salomoni, cui factum hoc canticum dicatum est, ut typo Christi, ad cujus gloriam fuit compositum. Unde Rabbini vetustiores & Targum ipsum hunc psalmum de Messia interpretantur. Varias ejus dotes ac plenam ejus benedictionem, pulcritudinem, cælestem doctrinam, victoriam de hoste humani generis, imperium late propagatum deinceps prosequitur. Augustin. *Quod lingua dicitur, sonat & transit: quod scribitur, manet: cum ergo Deus dicat verbum, & verbum quod dicitur, non sonet, nec transeat, sed & dicatur & maneat, scriptis hoc maluit Deus comparare, quam sonis.*

3. (*b*) Augustin. *Ille veniens cum gratia non exegit quod debebatur, solvit quod non debebat, propterea quod Deus illum benedixerit.* Quia formosus increata & creata pulcritudine, ideo diligit eum Deus in æternum

5. (*c*) Veni regnum auspicaturus cum splendore & magnificentia. *Regna*, Regnum ejus est florentissimum, in quo vera justitia & mansuetudo vigent; illud quoque est mirabile, in quo patefacta veritate, peccatorum indulgentia cum justitia conjuncta est. Addit figurato sermone sagittas, gladium, arma; cum tamen solo decore, mansuetudine, & justitia sit futurus victor. Cum his virtutibus regnabis, virtus tua sola sufficit, & dextera tua; sic regnum tuum constituis in fidelibus, per veritatem verbi tui & promissorum, per amoris tui unctionem cum præceptorum æquitate conjunctis. Hebr. *Equita super verbum veritatis*: perfer cito ad gentes verbum quod docet veritatem.

6. (*d*) Ordo verborum inversus, qui ita videtur disponendus: *Sagittæ tuæ acutæ*, jactæ nimirum & infixæ *in corda inimicorum tuorum*, non ut interficias, sed ut ad te pertrahas. Sagittæ illæ verbum Dei efficax & penetrans corda indicant. Augustin. *Verbo cor transfigentia, amorem excitantia.*

7. (*e*) O Deus! (ergo Christus quem alloquitur, Deus est; hæc enim ad Christum pertinere docet Paulus Hebr. 1.) thronus tuus stabilis erit & æternus.

8. (*f*) Qui tuo nomine censentur, & sunt Christiani. *Unxit te Deus*, vertit Aquila vocandi casu. Sic vertit Eusebius lib. 5. Demonstrationis Evangelicæ: ita ut persona uncta distincta sit ab ungente, & utraque Dei nomine appelletur. LXX. vertunt ὁ Θεὸς! quod illis est usitatissimum, ut Psal. 138. *Mihi autem honorati sunt amici tui, Deus!* Unxit Deus filium ratione humanitatis. Illud sapienter observat Illustr. Meldensis Episc. in supplemento in Psalmos, id perperam a Grotio notatum, vocem *Elohim*, ad Salomonem referri, quæ principem quoque significat; nam in Scripturis vox illa in plurali numero usurpatur, cum *judices* aut *principes* designat, ut in Psalm. 8. Sed in singulari numero semper Deum verum significat, ut in principio Geneseos. In hoc autem Psalmo quem exponimus, cum singulari conjungitur. Hanc regulam proponunt Irenæus Lib. 3. cap. 6. & 7. Athanasius de Decretis Nicænæ Synodi. Quod autem opponunt illud Exodi 7. 1. *Constitui te Deum Pharaonis*, hoc ipsum nihil est, nam in eo loco vox illa pro Deo absolute sumitur, mox enim sequitur: *Et Aaron frater tuus erit Propheta tuus*: Deus autem solus habet prophetas. Moyses personam Dei gerebat erga Pharaonem. Quod autem Grotius hujus loci vim sic conatur eludere, *Deus ipse est sedes tua perpetua*; hoc est, Deus ipse te in regno numquam defuturo sustentabit; hoc, inquam, nullo argumento contra Apostoli auctoritatem, & omnium sanctorum Patrum consensum communitur. Atque ex hoc ipso loco Origenes testatur Lib. 1. contra Celsum convictum a se Judæum fuisse; qui eo tandem se recepit: hæc verba, *sedes tua Deus*, ad hujus mundi conditorem, hæc autem, *dilexisti justitiam*, ad Christum referri oportere: adeo ut statim variaret personam, ne Christum Deum esse fateri cogeretur.

9. Myrrha, & gutta (*g*), & casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te

10. Filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate.

11. Audi filia (*h*), & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum: & domum patris tui.

12. Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus (*i*), & adorabunt eum.

13. Et filiæ Tyri in muneribus (*k*) vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.

14. Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus (*l*), in fimbriis aureis

15. Circumamicta varietatibus.

Adducentur regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi.

16. Afferentur in lætitia & exultatione: adducentur in templum regis.

17. Pro patribus (*m*) tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.

18. Memores erunt nominis tui in omni generatione & generationem.

Propterea populi confitebuntur (*n*) tibi in æternum, & in sæculum sæculi.

PSALMUS XLV.

De Ecclesiæ persecutione & liberatione agit: quæ res erat sub David valde occulta. Vox Hebræa Alamoth, *æque obscura: forte est nomen instrumenti musici. Deum esse Ecclesiæ suæ præsidium, & nusquam deesse suis, Propheta docet.*

1. In finem, filiis Core pro arcanis.

2. Deus noster refugium, & virtus: adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis (*a*).

3. Propterea non timebimus dum turbabitur (*b*) terra: & transferentur montes in cor maris.

4. Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ (*c*) eorum: conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

5. Fluminis (*d*) impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

6. Deus in medio (*e*) ejus, non commovebitur: adjuvabit eam Deus mane diluculo.

7. Conturbatæ sunt gentes (*f*), & inclinata sunt regna: dedit vocem suam, mota est terra.

8. Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob.

9. Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram (*g*):

10. Auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, & confringet arma: & scuta comburet igni:

11. Vacate, & videte (*h*) quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

12. Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob.

PSALMUS XLVI.

Argumentum est sensu quodam litterali de Davide victore: sed proprie Christi victoriam & ascensionem describit. Priores versus Davidi satis apte conveniunt; sed sextus & qui sequuntur, ad Christum triumphantem omnino pertinent.

1. In finem, pro filiis Core Psalmus.

2. Omnes Gentes plaudite manibus: jubilate (*a*) Deo in voce exultationis.

3. Quoniam Dominus excelsus, terribilis: Rex magnus super omnem terram.

4. Subjecit populos nobis: & gentes sub pedibus nostris.

5. Ele-

9. (*g*) Liquorem seu casiam, aut cinnamomum significat. Christum ut sponsum describit virtutum omnium odore perfusum, quo nationes omnes ad se pertraxit. Domus eburnea sacras ædes designat.

11. (*h*) Vox Patris ad Ecclesiam, ut ad Filii sponsam charitate & veste deauratam, & aliis ornatam virtutibus. *Populum*: Mores & doctrinam populi Gentium.

12. (*i*) Sponsus vocatur Deus sponsæ, magno quidem argumento hunc Psalmum ad Christum magis, quam ad Salomonem, pertinere. *Adorabunt*. Hebr. *Et adora eum*, pro *Adorabis*: Chald. *Adorabit*.

13. (*k*) August. *Filia Tyri*, *Filiæ gentium*, *venite cum muneribus ad eum qui dicit Misericordiam volo magis quam sacrificium*.

14. (*l*) Nativa pulcritudine prædita est. *Varietatibus*, Hieron. *In scutulatis ducitur ad Regem*. Scutulatæ vestes sunt versicolores, opere plumario aut pictæ, aut textæ. Adductæ sunt virgines ad Ecclesiam jam constitutam, cum ea indivulse conjunctæ.

17. (*m*) Judæis successerunt gentes; id præcipue spectat ad Christum.

18. (*n*) Laudabunt te, quæ vox raro de homine usurpatur. Nomen Christi sanctificabitur inter gentes.

PSALM. XLV. 2. (*a*) Hebr. *Auxilium in tribulationibus inventum est nimis*.

3. (*b*) Cum Evangelium fuit prædicatum, montes sæculi ac potentes vehementer commovit; forte etiam de extremo loquitur judicio, & sævam describit tempestatem. Populi Dei vel Ecclesiæ singularis in Deum fiducia figurate exprimitur.

4. (*c*) Hebr. *Sonabunt aquæ ejus*, seu mare. Est in Hebræo singulare *ejus*, nempe maris. *Non timebimus*, etiam si terra tremat, aut exundet mare: nam *Deus noster est refugium nostrum & virtus*.

5. (*d*) Jam aquis agitati maris opponit dulcium aquarum flumen, unde justi in hac vita bibere incipiunt, earum ubertate inebriandi, cum cælesti civitati, quam inundat hic fluvius, inferentur. *Impetus*, Hieron. *Divisiones*, seu rivi ex Hebræo. Gehon & Siloe leniter fluentes irrigant Jerusalem, quæ est tabernaculum Altissimi. Fluminis lenis impetus lætificat & irrigat Ecclesiam Dei.

6. (*e*) Idcirco non commovebitur ipsa civitas: cur non timeat Ecclesia tot agitata fluctibus, hanc affert caussam, quia Deus est in medio ejus: quodque per figuras expressit, mox aperte declarat. *Diluculo*; Cum magna providentia eam firmam efficit, & fixum habet statum, non commovebitur loco suo.

7. (*f*) Deo pro nobis stante, trepidaverunt gentes Ecclesiæ inimicæ: cum *Dominus dedit vocem suam*, quæ orbem in Idololatriam demersum commovit. *Inclinata*, Augustin. *Jam non erecta ut superbirent, sed inclinata ut adorarent*.

9. (*g*) Hæc Prophetia impleri cœpta est, cum Imperatores Christi fidem amplexi sunt.

11. (*h*) Videtur Deus nos adhortari, ut in tranquillitate & puritate animi prodigia a Deo facta in conversione gentium contemplemur: nam ut radii solis non sufficiunt ut videamus, nisi purus & sanus sit oculus; sic miracula nobis non prosunt, nisi adsit cordis munditiES. Hebr. *Cessate & scitote*. Convertit sermonem suum ad hostes populi Dei, seu Ecclesiæ, qui Dei virtutem non reputabant: vel potius est exhortatio ad fideles.

PSALM. XLVI. 2. (*a*) Jubilus est vox vincentis. August. *Concordent manus & lingua, illa confiteatur, illa operentur*.

5. Elegit nobis hæreditatem suam (*b*), speciem Jacob, quam dilexit.

*1. Reg. 6. 15. 6. * Ascendit Deus (*c*) in jubilo, & Dominus in voce tubæ.

7. Psallite Deo nostro, psallite: psallite Regi nostro, psallite.

8. Quoniam Rex omnis terræ Deus: psallite sapienter (*d*).

9. Regnabit Deus super Gentes (*e*): Deus sedet super sedem sanctam suam.

10. Principes populorum congregati (*f*) sunt cum Deo Abraham: quoniam dii fortes terræ, vehementer elevati sunt.

PSALMUS XLVII.

Canebatur die Lunæ. Quod si hic Psalmus sit ipsius Davidis, is est propheticus, sive ob ædificationem Jerusalem post reditum a captivitate, sive de Ecclesia sit intelligendus. Fors est ut Psalmus post fusum Sennacherib sit compositus, vel tempore Josaphat; ac sub victoria illius typo describitur initium nascentis Ecclesiæ.

1. Psalmus Cantici filiis Core secunda sabbati.

2. MAgnus Dominus, & laudabilis nimis in civitate (*a*) Dei nostri, in monte sancto ejus.

3. Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion (*b*) latera Aquilonis, civitas Regis magni.

4. Deus in domibus ejus cognoscetur, (*c*) cum suscipiet eam.

5. Quoniam ecce reges terræ (*d*) congregati sunt: convenerunt in unum.

6. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt:

7. Tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis,

8. In spiritu vehementi conteres naves Tharsis (*e*).

9. Sicut audivimus, sic vidimus (*f*) in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in æternum.

10. Suscepimus Deus misericordiam tuam (*g*), in medio templi tui.

11. Secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua (*h*) in fines terræ: justitia plena est dextera tua.

12. Lætetur mons Sion, & exultent filiæ (*i*) Judæ, propter judicia tua Domine.

13. Circumdate Sion, & complectimini eam: narrate in turribus ejus.

14. Ponite (*k*) corda vestra in virtute ejus: & distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

15. Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula.

PSALMUS XLVIII.

Argumentum est adhortatio ad contemptum sæculi.

1. In finem, filiis Core Psalmus.

2. AUdite hæc omnes Gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem:

3. Quique terrigenæ (*a*), & filii hominum: simul in unum dives & pauper.

4. Os meum loquetur sapientiam: & meditatio cordis mei prudentiam.

5. * In-

5. (*b*) Quidquid speciosum erat, in familia Jacob selegit. *Speciem*, Hieron. *Gloriam*. In locum suum arca asportata, hunc psalmum compositum volunt. 2 Reg. 6. Deus elegit Ecclesiam, quæ est illius hæreditas. August. *Non enim illi sufficit unam gentem habere sub se: ideo pretium ex latere dedit, ut emeret orbem terrarum.*

6. (*c*) Christus ascendit vi sua in *jubilo* Angelorum. Hebræi hæc de arca exponunt; *Ascendit Deus*, cum celebrarentur sacri conventus in templo.

8. (*d*) Hieron. *Erudite*. Seu ipsa spectes carmina, seu artem ipsam canendi. Is sapienter canit, aut psallit, cui divina verba sapiunt. August. *Non quæramus sonum auris, sed lumen cordis*. Cassiodorus exponens hunc versiculum, *Non solum*, inquit, *cantantes psallere debemus, sed intelligentes: nemo enim sapienter facit, qui non intelligit*: quod non est ita intelligendum, quasi nullius sint fructus preces in peregrina & ignota lingua fusæ: duplex enim est attentio, una solis intelligentibus propria, quæ in verba & in sensum verborum dirigitur; altera longe præstantior, quæ mentis aciem in Deum, qui est finis orationis, intendit. Ille intelligenter orat, qui Deum quem orat, intento animo contemplatur. Hebr. *Quotquot intelligunt*, quicumque estis periti canendi.

9. (*e*) Deus totum orbem redegit sub potestatem Filii sui.

10. (*f*) Heb. *Adjunxerunt se populo Dei Abraham*, in unitatem fidei. *Dii*, Gr. τοῦ Θεοῦ in genitivo casu. Israelitæ quos Deus fortes efficit. *Elevati*, quia dæmones in hominum perniciem armati, vehementer elati, jam erant debellandi. Hebr. *Quoniam Dei sunt scuta terræ*, vel clypei terræ, protectio Dei extenditur ad universam terram.

PSALM. XLVII. 2. (*a*) Civitas sancta ipsam Ecclesiam designat: hujus figura fuit Jerusalem in duas divisa partes, una ad Aquilonem, altera ad Austrum vergebat. In omnibus quidem laudandus est Deus, præcipue tamen in Ecclesiæ suæ gubernatione.

3. (*b*) In cujus aquilonari latere sita est Jerusalem urbs magni Regis, seu Dei, quæ est ornamentum & gaudium universæ terræ. Verba illa, *Fundatur exultatione*, vertit Hieron. *speciosa germine*, pulcras stat radicibus. LXX. *Bene fundata exultatione*, bene radicato gaudio.

4. (*c*) Hebr. *Deus in palatiis ejus agnitus est*, in arcem sublimem. Licet Jerosolyma palatiis & ædibus refulget, & turres habeat munitas, uni tamen Deo innititur, non suis arcibus.

5. (*d*) Qui subditi erant Sennacherib, aut illius fœderati. Sed & reges aut principes iniræ adversus Ecclesiam convenerunt, iique sunt vehementer conturbati.

8. (*e*) Magni maris. Ut ventus vehemens conterit naves, sic Deus hostilem exercitum prostravit. De Ecclesia loquitur, principes conturbabuntur salutari pœnitentia: & ventus vehemens, *Spiritus*, conteret classem infidelitatis. Ex Hebr. *Quasi vento Orientali, qui conterit naves Tharsis, dissipati sunt*.

9. (*f*) Ut ab Isaia prædictum, sic impletum vidimus. *Fundavit*, prophetice dictum de Ecclesia super petram fundata. Hinc Augustin. Si ergo Deus fundavit eam in æternum, quid times ne cadat firmamentum? Audivimus Dei promissa per Prophetas, vidimus ea impleta, non in terrena Jerusalem, quæ destructa est, sed in Ecclesia quam Deus fundavit in æternum. Audivit in promissionibus, videt in exhibitionibus, audivit in Prophetia, videt in Evangelio.

10. (*g*) Beneficia ex Dei misericordia profecta: *In medio Ecclesiæ*, ita ut ad liberationem Jerusalem Ezechiæ temporibus hæc referat. *Suscepimus*. Isaiæ prophetiam, quæ lecta est in publico cœtu. Hebr. *Consideravimus misericordiam tuam*; nisi, *Expectavimus in medio templi tui*, ubi erat arca.

11. (*h*) Talem te præstas, qualis prædicaris. *Justitiæ*: Omnes agnoscunt æquitatem tuam in servandis fidelibus, in gubernanda Ecclesia.

12. (*i*) Oppida vicina Jerosolymis, vel animæ christianæ. Propter ultionem de impiis. *Judicia*, ita ut omnes intelligant invictum robur huic sanctæ civitati a Deo concessum fuisse.

14. (*k*) Cogitate serio quanta sit virtus & firmitas ejus civitatis. *Domos ejus*, quæ propagabuntur in sæcula. Hujus civitatis Deus princeps, subditi fideles ex omnibus gentibus congregati, civitas toto orbe diffusa, Apostoli & eorum successores, quasi muri sunt & turres ejus inexpugnabiles.

3. (*a*) Hebr. *Etiam filii hominis, etiam filii viri*: plebeji PSALM. XLVIII.
& nobiles; filios hominis vocat plebejos; filios viri nobiles.
Augustin. *Dicit in alio Psalmo: Edent pauperes & saturabuntur: Quid edunt? Quod sciunt fideles: Quomodo saturabuntur? Imitando passionem Domini sui; & non sine caussa accipiendo pretium suum.*

* Ps. 77. 2. Matth. 13. 35. 5. * Inclinabo (*b*) in parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionem meam.

6. Cur timebo in die mala (*c*)? iniquitas calcanei mei circumdabit me.

7. Qui confidunt in virtute sua (*d*): & in multitudine divitiarum suarum gloriantur.

8. Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam (*e*).

9. Et pretium redemptionis animæ suæ (*f*): & laborabit in æternum,

10. Et vivet adhuc in finem.

11. Non videbit interitum (*g*), cum viderit sapientes morientes: simul insipiens & stultus peribunt.

Et relinquent alienis divitias suas:

12. Et sepulcra eorum domus illorum in æternum.

Tabernacula eorum in progenie & progenie: vocaverunt nomina sua in terris suis (*h*).

13. Et homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.

14. Hæc via illorum scandalum (*i*) ipsis: & postea in ore suo complacebunt.

15. Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos.

Et dominabuntur (*k*) eorum justi in matutino: & auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.

16. Veruntamen Deus redimet (*l*) animam meam de manu inferi, cum acceperit me.

17. Ne timueris cum dives factus fuerit homo; & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.

18. Quoniam cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria ejus.

19. Quia anima ejus (*m*) in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi cum benefeceris ei.

20. Introibit usque in progenies patrum suorum (*n*): & usque in æternum non videbit lumen.

21. Homo, cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.

PSALMUS XLIX.

Verum Psalmos qui Asaph nomine inscribuntur, composuerit, an vero ut præcentor eos cecinerit, dubitatur. Lib. 2. Paralip. 29. Propheta appellatur. Argumentum hujus Psalmi videtur esse duplex Christi adventus. Psalmus est propheticus & moralis.

1. Psalmus Asaph.

DEus deorum (*a*) Dominus locutus est: & vocavit terram.

A solis ortu usque ad occasum:

2. Ex Sion species decoris ejus (*b*).

3. Deus manifeste veniet: Deus noster & non silebit (*c*).

Ignis in conspectu ejus exardescet: & in circuitu ejus tempestas valida.

4. Advocabit cælum desursum, & terram discernere populum suum.

5. Congregate illi sanctos ejus (*d*): qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

6. Et annuntiabunt cæli (*e*) justitiam ejus: quoniam Deus judex est.

7. Audi populus meus, & loquar: Israel, & testificabor tibi: Deus Deus tuus ego sum.

8. Non in sacrificiis tuis arguam te (*f*): holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

9. Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.

10. Quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus & boves.

11. Cognovi omnia volatilia cæli: & pulcritudo agri mecum est.

12. Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus.

13. Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?

14. Immola Deo sacrificium laudis: & redde Altissimo vota tua.

15. Et

5. (*b*) Ad hanc doctrinam quæ obscura est, *inclinabo aurem meam*, & rem totam aperiam in *psalterio*.

6. (*c*) Hieron. *in diebus malis*, mortis scilicet: Quid me securum faciet in die judicii? *Circumdabit*: Mors in peccato circumdat hominem, qui confidit in divitiis suis, aut in viribus. Alii hanc partem versiculi cum quatuor sequentibus conjungunt: Ut quid pertimescerem eos, qui mihi tendunt insidias, qui ita me urgent ut premant calcaneum, & undique instruunt?

7. (*d*) Illi timeant mortem, qui confidunt in opibus suis; timeant illi tempore adverso.

8. (*e*) Hebraismus, Non redimet quivis homo: nam repetenda est negatio: Hebr. *Fratrem non redimendo redimet vir*. *Non dabit*, &c. Non placabit Deum pro alio, nec pro se ipso.

9. (*f*) Hebr. *Et pretiosa erit redemptio animæ ipsorum*. Nimis siquidem præcii est redimi a morte animæ ipsorum. *In æternum*: Is scilicet qui confidit in virtute sua, laborabit in angustiis æternis. Quam ii stulte agant nos docet, cum divitiæ nos a morte redimere non valeant. *In finem*. Hebr. *Et desinet in sæculum*.

11. (*g*) Ironice dictum: putat se in æternum victurum: *Cum viderit sapientes morientes*, & commune omnium fatum.

12. (*h*) Magnas extruxerunt domos, ita ut nomina sua darent possessionibus suis: hoc unum relinquunt gloriæ suæ monumentum. Hebr. *Vocaverunt nominibus suis terras*; Indiderunt nomina sua regionibus.

14. (*i*) Hieron. *Hæc via insipientiæ illorum*, qui more belluarum vivunt: Quod ipsis erit scandalo & offendiculo. *Complacebunt*: In variis & fluxis rebus, ac cupiditatibus sibi stulte placebunt. Hebr. *Posteri eorum in ore ipsorum ibunt*, idem sentiunt, & idem sequuntur.

15. (*k*) Post mortem apparebit quantum justi præstent impiis, in matutino magnæ illius æternitatis. *Veterascet*. Hieron. *Figura eorum conteretur*: species eorum, evanida gloria quæ nihil habet solidi, in sepulcro evanescet: *Auxilium eorum*, opes in quibus confidebant.

16. (*l*) Jam de bonis in Deum sperantibus loquitur, quos Deus transfert in vitam æternam: secus, qui sperat in Domino, nihilo plus haberet, quam impii, neque præfationi responderet Psalmi doctrina. *Cum acceperit*, Hebr. *Quoniam suscepit me*: Resurgere me faciet ad vitam, quia assumpsit me ut unum e suis.

19. (*m*) Ille dives sibi blandietur. *Benedicetur*, *laudabitur*. In LXX. Plaudent tibi, o dives, qui divitiis tuis confidis.

20. (*n*) Morietur, Hebr. *Usque ad ætatem patrum suorum*: Descendet in sepulcrum cum patribus suis.

PSALM. XLIX. 1. (*a*) Primus Christi adventus his verbis annontiatur. Est vere Deus, & Deus principium terræ.

2. (*b*) Decor virtutum & divinitatis Christi ex Sion per Apostolos cœpit coruscare: Immo Christus in Sion cœpit vocare omnes gentes ad lumen Evangelii.

3. (*c*) Cum gloria veniet in secundo adventu. *Verbum* quod non aperuit os suum, cum duceretur ad mortem, non silebit cum judicabit orbem terrarum.

5. (*d*) Per *sanctos*, intelligi possunt vel sacerdotes, *qui ordinant testamentum*; Hieron. *Qui feriunt pactum meum*, qui ritum sacrificandi ex fœdere meo observant; vel Israelitas aut Christianos ad sanctitatem vocatos. Hebr. *Congregate pios meos, ferientes pactum meum super sacrificium*, adhibito sacrificio.

6. (*e*) Scriptura solet cælo & terræ dicendum committere, quod vult esse notissimum.

8. (*f*) Majus aliquid requiro, non sacrificia legalia, sed sacrificium laudis, & virtutis internæ. Deus voluit sacrificia esse pietatis exercitia, quæ fidem alerent.

15. Et invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me.

16. Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas (g), & assumis testamentum meum per os tuum?

17. Tu vero odisti disciplinam: & projecisti sermones meos retrorsum.

18. Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas.

19. Os tuum abundavit malitia: & lingua tua concinnabat dolos.

20. Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum (h).

21. Hæc fecisti, & tacui.

Existimasti inique quod ero tui similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.

22. Intelligite (i) hæc qui obliviscimini Deum: nequando rapiat, & non sit qui eripiat.

23. Sacrificium laudis honorificabit me (k): & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

PSALMUS L.

Postquam ingressus esset ad Bethsabee: per ingressum illum denotatur causa adventus Prophetæ.

1. In finem, Psalmus David.

2. Cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bethsabee. (2. Reg. 12.)

3. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam (a).

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.

4. Amplius lava me (b) ab iniquitate mea: & a peccato meo munda me.

5. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper.

6. Tibi soli peccavi (c), & malum coram te feci: * ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris. * Rom. 3. 4.

7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum (d): & in peccatis concepit me mater mea.

8. Ecce enim veritatem dilexisti (e): incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

9. * Asperges me hyssopo (f), & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. * Lev. 14. Num. 19.

10. Auditui meo dabis gaudium (g) & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata.

11. Averte faciem tuam a peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.

12. Cor mundum crea in me Deus: & spiritum rectum innova in visceribus meis.

13. Ne projicias me a facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

14. Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali (h) confirma me.

15. Docebo iniquos vias tuas: & impii ad te convertentur.

16. Libera me de sanguinibus (i) Deus, Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea justitiam tuam.

17. Domine, labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam.

18. Quoniam si voluisses (k) sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

20. Beni-

16. (g) Quid faciendum sit justis, nos docuit, nunc ad impios qui oderunt disciplinam, usque ad vers. 21. sermonem convertit.

20 & 21. (h) Hebr. *Opprobrium*, calumniam. *Statuam*, Hieron. *Proponam ea ante oculos tuos*: In se ipsos intueri nolunt aut affecti, ponam ob oculos fœditatem eorum.

22. (i) Oblivio Dei veritates evidentissimas obducit.

23. (k) Sacrificium laudis in ara cordis per charitatem accensi. Verus est Dei cultus, qui in sacrificio mortis Christi fundatur. *Hujus sacrificii caro & sanguis, ante adventum Christi per similitudinem victimarum promittebatur; in passione Christi per ipsum veritatem reddatur; post ascensum Christi, ut sacramentum memoriæ celebratur*. August. Lib. 2 contra Faustum cap. 21. *Dei*, Hebr. *Et ponenti viam Dei coram se, ostendam salutem Dei*; recte instituenti viam suam ostendam me illi salvatorem.

PSAL. L. 3. (a) August. *Qui magnam misericordiam deprecatur, magnam miseriam confitetur; quærunt parvam misericordiam tuam, qui nesciendo peccaverunt. Attendis contemptores, ut corrigas; attendis nescientes, ut doceas; attendis confitentes, ut ignoscas.*

3. & 5. (b) Copiose per infusionem tuæ gratiæ & charitatis; vel uberius quam antea lava me: peccatum meum emunda. *Semper*: Quotidie mihi obversatur.

6. (c) Hebr. *Tibi, soli tibi peccavi*: Nam te unum metuebam; in te in primis peccavi. *Justificeris*: Ut justus agnoscaris. Nam verba quæ fieri, esse, agere significant, interdum pro rei cognitione sumuntur. Sic Matth. 6. *Sanctificetur nomen tuum*, sanctum esse innotescat, ex Augustino lib. 83. quæst. 69. *Judicaris*, Hebr. *In judicando te*, cum judicas, occulta mea flagitia educis in lucem, & punis: in omnibus tuis judiciis es laude dignus, quantumvis oblitrant impii.

7. (d) Ex hoc loco peccatum originale, seu originem iniquitatis Sancti Patres demonstrant, ut liquet ex Sancto Augustino in hunc locum, & ex Lib. 1. contra Julianum, ubi verba Ambrosii de Pœnitent. cap 2. refert. *Ecce enim in iniquitatibus, &c. antequam nascamur maculamur contagio, & ante usuram lucis, originis ipsius excipimus injuriam.* Chrysostomus in hunc locum: *Antiquitus ab initio natura peccatum involvit.* Hilarius in Psalmum 118. *Scit*, inquit, *sub peccati origine, & sub peccati lege se natum.* Hoc merito Episcopus Meldensis in supplemento ad Psalmos Grotium reprehendit, qui hac in re Pelagianis favet, atque hæc Davidis verba per hyperbolem inducta esse contendit. Atque, ut diximus, veteres hunc locum Psalmi 50 de peccato originis interpretantur. Inter alios Origenes Homil. 8. in Leviticum & Tract. 9 in Matth *Ostendunt*, inquit, *quod quæcumque anima in carne nascitur, iniquitatis & peccati sorde polluitur.* Idque confirmat ex Baptismo parvulorum in remissionem peccatorum collato. Sic Lib. 4. & 7. contra Celsum, generis humani contagium & labem ab Adamo repetit. *In peccatis*, Hebr. *in peccato*. Cur igitur in plurali? An forte est enallage numeri frequens apud Hebræos? An potius quod peccatum illud sit fons multorum peccatorum? *In iniquitate genitus sum*, formatus sum.

8. (e) Fidem, Religionem, simplicitatem in me dilexisti, mysteria occulta aperuisti; vel ex Augustin. sic misericordiam prærogasti, ut servares veritatem. Ignoscis confitenti & te ipsum punienti. *Occulta*, Hebr. *In abstruso sapientiam mihi cognitam fecisti*; quo minor est excusationi locus: noveram quam aversus esses ab omni injustitia.

9. (f) Ut leprosum ad hominum cœtus reducendum, Levit. 14. Sed salutaris victimæ sanguine se aspersum & purgatum iri confidit. August. *Asperges in hyssopo, humilitas Christi te mundabit.*

10. & 11. (g) Hieron. *Auditum mihi facies gaudium*, per verbum absolutionis prolatum Davidi a Propheta, & nobis per sacerdotale ministerium. Jam certus erat de peccati remissione, sed hoc ipsum dolorem ejus augebat, quod Deum tam benignum offendisset: *Lunova*. *Qui nos in Deum ducit*.

14. (h) Hieron. *Potenti*: Alii vertunt, *Liberali*; liberaliter in me effuso.

16. (i) A reatu multiplicis cædis Uriæ & commilitonum ejus; vel quia peccata ex carnis & sanguinis corruptione nascuntur. Hebræi *sanguinem* pluraliter efferunt.

18. (k) Non enim vis ut victimam feram. Qua voce innuit sacrificia veteris legis per se ipsa non placere Deo, et tandem ea desitura. August. *Et unde illum placabimus? Sane in te habes quod offeras; noli extrinsecus, pecus quod mactes inquirere; habes in te quod occidas. Sacrificium Deo spiritus contribulatus.*

20. Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: ut ædificentur muri Jerusalem.

21. Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

PSALMUS LI.

Argumentum est contra calumniatores. Aug. Et fortasse, quod non absurde sentimus, propter similitudinem nominis & unius syllabæ differentiam, vel potius unius litteræ, variati sunt tituli, nempe Abimelech, pro Achimelech.

1. In finem, Intellectus David,

2. Cum venit Doeg Idumæus, & nuntiavit Sauli: Venit David in domum Achimelech. (1. Reg. 22. 9.)

3. Quid gloriaris (a) in malitia, qui potens es in iniquitate?

4. Tota die injustitiam cogitavit lingua tua (b): sicut novacula acuta fecisti dolum.

5. Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis quam loqui æquitatem.

6. Dilexisti omnia verba præcipitationis, (c) lingua dolosa.

7. Propterea Deus destruet te in finem (d): evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo: & radicem tuam de terra viventium.

8. Videbunt justi, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent:

9. Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum:

Sed speravit in multitudine divitiarum suarum: & prævaluit in vanitate sua.

10. Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, & in sæculum sæculi.

11. Confitebor tibi in sæculum quia fecisti: & expectabo nomen tuum (e), quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

PSALMUS LII.

LXX. retinuerunt vocem Hebraicam Maeleth, ac videtur esse nomen instrumenti musici. Idem fere est argumentum, quod Psalm. 13. immo idem pene est Psalmus.

1. In finem, pro Maeleth intelligentiæ David.

Ps. 13. 1. Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.

2. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est qui faciat bonum.

3. * Deus de cælo prospexit super filios hominum: ut videat si est intelligens, aut requirens Deum. *Psal. 13. 2.

4. * Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. * Rom. 3. 12.

5. Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam ut cibum panis?

6. Deum non invocaverunt (a): illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.

7. Quis dabit ex Sion salutare (b) Israel? cum converterit Deus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, & lætabitur Israel.

PSALMUS LIII.

Psalmus est moralis & historicus, inimicorum ruinam prædicit per modum imprecationis, & confugit ad Deum humanis auxiliis destitutus.

1. In finem, in carminibus intellectus David,

2. Cum venissent Ziphæi, & dixissent ad Saul: Nonne David absconditus est apud nos? (1. Reg. 23. 19. & 26. 1.)

3. Deus in nomine tuo salvum me fac: & in virtute tua judica me.

4. Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

5. Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meam: & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

6. Ecce enim Deus adjuvat me: & Dominus susceptor est animæ meæ.

7. Averte mala (a) inimicis meis: & in veritate tua disperde illos.

8. Voluntarie sacrificabo tibi (b), & confitebor nomini tuo Domine: quoniam bonum est.

9. Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus (c).

PSAL-

PSAL. LI. 3. (a) O Doeg. Hebr. *O tu qui es potens*; unde multum tribuendum videtur versioni LXX. *Non est cur glorieris, quod potens sis in iniquitate*: Chaldæus, *potens ad effundendum sanguinem justum*.

4. (b) Stultus cordis sui cogitationes lineæ permittit inconsulta ratione. Tota die perstas in calumniis. *Sicut novacula*, infligis vulnera.

6. (c) Hebr. *Verba perditionis*; quæcumque aliis perniciem afferre possunt.

7. (d) In sempiternum; Hæ voces ponderandæ, *evellet*, *emigrabit*, excidet, eradicabit; ne trunco quidem relicto.

11. (e) Ordo verborum est: Confitebor tibi, & laudabo nomen tuum, quia *fecisti* misericordiam mecum, & elapsus sum e manu Doeg. Nomen, pro favore aut gratia.

PSAL. LII. 6. (a) Augustin. *Deus gratis se coli vult, gratis se vult diligi: hoc est caste amari, non propterea se amari, quia dat aliquid præter se, sed quia dat se. Placent*: Est quædam hominibus legitima placendi ratio, cum eorum salus quæritur: alia est omnino prohibita, cum in hominibus spes collocatur, quæ confusionem parit.

7. (b) Ut salus universi Israelis incipiat ex Sion. *Plebis suæ*: Cum reduxerit populum suum captivum. Apud Hebræos rariora sunt adjectiva, ac subinde ponunt duo substantiva, quorum alterum est in genitivo: Sic *abominatio desolationis*, est *abominanda desolatio*.

PSAL. LIII. 7. (a) Hieron. *Redde mala*. *In veritate*: Per veritatem tuam, ut promisisti, ut promissa præstes. LXX. *Averte*.

8. (b) Augustin. *Laudetur voluntas, ametur charitate: gratuitum sit & quod amatur & quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, & non propter aliud. Ipsum autem gratis dilige, quia melius ab eo non invenis: aut si invenis melius, hoc pete*. Bonum est, Deum laudare.

9. (c) Hebr. *Respexit*. Vidit oculus meus ultionem de inimicis meis.

PSALMUS LIV.

Tempore persecutionis videtur compositus, seu de Ceilanis conqueratur, seu de Absalone; estque deprecatorius.

1. In finem, in carminibus intellectus David.

2. Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam:
3. Intende mihi, & exaudi me.
Contristatus sum in exercitatione mea (*a*): & conturbatus sum
4. A voce inimici, & a tribulatione peccatoris (*b*).
Quoniam declinaverunt in me iniquitates: & in ira molesti erant mihi.
5. Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me.
6. Timor & tremor venerunt super me: & contexerunt me tenebræ:
7. Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam (*c*)?
8. Ecce elongavi fugiens: & mansi in solitudine.
9. Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, & tempestate (*d*).
10. Præcipita Domine, divide linguas eorum (*e*): quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate.
11. Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas: & labor in medio ejus,
12. Et injustitia.
Et non defecit de plateis ejus usura (*f*), & dolus.
13. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.
Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo.
14. Tu vero homo unanimis: dux meus, & notus meus:
15. Qui simul mecum dulces capiebas cibos (*g*): in domo Dei ambulavimus cum consensu.
16. Veniat mors super illos: & descendant in infernum viventes:
Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum.
17. Ego autem ad Deum clamavi: & Dominus salvabit me.
18. Vespere, & mane, & meridie (*h*) narrabo, & annuntiabo: & exaudiet vocem meam.
19. Redimet in pace animam meam (*i*) ab his qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.
20. Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui est ante sæcula.
Non enim est illis commutatio (*k*): & non timuerunt Deum:
21. Extendit manum suam in retribuendo.
Contaminaverunt testamentum (*l*) ejus,
22. Divisi sunt (*m*) ab ira vultus ejus: & appropinquavit cor illius.
Molliti sunt sermones ejus super oleum: & ipsi sunt jacula.
23. * Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem (*n*) justo. *Matth. 6. 25. Luc 12. 22. 1. Pet. 5. 7.
24. Tu vero Deus deduces eos, in puteum interitus.
Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te Domine.

PSALMUS LV.

Titulus, historia est 1. Regum c. 21. 12. Populus cujus fit mentio sunt 700. viri exules, qui accedere non poterant. Verba illa, tituli inscriptio, indicant hunc Psalmum, quasi columna aut metallo incisus esset, fore in monimentum sempiternum.

In finem,

1. Pro populo, qui a Sanctis longe factus est, David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth. (1. *Reg.* 21. 12.)

2. Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo (*a*): tota die impugnans tribulavit me.
3. Conculcaverunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes adversum me.
4. Ab altitudine (*b*) diei timebo: ego vero in te sperabo.

5. In

PSALM. LIV. 3. (*a*) In tacitis cogitationibus quæ me conturbant. Aug. *Ecce enim breviter audite & intelligite; Si bonus es, inimicum non habebis nisi malum.*

4 (*b*) Hieron. *A facie persequentis impii*: forte Achitophelis, aut alterius. Orationem nostram despicit Deus, ubi ea est cum levitate animi conjuncta, aut sæculi curis turbatur, & bonis operibus est vacua. *Declinaverunt*; Hieron. *Projecerant super me, comminiscuntur in me consilium iniquum. In ira*; Augustin. *Si fuerit inveterata, jam odium est: ira turbat oculum, odium extinguit.*

7. (*c*) Volabo ad locum vere quietis: si non mihi detur ut quiescam in patria, saltem mihi detur ut quam citissime fugiam in secessum aliquem.

9 (*d*) Hebr. *Festinabo*. Interpres sensum magis quam verba secutus est. Nam qui festinat orando ut salvetur, expectat eum qui salvat.

10 (*e*) Sint eorum varia consilia. *Civitate*, seu in Jerusalem, seu in Hebron, quo Absalom suos vocaverat, & ubi regnabat.

12. (*f*) Pessimis negotiis dedita est, & inter mores perditæ civitatis usuram notat, quæ labor est miserorum, & injustitia potentiorum.

15. (*g*) Vox Hebræa *secretum* & *consilium* significat. Dulciter communicavimus secreta, cum voluptate de rebus nostris consilium iniibamus. *Consensu*, Animis conjuncti. Qui comes erat in cultu Dei.

18. (*h*) Tria designat tempora, quibus Judæi Deum orabant. *Narrabo*, futurum pro imperfecto. Hebr. *Loquebar*, conquerebar.

19 (*i*) Redimendo me collocabit in pace; restituet me in pacem: unum verbum pro duobus. Sic Matth. 4. *Assumpsit eam diabolus*, assumendo eum transtulit in sanctam civitatem. *Ab his*, ab amicis olim, nunc a perfidis. Hieronym. *Ab impugnantibus*. *Mecum*, Inter ceteros familiares: vel liberabit me ab his qui mihi bellum inferunt, qui numero sunt superiores.

20. (*k*) Hieron. *Non mutantur*] male agere perseverant. *Extendit*, Deus est vindex. Hieron. *Extendit manum suam ad pacifica*: pacis & amicitiæ simulator Achitophel, & in ejus figura Judas proditor.

21. (*l*) Pactum suum, fidem quam mihi dederat, fregit.

22. (*m*) Dissipati. *Appropinquavit*. Hebr. Oppugnavit me. LXX. *Appropinquaverunt jacula*. *Sunt jacula*: Hebr. *Et ipsi sunt homines gladiorum*, sanguinarii.

23. (*n*) Non sinet justum everti in perpetuum; ad tempus nutant justi, & variis agitantur procellis; sed tandem Deus eos stabilitet.

PSAL. LV. 2. (*a*) Opprimere me voluit Achis, & ejus aulici; tum Saul ipse, qui quotidie oppugnando coarctat me, ex Hebræo.

4 (*b*) A summis periculis quæ quotidie imminent. Hieronymi & nostra translatio nescit negationem: *Ab altitudine diei*, ab altitudine divinæ potentiæ.

5. In Deo laudabo sermones meos (*c*), in Deo speravi: non timebo quid faciat mihi caro.

6. Tota die verba mea execrabantur (*d*): adversum me omnes cogitationes eorum, in malum.

7. Inhabitabunt (*e*) & abscondent: ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam,

8. Pro nihilo salvos facies illos: in ira populos confringes. Deus (*f*),

9. Vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo (*g*),

Sicut & in promissione tua:

10. Tunc convertentur inimici mei retrorsum:

In quacumque die invocavero te: ecce cognovi quoniam Deus meus es.

11. In Deo laudabo verbum (*h*), in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.

12. In me sunt Deus vota tua, quæ reddam (*i*), laudationes tibi.

13. Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu, ut placeam coram Deo (*k*) in lumine viventium.

PSALMUS LVI.

Ne disperdas Davidem toties periclitantem, 1. Reg. c. 24. Passioni Christi optime convenit.

In finem,

1. Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saul in speluncam. (1. *Reg.* 22. 1. & 24. 4.)

2. Miserere (*a*) mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

3. Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi.

4. Misit de cælo, & liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam,

5. Et eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormivi conturbatus.

Filii hominum dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus.

6. Exaltare super cælos Deus: & in omnem terram gloria tua.

7. Laqueum paraverunt pedibus meis: & incurvaverunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foveam: & inciderunt in eam.

8. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & psalmum dicam.

9. Exurge gloria mea (*b*), exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo.

10. Confitebor tibi in populis Domine: & psalmum dicam tibi in gentibus:

11. Quoniam magnificata est usque ad cælos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua.

12. Exaltare super cælos Deus (*c*): & super omnem terram gloria tua.

PSALMUS LVII.

Titulus fere idem, qui præcedentis, & argumentum consimile, adversus injustos persecutores.

In finem,

1. Ne disperdas, David in tituli inscriptionem.

2. Si vere utique justitiam loquimini (*a*), recta judicate filii hominum.

3. Etenim in corde iniquitates operamini (*b*): in terra injustitias manus vestræ concinnant.

4. Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero: locuti sunt falsa.

5. Furor illis secundum similitudinem serpentis (*c*): sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas.

6. Quæ non exaudiet vocem incantantium (*d*), & venefici incantantis sapienter.

7. Deus

5. (*c*) Hebr. *Verbum ejus*. Deum laudabo propter verbum ejus & promissiones mihi factas.

6. (*d*) Hebr. *Verba mea dolore me afficiunt*, Negotia mea me fatigant.

7. (*e*) Mecum habitabant, futurum pro præterito. *Observabunt*, Occultabunt dolos suos. *Sustinuerunt*, Dum expectant animam meam, ut perdant eam.

8. (*f*) Hebr. *Propter iniquitatem evasio eis*, per interrogationem: *ad pro nihilo*, pro nulla re salvos facies illos, nullo modo. *Populos*, In ira populos confringes Deus; vox enim, *Deus*, ad hunc locum revocatur.

9. (*g*) Hebr. *Lacrymas meas & labores considera*. *In promissione*: Certum tempus sibi revelatum innuere videtur, quo illius hostes essent perdendi.

11. (*h*) Augustin. *Non est castum cor, si Deum ob mercedem colit. Quid enim? mercedem de Dei cultu non habebimus? habebimus plane, sed ipsum Deum quem colimus. Noli extra eum aliquid ab eo conquærere, ipse tibi sufficit: quantumlibet sis avarus, sufficit tibi Deus.*

12. (*i*) Particula, *quæ*, forsitan redundat. *Laudationes*. Hieron. *Gratiarum actiones*, vota nuncupabo tibi. Hebr. *Super me sunt vota tua*; liberasti me, fides mea tibi est obligata.

13. (*k*) Ut tibi placendo ambulem *in lumine viventium*; ut agnoscam me Dei beneficio vivere: Hebr. *Ut ambulem coram Deo*, ut componam vitam ad Dei voluntatem.

2. (*a*) Est oratio Davidis in spelunca, cum abscidit extremum vestimenti Saulis. *Iniquitas*, Hebr. *Donec transierit contritio*, calamitatum tempus. PSALM. LVI.

9. (*b*) Lingua mea, ut sæpe alibi. *Diluculo*. August. *Puto quia hic jam agnoscitis Dominum resurgentem*

12. (*c*) Ut omnes te videant super cælos exaltatum. August. *O hæretica insania! quod non vides, credis mecum; quod vides, negas: credis mecum Christum exaltatum super cælos, quod non videmus: & negas gloriam ejus super omnem terram, quod videmus.* Hæc Augustin. adversus Donatistas, qui Ecclesiam periisse extra Africam somniabant.

2. (*a*) Cur verbis justitia in ore est? *Judicate*, in meo negotio. Hebr. addit, *In cordibus vestris*, quæ desunt in Vulgata. August. *Non sit justitia labiorum, sed & factorum.* PSALM. LVII.

3. (*b*) Vos manibus exequimini quod in cordibus vestris prave concepistis.

5. (*c*) Fiunt sicut serpentes, qui nunquam mansuescunt.

6. (*d*) Similitudinem accipit ab eo quod vulgo ferebatur: nec multum referre, an illud verum sit, necne: satis est quod ita vulgo crederetur. Saul sibi aures occluserat ne vera audiret. David dicit hostes suos serpentibus esse similes, non quibusvis, sed illis astutissimis, qui sibi cavent ab artibus magicis.

7. Deus conteret dentes eorum (*e*) in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus.

8. Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens: intendit arcum suum donec infirmentur.

9. Sicut cera, quæ fluit, auferentur: supercecidit ignis, & non viderunt solem.

10. Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum: (*f*) sicut viventes, sic in ira absorbet eos.

11. Lætabitur justus (*g*) cum viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatoris.

12. Et dicet homo: Si utique est fructus justo: utique est Deus judicans eos in terra.

PSALMUS LVIII.

Titulus pene idem qui in duobus præcedentibus.

In finem,

1. Ne disperdas, David in tituli inscriptionem, quando misit Saul, & custodivit domum ejus, ut eum interficeret. (1. *Reg.* 19. 11.)

2. Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me.

3. Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris sanguinum salva me.

4. Quia ecce ceperunt animam meam (*a*): irruerunt in me fortes.

5. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine: sine iniquitate cucurri, & direxi.

6. Exurge in occursum meum, & vide: & tu Domine Deus virtutum, Deus Israel,

Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.

7. Convertentur (*b*) ad vesperam: & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.

8. Ecce loquentur in ore suo (*c*), & gladius in labiis eorum: quoniam quis audivit?

9. Et tu Domine deridebis eos: ad nihilum deduces omnes gentes.

10. Fortitudinem meam ad te custodiam (*d*), quia Deus susceptor meus es:

11. Deus meus misericordia ejus præveniet me.

12. Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos: nequando obliviscantur populi mei.

Disperge illos in virtute tua: & depone eos protector meus Domine.

13. Delictum oris eorum (*e*), sermonem labiorum ipsorum: & comprehendantur in superbia sua.

Et de execratione & mendacio annuntiabuntur

14. In consummatione: in ira consummationis, & non erunt.

Et scient quia Deus dominabitur Jacob: & finium terræ (*f*).

15. Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes: & circuibunt civitatem.

16. Ipsi dispergentur ad manducandum: si vero non fuerint saturati, & murmurabunt.

17. Ego autem cantabo fortitudinem tuam: & exultabo mane misericordiam tuam.

Quia factus es susceptor meus, & refugium meum, in die tribulationis meæ.

18. Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia mea (*g*).

PSALMUS LIX.

Lib. 2. *Reg. cap.* 8. *&* 1. *Paralip.* 18. *argumentum Psalmi continetur; quod facile Christo & Ecclesiæ aptari potest, pro iis qui ad fidem convertentur:* in doctrinam, *Hebr.* ad docendum, *quando pugnavit: post persecutiones & multa mala victorias suas canit.*

In finem,

1. Pro his qui immutabuntur, in tituli inscriptionem ipsi David in doctrinam.

2. Cum succendit Mesopotamiam Syriæ, & Sobal, & convertit Joab, & percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia. (2. *Reg.* 8. 1. & 10. 7. & 1. *Paralip.* 18. 1.)

3. Deus repulisti nos (*a*), & destruxisti nos: iratus es, & misertus es nobis.

4. Commovisti terram, & conturbasti eam: sana contritiones ejus, quia commota est.

5. Osten-

7. (*e*) Quæ persecutores maneant pœnæ, describit variis similitudinibus, catulorum leonum, quorum dentes molares confringuntur; aquæ decurrentis, cujus nulla manet memoria, ceræ liquescentis, arcus intenti, sed statim confracti, & in Hebræo abortivi, & talpæ quæ non videtur solem.

10. (*f*) Succiduntur, ut succidi solent spinæ, antequam perveniant ad magnitudinem rhamni. Spinis id tribuit, quod solet hominibus convenire. Hebr. *Antequam sentiant lebetes vestri etiam rhamni; sic in ira, ut turbo perdet eum.* Quam citissime peribunt, tam celeriter quam extinguitur ignis spinarum, antequam lebetes illum senserint. *Viventes:* Hic est ordo verborum, ira Dei absorbebit eos, sicut viventes; ignis vivos devorabit.

11. (*g*) Amore Justitiæ divinæ, non delectatione alienæ miseriæ, non in se, sed in Deo lætabitur.

PSALM. LVIII. 4. 5. & 6. (*a*) Hebr. *Insidiantur animæ meæ*, insidias paraverunt. *Iniquitas*, supple, ulla est. *Et vide*, in quo sim statu.

7. (*b*) Hieron. *Revertantur.* De Judæis id prædictum videtur, qui in fine mundi convertentur. Sed in sensu literali eos indicat qui a Saule missi erant, ut Davidis domum obsiderent. A mane usque ad vesperam expectabant, & anxii veniebant, ut me comprehenderent. *Ut canes.* Hostes suos comparat canibus famelicis.

8. (*c*) Hebraismus, palam & aperte. *Audivit*, ubi lateat David: hi submissa voce de ejus nece loquebantur.

10. (*d*) Hieron. in comment. *In te mea est fortitudo: non ad me, sed ad te: hanc toties expertus non expavescam.* Augustin. *Ecce quid est? Fortitudinem meam ad te custodiam; de me omnino nihil præsumam.* Hebr. *Quoniam Deus elevatio mea est*, protectio mea instar arcis altissimæ. *Præveniet me:* Hebr. *Dei mei misericordia præveniet me.* Hæc optime intelligi possunt de Christo, in cujus persona loquitur David: ac sæpe excurrunt Prophetæ in materiam priori cognatam. Rogatur Deus ne extinguat populum Judaicum, sed eum dispergat tantum in nationes, & decidant a pristina dignitate tum regali, tum sacerdotali. Hieron. *Deus ostendit mihi insidiatores meos.*

13. (*e*) Hieron. *In peccato oris sui*, supple, disperge illos. Hæc & sequentia Judæis ob blasphemias in Christum, & execrationes aptari optime possunt. Nam dispersi sunt in virtute & potentia Dei, ut toto orbe iniquitas eorum, & veritas Christianæ religionis annuntietur; ut superbiæ suæ pœnas luant, & ubique eorum maledictio & mendacium, ac mattea juxta Hebræum textum prædicentur. August. *Dispersi sunt Judæi testes iniquitatis suæ, & veritatis nostræ.* *Annuntiabuntur*, ut prostrati & infames ob execrandas calumnias habebuntur: quæ Judæis apprime conveniunt, cum sine rege, sine dignitate & civitate post eversam a Tito Jerosolymam futuri essent.

14. (*f*) Augustin. *Non tantum Judæorum dominabitur, sed & finium terræ.*

18. (*g*) Augustin. *Totum quidquid sum, de misericordia tua est.*

3. (*a*) Orditur a malis præteritis. PSALM. LIX.

5. Ostendisti populo tuo dura (*b*): potasti nos vino compunctionis.

6. Dedisti metuentibus te significationem (*c*): ut fugiant a facie arcus:

Ut liberentur dilecti tui:

7. Salvum fac dextera tua, & exaudi me.

8. Deus locutus est in sancto suo: Lætabor, & partibor Sichimam (*d*): & convallem tabernaculorum metibor.

9. Meus est Galaad, & meus est Manasses: & Ephraim fortitudo capitis mei.

Juda rex meus (*e*):

10. Moab olla spei meæ (*f*).

In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt.

11. Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?

12. Nonne tu Deus, qui repulisti nos: & non egredieris Deus in virtutibus nostris (*g*)?

13. Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.

14. In Deo faciemus virtutem (*h*): & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

PSALMUS LX.

Hic Psalmus est Eucharisticus & deprecatorius. Videtur David loqui de seipso exule, & persecutionem patiente, vel postquam ultus est antiquos Israelis hostes. Christo & Ecclesiæ bene convenit.

In finem,

1. In hymnis David.

2. Exaudi Deus deprecationem meam: intende orationi meæ.

3. A finibus terræ (*a*) ad te clamavi: dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.

Deduxisti me,

4. Quia factus es spes (*b*) mea: turris fortitudinis a facie inimici.

5. Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula: protegar in velamento alarum tuarum.

6. Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam: dedisti hæreditatem (*c*) timentibus nomen tuum.

7. Dies super dies regis adjicies (*d*): annos ejus usque in diem generationis & generationis.

8. Permanet in æternum (*e*) in conspectu Dei: misericordiam & veritatem ejus quis requiret?

9. Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi: ut reddam vota mea de die in diem.

PSALMUS LXI.

Ad patientiam in adversis & spem in Deum adhortatur.

In finem,

1. Pro Idithun, Psalmus David.

2. Nonne Deo subjecta erit anima mea (*a*)? ab ipso enim salutare meum.

3. Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus: susceptor meus, non movebor amplius.

4. Quousque irruitis in hominem? interficitis (*b*) universi vos, tamquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ?

5. Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere (*c*), cucurri in siti: ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.

6. Verumtamen Deo subjecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea.

7. Quia ipse Deus meus, & salvator meus: adjutor meus non emigrabo (*d*).

8. In Deo salutare meum, & gloria mea: Deus auxilii mei, & spes mea in Deo est.

9. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adjutor noster in æternum.

10. Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris (*e*): ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.

11. Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere: divitiæ si affluant, nolite cor apponere.

12. Se-

5. (*b*) Augustin. *In persecutionibus, quas pertulit Ecclesia Christi.* Vino. Vatablus: *Vino lethali*, vel aceto, quod e vino prodit. Alii. *Vino soporis*. August. *Non enim erat genempsio perdens, sed medicina urens.*

6. (*c*) Hebr. *Vexillum*, ut confirmares metuentes te per veritatem promissionum tuarum, juxta Vulgatam. *Ut fugiant*: Signum Crucis datum est Christianis, ut iram divinam effugiant. Augustin. *Per tribulationes temporales significasti tuis fugere ab ira ignis sempiterni*: vel admonuisti nos ut fugeremus per pœnitentiam a facie iræ contra nos intentæ.

8. (*d*) Dominabor Samariæ. *Convallem*. Hieron. *Vallem Socchoth* in Tribu Gad possidebo. Lætabor potitus victoria adversus Idumæos, qui præsidiarios Davidis milites interfecerant. Hæc itaque *locutus est Deus in sancto suo*, verbo Prophetæ. Hieron. *In Sanctuario suo*. August. *In quo sancto suo? Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.*

9. (*e*) Hieron. *Legislator*, quod Rex esset ex Tribu Juda. Tribus hæc regia mea est.

10. (*f*) Hebr. *Moab olla lotionis meæ*; pelvis ad lavandos pedes: subjiciam eum pedibus meis. Alii intelligunt *ollam spei*, quod ea regio esset fertilis, vel quod iis devictis tota Idumæa subjiceretur. *Calceamentum*. Calcabo Idumæam mihi subjectam. Quæ spes ex versiculo proxime sequenti colligitur.

12. (*g*) An non cum nostris copiis egredieris? Hebr. *Nonne tu projecisti nos, & non egrederis?*

14. (*h*) Fortiter nos geremus Dei auxilio freti.

PSAL. LX. 3. (*a*) Ab extremis finibus Palæstinæ, vel ab extremis tergis, in quibus exul vitam ageret.

4. (*b*) Præcedenti versiculo posuit spem suam in Deo, qua spe fretus non dubitat de protectione Dei, seu de reditu suo juxta litteralem sensum; vel anagogice de cælesti beatitudine, vel demum allegorice de Christi adventu.

6. (*c*) Regnum & domum quam Davidi stabilivit. *Timentibus*: Quam soles dare timentibus te.

7. (*d*) Davidis & posterorum ejus. *Dies æternitatis*, non temporales David in mente habebat. Hæc referri debent ad Christum potius, quam ad Davidem; dies enim ejus non excesserunt ætatem hominis, sed sciebat cujus personam sustineret.

8. (*e*) Regnum quod in Davide non est æternum, sed transiens in Messiam, permanet in æternum. *Requiret*. Hieron. *Misericordia & veritas servabunt eum*. Davidem. Quis scrutari poterit, aut considerare, quanta sit Dei misericordia & justitia!

2. (*a*) Hebr. *Anima mea quiesce*. Sile, patienter expecta Dominum, ab ipso salus mea. PSAL. LXI.

4. (*b*) Hebr. *Interficiemini universi vos*, subito ruituri estis, ut paries inclinatus.

5. (*c*) Id moliuntur inimici, ut privent me pretio laborum meorum, vel Davidem regno, vel justum vita æterna. *In siti*, Hieron. *Placuerunt sibi in mendacium*; unde mox subdit, *Ore suo benedicebant*. Hebr. *Currunt usque ad sitim contrahendam*, me persequentes: conantur omnibus modis dejicere quem Dominus erexit, adeo sunt pleni audacia.

7. (*d*) Hebr. *Non nutabo*: In ejus fide & amore persistam: ædificat fidem suam, ut persistet in gratia Dei, & in ejus auxilio.

10. (*e*) Hebr. *In stateris ascendendo*; nihil aliud sunt quam mendacium & vanitas.

12. Semel locutus est Deus (*f*), duo hæc audivi, quia potestas Dei est,

*Matth. 16. 27. Rom. 2. 6. 1 Cor. 3. 8. Gal. 6. 5.

13. Et tibi Domine misericordia: * quia tu reddes unicuique juxta opera sua.

PSALMUS LXII.

Videtur idem desertum fuisse in tribu Juda, sed versus Idumæam.

Psalmus David.

1. Cum esset in deserto Idumeæ.
(1. *Reg.* 22. 5.)

2. DEus Deus meus ad te de luce vigilo.
Sitivit in te anima mea (*a*), quam multipliciter tibi caro mea.
3. In terra deserta, & invia, & inaquosa: sic in sancto apparui tibi (*b*), ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.
4. Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.
5. Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo levabo manus meas.
6. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum.
7. Si memor fui tui (*c*) super stratum meum, in matutinis meditabor in te:
8. Quia fuisti adjutor meus.
Et in velamento alarum tuarum exultabo,
9. Adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.
10. Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ (*d*):
11. Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt (*e*).
12. Rex vero lætabitur in Deo (*f*), laudabuntur omnes qui jurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua.

PSALMUS LXIII.

Contra insidias & calumnias opem implorat, confidens earum auctores cum magna justorum voluptate oppressum iri.

In finem,

1. Psalmus David.

2. EXaudi Deus orationem meam cum deprecor: a timore inimici eripe animam meam.
3. Protexisti me a conventu malignantium: a multitudine operantium iniquitatem.
4. Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: intenderunt arcum rem amaram,
5. Ut sagittent in occultis immaculatum.
6. Subito sagittabunt eum, & non timebunt: firmaverunt sibi sermonem nequam (*a*).
Narraverunt ut absconderent laqueos; dixerunt: Quis videbit eos?
7. Scrutati sunt iniquitates (*b*): defecerunt scrutantes scrutinio.
Accedet homo ad cor altum:
8. Et exaltabitur Deus.
Sagittæ parvulorum (*c*) factæ sunt plagæ eorum:
9. Et infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum (*d*).
Conturbati sunt omnes qui videbant eos:
10. Et timuit omnis homo (*e*).
Et annuntiaverunt opera Dei, & facta ejus intellexerunt.
11. Lætabitur justus in Domino, & sperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

PSALMUS LXIV.

Vix titulus Vulgatæ sibi constat; non enim Jeremias in captivitatem abductus est. Quin & hic Psalmus videtur esse de reditu e captivitate, quem hi duo Prophetæ prædixerant. Psalmus Canticum David, *est ipsius Davidis; quis reliqua adjecerit, incertum. In omnibus tamen reperitur editionibus.*

In finem Psalmus David.

1. Canticum Jeremiæ & Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire.

2. TE decet hymnus Deus in Sion (*a*): & tibi reddetur votum in Jerusalem.

3. Exau-

12. (*f*) Hieron. In comment. *Quod ait, semel, firmitatem dictorum ostendit. Audivi*, Hebr. *Bis audivi*: sæpius audivi. *Semel locutus est Deus* in monte Sinai, unde duo audivi, eum potentissimum esse ad vindicandas injurias, & benignum in pios.

PSALM. LXII. 2. (*a*) *Deus Deus meus*, ad fidem, *sitivit in te*, ad effectus pertinet. Hieron. *Desideravit te caro mea*, scilicet in terra deserta: *sitivit ad te anima mea*, vehementer ac multipliciter te desideravit caro mea in terra deserta; nam affectus animi vehementer se effundunt in corpus.

3. (*b*) Quasi essem in sanctuario: eo tendit *desiderium* meum, ut in sanctuario coram te appaream, ut videam virtutem tuam.

7. (*c*) Hebr. *Cum recordor tui in cubilibus meis.*

10. (*d*) Videtur sepulcrum designare.

11. (*e*) Laniandi bestiis. Quod si de inferno loquitur, cedent impii in partes dæmonum, qui ut vulpes insidiantur hominibus.

12. (*f*) Hic versus aptari potest Christo Domino. *Qui jurant*: Quicumque verum Deum colunt, laudabuntur.

PSALM. LXIII. 6. (*a*) Consilium nefarium inierunt. Bor. Laqueos quos tendimus. Hebr. *Corroborant sibi ipsis verbum nequam*. In pravis suis consiliis sunt obfirmati, inter se loquuntur de abscondendis laqueis mihi.

7. (*b*) Vias nocendi magno studio exquisierunt. *Scrutinio*. Hebræo. *Perfecerunt scrutinium scrutatus*, occultissimum, ut me perderent: Quidquid humanum ingenium fingit subtilius. *Cor altum*: Intima hominis penetrant: cum facta desint, quæ arguant, etiam cordis interiora exquirunt. *Exaltabitur Deus*, puniendo. Vel demum accedet homo ad callidas cogitationes, sed Deus eorum astutias dissipabit.

8. (*c*) Infirme manu jactæ. Hebr. *Sagittabit eos Deus jaculo repentino*. Inferentur iis plagæ, nec ictus sagittarum declinare poterunt.

9. (*d*) Hebr. *Et impingere fecerunt in semetipsos linguam suam*. Hieron. *Et corruent in semetipsos*, nec sibi ipsis constare poterunt: immo faciet Deus ut retorqueant gladios suos, & linguam suam in se ipsos.

10. (*e*) Hebr. *Timebunt*: Annuntiabunt, intelligent prudenter, expendent. In sensu literali & allegorico hic Psalmus Christo convenit ut capiti Ecclesiæ, & membris ejus. Judæi adversus eum exacuerunt linguas suas. Ad quemvis etiam justum in hoc deserto suspirantem referri potest.

2. (*a*) Hebr. *Tibi silentium, laus, Deus*. Cum nihil de te digne dici possit, tibi gratus est hymnus qui tibi canitur in Sion: vel ex Hebræo, te manet laus, te suis laudibus prædicandum expectat Ecclesia, idque in silentio. Vox Hebr. dum, דום, *silere*, metaphorice accipitur pro *expectare*. Sic novis beneficiis tuos prosequeris, ut semper habeant unde te laudent. *Votum*, Gratiarum actio. *Jerusalem*, In Ecclesia. *Tibi silentium*, tibi laus: sileant omnia, ubi de te laudando agitur. PSALM. LXIV.

3. Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet (*b*).

4. Verba iniquorum (*c*) prævaluerunt super nos: & impietatibus nostris tu propitiaberis.

5. Beatus, quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ: sanctum est templum tuum,

6. Mirabile in æquitate (*d*).

Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longe.

7. Præparans montes in virtute tua (*e*), accinctus potentia:

8. Qui conturbas profundum maris sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes,

9. Et timebunt qui habitant terminos a signis tuis: exitus matutini & vespere delectabis (*f*).

10. Visitasti terram & inebriasti eam: multiplicasti locupletare (*g*) eam.

Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum: quoniam ita est præparatio ejus.

11. Rivos (*h*) ejus inebria, multiplica genimina ejus: in stillicidiis ejus lætabitur germinans.

12. Benedices (*i*) coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur ubertate.

13. Pinguescent speciosa deserti: & exultatione colles accingentur.

14. Induti sunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.

PSALMUS LXV.

Hic Psalmus est eucharisticus. Verba tituli desunt in Hebræo, neque apud LXX. extabant ex Theodoreto; sed tamen argumentum ipsum attingunt.

In finem,

1. Canticum Psalmi resurrectionis.

JUbilate Deo omnis terra,

2. Psalmum dicite nomini ejus: date gloriam laudi ejus.

3. Dicite Deo quam terribilia sunt opera tua Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui (*a*).

4. Omnis terra adoret te, & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo.

5. Venite, & videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum.

6. Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede (*b*): ibi lætabimur in ipso.

7. Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super gentes respiciunt: qui exasperant non exaltentur in semetipsis (*c*).

8. Benedicite Gentes Deum nostrum: & auditam facite vocem laudis ejus,

9. Qui posuit animam meam ad vitam (*d*): & non dedit in commotionem pedes meos.

10. Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

11. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro:

12. Imposuisti homines super capita nostra (*e*).

Transivimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium.

13. Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea,

14. Quæ distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum, in tribulatione mea.

15. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boves cum hircis.

16. Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.

17. Ad ipsum ore meo clamavi, & exaltavi sub lingua mea.

18. Iniquitatem si aspexi (*f*) in corde meo, non exaudiet Dominus.

19. Propterea exaudivit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.

20. Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam a me.

PSAL-

3. (*b*) Vocatio gentium insinuatur: omne genus hominum opem suam implorabunt.

4. (*c*) Injuste facta. Verba pro rebus passim accipiuntur. Hebr. *Res iniquæ*, iniquitates.

6 (*d*) Hieron. *Terribilis in justitia; admirandæ æquitatis*. August. *Habes foris oculos, unde videas marmora, & aurum; intus est oculus, unde videatur pulcritudo justitiæ. Unde amatur justus senex? Quid offert in corpore, quod oculos delectet? Curva membra, frontem rugatam: tamen, si justus est, si alienum non concupiscit; si de suo quod habet, erogat indigentibus; si bene monet, & rectum sapit; inde eum amamus. Quid in eo bonum videmus oculis carnis? Nihil. Quædam ergo est pulcritudo justitiæ, quam videmus oculis cordis, & amamus, & exardescimus.*

7 (*e*) Qui montes ornas herbis, arboribus: vel qui montes firmis radicibus stabiles facis.

9 (*f*) Exitus, in accusativo casu. Exortum auroræ faciei delectabilem, solis ortum & occasum. Hieronym. *Laudantes facies*: Facis ut te laudent qui seu mane, seu vespere ad sacrificia procedunt. Laudes tuæ ab ortu usque ad occasum celebrantur.

10. (*g*) Admodum locupletasti, dato imbre copioso, quo factum est, ut flumen Dei, seu magnum, repletum sit aquis. August. *Crediderunt multi Israelitæ, & impleti sunt Spiritu. Inde diffusi per gentes cœperunt prædicare veritatem. & de flumine Dei, qui impletus est aqua, irrigata est tota terra. Flumen*: Sic enim terram præparas in hominum alimentum. Flumen illud magnum, non Jordanis modo intelligitur, qui exundatione sua ubertatem vicinis terris afferre potuit; sed etiam spirituali sensu ipse est Spiritus Sanctus, qui postquam Deus visitavit terram, gratiarum dona in animos ante steriles effudit.

11. (*h*) Hieron. *Sulcos*. *Genimina*, fruges: *Stillicidiis*, pluviis.

12. (*i*) Hebr. *Coronabis annum benignitate tua*: cumulabis frugibus. Sed hanc benignitatem Patres intelligunt de anno acceptabili & die salutis.

3. (*a*) Propter potentiæ tuæ splendorem inimici tui simulabant se esse nominis tui cultores: se tibi subjicient, sed ficto animo; vel in liberando Israele potentiæ tuæ excellentia inimicos mendacii & vanitatis revincit. PSALM. LXV.

6. (*b*) August. *Flumen est omnis mortalitas sæculi. Omnis qui natus est, cedit nascituro: & omnis iste ordo rerum labentium, fluctus quidam est.*

7. (*c*) Contumaces ne superbiant, ne alios lædant: Deus enim dominatur in æternum.

9 (*d*) Cum periclitarer de vita, hanc mihi Deus conservavit: vel me prædestinavit ad vitam. Hebr. *Excitavit nos a morte.*

12. (*e*) Nobis graves. August. *Quando male eunt, si parcit, plus irascitur: omnino istæ tribulationes flagella sunt corrigentia, ne sit sententia punientis. Per ignem*, August. *Ignis urit, aqua corrumpit: utrumque metuendum, & ustio tribulationis, & aqua corruptionis. Quando sunt res angustæ, & aliquæ sunt infelicitates in hoc mundo, quasi ignis est: quando sunt res prosperæ, & abundantia sæculi circumfluit, aqua est. Vas ergo quod in igne formatum est, aquam non timet: vas autem si solidatum non fuerit igne, tamquam lutum aqua solvitur. In refrigerium*. Hebr. *In irriguam*, supple, terram.

18. (*f*) Si machinatus fuero aliquid mali. *Dominus*: Non hic est verborum sensus, si alicujus peccati mihi conscius sum; sic enim Deus non exaudisset Publicanum: sensus is est ex Grotio, si animo meo spectassem ad consilia improba, non exaudisset me Dominus.

PSALMUS LXVI.

Latini Patres merito existimant in hoc Psalmo agi de Regno Christi, & de vocatione Gentium.

In finem,

1. In hymnis, Psalmus Cantici David.

2. DEus misereatur nostri (*a*), & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

3. Ut cognoscamus (*b*) in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum.

4. Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

5. Lætentur & exultent gentes: quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

6. Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes:

7. Terra dedit fructum suum (*c*).

Benedicat nos Deus, Deus noster,

8. Benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ (*d*).

PSALMUS LXVII.

Obscurus est hic Psalmus ob metaphoras & Poeticas descriptiones; sive hic decantatus fuerit cum Arca translata est in Jerusalem, sive in eo Veteris & Novi Testamenti mysteria describantur: seu denique argumentum illius sit exitus populi de Ægypto, aut de captivitate Babylonica.

Quatuor in partes dividitur, ut observat vir perdoctus Theologus Parisiensis. In prima usque ad vers. 5. imprecationem contra inimicos Dei, & deprecationem continet. Secunda ad 8. usque v. Dei laudes complectitur. In tertia parte miracula a Deo patrata in exitu filiorum Israel. Pars ultima est canticum laudis. Sed ubique Incarnatio, Ascensio Domini, & Conversio gentium prænuntiantur.

In finem,

1. Psalmus Cantici ipsi David.

2. EXurgat (*a*) Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum, a facie ejus.

3. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.

4. Et justi epulentur, & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia.

5. Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum (*b*): Dominus nomen illi.

Exultate in conspectu ejus, turbabuntur a facie ejus,

6. Patris orphanorum, & judicis viduarum (*c*).

Deus in loco sancto suo:

7. Deus qui inhabitare facit unius moris in domo (*d*):

Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris.

8. Deus cum egredereris in conspectu populi tui (*e*), cum pertransires in deserto.

9. Terra mota est (*f*), etenim cæli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.

10. Pluviam voluntariam (*g*) segregabis Deus hæreditati tuæ: & infirmata est, tu vero perfecisti eam.

11. Animalia tua habitabunt in ea (*h*): parasti in dulcedine tua pauperi Deus.

12. Dominus dabit verbum (*i*) evangelizantibus virtute multa.

13. Rex virtutum (*k*) dilecti, dilecti: & speciei domus dividere spolia.

14. Si

PSALM. LXVI. 2. (*a*) Hic versiculus desumptus videtur ex cap. 6. Num. vers. 17. eaque erat solemnis formula, qua sacerdotes populo benedicebant.

3. (*b*) Ut salus quæ a te proficiscitur, omnibus innotescat. Augustin. Ego *sum via, veritas, & vita; quasi diceret: Quid times? Per me ambulas, ad me ambulas, in me requiescis.*

7 (*c*) Christum scilicet Dominum, aut populorum conversionem, qui divinæ gratiæ rore perfusi magnos fructus proferunt.

8. (*d*) Timore sancto: nam si homo efferatur superbia, cælestem illam pluviam subducet, ac sterilis ut antea remanebis.

PSALM. LXVII. 2. (*a*) Cum arca curribus ad bellum transferri solebat, Numer. 10. vers. 33. Moyses dicebat: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, a facie tua.* Mutatur tantummodo secunda persona in tertiam.

5. (*b*) Id referre solent Hebræi Doctores ad populi Israelitici adventum in terram promissionis per Arabiæ deserta. *Turbabuntur*: Nihil est quod timeatis hostes vestros. Dei præsentiam sustinere non poterunt.

6. (*c*) Protectoris simul & vindicis. *In loco sancto suo*: In cælo cum sit, ut tamen rebus humanis præsit; nec procul quærendus est, habitat in medio nostri: habemus pignus ejus præsentiæ in Arca fœderis.

7. (*d*) Deus vobis certam sedem figet, & domum in qua habitetis. *Exasperant*, Ægyptios, Deo rebelles, qui Hebræos persecuti Deum exasperabant, & quorum pars magna in mari rubro sepulta est: aut etiam Israelitas contumaces, qui in deserto sepulti sunt. *In sepulcris*: Per sepulcra Propheta intelligit loca deserta, & arida, ut Ezechiel, cap. 37. terram captivitatis vocat sepulcra.

8. (*e*) Cum præires in columna nubis, ut dux populi tui.

9 (*f*) Cum legem dares. *Distillaverunt*, Mensa: mox a figura transit ad rem figuratam more suo.

10. (*g*) Hebr. *Pluviam abundantem*: Ecclesiæ quæ est hæreditas tua, gratiam & dona cælestia largiens, cum infirmata fuerint ejus membra, & malis oppressa. *Eam*, Hæreditatem tuam roborabis.

11. (*h*) Grex tuus, oves tuæ. Vox Hebræa etiam conventum significat. *Parasti*. Ob benignitatem tuam res necessarias ei præparasti, *pauperi* & afflicto, qui egeret, nisi tu prospexisses.

12. (*i*) Copiam sermonis Evangelii præconibus. *Virtute*. Cum signis & prodigiis: vel in alio sensu litterali, iis qui victorias ab exercitu tuo reportatas annuntiabant, ubi rem loquendi materiam dabas, quam tamen mulierum victorias prædicantium concinebat his verbis, *Rex virtutum, &c.*

13. (*k*) Exercituum. Hebr. *Reges exercituum fugerunt, fugerunt: & habitatrices domus dividebant spolia.* Non milites tantum, sed & mulieres quæ manent domi, partem habebunt prædæ. Vel juxta Hieronym. *Reges exercituum fœderabuntur, fœderabuntur*. Martianus existimat prælia & victorias filiorum Israel ab exitu ex Ægypto ad David usque deinceps commemorari, non servata temporum serie. Nihil enim caussæ erat, ut ait Hieronymus in cap. 25. Ierem. Prophetis tempora conservare, quæ historiæ leges desiderant, sed scribere utcumque audientibus, atque lectoris, quod utile noverant. *Speciei domus*, pulcritudo domus. Præfecti exercituum, ut eidem videtur auctori laudato; Jabin, Sisara & alii qui adversus Israelem erant confœderati, his verbis designantur, *Reges exercituum*, Lib. Jud. cap. 5. vers. 19. *Et pulcritudo domus*, vel *habitatrix domus*, juxta textum Hebræum. His quidem vocibus Debbora & Jahel victrices Chananæorum, quibus victoria de Sisara reportata fuit attributa, insinuantur, juxta illud vaticinium Debboræ Judic. cap. 4. versu 9. *Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara.*

14. Si dormiatis inter medios cleros (*l*), pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.

15. Dum discernit cælestis reges super eam (*m*), nive dealbabuntur in Selmon:

16. Mons Dei, mons pinguis:

Mons coagulatus (*n*), mons pinguis:

17. Ut quid suspicamini montes coagulatos (*o*)?

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

18. Currus Dei decem millibus (*p*) multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto.

19. Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus (*q*):

Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum.

20. Benedictus Dominus die quotidie (*r*): prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.

21. Deus noster, Deus salvos faciendi (*ſ*): & Domini Domini exitus mortis.

22. Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem (*t*) capilli perambulantium in delictis suis.

23. Dixit Dominus: Ex Basan convertam (*u*), convertam in profundum maris:

24. Ut intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipso.

25. Viderunt ingressus tuos (*x*) Deus, ingressus Dei mei regis mei: qui est in sancto.

26. Prævenerunt principes conjuncti psallentibus (*y*), in medio juvencularum tympanistriarum.

27. In ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel (*z*).

28. Ibi Benjamin adolescentulus (*aa*), in mentis excessu.

Principes Juda, duces eorum: principes Zabulon, principes Nephthali.

29. Manda Deus virtuti tuæ (*bb*): confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

30. A templo tuo (*cc*) in Jerusalem, tibi offerent reges munera.

31. Increpa feras arundinis (*dd*), congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos, qui probati sunt argento.

Dissipa gentes, quæ bella volunt:

32. Ve-

14. (*l*) Locus difficilis, quem alii aliter exponunt: videtur multis hic esse genuinus sensus ex Hebræo: Etiamsi habitaveritis inter ollas, seu in loco ubi reponuntur ollæ, & oppressi fueritis calamitatibus, jam eritis candidi, quasi tecti pennis columbæ. Verbum substantivum apud Hebræos sæpe non exprimitur: *Eritis ut pennæ columbæ deargentatæ*, cujus cauda instar auri est splendida. Etiamsi fideles ipsos contingat ad tempus in tenebris jacere, Dominus tamen iis lucem restituet suam. *Inter medios cleros*, vox Hebræa, *ollas*, aut *crematheras*, quibus ollæ appenduntur, aut *limites* etiam significat. Vir perdoctus hunc Psalmum potius intentam de soluta captivitate Babylonica exponit, hoc modo: Etiamsi hactenus in tenebris inter Babyloniorum ollas miseri dormieritis, jam velut columbæ argenteæ, quarum caudæ colore auri fulgent, splendentes eritis. Columbæ erant insignia Chaldæorum vexillis impressa. Unde Nabuchodonosor a Jeremia non semel *columbæ* nomine exprimitur. Similes columbis candidis ad magnam felicitatem pervenietis, cum securi habitaveritis in mediis vestris finibus. Nec tamen LXX. Interpretes, nec Vulgata *ollas* reddunt, sed *cleros*, seu hæreditates. Vertit Martianæus, *Inter medios terminos*. Sic Genes. 49. vers. 14. Issachar dicitur *accubans inter terminos*; & Judic 5. vers. 16. qui in agris suis cessavent, dum aliæ tribus pugnabant, sic reprehenduntur: *Quare habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum?* balatus ovium & agnorum potius quam tubarum sonitum audire amas? Columbarum colores in columbariis intueri malebant, quam vestis. Quare intra vestras possessiones cessatis, dum fratres vestri pro patriæ salute vitam exponunt suam, idque cum vestro dedecore? Videbitis prædam hostium dividi a mulieribus. Quod Debora in suo Cantico pulcre exprimit. Jud. 5. 17. 18. *Galaad trans Jordanem quiescebat, & Dan vacabat navibus; Zabulon & Nephthali obtulerunt animas suas morti.*

15. (*m*) Hebr. *Cum divideret robustissimus reges intra.* An de Josue loquitur, quem vocat *robustissimus*? Nihil obstat, quominus in spirituali sensu hæc verba de Christo & Ecclesia cum Augustino intelligantur. Sic erit apostrophe ad duces & principes Ecclesiæ, qui secure & sine strepitu sæculi inter duas hæreditates veteris & novi Testamenti habitant. Hos cum regibus comparat, & Ecclesiam cum monte nivibus obducto, sed fertili, qualis est mons Selmon admodum excelsus, quique ob eam rationem *mons Dei* appellatur. Hebr. *Cum dispergeret Omnipotens reges super eam*; cum reges contereret & traduceret velut in triumpho, *super eam*, propter Jerusalem. Albe facta est velut nix in Selmon: nitorem & candorem attulisti huic terræ, quæ prius nigra erat & squalida præ mœrore: victis regibus & profligatis magna est lætitia consecuta. *Mons pinguis*, Hebr. *Mons Dei, Mons Basan*. Montem Sion opponit monti Basan: tametsi mons Sion esset colli similior, quam monti: sed propter Dei gratiam, cum Dominus in eo resideret, omni rerum copia abundavit.

16. (*n*) Qui a variis collibus est compositus.

17. (*o*) Nullus alius hunc montem, seu Ecclesiam divinæ gratiæ lacte & donorum ubertate æquat. Hebr. *Ut quid exilitis montes excelsi?* Ut quid contenditis, & conamini deprimere montem Sion, quem diligit Deus, & in quo vult habitare?

18. (*p*) Descensum Dei in montem Sinai confert cum Ascensione Christi in cælum, comitante Angelorum multitudine.

19. (*q*) Ut inter homines ea distribueres, Ephes. 4. *Non credentes*; Etiam incredulos tui juris fecisti, ut Dominus cum iis & apud illos maneret: vel fecisti ut increduli habitarent hanc terram; ac dominis Retæiis, aut Chananæis, ut in hac regione Arca Dei, aut populus Dei inhabitaret.

20. (*r*) Hebr. *Die, die*; idest, singulis diebus. Cum enim substantivum geminatur, tum alterum est iis interdum est loco adjecti vi distributi, quo carent Hebræi. Sic Genes. 7. *Tolle septena & septena*, id est, singula septena. *Nostrorum*, Deus nos non deleret in hoc itinere, auctor salutis nostræ.

21. (*ſ*) Qui vult nos salvare *Mortis*: Ad eum pertinet nos a morte liberare, & inimicos perdere: a Domino est exitus a morte ad vitam.

22. (*t*) Superbiam & vanitatem. August. *Nimis superbientium in delictis suis, in quibus saltem humiles esse deberent.* *Verticem capilli*, Capillos verticis.

23. (*u*) Ex regione uberrima projiciam inimicos in mare; a voluptate in miseriam æternam. *Ut intingatur pes tuus in sanguine inimicorum tuorum.* Hebr. *Ex Basan reducam meos*: reducam de profundo maris. Deus nos liberabit, ut olim dejecit Og regem Basan, & populum suum trajecit per mare. Cum Prophetæ prædicant beneficia Dei erga Ecclesiam, in exemplum solent proponere liberationem illam ex Ægypto, aut Babylone.

25. (*x*) Actiones tuas & victorias, o Christe; quæ ad litteram intelligi possunt de Arcæ translatione: sed & triumphus Christi testibus non caruit.

26. (*y*) Post subversionem Pharaonis; huc enim videtur alludere: vel potius ad publicam lætitiam in die translationis Arcæ; & spirituali sensu ad diem Ascensionis Domini.

27. (*z*) Vos qui estis de stirpe Israel; vel de promissionibus Dei, unde hauriuntur benedictiones.

28. (*aa*) Tribus exigua. Sub nominibus Patriarcharum recte intelliguntur Apostoli, ut Paulus, qui raptus in tertium cælum ecstasim passus est. *Excessu*, Hebr. *Dominatur eis.* Ex ea tribu natus rex Saul qui primus regnavit: Post eum regnavit Judas sub Davide. *Principes*, ut Jacobus & Judas fratres, sed cognati Domini. *Nephthali*: nam ceteri fere Apostoli erant ex iis tribubus. Propheta hos designare videtur sub nominibus principum veteris Ecclesiæ.

29. (*bb*) Utere potentia tua. Verbum ipsum, hoc est, virtus Dei hoc mandatum accepit a Patre, ut ponat animam suam, ut in templo humanitatis suæ opus redemptionis hactenus figuris adumbratum consummet: vel constitutam Ecclesiam virtute tua confirma, & serva, ut inde perpetuæ laudes prodeant.

30. (*cc*) Propter Ecclesiæ sanctitatem. Hebr. *Præcepit Deus tuus fortitudinem tuam*; suppeditavit tibi Deus tantum robur: a tabernaculo tuo prodibit robur tuum.

31. (*dd*) Feræ arundinis dæmones ipsi, vel hostes Ecclesiæ bene intelliguntur. Graviter vexant agmina fidelium. *Vaccis*, Hebr. *Cum vitulis populorum*; validas instar taurorum, & proceres instar vitulorum. *Argento*, Hieron. *Calcitrantium contra rotas argenteas*; superbientes de viribus suis: vel increpa tyrannos, qui velut feræ in arundineto, & sicut tauri in grege vaccarum excitant tumultum & horrorem: ita hi faciunt in congregatione populi tui.

32. Venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet (*ee*) manus ejus Deo.

33. Regna terræ, cantate Deo: psallite Domino, psallite Deo,

34. Qui ascendit super cælum cæli, ad Orientem (*ff*).

Ecce dabit voci suæ vocem virtutis,

35. Date gloriam Deo super Israel, magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.

36. Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

PSALMUS LXVIII.

Hic Psalmus est propheticus de Passione Christi, Ecclesiæ initiis, ac Judæorum exitio. Quod litteralis ejus sensus ad Christum pertineat, omnino liquet ex ejus verbis quæ citant Apostoli, Joann. 2. Zelus domus tuæ comedit me; *Joann.* 15. Quia oderunt me gratis; *Matth.* 27. In siti mea potaverunt me aceto; *Act.* 1. Fiat habitatio eorum deserta; *Rom.* 15. Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

1. In finem, pro iis, qui commutabuntur David.

2. Salvum me fac Deus (*a*): quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

3. Infixus sum in limo profundi: & non est substantia (*b*).

Veni in altitudinem maris: & tempestas demersit me.

4. Laboravi clamans (*c*), raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

5. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.

Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste: quæ non rapui (*d*), tunc exsolvebam.

6. Deus tu scis insipientiam meam (*e*): & delicta mea a te non sunt abscondita.

7. Non erubescant in me qui expectant te Domine, Domine virtutum.

Non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israel.

8. Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit (*f*) confusio faciem meam.

9. Extraneus factus sum fratribus meis (*g*), & peregrinus filiis matris meæ.

10. * Quoniam zelus domus tuæ comedit me (*h*): * & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. * Joann. 2. 17. * Rom. 15. 3.

11. Et operui in jejunio (*i*) animam meam: & factum est in opprobrium mihi.

12. Et posui vestimentum meum cilicium: & factus sum illis in parabolam.

13. Adversum me loquebantur qui sedebant in porta (*k*): & in me psallebant qui bibebant vinum.

14. Ego vero orationem meam ad te Domine (*l*): tempus beneplaciti Deus.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ.

15. Eripe me de luto, ut non infigar: libera me ab iis qui oderunt me, & de profundis aquarum.

16. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque urgeat super me puteus os suum (*m*).

17. Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

18. Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.

19. Intende animæ meæ (*n*), & libera eam: propter inimicos meos eripe me.

20. Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reverentiam meam (*o*).

21. In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: improperium expectavit cor meum, & miseriam.

Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inveni.

22. * Et dederunt in escam meam fel (*p*): & in siti mea potaverunt me aceto. * Matth. 27. 48.

23. * Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum (*q*), & in retributiones, & in scandalum. * Rom. 11.

24. Obscu-

32. (*ee*) Ultro prævenient cum muneribus, & legatos mittent. Hebr. *Æthiopia currere faciet manus suas Deo*: prompte offeret Deo munera.

34. (*ff*) Nam mons Oliveti ad Orientem Jerosolymæ positus est. *Voci suæ*. Humanitati suæ vocem virtutis in extremo judicio, tum enim apparebit magnificentia ejus, & virtus in nubibus, tumque erit *mirabilis in Sanctis suis*. Hebr. *Terribilis*, & fortitudine sua eos induet. Cum sensus litteralis sit fere ubique perobscurus & inaccessus, optimum fuerit ad sensum sublimiorem, & valde probabilem confugere.

PSALM. LXVIII. 2. (*a*) Salutem corporis petit, non absolute, sed ut acerbitatem Passionis ostendat, quam per varias metaphoras & similitudines describit, aquæ profundæ, limi, aut luti, tempestatis: quibus metaphoris dolores Christi in Passione sua, & membrorum ejus nascentis Ecclesiæ exprimuntur.

3. (*b*) Gr. *Hypostasis*. Hieronym. *Nihil est firmum*, *nec est ut queam subsistere*.

4. (*c*) Figurata locutio, qua interiores Christi gemitus exprimuntur. *Oculi*, Quos in cælum defixos habui.

5. (*d*) Pœnas luebam peccatorum quæ non feceram, & quæ non rapueram exsolvebam.

6. (*e*) Quam mihi imputant, uti & delicta, quæ portavi, non mea, sed hominum: Crux Christi eo nomine intelligi potest, quo sensu eam usurpat Apost. 1 Corinth. 1.

8. (*f*) Pertuli contumelias, flagella, sputa, &c.

9. (*g*) Tamquam extraneum me habuerunt Judæi.

10. (*h*) Hunc locum de Christo in templo vendentes expellente exponit Joann. cap. 2. uti & Apost. Rom. 15. quæ sequuntur. *Opprobria exprobrantium*, &c. Hæc in me redundabant, cum dicerent: *Si Rex Israel est*, *descendat de cruce*, Matth. 26. Ut videatur excedere me ingens studium, aut æmulatio, quæ pro tuo & domus tuæ honore me afficit. Zelum domus Dei vocat studium, quod impendere debemus in cultum Dei, & veram Religionem.

11. (*i*) Hebr. *Flevi in jejunio animæ meæ*: fletum miscui cum jejuniis: operui caput meum jejunando, quod erat luctus indicium.

13. (*k*) Judices, viri graves. *Vinum*, juvenes & derisores.

14. (*l*) Mea autem oratio ad te, Domine. *Beneplaciti*, Tempus, quo benignitatem tuam manifestas: jam venit tempus, quo placuit tibi per hoc sacrificium liberare mundum. *In multitudine*, Propter magnam misericordiam tuam. *Salutis*, Propter fidelem & certam auxilium tuum.

16. (*m*) Non coarctet. Hebr. *Non claudat*.

19. (*n*) Precibus meis aures accommoda. Hebr. *Appropinqua ad animam meam*, *ut redimas eam*.

20 (*o*) Hier. *Ignominiam*, alii verecundiam.

22 (*p*) Apertus est de Passione Domini locus, Matth 27. vers. 34. Marcus vero cap. 15. vers. 23. vocat vinum myrrhatum cum admixtione fellis: pro esca & potu dederunt vinum myrrhatum: *Et potaverunt me aceto*; nihil illustrius hac prophetia.

23 (*q*) Ut contingit aviculis, quæ vitam quærentes capiuntur. *Retributiones*; De Judæis intelligit Paulus Rom. 11. *In scandalum*, Iis illis occasio ruinæ est lex & Prophetæ Judæorum vitio facta sunt illis in laqueum.

24. Obscurentur oculi eorum ne videant : & dorsum eorum semper incurva (r).

25. Effunde super eos iram tuam : & furor iræ tuæ comprehendat eos.

* Act. 1. 20. 26. * Fiat habitatio eorum deserta (f) : & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

27. Quoniam quem tu percussisti (t), persecuti sunt : & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

28. Appone iniquitatem super iniquitatem eorum : & non intrent in justitiam tuam.

29. Deleantur de Libro viventium (u), & cum justis non scribantur.

30. Ego sum pauper & dolens : salus tua Deus suscepit me (x).

31. Laudabo nomen Dei cum cantico : & magnificabo eum in laude :

32. Et placebit Deo super vitulum novellum : cornua producentem & ungulas.

33. Videant pauperes & lætentur : quærite Deum, & vivet anima vestra :

34. Quoniam exaudivit pauperes Dominus : & vinctos suos non despexit.

35. Laudent illum cæli & terra, mare, & omnia reptilia in eis.

36. Quoniam Deus salvam faciet Sion : & ædificabuntur civitates Juda.

Et inhabitabunt ibi, & hæreditate acquirent eam.

37. Et semen servorum ejus possidebit eam, & qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea.

PSALMUS LXIX.

Ad memoriam antiquæ liberationis a Saulo, vel a gravi aliqua necessitate, ut videtur Basilio; vel est oratio Christi pendentis in Cruce pro Resurrectione sua, aut pro salute Corporis sui mystici: vel formam orandi continet, quam sequi debent fideles.

In finem, Psalmus David.

1. In rememorationem, quod salvum fecerit eum Dominus.

2 DEus in adjutorium meum intende : Domine ad adjuvandum me festina.

3. Confundantur & revereantur qui quærunt animam meam :

4. Avertantur retrorsum (a), & erubescant qui volunt mihi mala :

Avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi : Euge, euge.

5. Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te, & dicant semper : Magnificetur Dominus : qui diligunt salutare tuum.

6. Ego vero egenus, & pauper sum : Deus adjuva me.

Adjutor meus, & liberator meus es tu : Domine ne moreris.

PSALMUS LXX.

Dici solebat in persona filiorum Jonadab, & aliorum qui in priori captivitate sponte Babylonem profecti sunt.

Psalmus David.

1. Filiorum Jonadab, & priorum captivorum.

IN te Domine speravi, non confundar in æternum :

2. In justitia tua libera me, & eripe me.

Inclina ad me aurem tuam, & salva me.

3. Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum : ut salvum me facias :

Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.

4. Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui.

5. Quoniam tu es patientia mea Domine : Domine spes mea a juventute mea.

6. In te confirmatus sum ex utero : de ventre matris meæ tu es protector meus.

In te cantatio mea semper (a) :

7. Tamquam prodigium factus sum multis (b) : & tu adjutor fortis.

8. Repleatur os meum laude (c), ut cantem gloriam tuam : tota die magnitudinem tuam.

9. Ne projicias me in tempore senectutis : cum defecerit virtus mea (d), ne derelinquas me.

10. Quia dixerunt inimici mei mihi : & qui custodiebant animam meam (e), consilium fecerunt in unum,

11. Dicentes : Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum : quia non est qui eripiat.

12. Deus ne elongeris a me : Deus meus in auxilium meum respice.

13. Confundantur, & deficiant detrahentes animæ meæ : operiantur confusione & pudore qui quærunt mala mihi.

14. Ego autem semper sperabo : & adjiciam super omnem laudem tuam.

15. Os

24 (r) Nec sursum se tollant. Vox *semper*, non æternitatem, sed tempus, cujus finis ignoratur, sæpe significat. Nam Judæi convertentur ad vesperam, sub finem mundi. *Fiat mensa eorum*, quam mihi paraverunt, fellis & aceti.

26. (f) De Juda id exponunt, Actor. 1. Cingerunt etiam Judæis, Luc. 13. 35. *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, utique deerunt, non in Judæa.

27. & 28 (t) Qui tua caussa erat percussus. *Appone*, Deserendo August. Non *vulnerando*, *sed non sanando*. *Non intrent*, Non sint bonitatis tuæ participes.

29. (u) De numero viventium. Vel non scribantur ob eorum flagitia prava.

30. (x) In postrema hac parte, gloria Christi, ut capitis, & Ecclesiæ incrementum prædicitur. Christus a Cruce transiit ad immensam gloriam. *Suscepit me*, August. *Ad quam rem? ut non sim pauper & dolens.*

4. (a) Frustrati spe sua abeant, & pudore afficiantur.

6. (a) De te : nam particula, in, quandoque subjectum de quo agitur, indicat.

7. (b) Ita fugerunt a me tamquam a prodigio : sed illis deserentibus, tu factus es adjutor meus. Qui sæculum contemnit, qui patienter mala sustinet; mundanis est instar prodigii. August. *Unde mihi insultant*, qui me prodigium putant, quia credo quod non video.

8 (c) August. *Sine intermissione in prosperis*, quia consolaris; *in adversis*, quia corrigis.

9. (d) Hieron. *Fortitudo mea*; hoc senes petere debent auxilium, cum defecti sunt viribus. Augustin. *Responder hoc tibi Deus; animo vero deficiat virtus tua, ut in te maneat mea.*

10. (e) Qui vitæ meæ struebant insidias.

PSALM. LXIX. PSALM. LXX.

15. Os meum annuntiabit justitiam tuam: tota die salutare tuum.

Quoniam non cognovi litteraturam (*f*),

16. Introibo in potentias Domini (*g*): Domine memorabor justitiæ tuæ solius.

17. Deus docuisti me a juventute mea (*h*): & usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.

18. Et usque in senectam & senium: Deus ne derelinquas me,

Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est;

Potentiam tuam,

19. Et justitiam tuam Deus usque in altissima (*i*), quæ fecisti magnalia: Deus, quis similis tibi?

20. Quantas ostendisti mihi tribulationes (*k*) multas, & malas: & conversus vivificasti me: & de abyssis terræ iterum reduxisti me,

21. Multiplicasti magnificentiam tuam: & conversus consolatus es me.

22. Nam & ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam: Deus psallam tibi in cithara, sanctus Israel.

23. Exultabunt labia mea cum cantavero tibi: & anima mea, quam redemisti.

24. Sed & lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam: cum confusi & reveriti fuerint qui quærunt mala mihi.

PSALMUS LXXI.

Hic Psalmus historicus est, 3. Reg. 1. Priores versus Salomoni conveniunt; sed Divinus Vates statim ad Christum, suum convertit sermonem, cujus Salomon typus fuit.

Psalmus.

1. In Salomonem.

2. DEus judicium tuum (*a*) regi da: & justitiam tuam filio regis:

Judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio.

3. Suscipiant montes pacem (*b*) populo, & colles justitiam.

4. Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum: & humiliabit (*c*) calumniatorem.

5. Et permanebit cum Sole (*d*), & ante Lunam, in generatione & generationem.

6. Descendet sicut pluvia in vellus (*e*): & sicut stillicidia stillantia super terram.

7. Orietur in diebus ejus justitia (*f*), & abundantia pacis: donec auferatur luna.

8. Et dominabitur a mari usque ad mare (*g*); & a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

9. Coram illo procident Æthiopes: & inimici ejus terram lingent (*h*).

10. Reges Tharsis & insulæ (*i*) munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent:

11. Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes servient ei (*k*):

12. Quia liberabit pauperem a potente: & pauperem, cui non erat adjutor.

13. Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum salvas faciet.

14. Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum (*l*) coram illo.

15. Et vivet (*m*), & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper: tota die benedicent ei.

16. Et erit firmamentum in terra (*n*) in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus: & florebunt de civitate sicut fœnum terræ.

17. Sit nomen ejus benedictum in sæcula: ante solem (*o*) permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.

18. Bene-

15. (*f*) Hebr. *Negotiationem*: Hujus sæculi versutias, nec illis usus sum unquam: tu me sapientiam veram & sanctam docuisti. Hæc verba in Hebræo juncta sunt præcedentibus. Ad numerum veniunt. Innumerabilia sunt beneficia in me tua; unde nunquam tacebo laudem tuam. Tantæ rei se imparem agnoscit, ut annuntiet potentias Domini, cujus providentiæ se totum permittat, in ejus contemplatione acquiescens. *Recordabor*, Profanas scientias non didici, omnipotentiæ tuæ effectus contemplabor; prudentiam carnis, & artes illius non adhibeo, tua potentia subnixus. Augustin. *Reprobem litteratorum, id est, homines de littera elatos, & de suis viribus perverse præsumentes tamquam phreneticos*. Nonnulli, ut P. Gordonus, suspicantur loco γραμματείας, ut legitur apud LXX. Interpretes, scriptum fuisse πραγματείας, quæ vox humanam significat industriam.

16. (*g*) Hebr. *Ingrediar*, seu aggrediar narrare fortia facta tua vel contemplabor fortitudinem tuam, qua uteris in juvandis tuis: *Memorabor*, Hebr. *justitiæ tuæ solius*: in te uno ponam spes meas.

17. (*h*) Scientiam a Deo acceptam opponit scientiæ hujus sæculi, qualis erat in Achitophel: *Mirabilia*, Magnitudinem gratiæ tuæ.

19. (*i*) Potentiam tuam & justitiam extollam usque in cælum: vel potentiam tuam quæ supra cæli altitudinem extollitur, & justitiam tuam, auxilium mihi allatum, quemadmodum promiseras.

20. (*k*) Et tamen ab omnibus his me eruisti. Hieronym. *Afflictiones magnas experiri me fecisti*. *Reduxisti me*, Placatus revocasti me a morte ad vitam.

PSALM. LXXI. 2. (*a*) Rectum & sapiens da Salomoni Regi: *Justitiam*, Pauperes tueatur contra calumniatores. *Judicare*, Ut judicet populum sapienter.

3. (*b*) Pax & justitia a Deo in Principes primum, tum in populos descendunt: ubique regnent pax & justitia. Principes pacem populis procurent, subditi principibus præstent obsequium.

4. (*c*) Hebr. *Confringet*; atteret calumniatorem, qui per calumniam pauperes opprimit.

5. (*d*) Quamdiu sol stabit. Jam transit ad Christum. *Ante lunam*, Hebr. Coram *luna*: continuabitur regnum Christi per cunctas generationes.

6. (*e*) Alludit ad vellus Gedeonis: hoc est, sine strepitu & sono. Hebr. *In tonsionem*: super herbam tonsam, ut crescat.

7. (*f*) Hebr. *Florebit in diebus ejus justus*; Hieron. *Germinabit*. *Luna*; Donec ab officio suo luna cesset, veram mundo afferet justitiam.

8. (*g*) Salomon regnavit a Mari Rubro, usque ad Mare Internum, a flumine Euphrate usque ad terminos Terræ Sanctæ. Sed LXX. imperium Christi per totum terrarum orbem proferunt. Augustin. *Hinc ergo dominari ejus incipiens, & magnificentia caritatis auctoritas dilatatur usque ad terminos terræ*.

9. (*h*) Terram osculabuntur in signum reverentiæ, qui mos erat Orientalibus.

10. (*i*) Regna Occidentis: *Saba*, Reges Orientis & Austri: idque a Magorum muneribus est inchoatum, qui Gentium Regumque typum tenuisse monstrantur ex Hieron. in Comment.

11. & 12. (*k*) Vox Hebræa gentes Idolis addictas significat; *Potente*, Fideles a Diabolo, & ab ejus tyrannide.

14. (*l*) Hebr. *Et pretiosus erit sanguis eorum*: forte ex voce, *eisan*, sanguis facta est vox ὄνομα, nomen; ulciscetur mortem pauperum.

15. (*m*) Rex; Regnum ejus non erit caducum, sed habebit firmas radices: *Semper*, Hieron. *Et orabunt de eo jugiter*: gratias agent pro tot collatis a Christo beneficiis; vel, *de ipso*, id est, per ipsum, aut propter ipsum, aut pro ipso, si de Salomone: *Tota die*, Quotidie.

16. (*n*) Hieron. *Erit memorabile triticum in terra*. *Pro firmamento* habent Syrus & Chaldæus Interp. panem & copiam frumenti. *Montium*, quæ loca solent esse sterilia & saxosa. *Fructus ejus*, Scilicet messis altior Libano; Hyperbole: *Civitate*, seu urbes florentes erunt. Si ad Christum hæc referantur, Panis spiritalis intelligi debet, & abundantia Verbi divini. Hebr. *Erit pugillus frumenti in terra, contremiscet sicut in Libano fructus ejus*: Excrescet in magnam copiam, commovebit se, agitabitur.

17. (*o*) Coram sole, vel quamdiu sol stabit: *In ipso*, Hieron. & LXX. *Omnes gentes beatificabunt illum*. Vox Hebræa, goim, גוים gentes exteras significat, ut Gen. 12. Proprium Christi characterem designat, nempe vocationem Gentium. Hic Psalmus ultimus est eorum quos David composuit. In Hebræo, *Finiunt preces Davidis filii Isai*.

18. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus:

19. Et benedictum nomen majestatis ejus in æternum: & replebitur majestate ejus omnis terra: fiat, fiat.

20. Defecerunt laudes David filii Jesse.

PSALMUS LXXII.

Quam infelicem exitum habeat impiorum prosperitas, ostendit.

1. Psalmus Asaph.

QUam bonus Israel (*a*) Deus his, qui recto sunt corde!

2. Mei autem pene moti sunt pedes: pene effusi sunt gressus mei.

3. Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.

4. Quia non est respectus morti eorum (*b*): & firmamentum in plaga eorum.

5. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur:

6. Ideo tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua.

7. Prodiit quasi ex adipe (*c*) iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.

8. Cogitaverunt (*d*), & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt.

9. Posuerunt in cælum os suum (*e*): & lingua eorum transivit in terra.

10. Ideo convertetur (*f*) populus meus hic: & dies pleni invenientur in eis.

11. Et dixerunt: Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?

12. Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias.

13. Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas:

14. Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.

15. Si dicebam (*g*): Narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

16. Existimabam (*h*) ut cognoscerem hoc, labor est ante me:

17. Donec intrem in Sanctuarium (*i*) Dei: & intelligam in novissimis eorum.

18. Verumtamen propter dolos posuisti (*k*) eis: dejecisti eos dum allevarentur.

19. Quomodo facti sunt in desolationem (*l*), subito defecerunt: perierunt propter iniquitatem suam.

20. Velut somnium surgentium Domine, in civitate tua (*m*) imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

21. Quia inflammatum est cor meum (*n*), & renes mei commutati sunt:

22. Et ego ad nihilum redactus sum (*o*), & nescivi.

23. Ut jumentum factus sum apud te: & ego semper tecum (*p*).

24. Tenuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me (*q*), & cum gloria suscepisti me.

25. Quid enim mihi est in cælo (*r*)? & a te quid volui super terram?

26. Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

27. Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.

28. Mihi autem adhærere Deo bonum est (*s*): ponere in Domino Deo spem meam:

Ut annuntiem omnes prædicationes tuas, in portis filiæ Sion.

PSAL-

PSALM. LXXII.

1. (*a*) Israeli, in dativo casu: querelas omnes expungit. Israelis autem nomine eos designat, qui mundo sunt corde. Hebr. *Profecto*, vel *Attamen bonus est*. Abruptum est initium.

4. (*b*) Hieron. *Quod non recogitaverint de morte sua*: hæc cogitatio non eos cruciat, quam non admittunt: *In plaga*, repetenda est negatio, nec firmamentum in plaga eorum: si quid iis accidit mali, cito transit & leve est. Ex Hebræo, hic videtur sensus: si quando morbo tentantur, non durat plaga eorum, cito ex infortuniis suis & plagis evadunt.

7. (*c*) Ex abundantia prodiit eorum iniquitas. Hinc monet August. ex macie & indigentia peccare pauperes, ex adipe & abundantia divites; *Pauper*, inquit, *mendicus furtum facit, ex macie processit iniquitas, dives abundans rebus suis quare diripit res alienas? Illius iniquitas ex macie, hujus ex adipe processit*. Cordis. Dilexerunt iniquitatem, omni se tradiderunt libidini: August. *Quid est, transierunt? excesserunt metas generis humani, homines se pares ceteris non putantes*.

8. (*d*) Hebr. *Dissolvunt*: ii sunt terrori omnibus: *Nequitiam*, Hebr. *Calumniam*; oppressionem, de qua se insolenter jactant: *In excelso*, Contra excelsum loquuntur, vel cum fastu alios despiciunt.

9. (*e*) Per blasphemas voces in Deum: *Et lingua*, contradictionibus afflicta; nam forte per terram mortales intelliguntur, quos impii prosperitate inflati contemnunt, & conviciis incessunt. Hæsit in terra, ibi felicitatem suam ponit.

10. (*f*) Sic pervertetur populus, & habebit dies plenos in sua prosperitate. Quo quidem modo si exponatur, facilius apparebit connexio cum sequenti versiculo. Nam populus has patitur tentationes intuens impiorum prosperitatem. Ad hæc consideranda populus etiam fidelis se convertet, impios esse felices propemodum putat, & invidet eorum fortunæ.

15. (*g*) Fluctuantis ex illa tentatione narratio est: Si sic loquerer, jam video me ita sentire non potuisse, quin nationem filiorum Dei reprobarem, & pios damnarem, qui te secuti sunt. Hic se cohibet David in medio cogitationum suarum cursu, & retrahit mentem ab illis cogitationibus.

16 (*h*) Animo meo reputabam, quomodo Deus providentia sua gubernet hæc inferiora: *Labor*, Sed inquisitio perdifficilis mihi fuit. August. *Labor est ante me: sed ante Deum non est labor*.

17 (*i*) Donec oratione mea lumen cæleste quæsierim: *Intelligam*, Donec intellexi finem impiorum: tametsi enim impii prospere agunt, ii tandem vel in hac vita, vel in altera pœnas dabunt. August. *Cunctia modo nubes involvit; sed Deo cognita sunt merita singulorum*.

18 (*k*) Hieron. *In lubrico posuisti eos*: Fluxa sunt & periculorum plena quæ dedisti, dum injusta divitias impertitus es, & felicitatem, posuisti eos in loco unde facile labantur: nam rebus prosperis inflati, quæ futura sunt non prospiciunt: Dejecisti, Hieron. *Dejecisti eos ad interitum*: Fecisti ut doli impiorum in eorum perniciem verterentur.

19. (*l*) Facti sunt similes civitati desolatæ, ubi nihil aliud quam ruinæ videntur. *Perierunt*, Hebr. *Consumpti sunt a terroribus*: interitu repentino.

20. (*m*) Coram omnibus civibus; vel in Sanctorum cœtu.

21. (*n*) Contractum est cor meum, vel post recuperatam animi tranquillitatem, ingentem voluptatem, & quamdam velut extasim quæ est consecuta, exprimit. Commutati, Hebr. *Contabuerunt*, præ indignatione; nunc depulsa tentatione fatetur, in quanta fuerit perturbatione.

22 (*o*) Ignorantiæ. Hieron. *Et ego insipiens, nescius*, qui impiorum prosperitate adeo conturbarer.

23. (*p*) Jam ita uti omnino adhærere Deo.

24. (*q*) Jam terrenas voluptates contemnit, & Deum ut hæreditatem suam, & partem sibi proponit. August. *Quid ergo? Nullum præmium Dei? Nullum præter ipsum, præmium Dei; amat jam animus sponsum suum; quid ab illo quæritat? Ipsa ipsum solum amat, quia in ipso habet omnia*.

25. (*r*) Hic unus Dei amor, ut tamquam Deus ametur, qui a nobis vult possideri.

28 (*s*) Aug. *Sed modo in peregrinatione, nondum venit res, pone in Deo spem meam; fluctuans præmitte ad terram hanc ancoram*.

PSALMUS LXXIII.

Psalmus est propheticus, & videtur ad persecutionem Antiochi pertinere. August. ad eversionem Jerusalem sub Tito hanc refert Prophetiam.

1. Intellectus Asaph.

UT quid Deus repulisti in finem: iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?

2. Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam hæreditatis tuæ (*a*): mons Sion, in quo habitasti in eo.

3. Leva (*b*) manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus in sancto!

4. Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio solemnitatis tuæ.

Posuerunt signa sua, signa:

5. Et non cognoverunt sicut in exitu super summum (*c*).

Quasi in silva lignorum securibus

6. Exciderunt januas ejus in idipsum: in securi & ascia dejecerunt eam (*d*).

* 4.Reg.25.9. 7. * Incenderunt igni Sanctuarium tuum; in terra polluerunt tabernaculum (*e*) nominis tui.

8. Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

9. Signa nostra non vidimus (*f*), jam non est propheta: & nos non cognoscet amplius.

10. Usquequo Deus improperabit inimicus: irritat adversarius nomen tuum in finem?

11. Ut quid avertis (*g*) manum tuam, & dexteram tuam, de medio sinu tuo in finem?

* Luc. 1. 68. 12. * Deus autem rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ.

13. Tu confirmasti in virtute tua mare (*h*): contribulasti capita draconum in aquis.

14. Tu confregisti capita draconis (*i*): dedisti eum escam populis Æthiopum.

15. Tu dirupisti fontes, & torrentes: tu siccasti fluvios Ethan.

16. Tuus est dies, & tua est nox: tu fabricatus es auroram & solem.

17. Tu fecisti omnes terminos terræ: æstatem & ver tu plasmasti ea.

18. Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino: & populus insipiens incitavit nomen tuum.

19. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi: & animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

20. Respice in testamentum tuum: quia repleti sunt (*k*) qui obscurati sunt, terræ domibus iniquitatum.

21. Ne avertatur humilis factus confusus: pauper & inops laudabunt nomen tuum.

22. Exurge Deus, judica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.

23. Ne obliviscatis voces inimicorum tuorum: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

PSALMUS LXXIV.

Scriptus videtur hic Psalmus instar dialogi, ubi est vicissitudo loquentium. Priora verba sunt populi sequentia Dei ipsius. Hortatur ad perseverandum in bono.

1. In finem, Ne corrumpas, Psalmus Cantici Asaph.

2. CONfitebimur tibi Deus: confitebimur, & invocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua:

3. Cum accepero tempus, ego justitias judicabo (*a*).

4. Liquefacta est terra (*b*), & omnes qui habitant in ea: ego confirmavi columnas ejus.

5. Dixi iniquis: Nolite inique agere; & delinquentibus: Nolite exaltare cornu.

6. Nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

7. Quia neque ab Oriente (*c*), neque ab Occidente, neque a desertis montibus:

8. Quoniam Deus judex est.

Hunc humiliat, & hunc exaltat:

9. Quia calix (*d*) in manu Domini vini meri plenus misto.

Et in-

PSALM. LXXIII. 2. (*a*) Portionem hæreditatis; recordare hæreditatis tuæ, montis Sion istius.

3. (*b*) Converte iram tuam in hostes, a quibus sanctuarium tuum profanatum fuit, portæ excisæ, signa in excelsis locis tamquam trophæa erecta in templi ruina. Hebr. *Leva pedes tuos; gressus tuos accelera.*

5. (*c*) Sicut in campestri & profano loco, in suprema parte portarum templi.

6. (*d*) Jerusalem vel hæreditatem tuam. August. *Habebant signa sua, quæ ibi ponerent, vexilla sua, aquilas suas, dracones suos, signa Romana, & non cognoverunt quod contra Deum agerent.* Antiochus quidem non evertit templum, nec civitatem: sed excisis portis, signa posuit in locis templi excelsis.

7. & 8. (*e*) In terram dejecerunt. *Festos*, Igni tradiderunt loca, in quibus solemnes fiebant cœtus.

9. (*f*) Religionis insignia, non est Propheta, qui nos consoletur spe futuri. Hieronym. *Et non est nobiscum, qui sciat usquequo*, qui sciat quo usque inimicus desæviat. *Amplius*, Videtur Deus nos omnino abjecisse.

11. (*g*) Ab hostibus. Profert dexteram *de medio sinu suo in finem*. Hebr. *Ut quid reduces manum tuam?* Cur potentiam tuam teipsi non declaras? LXX. *Ad hostes consumendos.* Tum agit de mirabilibus Dei. *Secula*, Deus! qui es ante secula. *In medio terræ*, seu in Palæstina hæc fecit mirabilia, quæ mox narraturus est.

13. (*h*) Stare fecisti mare rubrum.

14. & 15. (*i*) Principes Ægypti, Hebr. *Leviathan*, Crocodilum, ut nonnullis videtur. Scripturæ mos est Reges crudelitate immanes nominibus ferarum terrestrium, aut marinarum designare. *Populis Æthiopum*: Populo deserti siticuloso. Ichtyophagis ad mare rubrum positis. His dedisti pisces devorandos, carnibus Ægyptiorum saginatos: vel quia Arabes Ægyptiorum corpora spoliarunt. *Torrentes*, Tu dirupisti rupes, ut fontes emanarent.

20. (*k*) Hieron. *Repleta sunt tenebris terræ*: nullæ jam latebræ ab hostibus tutæ: vel *repleti sunt*, opibus nostris ditati. *Terræ*, Hebr. *Quia repleta sunt loca tenebrosa terræ habitationibus iniquitatis*: quia terra tenebris obruta, plena est hominibus violentis.

3. (*a*) Loquitur Deus, justa decernens opportuno tempore. PSALM. LXXIV.

4. (*b*) Hæc videntur dici a populo, aut a cœtu justorum: *Ego*, Sunt verba Dei; vel potius quæ collapsa sunt, quasi liquefacta restituam.

7. (*c*) Evadere judicium Dei non potuistis, cum ubique sit. August. *De nullo loco judicat qui ubique est, secretus, ubique publicus, quem nulli licet, ut est cognoscere, & quem nemo permittitur ignorare.*

9. & 10. (*d*) Calix iræ & indignationis: *Plenus mixto*, mixtione, forte aromatici, ut plus habeat vigoris: *In hoc*, Novit Deus justitiam suam misericordia temperare. Vel transtulit calicem ad multas gentes, nec multitudine impiorum calix divinæ justitiæ exhaustus est: sed in diem judicii servatur, atque peccatores tum bibent fæces illius calicis, & iram Dei acerbam experientur.

Et inclinavit ex hoc in hoc : verumtamen fæx ejus non est exinanita : bibent omnes peccatores terræ.

10. Ego autem annuntiabo in sæculum: cantabo Deo Jacob.

11. Et omnia cornua peccatorum confringam (*e*): & exultabuntur cornua justi.

PSALMUS LXXV.

1. In finem, In Laudibus, Psalmus Asaph.

Canticum ad Assyrios.

2. NOtus in Judæa Deus: in Israel magnum nomen ejus:

3. Et factus est in pace (*a*) locus ejus : & habitatio ejus in Sion.

4. Ibi confregit potentias arcuum (*b*), scutum, gladium, & bellum.

5. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis (*c*):

6. Turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum : & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

7. Ab increpatione tua Deus Jacob dormitaverunt qui ascenderunt equos (*d*).

8. Tu terribilis es (*e*), & quis resistet tibi? ex tunc ira tua.

9. De cælo auditum fecisti judicium (*f*) : terra tremuit & quievit,

10. Cum exurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.

11. Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi (*g*) : & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

12. Vovete, & reddite (*h*) Domino Deo vestro : omnes qui in circuitu ejus affertis munera.

Terribili

13. Et ei qui aufert spiritum (*i*) principum, terribili apud reges terræ.

PSALMUS LXXVI.

Fors est ut alternis canerent Asaph & Idithun: aut certe David Psalmum a se compositum tradidit Idithun ut caneret. Referri potest ad virum pium, qui cælestem patriam expectat.

1. In finem, pro Idithun, Psalmus Asaph.

2. VOce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Deum, & intendit mihi.

3. In die tribulationis meæ Deum exquisivi, manibus meis (*a*) nocte contra eum : & non sum deceptus.

Renuit consolari anima mea,

4. Memor fui Dei, & delectatus sum (*b*), & exercitatus sum, & defecit spiritus meus.

5. Anticipaverunt (*c*) vigilias oculi mei : turbatus sum, & non sum locutus.

6. Cogitavi dies antiquos : & annos æternos (*d*) in mente habui.

7. Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum (*e*).

8. Numquid in æternum projiciet Deus : aut non apponet (*f*) ut complacitior sit adhuc?

9. Aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem?

10. Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?

11. Et dixi nunc cœpi (*g*) : hæc mutatio dexteræ Excelsi.

12. Memor fui (*h*) operum Domini : quia memor ero ab initio mirabilium tuorum,

13. Et meditabor in omnibus operibus tuis : & in adinventionibus tuis exercebor.

14. Deus in sancto via tua (*i*) : quis Deus magnus sicut Deus noster?

15. Tu es Deus qui facis mirabilia.

Notam fecisti in populis virtutem tuam (*k*):

16. Rede-

11. (*e*) August. *Cornua peccatorum*, *dignitates superborum*; *cornua justi*, *munera Christi*.

PSALM. LXXV. 3. (*a*) Hebr. *In Salem*, seu in Jerusalem; *Locus ejus*, Propter arcam eo translatam. Itaque vox illa, *In pace*, videtur esse nomen appellativum loci proprii. Sed vere in Ecclesia notus est Deus, quæ est mons Sion omnibus expositus.

4. (*b*) Hebr. *Ignita jacula arcus*: sagittas. Inde nobis auxilium, quod convenit victoriæ reportatæ ab Ezechia, ubi turbati sunt insipientes Assyrii, velut emissa essent fulmina a montibus. Convenit & Christo victori, immo & piæ animæ a dæmonibus obsessæ.

5. & 6. (*c*) Hebr. *Splendidus es*, *& fortis præ montibus prædæ*. Per montes prædæ intelligit regna violenta, quæ plus habent potentiæ in speciem; sed tamen longe excelsis in curando populo tuo. *Turbati*, Aliis prædæ fuerunt.

7. (*d*) August. *Qui sunt*, *qui non ascendunt equos? qui non se jactant & extollunt*, *quasi in honoribus & dignitatibus suis*. *Dormitaverunt*, cæsi sunt Assyrii.

8 (*e*) Adeo terribilis es, ut nemo possit tibi resistere, ex quo cœperit ira tua apparere. *In ira tua*, Hebr. *Cum exarserit ira tua*.

9. (*f*) Ut resonaret tamquam tonitru e cælo.

11. (*g*) Hieronym. *Ira hominis cedet in laudem tuam*. *Reliquiæ*: Ex Hebræo reatus, residuum irarum accinges: seu quod in eis reliquum est furoris, constringes, ne quis posthoc impios suos conatus exequatur: vel qui prius fremebant sub hostili jugo, tuas canent laudes: vox Hebræa, Chema, חמה, non solum iram, sed & cogitationem significat.

12. (*h*) Vovere est voluntatis, reddere necessitatis.

13. (*i*) Consilium. August. *Id est*, *tollit audaciam superborum*. Hebr. Omnes qui estis in circuitu ejus, fideles omnes; vel omnes qui estis in circuitu, afferte munera.

3. (*a*) Manibus meis ad eum sublatis: nam præpositio contra, interdum loco præpositionis *ad*, sumitur. PSALM. LXXVI.

4. (*b*) De Deo cogitans in exercitatione, seu in meditatione mea: adeo ut ex rebus præsentibus renuerim consolari: *Exercitatus sum*, In orationes Hebr. *Loquebar in memetipso*. Tribulatio debet esse quærendi Christum Deum occasio: totum vitæ tempus ut dies afflictionis considerandum, & manibus, seu bonis operibus, non voce tantummodo quærendus est Deus. Hebr. *Recordabar Dei*, *& tumultuabar*. Recordari Dei est ipsum quærere & orare; anxius eram & inquietus. —.

5. (*c*) Prævenerunt vigiliarum custodes, ante illos surgebam. Hebr. *Tenuisti vigilias oculorum meorum*, noctes duxi pervigiles.

6. (*d*) Hebr. *Annos sæculorum*, multis ante sæculis elapsos. Bene LXX. *Meditabar annos æternos*, comparando vitam præsentem cum altera vita. Augustin. *Anni æterni cogitandi sunt*, *anni qui stant*, *qui non venientibus & abeuntibus diebus peraguntur*.

7. (*e*) Scrutabar e versabam me in omnes partes. Augustin. *Et quid invenisti? non in æternum repellet Deus*.

8. (*f*) Hieron. *Et non propitiabitur*.

11. (*g*) Respirare, vel intelligere: *Dexteræ*, Quæ mutat tristitiam in gaudium, iram in misericordiam.

12. (*h*) Hic est ordo verborum: Memor ero mirabilium tuorum, quæ a sæculo sunt, quæ ab origine mundi & deinceps fecisti.

14. (*i*) Viæ tuæ sanctæ. Hoc etiam de Arca intelligi potest, quæ præibat populo. August. *Quæ via tua in sancto? Ego sum*, *inquit*, *via*, *veritas*, *& vita*. *Viæ tuæ longe sunt altiores quam ut eas mens capiat humana*.

15. (*k*) Per Apostolos & eorum discipulos. Ad litteram loquitur de exitu populi Dei ex Ægypto, cum Deus in mari præbuit transitum populo.

16. Redemisti in brachio tuo populum tuum (*l*), filios Jacob & Joseph.

17. Viderunt te aquæ Deus (*m*), viderunt te aquæ: & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi.

18. Multitudo sonitus aquarum (*n*): vocem dederunt nubes.

Etenim sagittæ tuæ transeunt:

19. Vox tonitrui tui in rota (*o*).

Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est & contremuit terra.

20. In mari via tua (*p*), & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur.

* Exod 14. 29. 21. * Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Moysi & Aaron.

PSALMUS LXXVII.

Propheticus est, & sub historia cortice parabolas & ænigmata continet, quæ ad Novum Testamentum pertinent; quale est illud, Elegit tribum Juda, *ex qua oriturus erat Christus.*

1. Intellectus Asaph.

ATtendite (*a*) popule meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.

2. Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio (*b*).

3. Quanta audivimus (*c*), & cognovimus ea: & patres nostri narraverunt nobis.

4. Non sunt occultata a filiis eorum, in generatione altera (*d*).

Narrantes laudes Domini, & virtutes ejus, & mirabilia ejus quæ fecit.

5. Et suscitavit testimonium in Jacob (*e*): & legem posuit in Israel.

Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis:

6. Ut cognoscat generatio altera (*f*).

Filii qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filiis suis,

7. Ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei: & mandata ejus exquirant.

8. Ne fiant sicut patres eorum, generatio prava & exasperans.

Generatio, quæ non direxit cor suum: & non est creditus (*g*) cum Deo spiritus ejus.

9. Filii Ephrem (*h*) intendentes & mittentes arcum, conversi sunt in die belli.

10. Non custodierunt testamentum Dei: & in lege ejus noluerunt ambulare.

11. Et obliti sunt benefactorum ejus, & mirabilium ejus quæ ostendit eis.

12. Coram patribus eorum fecit mirabilia in Terra Ægypti, in campo Taneos (*i*).

13. * Interrupit mare, & perduxit eos: & * Exod. 14.
statuit aquas quasi in utre. 22.

14. Et deduxit eos in nube diei: & tota nocte in illuminatione ignis.

15. * Interrupit petram in eremo: & ada- * Exod. 7.
quavit eos velut in abysso multa (*k*). 6. Psal. 104.

16. Et eduxit aquam de petra: & deduxit 41.
tamquam flumina (*l*) aquas.

17. Et apposuerunt adhuc peccare ei: in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso.

18. Et tentaverunt Deum in cordibus suis: ut peterent escas animabus suis.

19. Et male locuti sunt de Deo: dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?

20. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt.

Numquid & panem poterit dare (*m*), aut parare mensam populo suo?

21. * Ideo audivit Dominus, & distulit (*n*): * Num. 11.
& ignis accensus est in Jacob, & ita ascendit 1.
in Israel:

22. Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus (*o*):

23. Et mandavit nubibus desuper, & januas cæli aperuit.

24. * Et pluit illis manna ad manducan- * Exod. 16.
dum, & panem cæli (*p*) dedit eis. 4. Num. 11. 7.

25. * Panem Angelorum manducavit homo: * Joann. 6.
cibaria misit eis in abundantia. 31. 1. Cor. 10 3.

26. * Transtu-

16. (*l*) Filios Jacob spirituales ab Idololatria redemisti.

17. (*m*) Populi infideles exceperunt fidei lumen, & radios tamquam fulgura in tenebris micantia.

18. (*n*) Magnus fremitus maris. Hieronym. Excusserunt *aquas nubila*: aquæ e nubibus manantes inundaverunt Ægyptios cum fulminibus. Conversionem populorum sub figura Israelis ab Ægypti captivitate liberati adumbrat. Apostoli tamquam nubes imbribus læte, & tonitru verbi divini volventes ex uno loco in alium, ut a Spiritu Sancto vento ferebantur: *Transeunt*. Flumina etiam discurrebant.

19. (*o*) Vel in rotis Ægypti tum a fulminibus subversis. August. *Nubes illa in rota circumierunt orbem terrarum tonando, & coruscando abyssum commoverunt; præceptis tonuerunt, miraculis coruscarunt.* Contremuit, Fabricatum superstitio primum acerbas movit persecutiones & contremuit, quod exitio suo proximam se videret.

20. (*p*) Viam tibi aperuisti per feras & infideles nationes: *In aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur.* Quia ratione Religio ipsa in omnes orbis partes pervenerit, nullum fere extat vestigium.

PSALM LXXVII. 1 (*a*) Attentionem excitat multa in Parabolis dicturus. Propheta ipse loquitur, & legem vocat suam doctrinam, cum ait, *Verba oris mei*.

2 (*b*) Antiquas, absconditas a constitutione mundi. Citatur hic versus Matth. 13 & proprie ad Christum spectat. Vel in litterali sensu, *ab initio*, ex quo populus captivitate Ægyptiaca solutus fuit. *In parabolis*, nam aliud dicit, aliud innuit; & præ eriorum specie futura prædicit.

3. (*c*) August. *Audita sunt in Veteri Testamento, quæ cognoscuntur in Novo*.

4 (*d*) Quia factum est per continuam ætatum seriem, ut patres narraverint filiis.

5. (*e*) August. *Testimonium probat; lex autem, in quantum jubet.*

6 (*f*) August. *Hæc verba indicant duos quodam modo populos, alterum ad vetus, alterum ad novum Testamentum pertinentem.*

8. (*g*) Hieronym. *Id est; Non credidit Deo & Spiritui ejus;* Gr. *Non fuit fidus & firmus in Deo:* sæpe defecit a fide. August. *Quia non habebat fidem, quæ impetrat quod lex imperat.*

9. (*h*) Israelitæ rebelles, qui sæpe certamen inierunt, & tergum verterunt: *Belli*, 2. Reg. 3. Et sub Abia a piis fusi; vel per similitudinem militum, qui aciem ingressi terga vertunt. Israelitarum prævaricationem insinuat.

12. (*i*) Quæ urbs erat Ægypti primaria.

15. (*k*) scilicet prium præterit quasi de aquis profundis; est repetitio prioris miraculi.

16 (*l*) Quod aqua peregrinantem populum sequeretur; 1 Corinth 10. *Consequente eos petra.*

20. (*m*) Escam scilicet, & carneam: nam manna ante percussionem Petræ dederat.

21. (*n*) Ne tam cito intrarent in terram promissionis: distulit promissa; quod postulabant id concessit Deus, ut ejus potentiam agnoscerent; sed infidelitatis suæ pœnas dederunt.

22. & 24 (*o*) Hebr. *In salute ejus*, salus pro auxilio Nubibus. Tamesi mandavit: Hebr. *Nam mandaverat nubibus*, et famelici & perituri inedia reficerentur.

24. (*p*) Hieron. *A cælo*: quasi messem ab alto provenientem; quæ ad vers. 31. usque narrantur, jam antea facta fuerant, unde videntur per parenthesim dicta.

* Num. 11. 31. 26. * Transtulit Austrum (q) de cælo: & induxit in virtute sua Africum.

27. Et pluit super eos sicut pulverem carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata.

28. Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.

29. Et manducaverunt & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis:

30. Non sunt fraudati a desiderio suo (r).

* Num. 11. 33. * Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum:

31. Et ira Dei ascendit super eos.

Et occidit pingues eorum, & electos Israel impedivit.

32. In omnibus his peccaverunt adhuc: & non crediderunt in mirabilibus ejus.

33. Et defecerunt in vanitate (s) dies eorum: & anni eorum cum festinatione.

34. Cum occideret eos, quærebant eum: & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.

35. Et rememorati sunt quia Deus adjutor est eorum: & Deus excelsus redemptor eorum est.

36. Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei:

37. Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles (t) habiti sunt in testamento ejus.

38. Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum: & non disperdet eos.

Et abundavit ut averteret iram suam: & non accendit omnem iram suam:

39. Et recordatus est quia caro sunt: spiritus vadens, & non rediens.

40. Quoties exacerbaverunt eum in deserto, in iram concitaverunt eum in inaquoso?

41. Et conversi sunt (u), & tentaverunt Deum: & sanctum Israel exacerbaverunt.

42. Non sunt recordati manus ejus, die qua redemit eos de manu tribulantis:

43. Sicut posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos.

* Exod. 7. 20. 44. * Et convertit in sanguinem flumina eorum, & imbres (x) eorum, ne biberent.

* Exod. 8. 24. 45. * Misit in eos cœnomyiam (y), & comedit eos: * & ranam, & disperdidit eos.

* Exod. 8. 6. * Exod. 10. 15. 46. * Et dedit ærugini fructus eorum: & labores eorum locustæ.

* Exod. 9. 25. 47. * Et occidit in grandine vineas eorum: & moros eorum in pruina.

48. Et tradidit grandini jumenta eorum: & possessionem eorum igni.

49. Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, & iram, & tribulationem: immissiones per angelos malos (z).

50. Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit a morte animabus eorum: & jumenta eorum in morte conclusit.

51. * Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti: primitias (aa) omnis laboris eorum in tabernaculis Cham. * Exod. 12. 29.

52. Et abstulit sicut oves populum suum: & perduxit eos tanquam gregem in deserto.

53. Et deduxit eos in spe (bb), & non timuerunt: & * inimicos eorum operuit mare. * Exod. 14. 27.

54. Et induxit eos in montem sanctificationis suæ (cc); montem, quem acquisivit dextera ejus.

Et ejecit a facie eorum Gentes: & * sorte divisit eis terram in funiculo distributionis. * Jos. 13. 6. & 7.

55. Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.

56. Et tentaverunt, & exacerbaverunt Deum excelsum: & testimonia ejus non custodierunt.

57. Et averterunt se, & non servaverunt pactum: quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum pravum (dd).

58. In iram concitaverunt eum in collibus suis: & in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.

59. Audivit Deus, & (ee) sprevit: & ad nihilum redegit valde Israel.

60. * Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus. * 1 Reg. 4. 4. Jer. 7. 12. 14. & 26. 6.

61. Et tradidit in captivitatem (ff) virtutem eorum, & pulcritudinem eorum in manus inimici.

62. Et conclusit in gladio populum suum: & hæreditatem suam sprevit.

63. Juvenes eorum comedit ignis: & virgines eorum non sunt (gg) lamentatæ.

64. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt: & viduæ eorum non plorabantur.

65. Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a (hh) vino.

66. Et percussit inimicos suos in (ii) posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis.

67. Et repulit tabernaculum Joseph: & tribum Ephraim non (kk) elegit:

68. Sed elegit tribum Juda, montem Sion quem dilexit.

69. Et

26. (q) Hebr. *Eurum*, vel Euro austrum: *Abstulit*, & induxit Lybicum.

30 & 31 (r) Principes: *Impedivit*. Hieron. *Incurvavit*, prostravit: quod ab optimatibus incipit, qui majori superbia rebellarant.

33. & 34. (s) Sicut fumus, vitam eorum præcidit: *Diluculo*. Quasi expergefactus.

37. 38. & 40 (t) Nec firmi persliterunt in fœdere Domini: *Fiet*: futurum pro imperfecto: *Abundavit*. Hieronym. *Multamque avertit iram suam*: *Quoties exacerbaverunt*, præfigentes terminos potentiæ divinæ.

41. (u) Sæpius tentaverunt Deum. Hebraismus.

44. (x) Imber pro aqua. Nam in Ægypto raro pluit.

45. (y) Hieron. *Omne genus muscarum*.

49. & 50 (z) Per Angelum percussorem: *Semitæ*, Hier. *Munivit semitam furori suo*, fecit inevitabilem iram suam, citra moram punivit: *Morte*, ipsos gravibus pœnis affligit; nam verba negantia pro affirmantibus per quamdam meiosim, seu extenuationem ponuntur: *Conclusit*, Hieron. *Pesti tradidit*.

51. (aa) Hieron. *Partus*, id est, primogenitos. Hebr. *Primitias* fortitudinum, vel liberorum: *Cham*, Ægyptiorum, qui a Misraim filio Cham erant oriundi.

53. (bb) Hieron. *In fiducia*, & absque timore ullo.

54. (cc) Hieron. *Terminum sanctificatum suum*, vel ad terminos sanctitatis suæ. Vox Græca montem & terminum significat. Judæa est montibus referta: hanc Deus elegerat. In ea Ecclesiam montis nomine expressam, & Christi sanguine acquisitam adumbrabat. Jam describere incipit quæ sub Josue evenerunt, ut ostendat quam duræ cervicis sit populus iste, qui totties conversus est in arcum pravum, qui scilicet sagittas extra scopum emittit.

57. (dd) Hieron. *Incurvati sunt, quasi arcus inutilis*: seu *dolosus*, ut vertunt alii, qui scopum non petit.

59. (ee) Hebr. *Excanduit*: vel execratus est, abhorruit ab Israel.

61. (ff) Hebr. *Fortitudinem*: Arcam a Philistæis captam, quæ erat veræ Religionis quasi vexillum, & populi Dei fortitudo.

63. (gg) Hebr. *Laudatæ*: Manserunt innuptæ.

65. (hh) Ut post gravem somnum. Philistæis videri poterat Deus Hebræorum, quasi homo dormiens præ nimia vini potatione, quod Arcam suam capi sineret: nam satis erant carnales, ut ita insanirent; sed brevi senserunt suæ temeritatis pœnas.

66. (ii) In secretiori parte natium, 1. Regum 5. Ex Hebræo, ita eos percussit, ut terga verterent.

67. (kk) In Silo. noluit enim Deus tabernaculum suum in civitate Silo Tribus Ephraim consistere.

69. Et ædificavit ficut unicornium (*ll*) fanctificium fuum in terra, quam fundavit in fæcula.

70. Et elegit David fervum fuum, & fuftulit eum de gregibus ovium: de poft fœtantes (*mm*) accepit eum,

71. Pafcere Jacob fervum fuum, & Ifrael hæreditatem fuam:

72. Et pavit eos in innocentia cordis fui: & in intellectibus (*nn*) manuum fuarum deduxit eos.

PSALMUS LXXVIII.

Referri poteft tum ad perfecutionem Antiochi, tum etiam ad eas quas perpeffa eft Ecclefia.

1. Pfalmus Afaph.

DEus venerunt Gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum fanctum tuum: pofuerunt Jerufalem in pomorum (*a*) cuftodiam.

2. Pofuerunt morticina fervorum tuorum, efcas volatilibus cæli: carnes fanctorum tuorum beftiis terræ.

3. Effuderunt fanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Jerufalem: & non erat qui fepeliret.

4. Facti fumus opprobrium vicinis noftris: fubfannatio & illufio his, qui in circuitu noftro funt.

5. Ufquequo Domine irafceris in (*b*) finem: accendetur velut ignis zelus tuus?

*Jer. 10. 25. 6. * Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt: & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt:

7. Quia comederunt Jacob: & locum ejus defolaverunt.

*Ifa. 64. 9. 8. * Ne memineris iniquitatum noftrarum antiquarum, cito anticipent nos mifericordiæ tuæ: quia pauperes facti fumus nimis.

9. Adjuva nos Deus falutaris nofter: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius efto peccatis noftris propter nomen tuum.

10. Ne forte dicant in Gentibus: Ubi eft Deus eorum? & innotefcat in nationibus coram oculis noftris,

Ultio fanguinis fervorum tuorum, qui effufus eft:

11. Introeat in confpectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui, poffide filios (*c*) mortificatorum.

12. Et redde vicinis noftris feptuplum in finu eorum: improperium ipforum, quod exprobraverunt tibi Domine.

13. Nos autem populus tuus, & oves pafcuæ tuæ, confitebimur tibi in fæculum:

In generationem & generationem annuntiabimus laudem tuam.

PSALMUS LXXIX.

Spiritus Sanctus denuntiat captivitatem Babylonicam, ejus folutionem, & multo magis liberationem populi Dei a tyrannide dæmonis.

1. In finem, Pro iis qui commutabuntur, teftimonium Afaph, Pfalmus.

2. QUi regis Ifrael, intende (*a*): qui deducis velut ovem Jofeph.

Qui fedes fuper Cherubim, manifeftare

3. Coram Ephraim, Benjamin & Manaffe.

Excita potentiam tuam, & veni, ut falvos facias nos.

4. Deus converte nos: & oftende faciem tuam, & falvi erimus.

5. Domine Deus virtutum, quoufque irafceris fuper orationem (*b*) fervi tui?

6. Cibabis (*c*) nos pane lacrymarum: & potum dabis nobis in lacrymis in menfura?

7. Pofuifti nos in contradictionem vicinis noftris: & inimici noftri fubfannaverunt nos.

8. Deus virtutum converte nos: & oftende faciem tuam: & falvi erimus.

9. Vineam de Ægypto tranftulifti: ejecifti Gentes, & plantafti eam.

10. Dux itineris fuifti in confpectu ejus: plantafti radices ejus, & implevit terram.

11. Operuit montes umbra ejus: & arbufta ejus cedros Dei.

12. Extendit palmites (*d*) fuos ufque ad mare: & ufque ad flumen propagines ejus.

13. Ut quid deftruxifti (*e*) maceriam ejus: & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?

14. Exterminavit eam aper (*f*) de filva: & fingularis ferus depaftus eft eam.

15. Deus virtutum convertere: refpice de cælo, & vide, & vifita vineam iftam.

16. Et

69. (*ll*) Manfionem fibi fecit in prærupto loco ftabilem: Hebr. *Sicut excelfa*, nempe, palatia: *Sanctificium*, Hebr. *Sanctuarium fuum*: Templum a Davide defignatum: *In terra*, illud quafi terram fundavit ftabile.

70. (*mm*) Hebr. *Sequentem fœtas accepit eum*: Nam Interpres adverbiis præpofitiones interdum adjungit, ut Græca preffius efferat. Greges ovium, quas pafcebat David, fignificat.

72. (*nn*) Chald. *In prudentia manuum*. Quæ omnia Chrifto melius quam Davidi conveniunt. David hæc loquens in parabolis eft figura Chrifti, qui per parabolas in adventu fuo erat locuturus. Per regnum Chrifti, & per Sionem terreftrem, Cæleftis Sion myftice intelligitur.

PSALM. LXXVIII. 1. (*a*) In pomarii cuftodiam. In tugurium, quod fatis & fructibus cuftodiendis poni folet. Hebr. *In acervum lapidum*.

5. & 6. (*b*) In perpetuum: Noverit: Hi verfus & sequentes a Jeremia repetuntur cap. 15. iique funt prophetantis, non optantis, nifi ut iniqui punitione ipfa corrigantur, vel ut in exemplum aliorum cedat eorum punitio. In his autem & fimilibus cavendum eft, ne animus vindicta Dei in impiorum delectet, quod [illegible] nos peccaverint; fed quod peccaverint contra legem Dei. *Locum*, Hebr. templum.

11. (*c*) Eorum qui occifi funt, *Poffide*; Conferva poffeffionem tuam. Hebr. *Relinque filios mortis*: Conferva in vita homines, qui videntur morti deftinati.

PSALM. LXXIX. 2. (*a*) Hebr. *Paftor Ifrael populum tuum refpice*: *Jofeph*: nondum ergo Tribus Jofeph a vero Dei cultu receffferat: tum vero David fuper Tribum Juda regnabat, atque Deum rogat ut Tribus omnes adunentur. *Super Cherubim*. In arca fœderis, vel fuper omnes Angelos: *Manifeftare*, Oftende faciem tuam nobis propitiam, qui te oftendis Oraculi fplendore fuper Arcam.

5. (*b*) Quoufque dedignaris orationem fervi tui?

6. (*c*) Hieron. *Cibafti nos*: Cæfis Saule & Jonatha, lacrymis nos perfudifti. Quoufque cibabis nos, *& potum dabis nobis in menfura?* Salis, quod erat magnæ menfuræ nomen: vel cum Auguft. *Ipfe eft menfura*, pro viribus tuis, ut erudiamur, ut non opprimamur. In menfura pleniffima. Hieronym. *Tripliciter*; quafi in menfura gravi, & ter repetita.

12. (*d*) In metaphora pergit, qua plures principes Judæis fubditos exprimit ufque ad flumen Euphraten.

13. (*e*) Auguftin. *Jam videtis everfam illam gentem Judæorum*.

14. (*f*) Rex Affyriorum, ut multis videtur.

16. Et perfice (*g*) eam, quam plantavit dextera tua: & super filium hominis, quem confirmasti tibi.

17. Incensa igni, & suffossa ab increpatione (*h*) vultus tui peribunt.

18. Fiat manus tua super virum (*i*) dexteræ tuæ: & super filium hominis, quem confirmasti tibi.

19. Et non discedimus a te, vivificabis nos, & nomen tuum invocabimus.

20. Domine Deus virtutum converte nos: & ostende faciem tuam, & salvi erimus.

PSALMUS LXXX.

Est adhortatio ad dies festos colendos. Beneficia a Deo accepta commemorantur, speciatim in vindemia.

In finem,

1. Pro torcularibus, Psalmus ipsi Asaph.

2. Exultate Deo adjutori nostro: jubilate Deo Jacob.

3. Sumite psalmum, & date tympanum: psalterium jucundum cum cithara.

4. Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis (*a*) vestræ:

5. Quia præceptum (*b*) in Israel est: & judicium Deo Jacob.

* Gen. 41. 29. 6. * Testimonium (*c*) in Joseph posuit illud, cum exiret de Terra Ægypti: linguam, quam non noverat, audivit.

7. Divertit ab oneribus dorsum ejus: manus ejus in cophino servierunt (*d*).

8. In tribulatione invocasti me, & liberavi te: exaudivi te in abscondito (*e*) tempesta-
* Exod. 17. 5. tis: * probavi te apud aquam contradictionis.

9. Audi populus meus, & contestabor te: Israel si audieris me,

* Exod. 20. 3. 10. Non * erit in te deus recens, neque adorabis Deum alienum.

11. Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum, & implebo illud.

12. Et non audivit populus meus vocem meam: & Israel non intendit mihi.

* Act. 14. 15. 13. * Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.

* Baruch 3. 13. 14. * Si populus meus audisset me: Israel si in viis meis ambulasset:

15. Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: & super tribulantes eos misissem manum meam.

16. Inimici Domini mentiti (*f*) sunt ei: & erit tempus eorum in sæcula.

17. Et cibavit eos ex adipe (*g*) frumenti: & de petra, melle saturavit eos.

PSALMUS LXXXI.

Argumentum est adhortatio ad Judices.

1. Psalmus Asaph.

Deus stetit in synagoga (*a*) deorum: in medio autem deos judicat.

2. Usquequo judicatis iniquitatem: & facies peccatorum (*b*) sumitis?

3. Judicate (*c*) egeno, & pupillo: humilem, & pauperem justificate.

4. * Eripite (*d*) pauperem: & egenum de manu peccatoris liberate. * Prov. 24. 11.

5. Nescierunt (*e*), neque intellexerunt, in tenebris ambulant: movebuntur omnia fundamenta terræ.

6. * Ego dixi: Dii (*f*) estis, & filii Excelsi omnes. * Joann 10. 34.

7. Vos autem sicut homines (*g*) moriemini: & sicut unus de principibus cadetis.

8. Surge Deus, judica terram (*h*): quoniam tu hæreditabis in omnibus Gentibus.

PSALMUS LXXXII.

Canticum præstantissimum: nam ubi sunt duo substantiva, quorum alterum est in genitivo casu, plerumque efficiunt superlativum, quo carent Hebræi. Psalmus est deprecatorius & propheticus, atque ad tempora Machabæorum referri potest, aut potius ad tempora Regis Josaphat 4. Reg. cap. 6. Immo ad Christum & Ecclesiam.

1. Canticum Psalmi Asaph.

2. Deus, qui similis erit tibi? ne taceas, neque compescatis (*a*) Deus:

3. Quo-

16. (*g*) Christus restituet incensa igne, & suffossa ab inimico.

17. (*h*) Ubi primum in severitate vultus tui iis comminatus fueris, peribunt.

18. (*i*) Davidem, & in illius figura Christum.

PSALM. LXXX. 4. (*a*) Hebr. *Stato die*. Hieron. *In medio mense*: quod pertinet ad festum Tabernaculorum.

5. (*b*) Præceptum, judicium, testimonium idem sunt; in Jacob & Joseph positum a Deo fuit; qui duo populum repræsentant, ille ut genitor, hic ut separator.

6. (*c*) Mutuum pactum inter Deum & Israelitas. Hæc dies tantæ rei est monumentum.

7. (*d*) Hieron. *Amovit ab onere humeros ejus: a cophino recesserunt*; a ministeriis servitutis. Hebr. *Manus ejus ab aheno recesserunt*: a cacabis, & ollis fictilibus conficiendis. Cophinus erat *corbis* portandis oneribus ad ædificia regia. Tum prosequitur beneficia a Deo collata, & peccati labem in populo.

8. (*e*) Cum me absconderem in medio tempestatis; quando Ægyptios in mare demersi; vel cum vos tegerem & tuerer.

16. (*f*) Hebr. *Mentientur*: de Hebræis videtur loqui, qui fidem non servarunt, quam promiserant. Tempus eorum defectionis erit in sæcula, usque ad finem mundi. Christianis malis hoc ipsum, immo & integrum Psalmum applicat Augustinus.

17. (*g*) August. *Nostri adipem frumenti, unde cibantur multi inimici, qui mentiti sunt ei, miscuit eos sacramentis suis, & Judæ quando dedit bucellam, ex adipe frumenti cibavit. Melle*, quod in rupium, aut in tophi caverculis inest. Hebr. *Cibaret*, nempe si populus Deum audisset.

PSALM. LXXXI. 1. (*a*) In consessu judicum Dijudicat. Gr. *Dijudicabit*: Deus in judices ipsos profert judicium: neque enim hominis, sed Dei judicium exercent: Hebr. *In Synagoga Dei*: Nam ad eum pertinet judicare.

2. (*b*) In judicio personas accipitis.

3. (*c*) Judices eorum sic misereri debent, ut non sinant eos injuste opprimi, atque unius justitiæ habeant rationem.

4. (*d*) Judicando quam fieri potest citissime, & pauperes ab opprimentibus eripite.

5. (*e*) Acceptionem personarum in judicibus hactenus reprehendit, nunc eorum injustitiam: unde fit ut moveantur fundamenta terræ; bella, seditiones, & rerum omnium confusio nascatur; nam concussis legibus regnum nutat: ubi cessant judicia, omnis humanæ vitæ ratio confunditur.

6. (*f*) Qui locus citatur a Christo Domino, Joann. 10.

7. (*g*) Nihilominus moriemini ut plebeji.

8. (*h*) Apostrophe ad venturum Christum, quem Deus constituit judicem Universi.

PSALM. LXXXII. 2. (*a*) Hieron. *Et non quiescas Deus*: Oratio est hominis in summo discrimine laborantis; potentiæ tuæ effectus ne diutius suspendas.

3. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt (*b*): & qui oderunt te, extulerunt caput.

4. Super populum tuum malignaverunt consilium: & cogitaverunt adversus sanctos tuos.

5. Dixerunt: Venite, & disperdamus eos de gente (*c*): & non memoretur nomen Israel ultra.

6. Quoniam cogitaverunt unanimiter: simul adversum te testamentum disposuerunt,

7. Tabernacula Idumæorum & Ismaelitæ: Moab, & Agareni,

8. Gebal, & Ammon, & Amalec: alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

9. Etenim Assur (*d*) venit cum illis, facti sunt in adjutorium filiis Lot.

* Judic. 7. 2?. 10. Fac illis sicut * Madian, * & Sisaræ: sicut * Jabin in torrente Cisson.

* Judic. 4. 15. 11. Disperierunt in Endor: facti sunt ut stercus terræ (*e*).

* Jud 4.24. * Judic. 7. 25. 12. * Pone principes eorum sicut Oreb, & Zeb, & * Zebee, & Salmana:

* Judic. 8. 21. Omnes principes eorum,

13. Qui dixerunt: Hæreditate possideamus Sanctuarium Dei.

14. Deus meus pone illos ut rotam (*f*): & sicut stipulam ante faciem venti.

15. Sicut ignis, qui comburit silvam: & sicut flamma comburens montes:

16. Ita persequeris illos in tempestate tua: & in ira tua turbabis eos.

17. Imple facies eorum ignominia: & quærent (*g*) nomen tuum Domine.

18. Erubescant & conturbentur in sæculum sæculi: & confundantur, & pereant.

19. Et cognoscant quia nomen tibi Dominus: tu solus Altissimus in omni terra.

PSALMUS LXXXIII.

Idem videtur argumentum; est hominis anhelantis ad cælestem patriam. Quidam exponunt pro iis qui tribulatione premuntur.

In finem,

1. Pro torcularibus filiis Core, Psalmus.

2. QUam dilecta tabernacula tua Domine virtutum!

3. Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.

4. Etenim passer invenit sibi domum (*a*): & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: rex meus, & Deus meus.

5. Beati, qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te (*b*).

6. Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit,

7. In valle lacrymarum (*c*), in loco quem posuit.

8. Etenim benedictionem dabit legislator (*d*), ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

9. Domine Deus (*e*) virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Jacob.

10. Protector noster aspice Deus: & respice in faciem Christi tui (*f*):

11. Quia melior est dies (*g*) una in atriis tuis super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum,

12. Quia misericordiam (*h*) & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.

13. Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

PSALMUS LXXXIV.

In priori parte liberatio ab una captivitate commemoratur; in posteriori postulatur liberatio ab altera. Sed probabile est in eo Psalmo agi de liberatione a captivitate dæmonis per Christum.

1. In finem, filiis Core, Psalmus.

2. BEnedixisti (*a*) Domine terram tuam: avertisti captivitatem Jacob.

3. Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.

4. Mitigasti omnem iram tuam: avertisti ab ira (*b*) indignationis tuæ.

5. Con-

3 & 4. (*b*) Hieron. *Tumultuati sunt: Consilium*, Contra populum tuum: exitio'a plebi tuæ fœdera ineunt. 2. Paral. 20. Moabitæ & Assyrii Regi Josaphat bellum inferentes se plus mutuis vulneribus confecerunt.

5. 6. & 7. (*c*) Hebr. *Ut gens non sit; ne sint populus*: *Disposuerunt*, Hebr. *Fœdus pepigerunt*: *Tabernacula*, In quibus Arabes habitabant.

9. (*d*) Regio Arabica, vel Idumæa, quæ apud Stephanum dicta est *Gebalena*.

11. (*e*) Etiam Assyrii tam procul dissiti: *In Endor*, In Tribu Manasses. *Facti sunt ut stercus terræ*; Hebraismus, fuerunt conculcati.

14. (*f*) Da illos præcipites; nullam habeant quietem, circa se indesinenter revoluti.

17. & 19. (*g*) Perterriti quærent quis sit: *Altissimus*, Solus verus Deus, qui præes universæ terræ.

PSALM. LXXXIII. 4. (*a*) Sicut aviculæ nidos suos anxie inquirunt, ita ego altaria tua. Locus ille in quo animæ requiescat, est Ecclesia, aut cælestis Patria: nunc mihi deest tectum, in quod me recipiam.

5. (*b*) Hieron. *Semitæ in corde ejus*: qui nihil aliud cogitant, quam quomodo ad te perveniant.

6. (*c*) Hebr. *Transeuntes in valle fletus fontem ponent eam*, id est, transibunt loca arida tam jucunde ac si fontibus scaterent. Sed confortium tolle, dum, & per diversos amoris gradus ad locum nobis præparatum conscendemus.

8. (*d*) Hieron. *Benedictione amicietur doctor*: vel divinus Legislator gratiam dabit, qua lex impleatur: *In virtutem*, Hebr. *de turma in turmam*; Ibunt turmatim, donec videant Deum, & apparuerint coram eo, variis catervis pervenient in Sion: vel de fortitudine in fortitudinem, in dies fient valentiores: *In Sion*, Hieron. *Apparebunt apud Deum Sion*, ibi templum & Arca: tum hæc erit eorum oratio.

9. (*e*) Duo sunt nobis Legislatores, Moses & Christus Dominus. Moses dedit legem bonam, sed dare non potuit benedictionem, qua lex impleretur. Christus simul cum lege gratiam attulit. Fideles accepta benedictione Legislatoris sui, & proficientes de virtute in virtutem, in fortitudine ambulantes pervenient ad domum Dei & ad æterna tabernacula.

10. (*f*) Christi Domini, spirituali sensu, cujus David erat figura.

11. (*g*) Augustin. *Millia dierum desiderant homines, & multum volunt hic vivere: contemnant millia dierum, desiderent unum diem, qui non habet ortum & occasum, cui non cedit hesternus dies, quem non urget crastinus. Quid nobis cum millibus dierum ad unum diem?*

12. (*h*) Gratiam nobis largitur, quia verax est, *quam reddet mihi Dominus in illo die justus judex*.

2. (*a*) Hieron. *Placatus es, Domine, terræ tuæ: Jacob*. Hieron. *Reduxisti captivitatem Jacob*: aut præteritum ponitur pro futuro, *benedices*. Commemorat divinum beneficium, quo Deus ab æterno decrevit homines per Christum liberare. PSALM. LXXXIV.

4. (*b*) Hieron. *Conversus es ab ira furoris tui*: prædicit figuram in salutione captivitatis Babylonicæ, & veritatem in liberatione generis humani per Christum.

5. Converte nos Deus salutaris noster: & averte iram tuam a nobis.

6. Numquid in æternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

7. Deus tu conversus vivificabis (c) nos: & plebs tua lætabitur in te.

8. Ostende nobis Domine misericordiam tuam: & salutare tuum da nobis.

9. Audiam (d) quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam;

Et super sanctos suos, & in eos qui convertuntur ad cor.

10. Verumtamen prope timentes eum salutare (e) ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

11. Misericordia & veritas obviaverunt sibi: justitia & pax osculatæ sunt (f).

12. Veritas de terra orta est: & justitia de cælo prospexit:

13. Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum.

14. Justitia ante eum ambulavit: & ponet in via gressus suos.

PSALMUS LXXXV.

Aug. Christus orat pro nobis ut sacerdos noster; orat in nobis ut caput nostrum, oratur a nobis ut Deus noster.

Oratio ipsi David.

1. Inclina (a) Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops, & pauper sum ego.

2. Custodi animam meam, quoniam sanctus (b) sum: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

3. Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi (c) tota die:

4. Lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Joel 2.13. 5. * Quoniam tu Domine suavis & mitis: & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

6. Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

7. In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudisti me.

8. Non est similis tui in diis Domine: & non est secundum opera tua.

9. Omnes gentes quascumque fecisti, venient (d), & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

10. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus.

11. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur (e) cor meum ut timeat nomen tuum.

12. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum:

13. Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno (f) inferiori.

14. Deus, iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.

15. Et tu Domine Deus miserator & misericors (g), patiens, & multæ misericordiæ, & verax,

16. Respice in me, & miserere mei, da imperium tuum puero tuo (h): & salvum fac filium ancillæ tuæ.

17. Fac mecum signum in bonum (i), ut videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.

PSALMUS LXXXVI.

Laudatur Jerusalem, sic tamen ut laudes ejus Ecclesiæ in primis conveniant.

1. Filiis Core, Psalmus Cantici.

Fundamenta (a) ejus in montibus sanctis:

2. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

3. Glo-

7. (c) E periculis nos erues. *Conversus*, id est, iterum vivificabis nos. Augustin. *Ut non solum vivificatio nostra a te sit, sed etiam conversio, ut vivificemur.* *Lætabitur in te.* Augustin. *Malo suo lætabitur in se, bono suo lætabitur in te.*

9. (d) Ex revelatione se loqui nos admonet; tenero Deum in me loquentem pacem populo suo polliceri. August. *Loquebatur in eo Deus intus, & mundus faciebat illi strepitum foris.* Prius locutus est Propheta, nunc silentium sibi indicit.

10. (e) Qui timent Deum, ii sunt saluti proximi: his dabit Deus salutare suum, Christum scilicet.

11. (f) In terra ortus est ex B. Virgine: justitia & misericordia Patris & Filii sese complexæ sunt; Verbum incarnatum justitiæ divinæ omnino satisfecit: *Orta est*, In terra nostra, quæ prius videbantur sibi adversæ, sunt conciliatæ, Misericordia & Veritas; utraque apparuit; *Et justitia de cælo prospexit*, divina gratia dedit *fructum suum*, Christum suum; qui *ponet in via gressus suos*; ingredietur iter peregrinationis suæ.

PSALM. LXXXV. 1. (a) August. *Inclinat aurem, si tu non erigis cervicem: Sum ego.* August. *Ergo non inclinat aurem ad divitem, sed ad pauperem & egenum inclinat aurem, id est, ad humilem & confitentem misericordiam, non ad saturatum & extollentem se.*

2. (b) Ex eorum numero qui te colunt: vel in persona Christi loquitur, cujus est expressa figura. Christus enim oratur a nobis ut Deus, orat pro nobis ut Sacerdos, orat in nobis ut caput.

3. & 4. (c) Oratio est cordis clamor: *Lætifica*; nam in te uno est spes mea. August. *Levatur in cælum quod male est in terra: frumentum si haberes in inferioribus, ut putresceret, levares in superiora; frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terra putrescere? Animam, mali oppressam.*

8. (d) Manifesta vocatio gentium.

11. (e) Hieron. *Unicum fac cor meum; ne scindatur variis affectibus, in neutram declinet partem; tibi uni adhæreat: Ut timeat*, Lætitia illa timore miscenda est.

13. (f) E summis periculis: vel e specu profundissimo, seu e gravissimo periculo. Nam Dei misericordiam commemorat. Idque de Davide, aut de aliis ita accipi potest. Si de Christo interpretemur, de receptaculo justarum animarum, ut Psalm. 15. vers. 10. exponitur.

15. (g) Affectu misericors, gratiæ largitor.

16. (h) Hebr. *Da fortitudinem servo tuo*: quæ Christo conveniunt, si imperium pro regno sumatur.

17. (i) Insigne favoris tui signum illud magis propter inimicos, ut convertantur, quam in subsidium Davidi poscitur: *Consolatus es me.* August. *Adjuvisti in certamine, & consolatus es me in tristitia. Contristatus est beatus Cyprianus in passione, modo consolatus est in corona. Dominus noster Jesus Christus adhuc interpellat pro nobis; omnes Martyres qui cum illo sunt, interpellant pro nobis.*

PSALM. LXXXVI. 1. (a) Templi, aut sanctæ civitatis, ac sub ejus figura Ecclesiæ, quæ est sancta civitas supra montem posita, Matth. 5. *Fundamenta ejus*: præcesserat enim illius civitatis intenta meditatio. Relativum interdum ponitur, ubi antecedens non præcessit. Hic ordo verborum constitui potest: *Dominus diligit portas Sion, cujus fundamenta sunt in montibus sanctis.* Fundamenta ejus in cælis sursum, vel in Apostolis constituta, non ut Synagogæ tabernaculum; vel *diligit Dominus portas Sion* inconcussas, quæ everti non possunt ut tabernacula Jacob, seu Synagogæ. August. *Quemadmodum fundamentum corporeæ fabricæ in imo est; sic fundamentum spiritalis fabricæ in summo est.*

3. Gloriosa (*b*) dicta sunt de te, civitas Dei.

4. Memor ero Rahab (*c*), & Babylonis scientium me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.

5. Numquid Sion (*d*) dicet: Homo, & homo natus est in ea: & ipse fundavit eam Altissimus?

6. Dominus narrabit (*e*) in scripturis populorum, & principum: horum, qui fuerunt in ea.

7. Sicut lætantium (*f*) omnium habitatio est in te.

PSALMUS LXXXVII.

Incertum est an Maheleth *accipiatur pro choro, ut videtur Hieronymo, an sit instrumentum quoddam musicum. Illud quoque incertum, an* Eman *tempore fuerit hunc Psalmum; an David in persona* Eman *Ezrahitæ, cujus sapientia celebratur 3. Reg. 4. Psalmus est deprecatorius, & Passionis Christi imaginem exprimit.*

Canticum Psalmi,

1. Filiis Core, in finem, pro Maheleth ad respondendum, intellectus Eman Ezrahitæ.

2. DOmine Deus salutis meæ: in die clamavi, & nocte coram te.

3. Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam:

4. Quia repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquavit.

5. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adjutorio (*a*),

6. Inter mortuos liber (*b*).

Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius: & ipsi de manu tua repulsi sunt.

7. Posuerunt (*c*) me in lacu inferiori: in tenebrosis, & in umbra mortis.

8. Super me confirmatus est furor tuus: & omnes fluctus tuos induxisti super me,

9. Longe fecisti notos meos a me: posuerunt (*d*) me abominationem sibi.

Traditus sum, & non egrediebar:

10. Oculi mei languerunt præ (*e*) inopia.

Clamavi ad te Domine tota die: expandi ad te manus meas.

11. Numquid mortuis facies mirabilia: aut medici suscitabunt (*f*), & confitebuntur tibi?

12. Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione?

13. Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: & justitia tua in terra oblivionis?

14. Et ego ad te Domine clamavi (*g*): & mane oratio mea præveniet te.

15. Ut quid Domine repellis orationem meam: avertis faciem tuam a me?

16. Pauper sum ego, & in laboribus (*h*) a juventute mea: exaltatus autem, humiliatus sum, & conturbatus.

17. In me transierunt iræ tuæ: & terrores tui conturbaverunt me.

18. Circumdederunt me sicut aqua tota die: circumdederunt me simul.

19. Elongasti a me amicum, & proximum: & notos meos a (*i*) miseria.

PSALMUS LXXXVIII.

In tres partes secat hunc Psalmum Hieronymus. In prima usque ad vers. 39. agit de promissionibus Dei circa perpetuitatem regni David; tum usque ad vers. 47. declarat hanc promissionem non esse impletam in terreno regno David: in parte postrema orat ut veniat qui mittendus est Christus.

1. Intellectus Ethan Ezrahitæ.

2. MIsericordias Domini in æternum (*a*) cantabo.

In generationem & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

3. Quoniam dixisti: In æternum misericordia ædificabitur in cælis: præparabitur veritas tua in eis.

4. Dispo-

3. (*b*) David Ecclesiæ gloriam considerans, & extra se raptus, modo ipse loquitur, modo inducit Deum ipsum loquentem. Præclara dicta sunt de te, quæ tibi sunt obventura.

4. (*c*) Ægypti, ut Psalm. 88 & Isaiæ 51. Vox Hebræa *superbiam* significat. Vocatio Gentium insinuatur, etiam earum, quæ a recta fide longius aberrant: *Fuerunt*, In ea erant: sæpe præteritum pro futuro. Deus prædicit fore ut ibi agnoscat hostes antiquos inter domesticos & familiares, & in populum Dei annumeret eos. *Hi fuerunt illic*: Hebr. *Iste natus est ibi*: Inimicissimi aliquando Israelitis pro civibus habebantur. Ad designandam illius excellentiam additur illud solemne *semper*.

5. (*d*) Nonne Sioni dicetur? nam tertia persona singularis numeri interdum usurpatur impersonaliter pro passiva voce. Homo, Quamplurimi homines: siquidem substantivum geminatum significat multitudinem. Rationem mox subjicit, quia fundavit: hoc est Dei opus. August. Homo propter nos, Deus ante nos.

6. (*e*) Hos viros insignes: August. *Hic ergo homo propter nos factus est in ea, id est ipse Altissimus fundavit eam. Unde ista scimus? Dominus narrabit in scripturis populorum*. Hebr. *Ille numerabit*: Recensebit eos inter cives Jerusalem.

7. (*f*) Hi vere gaudent, qui habitant in te. Hebr. Ut cantores, ut tibicines, supple, laudes personant, est enim concisa oratio; Ut tibicines, magna erit copia laudantium Deum.

PSALM. LXXXVII. 5. (*a*) Hebr. *Sicut vir cui non est fortitudo*: Qui malorum gravitate obrutus perdidit quidquid habebat virium.

6. (*b*) Ab omni cura & sollicitudine solutus. Patres id Christo aptant, qui solus inter homines morientes liber fuit a mortis imperio. *Dormientes*. His similis factus sum. *Repulsi sunt*, Hebr. *Excisi*, seu amoti sunt. *manu*, pro tutela.

9. (*c*) Hieron. *Posuisti*: per hæc verba August. intelligit summam miseriam, ut Psalm 39 Hæc quidem de Davide possunt intelligi, sed Christo melius tribuuntur.

9. (*d*) Hieron. *Posuisti me abominationem eis*, *clausum & non prodeuntem*, velut carcere inclusum. Hæc per metaphoram Davidi, proprie Christo conveniunt, qui ad loca tenebrosa descendit.

10. (*e*) Hebr. *Præ afflictione mea*: Expandi, Tetendi manibus in cruce, ut cito resurgeret, aut pro Ecclesiæ membris.

11. (*f*) Loquitur de quotidianis auxiliis; voces Hebrææ sunt ambiguæ. Hactenus Propheta Passionis atrocitatem expressit. In tribus his versiculis rationem affert, cur Christus mortem tam acerbam amoveri a se postulaverit.

14. (*g*) At ego ad te Domine clamavi, nec repelles orationem meam: quod per interrogationem exprimit. Orationem meam, LXX. animam meam.

16. (*h*) Hebr. *Tabescens a pueritia mea*, *Exaltatus*, In cruce humiliatus usque ad mortem. *Conturbatus*, Propter ruinam populi. Rationem affert, cur ejus oratio pro resurrectione sua, vel pro salute fidelium non repellatur, quod humiliatus fuerit in cruce.

19. (*i*) Propter miseriam meam noti absconderunt se, ne mihi occurrant, & calamitatis meæ sint participes. Hebr. *Noti mei in tenebris delitescunt*, nec prodeunt ut mihi opem ferant.

PSALM. LXXXVIII. 2 & 3. (*a*) Probat eas in æternum duraturas, quod Deus dixerit, quod promiserit & ita statuerit in æternum. *Ædificabitur*: Vox Hebræa significat etiam durabit. *In cælis*, Tam firma sunt promissa tua, ac status & ordo cæli qui sibi semper constat.

* 2. Reg. 7. 12. 4. Disposui testamentum electis (*b*) meis, * juravi David servo meo:

5. Usque in æternum præparabo semen tuum. Et ædificabo in generationem & generationem sedem tuam.

6. Confitebuntur cæli (*c*) mirabilia tua Domine: etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.

7. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino: similis erit Deo in filiis Dei?

8. Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum: magnus & terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt.

9. Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es Domine, & veritas tua (*d*) in circuitu tuo.

10. Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum ejus tu mitigas.

11. Tu humiliasti sicut vulneratum (*e*), superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

* Gen. 1. 1. 12. * Tui sunt cæli, & tua est terra, orbem terræ & plenitudinem ejus tu fundasti:

13. Aquilonem (*f*) & mare tu creasti.

Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt:

14. Tuum brachium cum potentia.

Firmetur (*g*) manus tua, & exaltetur dextera tua:

15. Justitia & judicium præparatio sedis tuæ (*h*).

Misericordia & veritas præcedent faciem tuam:

16. Beatus populus, qui scit (*i*) jubilationem.

Domine, in lumine vultus tui ambulabunt,

17. Et in nomine tuo exultabunt tota die: & in justitia tua exaltabuntur.

18. Quoniam gloria virtutis eorum tu es: & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

19. Quia Domini est (*k*) assumptio nostra, & Sancti Israel regis nostri.

20. Tunc locutus es in visione (*l*) sanctis tuis, & dixisti: Posui adjutorium in potente: & exaltavi electum de plebe mea.

21. * Inveni David servum meum: oleo sancto meo unxi eum. * 1. Reg. 16. c. & 13. Actor. 13. 22.

22. Manus enim mea auxiliabitur ei: & brachium meum confortabit eum.

23. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.

24. Et concidam a facie ipsius inimicos ejus: & odientes eum in fugam convertam.

25. Et veritas (*m*) mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

26. Et ponam in mari manum ejus: & in fluminibus dexteram ejus.

27. Ipse invocabit me: Pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis meæ:

28. Et ego primogenitum (*n*) ponam illum, excelsum præ regibus terræ.

29. In æternum servabo (*o*) illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi.

30. Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cæli.

31. Si autem dereliquerint filii ejus legem meam: & in judiciis meis non ambulaverint:

32. Si justitias meas profanaverint: & mandata mea non custodierint:

33. Visitabo in virga iniquitates eorum: & in verberibus peccata eorum.

34. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo: neque nocebo in veritate (*p*) mea:

35. Neque profanabo testamentum meum (*q*): & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.

36. Semel juravi in sancto meo, si David mentiar:

37. Semen ejus in æternum manebit.

38. Et * thronus ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum: & testis in cælo fidelis. * 2. Reg. 7. 16.

39. Tu vero repulisti (*r*) & despexisti: distulisti Christum tuum.

40. Evertisti testamentum (*s*) servi tui: profanasti in terra Sanctuarium ejus.

41. Destruxisti omnes sepes ejus: posuisti firmamentum ejus (*t*) formidinem.

42. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis,

43. Exal-

4. & 5. (*b*) Hieron. *Percussi fœdus cum electo meo David*, & semini ejus: In Christo tantummodo promissum illud impletur. *Ædificabo*, Hieron. *Stabiliam*, ædificabo, firmabo.

6. & 7. (*c*) Angeli & homines prædicant gloriam tuam; illi in Cælis, hi in Ecclesia. *Nubibus*. In cælo, in Angelis.

9. (*d*) Nec a te divelli potest; quasi veri ate ipsa cingeris.

11. & 12. (*e*) Hieron. *Confregisti superbum*: Hebr. Rааb, Ægyptum.

13. (*f*) Hieron. *Austrum*. *Thabor & Hermon*: Occidens & Oriens horum montium situ designantur. Hactenus potentiam Dei commendat; nunc de ejus veritate, seu fidelitate in promissorum executione.

14. (*g*) Sic laudetur potentia tua, ut justitia quoque & judicium celebretur.

15. (*h*) Hieron. *Firmamentum throni tui*: Judicia Dei & potentia, justitia & misericordia temperantur; eæ sunt supernæ regulæ judiciorum.

16. (*i*) Qui vere & ex animo scit laudare Deum: qui novit verum gaudium, quod est in Deo solo; qui scit se sibi adesse; aut clangorem Dei pro se præliantis audit, nec despondet animum: quod quidem applicat populo Israelitico.

19. (*k*) Nam Deus ex misericordia sua eum assumpsit sibi. Hieron. *A Domino protectio nostra*: Salutis pignus dedit Prophetis nostris.

20. (*l*) Sancto tuo Samueli. Jam venit ad promissionem factam Davidi. *In potente*. In Davide, qui meo auxilio potens est. Hebr. *Super potentem*, Davidem qui fortis factus est auxilio meo, & populo regendo idoneus; vel potentis nomine Christus intelligitur, David in typo.

25. 26. & 27. (*m*) Quæ promisi ei, fideliter præstabo. *In mari*, quod utique ut versus sequens Christo omnino convenit. *Pater*, numquam enim David Deum Patris nomine invocavit.

28. (*n*) Christum videlicet, cui Deus subjecit maria, flumina, regiones omnes terræ. *Pater meus es tu*, quoad divinitatem; *Deus meus*, quoad humanitatem. Unigenitus est Christus ratione Divinitatis. Primogenitus ut Homo. Prædestinatione, & dignitate ut Caput Ecclesiæ, & omnium qui merito incarnationis in filios sunt adoptati.

29. & 30. (*o*) Corpori ejus, quod est Ecclesia. *Dies cæli*. Regnum defecit in Jechonia: unde hæc promissio accipienda est de Christo.

34. (*p*) Hieron. *Non mentiar*: Non nocebo veritati meæ.

35. (*q*) Quæ stabilitate sua Conditoris potentiam & constantiam testatur; *Sicut sol in conspectu meo*: ratione divinitatis suæ, & *sicut luna*, cum plena est, ratione corporis sui mystici, & instar arcus cælestis, qui est testis fœderis post diluvium sanciti a Deo.

39. (*r*) Promissionem illam nondum esse impletam declarat. Hebr. *Iratus es adversus Christum tuum*: Videris deseruisse populum tuum; vel unctum tuum Davidis filium Jechoniam, aut Sedeciam: nam de captivitate Babylonica ratiocinari videtur, & Messiæ adventum postulare. *Despexisti*: mala captivitatis commemorat.

40. (*s*) Revocasti pactum cum Davide sancitum. *Sanctuarium*. Hebr. *Diadema ejus*: regnum dignitatem, quod diadema sanctum habebatur, & Psalm. 131. dicatur sanctificatum.

41. (*t*) Fecisti ut munimenta ejus essent in pavorem, nec fama est ut tuta. Quod si nepotes David pietatem ejus essent imitati, thronus ejus temporalis stetisset: sed ob defectus suos propter eorum scelera, & Deus ex abjectis eorum posteris thronum Davidicum erexit.

43. Exaltasti dexteram deprimentium eum: lætificasti omnes inimicos ejus.

44. Avertisti adjutorium gladii ejus: & non es auxiliatus ei in bello.

45. Destruxisti (*u*) eum ab emundatione: & sedem ejus in terram collisisti.

46. Minorasti (*x*) dies temporis ejus: perfudisti eum confusione.

47. Usquequo (*y*) Domine avertis in finem: exardescet sicut ignis ira tua?

48. Memorare quæ mea substantia (*z*): numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?

49. Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?

50. Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, * sicut jurasti David in veritate (*aa*) tua? * 2. Reg. 7. 12.

51. Memor esto Domine opprobrii servorum tuorum (quod continui (*bb*) in sinu meo) multarum gentium.

52. Quod exprobraverunt inimici tui Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui (*cc*).

53. Benedictus (*dd*) Dominus in æternum: fiat, fiat.

PSALMUS LXXXIX.

Nonnulli e SS. Patribus hunc Psalmum tribuunt Mosi ad litteram: alii a Davide Mosen inductum loquentem volunt, ut ministrum veteris Testamenti, & Novi Prophetam. Stylus ipse sublimis, & canticis Mosi non absimilis, auctorem ipsum esse Mosen suadet.

1. Oratio Moysi hominis Dei.

DOmine, refugium factus es nobis: a generatione in generationem.

2. Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis: a sæculo & usque in sæculum tu es Deus.

3. Ne avertas hominem in humilitatem (*a*): & dixisti: Convertimini filii hominum.

4. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præteriit,

Et custodia in nocte,

5. Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

6. Mane sicut herba transeat, mane floreat, & transeat: vespere decidat, induret, & (*b*) arescat.

7. Quia defecimus (*c*) in ira tua, & in furore tuo turbati sumus.

8. Posuisti iniquitates (*d*) nostras in conspectu tuo: sæculum nostrum in illuminatione vultus tui.

9. Quoniam omnes dies nostri defecerunt: & in ira tua defecimus.

Anni nostri sicut aranea (*e*) meditabuntur:

10. * Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. * Eccli. 18. 8.

Si autem in potentatibus (*f*), octoginta anni: & amplius eorum, labor & dolor.

Quoniam supervenit mansuetudo: & corripiemur.

11. Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam

12. Dinumerare?

Dexteram (*g*) tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia.

13. Convertere Domine usquequo (*h*)? & deprecabilis esto super servos tuos.

14. Repleti sumus mane misericordia tua: & exultavimus, & delectati sumus omnibus diebus nostris.

15. Lætati sumus (*i*) pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala.

16. Respice (*k*) in servos tuos, & in opera tua: & dirige filios eorum.

17. Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos: & opus manuum nostrarum dirige.

PSAL-

45 (*u*) Hebr. *Quiescere, cessare fecisti splendorem ejus.* Spoliasti eum cultu regali.

46 (*x*) Fecisti ut regnum illud senesceret, velut in adolescentia: Hebr. *Præcidisti dies juventutis.*

47. (*y*) Sequitur oratio ad Deum pro adventu Messiæ. *In finem.* Hebr. *In sæculum*: In perpetuum.

48. (*z*) Hebr. *Quantulæ ævi sum? vane*: Cur frustra creasti filios hominum?

50 (*aa*) Per veritatem tuam. Jam fideles sese confirmant, & luctantur contra tentationem.

51. (*bb*) Opprobrium gentium silentio premebam, dum falsa spe venturi Messiæ nos duci exprobrabant, quasi Deus mutasset sententiam suam.

52. (*cc*) Hebr. *Quia probris affecerunt vestigia Christi tui.* Chald. *Moram quam facit Christus tuus: tarditatem vestigiorum Messiæ tui.* Non loquitur David de calamitate aliqua, quæ suis temporibus advenerit. Sed ejus querelæ eo spectant, ut doceat nos promissiones sibi factas ad Regnum Christi spirituale referri oportere, terreno regno penitus abjecto. *Commutationem*; Vox Hebræa, inquit Gordonius, non solum vestigia, sed etiam mercedem significat. Quam mercedem, aut commutationem dabis, si destruas regnum servi tui? ut inimici exprobrare solent in hac captivitate positis.

52. (*dd*) De instaurando regno Davidis intelligenda est hæc clausula: nam gratias agit, quod promissiones factæ Davidi sint ratæ & certæ.

PSALM. LXXXIX. 3. (*a*) Hieron. *Commuuens & redarens in pulverem*: Non sinas nos averti a te. Augustin. *Sed da quod jussisti, precem petentis exaudiendo, & adjuvando voluntatis finem.* Pro nihilo enim habentur, quæ antequam veniant, adhuc non sunt; cum venerint, jam non erunt: non enim ut adsint, veniunt sed ut non sint.

6 (*b*) *Decidat utique in mortem, durescat in cadavere, arescat in pulvere.*

7. (*c*) Caussam tot malorum affert iram Dei tot sceleribus excitatam, quod usque ad vers. 12. prosequitur.

8. (*d*) Hebr. *Errores* nostros: alii adolescentias nostras. Vultus. Ut in lucem proferas.

9 (*e*) Tempus vitæ nostræ meditabitur: Ex voce passive sumpta utitur, pro *reparabitur*, ut tela araneæ multo labore texta, & minimo negotio disrupta. Vel *meditabuntur*, exercebuntur in vanis laboribus. Hebr. *Consumpsimus annos nostros tamquam sermonem, qui evanescit*, qui prolatus desiit.

10. (*f*) Hebr. *Et si in fortitudinibus*: Si vivaciores simus, dies illi sunt ærumnæ & vanitas, fortitudo eorum perversitas & iniquitas, labor & molestia. *Mansuetudo*, Hier. *Quoniam transivimus cito, & avolavimus*: Hoc ipsum est misericordiæ opus, ut vitam nostram sic contraxeris. *Quoniam*, id est, verumtamen recedit cito.

12. (*g*) Potentiam, opem tuam. *In sapientia*, Exhibe nobis doctores & Prophetas: vel ex Hebr. Doce nos dinumerare dies nostros: tum enim cor nostrum in sapientia erudietur.

13 & 14. (*h*) Affliges nos. *Repleti*, Hieron. *Imple nos matutina misericordia tua*, prompta & grata.

15. (*i*) Hebr. *Exhilara nos secundum dies, quibus afflixisti nos*: ut nos ante afflixisti, ita nunc nos exhilara.

16. (*k*) Hebr. *Conspiciatur in servis tuis opus tuum*, plene liberatio appareat: *opus tuum super servos dirige*, petere opera nostra sic disponere, ut perseveremus in tuo obsequio.

PSALMUS XC.

In magno discrimine fuit compositus instar dialogi. Fors est ut a Davide prolatus fuerit ex occasione illius pestis, quæ 70000. homines sustulit. Hortatur ad ponendam in Deo fiduciam omnem.

Laus Cantici David.

1. QUi habitat (*a*) in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.
2. Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum: Deus meus sperabo in eum.
3. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & a verbo aspero (*b*).
4. Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis ejus sperabis.
5. Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno (*c*),
6. A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incursu, & dæmonio meridiano.
7. Cadent a latere tuo mille, & decem millia (*d*) a dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.
8. Verumtamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.
9. Quoniam tu es Domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.
10. Non accedet ad te malum (*e*): & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.
11. * Quoniam Angelis suis mandavit de te: ut custodiant te in omnibus viis tuis. (* Matth. 4. 6. Luc. 4. 10.)
12. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.
13. Super aspidem (*f*) & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.
14. Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.
15. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.
16. Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.

PSALMUS XCI.

Ubi in die sabbati cantetur, laudes Dei prosequitur, ut creatoris mundi & gubernatoris.

1. Psalmus Cantici,
In die sabbati.

2. BOnum est confiteri Domino: & psallere nomini tuo Altissime:
3. Ad annuntiandum mane misericordiam tuam: & veritatem tuam per noctem.
4. In decachordo, psalterio; cum cantico, in cithara.
5. Quia delectasti me Domine in factura (*a*) tua: & in operibus manuum tuarum exultabo.
6. Quam magnificata sunt opera tua Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.
7. Vir insipiens non cognoscet: & stultus non intelliget hæc.
8. Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum: & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem:
Ut intereant in sæculum sæculi:
9. Tu autem Altissimus in æternum Domine.
10. Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt: & dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.
11. Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum: & senectus mea in (*b*) misericordia uberi.
12. Et despexit oculus meus inimicos meos: & in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.
13. Justus ut palma florebit (*c*): sicut cedrus Libani multiplicabitur.
14. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.
15. Adhuc multiplicabuntur in senecta (*d*) uberi: & bene patientes erunt,
16. Ut annuntient:
Quoniam rectus Dominus Deus noster: & non est iniquitas in eo.

PSAL-

PSAL. XC.

1. & 2. (*a*) Fiduciam in Deo constantem excitat, dum protectionem Dei promittit. *In adjutorio*, Hieron. *In abscondito*, in loco inaccesso: qui firmam in Deo spem suam ponit, is in omni angustia Deum confidenter invocabit: qui sub Dei præsidio habitant, non sunt expositi periculis.

3. (*b*) Hieron. *De morte insidiarum*: verbum, pro re molesta usurpat.

5. & 6. (*c*) A latronibus. *Sagitta*, A repentino periculo, & non prævisio. Negotio, Hieron. *A peste*, seu pernicie Dæmonis. Hieron. *A morsu insanientis meridie serpentis*: LXX. vertunt, *A dæmonio meridiano*: quod Theodoretus interpretatur de dæmone invitante ad libidinem post sumptuosas epulas, ubi pericula hinc inde enumerat. Non timebis casus nocturnos, non vim apertam, non insidias & machinationes occultas, non æstum intolerabilem, & irritantem angues, a quibus Israelitæ fuerunt liberati in deserto. Negotium vocat, quod nocet in tenebris; sagittam, quidquid molitur diabolus contra homines. Illa, inquit S. Bernardus, commoda hinc percipimus, quod sub alis Dei nostri latemus, quod adversus aves, quæ ex præda vivunt, seu adversus spirituales nequitias tecti in tuto sumus, & contra tentationum ardores obumbremur, & blando calore fotos verbi divini veritas nos ut scutum tegat. Videbis passim interemptos lue misere pereuntes, tu interim securus eris.

7. (*d*) Nam multo plures obruit prosperitas.

10. (*e*) Septuaginta cum culpæ, cum pœnæ: si peccaverit, resurget ardentius.

13. (*f*) Tentator modo serpentis astutia, modo leonis furore nos invadit. Augustin. Quando Martyres occidebantur, leo erat sæviens: quando hæretici insidiantur, draco est subrepens.

PSALM. XCI.

5. (*a*) Non factura delectare debet, sed Deus in factura: nam periculosum est sistere in delectatione creaturæ.

11. (*b*) Hebr. *Conspergor oleo viridi*: Senectus justi in misericordia erit fertilis: felices erunt perpetuo cultores Dei. Symmachus apud Theodor. *Senectus mea ut oliva florens*: LXX. *Senectus mea in oleo pingui*: sic legit August. ἐν ἐλαίῳ in oleo; Interpres ἐν ἐλέῳ, in misericordia. Oleum etiam pro misericordia figurate solere usurpari.

13. (*c*) Audiam vindictam de impiis: contra Justus ut palma florebit, semper virens. August. *Illi exoriuntur sicut fœnum, justus ut palma florebit*.

15. (*d*) Ad senectam vitæ usque plenam; Erunt; Gr. *In rebus bonis erunt*. Fructificabunt, Hebr. *Pingues & virides*: succulenti & vividi: de tempore Christi videtur loqui, de quo Isaias cap. 65. *Ut annus enim*... Hæc verba ad versiculum insequentem videntur pertinere.

PSALMUS XCII.

Idem fere est argumentum, quod præcedentis: sensus allegoricus de Ecclesiæ fundatione in Christi Domini Passione, seu Feria sexta, & in ipsa Resurrectione.

Laus Cantici ipsi David in die ante sabbatum, quando fundata est terra.

1. DOminus regnavit (*a*), decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.

Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.

2. Parata sedes tua ex tunc (*b*): a sæculo tu es.

3. Elevaverunt flumina Domine: elevaverunt flumina vocem suam.

Elevaverunt flumina fluctus suos,

4. A vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris, mirabilis (*c*) in altis Dominus,

5. Testimonia tua (*d*) credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.

PSALMUS XCIII.

Solebant cani quarto die a sabbato. Argumentum est de improborum punitione, & bonorum remuneratione.

Psalmus ipsi David,

Quarta sabbati.

1. DEus ultionum (*a*) Dominus: Deus ultionum libere egit.

2. Exaltare qui judicas terram: redde retributionem superbis.

3. Usquequo peccatores Domine: usquequo peccatores gloriabuntur:

4. Effabuntur (*b*) & loquentur iniquitatem: loquentur omnes qui operantur injustitiam?

5. Populum (*c*) tuum Domine humiliaverunt: & hæreditatem tuam vexaverunt.

6. Viduam & advenam interfecerunt: & pupillos occiderunt.

7. Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.

8. Intelligite insipientes in populo: & stulti aliquando sapite.

9. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?

10. Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem scientiam?

11. Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.

12. Beatus homo, quem tu erudieris Domine: & de lege tua docueris eum:

13. Ut mitiges (*d*) ei a diebus malis: donec fodiatur peccatori fovea.

14. Quia non repellet (*e*) Dominus plebem suam: & hæreditatem suam non derelinquet.

15. Quoadusque (*f*) justitia convertatur in judicium: & qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

16. Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

17. Nisi quia Dominus adjuvit me: paullo (*g*) minus habitasset in inferno anima mea.

18. Si dicebam: Motus est pes meus: misericordia tua Domine adjuvabat me.

19. Secundum multitudinem dolorum (*h*) meorum in corde meo: consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

20. Numquid adhæret tibi sedes (*i*) iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?

21. Captabunt in animam justi: & sanguinem innocentem condemnabunt.

22. Et factus est mihi Dominus in refugium, & Deus meus in adjutorium spei meæ.

23. Et reddet illis iniquitatem ipsorum: & in malitia eorum disperdet eos: disperdet illos Dominus Deus noster.

PSALMUS XCIV.

Laus Cantici ipsi David.

Apud Hebræos est sine titulo; excitat nos ad laudes Dei celebrandas.

1. VEnite (*a*), exultemus Domino: jubilemus Deo salutari nostro.

2. Præ-

PSALM. XCII. 1. (*a*) Laudat Deum ex creatione mundi. Hebr. *Amictus est magnificentia.*

2. (*b*) A principio mundi. In sensu allegorico Christus resurgens indutus glorioso suo corpore firmavit Ecclesiam.

4. (*c*) At mirabilior in altitudine consiliorum suorum.

5. (*d*) Mandata tua tot firmata miraculis sunt fide dignissima. *Domum tuam decet*, seu Ecclesiam decet esse sanctam; ea quippe est dispensatrix veræ doctrinæ. Hebr. *Domui tuæ decora est sanctitas*: Domum tuam decet sanctitas, cum Ecclesiæ administrandi verbi Dei munus sit a Deo demandatum.

PSALM. XCIII. 1. (*a*) Hieron. *Ostendere*. Appare Deus, & puni eos, qui in plebem tuam grassantur. Nomen Dei in Hebræo eum ut fortis est, exprimit. *Libere egit*, confidenter, manifeste.

4. (*b*) Loquitur ut Propheta, & cum admiratione divinæ patientiæ. Hebr. *Loquetur dura.*

5. (*c*) Hæc est eorum iniquitas, quod populum tuum opprimant, & tuam negent providentiam: hos deinceps refellit.

13. (*d*) Hieron. *Ut quiescat a diebus afflictionis*: vel in die judicii, cum impiis fovea paratur.

14. (*e*) Hic versiculus canitur in ipso Invitatorio, quod tamen non est in Psalm. 94. August. Exercet, non *repellit; tu gaude sub flagellis, quia tibi servatur hæreditas.*

15. (*f*) Quoadusque justitia ipsa exerceat judicium suum. *Et qui juxta*, Hebr. *Et sequentur illam*, qui judicium Dei contra impios approbabunt. Etsi interdum iratus videtur, est tamen illi cura piæ ipsius de bonis; impiis autem præparat interitum in extremo judicio. August. *Qui sunt recto corde qui hoc volunt quod Deus vult; ne voluntatem Dei velis torquere ad voluntatem tuam, sed tuam corrige ad voluntatem Dei.*

17. (*g*) *Paullo*, Intra modicum tempus: *Paullo post*, ex Græco textu.

19. (*h*) Hebr. *In multitudine cogitationum*: sed Vulgata videtur apertior; alii. *In multitudine anxietatum mearum; tu me lætitia in tempore perfudisti.*

20. (*i*) Non eris iniquus, ut des laboriosa præcepta, quibus nullum præmium retribuas. *Sedes iniquitatis*, ut prætextu legis miseri affligantur. Quasi respondens ait, Nequaquam: simul enim consolaris, & culpas eluis; tribulationis momentum, æternæ vitæ præmio remunerabis.

PSALM. XCIV. 1. (*a*) Interjectiones hortantis, vel excitantis, ut Eja, age, apud Hebræos his particulis, veni, venite, surge, exprimi solent. Sex primis versiculis ad laudandum Deum omnes invitat, quia Deus magnus est & super omnes; quia in ejus potestate est orbis universus: Terram, Maria, Homines fecit, quos singulari providentia regit & tuetur.

2. Præoccupemus (*b*) faciem ejus in confessione: & in psalmis jubilemus ei:

3. Quoniam Deus magnus Dominus: & rex magnus super omnes deos.

4. Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ: & altitudines montium ipsius sunt.

5. Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud: & siccam manus ejus formaverunt.

6. Venite adoremus, & procidamus: & ploremus ante Dominum, qui fecit nos.

7. Quia ipse est Dominus Deus noster: & nos populus pascuæ ejus, & oves (*c*) manus ejus.

* Heb. 3. 7. & 4. 7. 8. * Hodie (*d*) si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra;

9. Sicut in irritatione (*e*) secundum diem tentationis in deserto: ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, & viderunt opera mea.

* Num. 14. 34. 10. * Quadraginta annis offensus (*f*) fui generationi illi, & dixi: Semper hi errant corde.

* Heb. 4. 3. 11. Et isti non cognoverunt vias meas: * ut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam.

PSALMUS XCV.

Titulus iste qui non est in Hebræo, adjectus videtur a collectore Psalmorum, vel ab Esdra, qui jussit hunc Psalmum cani in ædificatione secundi templi. Is vero in translatione Arcæ cantatus fuit 1. Paral. 16. *una cum Psalmo* 104. *qui eodem capite continetur: de spirituali templo Ecclesiæ optime exponitur.*

Canticum ipsi David,

1. Quando domus ædificabatur post captivitatem. (1. *Par.* 15.)

CAntate Domino canticum novum (*a*): cantate Domino omnis terra.

2. Cantate Domino, & benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare (*b*) ejus.

3. Annuntiate inter Gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.

4. Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis (*c*) est super omnes deos.

5. Quoniam omnes dii Gentium dæmonia (*d*): Dominus autem cælos fecit.

6. Confessio & pulchritudo (*e*) in conspectu ejus: sanctimonia & magnificentia in sanctificatione ejus.

7. Afferte (*f*) Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem:

8. Afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, & introite in atria ejus.

9. Adorate (*g*) Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra:

10. Dicite in Gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit (*h*) orbem terræ qui non commovebitur: judicabit populos in æquitate.

11. Lætentur cæli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus:

12. Gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum

13. A facie Domini, quia venit: quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.

PSALMUS XCVI.

Forte quando post mortem Absalomi regnum Davidi restitutum fuit. Titulus deest in Hebræo, ut in multis aliis; potest explicari de Deo regnante per potentiam, & de Christi regno post resurrectionem.

1. Huic David,

Quando terra ejus restituta est.

DOminus regnavit, exultet terra: lætentur insulæ multæ.

2. Nubes

2. (*b*) Festinemus nos coram Deo sistere, ut eum laudemus, aut peccata nostra confitendo præveniamus iram ejus, ne imparatos nos inveniat dies mortis. *Præoccupemus*, non ut Pelagiani, qui a libero arbitrio gratiam præveniri putant; sed cessare non debemus, neque expectare ut Deus solus agat, ne otiosi maneamus, nihil conantes, in molli otio languentes.

7. (*c*) Ab illo quasi pastore deductæ ad pascua.

8. (*d*) Quamdiu in hac vita sumus, hortatur nos, ut non voce tantum, sed & bonis operibus, atque obsequio nostro laudes Dei celebremus.

9. (*e*) Hebr. *Sicut in Meriba, secundum diem Masa*, quæ nomina erant Hebræis nota, sic dicta ab *irritatione* & *tentatione*, cum aquæ deficerent, Exod. 17. *Vocavitque nomen loci Masa & Meriba*; adeo ut utrumque nomen videatur nomen ejusdem loci. *Secundum diem*, quo tempore populus Deum tentavit. *Probaverunt*. Experti sunt, quid in benefaciendo & ulciscendo possem.

10. (*f*) Paulus cum Hebræis habet, *Infensus fui*. Vox Græca indicat Deum proximum fuisse ad vindicandum, & ita legitur in Romano Invitatorio. Sensus ex Apostolo is est, requiem a Deo promissam fuisse Israelitis in terra Chananæa, & omnes interim cecidisse in deserto: unde Spiritus Sanctus aliam per Davidem promittit requiem, & ad novum sabbatum nos invitat in Christo & Ecclesia. Hinc concludit Apostolus *Festinemus ingredi in requiem*, &c. *sicut juravi in ira mea, si non introibunt*: quod non introibunt.

PSALM. XCV. 1. (*a*) In nova celebritate. August. *Vetus cantat cupiditas carnis, novum cantat charitas Dei; dilectio ipsa vox est ad Deum, & ipsa dilectio canticum novum. Omnis terra*. Adest vocatio Gentium: nam canticum Novi Testamenti ad universam terram spectat, ait Chrysostomus.

2. (*b*) Hæc est optima laudis materia, beneficium Redemptoris, quod vocat salutare Dei, & jubet annuntiari universo orbi: quod factum fuit per Apostolos.

4. (*c*) Supra id omne, in quo aliqua gloria, aut vera, aut fictitia, apparet.

5. (*d*) Hebr. *Sculptilia*, Idola; in omni idololatria est tacitus cultus dæmonum.

6. (*e*) Hieron. *Gloria & decor*. Excurrit Propheta in laudem magnitudinis, potentiæ & sapientiæ Dei, quæ elucent in beneficio Incarnationis. *In sanctificatione*. Hebr. *In sanctuaria ejus*, ubi Deus præsentiæ suæ testimonium præbebat.

7. (*f*) Ter hanc vocem repetit, & jubet ut gentes post annuntiatum Evangelium credant in Christum, & sacrificia laudis offerant. Hieron. *Levate munera*. Lib. 1. Paralip. 16. ubi est idem Psalmus, legitur, *Levate*; sacrificium ex similagine & oleo significat. *Patriæ*, Hieron. *Familiæ gentium*.

9. (*g*) Adorate Deum in decore sanctitatis: Sanctuarium splendidum majestate Dei cum reverentia adite. *Quia Dominus regnavit*, addunt multi ex SS. Patribus, *a ligno*; quod nunc ubique deest. Regnavit per fidem & cultum a ligno, per lignum; non vi & armis, sed merito mortis suæ. *Regnum Jesu*, inquit S. Barnabas, *est in ligno*; quæ epistola est primi sæculi. Hæc verba semper legerunt Ecclesiæ Orientales, & Occidentales, Africana in primis & Romana juxta versionem Italam, & adhuc in Ecclesia S. Petri Vaticana ita legitur. Justinus Martyr ad versus Tryphonem dicit hæc verba erasa fuisse a Judæis. Tertull. lib. 3. contra Marcionem eadem verba citat.

10. (*h*) Firmabitur orbis Lib. 1. Paralip. 16. *Fundavit*: in sensu litterali ad Ecclesiam, quam Christus firmavit & stabilivit, omnino id spectat.

2. Nubes (*a*) & caligo in circuitu ejus : juſtitia & judicium correctio ſedis ejus.

3. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.

4. Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ : vidit, & commota eſt terra.

5. Montes, ſicut cera fluxerunt a facie (*b*) Domini : a facie Domini omnis terra.

6. Annunciaverunt cæli juſtitiam ejus : & viderunt omnes populi gloriam ejus.

* *Exod.* 20. 4. *Lev.* 26. 1. *Deut.* 5. 8. 7. * Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia : & qui gloriantur in ſimulacris ſuis.

* *Heb.* 1. 6. * Adorate eum (*c*) omnes Angeli ejus :

8. Audivit, & lætata eſt Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ, propter judicia tua Domine :

9. Quoniam tu Dominus (*d*) altiſſimus ſuper omnem terram : nimis exaltatus es ſuper omnes deos.

* *Amos* 5. 15. *Rom.* 12. 9. 10. * Qui diligitis Dominum, odite (*e*) malum : cuſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum, de manu peccatoris liberabit eos.

11. Lux orta eſt juſto, & rectis corde lætitia.

12. Lætamini juſti in Domino : & confitemini memoriæ (*f*) ſanctificationis ejus.

PSALMUS XCVII.

Idem eſt argumentum quod Pſalmi 95. de utroque Chriſti adventu, ſpiritali ſenſu, necnon de reſurrectione ac prædicatione Evangelii exponi poteſt.

1. Pſalmus ipſi David.

CAntate Domino canticum novum : quia (*a*) mirabilia fecit.

Salvavit ſibi dextera ejus, & brachium ſanctum ejus.

2. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum (*b*) : in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam.

3. Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſrael.

* *Iſa.* 52. 10. *Luc.* 3. 6. * Viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri.

4. Jubilate Deo omnis terra : cantate, & exultate, & pſallite.

5. Pſallite Domino in cithara, in cithara & voce pſalmi :

6. In tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ. Jubilate in conſpectu regis Domini :

7. Moveatur mare, & plenitudo ejus : orbis terrarum, & qui habitant in eo.

8. Flumina plaudent (*c*) manu, ſimul montes exultabunt

9. A conſpectu Domini : quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in juſtitia, & populos in æquitate.

PSALMUS XCVIII.

Argumentum hujus Pſalmi eſt de duplici regno Davidis in ſenſu litterali, & de regno Chriſti in ſenſu ſpiritali.

1. Pſalmus ipſi David.

DOminus regnavit, iraſcantur populi : qui ſedet ſuper Cherubim, moveatur terra.

2. Dominus in Sion magnus : & excelſus ſuper omnes populos.

3. Confiteantur nomini tuo magno : quoniam terribile & ſanctum eſt :

4. Et honor (*a*) regis judicium diligit.

Tu paraſti directiones : judicium & juſtitiam in Jacob tu feciſti.

5. Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate (*b*) ſcabellum pedum ejus : quoniam ſanctum eſt.

6. Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus : & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus :

Invocabant Dominum, & ipſe exaudiebat eos :

7. In columna nubis loquebatur ad eos.

Cuſtodiebant teſtimonia ejus, & præceptum quod dedit illis.

8. Domine Deus noſter tu exaudiebas eos : Deus tu propitius fuiſti eis, & ulciſcens in omnes adinventiones eorum (*c*).

9. Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate in monte ſancto ejus (*d*) : quoniam ſanctus Dominus Deus noſter.

PSAL-

PSALM. XCVI. 2. (*a*) Cuncta regit licet inviſibilis : aut de ſecundo Chriſti adventu loquitur : *Nubes* etiam facta ejus humanitas intelligi poteſt : *Correctio* : Directio, ſeu rectitudo judiciariæ poteſtatis : *Juſtitia & judicium*, æquitatem regni ejus firmam eſſe oſtendunt. Hebr. *Habitaculum ſolii ejus*.

5. (*b*) LXX *Omnis terra præſente Domino*.

7. (*c*) Quod utique probat divinitatem Chriſti, ex Apoſt. Hebr. 1.

9 (*d*) Utrumque Novi Teſtamenti temporibus impletum eſt, idola ejecta, & unus Deus agnitus.

10. (*e*) Auguſt. *Non eſt dignus Chriſtus, cum quo diligas avaritiam, amas illum, debes odiſſe quod odit*.

11 (*f*) Hieron. *Memoria ſancta ejus*.

PSALM. XCVII. 1. (*a*) Chriſtus innumera edidit miracula, & orbem terrarum convertit. *Salvavit*, Chriſtus templum a morte vindicavit. Hebr. *Servavit cum dextera ejus*, opem tulit ſola ſua *dextera & brachium ſanctum ſuum*. Chriſtus Patris dextera attulit ſalutem mundo.

2. (*b*) Hebr. *Salutem Dominus*, quam Eccleſiæ ſuæ conſulit.

8. (*c*) Edant ſigna lætitiæ.

PSALM. XCVIII. 4. (*a*) Hieron. *Imperium Regis*, Dei ſcilicet, cujus majeſtas in dilectione juſtitiæ, quam exercet in punitione impiorum, & in juſtificatione ſanctorum, ſplendeſcit : *Paraſti*, Hebr. *Tu fundaſti æquitates* : Tu paraſti leges ſanctiſſimas ad dirigendos mores populi tui. Auguſt. *Judicium habes, quando diſcernis malum a bono : juſtitiam autem, quando ſequeris bonum, & declinas a malo ; diſcernendo judicium habes, faciendo juſtitiam habes*.

5. (*b*) Arcam : coram ea Deum adorabant, eo modo quo Catholici coram Imaginibus Chriſtum adorant, Sanctos honorant. Auguſt. in hunc Pſalmum : *Fluctuans converto me ad Chriſtum, quia ipſum quæro hic, & invenio quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum ejus ? ſuſcepit enim dextera terram, quia caro de terra eſt, ex carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit ; nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adoraverit*. Cyrillus, lib. 3 in Joannem, de adoratione Eucharistiæ hunc locum exponit. Deus non ſolum vult in ſe adorari, ſed etiam in Arca, de qua ſenſus eſt litteralis, non de templo.

8. (*c*) Symmachus apud Theodoretum vertit *injurias eorum*, ſeu iis illatas. Vox eorum, ad Judæos refertur, qui Moſis & Samuelis temporibus extiterunt : nam relativum ſic aliquando ponitur, ut non referatur ad nomen proxime antecedens, ſed ad aliud non ſatis expreſſum, quod tamen facile intelligitur.

9. (*d*) In Eccleſia Catholica, quæ ſola ſancta eſt.

PSALMUS XCIX.

Titulus hujus Psalmi legitur in Hebræo, Psalmus est laudis.

1. Psalmus in confessione.

2. JUbilate Deo omnis terra: servite Domino in lætitia (a).

Introite in conspectu ejus, in exultatione.

3. Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos, & non ipsi (b) nos:

Populus ejus, & oves pascuæ ejus:

4. Introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis: confitemini illi.

Laudate nomen ejus:

5. Quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus, & usque in generationem & generationem veritas ejus.

PSALMUS C.

Argumentum est de boni principis regimine.

1. Psalmus ipsi David.

MIsericordiam & judicium (a) cantabo tibi Domine: Psallam,

2. Et intelligam in via (b) immaculata, quando venies ad me.

Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.

3. Non proponebam ante oculos meos rem injustam: facientes prævaricationes odivi.

Non adhæsit mihi

4. Cor pravum ( ): declinantem a me malignum non cognoscebam.

5. Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.

Superbo oculo, & insatiabili corde (d), cum hoc non edebam.

6. Oculi mei ad fideles (e) terræ ut sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

7. Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam: qui loquitur iniqua, non direxit (f) in conspectu oculorum meorum.

8. In matutino (g) interficiebam omnes peccatores terræ: ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

PSALMUS CI.

Titulus argumentum Psalmi proponit, isque est moralis & Propheticus de Ecclesia: inter Pœnitentiales numeratur. Scriptus videtur in exilio Babylonico. Oratio pauperis: *Vox Hebræa* honi, *hominem in miseriis positum significat.*

1. Oratio pauperis.

Cum anxius fuerit, & in conspectu Domini effuderit precem suam.

2. DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

3. Non avertas faciem tuam a me: in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me:

4. Quia defecerunt (a) sicut fumus dies mei: & ossa mea sicut cremium aruerunt.

5. Percussus sum ut (b) fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

6. A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ.

7. Similis factus sum (c) pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

8. Vigilavi, & factus sum sicut passer solitarius in (d) tecto.

9. Tota die exprobrabant mihi inimici mei: & qui (e) laudabant me, adversum me jurabant.

10. Quia (f) cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam,

11. A facie iræ & indignationis tuæ: quia elevans (g) allisisti me.

12. Dies mei sicut umbra declinaverunt: & ego sicut fœnum arui.

13. Tu autem Domine in æternum permanes (h): & memoriale tuum in generationem & generationem.

14. Tu exurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

15. Quo-

PSALM. XCIX. 2. (a) August. *Libera servitus apud Dominum, libera servitus, ubi non necessitas, sed charitas servit; servum te charitas facit quia liberum te veritas fecit.*

3. (b) Hieronym. *Et ipsius sumus.* Id quidem omnes novimus; sed ita vivimus, quasi hoc ipsum obliti simus.

PSAL. C. 1. (a) Nam Dei opera his duobus continentur, misericordia & justitia: idque vere est Deo psallere.

2. (b) Viam innocentem, & hoc intelligam quando venies ad me, per tuam gratiam: intelligentia enim hujus viæ est donum gratiæ. Hebr. *Prudenter agam*; Dabo operam, ut inculpate vivam quando me docebis. *Perambulabam.* Hebr. *Perambulabo*, & ita in sequentibus. *In medio*, inter domesticos meos, *& etiamet mecum.* Ita hæc distinguit Hieronym. *Non ponam coram oculis meis verbum Belial, facientem declinationes odivi.*

4. ( ) Hebr. *Recedet a me*; malum nesciam.

5. (d) Hebr. *Latum corde*; cupiditatis infinitæ; vastum corde.

6. (e) Utebar consilio proborum, non alienorum, ut publicis rebus una consulerem.

7. (f) Hier. *Loquens mendacium non placebit mihi.*

8. (g) Hebraismus, tempestive, cito eademque; vel in matutino quia mane judicia exercebantur, David in sua persona mores boni principis describit, innocentiam oculorum & manuum: id atque admonet vitandos esse aulicos vitiosos, detractores, superbos, avaros.

4. (a) Post divini auxilii petitionem, vitæ hujus vanitatem, & miserias exprimit. *Cremium.* Hieron. *Ossa mea quasi frixa contabuerunt.* Cremium est id omne quod facile crematur: omnia virtus corporis mei penitus emarcuit. PSAL. CI.

5. (b) Quod æstu solis exarescit. *Oblitus.* Hebr. *Usque adeo ut oblitus sim. Comedere*, dum præ metu & dolore suspiro & clamo. *Carni.* Cuti meæ: extenuata carne.

7. (c) Seu onocrotalo, avi potius gementi quam canenti. *Nycticorax*, est corvus nocturnus, vel ut aliis dicitur *cuculus*, vel, alia avis solitaria. *Pellicanus* in desertis Ægypti frequens.

8. (d) Hieron. *Super tectum.* August. ait, Christum triplicis avis, Pellicani nascendo, Nycticoracis moriendo, Passeris resurgendo, figura designari. Natus in solitudine, quia solus ita natus, passus in tenebris Judæorum tamquam in nocte, *ascendit in cælum, factus est sicut passer volando, id est, ascendendo singularis in tecto.*

9. (e) Qui mihi in os blandiebantur. *Jurabant.* Conjurabant. Hebr. *Per me jurabant*, Deus maledicet tibi, ut maledixit illi.

10. (f) Panem insipidum & velut cinerem manducabam.

11. (g) Hebr. *Projecisti me.* August. *Per liberum arbitrium levasti me, & per justitiæ judicium elisisti me.*

13. & 14. (h) Tui nominis memoria est sempiterna. *Tempus*: Forte annorum numerus a Jeremia prædictus: jam spe divini auxilii erigitur.

15. Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: & terræ ejus (*i*) miserebuntur.

16. Et timebunt Gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.

17. Quia ædificavit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua.

18. Respexit in orationem humilium: & non sprevit precem eorum.

19. Scribantur hæc in (*k*) generatione altera: & populus, qui creabitur, laudabit Dominum:

20. Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cælo in terram aspexit:

21. Ut audiret gemitus compeditorum (*l*): ut solveret filios interemptorum:

22. Ut annuntient in Sion nomen Domini: & laudem ejus in Jerusalem.

23. In conveniendo populos in (*m*) unum, & reges ut serviant Domino.

24. Respondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

25. Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem & generationem anni tui.

26. Initio tu Domine terram (*n*) fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.

27. Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur:

28. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

29. Filii servorum tuorum habitabunt: & semen eorum in sæculum dirigetur.

PSALMUS CII.

Revelatus Davidi; nam beneficia Dei & promissiones exponit.

1. Ipsi David.

BEnedic anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

2. Benedic anima mea Domino: & noli oblivisci omnes retributiones ejus.

3. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas:

4. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui (*a*) coronat te in misericordia & miserationibus.

5. Qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur ut aquilæ juventus tua:

6. Faciens misericordias Dominus, & judicium omnibus injuriam patientibus.

7. Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.

8. * Miserator, & misericors Dominus: longanimis, & multum misericors. * Exod. 34. 6 Num. 14. 18.

9. Non in perpetuum irascetur: neque in æternum comminabitur.

10. Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

11. Quoniam secundum altitudinem cæli a terra: corroboravit misericordiam suam super timentes se.

12. Quantum distat ortus ab (*b*) occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras.

13. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se:

14. Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum (*c*).

Recordatus est quoniam pulvis sumus:

15. Homo, sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebit.

16. Quoniam spiritus pertransibit (*d*) in illo, & non subsistet: & non cognoscet amplius locum suum.

17. Misericordia autem Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum.

Et justitia illius in filios filiorum,

18. His qui servant testamentum ejus:

Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.

19. Dominus in cælo paravit sedem suam: & regnum ipsius omnibus dominabitur.

20. Benedicite Domino omnes Angeli ejus: potentes virtute, facientes verbum illius, ad (*e*) audiendam vocem sermonum ejus.

21. Benedicite Domino omnes virtutes (*f*) ejus: ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

22. Benedicite Domino omnia opera ejus: in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

PSALMUS CIII.

Bellarminus existimat titulum additum esse non a LXX. sed a recentioribus scriptoribus. In hoc Psalmo laudatur sapientia Dei, & potentia in Mundi creatione: estque gloria Domini in natura operibus figurata descriptio.

1. Ipsi David.

BEnedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer.

Con-

15. (*i*) Ruinas patriæ diligunt & sudera. In sensu spirituali de ædificatione Ecclesiæ Propheta vaticinatur, ut ex iis quæ præcedunt, & sequuntur, liquet: Servi tui vehementer optant, ut Sion ædificetur: miseret eos humilitatis Sion; cupiunt eam excusso pulvere extolli in omnibus gentibus.

19. (*k*) Christus visus est in Sion cum miraculorum splendore.

21. (*l*) Hieron. *Filios mortis*, morti addictos.

23. (*m*) Hæc ad Ecclesiam sub Christo referuntur. *Infra*, Hieron. *Afflixit in via fortitudinem meam*; in tuit ne ante moriatur, quam videat Jerusalem te bitatem. Quo refertur verbum, *respondit*; obscurum est: an ad populum captivum, aut ad Nehemiam? *Indica mihi quot sunt dies calamitatis hujus*.

26. & 27. (*n*) Hæc verba de Christo Intelligit Apostol. Hebr. 1. Jam pridem fundasti terram, & celi sunt opera manuum tuarum. *Peribunt*: Sed alia est diuturnitas Ecclesiæ, semen eorum stabilietur.

PSAL CII.

4. & 5. (*a*) Qui cingit te misericordia multiplici. Beneficia Dei recenset: primum est remissio peccatorum versu 3. aum redemptio per Christum; postremo omnium bonorum cumulus versu 5. *Qui replet in bonis*: *Renovabitur ut Aquila*. Quod in vita cœpit, in altera perficiet: nam Aquilæ vigor etiam in senectute manet, & novas assumit pennas.

12. (*b*) Melius agis nobiscum, quam exigant peccata nostra: sed tamen in altera vita, juxta legem puniendi a se constitutam, pro mensura delicti erit plagarum modus.

14. (*c*) Vox Hebræa significat *apud figulum*: Novit quam fragiles simus.

16. (*d*) Non permanet spiritus vitæ mortalis, sed discedit: eo discedente non subsistit homo. *Locum*, pristinum, non enim amplius occupabit.

20. (*e*) In audiendo: Hebr. *Ad obtemperandum voci verbi ejus*.

21. (*f*) Hieron. *Exercitus ejus*: sic Angelos appellare solet.

Confessionem (*a*) & decorem induisti:
2. Amictus (*b*) lumine sicut vestimento:
Extendens cælum sicut pellem:
3. Qui tegis aquis superiora ejus.
Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulas super pennas ventorum.
Heb. 1. 7. 4. * Qui facis Angelos (*c*) tuos, spiritus: & ministros tuos, ignem urentem.
5. Qui fundasti terram super stabilitatem suam (*d*): non inclinabitur in sæculum sæculi.
6. Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus: super montes stabunt aquæ.
7. Ab increpatione tua fugient: a voce tonitrui tui formidabunt.
8. Ascendunt montes: & descendunt campi, in locum quem fundasti eis.
9. Terminum posuisti, quem non transgredientur: neque convertentur (*e*) operire terram.
10. Qui emittis fontes in convallibus: inter medium montium pertransibunt aquæ.
11. Potabunt omnes bestiæ agri: expectabunt onagri in siti sua.
12. Super ea volucres cæli habitabunt: de medio petrarum dabunt voces.
13. Rigans montes de superioribus (*f*) suis: de fructu operum tuorum satiabitur terra:
14. Producens fœnum jumentis, & herbam servituti hominum:
Ut educas panem de terra:
15. Et vinum lætificet cor hominis:
Ut exhilaret (*g*) faciem in oleo: & panis cor hominis confirmet.
16. Saturabuntur ligna (*h*) campi, & cedri Libani, quas plantavit:
17. Illic passeres nidificabunt.
Herodii (*i*) domus dux est eorum:
18. Montes excelsi cervis: petra refugium herinaciis.
19. Fecit lunam in tempora: sol cognovit occasum suum.
20. Posuisti tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ.
21. Catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant a Deo escam sibi.
22. Ortus est sol, & congregati sunt: & in cubilibus suis collocabuntur.
23. Exibit homo ad opus suum: & ad operationem suam usque ad vesperum.
24. Quam magnificata (*k*) sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua.
25. Hoc mare magnum, & spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus.
Animalia pusilla cum magnis:
26. Illic naves (*l*) pertransibunt.
Draco iste, quem formasti ad illudendum ei:
27. Omnia a te expectant ut des illis escam in tempore.
28. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.
29. Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.
30. Emittes spiritum (*m*) tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ.
31. Sit gloria Domini in sæculum: lætabitur (*n*) Dominus in operibus suis:
32. Qui respicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant.
33. * Cantabo Domino in vita mea: psallam *Inf. 145. 2.*
Deo meo quamdiu sum.
34. Jucundum sit ei eloquium meum: ego vero delectabor in Domino.
35. Deficiant peccatores a terra, & iniqui ita ut non sint: benedic anima mea Domino.

PSALMUS CIV.

Hic Psalmus est Eucharisticus, ac videtur titulus translatus esse a fine superioris Psalmi, ut est in Hebræo.

Alleluja. (1. *Paral.* 16. 8.)

1. CONfitemini (*a*) Domino, & invocate *1. Par. 16. 8.*
nomen ejus: annuntiate inter Gentes *Isai. 12. 4.*
opera ejus.

2. Can-

PSAL. CIII. 1. (*a*) Laudem & gloriam: meos nostra sensibus affecta res corporales tantum sibi exhibet: unde ut luce amictum Deum sibi exhibet, ita exprimit.

2. & 4. (*b*) Tam facile ac tentorium extenditur, inquit Theodoretus. *Aquis*. *Cæli* populariter sumpti pro *nubibus* & *Ascensum*. Hebr. *Currum*.

4. (*c*) Qui naturas spirituales nuntios tuos efficis; qui facis ut Angeli tui habeant velocitatem ventorum & efficacitatem ignis urentis, ex Theodor. & S. Thoma: Qui natura sua sunt naturæ intelligentes, imperio divino fiunt ignis urentis, prompti ad ulciscendas illatas Deo injurias. Qua quidem similitudine, potentia eorum & velocitas designantur; atque ex hoc loco Paulus, Hebr. 1. divinitatem Christi, & excellentiam ejus præ Angelis demonstrat. August. *Quæris nomen hujus naturæ, spiritus est; ex eo quod agit, Angelus est, unde illud in homine, nomen naturæ homo, officii miles.*

5. & 6. (*d*) Hieron. *Basem suam*: Propheta a cælo ad terram descendit. *Amictus ejus*, terræ scilicet: in creatione mundi aquæ terram tegebant, sed post a verbo tuo apparuerunt, & quasi te comminante fugerunt; cum apparuerunt campi, & valles in conspectum venere: futurum pro præterito more Hebræorum; vel fluctus maris instar montium elati jussu Dei tamquam illius voce territi deprimuntur.

9. 11. & 12. (*e*) Hieron. *Nec revertentur ut operiant terram*. *Potabunt*, Hieron. *Ut bibant omnia animalia regionum, & reficiant onagri sitim suam*. *Super*, Hebr. Juxta eos fontes. Prope fontes & rivos garriunt aves. Hebr. *Inter frondes dant vocem*.

13. (*f*) De nubibus terræ incolæ satiabuntur: nam pluviarum ubertate terra fœcundatur.

15. (*g*) Panis confirmet, oleum nitorem præbet. Cor hominis languens exhilarat vinum moderate sumptum. Plinius, Lib. 14. cap. 22. *Duo sunt liquores corporibus humanis gratissimi, intus vini, foris olei, arborum e genere præcipui.*

16. (*h*) Hieron. *Ligna Domini*: Silvæ ab initio mundi conditæ.

17. (*i*) Hieron. *Milvo abies domus ejus*. LXX. Præest illis: Habitatio ejus potior est, & amplior dux est, quod inter aves prima statuat suum nidum & altiorem; Ciconiam alii vertunt.

24. (*k*) Bonis tuis, & operibus. August. *In peregrinatione intuentes mundum istum totum, & undique homines currentes ad fidem, timentes gehennas, contemnentes mortem, amantes vitam æternam, spernentes præsentem, tali spectaculo completi gaudio dicimus: Repleta est terra creatura tua.*

26. & 27. (*l*) Mare licet adeo inflatum & instabile, homo tamen navibus subjecit. Augustin. *Hoc autem sæculum adhuc tentationum fluctibus quatitur; adhuc tempestatibus & procellis tribulationum & timorum turbatur: hac tamen itur, minetur licet mare, & tumeat fluctibus, procellisque parturiat, hac tamen itur: datum est nobis lignum, in quo navigemus.* Draco, Hebr. *Leviathan*; quo cete omnes designantur. *Illudendum*, mari agitato, ut in mari luderet. *Expectant*, a tua providentia.

30. (*m*) Vim illam, qua omnia sustentas & foves; sed altiore sensu dona Spiritus Sancti intelliguntur, quibus facies terræ, homo scilicet, renovatur. *Faciem terræ*, Novis animantibus.

31. (*n*) Cum videt homines referre vitam suam in hunc finem, ut ipse celebretur.

1. (*a*) Laudes Dei una cum invocatione divini auxilii junguntur: usque ad vers. 7. hortatur ad Dei laudes celebrandas; versiculi sequentes 15. continentur 1. Paralipom. 16. PSALM. CIV.

2. Cantate ei, & psallite ei: narrate omnia mirabilia ejus.

3. Laudamini (b) in nomine sancto ejus: lætetur cor quærentium Dominum.

4. Quærite Dominum, & confirmamini (c): quærite faciem ejus semper.

5. Mementote mirabilium (d) ejus, quæ fecit: prodigia ejus, & judicia oris ejus.

6. Semen Abraham, servi ejus: filii Jacob, electi ejus.

7. Ipse Dominus Deus noster: in universa terra judicia ejus.

8. Memor fuit in sæculum testamenti sui: verbi, quod mandavit in mille generationes:

* Gen. 22. 16. 9. * Quod disposuit ad Abraham: & juramenti sui ad Isaac.

10. Et statuit illud Jacob in præceptum: & Israel in testamentum æternum:

11. Dicens: Tibi dabo terram Chanaan: funiculum hæreditatis vestræ.

12. Cum essent numero brevi, paucissimi & incolæ (e) ejus:

13. Et pertransierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.

14. Non reliquit hominem nocere eis: & corripuit pro eis reges.

* 1. Reg. 1. 14. 1. Par. 16. 22. 15. * Nolite tangere christos (f) meos: & in prophetis meis nolite malignari.

16. Et vocavit famem super terram: & omne firmamentum (g) panis contrivit.

* Gen. 37. 36. 17. Misit ante eos * virum: in servum venumdatus est Joseph.

* Gen. 39. 20. 18. * Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit (h) animam ejus,

19. Donec veniret (i) verbum ejus.

Eloquium Domini inflammavit eum:

* Gen. 41. 14. 20. * Misit rex, & solvit eum: princeps populorum, & dimisit eum.

21. Constituit eum dominum domus suæ: & principem omnis possessionis suæ.

22. Ut erudiret (k) principes ejus sicut semetipsum: & senes ejus prudentiam doceret.

* Gen. 46. 6. 23. * Et intravit Israel in Ægyptum: & Jacob accola fuit in terra Cham.

* Exod. 1. 7. Act. 7. 17. 24. * Et auxit populum suum vehementer: & firmavit eum super inimicos ejus.

25. Convertit (l) cor eorum ut odirent populum ejus: & dolum facerent in servos ejus.

* Exod 3. 10 & 4. 29. 26. * Misit Moysen servum suum: Aaron quem elegit ipsum (m).

* Exod. 7. 10. 27. * Posuit in eis verba signorum (n) suorum, & prodigiorum in Terra Cham.

28. * Misit tenebras, & obscuravit, & non exacerbavit sermones (o) suos. * Exod. 10. 21.

29. * Convertit aquas eorum in sanguinem: & occidit pisces eorum. * Exod. 7. 20.

30. * Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum. * Exod. 8. 6.

31. * Dixit, & venit cœnomyia: & cinifes in omnibus finibus eorum. * Exod. 8. 16. & 24.

32. Posuit pluvias eorum grandinem: ignem comburentem in terra ipsorum.

33. Et percussit vineas eorum, & ficulneas eorum: & contrivit lignum finium eorum.

34. * Dixit, & venit locusta, & bruchus, cujus non erat numerus: * Exod. 10. 12.

35. Et comedit omne fœnum in terra eorum: & comedit omnem fructum terræ eorum.

36. * Et percussit omne primogenitum in terra eorum: primitias (p) omnis laboris eorum. * Exod. 12. 29.

37. * Et eduxit eos cum argento & auro: & non erat in tribubus eorum infirmus. * Exod. 12. 35.

38. Lætata est Ægyptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum super eos.

39. * Expandit nubem (q) in protectionem eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem. * Exod. 13. 21. Ps. 77. 14. 1. Cor. 10. 1.

40. * Petierunt, & venit coturnix: & pane cæli saturavit eos. * Exod. 16. 13.

41. * Dirupit petram, & fluxerunt aquæ: abierunt in sicco flumina: * Num. 20. 11.

42. * Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum. * Gen. 17. 7.

43. Et eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia.

44. Et dedit illis regiones Gentium: & labores populorum possederunt:

45. Ut custodiant (r) justificationes ejus, & legem ejus requirant.

PSALMUS CV.

Idem est pene argumentum, quod in Psalmo superiore. Laudatur Deus præsertim ob misericordiam erga ingratos.

Alleluja. (*Judith* 13. 21.)

1. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus. *Judith* 13. 21.

2. * Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? * Eccli. 43. 35.

3. Beati, qui custodiunt judicium (a), & faciunt justitiam in omni tempore.

4. Me-

3. (b) Hebr. *Gloriamini in omnias sancto ejus.*

4. (c) Quærendo magis & magis confirmamini.

5. (d) Materiam præbet laudandi Deum, atque incipit vers. 8. a pacto; seu a promissione facta Abrahæ.

12. (e) Hieronym. *Advenæ in ea*: nam Abraham, Isaac, & Jacob ut exteri habitabant in terra Chananæa; hæc vero promissio facta Abrahæ, non ad solos Israelitas pertinet, sed ad eos omnes qui filii sunt Abrahæ secundum fidem.

15. (f) Non unctione legali, sed Spiritu Sancto unctos: nam ii fuerunt Prophetæ, Sacerdotes, & Reges imperio prædati.

16. (g) Robur hominis: panem fecit deficere.

18. (h) Acerbus dolor & vehemens, ut Luc. 2. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

19. (i) Donec implerentur Josephi vaticinia. *Inflammavit*, Hebr. *Purgavit eum; Probavit eum*, ut probatur argentum.

22. (k) In hac etiam expressa fuit Christi figura: Hebr. *Ut alligaret principes ejus secundum animam suam*: Ut ad suam sententiam & voluntatem velut illigaret subjectos suæ potestati.

25. (l) August. *Non utique cor illorum malum faciendo; sed populo suo benefaciendo, cor illorum sponte malum convertit ad odium.* Fecit hoc Deus multiplicando populum suum: prout sunt animi hominum, ita Dei opera eos meliores aut pejores faciunt, ait Grotius.

26. (m) August. *Sufficeret, quem elegit: sed nihil in eo quærendum est; quod additum est, ipsum, locutio Scripturarum est, qua locutione divinæ paginæ plenæ sunt.* Hebr. *Quem elegerat.*

27. (n) Signa ipsa, vel potestatem faciendi signa.

28. (o) Hieronym. *Et non fuerunt increduli verbis ejus*: Moses nempe & Aaron; vel Deus non irritos fecit sermones suos: aut juxta alios, non reddidit amaros sermones suos.

36. (p) Primogenita: cum parentes valent viribus.

39. (q) Exod. 24. Hebr. *In tentorium*; In tegumentum.

45. (r) Augustin. *Non ut perversa securitate torpescerent, sed ut ad hæc vocarentur, unde beatum possent acquirere.*

PSAL. CV. 3. (a) *Judicium custodire*, est ex animo ad recte agendum se addicere, justitiam facere pertinet ad externa opera.

4. Memento nostri Domine in beneplacito (*b*) populi tui: visita nos in salutari tuo:

5. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ: ut lauderis cum hæreditate tua.

* *Judith* 7. 19. 6. * Peccavimus (*c*) cum patribus nostris: injuste egimus, iniquitatem fecimus.

7. Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.

Et irritaverunt ascendentes in mare, Mare rubrum.

8. Et salvavit eos propter nomen suum: ut notam faceret potentiam suam.

* *Exod.* 14. 21. 9. * Et increpuit (*d*) Mare rubrum, & exsiccatum est: & deduxit eos in abyssis sicut in deserto.

10. Et salvavit eos de manu odientium: & redemit eos de manu inimici.

* *Exod.* 14. 27. 11. * Et operuit aqua tribulantes eos: unus ex eis non remansit.

12. Et crediderunt verbis ejus: & laudaverunt laudem ejus.

13. Cito fecerunt (*e*), obliti sunt operum ejus: & non sustinuerunt consilium ejus.

* *Exod.* 17. 2. 14. * Et concupierunt concupiscentiam in deserto: & tentaverunt Deum in inaquoso.

* *Num.* 11. 31. 15. * Et dedit eis petitionem ipsorum: & misit saturitatem (*f*) in animas eorum.

16. Et irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini.

* *Exod.* 12. 4. 17. * Aperta est terra, & deglutivit Dathan: & operuit super congregationem Abiron.

18. Et exarsit ignis in synagoga eorum: flamma combussit peccatores.

* *Exod.* 32. 4. 19. * Et fecerunt vitulum in Horeb: & adoraverunt sculptile.

20. Et mutaverunt gloriam (*g*) suam in similitudinem vituli comedentis fœnum.

21. Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto,

22. Mirabilia in Terra Cham: terribilia in mari rubro.

* *Num.* 14. 10. 23. * Et dixit ut disperderet eos: si non Moyses electus ejus stetisset in confractione (*h*) in conspectu ejus:

Ut averteret iram ejus ne disperderet eos:

24. Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem:

Non crediderunt verbo ejus,

25. Et murmuraverunt in tabernaculis suis: non exaudierunt vocem Domini.

26. * Et elevavit (*i*) manum suam super eos: ut prosterneret eos in deserto. * *Num.* 14. 32.

27. Et ut dejiceret semen eorum in Nationibus: & dispergeret eos in regionibus.

28. Et initiati sunt Beelphegor (*k*): & comederunt sacrificia mortuorum.

29. Et irritaverunt eum in adinventionibus suis: & multiplicata est in eis ruina.

30. * Et stetit Phinees, & placavit: & cessavit quassatio. * *Num.* 25. 7.

31. Et reputatum est ei in justitiam, in generationem & generationem usque in sempiternum.

32. * Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis: & vexatus est Moyses propter eos: * *Num.* 20. 10.

33. Quia exacerbaverunt spiritum (*l*) ejus. Et distinxit in labiis suis:

34. Non disperdiderunt gentes (*m*), quas dixit Dominus illis.

35. Et commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.

36. Et servierunt sculptilibus eorum: & factum est illis in scandalum.

37. Et immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis.

38. Et effuderunt sanguinem innocentem: sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.

Et infecta est terra in sanguinibus,

39. Et contaminata est in operibus eorum: & fornicati sunt in adinventionibus suis.

40. Et iratus est furore Dominus in populum suum: & abominatus est hæreditatem suam.

41. Et tradidit eos in manus gentium: & dominati sunt eorum qui oderunt eos.

42. Et tribulaverunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum:

43. Sæpe liberavit eos.

Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo: & humiliati sunt in iniquitatibus suis.

44. Et vidit cum tribularentur: & audivit orationem eorum.

45. * Et memor fuit testamenti sui (*n*): & pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ. * *Deut* 30. 4.

46. Et dedit eos in misericordias (*o*) in conspectu omnium qui ceperant eos.

47. Sal-

4. & 5. (*b*) Cum propitius fueris populo tuo; vel secundum bonitatem tuam, qua soles populum tuum recreare. *Salutari*. In salute tua; in ope tua salutifera. *Ad videndum*, Hieronym. *Et videam bona*; Ut fruar bonis. *Ut lauderis*. Hieronym. *Ut exultem cum hæreditate tua*: quæ quidem accipi possunt de bonis temporalibus; sed potiori sensu de bonis spiritalibus, seu de gratia in hac vita, & de gloria in futura intelliguntur.

6. (*c*) Neque hic locus pugnat cum eo loco Ezech. 18. *Patres nostri peccaverunt, & dentes filiorum obstupuerunt*. Quos quidem Deus ipse reprehendit: nam Ezechiel eos arguit qui se innocentes putabant, nec erant tamen. David autem non sua, aut populi peccata excludit, sed utraque exprimit.

9. (*d*) Quasi id ei succenseret, quod populo Dei obicem poneret.

13. (*e*) Hebr. *Festinaverunt*, Statim obliti sunt. Non *sustinuerunt*, Non expectarunt cum patientia ut Deus consilium suum impleret.

15. (*f*) Hebr. *Maciem*: Hieronym. *Tenuitatem*: est saturitas quæ maciem affert, & tenuitatem. Probabile videtur LXX. legisse *complacentiam*: saturant cibi, quibus cum delectatione vescimur.

20. (*g*) Qui est Deus verus: relicto Deo coluerunt vituli simulacrum.

23. (*h*) Vitulum comminuendo. Hebr. *In separatione*: cum Moses se medium interposuit in separatione populi a Deo: alii vertunt *torrens*, divinæ ultionis, nisi seipsum pro iis obiecisset.

26. (*i*) Jurans, vel ut *percuteret*: ex Hebræo. *Et idcirco levavit manum suam*.

28. (*k*) Num. 25. Idolum Chananæorum: Hebr. *Adjuncti sunt*, Adhæserunt. *Mortuorum*, Diis mortuis, non Deo vivo oblata.

33. (*l*) Mosis nimirum. *Distinxit*, Sermone ambiguo usus, non plena fide imperavit petræ; sed populi altercatione perturbatus, visus est hæsitare. Hebr. *Et malum fuit Mosi propter eos*: Augustin. *Dubitanter enim petram virga percussit; & ideo hoc miraculum distinxit ab aliis miraculis, in quibus non dubitaverat*.

34. (*m*) Incipit loqui de Judicum temporibus, quæ tribus versiculis 37. 38. & 39. ex traditione, aut revelatione nota erant Davidi: non enim ea scripta sunt in Lib. Judicum.

45. (*n*) Augustin. *Pœnituit*, *dictum est*, *quia mutavit*, *quod eos perditurus videbatur . . . . hoc fecit quod disposuerat, sed contribulatis & orantibus se, id concessurum esse præsciverat*.

46. (*o*) Posuit eos in exemplum celebre benignitatis suæ; vel misericordiam suam in eos ostendit.

47. Salvos nos fac Domine Deus noster: & congrega nos de Nationibus:

Ut confiteamur nomini sancto tuo: & gloriemur in laude tua.

48. Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo & usque in sæculum: & dicet omnis populus: Fiat, fiat.

PSALMUS CVI.

Idem titulus qui Psalmi 105. & idem pene argumentum. Laudatur Deus cum ob omnipotentiam, tum ob misericordiam suam, qua succurrit hominum miseriis. Est itaque Psalmus eucharisticus de liberatione Israelitarum a servitute Ægyptiaca. In sensu spiritali, de redemptione generis humani, qua a solis ortu usque ad occasum patet, intelligitur.

Alleluja. (*Judith* 13. 21.)

1. CONfitemini (*a*) Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

2. Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici: & de regionibus congregavit eos.

3. A solis ortu, & occasu: ab aquilone, & (*b*) mari.

4. Erraverunt in solitudine in inaquoso: viam (*c*) civitatis habitaculi non invenerunt.

5. Esurientes, & sitientes: anima eorum in ipsis defecit.

6. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum eripuit eos.

7. Et deduxit eos in viam rectam: ut irent in civitatem habitationis.

8. Confiteantur (*d*) Domino misericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.

9. Quia satiavit animam inanem: & animam esurientem satiavit bonis.

10. Sedentes in tenebris, & umbra mortis: vinctos (*e*) in mendicitate, & ferro.

11. Quia exacerbaverunt (*f*) eloquia Dei: & consilium Altissimi irritaverunt.

12. Et humiliatum est in laboribus cor eorum: infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret.

13. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberavit eos.

14. Et eduxit eos de tenebris, & umbra mortis: & vincula eorum disrupit.

15. Confiteantur Domino misericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.

16. Quia contrivit portas æreas: & vectes ferreos confregit.

17. Suscepit eos de via iniquitatis (*g*) eorum: propter injustitias enim suas humiliati sunt.

18. Omnem escam abominata est anima eorum: & appropinquaverunt usque ad portas mortis.

19. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberavit eos.

20. Misit verbum (*h*) suum, & sanavit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum.

21. Confiteantur Domino misericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.

22. Et sacrificent sacrificium laudis: & annuntient opera ejus in exultatione.

23. Qui descendunt (*i*) mare in navibus, facientes operationem in aquis multis.

24. Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo.

25. Dixit, & stetit spiritus (*k*) procellæ: & exaltati sunt fluctus ejus.

26. Ascendunt usque ad cælos (*l*), & descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat.

27. Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius: & omnis sapientia (*m*) eorum devorata est.

28. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum eduxit eos.

29. Et statuit procellam ejus in auram: & siluerunt fluctus ejus.

30. Et lætati sunt quia siluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis (*n*) eorum.

31. Confiteantur Domino misericordiæ ejus: & mirabilia ejus filiis hominum.

32. Et exaltent eum in ecclesia plebis: & in cathedra seniorum laudent eum.

33. Posuit flumina in desertum (*o*), & exitus aquarum in sitim;

34. Terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea.

35. Po-

PSALM. CVI.

1 (*a*) Vir doctus hunc Psalmum in quinque partes secat. Initio hortatur omnes in laudes Dei celebrent; tum a vers. 4. incipit de liberatione a miseriis differere, uidicus a fame, & siti: vers. 10. de Captivitate: vers. 17. de morbis: vers. 23. de periclitantibus in mari: vers. 33. de potentia Dei absoluta loquitur.

3. (*b*) Occidens designatur, ut mare Arabicum est ad Austrum. August. *Istos ergo intelligamus jam redemptos in toto orbe terrarum.*

4. (*c*) Hebr. *Civitatem habitationis;* in qua possent habitare non invenerunt.

8 (*d*) Hebr. *Misericordias ejus agnoscant homines, erat beneficia.* August. *Dicant experti narrantes: quia satiavit animam inanem.*

10 (*e*) Hebr. *Captivos afflictionis & ferri.* Grot. Afflictionem vocat carcerem, ferrum compedes.

11. (*f*) Deum jubentem irritaverunt: Hebr. *Defecerunt.*

17. (*g*) Hebr. *Stulti propter viam iniquitatis;* Stulti & afflicti propter proclivitatem ad scelera.

20. (*h*) Christum, qui venenatos serpentum morsus sanavit.

23. (*i*) Quod moles ad portus altæ sint, ex quibus descenditur in naves. Facientes: tempestate vexati, operationem, seu navigationem facientes. Quæ similitudo ab iis ducta est, qui negotiationis caussa solent navigare, & sæpe jactati fluctibus clamant ad Deum. Idem fere Israelitis sæpius contigit, qui variis calamitatum procellis jactati ad Deum clamantes sunt liberati. August. *Omnes enim in navi sumus, alii operantur, alii portantur: simul tamen omnes & in tempestate periclitantur, & in portu salvantur.*

25. (*k*) Hebr. *Dixit, & surrexit ventus tempestatis, & elevavit gurgites ejus.*

26. (*l*) Hyperbole etiam a poetis usurpata: fluctus maris eos attollit, & deprimit.

27 (*m*) Ars gubernatrix eorum penitus exhausta est.

30 (*n*) Hebraismus, portum optatum. Quæ sequuntur, varias Israelitarum revolutiones parabolis involutas exhibent, simul quæ Synagogæ & Ecclesiæ contigerunt, pulcre exprimunt. Quin etiam mutationes in natura variis temporibus factæ referuntur, quæ sensum spiritalem admittunt. Hinc concludit: *Quis sapiens, & custodiet hæc?* Ostendit Deum pro sua potestate & justitia regionibus dare ubertatem, aut sterilitatem. *Ponere flumina in desertum:* Loca irrigua perpetua siccitate damnare, ac vicissim *ponere deserta in stagna aquarum:* fertilitatem locis aridis impertiri: *constituere civitatem habitationis,* habitabilem: plantare vineas, quæ faciunt *fructum nativitatis,* fructus uberes. Effundere contemptionem super principes, quod civitatibus exitium affert, cum nulla est amplius magistratuum reverentia.

33. (*o*) Spiritali sensu, cum gentes antea bonis operibus steriles, divinæ gratiæ fluentis irrigavit.

35. Posuit desertum in stagna aquarum: & terram sine aqua in exitus aquarum.

36. Et collocavit illic esurientes: & constituerunt civitatem (p) habitationis.

37. Et seminaverunt agros, & plantaveeunt vineas: & fecerunt fructum nativitatis.

38. Et benedixit eis, & multiplicati sunt nimis: & jumenta eorum non minoravit.

39. Et pauci facti sunt: & vexati sunt a tribulatione malorum & dolore.

40. Effusa est contemptio super principes: & errare fecit eos in invio, & non in via.

41. Et adjuvit pauperem de inopia: & posuit sicut oves familias.

*Job 22.19 42. * Videbunt recti, & lætabuntur: & omnis iniquitas oppilabit os suum.

43. Quis sapiens, (q) & custodiet hæc? & intelliget misericordias Domini?

PSALMUS CVII.

Hic Psalmus ex quinque versibus ultimis Psalmi 56. & octo postremis Psalm. 59. jam explicatis contexitur; alter ex iis forte victoriam petit a Deo adversus Syros: alter gratias agit post reportatam victoriam.

1. Canticum Psalmi ipsi David. (*Sup.* 56. 8.)

2. Paratum cor meum Deus; paratum cor meum: cantabo & psallam in gloria mea.

3. Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo.

4. Confitebor tibi in populis Domine: & psallam tibi in nationibus.

5. Quia magna est super cælos misericordia tua: & usque ad nubes veritas tua.

6. Exaltare (a) super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua:

7. Ut liberentur dilecti tui.

Salvum fac dextera tua, & exaudi me.

8. Deus locutus est in sancto suo:

Exultabo, & dividam Sichimam, & convallem tabernaculorum dimetiar.

9. Meus est Galaad, & meus est Manasses: & Ephraim susceptio capitis mei.

Juda rex meus:

10. Moab lebes spei meæ.

In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ amici facti sunt.

11. Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?

12. Nonne tu Deus, qui repulisti nos, & non exibis Deus in virtutibus nostris?

13. Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.

14. In Deo faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

PSALMUS CVIII.

Hic Psalmus continet increpationes adversus Doeg, vel Achitophel: typice in Judam; vel in Judæos proditores.

1. In finem, Psalmus David.

2. Deus laudem meam ne tacueris (a): quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.

3. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, & sermonibus odii circumdederunt me: & expugnaverunt me gratis.

4. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.

5. Et posuerunt adversum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.

6. Constitue super eum peccatorem (b): & diabolus stet a dextris ejus.

7. Cum judicatur, exeat condemnatus: & oratio ejus fiat in peccatum (c).

8. Fiant dies ejus pauci: & episcopatum ejus accipiat alter.

9. Fiant filii ejus orphani: & uxor ejus vidua.

10. Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent: & ejiciantur de habitationibus suis.

11. Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus: & diripiant alieni labores ejus.

12. Non sit illi adjutor: nec sit qui misereatur pupillis ejus.

13. Fiant nati ejus in interitum: in generatione (d) una deleatur nomen ejus.

14. In memoriam (e) redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini: & peccatum matris ejus non deleatur.

15. Fiant contra (f) Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum:

16. Pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.

17. Et persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.

18. Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

Et induit maledictionem sicut vestimentum, & intravit sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum in ossibus ejus.

19. Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur: & sicut zona, qua semper præcingitur.

20. Hoc opus (g) eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum: & qui loquuntue mala adversus animam meam.

21. Et

36. (p) August. *Quæres modo apud Judæos prophetam, non invenias: quæris fidem Christi, non invenies. quæris Sacerdotem, non invenis, unde hoc? a malitia habitantium in ea. Synagoga ut civitas sancta est, & stabilis, in loco deserto fuit ædificata.*

43. (q) Quam pauci hæc attentiori animo considerant, & divinæ misericordiæ erga Sanctos arcana contemplantur!

PSALM. CVII. 6. (a) Appareat majestas tua, & gloria in liberandis dilectis tuis.

PSALM. CVIII. 2. (a) Innocentem me declara; sed in sensu mystico Christus petit, ut Deus suam contra calumniatores innocentiam ostendat; ne super innocentia mea taceas.

6. (b) Satanam, qui a dextris ejus stet, & cum judicabitur, exeat condemnatus. Prophetia sub imprecationis & maledicti specie componitur, ex Chrysost. Hæc & quæ sequuntur, in Judam proditorem & in Judæos conveniunt, qui amisso Sacerdotio exsortes Religionis facti sunt. Hunc locum Petrus Apost. Act. 1. de Judæ abdicatione interpretatur; sed non propterea excludere videtur Populum Judaicum.

7. (c) Repulsam patiatur. Episcopatum, Munus sibi creditum; Judæ hoc testimonium aptat Petrus. Actor. 1. 20.

13. (d) Gloria eorum deleatur, vel posteritas ejus.

14. (e) August. *Illud autem quod dictum est, reddam peccata parentum in filios, additum est, qui oderunt me.*

15. (f) Coram Domino: *Benedictionem*, Mansuetudinem, pacem, caritatem.

20. (g) Hieron. *Hæc est retributio apud Dominum*: nam quæ seminaverit homo, hæc & metet. Hæc usque imprecationes; nunc Christus pro se, & Ecclesia orat.

21. Et tu Domine, Domine, fac (*h*) mecum propter nomen tuum: quia suavis est misericordia tua.

Libera me,

22. Quia egenus & pauper ego sum: & cor meum conturbatum est intra me.

23. Sicut umbra cum declinat, ablatus sum: & excussus sum (*i*) sicut locustæ.

24. Genua mea infirmata sunt a jejunio (*k*): & caro mea immutata est propter oleum.

25. Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me, & moverunt capita sua.

26. Adjuva me, Domine Deus meus: salvum me fac secundum misericordiam tuam.

27. Et sciant quia manus tua (*l*) hæc: & tu Domine fecisti eam.

28. Maledicent illi, & tu benedices: qui insurgunt in me, confundantur: servus autem tuus (*m*) lætabitur.

29. Induantur qui detrahunt mihi, pudore: & operiantur sicut diploide confusione sua.

30. Confitebor Domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum.

31. Quia astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

PSALMUS CIX.

Argumentum est de regno & sacerdotio Christi, ad quem etiam in litterali sensu omnino pertinet. Ex eo Christus Matth. 23. argumentatur contra Scribas, & Pharisæos; a Paulo 1. Corinth. 15. a Petro Act. 2. citatur, simul & demonstratur in Davidem convenire non posse. Divinitas Christi, dominium quod illi ut homini in creaturas convenit, sacerdotii dignitas, judiciaria ejus potestas, & resurrectionis status in hoc Psalmo continentur.

1. Psalmus David.

Dixit Dominus (*a*) Domino meo: Sede a dextris meis: * donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Matth. 22. 44. * 1. Cor. 15. 25.

2. Virgam (*b*) virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

3. Tecum principium (*c*) in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum: ex utero ante luciferum genui te.

4. Juravit Dominus (*d*), & non pœnitebit eum: * Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. * Heb. 5. 6. & 7. 17. Joann. 12. 34.

5. Dominus (*e*) a dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges.

6. Judi-

21. (*h*) Tuere me, & protege.

23. (*i*) Ex uno tribunali in aliud jactatus. Si ad Davidem referatur, is locum sub Saule continuo mutare cogebatur.

24. (*k*) Propter jejunium. *Oleum*, Hebr. *Marcuit a pinguedine*, propter exhaustam pinguedinem: utrobique in Hebræo est particula, *mem* מִן, quæ sæpius per propositionem, *a*, exprimitur; itaque transitum a bona corporis habitudine ad malam significat; vel forte solo pene oleo utebatur, non solidioribus cibis.

27. (*l*) Hebr. *Hæc nos a manu tua*: Non inimici, sed tu Deus prævaluisti: non ita me vexarent, nisi id permitteres, & hanc iis potestatem tribueres.

28 & 29. (*m*) Securus tamen ero tuæ confidens providentiæ, temetsi omni præsidio destitutus. *Diploide*. Hieron. *Vestimento*; est enim pallium duplicatum.

PSALM. CIX. 1. (*a*) Narrat David verba Patris ad Filium, cum in Spiritu vidit Christum ascendentem in cælum. Ad Christum hominem hæc verba referuntur. *Dominus*, Hebr. est nomen Dei ineffabile. Quare qui dixit, non homo est, ut volunt Rabbini, sed Deus ipse. *Domino meo*, Christo: voce *Adonai* אדני utitur, non *Jehova* יהוה, ne duo putarentur dii. Cum separatim de Christo fit mentio, tum aliquando vox *Jehova* usurpatur, ut Jerem. 23. vers. 6. ubi hoc nomen Messiæ tribuitur. *Sede*; Sessio illa potestatem regiam, & judiciariam indicat, quam Christus sibi meruit ut homo. David in cælum non ascendit, sed Christus. *Donec*. Donec nullus supersit inimicis, & regnes pacifice in æternum. Interim ponam inimicos *Scabellum*, aut convertendo, aut puniendo, id quoque sic exponi potest: *Tu sis consors regni mei*, etiam toto eo tempore quo nondum subacti sunt omnes inimici tui. Dixit igitur Deus ab æterno Filio suo unigenito, & sibi æquali: sed in die Ascensionis, Christo ipsi, homini & Deo, dixit, ut imperium æternum morte sua acquisitum possideat. *Sede a dextris meis*; præcipuo honoris loco: quod utique Davidi aptari non potest. Non enim, ut ait Petrus Act. 2. *David ascendit in cælum*. *Donec ponam*: id est, & ponam. Regnum Christi, quod quotidie constituitur, tum perficietur, cum inimicos suos penitus subegerit; idque modo Patri, modo Filio tribuitur, ut 1. Cor. 15. Nam una & eadem est Patris & Filii potestas.

2. (*b*) Initium regni tui ex Sion; potestatis tuæ sceptrum in Jerusalem cœptum, hinc in omnem terram diffundetur. *Dominare*. Judæorum dominaberis, & gentium. Augustin. *Excellentia claritatis hujus principatum sibi fecit humilitatis*. Ecclesiæ in mediis civitatibus gentium edificatæ victrices tandem fuerunt incredulitatis. Hebr. *Virgam fortitudinis tuæ*, Robur regni tui: extendet Deus potentiam regni tui usque ad extremos terræ fines.

3. (*c*) Sept. *Tecum principatus*; potestas tua tibi propria est, abscondita quidem in ipsa Incarnatione, sed jam in posteriore adventu se prodet, in die gloriæ & virtutis tuæ, cum Sancti tui splendore fulgentes te circumdabunt: tum enim palam fiet omnibus Filium a Patre genitum esse ante omnia secula. In quo quidem Arianos de æterna Verbi generatione manifesto revincit, cum Verbum genitum sit e sinu Patris ante omnia tempora. Hunc locum ad æternam Verbi generationem a sanctis Patribus referri probat Illustrissimus Meldensis Episcopus in Supplemento, Justinus adversus Tryphonem, pag. 301. Athanasius contra Arianos, Orat. 5. sic exponit: *Ex meipso genui te*. Augustin. Hieronym. Commentarium citat: *Ex utero, de sua natura, de suis visceribus, de sua substantia, de medullis divinitatis suæ, in paterno semine, non decisa substantia*. Unde Scripturæ id ubique insinuent: *Ego hodie genui te*. August. *Qui est autem sinus, ipse est uterus; & sinus & uterus pro secreto positus est* ... *Ante Luciferum genui te: Lucifer pro sideribus positus est, tamquam a parte totum significante, scriptura ex eminenti stella omnia sidera*. Cum autem Christus Matth. c. 22. Judæos sic compellet: *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, si Filius ejus est?* Hinc docere eos voluit Christi esse Patrem cælestem, qui eum genuit in splendoribus gloriæ suæ, non Davidis modo, sed & Dei esse Filium; voluit ut sublimiorem suæ Majestatis ideam animo conciperent. Hic versiculus vix ullum in textu Hebræo, qualem nunc habemus, admittit sensum, ac videtur locus plane corruptus a Judæis, aut saltem obscurus. Hebr. *Ex utero, ab Aurora tibi ros nativitatis tuæ*.

4. (*d*) Quod non facit Deus, nisi eorum caussa, quos valde amat. Apost. Hebr. 7. utriusque sacerdotii, Aaron, & illius quod est secundum ordinem Melchisedech, discrimen ostendit; hoc enim non per carnalem successionem, a Dei Juramento tamquam quid immutabile fuit constitutum: nam decretum Dei incommutabile juramenti nomine significatur. Sic legem desisse probat Apost. quod Sacerdotium Aaron defecerit. Hic vero textus a Judæis aut a Librariis plane depravatus videtur. Sic enim ex Hebræo vertit Arias Montanus, *Tu es sacerdos in seculum secundum verbum meum*; non ut oportuit, *Melchisedech* posuit, qui panem & vinum offerens sacerdotium Christi pulcre expressit: quo utique non amplius boves & oves, sed Christus ipse immolatur, sub speciebus panis & vini. Hieronymus secutus est ten certe LXX Interpretum in Latina versione Psalterii ex Græcis fontibus: atque in hoc merito reprehendit Vir doctus in disquisitionibus criticis, plerosque recentiores, & inter eos Hugonem Grotium, qui levissima de caussa ab Auctore Epistolæ ad Hebræos ausi sunt recedere. Grotius, *Noster*, inquit, *textus habet, secundum meam Constitutionem*.

5. (*e*) Dominus, ille qui est Sacerdos in æternum, quique est a dextris tuis. *Reges*, Contra regnum tuum, & Ecclesiam se extollentes, quique tam tam arundines fracti sunt. August. *Conati enim sunt multum delere nomen Christianum de terra, & non potuerunt*.

6. Judicabit in nationibus (*f*), implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum.

7. De torrente (*g*) in via bibet: propterea exaltabit caput.

PSALMUS CX.

Hic Psalmus ita est alphabeticus, ut singuli versus contineant duas litteras, a quibus hemistichia incipiunt. In duobus postremis sunt sex litteræ, & in celebrandis Dei laudibus totus versatur.

Alleluja.

1. CONfitebor (*a*) tibi Domine in toto corde meo: in consilio justorum, & congregatione.

2. Magna opera Domini: exquisita (*b*) in omnes voluntates ejus.

3. Confessio (*c*) & magnificentia opus ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

4. Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus,

5. Escam (*d*) dedit timentibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui:

6. Virtutem operum suorum annuntiabit (*e*) populo suo:

7. Ut det illis hæreditatem gentium: opera manuum ejus, veritas & judicium.

8. Fidelia (*f*) omnia mandata ejus: confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate & æquitate.

9. Redemptionem (*g*) misit populo suo: mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum & terribile nomen ejus:

* Prov. 1. 7. & 9. 10. Eccli. 1. 16. 10. * Initium sapientiæ timor (*h*) Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

PSALMUS CXI.

Est item alphabeticus. Argumentum est laus viri justi. Titulus in Vulgata, Alleluja *reversionis Aggai & Zachariæ.*

Alleluja, Reversionis Aggæi & Zachariæ.

1. BEatus vir, qui timet Dominum: in mandatis (*a*) ejus volet nimis.

2. Potens in terra erit semen (*b*) ejus: generatio rectorum benedicetur.

3. Gloria (*c*) & divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

4. Exortum (*d*) est in tenebris lumen rectis: misericors, & miserator, & justus.

5. Jucundus (*e*) homo qui miseretur & commodat, disponet sermones suos in judicio:

6. Quia in æternum non commovebitur.

7. In memoria æterna erit justus: ab auditione (*f*) mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino,

8. Confirmatum est cor ejus: non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

9. Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu (*g*) ejus exaltabitur in gloria.

10. Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet: desiderium peccatorum peribit.

PSAL-

6. (*f*) Nationes: Imperium exercebit in toto orbe. *Ruinas*: Reparabit naturæ humanæ ruinas. Vel impiorum ruinas perficiet, superbos *reges* conteret: *Capita*: Superbiam multorum subigens, illos coget in ordinem & in obsequium suum.

7. (*g*) Aquam turbidam in passione: *Exaltabit*; Ut in nomine Jesu omne genu flectatur. Augustin. *Non est dedignatus bibere de hoc torrente: hoc habet torrens iste, nativitatem & mortem.*

PSAL. CX. 1. (*a*) Veræ laudis conditiones initio proponit, ut fiat ex intimo cordis affectu in loco idoneo, ut in templo: *Justorum*, Non utique coram profanis, sed in cœtu populi Dei.

2. (*b*) Prompta ad omnem voluntatem ejus, vel voluntati Dei aptata. Hebr. *Explorata omnibus volentibus ea*: Omnibus qui studium suum ad ea consideranda applicant.

3. (*c*) Egit de creatione, nunc de altera laudis materia, de gubernatione nimirum: postea descendit ad quædam Dei opera particularia: *Opus*, Omnia Dei opera sunt magnifica. Nam sæpe substantiva in Hebræo pro adjectivis ponuntur. Hebr. *Gloria & decor opus ejus*: Quidquid agit Deus, plenum est dignitate.

5. (*d*) Manna, quamquam ad sacram Eucharistiam referri optime potest, & inter maxima Dei mirabilia merito numeratur. *Manna in veteri Lege, Eucharistiam in nova dedit.* August. *Escam quæ non corrumpitur, panem qui de cælo descendit.*

6. (*e*) Manifestavit, cum dedit illis hæreditatem gentium, seu Chananæorum: sed vera hæreditas gentium est Ecclesiæ regnum, ut Psalm. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam.*

8. (*f*) Dicuntur mandata Dei fidelia, quod promissiones factas observantibus fideliter impleat, & prævaricatores puniat. August. *Non fallit, exhibet quod promisit, est hic expectandum, non hic sperandum.*

9. (*g*) Transit ad novæ Legis dona, & novum Testamentum, sub quo redemptionem accepimus, si modo hoc pactum custodiamus. Alii legunt *Redemptorem*, quod manifeste pertinet ad Christum. *Testamentum*, Augustin. *Sed quod, nisi novum? Terribile*, Augustin. *Primo pœnas fuge, gehennas devita; antequam desideres promittentem Deum, cave minantem.*

10. (*h*) August. *Delectabit, & ineffabiliter procul dubio delectabit castis atque æternis veritatis amplexibus; sed prius donanda sunt tibi debita, quam præmia flagitanda. Eum*, Hieron. *Eam*, qui ad sapientiam refert: Vulgata, ad timorem Dei. Hebr. *Facientibus ea*, quæ intellectus bonus aut doctrina suggerit esse facienda. Augustin. *Bonus est intellectus, quis dubitat? Sed intelligere, & non facere, periculosum est.*

PSALM. CXI. 1. (*a*) Qui mandata ejus perfecte diligit, hæc plena voluntate, non solo metu, aut vi adactus servat.

2. (*b*) August. *Semen futuræ messis, misericordiam esse testis est Apostolus.*

3. (*c*) Quod de gloria & divitiis spiritalibus maxime est intelligendum: tametsi justitia est custos opum, quas absumit iniquitas, conservat justitia.

4. (*d*) Lux illa quæ justis exoritur. Hebr. *Oritur in tenebris*: Lumen rectis oriri facit.

5. (*e*) Hieron. *Bonus disponet sermones suos*: Nihil temere faciet, aut dicet, sed considerate omnia: a statu suo is non excidet vir justus & misericors; non impelletur a tempestate, quantumvis ingruat: *Sermones*, Hebr. *Moderatur res suas in judicio*: Ad justitiæ regulam negotia sua componit.

7. (*f*) A mala fama: *Audiet* quidem res molestas, sed ab iis non timebit: nam paratum cor ejus. Hebr. *Confirmatum est cor ejus*: Tuto & secure degit sub manu Dei.

9. (*g*) Fortitudo ejus: beatum esse qui timet Dominum docet, 1. quod multa & robusta prole donetur: *Potens in terra erit semen ejus*; tum vers. 3. quod rerum copia abundet, & lumen prudentiæ huic affulgeat, vers. 4. quod spiritali lætitia perfundatur, vers. 5. quod vivat in hominum memoria, quod sit in protectione Dei, nihil adeo timeat; quod bonis opibus suis utatur: contra autem infelices sunt peccatores.

PSALMUS CXII.

Ad Laudes Dei nos adhortatur.

Alleluja.

1. LAudate pueri (*a*) Dominum: laudate nomen Domini.
2. Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc, & usque in sæculum.
*Malach. 1. 11. 3. * A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.
4. Excelsus super omnes gentes Dominus: & super cælos gloria ejus.
5. Quis (*b*) sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat,
6. Et humilia respicit in cælo & in terra?
7. Suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem:
8. Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.
9. Qui habitare facit (*c*) sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

PSALMUS CXIII.

Psalmus Laudis.

Alleluja.

1. IN exitu (*a*) Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro:
2. Facta est Judæa (*b*) sanctificatio ejus, Israel potestas ejus.
3. Mare (*c*) vidit, & fugit: Jordanis conversus est retrorsum.
4. Montes exultaverunt ut arietes: & colles sicut agni ovium.
5. Quid est tibi mare quod fugisti: & tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?
6. Montes exultastis sicut arietes: & colles sicut agni ovium.
7. A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob.
8. Qui convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.
1. NON NOBIS (*d*) DOMINE, NON NOBIS: sed nomini tuo da gloriam.
2. Super misericordia (*e*) tua, & veritate tua: nequando dicant Gentes: Ubi est Deus eorum?
3. Deus autem noster in cælo: omnia quæcumque voluit, fecit.
4. * Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum (*f*) *Infr. 134. 15.
5. * Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. * Sap. 15. 15.
6. Aures habent, & non audient: nares habent, & non odorabunt.
* 7. Manus habent, & non palpabunt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo.
8. Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes qui confidunt in eis.
9. Domus Israel speravit in Domino: adjutor eorum & protector eorum est.
10. Domus Aaron (*g*) speravit in Domino: adjutor eorum & protector eorum est.
11. Qui timent Dominum, speraverunt in Domino: adjutor eorum & protector eorum est.
12. Dominus memor fuit nostri: & benedixit nobis.
Benedixit domui Israel: benedixit domui Aaron.
13. Benedixit omnibus qui timent Dominum, pusillis cum majoribus.
14. Adjiciat Dominus super vos: super vos, & super filios vestros.
15. Benedicti vos a Domino, qui fecit cælum & terram.
16. Cælum cæli (*h*) Domino: terram autem dedit filiis hominum.
17. * Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes qui descendunt in infernum (*i*). * Baruc. 2. 17.
18. Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc & usque in sæculum.

PSALMUS CXIV.

Hic Psalmus apud Hebræos cum sequenti continuatur. Ad Davidem ipsum, vel ad quemvis hominem justum sub pondere persecutionum, aut malis hujus vitæ gementem, commode referri potest.

Alleluja.

1. DIlexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.
2. Quia inclinavit aurem suam mihi: & in diebus meis invocabo.

3. Cir-

PSALM. CXII. 1. (*a*) Hebr. *Servi Domini*: a servis suis proprie laudatur Deus ore & operibus. Augustin. *Dominum nonnisi pueri laudant, quia superbi eum laudare non norunt: sit senectus vestra puerilis, & sit pueritia senilis: id est, ut nec sapientia vestra sit cum superbia, nec humilitas sine sapientia.*

5. (*b*) Qui cum in altissimis habitet, curare dignatur quæ sunt in terra. August. *Sic enim exaltat humiles, ut non faciat superbos.*

9. (*c*) Id spectat ad Ecclesiam, quam multitudine filiorum fœcundam fecit.

PSALM. CXIII. 1. (*a*) Ex quo Deus hunc populum eduxit ex Ægypto, eum peculiari quodam jure sibi addixit. *Barbaro*: sic Hebræi vocant eos qui alia lingua loquuntur.

2. (*b*) Hebr. *Factus est Juda in sanctitatem ejus: Israel*, Populus Judaicus fuit consecratus in populum Dei; itemque Israel fuit in potestate ejus: in quo quidem tribus Judæ jam ab exitu ex Ægypto insinuatur prærogativa; tum vero Israel factus est regnum, in quo Deus ipse regnaret. Domus Abrahæ prius Idumæa erat, & parum honorifice descenderat in Ægyptum; sed exivit cum magna Dei gloria.

3. (*c*) Jam Dei miracula narrare incipit, ac poetice ea describit, quasi mare subito fugerit, Jordanis fleterit, montes Sinai Dei majestate concussus tremuerit: quæ quidem repetit poetica interrogatione, illud insinuans, quod a facie & potestate Domini hæc facta fuerint.

1. (*d*) Hebræi hoc loco Psalmum dividunt, adeo ut incipiat Psalmus 115. sed cum antecedentibus, quæ sequuntur, optime cohærent. Unde Hieronymus Psalmum non dividit. Nomini tuo, ut nomen tuum illustratus reddatur, & verax appareas in promissis tuis præstandis.

2. (*e*) Ita egisti nobiscum, ut misericordiam tuam, & promissorum veritatem notam omnibus faceres.

4. (*f*) Quæ in tabernaculo & in templo positæ sunt sculpturæ, hæ non ut colerentur, sed in ornamentum & in significationem positæ sunt: sic imagines non in seipsis, sed ad sua prototypa, ut signa quædam referuntur.

10. (*g*) Ecclesia semper distincta fuit in duos status, & ordines, Cleri, & populi.

16. (*h*) Cælum altissimum, non quod sibi soli servaverit cælum, & ab eo excluserit homines; sed ut infinitam Dei majestatem præ hominum abjectione nobis insinuet. In cælo Deus habitare dicitur, quod sidera ejus majestatem demonstrent: terræ autem usus concessus est hominibus.

17. (*i*) Hieron. *In silentium*, vel in sepulcrum, qui cum viverent, Deum non coluerunt, mortui non laudabunt in canticis & hymnis.

3. Circumdederunt me dolores mortis: & pericula (a) inferni invenerunt me.
Tribulationem & dolorem inveni:

4. Et nomen Domini invocavi.
O Domine libera animam meam:

5. Misericors (b) Dominus & justus, & Deus noster miseretur.

6. Custodiens parvulos Dominus: humiliatus sum, & liberavit me.

7. Convertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.

8. Quia eripuit (c) animam meam de morte: oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.

9. Placebo (d) Domino in regione vivorum.

PSALMUS CXV.

Idem fere argumentum, quod superiorum Psalmorum; isque est Eucharisticus. Hebræi hunc Psalmum jungunt cum præcedenti.

Alleluja.

1 Cor.4.13. 10. CRedidi, propter quod locutus (a) sum: ego autem humiliatus sum nimis.

*Rom.3.4. 11. Ego dixi in (b) excessu meo, * Omnis homo mendax.

12. Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?

13. Calicem (c) salutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

14. Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus.

15. Pretiosa (d) in conspectu Domini mors Sanctorum ejus:

16. O Domine quia ego servus tuus: ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.
Dirupisti vincula mea

17. Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.

18. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus,

19. In atriis (e) domus Domini, in medio tui Jerusalem.

PSALMUS CXVI.

Vocatio Gentium hoc Psalmo continetur ex cap. 15. Epist. ad Rom.

Alleluja.

1. LAudate Dominum omnes Gentes: laudate eum omnes populi: Rom.15.11.

2. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus (a): * & veritas Domini manet in æternum. *Joan.12.34.

PSALMUS CXVII.

Argumentum est gratiarum actio ad litteram, cum David a persecutione Saulis fuit liberatus, aut a tribubus una conjunctis Rex agnitus fuit; seu potius ab Ecclesia pro adventu Christi gratia Deo habeantur.

Alleluja.

1. COnfitemini (a) Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus:

2. Dicat nunc Israel quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

3. Dicat nunc domus Aaron: quoniam in sæculum misericordia ejus.

4. Dicant nunc qui timent Dominum; quoniam in sæculum misericordia ejus.

5. De tribulatione (b) invocavi Dominum: & exaudivit me in latitudine Dominus.

6. Dominus mihi adjutor: non timebo quid faciat mihi homo.

7. * Dominus mihi adjutor: & ego despiciam inimicos meos. *Hebr.13.6.

8. Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.

9. Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.

10. Omnes gentes (c) circuierunt me: & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

11. Circumdantes circumdederunt me: & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

12. Cir-

PSALM. CXIV. 3. (a) Hieron. *Angustiæ inferni*. Adversus hæc pericula invocatio nominis divini tutum fuit præsidium; pericula mortis, *quæ nisi ulcerunt me abs te non invenerent me*. Augustinus.

5. (b) Cum nos corripit ex Justitia sua, tum misericordiam suam exercet; *Justus*, Qui non deserit suos in periculis.

8. (c) Hebr. *Eripiet pedes meos a lapsu*; Hieron. *Ab offensa*; Id effecit ne inimici mei me dejicerent.

9 (d) Similis est conclusio Psalmi 55. ubi additur, *Ut placeam coram Deo in lumine viventium*, in cælesti beatitudine. *Placebo*. Hieron. *Deambulabo*; eodem sensu, ambulavit Henoch cum Deo. In id totus incumbam, ut placeam Domino, ut dignus sim qui placeam coram Deo: *In regione viventium*, inter vivos.

PSALM. CXV. 10 (a) Credo, ideo loquor: præteritum pro præsenti, quod frequens est in scripturis: ut Joan. 1 *Medius autem vestrum stetit*, id est, *stat*. Nihil loquor nisi ex pura fide, ut interpretatur Paulus 2. Cor. 4. Vel etiam credidi promissionibus tuis: etsi afflictus sum vehementer, & acerba persecutio hinc est consecuta.

11. (b) Aquila ἐν τῷ θαμβεῖσθαι, *In stupore*: alii, *In fuga & trepidatione*, vox enim Hebræa Caphez, חפז, significat *præcipitem fugam*, & *pavorem*, sicut extasis, apud Theodoretum & alios, omnem animi vehementem motum, *Mendax*, Id mihi cogitanti de auxilio humano in mentem venit. Unde auxilium præsto mihi esse non potest ab hominibus, quibus non est fidendum; sed in Deo uno spes omnis ponenda.

13. (c) Calicem passionis & patientiæ, eo modo quo Christus passionem suam Calicem appellat, vel gratias agens per sacrificia salutaria, Hebr. *Calicem salutum accipiam*; Calicem quo libare solebant Dei cultores, cum gratias agerent Deo: hunc vocat *Calicem salutis*, seu gratiarum actionis pro accepta salute; hunc paterfamilias solebat familiæ propinare.

15. (d) Hieron. *Gloriosa*; ex hoc loco SS. PP honorem Sanctorum reliquiis, & Martyrum monumentis exhibendum colligunt.

19 (e) In cœtu fidelium, in Ecclesia.

PSALM. CXVI. 2. (a) Misericordia peculiari quodam modo ad gentes, ut veritas ad Judæos pertinet. Abrahæ enim facta est promissio, fore ut in semine ejus omnes gentes benedicerentur. Quod cum factum videamus, hinc liquet promissa Dei firma esse & inconcussa; vel etiam quoniam in nos misericordiam suam effundit, ac nemo impedire potest, quominus promissa sua impleat. *Confirmata est*, excelluit.

PSALM. CXVII. 1. (a) Invitat populum ad laudes Dei celebrandas, tum Sacerdotes, ac demum omnes gentes, quæ timent Deum, & rationem affert cur sit laudandus, quoniam est bonus per essentiam, qui homines bonos efficit per gratiam; in quo maxime elucet misericordia.

5 (b) Caussam affert cur laudet Deum, quod ab eo liberatus fuerit ex tot periculis. *In solitudine*, Ex tot angustiis in libertatem eduxit me.

10. (c) Junctis viribus obsederunt me. *In nomine*, supple, Speravi: est enim elliptica oratio, ex affectus vehementia.

12. Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis (*d*): & in nomine Domini quia ultus sum in eos.

13. Impulsus eversus sum ut caderem (*e*): & Dominus suscepit me.

* Exod. 15. 2. 14. * Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.

15. Vox exultationis (*f*), & salutis, in tabernaculis justorum.

16. Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem.

17. Non moriar, sed vivam: & narrabo opera Domini.

18. Castigans castigavit me Dominus: & morti non tradidit me.

19. Aperite mihi portas (*g*) justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino:

20. Hæc porta Domini (*h*), justi intrabunt in eam.

21. Confitebor tibi, quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.

* Isai. 28. 16. Matth. 21. 42. Luc. 20. 17. Act. 4. 11. Rom. 9. 33. 1. Petr. 2. 7. 22. * Lapidem quem reprobaverunt ædificantes: hic factus est in caput (*i*) anguli.

23. A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.

24. Hæc est dies (*k*), quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.

25. O Domine salvum (*l*) me fac, o Domine bene prosperare:

26. Benedictus qui venit in nomine Domini.
Benediximus vobis de domo Domini:

27. Deus Dominus, & illuxit nobis.
Constituite (*m*) diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.

28. Deus meus es tu, & confitebor tibi: Deus meus es tu, & exaltabo te.
Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem.

29. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus.

PSALMUS CXVIII.

Argumentum est commendatio divinæ Legis, & ad eam servandam exhortatio. Dividitur in partes 22. juxta numerum Hebraicarum litterarum. Pars unaquæque octo constat versiculis: octo primi versus incipiunt a littera prima Alphabeti Hebraici, idque ex ordine usque ad ultimam. Seipsum ad custodiendam Legem excitat David, eamque variis vocibus designat. Interdum communi verbi nomine illam indicat, interdum eloquia, *aut* divinos sermones *appellat. Lex ab eo vocitatur, quatenus docet quid faciendum;* via, *quam Deo duce ingredimur;* mandatum *itidem, seu* præceptum; testimonium, *quo credimus Dei institutis, & promissis, at voluntatem suam testatur nobis,* justificationes, judicia, *Legem divinam singulis pene versibus nominat, ut altius mentibus nostris infigatur. Omnes versiculi, si tres primos exceperis, ad Deum referuntur. Atque is Psalmus pene totus adversatur Novatorum doctrinæ de justificatione. Nam ubique docet justitiam nostram positam esse in observatione mandatorum Dei. Viram bonum eum definit, qui die & nocte in Lege Dei meditatur; hanc ab eo diligi & mente revolvi docet.* Quomodo dilexi Legem tuam Domine? *Eam in consilium adhibet:* Et consilium meum justificationes tuæ; *lumen omne intelligentiæ huic tribuit;* Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. *Non docet modo hic Psalmus, & mentem illustrat, sed & pios affectus passim commovet: intellectu autem facilis est.*

Alleluja.

1. BEati immaculati in (*a*) via: qui ambulant in lege Domini. ALEPH.

2. Beati, qui scrutantur testimonia ejus: in toto corde exquirunt eum.

3. Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.

4. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

5. Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas.

6. Tunc non confundar (*b*), cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

7. Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.

8. Justificationes tuas custodiam: non me derelinquas usquequaque.

9. In quo corrigit (*c*) adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos. BETH.

10. In toto corde meo exquisivi te: ne repellas (*d*) me a mandatis tuis.

11. In corde meo abscondi eloquia tua: ut non peccem tibi.

12. Benedictus es Domine: doce me justificationes tuas.

13. In labiis meis pronuntiavi omnia judicia (*e*) oris tui.

14. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.

15. In

12. (*d*) Quæ ignem tam facile concipiunt: Hebr. *Extincti sunt*, tam facile quam ignis extinguitur in levi materia. Quod persecutoribus Christi & Ecclesiæ apprime conveniunt, quos non armis, sed virtute sua, & miraculis subegit Deus.
13. (*e*) Prope absfui a casu: Id Davidi aptatur.
15. (*f*) Exultabunt propter salutem meam.
19. (*g*) Tabernaculi, aut templi.
20. (*h*) Domus Domini, quæ est Ecclesia.
22. (*i*) David a Saule, & decem tribubus ante rejectus, factus est omnium princeps, & sub figura ejus Christus, ut ipse Dominus interpretatur Matth. 21. Lucas cap. 20. Isaias cap. 28. Petrus, Act. 4. Paulus Rom. 9.
24. (*k*) Resurrectionis: quasi ab aliis segregatus; in quo Dominus tam insigne opus designavit.
25. (*l*) Pronomen, Me, in Hebræo non reperitur, idque obest sensui: est enim vox deprecantis salutem Regis. Matth. 24. hic versiculus profertur a plebe, significat *bene prosperare*; In regno tuo, felicem successum præbe. Prima Psalmi verba sunt Regis recens uncti, posteriora populi & sacerdotum bene ominantium Regi.
27. (*m*) Hier. *Frequentate solemnitatem in frondosis*; Ramis obvelate atria Domini, vel in magno cœtu. A quo id impletum fuit, cum Christus ingressus est Jerusalem Dominica Palmarum. *Illuxit*, Quia illuxit nobis.

PSALM. CXVIII. 1. (*a*) Hæc est via quæ ducit ad vitam; via pro vitæ instituto sumitur. Lex ipsa Dei est immaculata, quæ cognosci ante debet, cumque nos ducat ad Deum, hæc toto corde quærenda est. In divinæ Legis indagatione, & observatione, vir bonus felicitatem ponit suam.
6. (*b*) Sperat fore ut non confundatur in judicio Dei, quod ejus mandatis constanter adhærescat; idque respondet vers. 31. *Adhæsi testimoniis tuis Domine, noli me confundere.*
9. (*c*) Qua ratione poterit adolescens puras efficere vias suas, priusquam consuetudo peccandi inoleverit?
10 (*d*) Ne me errare sinas, Ut non peccem tibi, contra te.
13. (*e*) Quæ locutus est Deus, non quæ reticuit.

15. In mandatis tuis exercebor : & considerabo vias tuas.

16. In justificationibus tuis meditabor : non obliviscar sermones tuos.

GHIMEL. 17. Retribue (*f*) servo tuo, vivifica me : & custodiam sermones tuos.

18. Revela (*g*) oculos meos : & considerabo mirabilia de lege tua.

19. Incola (*h*) ego sum in terra : non abscondas a me mandata tua.

20. Concupivit (*i*) anima mea desiderare justificationes tuas, in omni tempore.

21. Increpasti superbos : maledicti qui declinant a mandatis tuis.

22. Aufer a me opprobrium (*k*), & contemptum : quia testimonia tua exquisivi.

23. Etenim sederunt principes (*l*), & adversum me loquebantur : servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.

24. Nam & testimonia tua meditatio mea est : & consilium meum justificationes tuæ.

DALETH 25. Adhæsit pavimento anima mea : vivifica me secundum verbum tuum.

26. Vias meas enuntiavi, & exaudisti me : doce (*m*) me justificationes tuas.

27. Viam justificationum tuarum instrue me : & exercebor (*n*) in mirabilibus tuis.

28. Dormitavit anima mea præ tædio : confirma me in verbis tuis.

29. Viam iniquitatis amove a me : & de lege tua miserere mei.

30. Viam veritatis elegi : judicia tua non sum oblitus.

31. Adhæsi testimoniis tuis Domine : noli me confundere.

32. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti (*o*) cor meum.

HE. 33. Legem pone (*p*) mihi Domine viam justificationum tuarum : & exquiram eam semper.

34. Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam : & custodiam illam in toto corde meo.

35. Deduc (*q*) me in semitam mandatorum tuorum : quia ipsam volui.

36. Inclina (*r*) cor meum in testimonia tua : & non in avaritiam.

37. Averte (*s*) oculos meos ne videant vanitatem : in via tua vivifica me.

38. Statue (*t*) servo tuo eloquium tuum, in timore tuo.

39. Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum (*u*) : quia judicia tua jucunda.

40. Ecce concupivi mandata tua : in æquitate tua (*x*) vivifica me.

41. Et veniat super me misericordia tua VAU.
Domine : salutare tuum secundum eloquium tuum.

42. Et respondebo (*y*) exprobrantibus mihi verbum : quia speravi in sermonibus tuis.

43. Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque : quia in judiciis tuis (*z*) supersperavi.

44. Et custodiam legem tuam semper, in sæculum & in sæculum sæculi.

45. Et ambulabam in latitudine : quia mandata tua exquisivi.

46. Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum : & non confundebar.

47. Et meditabar in mandatis (*aa*) tuis, quæ dilexi.

48. Et levavi (*bb*) manus meas ad mandata tua, quæ dilexi : & exercebar in justificationibus tuis.

49. Memor (*cc*) esto verbi tui servo tuo, in ZAIN.
quo mihi spem dedisti.

50. Hæc me consolata est in humilitate mea : quia eloquium tuum vivificavit me.

51. Superbi inique agebant usquequaque : a lege autem tua non declinavi.

52. Memor fui judiciorum tuorum a sæculo Domine : & consolatus sum.

53. Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

54. Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

55. Memor fui nocte nominis tui Domine : & custodivi (*dd*) legem tuam.

56. Hæc

17. (*f*) Vox illa, *Retribue* sumitur pro donatione liberali, ut alias sæpe : *Custodiam*. Si me vivificaveris, custodiam mandata tua : verba sunt hominis majorem custodiam postulantis.

18. (*g*) Aperi oculos mentis, & dispelle tenebras ejus : *Mirabilia*. Ut considerem, et penitus inspiciam legem tuam. Quibus verbis nos docet gratiam Dei esse necessariam ad illam intelligendum : nec solam instructionis, sed & unctionis gratiam ubique postulat. August. *Sciens autem verba Dei non posse custodiri per obedientiam, nisi videantur per intelligentiam, hoc quoque orationi addit : Velum detrahe oculis meis, retege oculos meos.*

19. (*h*) Hieronym. *Advena*, qui ad veram patriam contendit : *A me*, Ne permittas me destitui doctrina legis tuæ.

20. (*i*) Quod est optantis, nondum plene volentis. Duo sunt quæ nos ab observatione divinæ legis abducunt, ignorantia & fastidium : illam meditatio legis assidua removet, fastidium passim commemorat, & ejus contrarium.

22. (*k*) Aufer a me opprobrium superborum, qui me conviciis onerant : *Exquisivi*, Hieron. *Custodivi*, etsi hæc pietas probro haberetur.

23. (*l*) Qui destinato animo maledictis me incessebant.

26. (*m*) Infuso intus Spiritu Sancto dilectionis. Augustin. *Sic doce me ut agam, non ut tantummodo sciam quid agere debeam.*

27. & 28. (*n*) Hebr. *Et loquar de mirabilibus tuis* : *Dormitavit*, Hieron. *Distillavit*, distillat præ mœrore.

32. (*o*) Spiritu sanctæ dilectionis. August. *Cordis dilatatio, justitiæ est delectatio.*

33. (*p*) Hieronym. *Ostende mihi*. Doce me : *Exquiram*, Hieron. *Et custodiam illam*. Jam utique illam noverat : sed a Deo petit, ut hanc vitæ suæ normam observet. legis ipsius spiritum, & finem intelligat. August. *Quid enim exquirit, quod habet, nisi quia & habet agendo, & exquirit proficiendo?*

35. (*q*) Executio quippe est a gratia Dei : *Volui*, August. *Parum est mihi voluntas mea, nisi tu eo quod volui, ipse me adducas.*

36. (*r*) August. *Et voluit ergo, & orat ut velit* : *hoc itaque orat ut in voluntate proficiat.*

37. (*s*) Cum corporis, quibus peccati mors subire solet ; tum animi, ne vanitatem amet, & viam veritatis deserat.

38. (*t*) Hieron. *Suscita servo tuo eloquium tuum* : *In timore*, Ut timeat te. Id concede servo tuo, ut timore tuo impleatur.

39. (*u*) Quod reveritus sum. Hebr. *Aufer a me opprobrium quod timui*, sinistros sermones quibus carpebar ; vel, sic erudi me, ut irreprehensibilis appaream coram tribunali tuo : *Quia judicia tua sunt bona* ; quod ne accidat, neve coram te appaream cum ignominia, valde timeo.

40. (*x*) August. *Quia in me unde morerer habui, unde autem vivam, non invenio, nisi in te.*

42. (*y*) Nec mihi deerit, quid respondeam exprobrantibus mihi, quod speraverim in promissis tuis.

43. (*z*) In præceptis tuis constanter persevero.

47. (*aa*) In spe certa, aut in charitate : non torquebar animo, ut increduli, quos mala conscientia excruciat.

48. (*bb*) Opere ipso. Hieron. *Executus sum mandata quæ dilexi*. Levat manus, quia ad ea opera perficienda divinum expectat auxilium.

49. (*cc*) August. *Hoc est* ; *Imple promissum tuum servo tuo* : *in quo verbo? quoniam promisisti.*

55. (*dd*) August. *Quam non custodisset si in sua virtute confideret, nomenis Dei memor non fuisset.*

56. Hæc facta est mihi (*ee*): quia justificationes tuas exquisivi.

57. Portio (*ff*) mea Domine, dixi custodire legem tuam.

HETH. 58. Deprecatus sum (*gg*) faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundum eloquium tuum.

59. Cogitavi (*hh*) vias meas: & converti pedes meos in testimonia tua.

60. Paratus sum (*ii*), & non sum turbatus: ut custodiam mandata tua.

61. Funes peccatorum circumplexi sunt me: & legem tuam non sum oblitus.

62. Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ.

63. Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

64. Misericordia tua Domine plena est terra: justificationes tuas doce me.

TETH. 65. Bonitatem (*kk*) fecisti cum servo tuo Domine, secundum verbum tuum.

66. Bonitatem (*ll*), & disciplinam, & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.

67. Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodivi.

68. Bonus es tu: & in bonitate tua doce me justificationes tuas.

69. Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

70. Coagulatum est sicut lac cor eorum: ego vero legem tuam meditatus sum.

71. Bonum mihi quia humiliasti me: ut discam justificationes tuas.

72. Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti.

IOD. 73. Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me: da mihi intellectum, & discam mandata tua.

74. Qui timent te videbunt me, & lætabuntur: quia in verba tua supersperavi.

75. Cognovi Domine quia æquitas judicia tua: & in veritate tua humiliasti me.

76. Fiat misericordia tua ut consoletur me, secundum eloquium tuum servo tuo.

77. Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam: quia lex tua meditatio mea est.

78. Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

79. Convertantur (*mm*) mihi timentes te, & qui noverunt testimonia tua.

80. Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.

81. Defecit (*nn*) in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum supersperavi. CAPH.

82. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me?

83. Quia factus sum sicut uter (*oo*) in pruina: justificationes tuas non sum oblitus.

84. Quot (*pp*) sunt dies servi tui: quando facies de persequentibus me judicium?

85. Narraverunt mihi iniqui fabulationes (*qq*): sed non ut lex tua.

86. Omnia mandata tua veritas: inique persecuti sunt me, adjuva me.

87. Paullo minus consummaverunt (*rr*) me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

88. Secundum misericordiam tuam vivifica me: & custodiam testimonia oris tui.

89. In æternum (*ss*) Domine, verbum tuum permanet in cælo. LAMED.

90. In generationem & generationem (*tt*) veritas tua: fundasti terram, & permanet.

91. Ordinatione tua perseverat dies: quoniam omnia serviunt tibi.

92. Nisi quod lex tua meditatio mea est: tunc forte periissem in humilitate mea.

93. In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me (*uu*).

94. Tuus sum ego, salvum me fac: quoniam justificationes tuas exquisivi.

95. Me expectaverunt peccatores ut perderent me: testimonia tua intellexi.

96. Omnis consummationis (*xx*) vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

97. Quomodo dilexi legem tuam Domine? MEM.
tota die meditatio mea est.

98. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in æternum (*yy*) mihi est.

99. Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.

100. Super senes intellexi: quia mandata tua quæsivi.

101. Ab omni via mala prohibui pedes meos: ut custodiam verba tua.

102. A judiciis tuis non declinavi: quia tu legem posuisti mihi.

103. Quam

56. (*ee*) Hoc factum est mihi. August. *Hoc factum est mihi, id est, quod custodivi legem tuam.*

57. (*ff*) Quies mea: vel dixi Domino: Portio mea hæc est ut custodiam legem tuam: illud est instar hæreditatis meæ.

58. (*gg*) Ut venirem in conspectum tuum.

59. (*hh*) Vitæ meæ rationem diligenter inspexi, ne forte seductus errarem; non ut mihi ipsi satisfacerem, sed ut scirem an officio meo defungerer.

60. & 61. (*ii*) Hebr. *Festinavi*, & non distuli: *Funes*, Hebr. *Turmæ peccatorum*. August. *Funes peccatorum, impedimenta sunt inimicorum, sive spiritalium, diaboli, & angelorum ejus, sive carnalium. Trahunt peccata sicut restem longam, & hinc similes implicare conantur, & aliquando permittuntur; sed si implicant corpus, non implicant animam, ubi non est sic legem Dei oblitus.*

65. (*kk*) Hieron. *Bene fecisti*: Bonis tuis cumulasti servum tuum.

66. (*ll*) August. *Mandata facienda suscipimus, ut accipere promissa mereamur.*

79. (*mm*) Convertantur ad me, & mihi se adjungant, deserta impiorum cohorte.

81. (*nn*) Expectans auxilium tuum. August. *Hoc est, ad salutare tuum.*

83. (*oo*) Uter, seu pellis hædina, ubi viget frigus, non mollis est ut antea, & tractabilis: sic extenuatur qui amore languet.

84. (*pp*) Quousque differs auxilium tuum! En vita mea elabitur.

85. (*qq*) Hebr. *Foderunt foveas*. Vox Græca ἀδολεσχίας, proprie *exercitationes delectabiles verbis*, significat: Lex tua, August. *Quia me in ea versor, non verba, delectat.*

87. (*rr*) Hieron. *Consumpserunt*: Parum abfuit quin me consumerent.

89. (*ss*) Legi ipsi qua nos Deus regit: inserit eas leges quibus Deus hoc Universum gubernat. *Permanet*. Verbum Dei, quod pro salutem promisit, fixum est in cælis, nulli mutationi obnoxium.

90. & 91. (*tt*) Hebr. *Veracitas*, seu fides: *Ordinat omne tua*. Hebr. *Ad judicia tua perstant usque in hanc diem*: Tuo verbo & imperio, lege a te constituta dies succedit nocti: *Tibi*, aut voluntate, aut necessitate.

93. (*uu*) Augustin. *Nam Deo non vivificante, quid est homo, qui se occidere potuit, vivificare non potest?*

96. (*xx*) Symmachus apud Theodoretum. *Omnis structuræ*. Quæ facta sunt, omnia finem habent; at mandatum tuum est immutabile. Hebr. *Omnis perfectionis vidi finem*. Res etiam perfectissimæ finem habent.

98. (*yy*) Hebr. *In sæculum sunt mihi*: illa semper in ore & corde habeo.

103. Quam dulcia faucibus (zz) meis eloquia tua, super mel ori meo!

104. A mandatis (a) tuis intellexi: propterea odivi omnem viam iniquitatis.

NUN. 105. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.

106. Juravi, & statui (b) custodire judicia justitiæ tuæ.

107. Humiliatus sum usquequaque Domine: vivifica me secundum verbum tuum.

108. Voluntaria (c) oris mei beneplacita fac Domine: & judicia tua doce me.

109. Anima mea in manibus meis (d) semper: & legem tuam non sum oblitus.

110. Posuerunt peccatores laqueum mihi: & de mandatis tuis non erravi.

111. Hæreditate (e) acquisivi testimonia tua in æternum: quia exultatio cordis mei sunt.

112. Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem (f).

SAMECH. 113. Iniquos (g) odio habui: & legem tuam dilexi.

114. Adjutor (h) & susceptor meus es tu: & in verbum tuum supersperavi.

115. Declinate a me maligni: & scrutabor mandata Dei mei.

116. Suscipe me secundum eloquium tuum, & vivam: & non confundas (i) me ab expectatione mea.

117. Adjuva me, & salvus ero: & meditabor in justificationibus tuis semper.

118. Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis: quia injusta cogitatio eorum.

119. Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ: ideo dilexi testimonia tua.

120. Confige (k) timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui.

AIN. 121. Feci judicium (l) & justitiam: non tradas me calumniantibus me.

122. Suscipe servum tuum (m) in bonum: non calumnientur me superbi.

123. Oculi mei defecerunt in salutare tuum: & in eloquium (n) justitiæ tuæ.

124. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam: & justificationes tuas doce me.

125. Servus tuus sum ego: da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

126. Tempus (o) faciendi Domine: dissipaverunt legem tuam.

127. Ideo dilexi mandata tua, super aurum & topazion.

128. Propterea ad omnia mandata tua dirigebar (p): omnem viam iniquam odio habui.

129. Mirabilia (q) testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea. PHE.

130. Declaratio sermonum tuorum (r) illuminat: & intellectum dat parvulis.

131. Os meum aperui, & attraxi (s) spiritum: quia mandata tua desiderabam.

132. Aspice in me, & miserere mei, secundum (t) judicium diligentium nomen tuum.

133. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: & non dominetur mei omnis injustitia.

134. Redime me a calumniis hominum: ut custodiam mandata tua.

135. Faciem (u) tuam illumina super servum tuum: & doce me justificationes tuas.

136. Exitus aquarum deduxerunt (x) oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.

137. Justus es Domine: & rectum judicium tuum. SADE.

138. Mandasti (y) justitiam testimonia tua: & veritatem tuam nimis.

139. Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei.

140. Ignitum (z) eloquium tuum vehementer: & servus tuus dilexit illud.

141. Adolescentulus sum ego, & contemptus: justificationes tuas non sum oblitus.

142. Justitia tua, justitia in æternum: & lex tua veritas.

143. Tribulatio & angustia invenerunt me: mandata tua meditatio mea est.

144. Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi, & vivam.

145. Clamavi (aa) in toto corde meo, exaudi me Domine: justificationes tuas requiram. COPH.

146. Cla-

103 (zz) Ori & faucibus cordis: *Mel ori meo*: Mel in ore dulce est, non in faucibus, ubi non est gustus organum: sed eloquia Dei intima animæ penetrant, & cordi sapiunt. *Nolunt homines*, inquit August. alio in loco, *facere quod justum est, sive quia latet an sit justum, sive quia non delectat*. Utrumque obicem removet Propheta. Idem in hunc locum: *Hæc est illa suavitas quam Deus dat, ut terra nostra fructum suum*.

104. (a) Præceptis tuis sum eruditus: *Intellexi*. Doctus factus sum custodiendo mandata tua. Augustin. *Faciendo mandata Dei pervenisse se dicit ad earum rerum intelligentiam, quas concupiverat scire*.

106. (b) Hebr. *Juravi, & præstabo*.

108. (c) Voluntarias oblationes, vel vota laudis.

109. (d) Quotidie de vita periclitor propter legis tuæ observationem: loquendi genus Hebræum, quod summa pericula significat.

111. (e) Hieron. *Hæreditas mea, testimonia tua*. August. *Si autem quæritur, quid acquisierit hæreditate, Testimonia, inquit, tua hæreditatis loco habui*.

112 (f) Quæ non est alia quam Deus ipse qualem Deus Abrahæ promisit, Genes. 15. *Ero merces tua magna nimis*.

113. (g) Hieron. *Tumultuosos*. In his non naturam, sed iniquitatem odio habuit; unde mox subdit: *Et legem tuam dilexi*.

114 (h) August. *Adjutor ad bona facienda, susceptor ad mala vitanda*.

116 (i) Non patiaris me mea spe excidere.

120. (k) Hebr. *Horruit præ timore tuo caro mea*.

121. (l) Est fiducia quædam bonorum operum coram Deo.

122. (m) Apta servum tuum ad bonum. Hebr. *Oblecta servum tuum bono*; Fac ut servus tuus bono, seu æquitate oblectetur: *Superbi, Ne opprimant me*, suscipe servi tui tutelam.

123 (n) Promissionem tuam fidelissimam.

126. (o) *Tempus est ut facias*, Domine, judicium adversus impios.

128. (p) Hebr. *Recta esse censui*, & prædicavi.

129. (q) Ad novam legem relata, non in cortice literæ. Quo profundius scrutamur ea, hoc videntur mirabiliora.

130. (r) Hebr. *Ostium sermonum tuorum lucidum*; nam impii ambulant per vias tenebrosas: sermones tui si explicentur, lumen afferunt rudibus: exponuntur autem in Evangelio.

131 (s) Hieron. *Respiravi*, Suspirabam eorum desiderio.

132. (t) Hebr. *Juxta morem tuum erga diligentes te*.

135. (u) August. *Id est, tuam manifesta subveniendo, & opitulando præsentiam*.

136. (x) Toto hoc Psalmo David non pœnitentis, sed patientis induit personam. Unde illud, Funes peccatorum, seu impiorum insidiæ, me circumvenerunt: itaque hic videtur sensus: Vehementer dolui, quod inimici mei & tui non custodierunt legem tuam. Ex Augustino tamen hæc dicit, *Recolens dolorem pœnitentiæ prævaricationis suæ*.

138. (y) Hebr. *Præcepisti justitiam testimonii tui*: Voluisti testimonia tua ipsam esse justitiam, hanc stricte observari jussisti: nihil in tota lege continetur nisi rectum & justum.

140. (z) Probatum quasi per ignem: *Adolescentulus*. Quamvis sim parvus, & contemptus, non tamen oblitus sum præcepta tua: vox illa est conditionis, non ætatis.

145. (aa) August. *Est autem clamor cordis, magna cogitationis intentio, quæ cum est in oratione, magnum exprimit desiderantis & petentis affectum, ut non desperet effectum*: *Justificationes tuas requiram*: proinde quod ut faciamus, jubetur: ut exquiramus, oratur.

146. Clamavi ad te, salvum me fac: ut custodiam mandata tua.

147. Præveni (*bb*) in maturitate, & clamavi: quia in verba tua supersperavi.

148. Prævenerunt (*cc*) oculi mei ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua.

149. Vocem meam audi secundum misericordiam tuam Domine: & secundum judicium tuum vivifica me (*dd*).

150. Appropinquaverunt (*ee*) persequentes me iniquitati: a lege autem tua longe facti sunt.

151. Prope es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas (*ff*).

152. Initio cognovi de testimoniis tuis: quia in æternum fundasti ea.

RES. 153. Vide humilitatem meam, & eripe me: quia legem tuam non sum oblitus.

154. Judica judicium meum, & redime me: propter eloquium tuum vivifica me.

155. Longe a peccatoribus salus: quia justificationes tuas non exquisierunt.

156. Misericordiæ tuæ multæ Domine: secundum judicium tuum vivifica me.

157. Multi qui persequuntur (*gg*) me, & tribulant me: a testimoniis tuis non declinavi.

158. Vidi prævaricantes (*hh*), & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.

159. Vide quoniam mandata tua dilexi Domine: in misericordia tua vivifica me.

160. Principium verborum tuorum veritas (*ii*): in æternum omnia judicia justitiæ tuæ.

161. Principes persecuti sunt me gratis: & SIN. a verbis tuis formidavit cor meum.

162. Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui invenit spolia multa.

163. Iniquitatem odio habui, & abominatus sum: legem autem tuam dilexi.

164. Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ.

165. Pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis scandalum.

166. Expectabam salutare (*kk*) tuum Domine: & mandata tua dilexi.

167. Custodivit anima mea testimonia tua: & dilexit ea vehementer.

168. Servavi mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

169. Appropinquet (*ll*) deprecatio mea in TAU. conspectu tuo Domine: juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

170. Intret postulatio mea in conspectu tuo: secundum eloquium tuum eripe me.

171. Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me justificationes tuas.

172. Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum: quia omnia mandata tua æquitas.

173. Fiat manus tua ut salvet me: quoniam mandata tua elegi.

174. Concupivi salutare tuum Domine: & lex tua meditatio mea est.

175. Vivet anima mea, & laudabit te: & judicia tua adjuvabunt me.

176. Erravi (*mm*), sicut ovis, quæ periit: quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

QUI sequuntur XV. Psalmi videntur in secundi Templi dedicatione magna ex parte compositi, aut cantati: nam quidam ex iis aliis temporibus compositi, huic solemnitati aptati fuerunt, ex Theodoreto. Quindecim porro gradus erant in templo, ex cap. 40. Ezech. Alii putant sic appellatos a modulatione, quod variis tonis decantarentur: spiritali vero sensu cantica sunt ascensionis mentis in Deum per castum amorem, quo velut per gradus ascendit, ut docet August. in Psal. 126.

PSALMUS CXIX.

Communis titulus est XV. Psalmis sequentibus.

Canticum graduum.

1. AD Dominum cum tribularer (*a*) clamavi: & exaudivit me.

2. Domine libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa (*b*).

3. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam (*c*)?

4. Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatoriis (*d*).

5. Heu mihi, quia incolatus meus (*e*) prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar:

6. Mul-

147 (*bb*) Hebr. *Præveni diluculum*: LXX. *noste intempesta*. Verba. In promissiones tuas, *supersperavi*.

148 (*cc*) Hebræi *Prævenerunt vigilias*: Evigilavi ante ipsos vigiles, qui custodiis occurrunt.

149 (*dd*) Fac ut vivam juxta æquitatem legis tuæ; vel ex Hebræo, secundam promissiones tuas serva me in vita.

150 (*ee*) Adhæserunt iniquitati; a lege tua recesserunt; parati sunt ad omne scelus, a lege tua longe absunt.

151 (*ff*) Partem alteram scelerum: Veritas, August. *Multos quippe conversos liberat; innocentum autem neminem damnat.*

157 (*gg*) Fidem novimus ... *Purpurata est universa terra sanguine Martyrum, floret cælum coronis Martyrum; ornatæ sunt Ecclesiæ memoriis Martyrum; insignita sunt templa natalibus Martyrum; crebrescunt sanitates meritis Martyrum. unde hæc? Nisi quia impletum est, quod prædictum est de homine isto toto orbe diffuso; multi persequentes me, &c.*

158 (*hh*) August. *Zelus enim bonus est de amore veniens, non de livore.*

160 (*ii*) Veritas verborum tuorum est ab omni ævo. Aug. *A veritate, inquit, tua verba procedunt; & ideo veracia sunt, & neminem fallunt.*

166. (*kk*) Augustin. *Quid enim justis profuisset antiquis Dei dilexisse mandata, nisi eos Christus, qui est Dei salutare, liberasset?*

169 (*ll*) August. *Id est oratio mea, quæ est in conspectu tuo, appropinquet tibi.*

176. (*mm*) Vagus fui, & profugus: nam ubique in hoc Psalmo, ut divina custodiemus mandata exprimitur.

1. (*a*) David, aut populus clamat ad Deum, ut liberetur ab exilio, vel a calamitate aliqua. PSALM. CXIX.

2. (*b*) August. *Quæ est lingua dolosa? Subdola, habens imaginem consulendi, & perniciem nocendi.*

3. (*c*) Lingua dolosa est malum incurabile, ut *sagittæ acutæ* a viro robusto emissæ, quæ vitari non possunt; aut velut *carbones*, qui incendio vastant omnia: ex Hebr. *Quem fructum capies ex lingua dolosa?*

4. (*d*) Hieron. *Juniperorum*: hi quidem vehementer & diutissime urunt. *Appositus*, per linguam dolosam, aut petita lingua dolosa.

5. (*e*) Peregrinatio intelligitur: *Cedar*, Cedareni, postea Saraceni dicti sunt, sub quorum jugo fideles tot retro sæculis gemunt. *Cedar* quoque est nomen loci ad libertam positi; vel ipsa est Arabia; atque ii sunt termini imperii Babylonici, per quod dispersus erat populus. Qui Cedareni Lampridio, hi Cedræi sunt Plinio, inquit Grotius.

6. Multum incola (*f*) fuit anima mea.

7. Cum his, qui oderunt (*g*) pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

PSALMUS CXX.

Divinum poscit auxilium.

Canticum graduum.

1. Par. 20. 17. 1. LEvavi oculos meos in montes (*a*), unde veniet auxilium mihi.

2. Auxilium meum a Domino, qui fecit cælum & terram.

3. Non det in commotionem (*b*) pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.

4. Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel.

5. Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam (*c*).

6. Per diem sol non uret te (*d*): neque luna per noctem.

7. Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.

8. Dominus custodiat introitum tuum, & (*e*) exitum tuum: ex hoc nunc, & usque in sæculum.

PSALMUS CXXI.

Ecclesiam laudat a concordia, pietate, justitia; eique bene precatur.

1. Canticum graduum.

LÆtatus sum in his, quæ (*a*) dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus.

2. Stantes (*b*) erant pedes nostri, in atriis tuis Jerusalem.

3. Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas: cujus participatio ejus in idipsum (*c*).

4. Illuc enim ascenderunt (*d*) tribus, tribus Domini: testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.

5. Quia illic sederunt (*e*) sedes in judicio, sedes super domum David.

6. Rogate (*f*) quæ ad pacem sunt Jerusalem: & abundantia diligentibus te.

7. Fiat pax in virtute (*g*) tua: & abundantia in turribus tuis.

8. Propter fratres (*h*) meos, & proximos meos, loquebar pacem de te:

9. Propter domum Domini Dei nostri, quæsivi bona tibi.

PSALMUS CXXII.

Psalmus est deprecatorius, seu captivis Judæis, seu peregrinantibus in hac vita, & ad patriam cælestem tendentibus tribuatur.

Canticum graduum.

1. AD te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.

2. Ecce sicut oculi (*a*) servorum, in manibus dominorum suorum,

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

3. Miserere nostri Domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione.

4. Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, & despectio superbis (*b*).

PSALMUS CXXIII.

Psalmus est Eucharisticus, cujus idem est argumentum quod superioris: gratias agit Deo, quod a gravi periculo fuerit divina ope liberatus, forsitan cum 600. viris qui se Davidi adjunxerant.

1. Canticum graduum.

NIsi quia Dominus erat (*a*) in nobis, dicat nunc Israel.

2. Nisi quia Dominus erat in nobis,

Cum

---

6. (*f*) Hieron. *Multum peregrina.*

7. (*g*) Hieronym. *Ego pacifica loquebar, illi bellantia.* Atque hic Psalmus Christo aptari optime potest, qui ad Deum clamavit mortis suæ diebus, & exauditus est pro sua reverentia, cum in passione sua labia iniqua & dolosa expertus esset.

PSALM. CXX. 1. (*a*) Æternos, in cælum, ut Psalm. 122. quo auxilium a Deo impetratem, quodque certa spe expectabam.

3. (*b*) Seipsum alloquitur, & in sua persona veros hujus mundi peregrinos.

5. (*c*) August. *Dextera nostra dicitur quidquid æternum & incommutabile Dominus pollicetur.*

6. (*d*) Neque æstus diei, neque frigus noctis tibi per viam nocebit.

8. (*e*) Exitum tuum e terra captivitatis, introitum tuum in patriam; vel in omnibus vitæ actionibus, ab omni malo, sive peccato, ut ab omni tentatione custodiat te. Deus est protector tuus in principio, in progressu, & in fine: *Usque in sæculum:* usque ad vitam æternam.

PSALM. CXXI. 1. (*a*) Cum diceretur, *In domum Domini ibimus*; in Jerusalem, a captivitate; vel potius in cælestem patriam.

2. (*b*) Ante captivitatem. Hebr. *In portis tuis*; Propter multitudinem undique affluentem stabant pedes nostri, intrare non poteramus.

3. (*c*) Vox ejus redundat: *In idipsum*, sic explicat Hier. ut *simul & communiter habitetur ab omnibus*: dissipatæ post urbis excidium domus nunc conjunguntur; vel cives omnes sunt inter se amicitiæ vinculo copulati. August. *Quid est idipsum? Quod semper eodem modo est.*

4. (*d*) Omnes tribus ad Arcam in Sion positam ascenderunt, quod testimonium fuit, promissa Dei de Chananææ regione acquirenda esse completa. *Israel.* Præceptum datum Israeli, ut nomen Domini laudibus celebrarent, vel ut in domum testimonii, seu fœderis convenirent. Spirituali sensu de ascensu mentis in Deum, ad confitendum nomini Domini, recte intelligitur, uti & qui sequitur versiculus.

5. (*e*) Quod Apostolis Christo assidentibus ad judicandum convenit. August. *Quæ sunt sedes? de quibus dictum est, Anima justi sedes sapientiæ.* Alii de magno Synedrio id exponunt: Domum, Familiam David.

6. (*f*) August. *Interrogate: quoniam qui judicant, interrogant.* Hebr. *Postulate:* Rogate pro pace.

7. (*g*) Hieron. *In muris tuis*; vel in antemurali tuo: *In turribus:* In urbe securitas, in privatis domibus rerum omnium copia postulatur.

8. (*h*) Idcirco fausta apprecatur Jerusalem, quod in ea sit domus Domini, eamque Israelitæ soli incolant, non Jebusæi una cum Israelitis permixti in sparsis huc & illuc domibus: sed ut initio dixit, *in idipsum*, una sunt congregati: quæ omnia Ecclesiæ ipsi facile aptantur.

PSALM. CXXII. 2. (*a*) Ut servus ad vultum Domini conjicit oculos, quo mandata & nutus ejus observet: *Misereatur*, Supplices erimus, donec misereatur nostri.

4. (*b*) Hic bonorum in hac vita status, hæc conditio: nam divites ad omnem contumeliam sunt proclives. August. *Quando laudatur avarus, quid dicitur? Mal vas dives est, nihil ei deest.. Attende, si nihil deest; si nihil cupit, nihil ei deest; si autem adhuc cupit majora quam quæ habet, ad hoc accesserunt divitiæ, ut egestas cresceret.* Ex textu: *Tædio enim affecta est anima nostra opprobrio abundantium, & despectu superborum.*

PSALM. CXXIII. 2. & 3. (*a*) Hieron. Nisi Dominus fuisset in nobis: sensus est suspensus, ut in magna exultatione: *Forte LXX. ἄρα*, utique.

Cum exurgerent homines in nos,

3. Forte vivos deglutissent nos:

Cum irasceretur furor eorum in nos,

4. Forsitan aqua absorbuisset nos.

5. Torrentem pertransivit (*b*) anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

6. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem (*c*) dentibus eorum.

7. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

8. Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.

PSALMUS CXXIV.

Psalmus est consolatorius; atque ut spem omnem in Deo collocemus, nos adhortatur Propheta.

1. Canticum graduum.

QUi confidunt in Domino, sicut mons Sion (*a*): non commovebitur in æternum, qui habitat

2. In Jerusalem.

Montes (*b*) in circuitu ejus: & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & usque in sæculum.

3. Quia non relinquet (*c*) Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

4. Benefac Domine bonis, & rectis corde.

5. Declinantes autem in obligationes, (*d*) adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.

PSALMUS CXXV.

Argumentum est reditus Judæorum a captivitate Babylonica.

1. Canticum graduum.

IN convertendo (*a*) Dominus captivitatem Sion: facti sumus sicut consolati:

2. Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificavit Dominus facere cum eis.

3. Magnificavit (*b*) Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.

4. Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro (*c*).

5. Qui seminant in lacrymis (*d*), in exultatione metent.

6. Euntes (*e*) ibant & flebant, mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

PSALMUS CXXVI.

Eo nomine inscribitur, quod sit exhortatio prophetica ad populum e captivitate reducem, ut templum ad formam templi Salomonis ædificet: aut certe illius auctor est Salomon.

1. Canticum graduum Salomonis.

NIsi Dominus (*a*) ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

2. Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite (*b*) postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum:

3. Ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris.

4. Sicut

---

5. (*b*) Hieron. *Torrens transisset super animam nostram.* Probabile videtur Bellarmino vocem, *super*, non extitisse in Hebræo textu, quem habuerunt LXX. torrens calamitatis intelligitur: torrens nos demersisset; *intolerabilem*, LXX. *Carentem fundo*: Intrasset aquam nulli penetrabilem.

6. (*c*) Hieron. *Qui non dedit nos in prædam dentibus eorum*. Hic Psalmus Ecclesiæ in pace constitutæ convenit, uti & populo a captivitate liberato.

PSALM. CXXIV. 1. (*a*) Hieron. *Quasi mons Sion immobilis in æternum habitabitur*, Jerusalem illa est ipsa Ecclesia.

2. (*b*) Ut Jerusalem montibus, ita populus a Deo protegitur; *Ex hoc nunc*, Hebr. *Modo*, *&* *usque in æternum*.

3. (*c*) Hieron. *Quia non requiescet virga impietatis super sortem justorum: super terram sanctam.* Vox *Dominus*, deest in Hebræo. Ne justi calamitatibus fracti a lege Dei deficiant, non requiescet virga impietatis, &c. Sed tamen boni interdum castigantur per impios, ne superbiant. Virga etiam pro sceptro interdum ponitur.

5. (*d*) Hebr. *Ad pravitates suas*: In tortuosas vias, quibus se implicant. Declinantes in obligationes sunt hypocritæ, aut timidi, & inertes; quidam legunt *obliquationes*, vias obliquas, & a recto devias.

PSALM. CXXV. 1. (*a*) Cum Deus solvit captivitatem Babylonicam: Hebr. *Cum Deus redire fecit captivitatem Sion: Consolati*, Hebr. *Quasi somniantes*, præ admiratione tam insperati boni: decretum Cyri visum est nobis quasi somnium.

3. (*b*) Magnas res fecit Deus, Hebraismus. Verbum finitum cum infinitivo junctum, quandoque loco adverbii sumitur. August. *Videte fratres, si modo Sion non illud dicit inter gentes, per totum orbem terrarum, videte si non ad Ecclesiam curritur: in toto orbe terrarum pretium nostrum accipitur, Amen respondetur, Redemptor venit, & bene eum illis fecit.*

4. (*c*) Tam celeriter, quam flante austro solvuntur nives. Hebr. *Sicut torrentem in meridie*: Tam uberrim; quam aqua in locis aridis, vel in regione australi interdum abundant. Liberationem nostram perfice, ut turmatim redeant captivi.

5. (*d*) Hebr. *Qui seminaverunt cum lacrymis*: similitudo sumpta ab iis qui cum mœrore seminant, quando annona est cara, & vix ad tenuem victum suppetit triticum.

6. (*e*) Hieron. *Qui ambulans ibat, & flebat portans ad seminandum sementem, veniens veniet cum exultatione*, sic captivi, qui uberrim flebant, dum abducebantur, nunc redeunt læti. Tempus hujus vitæ serendo destinatur, in altera vita messis futura est. *Prout quisque seminaverit, ita & metet*. August. *Quid seminabimus? Opera bona, opera misericordiæ, semina nostra sunt. Quid seminas? Misericordiam. Quid metes? Pacem. Nolite ad vos solos attendere, sed attendite indigentes circa vos.*

1. (*a*) August. *Ipse ædificat, ipse monet, ipse terret, ipse intellectum aperit, ipse ad fidem applicat sensum vestrum; & tamen laboramus & nos tamquam operarii, sed nisi Dominus custodierit civitatem*. Augustin. *Tamquam urbis pastores sumus, sed sub illo pastore vobiscum oves sumus.* Domus nomine complectitur totum ordinem œconomicum, ut civitatis nomine statum politicum, statum vigilum nomine magistratus. PSALM. CXXVI.

2. (*b*) Vos *surgite*, deest in Hebræo, Hieron. *Postquam sederitis qui manducatis panem dolorum, sic dabit diligentibus se, somnum.* Etiamsi tranquilli sederitis, tamen vos adjuvabit Deus, qui suis somnum & quietem præstat. Hebr. *Frustra mane surgetis, & valde sero decumbetis edentes panem laboris*, cum molestia partum: vanam sollicitudinem, non laborem prohibet. *Cum dederit*, Promittit fore ut Deus post hos labores det quietem.

4. Sicut sagittæ in manu potentis; ita filii excussorum (c).

5. Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis: non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta (d).

PSALMUS CXXVII.

Est exhortatio ad pietatem; ad utrumque Testamentum referri potest.

1. Canticum graduum.

Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.

2. Labores manuum tuarum (a) quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

3. Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus (b) domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.

4. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.

5. Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

6. Et videas (c) filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

PSALMUS CXXVIII.

Hic Psalmus ad patientiam in adversis adhortatur simul, & consolatur. Aug. Iste Psalmus, si verba numeres, brevis est; si sententias appendas, magnus est.

1. Canticum graduum.

Sæpe expugnaverunt (a) me a juventute mea, dicat nunc Israel.

2. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea: etenim non potuerunt (b) mihi.

3. Supra dorsum meum fabricaverunt (c) peccatores: prolongaverunt iniquitatem suam.

4. Dominus justus concidit cervices (d) peccatorum:

5. Confundantur & convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.

6. Fiant sicut fœnum tectorum: quod priusquam evellatur, exaruit:

7. De quo non implevit manum suam qui metit, & sinum suum qui manipulos colligit:

8. Et non dixerunt qui præteribant: Benedictio (e) Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini.

PSALMUS CXXIX.

Hic Psalmus simul & pœnitentialis est, & gradualis; gradus, per quos pœnitens ascendere debet, ostendit: futuram redemptionem promittit.

1. Canticum graduum.

De profundis (a) clamavi ad te Domine:

2. Domine exaudi vocem meam:

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

3. Si iniquitates observaveris (b) Domine, Domine quis sustinebit?

4. Quia apud te (c) propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus:

5. Speravit anima mea in Domino.

6. A custodia matutina (d) usque ad noctem: speret Israel in Domino.

7. Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio (e).

8. Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus ejus.

PSAL-

4. (c) Hieron. *Filii juventutis*, filii in juventute geniti, & robusti; vel erunt filii vexatorum: quod ad litteram impletum esse in Apostolis docet Hilarius: nam ut sagittæ in manu Dei totum orbem pervadentes infidelium pectora salutari vulnere transfixerunt. August. *Excussi sunt quidam de manu Domini, tamquam sagittæ. & ierunt longe, & totam terram impleverunt: unde pullulant Sancti.*

5. (d) In judicio Calumnias, & vim non metuit.

PSALM. CXXVII. 2. (a) Septuag. Interpret. *Fructuum tuorum*: vox Græca καρπῶν, utrumque significat, & *volam manus*, & *fructum*. Si largus est sementis proventus, si ipse eo fruatur, benedictio Dei est, uti si uxorem habeat fœcundam & jucundos liberos.

3. (b) Hieron. *In penetralibus, sicut novellæ olivarum*: sicut olivæ propagines, sic familiæ justorum læto liberorum proventu: *Mensæ tuæ*, Hilarius: *Mensa Domini est ea qua cibum sumimus, panis scilicet vivus: cujus hæc est virtus, ut ipse vivens eos quoque qui accipiunt vivificet.* Viti debili quæ sine adminiculis se sustentare non potest, uxorem, filios oleæ semper virenti comparat.

6. (c) Videbis Jerusalem florere: id maxime optandum fidelibus, ut Ecclesia floreat.

PSALM. CXXVIII. 1. (a) Septuag. Interpr. *Oppugnaverunt*: ex Hebr. *Coarctaverunt*. *A juventute*, A servitute Ægyptiaca, quæ Jeremiæ 2. *adolescentiæ* nomine donatur. Sic Ecclesia oportuit non pro... graves ab initio mundi hostes perpessa. *Victus enim qui sæviebat, vicit qui sufferebat*, inquit August.

2. (b) Non prævaluerunt, nec me delere potuerunt; Aug. *Exercuerunt me, non oppresserunt.*

3. (c) Ita LXX. Hebr. *Arantes araverunt*. *Prolongaverunt*. Hebr. *Sulcum suum*: LXX. sensum ipsum per Metaphoram exprimere voluerunt: diutissime vexarunt. Hæc ad Christum, Martyres, & Ecclesiam commode transferuntur. Aratoribus hostes comparat, Ecclesiam Dei agro.

4. (d) Hieron. *Laqueos eorum*; vel funes, seu consilia, & artes nocendi, funes illi abscissi sunt: *Retrorsum*, Jam longius progressi erant impii, sed Dei manu sunt retracti.

8. (e) Solita est apprecatio ad messores.

1. (a) Ex intimo cordis, vel ex summa calamitate quam patior; atque hic est primus pœnitentis gradus, propriam agnoscere miseriam, tum Deum deprecari, cum propitiatio apud eum sit; veniam deinde spetare & impetrare cum proposito melioris vitæ; perstare denique in justitia, & expectare finem redemptionis nostræ. PSALM. CXXIX.

3. (b) Si iniquitates observas absque misericordia, nemo salvus erit: atque hoc omnino est alienum a bonitate tua; Hebr. *Quis stabit?* Quis consistet in conspectu tuo?

4. (c) Sed apud te propitiatio est; August. *Et quæ est ista propitiatio, nisi sacrificium? & quod est istud sacrificium, nisi quod pro nobis oblatum est? Sanguis innocens fusus delevit omnia peccata nocentium.* Hebr. *Quia tecum est venia*, vel apud te est clementia. *Legem tuam*, qua statuisti misereri; LXX. *Propter nomen tuum*: Hieron. *Cum terribilis sis*: variæ sunt lectiones, vulgatam legunt Hilarius, Augustinus & alii. Ex Hieron. *Licet sis terribilis, tamen parcis.* *Sustinui*, Expectavi, speravi.

6. (d) Ab uno mane ad aliud; præ excubitoribus matutinis ad te vigilavi.

7. (e) Augustin. *Noli dicere, ego non sum dignus; propter peccata non es dignus, sed multa apud eum redemptio.*

PSALMUS CXXX.

Gradum vere humilitatis, quo ad Deum ascenditur, docet.

1. Canticum graduum David.

DOmine non est exaltatum cor (*a*) meum: neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.

2. Si non humiliter (*b*) sentiebam: sed exaltavi animam meam:

Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.

3. Speret Israel in Domino, ex hoc nunc & usque in sæculum (*c*).

PSALMUS CXXXI.

Psalmus est historicus & propheticus, sive a Davide qui templi ædificationem ardenter cupiebat, sive ab eo ipso, cum in locum suum Arca est translata L. 2. Paral. 6. seu a Salomone, cum patris destinata implevit, is fuerit compositus, & in secunda templi dedicatione repetitus.

1. Canticum graduum.

MEmento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus (*a*):

2. Sicut juravit (*b*) Domino, votum vovit Deo Jacob:

*1.Reg.7.2. 3. * Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei:

4. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem,

5. Et requiem temporibus meis: donec inveniam locum Domino, tabernaculum (*c*) Deo Jacob.

6. Ecce audivimus eam in Ephrata (*d*): invenimus eam in campis silvæ.

7. Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus (*e*) in loco, ubi steterunt pedes ejus.

8. * Surge (*f*) Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. *2.Par.6. 41.

9. Sacerdotes tui induantur (*g*) justitiam: & Sancti tui exultent.

10. Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.

11. Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam (*h*): * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. *2.Reg.7. 12. Luc.1.55. Act.2.30.

12. Si custodierint filii tui testamentum (*i*) meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos:

Et filii eorum usque in sæculum, sedebunt super sedem tuam.

13. Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi.

14. Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo quoniam elegi eam.

15. Viduam (*k*) ejus benedicens benedicam: pauperes ejus saturabo panibus.

16. Sacerdotes ejus induam salutari (*l*): & Sancti ejus exultatione exultabunt.

17. * Illuc (*m*) producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. *Mal.3.1. Luc.1.69.

18. Inimicos ejus induam confusione: super ipsum autem efflorebit sanctificatio (*n*) mea.

PSALMUS CXXXII.

Psalmus ille cantatus fuit in reditu e captivitate.

1. Canticum graduum David.

ECce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum:

2. Sicut unguentum (*a*) in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron,

Quod descendit in oram vestimenti ejus:

3. Sicut

PSALM. CXXX. 1. (*a*) Vox, meum, addit propter inimicorum calumnias, seque a superbiæ crimine immunem esse pronuntiat, ac se ita laudat, ut aliis sit exemplo, & ita ab inimicorum calumnia coactus, ut se omnia a Deo accepisse fateatur.

2. (*b*) Jurandi formula: nisi ita sit, fiat mihi hæc punitio: ut sim sicut puer ablactatus a matre, in mœrore, & tristitia, expers omnis solatii, vel ex Bellarmino, consolationis divinæ lac intelligit. Hebr. *Si non posui & silere feci animam meam, tamquam puer ablactatus apud matrem suam, ita ablactata est apud me anima mea.* Si non ita comparavi animam meam, ut similis esset puero ablactato, & tam humilis coram Deo, quam parvulus est subditus matri. *Retributio*, Hieron. vertit, ut diximus, *ita ablactata ad me anima mea*, quod vox Hebraica, *Gamoul*, גמול, aut mutato puncto, *Gemoul*, גמול, significet *ablactatum*, vel *retributionem*.

3. (*c*) August. *Quousque veniamus ad æternitatem: speremus in Dominum Deum.*

PSALM. CXXXI. 1. (*a*) Hebr. *Afflictionis*, anxietatis; laborum quos subiit, ut cultum tui nominis amplificaret.

2. (*b*) Hebr. *Qui juravit, & vovit potenti ipsius Jacob*; Qui potenter eripuisti Jacob a periculis. Votum suum implevit David, cum locum templo designavit, & ad ædificandum res necessarias comparavit. August. *Qui te hortatur, ut voveas, ipse adjuvat, ut reddas.*

5. (*c*) *Tabernaculum* est Ecclesia secundum hoc tempus: *domus* autem *cælestis Jerusalem*, quo imus.

6. (*d*) In locis desertis & montosis. *Silvæ*, In agro silvestri, cum Arca dimissa fuit a Philisthinis, vel in Cariathiarim reposita: quare dignior ei locus quærendus fuit. Vel locum ipse designat, in quo templum erat construendum, in ea scilicet urbis parte, quæ erat de Tribu Juda. Bethlehem quidem Ephrata quoque appellatur, sed Arca ibi non fuit posita.

7. (*e*) Hebr. *Incurvabimus nos scabellum pedum ejus*; sic Propheta *Arcam* vocat.

8. (*f*) Loquitur Salomon, ut patet ex Lib. 2. Paralip. 6. *Sanctificationis*: Hebr. *Fortitudinis*, in qua sanctificeris, aut potentiam tuam ostendis.

9. (*g*) Induant vestes sacerdotales, quæ mentis puritatem designabant, vel sanctiorem vitam.

11. (*h*) Hieron. *Non avertetur ab ea*; Non retractabit.

12. (*i*) Vox Hebræa *Berith*, ברית, etiam *pactum* significat: utrumque designat, & *pactum*, quod est promissio cum operis conditione; & *testamentum*, cum sit firmatum morte testatoris.

15. (*k*) Hieron. *Venationem*, seu victum, & annonam, ut vox Hebræa *Tsaid*, ציד, utramque significat: LXX. verterunt θήραν, venationem, sed vulgatus interpres legit χήραν *viduam*.

16. (*l*) Pietate salutari: Hebr. salute: Servabo, & protegam.

17. (*m*) In Sion, & Jerusalem: Hebr. *Oriri faciam*: seu *paravi*; clarere, aut propagare faciam. Sobolem illustrem, & regnantem parabo: *Cornu David*, vocat potentiam, quæ præter hominum spem crescet ex parvis initiis: *lucernam* istam ipsi Hebræi intelligunt de Messia, qui totum orbem lumine illustravit: vel *paravi Christo lucernam*, Joannem Baptistam.

18. (*n*) Hieron. *Diadema ejus*, regnum majestatis ejus. Itaque juramenti veritas ad thronum Christi æternum, ut sanctificatio ad Ecclesiam; vel ex Hebræo *diadema* ad Christum Dominum spectat, cui data est omnis potestas in cælo & in terra.

1. (*a*) Addit Hebræus textus optimum, ad ungendos pontifices institutum a Deo Exod. 30. Non de ora vestimenti inferioris, sed de superiori & barbæ proxima intelligitur: in hanc enim illud unguentum defluebat. Illa fratrum concordia suavior est unguento illo fragrantissimo, quo ungebantur summi sacerdotes. PSALM. CXXXII.

3. Sicut ros Hermon (*b*), qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in sæculum.

PSALMUS CXXXIII.

Ultimus est inter graduales, atque ad eos videtur pertinere, qui extructo templo, in eo habitabant.

1. Canticum graduum.

Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini:

Qui statis (*a*) in domo Domini, in atriis domus Dei nostri,

2. In noctibus extollite manus vestras in sancta (*b*), & benedicite Dominum.

3. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cælum & terram.

PSALMUS CXXXIV.

Adhortatur ad laudes Dei, & eos maxime, qui Deo sunt dicati, qui stant in atriis templi, vel Ecclesiæ.

1. Alleluja.

Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum,

2. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

3. Laudate Dominum, quia bonus Dominus: psallite nomini ejus, quoniam suave (*a*).

4. Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi.

5. Quia ego cognovi quod magnus est Dominus, & Deus noster præ omnibus diis.

6. Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.

* Jer. 10. 13. 7. * Educens nubes ab extremo terræ (*b*): fulgura in pluviam fecit.

Qui producit ventos de thesauris suis:

* Exod. 12. 29. 8. * Qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus.

9. Et misit signa & prodigia in medio tui Ægypte: in Pharaonem, & in omnes servos ejus.

* Jos. 12. 1. 7. 10. * Qui percussit gentes multas: & occidit reges fortes:

* Num. 21. 24. 35. 11. * Sehon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan.

12. Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo.

13. Domine nomen tuum in æternum: Domine memoriale tuum in generationem & generationem.

14. Quia judicabit (*c*) Dominus populum suum: & in servis suis deprecabitur.

15. * Simulacra Gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. * Sap. 113. 4.

16. * Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. * Sap. 15. 15.

17. Aures habent, & non audient: neque enim est spiritus in ore ipsorum.

18. Similes illis fiant qui faciunt ea: & omnes, qui confidunt in eis.

19. Domus Israel benedicite Domino: domus Aaron benedicite Domino.

20. Domus Levi benedicite Domino: qui timetis Dominum, benedicite Domino.

21. Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem.

PSALMUS CXXXV.

Idem est argumentum quod præcedentis. Davidi tribuitur, sed cantatus fuit regnante Salomone Lib. 2. Paralip. 8. & in secundo templo 1. Esdræ 2. uti & post insignem victoriam Machabæorum.

1. Alleluja.

Confitemini (*a*) Domino quoniam bonus: quoniam in æternum misericordia ejus.

2. Confitemini Deo deorum (*b*): quoniam in æternum misericordia ejus.

3. Confitemini Domino dominorum: quoniam in æternum misericordia ejus.

4. Qui facit mirabilia (*c*) magna solus: quoniam in æternum misericordia ejus.

5. * Qui fecit cælos in intellectu: quoniam in æternum misericordia ejus. * Gen. 1. 1.

6. Qui firmavit (*d*) terram super aquas: quoniam in æternum misericordia ejus.

7. Qui fecit luminaria magna: quoniam in æternum misericordia ejus.

8. Solem in potestatem diei: quoniam in æternum misericordia ejus.

9. Lunam & stellas in potestatem noctis: quoniam in æternum misericordia ejus.

10. * Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum: quoniam in æternum misericordia ejus. * Exod. 12. 29.

11. * Qui eduxit Israel de medio eorum: quoniam in æternum misericordia ejus. * Exod. 13. 17.

12. In

---

3. (*b*) Fratrum concordiam similitudine unguenti suavissimi, & roris explicat: nam ros descendens in montes, eos fœcundos facit. Meminit duorum montium, *Hermon* ultra Jordanem positi, & *Sion*. Unde ita supplendum videtur, sicut ros Hermon, & sicut ros qui descendit in montem Sion; ita & fratrum consensio, qua nec unguentum, quo perfusus est Aaron, nec ros in montes decidens est jucundior. *Illic*, ubi fratres vivunt simul & concorditer, *& vitam usque in sæculum*, diuturnam.

PSALM. CXXXIII. 1. (*a*) Vos qui in templo per noctes excubias agitis, extollite manus vestras ad Deum.

2. (*b*) Ad Sanctuarium; Sacerdotes & Levitas alloquitur.

PSALM. CXXXIV. 3. (*a*) Res est admodum suavis laudare nomen Domini: & rationes affert cur sit laudandus: quia bonus est, & omnipotens, ac varia potentiæ divinæ affert argumenta.

7. (*b*) Ab omni parte horizontis: Hebr. *Qui ascendere facit nubes ab extremo terræ*, *In pluviam*, Hebr. *cum pluvia*, seu pluviæ, aut nimbis permista fecit.

14. (*c*) Futurum pro præterito: judicium fecit populo suo; vel potius in futuro, ostendet se esse populi sui rectorem, & custodem. *Deprecabitur*, passive; exorabitur. Hieron. *Et in servos suos erit placabilis*; Hebr. *Pœnitentia ducetur*, irasci desinet.

PSALM. CXXXV. 1. (*a*) Laus ea quæ confessio dicitur, uni Deo in Scripturis tribuitur.

2. (*b*) August. negat in Scripturis *Angelos* usquam vocari *Deos*; *si ergo*, inquit, *nusquam in eloquiis divinis reperitur sanctos Angelos appellatos Deos*, *ea mihi caussa potissimum occurrit*, *ne in isto nomine homines ad nos ædificarentur*, *ut ministerium vel servitium religionis*, *quæ Græce* Liturgia, *vel* latria *dicitur*, *sanctis Angelis exhiberent*.

4. (*c*) Jam incipit enarrare opera Dei mirabilia, quibus omnibus subjicit misericordiam, quod nihil agat Deus ex necessitate, sed semper intervenit ejus misericordia: ubique intelligi oportere, confitemini, observat Augustinus.

6. (*d*) Hebr. Extendit, aut expandit, depressit maris fundum, ut mare littoribus suis contineri posset.

12. In manu potenti, & brachio excelso: quoniam in æternum misericordia ejus.

13. Qui divisit Mare rubrum in divisiones: quoniam in æternum misericordia ejus.

14. Et eduxit Israel per medium ejus: quoniam in æternum misericordia ejus.

* Exod. 14. 28. 15. * Et excussit Pharaonem, & virtutem ejus in Mari rubro: quoniam in æternum misericordia ejus.

16. Qui traduxit populum suum per desertum: quoniam in æternum misericordia ejus.

17. Qui percussit reges magnos: quoniam in æternum misericordia ejus.

* Num. 21. 24. 18. * Et occidit reges fortes: quoniam in æternum misericordia ejus.

19. Sehon regem Amorrhæorum: quoniam in æternum misericordia ejus.

* Num. 21. 33. 20. * Et Og regem Basan: quoniam in æternum misericordia ejus.

* Jos. 14. 7. 21. * Et dedit terram eorum hæreditatem: quoniam in æternum misericordia ejus.

22. Hæreditatem Israel servo suo: quoniam in æternum misericordia ejus.

23. Quia in humilitate nostra memor fuit nostri: quoniam in æternum misericordia ejus.

24. Et redemit nos ab inimicis nostris: quoniam in æternum misericordia ejus.

25. Qui dat escam omni (c) carni: quoniam in æternum misericordia ejus.

26. Confitemini Deo cæli: quoniam in æternum misericordia ejus.

Confitemini domino dominorum: quoniam in æternum misericordia ejus.

PSALMUS CXXXVI.

Plerisque non a David compositus videtur, sed a Jeremia, qui missus fuerat ad captivos. Alii a Davide eum conscriptum putant, captivitatem Babylonicam prævidente: nec desunt qui suspicentur Jeremiam illum, cujus hic fit mentio, fuisse cantorem Davidis temporibus.

Psalmus David, Jeremiæ.

1. SUper flumina Babylonis (a), illic sedimus & flevimus: cum recordaremur Sion:

2. In salicibus, in medio ejus (b), suspendimus organa nostra.

3. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum (c).

Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

4. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

5. Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur (d) dextera mea.

6. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui:

Si non proposuero (e) Jerusalem in principio lætitiæ meæ.

7. Memor esto Domine filiorum Edom (f), in die Jerusalem:

Qui dicunt: Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.

8. Filia Babylonis (g) misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis.

9. Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram (h).

PSALMUS CXXXVII.

Est Psalmus Eucharisticus.

1. Ipsi David.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum (a) psallam tibi:

2. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Super misericordia (b) tua & veritate tua: quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

3. In quacumque die invocavero te, exaudi me: multiplicabis (c) in anima mea virtutem.

4. Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ: quia audierunt (d) omnia verba oris tui.

5. Et cantent in viis (e) Domini: quoniam magna est gloria Domini.

6. Quoniam excelsus Dominus, & humilia (f) respicit: & alta a longe cognoscit.

7. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: & super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & salvum me fecit dextera tua.

8. Dominus retribuet (g) pro me: Domine misericordia tua in sæculum: opera manuum tuarum ne despicias.

PSAL-

25. (c) August. *Hoc est, omni hominum generi, non tantum Israelitarum, sed & Gentium, de qua esca dicitur, Caro mea est esca.*

PSALM. CXXXVI. 1. (a) Populus in captivitate gemens, & Christiani in hoc sæculo, suam utique Jerusalem desiderant: nam ex Augustino flumina Babylonis sunt omnia, quæ hic amantur, & transeunt. Babylon interdum totum imperium Babylonicum significat.

2. (b) Babylonis, quam alluit Euphrates.

3. (c) Ut cantaremus cantica: tum respondimus; Quomodo cantabimus?

5. (d) Hebr. *Obstupescat dextera mea*, ne pulset citharam.

6. (e) Si canticum laudis ullum canam, nisi ob restitutam Jerusalem. *Meæ*, Hebr. *Si non præposuero Jerusalem, omni lætitia mea.*

7. (f) Idumæorum, quorum odium in Judæos plurimum exarsit: *In die Jerusalem*, cum recordaberis Jerusalem; vel *Memor esto*, qualiter se gesserint in vastatione Jerusalem, cum immemores humanitatis concitarunt Babylonios adversus Jerusalem.

8. (g) Hieron. Vastata, seu vastanda. *Beatus qui retribuet*, Reddet tibi malum pro malis, quibus nos effecisti.

9. (h) Qui implebit vaticinium Isaiæ cap. 13. *Infantes eorum allidentur in oculis eorum.* Sensu morali parvuli sunt primi ad peccandum impetus, qui ad petram, nempe ad Christum, allidi debent. August. *Quando nascitur cupiditas, antequam robur faciat adversum te mala consuetudo: cum parvula est, elide ad petram: petra autem erat Christus.*

PSALM CXXXVII. 1. (a) Hebr. *Elohim*, אלהים, unde quidam vertunt, *Coram potestatibus*: sed LXX. Propriæ linguæ non ignari vertetunt, *Coram Angelis*; uti & Psalm. 8. 6. Puram & sinceram David intelligunt laudem, & gratiarum actionem: ita ut non exteriori hominum testimonio contentus, Angelos ipsos qui adstant orantibus, testes habeat suæ laudis.

2. (b) August. *Misericordia peccatorem respexisti, veritate promissionem reddidisti: Nomen sanctum tuum*, Hebr. *Quoniam magnificasti super omnia nomen tuum.*

3. (c) Hieron. *Delectabis animam meam fortitudine*: Robur augebis & charitatem: quod cum a Deo postulatur, ut par est, ipse nos exaudit.

4. (d) Viderunt promissa tua impleta. *Reges terræ*, Victi aut victoriæ fama permoti. Nam satis est probabile hunc Psalmum confecto bello Syriaco fuisse compositum.

5. (e) Quæ ducunt ad templum; vel cantent vias Domini.

6. (f) Deus humiles respicit, alta a longe cognoscit; longe infra se videt, nec probat: Dei providentiam commendat, quam nulla impedire potest distantia.

8 (g) Vel respondebit pro me. Hebr. *Perficiet*, & ad exitum perducet; alii vertunt, respondet, faciet, ut mihi bene sit.

PSALMUS CXXXVIII.

Moralis est, atque homines admonet Deum scientia sua cuncta vel occultissima penetrare, eumque ut judicem opera nostra in omni æquitate remunerare, aut punire.

1. In finem, Psalmus David.

DOmine (*a*) probasti me, & cognovisti me:

2. Tu cognovisti sessionem meam (*b*), & resurrectionem meam.

3. Intellexisti cogitationes meas de longe (*c*): semitam meam, & funiculum meum investigasti.

4. Et omnes vias meas prævidisti: quia non est sermo (*d*) in lingua mea.

5. Ecce Domine (*e*) tu cognovisti omnia, novissima & antiqua: tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.

6. Mirabilis facta est scientia tua (*f*) ex me: confortata est, & non potero ad eam.

7. Quo ibo a spiritu tuo? & quo a facie tua fugiam?

*Amos 9.2. 8. * Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum (*g*), ades.

9. Si sumpsero pennas meas diluculo (*h*), & habitavero in extremis maris:

10. Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.

11. Et dixi (*i*): Forsitan tenebræ conculcabunt me: & nox illuminatio mea in deliciis meis.

12. Quia tenebræ non obscurabuntur a te (*k*), & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.

13. Quia tu possedisti renes meos (*l*): suscepisti me de utero matris meæ.

14. Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es (*m*): mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis.

15. Non est occultatum (*n*) os meum a te, quod fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus terræ.

16. Imperfectum (*o*) meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.

17. Mihi autem nimis honorificati sunt (*p*) amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

18. Dinumerabo eos (*q*), & super arenam multiplicabuntur: exurrexi, & adhuc sum tecum.

19. Si occideris Deus peccatores: viri sanguinum declinate a me:

20. Quia dicitis (*r*) in cogitatione: Accipient in vanitate civitates tuas.

21. Nonne qui oderunt te Domine, oderam: & super inimicos tuos tabescebam?

22. Perfecto (*s*) odio oderam illos: & inimici facti sunt mihi.

23. Proba me Deus (*t*), & scito cor meum: interroga me, & cognosce semitas meas.

24. Et vide, si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna.

PSALMUS CXXXIX.

Psalmus est deprecatorius adversus persecutores Davidis, aut Ecclesiæ.

1. In finem, Psalmus David.

2. ERipe me Domine ab homine malo: a viro iniquo eripe me.

3. Qui cogitaverunt iniquitates in corde: tota die constituebant (*a*) prælia.

4. * Acue-

PSALM. CXXXVIII. 1. (*a*) Nihil est in me tam occultum, quod te fugiat.

2. (*b*) Ex Theodor. per sessionem quies, per resurrectionem actio designatur; nulla vitæ meæ actio te fugit; otia mea, & negotia nosti.

3. (*c*) Priusquam cogitarem: *Funiculum*, Hebr. *Kiruthi*, חבעי. *Cubatum meum*. Existimant Genebrardus & Grotius LXX. vertisse κοίτην, cubile, cujus loco Librarii scripserunt σχοῖνον, *Funiculum*. Vel nosti quam quisque hæreditatem sit habiturus; hoc enim nomine Scriptura hæreditatem designare videtur; vel denique rectitudinem operum meorum nosti, vitæ seriem & finem. Hebr. *Semitam & accubatum meum cingis*, nosti gradientem & accubantem, vigilantem & quiescentem, semper mihi adea.

4. (*d*) Elliosi.: quem non ante cognoveris; antequam loquar id nosti. Hebr. *Quia necdum est sermo in lingua mea*; Ecce Domine nosti totum ipsum, antequam loquar, nosti quid dicturus sum.

5. (*e*) Hebr. *Retrorsum & ante formasti me; a fronte, & a tergo*, omni ex parte: Posuisti super me manum tuam, ut creares, conservares, & tua providentia regeres.

6. (*f*) Hieron. *Super me*: Non potero ad eam accedere. Major est scientia tua, quam ut possim eam animo consequi. Quod fusius postea explicat per varias interrogationes: *Confortata*, Hebr. *Excelsa est scientia tua*, qua me formasti, captum meum superat, hanc admiror. August. *Non potero ad illam ex me; cum ergo potero, non potero nisi ex te*.

8. (*g*) Hebr. *Si sternam in sepulcro*; Neque sursum, neque deorsum quicquam te fugit.

9. (*h*) Hebr. *Si assumam alas Auroræ*; Si in momento excurram ab Oriente & Occidente tam celeriter, quam radii solis.

11. (*i*) Hieron. *Si dixero, forsitan tenebræ conculcabunt me; operient me*: *Illuminatio*, Hebr. *Et etiam nox lucebit propter me*, circum me.

12. (*k*) Objectioni vers. 11. factæ occurrit, & respondet nullas esse tenebras, quæ impediant quominus Deus cuncta intueatur. Nam in nocte ipsa sic videt, ut in meridie; nox quasi dies lucet.

13. (*l*) August. *Non solum cogitationes, sed etiam delectationes*: *Suscepisti*, Hieron. *Orsus es me in utero*.

14. (*m*) Magnus & terribilis apparuisti in hominis structura, miro quodam modo sum formatus; *Cognoscit*. Operum tuorum magnitudinem, vim opificis supremam agnoscit.

15. (*n*) Nullum ex ossibus meis te latet: *Substantia*, Hebr. *Contextus sum*; velut acu picta sum: mirabilem partium distinctionem comparat operi phrygio.

16. (*o*) Hieron. *Informem adhuc me*, fœtum rudem in utero: *Scribentur*, Partes omnes corporis mei jam perfectæ noveras in ideis tuis, ac si in libro descriptas haberes: *Formabuntur*, Hieron. *Formatæ sunt*: Partes illæ in dies formabantur; *ac ne una quidem earum jam erat*; sed eas omnes formasti, cum non essent, non impositas composuisti. Ad literam, humana corpora in dies sic formantur, ut nihil iis desit: ex Hebræo, perfectus homo erit in specie sua, si minus in individuo. Alii legunt, *die formabuntur*: imperfecta illa progressu temporis ad perfectum statum perducentur, nulla pars deerit.

17. (*p*) Hæc Ecclesiæ optime conveniunt. Valde honorati sunt Apostoli Christi, & eorum discipuli, ac multiplicati super arenam maris, quæ est hyperbole: Hebr. *Quam pretiosæ sunt cogitationes tuæ*, quam numerosæ eorum summæ, seu computationes.

18. (*q*) Si numerem Tecum, Hieron. *Evigilavi, & adhuc sum tecum*: Stabo ad considerandum, nec comprehendam. Postquam me diu & multum exercui in illa meditatione, tandem est admiratio; quantumvis contemplando assurgam, in eodem ignorationis statu coram te permaneo. Hæc ad Christum refert Ecclesia, in Missa de resurrectione.

20. (*r*) Hieron. *Qui contradicent tibi, scelerate elevati sunt*. Sic spiritus superbiæ conversioni fidelium adversatur, atque urbes & domos unde expulsus est, tentat expugnare: sed & frustra Ecclesiam ipsam oppugnat, tametsi plures ejus filios in fraudem illicit.

22. (*s*) Augustin. *Hoc est, perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas*.

23. (*t*) Jam utique probaverat, aut potius illi ostenderat, an iter pietatis insisteret; sed ea probatione sæpius repetita opus erat.

PSALM. CXXXIX. 3. (*a*) Nihil nisi rixas & bella cogitabant.

*Sup. 5. 11. Rom. 3. 13. 4. * Acuerunt linguas suas sicut serpentis: venenum aspidum sub labiis eorum.

5. Custodi me Domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis eripe me.

Qui cogitaverunt supplantare gressus meos.

6. Absconderunt superbi (*b*) laqueum mihi: Et funes extenderunt in laqueum: juxta iter scandalum posuerunt mihi.

7. Dixi Domino: Deus meus es tu: exaudi Domine vocem deprecationis meæ.

8. Domine, Domine virtus salutis meæ: obumbrasti (*c*) super caput meum in die belli.

9. Ne tradas (*d*) me Domine a desiderio meo peccatori: cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.

10. Caput (*e*) circuitus eorum: labor labiorum ipsorum operiet eos.

11. Cadent super eos carbones (*f*), in ignem dejicies eos: in miseriis non subsistent.

12. Vir linguosus non dirigetur (*g*) in terra: virum injustum mala capient in interitu.

13. Cognovi quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum.

14. Verumtamen justi confitebuntur (*h*) nomini tuo: & habitabunt recti cum vultu tuo.

PSALMUS CXL.

Idem fere argumentum quod superioris, estque Psalmus deprecatorius.

1. Psalmus David.

DOmine clamavi ad te (*a*), exaudi me: intende voci meæ, cum clamavero ad te.

2. Dirigatur (*b*) oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

3. Pone Domine custodiam (*c*) ori meo: & ostium circumstantiæ labiis meis.

4. Non declines (*d*) cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.

Cum hominibus operantibus iniquitatem; & non communicabo cum electis eorum.

5. Corripiet (*e*) me justus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum:

6. Absorpti sunt (*f*) juncti petræ judices eorum.

Audient verba mea, quoniam potuerunt:

7. Sicut crassitudo terræ erupta est super terram (*g*).

Dissipata sunt ossa nostra secus infernum:

8. Quia ad te Domine, Domine oculi mei: in te speravi, non auferas animam meam.

9. Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi: & a scandalis operantium iniquitatem.

10. Cadent in retiaculo ejus (*h*) peccatores: singulariter sum ego, donec transeam.

PSALMUS CXLI.

In tot angustiis constitutus ad Deum se recipit, & orat ut liberetur a periculo. Hic Psalmus, teste Chrysostomo, in Ecclesia Orientali quotidie cantabatur ad Vesperam, ut sordes ex variis occupationibus contractæ hac oratione eluerentur.

1. Intellectus David,

Cum esset in spelunca oratio. (1. *Reg.* 24.)

2. VOce mea ad Dominum clamavi (*a*): voce mea ad Dominum deprecatus sum: Sup. 76. 2.

3. Effundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio (*b*).

4. In deficiendo (*c*) ex me spiritum meum, & tu cognovisti semitas meas.

In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.

5. Con-

6. (*b*) Hieronym. Funibus extenderunt rete: *Juxta semitam*, propter semitam mandatorum Dei, ut ob ea deflectamus.

8. (*c*) Quasi protento brachio me teges clypeo tuo, qui est firma in Deum spes & fides, quæ salutem a sola Dei virtute expectant. Hebr. *Qui operis caput meum in die armorum*: Tu mihi es instar galeæ.

9. (*d*) Ne finas me tradi a desiderio meo peccatori, ne concupiscentia me pertrahat in malum; vel præter spem meam & desiderium ne tradas me peccatori: Hebr. *Ne des, Domine, desideria impii*. Disturba consilia eorum, aliuqui superbient. Desiderium eorum eo tendit, ut me perdant: sed ne derelinquas me, ne forte exaltentur, ne superbiant, & prævaleant contra me.

10. (*e*) Caput circumvenientium me, seu Achitophel, seu quivis sit alius: *Labiorum*. Exquisita eorum consilia operient eos, seu involvent eos. Alii vertunt, *Venenum circumvenientium me operiet eos*. In ipsos recidant calumniæ, quibus exitium mihi struunt. Nam vox Hebræa, *Rosch*, ראש, quæ hic *caput*, alibi *amaritudinem*, aut venenum significat, ut in Psalmo 68. vel demum, insidiæ, quibus impii per distortas vias circumveniunt me, eos oppriment.

11. (*f*) Æterna impiorum supplicia indicantur: *Non subsistent*, Sustinere illa non poterunt, ferre tamen cogentur. Hebr. *Ne resurgant*, ne emergant: e quibus emergere non possint. Jam in hac vita impii his carbonibus tribulationum sunt obnoxii, quibus non purgantur ut justi, sed consumuntur.

12. (*g*) Hebr. Non *firmabitur*, non prosperabitur.

14. (*h*) Antithesis justorum, & impiorum: illi laudabunt nomen Domini: *Cum vultu tuo*. Hebr. *Habitabunt justi cum vultu tuo*: In conspectu tuo vivent perpetuo; vel Deus eorum curam suscipiet.

PSALM. CXL. 1. (*a*) Hilar. *Fides ad eum, non vocis clamat*.

2. (*b*) Ut ad Deum recta tendat, sitque velut incensi sacrificium, cum vespere offertur.

3. (*c*) Nam tanta est linguæ volubilitas, ut solo Dei timore & amore retineri possit: cum autem e corde nascantur verba, mox subjicit.

4. (*d*) Ne finas cor meum deflectere: *Ad excusandas*: Hebr. *Admittens pravas actiones*, vel ad patranda mala opera.

5. (*e*) August. *Falsa laus adulatio est, emendari se vult misericorditer potius, quam laudari fallaciter: In beneplacitis*, pro *In beneplacita*; stabo & orabo adversus eorum iniquitates: vel oratio mea perseverat adversus eorum malitiam.

6. (*f*) Hebr. *Dejiciantur in locis petrosis*: ego quidem divino præsidio fui tamquam petra durissima, ad quam principes eorum allisi sunt, & fracti: peribunt judices, a quibus promiscuum vulgus deceptum est: *Quoniam potuerunt*. Hebr. *Quoniam dulcia facta sunt*: vel ad eorum aures pervenerunt, atque in glebæ terræ pinguis hac illac sunt dispersæ.

7. (*g*) Hieron. *Sicut agricola cum scindit terram, sic dissipata sunt ossa nostra in ore inferni*: ut gleba exsiccata aratri vomere invertitur, & scinditur, sic ossa nostra sunt dissipata, ita ut morti essem proximus.

10. (*h*) *Suo*, est singularis numerus pro plurali: *Singulariter*, Hieron. *Unus ego donec transeam*: Secretus ab impiis, eorum ruina non involvar. Nullum mihi cum iis est commercium, donec ulterius pergam, aut moriar, juxta Chrysost.

PSALM. CXLI. 2. (*a*) August. *Homo ergo interior, in quo cœpit Christus habitare per fidem, voce sua, non strepitu labiorum, sed in affectu cordis clamet ad Dominum*.

3. (*b*) Hieron. *Annunciabo*. Exponam preces ad Deum, fundam non frigidam orationem, sed ardentem. Augustin. *In persecutione positus loquitur*.

4. (*c*) Hieron. *Cum anxius fuerit in me spiritus meus*. *Semitas*, Tu cognovisti vias, e quibus me expedires.

5. Considerabam (*d*) ad dexteram, & videbam: & non erat qui cognosceret me.

Periit fuga a me, & non est qui requirat animam meam.

6. Clamavi ad te Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viventium.

7. Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis.

Libera me a persequentibus me: quia confortati sunt super me.

8. Educ (*e*) de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi.

PSALMUS CXLII.

Psalmus est deprecatorius, qui inter pœnitentiales numeratur, atque homini convenit, qui pœnitentia ductus divinum implorat auxilium.

Psalmus David,

1. Quando persequebatur eum Absalom filius ejus. (2. *Reg.* 17.)

DOmine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua justitia (*a*).

2. Et non intres in judicium (*b*) cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

3. Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris (*c*) sicut mortuos sæculi:

4. Et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

5. Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

6. Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi:

7. Velociter exaudi me Domine (*d*): defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: & similis ero descendentibus in lacum.

8. Auditam fac mihi mane (*e*) misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

9. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi:

10. Doce me (*f*) facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam:

11. Propter nomen tuum Domine vivificabis me, in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam:

12. Et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

PSALMUS CXLIII.

Additum est Adversus Goliath: *nonnullis placet de victoria adversus Goliath reportata ad litteram esse intelligendum; quamquam videtur obstare versus* 3. Qui subdit populum meum sub me. *Etsi brevi post tempore factus est dux militia. De vana mundi felicitate differit David: quin & de Christi victoria exponi optime potest.*

Psalmus David.

1. Adversus Goliath.

BEnedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium (*a*), & digitos meos ad bellum.

2. Misericordia mea, & refugium meum: susceptor meus, & liberator meus:

Protector meus, & in ipso speravi: qui subdit populum meum sub me.

3. Domine quid est homo, quia innotuisti ei (*b*)? aut filius hominis, quia reputas eum?

4. Homo vanitati similis factus est: * dies ejus sicut umbra prætereunt. * Job 8. 9. & 14. 2.

5. Domine inclina (*c*) cælos tuos, & descende: tange montes, & fumigabunt.

6. Fulgura coruscationem, & dissipabis eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.

7. Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum,

8. Quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.

9. Deus canticum novum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi.

10. Qui das salutem regibus: qui redemisti David servum tuum de gladio maligno:

11. Eripe me.

Et erue

---

5. (*d*) Hieron. Respice ad dexteram, respice me propitius. *Requirat*, Qui me salvum velit. Hæc verba Christo in cruce pendenti applicat Ecclesia. Considerabam an aliquis mihi in auxilium veniret. *Periit fuga a me*. Hebr. *Perierat effugium a me*, Quo effugerem non habebam, *nec erat qui requireret animam meam*, ut eriperet, aut succurreret.

8. (*e*) Finem impone calamitati meæ, & præbe mihi exitum e spelunca propterum: aut forte custodiam militum Saulis intelligit, qui locum obsidebant: *Justi*, Bonorum conventus: *Mihi*. Bona pro tot adversis.

PSALM. CXLII. 1. (*a*) Non stricta illa, quam nemo ferre posset, sed benignitate temperata. Hinc Chrysostomus legit, *In tua misericordia*.

2. (*b*) Noli mecum severo judicio contendere.

3. (*c*) De persecutione Absalonis forte loquitur, quia humiliatus est ad terram usque, sicut mortui a multis sæculis obscurantur.

7. (*d*) August. *Impleat me Spiritus tuus, quia defecit spiritus meus*. *Non avertas*: August. *Avertisti a superbo, redde humili*: *In lacum*, Ne sim similis descendentibus in lacum.

8. (*e*) Fac ut apud me celeriter sentiam misericordiam tuam.

10. (*f*) August. *Si me non docueris, faciam voluntatem meam. & deferet me Deus meus: non enim tu eris Deus meus, & ego ero magister meus*. *Spiritus*, Spiritus Sanctus qui Prophetas afflabat. *Rectam*, Per viam rectam, vel in cælestem patriam.

PSALM. CXLIII. 1. (*a*) Sapientia magis quam viribus prostravit Goliath. Unde id Christo magis convenit, qui principem hujus mundi debellavit, quam Davidi; uti & versus 3. de quo diximus in argumento.

3. (*b*) Cui te manifestum fecisti in mysterio Incarnationis. Hebr. *Et agnoscis eum*: Quid agnoscis eum, & curam illius agere digneris. *Reputas*, Quod cogites de eo.

5. (*c*) Figuratus sermo, quo infinuat Deum per fulmina quæ ut sagittas vibret, per dexteram suam adversus hostes populi Dei, notam facere præsentiam suam. Sed in spirituali sensu & gemino inclinavit cælos, quando natura divina cum humana conjuncta fuit in una Verbi persona. August. *Coruscasti miraculis, & dispersisti malam consensionem eorum. Emitte sagittas tuas vulnerentur male sani, ut sanentur bene vulnerati*.

Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorum, dextera iniquitatis.

12. Quorum filii (*d*), sicut novellæ plantationes in juventute sua.

Filiæ eorum compositæ: circumornatæ ut similitudo templi.

13. Promptuaria eorum plena, eructantia (*e*) ex hoc in illud.

Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus suis:

14. Boves eorum crassæ.

Non est (*f*) ruina maceriæ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum.

15. Beatum (*g*) dixerunt populum, cui hæc sunt: beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

PSALMUS CXLIV.

Laus ipsius David: Psalmus laudatorius compositus ab ipso David: estque alphabeticus, licet littera Nun *desit, nec deest tamen apud* LXX. *Hinc colligit Bellarminus textum Hebræum in nonnullis locis fuisse vitiatum; extollit spera Dei gloriosa.*

1. Laudatio ipsi David.

EXaltabo te Deus meus rex: & benedicam (*a*) nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

2. Per singulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

3. Magnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis ejus non est finis (*b*).

4. Generatio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronuntiabunt.

5. Magnificentiam (*c*) gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabunt.

6. Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt.

7. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt: & justitia tua exultabunt (*d*).

8. Miserator & misericors Dominus (*e*): patiens, & multum misericors.

9. Suavis Dominus universis: & miserationes ejus super omnia opera ejus (*f*).

10. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: & Sancti tui benedicant tibi.

11. Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur:

12. Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui.

13. Regnum tuum regnum omnium sæculorum: & dominatio tua in omni generatione & generationem.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis (*g*).

14. Allevat Dominus omnes, qui corruunt: & erigit omnes elisos (*h*).

15. Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das escam (*i*) illorum in tempore opportuno.

16. Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione.

17. Justus Dominus in omnibus viis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.

18. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum: omnibus invocantibus eum in veritate (*k*).

19. Voluntatem timentium se faciet (*l*), & deprecationem eorum exaudiet: & salvos faciet eos.

20. Custodit Dominus omnes diligentes se: & omnes peccatores disperdet.

21. Laudationem Domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini sancto ejus in sæculum, & in sæculum sæculi.

PSALMUS CXLV.

Prima vox est in Hebræo, reliqua in Græcis & Latinis: ac de restauranda Jerusalem videtur compositus, & de spe nostra in Deo collocanda.

1. Alleluja, Aggæi, & Zachariæ.

2. LAuda anima mea Dominum (*a*), * lau- * Sup. 144. 2.
dabo Dominum in vita mea: psallam
Deo meo quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus:

3. In filiis hominum (*b*), in quibus non est salus.

4. Exi-

12. (*d*) Hieron. *Ut sint filii nostri*, & ita per reliquum Psalmum, nostro pro eorum vertit, utrumque sensu optimo: nam docet impios frustra opibus suis confidere, & bonos in ita felicitatem suam non reponere. *Filiæ*. Hebr. *Filiæ nostræ quasi anguli excisi*: ornati ut sunt lapides angulares, quos omni cura perpoliebant: *Templi*, Sculpturis exornati. In Hebræo ista ad Judæos referuntur. Filii nostri adolescant ut plantæ recentes. filiæ nostræ sint ornatæ, cellæ nostræ sint plenæ.

13. (*e*) Tanta copia ut in alia se diffundant. Oves Hieron. *In millibus multiplicantes*: *Egressibus*, In compitis, cum exeunt: Hebr. *In plateis*.

14. (*f*) Tuta sunt omnia in tectis, in urbibus, nulla labes in stabulis, neque clamor tumultuantium, nullus sit clamor luctuosus.

15. (*g*) August. *Qui dicemus, non est ista felicitas? Sit licet, sed sinistra. quid est sinistra? temporalis, mortalis, corporalis. nolo illam ut diffugeas, sed neque dexteram putes: non enim isti ideo maligni, ideo vani, quia hæc abundabant, sed quia id, quod sinistrum esse debuit, in dextera ponebant; sinistra utamur ad tempus, dexteram desideremus in æternum.*

PSALM. CXLIV. 1. (*a*) August. *Qui laudare non vult in transitu hujus sæculi, obmutescet cum venerit sæculum sæculi.*

3. (*b*) Hieron. *Et magnificentiæ ejus non est investigatio*. Humano sensu capi non potest.

5. (*c*) Gloriosam magnificentiam.

7. (*d*) Ea justitia qua homines justificat per Jesum Christum. August. *Nemo quasi tribuat Deo, quia est, ut sibi retribuat, quia justus est: melius est enim quod tibi vis tribuere, quam quod illi. Quid ergo, nos non bene operamur? imo operamur, sed quomodo? Ipso in nobis operante.*

8. (*e*) August. *Merita tua nusquam jactes, quia ipsa merita illius dona sunt*: Patiens, August. *Misericors & miserator Dominus, in his quibus veniam dedit; in his quibus non adhuc dedit, longanimis; non damnans, sed expectans.*

9. & 10. (*f*) Effundantur: *Confiteantur*, verba enim deficiunt.

13. (*g*) Deest hic versus in Hebræo, uti dictum est, cum desit littera nun, נ, huic propria, cui respondet, Neeman, נאמן, *fideles*, vertitur apud LXX. Qui habitare vult cum Deo, veritatem in verbis, & sanctitatem in actionibus suis exhibeat.

14. (*h*) Utrumque sic exponit Chrysostomus, ut voce illa, *Omnes*, cujusvis conditionis homines, servi & liberi intelligantur. Hebr. *Erigit omnes incurvatos*, corruentes.

15. (*i*) Ad Eucharistiam fideles hæc verba referunt; providentiam quoque Dei commendat.

18. (*k*) Qui non aliud quærunt, quam Deum ipsum. Aug. *Aliud ab illo quærunt, non ipsum quærunt: ergo si bonus est Deus, quia ista tibi dedit, quanto beatior eris, cum seipsum tibi dederit?*

19. (*l*) Non enim aliud volunt, quam idipsum quod vult, & jubet Deus.

PSALM. CXLV. 2. (*a*) Augustin. *Deliciæ spiritus nostri divina Cantica, & fletus sine gaudio non est.*

3. (*b*) Hieron. *In filio hominis*, in quo, seu potentiori, seu teniuori, noli confidere.

4. Exibit spiritus ejus (*c*), & revertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

5. Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius:

Act. 14. 14. Apoc. 14. 7. 6. * Qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.

7. Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus: dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos:

8. Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos.

9. Dominus custodit advenas, pupillum & viduam suscipiet: & vias peccatorum disperdet.

10. Regnabit Dominus in sæcula (*d*), Deus tuus Sion in generationem & generationem.

PSALMUS CXLVI.

Idem videtur argumentum quod superioris, exhortatio nimirum ad Dei laudes celebrandas, idque ad instaurationem urbis referri videtur; ut ex vers. 2. colligi potest.

1. Alleluja.

Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus (*a*): Deo nostro sit jucunda, decoraque laudatio.

2. Ædificans (*b*) Jerusalem Dominus: dispersiones Israelis congregabit.

3. Qui sanat (*c*) contritos corde: & alligat contritiones eorum.

4. Qui numerat multitudinem stellarum: & omnibus eis nomina vocat.

5. Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus: & sapientiæ ejus non est numerus.

6. Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores usque ad terram.

7. Præcinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara.

8. Qui operit (*d*) cælum nubibus: & parat terræ pluviam.

Qui producit in montibus fœnum: & herbam servituti hominum.

9. Qui dat jumentis escam ipsorum: & pullis corvorum invocantibus eum.

10. Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibiis viri (*e*) beneplacitum erit ei.

11. Beneplacitum est Domino super timentes eum: & in eis, qui sperant super misericordia ejus.

PSALMUS CXLVII.

Reliqui Psalmi per continuatam apostrophen creaturas omnes ad laudes Dei celebrandas adhortantur.

Alleluja.

12. Lauda Jerusalem (*a*) Dominum: lauda Deum tuum Sion.

13. Quoniam confortavit seras (*b*) portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te.

14. Qui posuit fines tuos pacem (*c*): & adipe frumenti satiat te.

15. Qui emittit eloquium suum terræ (*d*): velociter currit sermo ejus.

16. Qui dat nivem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.

17. Mittit crystallum suam (*e*) sicut buccellas: ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

18. Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.

19. Qui annuntiat verbum (*f*) suum Jacob: justitias & judicia sua Israel.

20. Non fecit taliter omni nationi: & judicia sua non manifestavit eis. Alleluja.

PSALMUS CXLVIII.

Homines & Angelos invitat, ut omnes una cum ipso laudes sui Conditoris celebrent.

1. Alleluja.

Laudate Dominum de cælis: laudate eum in excelsis.

2. Laudate eum omnes Angeli ejus: laudate eum omnes virtutes ejus (*a*).

3. Laudate eum sol & luna: laudate eum omnes stellæ, & lumen.

4. * Laudate eum cæli cælorum: & aquæ (*b*) omnes, quæ super cælos sunt, *Dan. 3. 59. 60.*

5. Laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.

6. Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & non præteribit.

7. Lau-

4. (*c*) Filii hominis: *Et revertetur*, ipse homo: quod ex diverso vocum genere colligitur. Hebr. *Egreditur spiritus ejus*, aut vitalis flatus, seu respiratio, aut potius immortalis spiritus, qui habitat in carne. Eccles. 12. *Peribunt*, Irritæ diffluent ejus cogitationes.

10. (*d*) Utrumque regnum Christi, & temporale in Ecclesia, & æternum in cælo potest intelligi. Versus 7. optime convenit in Christi tempora: nam compediti dicuntur qui morbis tenentur: pro *Elisos* habemus in Hebræo *curvatos*, seu *paralyticos*.

PSALM. CXLVI. 1. (*a*) August. *Non solum vox tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordent cum voce tua*. *Laudatio*, August. *Audi, quomodo erit Deo nostro jucunda laus, si bene vivendo laudetur*.

2. (*b*) Hæc indicant tempora instauratæ Jerusalem a Nehemia: *Dispersiones Israelis congregabit*, spiritali sensu Ecclesiam designat.

3. (*c*) August. Contritum *sanabitur*, *elidetur elatum*.

8 (*d*) Fames, extructo templo, in copiam versa est: Aggæi 2.

10. (*e*) Non in corporis robore, neque in equestri arte salus posita est, sed in benignitate Domini. Augustin. *Ergo sic time Dominum, ut speres in misericordia ejus: vis ab ipso fugere? ad ipsum fuge: vis fugere ab irato? fuge ad placatum?*

12. (*a*) Instaurata, quod utique ad Ecclesiam facile transferri potest. PSALM. CXLVII.

13. (*b*) Hieron. *Vectes*, ita ut nihil metuat ab hostibus. Ecclesiam virtute Crucis adversus portas inferi munivit: *Benedixit*, Pacem Spiritus sancti in medio persecutionum dedit

14. (*c*) Pacavit fines tuos. *Satiat te*, Pura farina, aut similagine; satiat te nimirum pane vitæ.

15. (*d*) Misit verbum prædicationis per Apostolos.

17. (*e*) Vox Hebræa Care, קרח, glaciem significat: Hanc uti & grandinem flatu suo solvit. Captivitatis mala tamquam diuturnam hiemem describit. *Buccellas*, Ut fragmenta.

19. (*f*) Imperium. In fine hujus Psalmi est *Alleluja*; in Hebr. ut in reliquis Psalmis est in principio & in fine.

2. & 3. (*a*) Hieron. *Exercitus*, Angeli: *Et lumen*, Hieron. *Stellæ luminis*, luminosæ. PSALM. CXLVIII.

4. (*b*) Seu nubes, de quibus in sequentibus, seu veræ sint aquæ in cælo, seu corpora liquida.

7. Laudate Dominum de terra, dracones (*c*) & omnes abyssi.

8. Ignis, grando (*d*), nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum ejus:

9. Montes, & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri.

10. Bestiæ, & universa pecora: serpentes, & volucres pennatæ:

11. Reges (*e*) terræ, & omnes populi: principes, & omnes judices terræ.

12. Juvenes, & virgines: senes cum junioribus laudent nomen Domini:

13. Quia exaltatum est nomen ejus solius.

14. Confessio (*f*) ejus super cælum & terram: & exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus sanctis ejus: filiis Israel, populo appropinquanti sibi. Alleluja.

PSALMUS CXLIX.

Propheta invitat populum suum Israel, & in ejus persona Christianos, ut novum canans canticum in gratiarum actionem.

1. Alleluja.

CAntate Domino canticum novum: laus ejus in ecclesia (*a*) sanctorum.

2. Lætetur Israel in eo, qui fecit eum: & filii Sion exultent in rege suo.

3. Laudent nomen ejus in choro: in tympano (*b*), & psalterio psallant ei:

4. Quia beneplacitum (*c*) est Domino in populo suo: & exaltabit mansuetos in salutem.

5. Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.

6. Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladii ancipites (*d*) in manibus eorum:

7. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.

8. Ad alligandos reges (*e*) eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.

9. Ut faciant in eis judicium conscriptum (*f*): gloria hæc est omnibus sanctis ejus. Alleluja.

PSALMUS CL.

Omnem spiritum ad Deum omni musicâ genere laudandum invitat.

1. Alleluja.

LAudate Dominum in sanctis ejus (*a*): laudate eum in firmamento virtutis ejus.

2. Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

3. Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio, & cithara.

4. Laudate eum in tympano, & choro (*b*): laudate eum in chordis, & organo.

5. Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis:

6. Omnis spiritus laudet Dominum. Alleluja.

7. (*c*) Pisces prodigiosi: quæ nota sunt, laudant Deum, quod immissa sint a Deo, ut ejus justitiam commendent.

8. (*d*) Augustin. *Totum attende, totum lauda; qui ergo disposuit membra vermiculi, non gubernat nubes? Et si nos non intelligimus quid quare fiat, demus hoc providentiæ ipsius, quia non fit sine caussa. Quasi si intrares in officinam fabri, non auderes reprehendere incudes, malleos. In officina non audes reprehendere fabrum, & audes reprehendere in hoc mundo Deum.*

11. (*e*) August. *Explicata est laus de cælo, explicata est laus de terra. Quia exaltatum est nomen ejus solius. Nemo omnium quærat exaltari nomen suum: vis exaltari? illi te subde, qui non potest humiliari.*

14. (*f*) August. *Ipse regit, ipse fecit, ipsius nutu gubernantur, ipse crastinat tempora.* Hymnus, Hebr. Laus omnibus: Laus decet pios omnes.

PSALM. CXLIX. 1. (*a*) In sanctuario, in templo.

3. (*b*) Vox Hebræa Top, תף, & chorum, & fistulam seu tibiam significat.

4. (*c*) Quod singulari benevolentia eos complexus fuerit. In salutem, August. *Exaltantur enim superbi, sed non in salutem; mansueti in salutem, superbi in mortem.*

6. (*d*) In urbis instauratione. August. *Duo testamenta ad gladium bis acutum pertinent; vetus Testamentum terrena promittit, novum æterna. In utroque sermo Dei verax inventus est: Deum laudabant, & adversus hostes se tuebantur.*

8. (*e*) Augustin. *Nam timore incipiat homo Deum colere, non pervenit ad amorem. Potentes autem mundi, reges, nobiles nisi Deum timeant, quid timebunt? Nondum diligunt justitiam, sed timent pœnam, & timendo pœnam jam accipiunt compedes, & in vinculis ferreis erudiuntur.*

9. (*f*) August. *Quia ista antea conscripta sunt, & modo complentur.* Hebræismus, ut sumant de iis pœnas juxta legis scriptum, in qua ut gentes delerent, mandatum illis erat.

PSALM. CL. 1. (*a*) Hebr. In sancto, vel in templo.

4. (*b*) Est tibiæ genus, non cœtus canentium, ut plerisque videtur. August. *Nec prætereundum existimo quod musici dicunt, & res ipsa manifesta est, tria esse genera sonorum, voce, flatu, & pulsu: Voce, ut est per fauces & arterias sine organo aliquo cantantis hominis, flatu, sicut per tibiam, vel quid ejusmodi; pulsu, per citharam, vel quid ejusmodi. Nullum itaque genus hic prætermissum est: nam vox est in choro, flatus in tuba, pulsus in cithara: tamquam mens, spiritus, corpus, sed per similitudines, non per proprietates.* Omnis spiritus, quidquid spirat, sed homines in primis intelliguntur.



IN

IN LIBRUM PROVERBIORUM

Præfatio.

QUI proxime consequuntur quinque Libri, hi solent Sapientiæ nomine insigniri, quod ad cælestis sapientiæ studium nos accendant, & optima morum institutio his Libris contineatur. Ex iis tres primi Salomonem habent Auctorem, atque in canonem Judæorum sunt adscripti; nimirum Proverbiorum Liber, Ecclesiastes, & Canticum Canticorum. Reliquos duos, Librum scilicet Sapientiæ & Ecclesiasticum, ut Sacros & Canonicos agnoscit Ecclesia.

Tres Salomonis Libri hoc ordine disponuntur, ut primus sit Proverbiorum, quem excipit Ecclesiastes, postremus sit Canticum Canticorum.

De Auctore Libri Proverbiorum dubitare nobis non licet, cum Salomon in ipso limine se ipsum auctorem operis profiteatur: Parabolæ Salomonis filii David, Regis Israel; *idque confirmatur ex ipso cap. 25. exordio:* Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Juda. *Atque hæc leguntur non solum in LXX. Interpretibus, sed etiam in textu Hebraico. Ex iis verbis aperte colligitur, superiores Parabolas esse Ezechia vetustiores, & a Salomone perfectas; sed ab Ezechiæ ministris collectas & descriptas fuisse, quæ sequuntur usque ad caput trigesimum.*

Itaque id valde est probabile, quod Illustr. Huetius propositione IV. Demonstrationis Evangelicæ tradit, hanc Parabolarum collectionem factam esse diversis temporibus. Nam ante captivitatem Babylonicam ter mille Parabolæ Salomonis in templi tabulariis servabantur: viri studiosi ex iis complures in suos usus exscripserant: incenso templo Esdras aliquot ex iis velut particulas collegit. Id suadet rerum ordo, dummodo postremos versus cap. 24. excipias, qui sede sua emoti variis trajectionibus laborant. Itaque prima capita usque ad vers. 22. cap. 24. talia videntur extare, qualia a Salomone descripta sunt: reliqua ex toto opere decerpta sunt ab Esdra, aut a Synagoga magna, aut potius ab utrisque; idque omne factum est dictante & disponente Spiritu Sancto.

Prima quidem capita ad decimum usque sunt fere parænetica, atque in iis Salomon ad cælestis sapientiæ studium nos adhortatur, illius utilitatem & excellentiam in primis commendans, ut in primo cap. vers. 5. Audiens sapiens sapientior erit. *Cum enim homo Deum audit in Scripturis, & Ecclesiam in traditione, tum eam adipiscitur intelligentiam de qua Aug. Tract. 6. in Joannem:* Fides mundat te, ut intellectus impleat te.

Et sane si hunc Proverbiorum Librum intento animo & docili, ut par est, evolvamus, nihil fere in universa morum disciplina, nihil in tripartita & usitata Philosophiæ Moralis divisione occurret, quod desiderari merito possit: seu privatam cujusque vitam, virtutum studium, & vitiorum fugam; seu familiæ regendæ artem œconomicam; seu denique politicum regimen spectemus. Exempla in hanc rem luculenta profert Meldensis Antistes, quæ in ejus præclara & erudita præfatione legi possunt.

Hæc veræ & salutaris prudentiæ præcepta Salomon stylo simplici & candido, in sacris Scripturis usitato, mira varietate, exquisitis similitudinibus, & vivis imaginibus ornato, sic tradit, ut nihil ad persuadendum aptius, nihil ad movendum efficacius afferri queat. Accedit illud quoque vel maximum quod illa veræ sapientiæ inconcussa fundamenta ponat, purum Dei cultum, timorem ejus, pietatem & humilitatem. Hinc illa: Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & *quæ sequuntur in eodem cap. 6.* In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget

diriget gressus tuos: Ne sis sapiens apud temetipsum: Time Deum, & recede a malo.

Brevitas sententiarum res ipsas altius infigit memoriæ & intellectu faciliores efficit. Minus excidit veritas brevi complexu verborum expressa, & fortius afficit animum, quam eadem per longas verborum & rationum ambages diducta. Veritas ipsa lucet per sese, & melius percipitur, quam vanis ornamentis, & aliunde repetitis involuta. Hæ sententiæ, quasi totidem aculei pectori altius infiguntur, conscientiam ipsam percellunt acrius, cum sese dat occasio, ultro sese memoriæ offerunt, mores & actiones nostras instar legum regunt, & vitæ rationem omnem cujuslibet ætatis & conditionis gubernant. Atque in hoc genere Parabolæ Salomonis præ aliis omnibus excellunt, cum varietate, magnitudine, & utilitate rerum, tum sublimitate sermonis. Summa in iis lucet sapientia; ubique æquitas, veritas, nativa simplicitas se produnt. Non leves, ut in plerisque Philosophis, non ultra modum elatæ, sed omnium pene animis aptæ sunt & accommodatæ; exquisitas & reconditas mollis & pellucens vestit oratio: nihil in iis humile nimis, aut summissum. Quæ ad cultum Dei, & morum innocentiam spectant, prudentiæ regulas, regendæ familiæ, aut civitatis præcepta stylo simplici, sed sublimi sic tradunt, ut unaquæque sententia brevi verborum comprehensione sensum integrum expleat.

CAPUT PRIMUM.

Parabolarum utilitas: sapientia ad sui amplexum invitat, & contemptoribus minatur exitium.

1.  ARABOLÆ (*a*) Salomonis, filii David, regis Israel.

2. Ad sciendam (*b*) sapientiam, & disciplinam:

3. Ad intelligenda verba prudentiæ, & suscipiendam eruditionem doctrinæ, justitiam, & judicium, & æquitatem.

4. Ut detur parvulis (*c*) astutia, adolescenti scientia & intellectus.

5. Audiens sapiens, sapientior erit: & intelligens, gubernacula possidebit.

6. Animadvertet parabolam, & interpretationem, verba sapientum & (*d*) ænigmata eorum.

*Psal.110.10. Eccli.1.16. 7. * Timor Domini (*e*), principium sapientiæ. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt.

8. Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ:

9. Ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.

10. Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis.

11. Si dixerint: Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem (*f*) frustra:

12. Deglutiamus eum sicut infernus viventem, & integrum quasi descendentem in lacum.

13. Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis.

14. Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum.

15. Fili mi, ne ambules cum eis; prohibe pedem tuum a semitis eorum.

16. * Pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant ut effundant sanguinem. *Isa.59.7.

17. Frustra autem (*g*) jacitur rete ante oculos pennatorum.

18. Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas.

19. Sic

CAPUT I. 1. (*a*) *Parabolæ*, hoc loco sententias graves significant, seu comparationem habeant adjunctam, seu plane sint & apertæ, seu sententiæ Salomonis similitudinibus illustrentur. Hebraice *Misle*, משלי sive *Parabola*, aut *similitudines* inscribuntur: ac titulus more veterum Scriptorum cum textu ipso conjungitur. *Parabola* a verbo παραβάλλω, *comparo*: est enim Parabola, cum unum alteri comparatur, vel cum unum ex altero propter similitudinem insinuatur. *Parœmia vero*, seu *Proverbium*, inquit Basilius, *apud nos est sermo utilis cum moderata obscuritate conjunctus*. Quamquam solet pro vetere & trita sententia usurpari, ac sæpe hæ voces confunduntur. Verbum Dei, ut ejus providentia ad omnes æque pertinet: id assequi scribendo non potuerunt Philosophi, qui perpaucis utilia scripserunt: sed Scriptura sacra magnis juxta & parvulis utilis est. Quæ ad morum informationem & prudentiam spectant, his sententiis ita continentur, ut ad pietatem & cultum Dei referantur.

2. (*b*) *Sapiens est cui Deus sapit*. Bern in Cant. serm 85. Sapientia ad perfectiores, disciplina ad rudiores videtur pertinere. Vox cum Hebræa, tum Græca eruditionem cum correptione conjunctam significat.

4. (*c*) Iis scilicet, qui facile in errorem inducuntur: *parvulis*, simplicibus, non tam ætate, quam sensu. *Astutia*, circumspectio.

6. (*d*) Solent enim sapientes symbolis velare sapientiam, ne si pateat omnibus, vilescat: in ænigmate quæstio obscura verborum involucris tegitur. Ut in mundi conditione & regimine, sic in Scripturis Deus se manifestat, simul & absconditur, ut humilibus innotescat, superbos lateat.

7. (*e*) Græce, ἀρχή: quæ vox *initium* & *principatus* significat; illud timori servili, hoc filiali convenit. Magna est insania sapientem esse erga omnes, erga Deum esse insipientem.

11. (*f*) Vox Hebræa significat *gratis*: etiamsi nulla in re violati simus; *frustra*, etiam pro *impune* interdum usurpatur.

17. (*g*) Laqueos insidiantium facile evades meis monitis eruditus: *Frustra*, hoc loco idem est quod *immerito*.

19. Sic femitæ omnis avari, animas poffidentium rapiunt.

20. Sapientia foris (*h*) prædicat, in plateis dat vocem fuam:

21. In capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba fua, dicens:

22. Ufquequo parvuli diligitis infantiam, & ftulti eam, quæ fibi funt noxia, cupient, & imprudentes odibunt fcientiam?

23. Convertimini (*i*) ad correptionem meam: en proferam vobis fpiritum meum, & oftendam vobis verba mea.

Ifa. 65. 12. & 66. 4. Jer. 7. 13. 24. * Quia vocavi, (*k*) & renuiftis: extendi manum meam, & non fuit qui afpiceret.

25. Defpexiftis omne confilium meum, & increpationes meas neglexiftis.

26. Ego quoque in interitu veftro ridebo, & fubfannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit.

27. Cum irruerit repentina (*l*) calamitas, & interitus quafi tempeftas ingruerit: quando venerit fuper vos tribulatio, & anguftia.

28. Tunc invocabunt me, & non exaudiam: mane confurgent, & non invenient me:

29. Eo quod exofam habuerint difciplinam, & timorem Domini non fufceperint,

30. Nec acquieverint confilio meo, & detraxerint univerfæ correptioni meæ.

31. Comedent igitur fructus viæ fuæ, fuifque confiliis faturabuntur.

32. Averfio (*m*) parvulorum interficiet eos, & profperitas ftultorum perdet illos.

33. Qui autem me audierit, abfque terrore requiefcet, & abundantia perfruetur, timore malorum fublato.

CAPUT II.

Sapientia acquifitio quot bona conferat, quotve avertat mala.

1. Filli mi, fi fufceperis fermones meos, & mandata mea (*a*) abfconderis penes te,

2. Ut audiat fapientiam auris tua: inclina cor tuum ad cognofcendam prudentiam.

3. Si enim fapientiam invocaveris, & inclinaveris cor tuum prudentiæ:

4. Si quæfieris eam quafi pecuniam, & ficut thefauros (*b*) effoderis illam:

5. Tunc intelliges timorem Domini, & fcientiam Dei (*c*) invenies:

6. Quia Dominus dat fapientiam: & ex ore ejus prudentia, & (*d*) fcientia.

7. Cuftodiet (*e*) rectorum falutem, & proteget gradientes fimpliciter,

8. Servans femitas juftitiæ, & vias fanctorum cuftodiens.

9. Tunc intelliges (*f*) juftitiam, & judicium, & æquitatem, & omnem femitam bonam.

10. Si intraverit fapientia cor tuum, & fcientia animæ tuæ placuerit:

11. Confilium cuftodiet te, & prudentia fervabit te,

12. Ut eruaris (*g*) a via mala, & ab homine, qui perverfa loquitur:

13. Qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebrofas:

14. Qui lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peffimis:

15. Quorum viæ perverfæ funt, & (*h*) infames greffus eorum.

16. Ut eruaris a muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit fermones fuos,

17. Et relinquit ducem pubertatis fuæ,

18. Et pacti Dei fui (*i*) oblita eft: inclinata eft enim ad mortem domus ejus, & ad inferos femitæ ipfius.

19. Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non (*k*) revertentur, nec apprehendent femitas vitæ.

20. Ut ambules in via bona: & calles juftorum cuftodias.

21. Qui enim recti funt, habitabunt in terra: & fimplices permanebunt in ea.

22. * Impii vero de terra perdentur: & qui inique agunt, auferentur ex ea. *Job 18. 7.*

CAPUT III.

Sapientia vitam producit; fiducia in Deum; timor Dei; impiorum perditio, & piorum benedictio.

1. Filli mi, nec oblivifcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuftodiat.

2. Longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi.

3. Mifericordia (*a*) & veritas te non deferant, circumda eas gutturi tuo, & defcribe in tabulis cordis tui:

4. Et

---

20. (*h*) Sapientia prædicavit in mundi creatione & regimine per Scripturas, per Ecclefiam & omnes vitæ hujus eventus.

23. (*i*) Animum advertite ad excipiendam doctrinam meam. *Spiritum*, Senfa mea.

24. (*k*) Et ideo viciffim in interitu veftro ridebo, Manum, Ut vos adjuvarem, aut vobis rectam monftrarem viam.

27. (*l*) Hæc videmus in Judæis impleta, qui fapientiam ipfam ad fe venientem in carne audire noluerunt.

32. (*m*) Averfio a falutaribus monitis perdet illos. *Stultorum*, Gr. *Incauta prodet emptor*. Credunt fibi omnia profpere eventura. Magnæ felicitatis eft a felicitate non vinci Aug. l. in Pfalm 50. *Profperam fortunam fapienti ferre arduum, infipienti & improbo omnino impoffibile.* Juftus quidem fapientiæ monita aufcultat, falvatur timore malorum fublato.

CAP. II. 1. (*a*) Inftar feminis ea mandata recondi debent in animis noftris, ut altas proferant radices.

4. (*b*) *Sapientia in fuperficie non jacet*, Gregor. Lib. 5. Moral. cap. 5. Eo mentis ardore quærenda eft, quo avari pecuniam quærunt.

5. (*c*) Veram fapientiam quæ in cognitione Dei, & vero ejus cultu confiftit, quæque timorem amore temperat; hæc enim eft propriæ fcientia Dei.

6. (*d*) Ex Scripturis facris, & ex traditione divina veram difcimus prudentiam, quæ vitam & actiones noftras regit, ac fcientiam qua novimus, quæ faluti noftræ prodeffe poffunt, aut obeffe.

7. (*e*) Hebr. *Abfcondet rectis falutem*, feu fapientiam: LXX. *Thefaurizabit*, velut thefaurum in eorum bonum recondet.

9. (*f*) Cum Deus tibi dederit fapientiam. *Juftitiam*, Quæ cor ipfum juftificat; *Et judicium*, in difcretione jufti & injufti: *Et æquitatem*, quæ in omnibus actionibus lucet.

12. (*g*) Non finit Deus, ut qui eum folum quærit, a via recta aberret.

15. (*h*) Qui dedecus & infamiam afferunt. *Extranea*, Quæ non fit Hebræa, quæque facile juvenum animos poterat corrumpere.

18. (*i*) Fœderis nuptialis cujus Deus auctor eft, vel pacti quod Deus iniit cum hominibus, in quo cultus veri Dei, & fuga adulterii continetur. *Semitæ*, Hebr. *Et ad vetæ expertes femitæ ejus*. Currit ad idola, in quibus nihil eft vitæ.

19. (*k*) Ad vitam, occifi a meretrice; vel potius ad faniorem mentem non redibunt in voluptates demerfi.

CAP. III. 3. (*a*) Frequens in Scripturis fit mentio utriufque hujus virtutis: ifta impendit proximo gratuita beneficia, hæc Deo & proximo ea præftat officia, quæ ex juftitia debentur. Unde utraque virtus humanam focietatem tuetur, atque iis qui alios regunt eft omnino neceffaria utriufque hujus virtutis temperatio. Nam qui veritatem folam colunt, animos fibi creditos feveritate nimia alienabunt: qui uni mifericordiæ ftudent veritate neglecta, malis non medentur, fed ea fovent.

4. Et invenies gratiam, & disciplinam bonam coram Deo & hominibus.

5. Habe fiduciam in Domino ex toto (*b*) corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.

6. In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.

* Rom. 12. 16. 7. * Ne sis (*c*) sapiens apud temetipsum: time Deum, & recede a malo:

8. Sanitas quippe erit umbilico tuo, & (*d*) irrigatio ossium tuorum.

* Tob. 4. 7. Luc. 14. 13. 9. * Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei:

10. Et implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.

* Heb. 12. 5. Apoc. 3. 19. 11. * Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias: nec deficias cum ab eo corriperis:

12. Quem enim diligit Dominus (*e*), corripit: & quasi pater in filio complacet sibi.

13. Beatus homo, qui invenit sapientiam, & qui affluit prudentia:

14. Melior est acquisitio ejus (*f*) negotiatione argenti, & auri primi, & purissimi fructus ejus:

15. Pretiosior est cunctis opibus: & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.

16. Longitudo dierum (*g*) in dextera ejus, & in sinistra illius divitiæ, & gloria.

17. Viæ ejus viæ pulcræ, & omnes semitæ illius pacificæ.

18. Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam, beatus.

19. Dominus sapientia (*h*) fundavit terram, stabilivit cælos prudentia.

20. Sapientia illius eruperunt (*i*) abyssi & nubes rore concrescunt.

21. Fili mi, ne (*k*) effluant hæc ab oculis tuis: custodi legem atque consilium:

22. Et erit vita animæ tuæ, & gratia (*l*) faucibus tuis.

23. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget:

24. Si dormieris (*m*), non timebis: quiesces, & suavis erit somnus tuus.

25. Ne (*n*) paveas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum.

26. Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris.

27. Noli prohibere benefacere eum, qui potest: si vales, & ipse benefac:

28. Ne dicas amico tuo: Vade, & revertere: cras dabo tibi: cum statim possis dare.

29. Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam.

30. Ne contendas adversus hominem (*o*) frustra, cum ipse tibi nihil mali fecerit.

31. * Ne æmuleris hominem injustum, nec imiteris vias ejus: * Ps. 36. 1.

32. Quia abominatio Domini est omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio ejus.

33. Egestas a Domino in domo impii: habitacula autem justorum benedicentur.

34. Ipse deludet (*p*) illusores, & mansuetis dabit gratiam.

35. Gloriam sapientes possidebunt: stultorum exaltatio (*q*) ignominia.

CAPUT IV.

Sapiens suo exemplo hortatur ad quærendam sapientiam, cujus explicat utilitates: de custodia cordis, oris, & gressuum.

1. Audite filii disciplinam patris, & attendite ut sciatis prudentiam.

2. Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis.

3. Nam & ego filius fui patris mei, tenellus & unigenitus coram (*a*) matre mea:

4. Et docebat me, atque dicebat: Suscipiat verba mea cor tuum, custodi præcepta mea, & vives.

5. Posside sapientiam, posside prudentiam, ne obliviscaris, neque declines a verbis oris mei.

6. Ne dimittas eam, & custodiet te: dilige eam, & conservabit te.

7. Principium sapientiæ, posside sapientiam, & in omni possessione tua, acquire (*b*) prudentiam:

8. Arripe (*c*) illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus.

9. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.

10. Audi fili mi, & suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ.

11. Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis:

12. Quas

5. (*b*) Quasi omnes eventus inde pendeant, non a Deo.

7. (*c*) Alioquin perstringet oculos, non illuminabit, uti sapienti apud Senecam evenit: *Stultum est*, inquit, *optare cum possis a te impetrare, non sunt ad cælum levandæ manus.*

8. (*d*) Bona corporis valetudo: quæ si desit, saltem vim & patientiam in perferenda infirmitate dabit tibi.

12. (*e*) Sic Apostol. Hebr. 12. Nam ad vitam æternam promovet castigatione sua. Pater in filio, quem flagellis emendat, sibi complacet.

14. (*f*) *Negotiatione auri primi & purissimi melior est fructus ejus*: ita enim videntur disponenda verba.

16. & 18. (*g*) In manu ejus sunt longitudo vitæ, divitiæ & gloria. *Lignum vitæ*, Longior vita: arbor vitæ in Paradiso & mortem & morbos arcebat.

19. (*h*) Ab humana transit ad divinam sapientiam, cujus illa participatio quædam est.

20. (*i*) Aquæ maris; vel fontes & flumina, quæ per occultas terræ venas manant.

21. (*k*) Lex Dei ex animis nostris facile excidit, quod cupiditatis pondere cito expellitur, nisi ad eam indesinenter attendamus. *Custodi*. Quod tibi lex & sapientia suggerunt. Hoc si feceris, anima tua vere vivet, sana erit, & vigebit; *Ambulabit fiducialiter*, Secura erit interdiu, & de nocte, sub custodia & tutela Dei.

22. (*l*) Hebr. *Gutturi tuo*: Quasi torque ornabitur collum tuum.

24. (*m*) Somnus justorum tranquillus est, curas inutiles pellit, & absque tumultu. Tertullian. de pallio: *Et unum negotium mihi est, aliud non curo, nisi ne curem.*

25. (*n*) Pagnin. *Non pavebis*, repentino timore.

30. (*o*) Periculosa contentio cum iis qui sunt ditiores, dubia cum æqualibus, turpis est cum inferioribus: noli esse vitiligator.

34. (*p*) Qui alios præ se contemnunt; deridebit derisores & superbos, his opponit mansuetos & humiles.

35. (*q*) Nam e sublimi dignitatis fastigio vitia eorum magis sunt conspicua. Eorum exaltatio coram Deo pondus est, quo deprimantur, non honoris decus.

CAP. IV.

3. (*a*) LXX. *Dilectus in facie matris*, seu coram matre ita dilectus, ac si illi fuissem unicus, eram quasi unigenitus: siquidem notæ comparationis apud Hebræos sæpe reticentur.

7. (*b*) Hebr. *Eme*: Acquire sapientiam quovis pretio & labore: hic enim est modus acquirendæ sapientiam, nulli parcere labori, ejus pretium nosse.

8. (*c*) Amplectere eam; magno conatu opus est, ut ad eam perveniamus, nam animus adversum seipsum pugnare debet: sed paullatim minuitur labor crescente gratia: Sapientia hos illuminat qui eam invocant, firmat qui illam quærunt: sed eorum tantummodo gloria est, qui se totos ei tradunt, eamque amplectuntur: *Et glorificaberis ab ea, cum amplexatus fueris.*

12. Quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.

13. Tene disciplinam, ne dimittas eam: custodi illam, quia ipsa est vita tua.

14. Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via.

15. Fuge ab ea, nec transeas per illam: declina, & desere eam.

16. Non enim dormiunt nisi malefecerint: & rapitur somnus ab eis nisi supplantaverint.

17. Comedunt panem impietatis, & vinum (*d*) iniquitatis bibunt.

18. Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectam diem.

19. Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi corruant.

20. Fili mi, ausculta sermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam.

21. Ne recedant ab oculis tuis custodi ea in medio cordis tui:

22. Vita enim sunt invenientibus ea, & universæ carnis sanitas.

23. Omni custodia (*e*) serva cor tuum, quiâ ex ipso vita procedit.

24. Remove a te os (*f*) pravum, & detrahentia labia sint procul a te.

25. Oculi tui recta (*g*) videant: & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.

26. Dirige semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ (*h*) stabilientur.

27. Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram: averte pedem tuum a malo: vias enim, quæ a dextris sunt, novit Dominus: perversæ vero sunt quæ a sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.

C A P U T V.

Vitare jubet meretricem: propria uxor diligenda, & aliena fugienda est.

1. Fili mi, attende ad sapientiam (*a*) meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam,

2. Ut custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conservent. Ne attendas fallaciæ mulieris.

3. Favus enim (*b*) distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus.

4. Novissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.

5. Pedes ejus descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant.

6. Per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus ejus, & investigabiles.

7. Nunc ergo, fili mi, audi me, & ne recedas a verbis oris mei.

8. Longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus ejus.

9. Ne des (*c*) alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli.

10. Ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena,

11. Et gemas in novissimis, quando consumpseris carnes tuas & corpus tuum, & dicas:

12. Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquievit cor meum,

13. Nec audivi vocem docentium me, & magistris non inclinavi aurem meam?

14. Pene (*d*) fui in omni malo, in medio ecclesiæ & synagogæ.

15. Bibe aquam de (*e*) cisterna tua, & fluenta putei tui:

16. Deriventur (*f*) fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide.

17. Habeto eas (*g*) solus, nec sint alieni participes tui.

18. Sit vena tua (*h*) benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ:

19. Cerva (*i*) charissima, & gratissimus hinnulus: ubera ejus inebrient te in omni tempore, in amore ejus delectare jugiter.

20. Quare seduceris, fili mi, ab aliena, & foveris in sinu alterius?

21. * Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus ejus (*k*) considerat. *Job 14. 16. & 31. 4. & 34. 21.

22. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.

23. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam: & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.

C A P U T VI.

Sponsori ut fidem datam liberet enitendum; pigrum formicæ exemplo excitat ad laborem: apostatam describit; sex quæ Dominus odit.

1. Fili mi, si spoponderis (*a*) pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam,

2. Illa-

17. & 18. (*d*) Iniquæ partum: *Lux splendens*, Justorum semita divino lumine illustratur.

23. (*e*) Affectus concessi sunt a natura ut robur addant animo, quo malum propulset, aut bonum arduum consequatur.

24. (*f*) Abstinendum est a maledictis & ab omni sermone obscœno: non enim tantum vita, sed etiam sermo castus esse debet.

25. (*g*) Explorare ante oportet quæ recta sunt, vel oculorum habenda est cura diligens: sunt enim conciliatores & quasi proxenetæ libidinum

26. (*h*) Hi duo postremi versus desunt in Hebræo: sensus est, incedendum esse recta & regia via. August. Lib. 2. de pecc. meritis & remiss. cap. 35. hæc habet: *Sic hic statuitur liberum arbitrium hominis, cum dicitur. Dirige semitas pedibus tuis, ut gratia simul necessitas insinuetur, cum dicitur, Ipse autem rectos faciet cursus tuos.*

CAP. V. 1. & 2. (*a*) Quam te doceo. *Cogitationis*, Si vis abscondere secretas cogitationes tuas.

3. (*b*) Plautus in Truculento: *In melle sunt linguæ sitæ vestræ, atque orationes, lacteque: corda vestra felle sunt lita: atque acerbo aceto.*

9. (*c*) Hebr. *Ne forte des*: Ne universa bona tua non solum perdas, ut bonam famam, facultates; sed etiam hæc tradas extraneis & inimicis.

14. (*d*) Propemodum in omne genus calamitatum incurri: *In medio*, Cum viverem inter fideles & justos, seu palam & publice, aut pene fui scandalo in Ecclesia

15. (*e*) Uxore tua sis contentus; amor conjugalis perennis est, meretricius, instabilis.

16. (*f*) Quæ a Deo accepisti bona, pauperibus largiaris.

17. (*g*) Aquas, caste custodiendo uxorem, vel bona tua, ne alienis prædæ sint.

18. (*h*) Sapiens unius tantum uxoris meminit, quam unicè vult amari, nec umquam dimitti.

19. (*i*) Multi ejusmodi animalia in deliciis habent. Hebr. *Cerva amorum*: sit tibi uxor tua instar amabilis cervæ, chara, in deliciis unica, blanda, fida marito, verecunda, pudica.

21. (*k*) Vertunt alii, *Librat*, quasi ad libram apponeret sitne rectum an pravum.

CAP. VI. 1. (*a*) Sapiens non deterret ab omni fidejussione, ubi instat necessitas amici: sed duas adhiberi vult cautiones, primum ne temere & præcipitanter, alteram ut quam citissime ab ea obligatione se expediat.

Tom. I.

Pp 3

2. Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus.

3. Fac ergo quod dico, fili mi, & temetipsum libera: quia (*b*) incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum:

4. Ne (*c*) dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ.

5. Eruere quasi damula (*d*) de manu, & quasi avis de manu aucupis.

6. Vade ad formicam (*e*) o piger, & considera vias ejus, & disce sapientiam:

7. Quæ cum non habeat (*f*) ducem, nec præceptorem, nec principem,

8. Parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.

9. Usquequo piger dormies? quando consurges e somno tuo?

* Infr. 24. 33. 10. * Paullulum dormies, paullulum dormitabis, paullulum conferes manus ut dormias:

11. Et veniet tibi quasi (*g*) viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Si vero impiger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas longe fugiet a te.

12. Homo (*h*) apostata, vir inutilis, graditur ore perverso,

13. Annuit (*i*) oculis, terit pede, digito loquitur,

14. Pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat.

15. Huic extemplo veniet perditio sua, & subito conteretur, nec habebit ultra medicinam.

16. Sex sunt (*k*), quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus.

17. Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem,

18. Cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum,

19. Proferentem mendacia, testem fallacem, & eum, qui seminat inter fratres discordias.

20. Conserva fili mi, præcepta Patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.

21. Liga ea in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo.

22. Cum ambulaveris, gradiantur tecum: cum dormieris, custodiant te, & evigilans loquere cum eis.

23. Quia mandatum (*l*) lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ:

24. Ut custodiant te a muliere mala, & a blanda lingua extraneæ.

25. Non concupiscat pulcritudinem ejus cor tuum, nec capiaris nutibus illius:

26. Pretium enim scorti vix est unius (*m*) panis: mulier autem viri pretiosam animam capit.

27. Numquid potest homo abscondere (*n*) ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?

28. Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?

29. Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam.

30. Non grandis est culpa, cum quis (*o*) furatus fuerit: furatur enim ut esurientem impleat animam:

31. Deprehensus quoque reddet (*p*) septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet.

32. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam:

33. Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur:

34. Quia zelus & furor viri non parcet in die (*q*) vindictæ,

35. Nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.

CAPUT VII.

Hortatur adolescentem ad sapientiæ amplexum, & mandatorum custodiam; atque ut scortorum blanditias, quas describit, evitet.

1. FIlli mi, custodi sermones meos, & præcepta mea reconde tibi. Fili

2. Serva mandata mea, & vives: & legem meam quasi pupillam oculi tui:

3. Liga eam in (*a*) digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui.

4. Dic

3. (*b*) Indicat ritum dandæ fidei creditori, porrigendo dexteram, utrimque complosis manibus, *Suscita*: Licebat enim creditori, ni satisfieret, convenire fidejussorem, non convento principali debitore.

4. (*c*) Monumentis Ecclesiæ Græcæ, quæ in lucem edidit, & latine vertit J. B. Cotellerius, olim Collega & amicus noster, homilia Sancti Basilii in hæc Salomonis verba inserta est, ubi Basilius hanc somni & dormitationis differentiam ponit, *quod somnus sit gravis sensuum stupor, dormitatio inchoatio vigiliæ, ac somni. Sunt qui profunda demersi somno donorum Dei oblivione quasi æterno occupantur; alii vero interdum vigilant, interdum velut dormitant.*

5. (*d*) Si defixisti apud extraneum manum tuam, si in manum creditoris manum inferuisti, ipsa fidejussione scito te esse illaqueatum, & quasi vinculis constrictum: da operam ut quamprimum te redimas instar damulæ, quæ celeri fuga & omni conatu se liberat. *Damula, seu Dorcas*, ait Basilius, *animal est acie oculorum valens, ex qua Dorcadis nomen tulit .... Sed & damula sis ad scrutanda ea quæ infra te sunt, & avis ad quærenda sublimia; numquam avis incidat in rete, si naturaliter sibi insita penna aerem secans super terram elevetur .... Noli esse circa mandata Domini otiosus; noli hoc quidem facere, illud vero differre.*

6. (*e*) *Quid contemnis magnum præceptorem? formica te excitet ad operationem*: Basilius.

7. (*f*) Sicut apes, in quibus forma est *Monarchiæ*; in formicis natura formam videtur designasse *Democratiæ* cujusdam, seu popularis regiminis.

11. (*g*) LXX. *Malus viator*, Hebr. *Grassator*, seu latro, qui obsidet itinera; veniet improvisa egestas.

12. (*h*) Hebr. *Belial*, id est, absque jugo, insigniter impius. Ex Græco, qui Deum dereliquit, idem est inutilis: *Perverso*, benigne loquitur & mala cogitat, dum amicitiam simulat, & fraudulenter agit.

13. (*i*) Verbis parcit, nutu loquitur: hæc levitatem animi & cordis pravitatem indicant.

16. (*k*) Hebr. *sex sunt, immo septem*: modus loquendi frequens in Scripturis.

23. (*l*) Quæ nos dirigit in tenebris hujus vitæ: *Disciplina*, increpatio ex disciplina, non ex odio, aut invidia, aut superbia.

26. (*m*) Vile admodum est pretium scorti: ita LXX. sed Hebr. *Quia propter mulierem meretricem usque ad frustum panis*, nempe mendicabis: ad summam egestatem propter adulteram devenitur. Duplici ratione vitanda esse scorta innuit, quod brevis sit voluptas, & parvi pretii, & quod tam pretiosissimam eripiat animam.

27. (*n*) Ambros. *Nemo adversus seipsum diu fortis est*: Item August. serm. 250. de tempore: *Perversa familiaritas hæc, & falsa securitas.*

30. (*o*) Comparatione adulterii; idque præsertim dum adjunctam habet circumstantiam, quam mox subjicit: *Animam*, Hebr. *Non afficiatur probro fur*. Non cæditur flagris, sed compellitur ad restitutionem cum augmento.

31. (*p*) Certus numerus pro incerto. Hebr. *Deprehensus reddet septuplum*, etiamsi furti sæpius convincitur non tenetur nisi ad restitutionem: *Et omnem substantiam domus suæ tradet*, quamdiu habebit unde solvat.

34. (*q*) Adultero deprehenso, vel re in judicium adducta.

3. (*a*) Ut manus & digiti oculis semper objiciuntur, sic CAP. VII. & mandata Dei mentis oculis observari debent.

4. Dic sapientiæ: Soror mea es: & prudentiam voca amicam tuam,

5. Ut custodiat te a muliere extranea, & ab aliena, quæ verba sua dulcia facit.

6. De fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi,

7. Et video (*b*) parvulos, considero vecordem juvenem,

8. Qui transit per plateam juxta angulum, & prope viam domus illius graditur

9. In obscuro, advesperascente die, in noctis tenebris, & caligine.

10. Et ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas: garrula (*c*) & vaga,

11. Quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis,

12. Nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians.

13. Apprehensamque deosculatur juvenem, & procaci vultu blanditur, dicens:

14. Victimas pro salute vovi, hodie reddidi vota mea.

15. Idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, & reperi.

16. Intexui (*d*) funibus lectulum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto.

17. Aspersi cubile meum myrrha, & aloe, & cinnamomo.

18. Veni (*e*), inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies.

19. Non est enim vir in domo sua, abiit via longissima.

20. Sacculum pecuniæ secum tulit: in die plenæ lunæ reversurus est in domum suam.

21. Irretivit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum.

22. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad (*f*) victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans quod ad vincula stultus trahatur,

23. Donec transfigat sagitta jecur ejus: velut si avis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo animæ illius agitur.

24. Nunc ergo fili mi, audi me: & attende verbis oris mei.

25. Ne abstrahatur in viis illius mens tua: neque decipiaris semitis ejus.

26. Multos enim vulneratos dejecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea.

27. Viæ inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis.

CAPUT VIII.

Sapientia ad sui prosecutionem invitat, seque multis commendat modis.

1. Numquid non sapientia (*a*) clamitat, & prudentia dat vocem suam?

2. In summis excelsisque verticibus supra viam, in mediis semitis stans,

3. Juxta portas civitatis in ipsis foribus loquitur, dicens:

4. O (*b*) viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum.

5. Intelligite parvuli astutiam, & insipientes animadvertite.

6. Audite, quoniam de rebus magnis locutura sum: & aperientur labia mea, ut recta prædicent.

7 Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium.

8. Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum.

9. Recti sunt intelligentibus, & æqui invenientibus scientiam.

10. Accipite disciplinam meam, & non pecuniam: doctrinam magis, quam aurum eligite.

11. Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis: & omne desiderabile ei non potest comparari.

12. Ego sapientia habito (*c*) in consilio, & eruditis intersum cogitationibus.

13. Timor Domini odit malum: arrogantiam, & superbiam, & vitam pravam, & os bilingue detestor.

14. Meum est consilium, & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo.

15. Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt:

16. Per me principes imperant, & potentes decernunt justitiam.

17. Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilant ad me, invenient me.

18. Mecum sunt divitiæ, & gloria, opes superbæ (*d*), & justitia.

19. Melior est enim fructus meus (*e*) auro, & lapide pretioso, & genimina mea argento electo.

20. In viis justitiæ (*f*) ambulo, in medio semitarum judicii,

21. Ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.

22. Do-

7 (*b*) Non ætate, sed sensu, decipi faciles.

10. & 11. (*c*) Quietis impatiens, quæ castæ sunt, parum & considerate loquuntur, & domi se continent: *Insidians*, in triviis & angiportis.

16 (*d*) LXX. Fasciis intexui, seu fasciis, quibus culcitræ superpositæ mollitiem lectum præbent.

18 & 20 (*e*) Hebr. *Amoribus*: quæ pessima est ebrietas. *Lunæ*, forte legendum. In die novæ lunæ, quæ celebrari solebat: Et ita habet textus Hebræus: *In die novilunii veniet in domum suam*. Vox enim Hebr. *chese*, כסא, occultationem Lunæ, aut certe diem solemnem significat, ut Critici in hac verba observant. Unde ea vox Psalm 80 4. occurrit: *Buccinate in Neomenia tuba; in insigni die solemnitatis vestræ: quia præceptum in Israel est*. Et ea ipsa die mercatores iter obibant in templo sacrificia. In plenilunio vero nulla erat solemnitas, nec cum a commercio exercendo cessatum est; ita Pezronius Abbas in Dissertatione secunda Historiæ Evangelicæ.

22. (*f*) Sic ille qui se duci patitur in proprium exitium.

CAP. VIII. 1. (*a*) Sapientiam accipi in genere, ut Deo competit, & per Dei donum hominibus: Christus vera sapientia ubique aperuit os suum, in monte, in deserto, in templo, &c.

4. (*b*) O proceres; *Filios hominum*. Ad plebeios.

12. & 14. (*c*) Ubi sana sunt, rectaque consilia. *Meum est*. Mihi debetur. Sapientia ipsa multiplici nomine se commendat. Primum quod homines invitet ad se ex benevolentia erga homines, vers. 4. Deinde quod magna locutura sit, vers. 5. Tum quod recta & vera vers. 6. 7. Quod utilis, quæ omnes opes superet, quod habitet in concilio sapientum, vers. 12. Quod sancta sit, & vitia omnia arceat, vers. 13. Quod virtutes omnes conciliet, vers. 14. Quod leges, judicia, Imperia constituat, vers. 15. & 16. Quod neminem a se repellat, vers. 17. Ita fere Episcopus Meldensis.

18. (*d*) Quæ plerumque sunt insociabiles; Hebr. *Opes stabiles*.

19. (*e*) Ne quis existimet opes terrenas in sapientiæ adeptione penitus spernendas oportere.

20. (*f*) Ambulare facio, ut per justitiam & æquitatem ditem diligentes me. *In medio*. Ad neutram partem declinando.

22. Dominus (*g*) possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio.

23. Ab æterno (*h*) ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret.

24. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant:

25. Necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar:

26. Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ.

27. Quando præparabat cælos, aderam: quando certa lege & gyro vallabat abyssos:

28. Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum:

29. Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ.

30. Cum eo eram cuncta componens: & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore;

31. Ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ, esse cum (*i*) filiis hominum.

32. Nunc ergo filii audite me: Beati, qui custodiunt vias meas.

33. Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abjicere eam.

34. Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei.

35. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem a Domino:

36. Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem.

CAPUT IX.

Sapientia domo sibi ædificata omnes ad se allicit: vitam prerogat, a muliere stulta ac vaga liberat.

1. SApientia (*a*) ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.

2. Immolavit (*b*) victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.

3. Misit ancillas suas ut vocarent ad arcem, & ad mœnia civitatis:

4. Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est:

5. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.

6. Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ.

7. Qui erudit (*c*) derisorem, ipse injuriam sibi facit: & qui arguit impium, sibi maculam generat.

8. Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, & diliget te.

9. Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia. Doce justum, & festinabit accipere.

10. * Principium sapientiæ timor Domini, * Psal. 110. 10.
& scientia sanctorum (*d*), prudentia. Sup. 1. 7.

11. Per me enim multiplicabuntur dies tui, Eccli. 1. 16.
& addentur tibi anni vitæ.

12. Si sapiens fueris, tibimetipsi eris: si autem illusor, solus portabis malum.

13. Mulier stulta & clamosa, plenaque illecebris, & nihil omnino sciens (*e*),

14. Sedit in foribus domus suæ super sellam in excelso urbis loco,

15. Ut vocaret transeuntes per viam, & pergentes itinere suo:

16. Qui est parvulus, declinet ad me. Et vecordi locuta est:

17. Aquæ (*f*) furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior.

18. Et ignoravit quod ibi sint gigantes, & in profundis inferni convivæ ejus.

PARABOLÆ SALOMONIS.

CAPUT X.

Alternat sermonem de filio sapienti & stulto, justo & impio, operante & otioso, simplici & pravo; de charitate & odio.

1. FIlius sapiens lætificat (*a*) patrem: filius vero stultus mœstitia est matris suæ.

2. * Nil proderunt thesauri impietatis: justitia vero (*b*) liberabit a morte. * Infr. 11. 4.

3. Non affliget Dominus fame animam justi: & insidias impiorum subvertet.

4. Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat.

Qui nititur mendaciis, hic (*c*) pascit ventos: idem autem ipse sequitur aves volantes.

5. Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius confusionis

6. Be-

22. (*g*) Jam ab effectis & fructibus ad fontem ascendit, nempe ad Verbum divinum. Etsi ea quæ sensu litterali nobis cum Judæis communi intelligi possunt de sapientia generatim sumpta, quæque in Deo Deus est, in hominibus est participatio divinæ sapientiæ. Sed altiori sensu & genuino est Verbum æternum, per quod omnia facta sunt.

23. & 24. (*h*) Hebr. *Principatum habui*. Concepta, & vers. 25 *Parturiebar*: utrobique in Hebr. Genita eram, seu formata. Nam in generatione Filii, eadem sunt *concipi*, *generari*, & *nasci*: his quippe vocibus æterna Filii nativitas exprimitur.

31. (*i*) Vel quia Deo sua opera sunt grata, & ea sunt gratiora quæ præstantiora; vel illud refertur ad immensum amorem, quo Filius Dei homines dilexit.

CAP. IX. 1. (*a*) Hæc vel de sapientia creata per prosopopœjam & allegoriam sunt dicta, cujus magnificentia, firmitas, decor describuntur; vel de sapientia increata intelliguntur, quæ sibi ædificavit Ecclesiam verbo & exemplo; firmavit eam gratiæ suæ largitione. *Columnæ septem*, vel sunt septem Spiritus dona, vel hic numerus pro universitate doctorum & pastorum accipitur. Ac forte meretricis ædibus, conviviis, & victimis domum solidam & firmam opponit.

2. (*b*) Sacrum convivium intelligit Ambrosius, lib. 1. de fide, c. 7 Unde in Hebræo non victima, sed victima immolata legitur: Vinum, Pretiosum suum sanguinem sub specie vini.

7. (*c*) Eum scilicet qui monita sapientum contemnit. Loquitur de privata correptione, quæ omittenda est, cum nulla spes emendationis apparet.

10. (*d*) Cognitio rerum sanctarum omnem aliam scientiam superat, & sola est vera prudentia.

13. (*e*) LXX. *Nesciens verecundiam*.

17. & 18. (*f*) Concessus cum non sint res furto ablatæ: Panis, Cibus furto sublatus & absconditus. *Quanto minus licet, tanto magis libet*. August. *Quæ afferibus durantur, tum demum aliquid ausus ardentissime, cum vetantur*. Gigantes: Vox Hebræa *gigantes* & dæmones; immo & *mortuos* & *spectra*, significat ex Grotio.

CAP. X. 1. (*a*) Huc usque fuit exhortatio ad sapientiam, eaque generalis; nunc specialia sequuntur præcepta, & pleraque per antitheta. In unoquoque versiculo vocum varietas adhibetur, id exigente phrasi Hebraica & carminis elegantia.

2. & 3. (*b*) Eleemosyna liberat a variis calamitatibus. *Justi*: Curam Dei & protectionem indicat, quam sæpius justi experiuntur in hac vita; sed hæc perpetuam veritatem habent in futuri sæculi bonis: quod præcedens versus insinuat. Justitia vero liberabit a morte æterna, non temporali.

4. (*c*) Quia non id consequitur quod vult, & mendacia nihil habent firmi, nec quidquam prosunt.

6. Benedictio Domini super caput justi: os autem impiorum operit (*d*) iniquitas.

7. Memoria justi cum laudibus: & nomen impiorum putrescet.

8. Sapiens corde præcepta suscipit: stultus cæditur labiis.

9. Qui ambulat simpliciter, ambulat (*e*) confidenter: qui autem depravat vias suas, manifestus erit.

* Eccli. 27. 25. 10. * Qui annuit oculo, dabit dolorem, & stultus labiis (*f*) verberabitur.

11. Vena vitæ, os justi: & os impiorum operit iniquitatem.

* 1 Cor. 13. 4. 1 Petr. 4. 8. 12. Odium suscitat rixas (*g*): * & universa delicta operit charitas.

13. In labiis sapientis invenitur sapientia: & virga in dorso ejus qui indiget corde.

14. Sapientes abscondunt scientiam: os autem stulti confusioni proximum est.

15. Substantia divitis, urbs (*h*) fortitudinis ejus: pavor pauperum, egestas eorum.

16. Opus justi ad (*i*) vitam: fructus autem impii ad peccatum.

17. Via (*k*) vitæ, custodienti disciplinam: qui autem increpationes relinquit, errat.

18. Abscondunt odium labia (*l*) mendacia: qui profert contumeliam, insipiens est.

19. In (*m*) multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.

20. Argentum electum, lingua justi: cor autem impiorum pro nihilo.

21. Labia justi (*n*) erudiunt plurimos: qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.

22. Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis (*o*) afflictio.

23. Quasi per risum stultus (*p*) operatur scelus: sapientia autem est viro prudentia.

24. Quod timet impius, veniet super eum: desiderium suum justis (*q*) dabitur.

25. Quasi tempestas transiens non erit impius: justus autem quasi fundamentum sempiternum.

26. Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum.

27. Timor Domini apponet dies: & anni impiorum (*r*) breviabuntur.

28. Expectatio justorum (*f*) lætitia: spes autem impiorum peribit.

29. Fortitudo (*t*) simplicis via Domini: & pavor his qui operantur malum.

30. Justus in æternum non commovebitur: impii autem non habitabunt super terram.

31. Os justi (*u*) parturiet sapientiam: lingua pravorum peribit.

32. Labia justi considerant placita, & os impiorum perversa.

CAPUT XI.

Æquitatis & justitiæ cæterarumque virtutum commoda, vitiorum incommoda.

1. * Statera dolosa, abominatio (*a*) est apud Dominum: & pondus æquum, voluntas ejus. * Infr. 20. 10. & 23.

2. Ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: * ubi autem est humilitas, ibi & sapientia (*b*). * Infr. 15. 33.

3. Simplicitas justorum (*c*) diriget eos: & supplantatio perversorum vastabit illos.

4. * Non proderunt divitiæ in die ultionis: justitia autem liberabit a morte. * Sap. 10. 2.

5. Justitia simplicis diriget viam ejus: & in impietate sua corruet impius.

6. Justitia rectorum liberabit eos: & in insidiis suis capientur iniqui.

7. Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes (*d*): & expectatio solicitorum peribit.

8. Justus de angustia liberatus est: & (*e*) tradetur impius pro eo.

9. Simulator ore decipit amicum suum: justi autem liberabuntur scientia.

10. In bonis justorum exultabit civitas: & in perditione impiorum erit laudatio.

11. Bene-

6. & 8. (*d*) Beda *tegit iniquitatem*. Textus excusat: *Labiis*. Cum admonetur, id ægre fert, ac si vapularet, vel si dicteriis proscinderetur.

9. (*e*) Securitatem affert conscientia recte factorum. *Manifestus*. Qui pravas sectatur vias, & subdole agit, deprehendetur & agnoscetur.

10. & 11. (*f*) Multis exitio fuit os indomitum. *Vena*. Ex eo ut ex fonte fluant verba vitæ.

12. (*g*) Quæ verba citat Petrus 1. Epist. 4. Sensus iis videtur nonnullis: Ut odium suscitat rixas, sic charitas sedat suscitata dissidia: & amor facile condonat amici errata: ex vera amicitia pax oritur & tranquillitas. Qui amat, in meliorem partem cuncta interpretatur.

15. (*h*) Instar muniræ arcis in suis opibus spem suam ponit.

16. (*i*) Justus laborat, ut vivat, non ad luxuriandum; vel justis actiones ad vitam tendunt æternam. Impius utitur suis bonis ad peccatum, ut pravas expleat cupiditates.

17. (*k*) Hebr. & Gr. *Via ad vitam*. Qui custodit disciplinam, is novit tutum esse ad vitam iter, difficilior leges observare: stultus e contra mavult in via voluptatis errare, quam difficilem, sed tutiorem viam insistere. *Errat*, Neminem habet qui errantem in viam reducat.

18. (*l*) Jans. Gand. ex Hebr. sic vertendum putat. *Abscondens odium labiis mendacibus, & proferens infamiam, ipse stultus*, id est, Uterque est stultus, tum qui tegit odium verbis fallacibus, & amicitiam simulantibus, ut decipiat, tum qui ex odio profert contumeliam.

19. (*m*) Ex August. Lib. 1. contra Cresconium. *Multiloquium est superflua locutio, vitium ex amore loquendi contractum*.

21. (*n*) Ex Hebr. *Labia justi pascent multos, & stulti in cordis egestate morientur*. Qui a justis se edoceri nolunt, morientur per cordis egestatem, seu defectum sapientiæ.

22. (*o*) Ex Hebr. hic est sensus: Sola Dei benedictio vere nos ditat, & citra hominis anxietatem: quod in primis verum est de spiritalibus divitiis.

23. (*p*) Non satis intelligit atrocitatem scelerum. Hebr. *Quasi risus est stulto operari scelus: sapientia vero est homini intelligenti*, qui scilicet novit quam grave sit operari scelus.

24. & 25. (*q*) Justi liberi sunt ab his quæ timent impii. *Tempestas*. Impius est hominibus terribilis ad breve tempus, ut procellæ quæ solvuntur in nihilum.

27. (*r*) Nam vitia ante tempus adducunt senectam: dicere prius, *Timor Domini apponet dies*. In virtute & timore Dei vis inest ad producendam vitam.

28. (*f*) Justus quod expectat hic, & in futuro maxime, id consequetur: at spes impii frustrabitur, & mœrorem afferet.

29. (*t*) Hominis sinceri spes collocata est in lege Dei, & per illius custodiam fortis est anima.

31. (*u*) Hebr. *Germinabit*: Os justi non est sterile, sed sapientiam animis ingenerat.

CAP. XI. 1. (*a*) Quod utique ad omnem justitiæ speciem Beda non immerito transfert.

2. (*b*) Fastum comitatur ignominia: dedecus & detrimentum sunt superbiæ pedissequa.

3. & 4. (*c*) Custodiet hominem justum; at impius corruet per impietatem. *Ultionis*. Punitionis. *A morte æterna*.

7. (*d*) Nulla est enim in inferno redemptio. *Peribit*: Qui divitias & honores sollicite ambit, is peribit. Improbi etiam in calamitatibus & adversis desperant.

8. & 9. (*e*) In eamdem calamitatem succedit impius. *Scientia*, Recto suo judicio, nec fraude indigebunt.

11. Benedictione justorum exaltabitur civitas: & ore impiorum subvertetur.

12. Qui despicit amicum suum, indigens corde est: vir autem prudens (*f*) tacebit.

13. Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.

14. Ubi non est gubernator, populus (*g*) corruet: salus autem, ubi multa consilia.

15. Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo: qui autem cavet laqueos, securus erit.

16. Mulier gratiosa inveniet (*h*) gloriam: & robusti habebunt divitias.

17. Benefacit animæ suæ vir misericors: qui autem crudelis est, etiam propinquos abjicit.

18. Impius facit opus (*i*) instabile: seminanti autem justitiam merces fidelis.

19. Clementia præparat vitam (*k*): & sectatio malorum mortem.

20. Abominabile Domino cor pravum: & voluntas ejus in iis, qui simpliciter ambulant.

21. Manus in manu non erit innocens (*l*) malus: semen autem justorum salvabitur.

22. Circulus (*m*) aureus in naribus suis, mulier pulcra & fatua.

23. Desiderium justorum omne bonum est (*n*): præstolatio impiorum furor.

24. Alii dividunt (*o*) propria, & ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.

25. Anima, quæ benedicit (*p*), impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur.

26. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium.

27. Bene consurgit diluculo qui quærit bona: qui autem investigator malorum est (*q*), opprimetur ab eis.

28. Qui confidit in divitiis suis, corruet: justi autem quasi virens folium germinabunt.

29. Qui conturbat domum suam, possidebit (*r*) ventos: & qui stultus est, serviet sapienti.

30. Fructus justi lignum vitæ: & qui suscipit animas, sapiens est.

31. * Si justus in terra (*s*) recipit, quanto magis impius & peccator? * 1. Petr. 4. 18.

CAPUT XII.

Vicissim loquitur de diligente disciplinam, & eam odio habente; de impio & justo, operante & otioso, stulto & sapiente, & de bonis ac malis linguæ.

1. QUi diligit disciplinam (*a*), diligit scientiam: qui autem odit increpationes, insipiens est.

2. Qui bonus est, hauriet gratiam a Domino: qui autem confidit in cogitationibus suis, impie agit.

3. Non roborabitur homo ex impietate: & radix justorum non commovebitur.

4. Mulier (*b*) diligens, corona est viro suo: & putredo in ossibus ejus, quæ confusione res dignas gerit.

5. Cogitationes justorum judicia: & consilia impiorum fraudulenta.

6. Verba impiorum insidiantur sanguini: os justorum liberabit eos.

7. Verte (*c*) impios, & non erunt: domus autem justorum permanebit.

8. Doctrina sua noscetur vir: qui autem vanus & excors est, patebit (*d*) contemptui.

9. * Melior est pauper & (*e*) sufficiens sibi, quam gloriosus & indigens pane. * Eccli. 10. 30.

10. Novit justus jumentorum suorum animas (*f*): viscera autem impiorum crudelia.

11. * Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est. * Eccli. 10. 30.

Qui suavis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit (*g*) contumeliam.

12. Desiderium impii munimentum est pessimorum: radix autem justorum proficiet.

13. Propter peccata labiorum (*h*) ruina proximat malo: effugiet autem justus de angustia.

14. De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, & juxta opera manuum suarum retribuetur ei.

15. Via

11. & 13. (*f*) Amici vitia. *Fraudulenter*, Qui amici specie explorat alterius animum.

14. & 15. (*g*) Hebr. *Sine industriis populus corruet*. *Malo*, Molestiam aut damnum patietur qui pro altero spondet, aut fidem facit: *Laqueos*, propter oris: *Securus erit*, a multis periculis.

16. (*h*) In mulieribus maxime formæ & morum gratia requiritur; ut in viris industria & labor.

18 (*i*) Quod solidum fructum non afferet: quia peribunt divitiæ. *Justitiam*; Eleemosynas largienti: *Fidelis*; Non peritura.

19. (*k*) Ulciscendi se libido. Hebr. *Similiter justitia ad vitam, & sectator malorum ad mortem*. Ut justitia perducit ad vitam, ita perseverantia in malo ad mortem æternam ducit.

21. (*l*) Etsi ab iniqua actione manum ad horam subducit, non est tamen in corde innocens: tum enim sæpe malum machinatur.

22. (*m*) Ut sus circulum, seu inaurem auream luto commaculat, sic mulier pulcra & impudica formam ad omnes libidines prostituit. Habebant mulieres monilia ad nares.

23 (*n*) Expectatio impiorum. *Furor*, Non aliud impiis obveniet, quam indignatio & ultio divina.

24. (*o*) Res ex liberalitate crescit: sed qui impetu aguntur, non ratione, ii raptores sunt simul & largitores.

25. (*p*) Deus bona nostra augebit, si ex iis egentium inopiam sublevemus. *Inebriat*, Hebr. *Qui irrigat*: idem utrobique sensus. Qui benignus est erga pauperes, Deum in se benignum experietur. Opulentia pinguedinis nomine exprimi solet: Sic Terentius: *In re lauta & bene uncta*.

27 & 28. (*q*) *Quærenti malum, occurret ei*. *Germinabunt*, Florebunt, instar folii virentis arbori firmiter inhærebunt.

29 & 30 (*r*) Qui modum non servat in administratione rei familiaris. *Lignum vitæ*, Justus in hac vita est instar ligni vitæ in paradiso, quod a morte præservabat.

31. (*s*) Pœnam quam ob leves culpas meretur, quanto magis impius & peccator?

CAP. XII

1. (*a*) Correctionem. *Scientiam*, Ad certam rerum agendarum notitiam perveniet, ac vera est ingenii solidi nota salutarem correptionem periculosæ adulationi anteponere.

4. (*b*) Sedula in opere suo: Corona, Quæ eum ornat. *Putredo*, Alter, tædio, & confusio.

7 (*c*) O Deus subverte! vel si subvertis, in ictu oculi & in momento corruent.

8. (*d*) Per sapientiam paratur apud homines gloria: ut per vanitatem ore declaratam contemptus.

9 (*e*) Labore manuum. Hebr. *Servus sibi*, Sibi ipsi consulens. *Pane*, Ut plerumque nobiles, qui ære alieno premuntur.

10. (*f*) Curam gerit, non ea gravat nimio labore. *Crudelia*, Injustus, nec homines curat.

11. (*g*) Sensus hic esse potest hujus versus qui deest in Hebræo: Qui delectatur vini potatione, in familia sua relinquet ignominiam, & malum post se nomen.

13 (*h*) Hebr. *In peccato labiorum laqueus malus*. Per labia scelerata impii parant aliis mala. Sed peccatum erit impio laqueus, in quem se inducet.

15. Via stulti recta in oculis ejus : qui autem sapiens est, audit consilia.

16. Fatuus statim (*i*) indicat iram suam : qui autem dissimulat injuriam, callidus est.

17. Qui quod novit loquitur, index justitiæ est : qui autem mentitur, testis est fraudulentus.

18. Est qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientiæ : lingua autem sapientium sanitas est.

19. Labium veritatis firmum (*k*) erit in perpetuum : qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacii.

20. Dolus in corde cogitantium mala : qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium.

21. Non (*l*) contristabit justum quidquid ei acciderit : impii autem replebuntur malo.

22. Abominatio est Domino labia mendacia : qui autem fideliter (*m*) agunt, placent ei.

23. Homo versutus celat (*n*) scientiam : & cor insipientium provocat stultitiam.

24. Manus fortium dominabitur : quæ autem remissa est, tributis serviet.

25. Mœror in corde viri humiliabit illum, & sermone bono lætificabitur.

26. Qui negligit damnum propter amicum, justus est : iter autem impiorum (*o*) decipiet eos.

27. Non inveniet fraudulentus lucrum : & substantia hominis erit auri pretium.

28. In semita justitiæ, vita : iter autem devium ducit ad mortem.

CAPUT XIII.

De oris custodia; de inconsiderato ad loquendum; de paupere divite; de substantia festinata.

1. Filius sapiens, doctrina patris (*a*) : qui autem illusor est, non audit cum arguitur.

2. De fructu oris sui homo satiabitur bonis : anima autem prævaricatorum iniqua.

3. Qui custodit os suum (*b*), custodit animam suam : qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.

4. Vult & non vult piger (*c*) : anima autem operantium impinguabitur.

5. Verbum mendax justus detestabitur : impius autem confundit, & confundetur.

6. Justitia custodit innocentis viam : impietas autem peccatorem supplantat.

7. Est quasi dives (*d*), cum nihil habeat : & est quasi pauper, cum in multis divitiis sit.

8. Redemptio animæ viri, divitiæ (*e*) suæ : qui autem pauper est, increpationem non sustinet.

9. Lux justorum lætificat (*f*) : lucerna autem impiorum extinguetur.

10. Inter superbos semper jurgia sunt : qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.

11. Substantia festinata minuetur : quæ autem paullatim colligitur manu, multiplicabitur.

12. Spes, quæ differtur, affligit (*g*) animam : lignum vitæ desiderium veniens.

13. Qui detrahit (*h*) alicui rei, ipse se in futurum obligat : qui autem timet præceptum, in pace versabitur.

Animæ dolosæ errant in peccatis : justi autem misericordes sunt, & miserantur.

14. Lex sapientis fons vitæ, ut declinet a ruina mortis.

15. Doctrina bona dabit gratiam : in itinere contemptorum vorago.

16. Astutus omnia agit cum consilio (*i*) : qui autem fatuus est, aperit stultitiam.

17. Nuntius impii cadet in malum (*k*) : legatus autem fidelis, sanitas.

18. Egestas, & ignominia ei, qui deserit disciplinam : qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur.

19. Desiderium si compleatur, delectat animam : detestantur stulti eos, qui fugiunt mala.

20. Qui cum sapientibus graditur, sapiens (*l*) erit : amicus stultorum similis efficietur.

21. Peccatores persequitur malum : & justis retribuentur bona.

22. Bonus relinquit hæredes filios, & nepotes : & custoditur justo substantia (*m*) peccatoris.

23. Mul-

16. (*i*) Non potest eam premere : *Callidus*, Hebr. *Cautus dissimulat injuriam*.

19. (*k*) Testis verax sibi constat. *Mendacii*, Interrogatus cum non putabat, aut inconsulto verba faciens, mendacia contexit, ut defendat quæ dixit.

21. (*l*) Christianus patienter fert ærumnas, sanctus etiam libenter : tranquillitas & humilitas palam faciunt nos in eo esse statu, quem Deus postulat. *Malo*, Sæva conscientia, pœnæ timore.

22. (*m*) Hebr. *Qui faciunt veritatem* : Qui bona fide agunt, neminem fallunt.

23. (*n*) Non ostentat gloriæ se, nec intempestive profert quod scit. *Provocat*, Hebr. *Prædicabit*, & *prodit* : *Fortium*, Hebr. *Vigilantium*. Industrii homines ditescunt.

26. & 27. (*o*) Qui hoc tantum spectant, ut sibi bene sit, cum opus fuerit, non invenient a quibus subleventur : *Lucrum*, Hebr. *Non aduret fraudulentia venationem suam*. metaphora ducta a venatoribus : venatione sua non fruetur, alter hanc eripit.

CAP. XIII. 1. & 2. (*a*) In filio sapiente refulget doctrina, & institutio paterna. *Oris sui*, De verbis suis vir bonus colliget bona : *Anima*, Seu anima, supple, colliget.

3. (*b*) Tacendo multa vitat incommoda, quæ lingua præceps secum affert.

4. (*c*) Sept. Interpr. *In desideriis est omnis piger* : Vir otiosus propositum mutat labore deterritus.

7. (*d*) Sunt qui se divitea simulant, cum sint omnium egentes, & e diverso : vel sunt qui modico contenti, animo tranquillo vivunt, cum sint pauperes, contra sunt divites animo, & usu pauperes. *Est quasi dives*, Hebr. *Est qui ditat se* : Qui se divitem jactat : Et non est ei quicquam

8. (*e*) Adversis non resistit : Dives a pravis machinationibus se expedit, pauper accusatus opprimitur. LXX. *At pauper non sustinet minas*.

9. (*f*) Hebr. *Lætabitur* : Justi prospere agent, non impii. Felicitas justi, quæ rara omnibus est, in lætum desinit finem, cum felicitas impii tristem habeat exitum.

12. (*g*) Qui sperat, etiam metuit, & metus omnis solicitus est : *Desines timere, si sperare desieris*, Seneca

13. (*h*) Alicui rei præceptæ, ut patet ex antithesi : Unde in Hebr. & LXX. *Qui contemnit verbum*, seu Dei præceptum, obnoxium se facit pœnæ.

16. (*i*) Sapiens et audit consilium : ut amicus comiter excipit, et judex expendit, ut dominus exequitur. Neque enim bona consilia tam sunt eorum, qui ea excogitant, quam eorum qui certo judicio optima seligunt ; stultus nec consilium petit, nec sibi dari patitur.

17. (*k*) In Hebr. *Nuntius impius* : vel qui impii mandata exequitur, cadet in malum.

20. (*l*) Nam firmius hærent visa quam audita. *Longum iter per audita, breve & efficax per exempla*. *Amicus*, Nemo non aliquid vitii nobis vel nescientibus illinit ; malignus comes quantumvis candido ac simplici rubiginem suam affricat.

22. (*m*) Divina providentia sæpe malis adimit quæ bonis largiatur, sapiens labore acquirit & diligentia, quæ stulti socordia amittit.

23. Multi tibi in novalibus (*n*) patrum: & aliis congregantur absque judicio.

Inf.13.13. 24. * Qui parcit virgæ, odit (*o*) filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.

25. Justus comedit, & replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis.

CAPUT XIV.

Sapientiæ & stultitiæ variæ conditiones.

1. SApiens mulier ædificat domum suam: insipiens extructam quoque manibus destruet.

2. Ambulans recto itinere, & timens
Job 12. 4. Deum, * despicitur ab eo, qui infami graditur via.

3. In ore stulti virga superbiæ: labia autem sapientium custodiunt eos.

4. Ubi non sunt boves (*a*), præsepe vacuum est: ubi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis.

5. Testis fidelis non mentitur (*b*): profert autem mendacium dolosus testis.

6. Quærit derisor sapientiam, & non invenit (*c*): doctrina prudentium facilis.

7. Vade contra virum stultum (*d*), & nescit labia prudentiæ.

8. Sapientia callidi est intelligere (*e*) viam suam: & imprudentia stultorum errans.

9. Stultus illudet (*f*) peccatum, & inter justos morabitur gratia.

10. Cor quod novit (*g*) amaritudinem animæ suæ: in gaudio ejus non miscebitur extraneus.

11. Domus impiorum delebitur: tabernacula vero justorum germinabunt.

12. Est via, quæ videtur homini justa: novissima autem ejus deducunt (*h*) ad mortem.

13. Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus (*i*) occupat.

14. Viis suis replebitur stultus, & super eum erit vir bonus.

15. Innocens (*k*) credit omni verbo: astutus considerat gressus suos.

Filio doloso nihil erit boni: servo autem sapienti prosperi erunt actus, & dirigetur via ejus.

16. Sapiens timet, & declinat a malo: stultus transilit, & confidit.

17. Impatiens operabitur (*l*) stultitiam: & vir versutus odiosus est.

18. Possidebunt parvuli stultitiam, & expectabunt astuti scientiam.

19. Jacebunt mali ante bonos: & impii ante portas justorum.

20. Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici vero divitum multi.

21. Qui despicit proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit.

Qui credit in Domino, misericordiam diligit.

22. Errant qui operantur malum: misericordia & veritas præparant bona.

23. In omni opere erit abundantia (*m*): ubi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.

24. Corona (*n*) sapientium, divitiæ eorum: fatuitas stultorum, imprudentia.

25. Liberat animas testis fidelis: & profert mendacia versipellis.

26. In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit spes.

27. Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis.

28. In multitudine populi dignitas regis (*o*): & in paucitate plebis ignominia principis.

29. Qui patiens est (*p*), multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.

30. Vita carnium, sanitas cordis: putredo ossium (*q*), invidia.

31. * Qui calumniatur (*r*) egentem, exprobrat factori ejus: honorat autem eum, qui *Inf.17.5.*
miseretur pauperis.

32. In malitia sua expelletur impius: sperat (*s*) autem justus in morte sua.

33. In

13. (*n*) Multi cibi, seu multæ fruges sunt in novalibus patrum, si a filiis excolantur; avita hæreditas fructuosa est.

24. (*o*) Idem facit, & eumdem habet exitum, ac si odisset filium.

CAP.XIV. 4. (*a*) Minus dicit, plus intelligit. Si deficiant ministri, deserta erit Ecclesia; si desint artifices, magna erit rerum omnium penuria; ubi bos deest, ager non colitur.

5. (*b*) Ut hæc sententia sit majoris ponderis, ita videtur intelligenda, ut certis notis designet testem fidelem & dolosum, seu mendacem, ut habet Hebr.

6. (*c*) Male quærit, nec sapientibus acquiescit: *Facilis*, Ad acquirendam: nam via regia incedunt; sana promunt, non subtiliora sectantur.

7. (*d*) Si contradixeris viro stulto, non habebis quomodo respondeat. Chald. *Vade a conspectu viri stulti, nescit enim verba prudentiæ.*

8. (*e*) Nosse actiones suas, & finem in quem diriguntur: *Errans*, In nullum certum finem & scopum actus suos dirigunt.

9. (*f*) *Quasi per risum stultus operatur scelus*; cap. 10. vers. 23. *Gratia*, Hebr. *Benevolentia*. Nihil enim amabilius, neque copulatius quam morum similitudo bonorum. Cicero, Lib. 1. de Off. *Stulti excusant alterum peccata.*

10. (*g*) Quod amat mœrorem suum: *Fit enim infelicis animi prava voluptas dolor*, ait Seneca; ut homo solus sibi est conscius doloris sui; solus etiam lætabitur.

12. (*h*) Potest id intelligi de prudentia, qua quis prudens est apud semetipsum, & consiliis alienis regi non vult. Sic est ficta pietas, falsus & amarus zelus, talis pœnitentia quæ pravis mentibus illudit.

13. (*i*) Ne hujus sæculi gaudia sectemur. Nam lætis tristia succedunt. Hinc Seneca: *Ipsæ voluptates in tormenta vertuntur.*

15. & 16. (*k*) Minime malum; Tu se enim alios æstimat. *Confidit*, Temere agit, non ratione & consilio.

17. (*l*) Tam in agendo præceps, quam in deliberando nimius odio habentur. *Impatiens*: Hebr. *Velox ad irascendum*. *Versutus*, Qui cogitationibus suis alteri machinatus malum, & ipsum dissimulat; isque magis est odiosus, quam qui rationis moderamine destitutus multa stulte facit præ ira.

23. (*m*) Qui labori dediti sunt, hi divitias parant. *Egestas*, Quæ est soror inertiæ: labore enim, non verbis parantur opes.

24. (*n*) Divitiæ sapienti sunt ornamento, quia bene illa utitur. *Imprudentia*. Hebr. *Stultitia stultorum stultitia*: Nihil est aliud quam stultitia, nec accessione divitiarum ornamenta recipiunt.

28. (*o*) Salute Regis populi salus continetur, & vicissim.

29. (*p*) Qui impetum iræ cohibet, & animum in potestate habet, prudens est.

30. (*q*) Bona corporis valetudo ex tranquillitate animi pendet; invidia vero ossa excedit. Alii ex Hebræo vertunt, *Teredo ossium invidia*: quasi cossus & tinea animi est invidia; nam putredo in Hebræo est nomen generale, quo teredo etiam comprehenditur.

31. (*r*) Ex Hebræo. *Qui pauperem afficit injuria*: *Fallori*, Probro afficit factorem ejus, quasi cura Deo non sit pauperis, & opus Dei contemnit.

32. & 34. (*s*) Animorum immortalitas hinc optime colligitur. *Peccatum*, Syrus, *Benignitas populorum peccatum*, id est, Expiatio, seu sacrificium pro peccato. Alii vertunt; Justitia exaltat gentem, & beneficentia est expiatio populi: multa expiantur peccata operibus quæ non debentur.

33. In corde prudentis requiescit sapientia, & indoctos quoque erudiet.

34. Justitia elevat gentem: miseros autem facit populos peccatum.

35. Acceptus est regi minister intelligens: iracundiam ejus inutilis sustinebit.

CAPUT XV.

Responsio mollis; lingua sapientis, & immoderata; fortitudo domus justi.

Infr. 25.15. 1. RESponsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem.

2. Lingua sapientium ornat scientiam: os fatuorum ebullit stultitiam.

3. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.

4. Lingua placabilis (*a*), lignum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum.

5. Stultus irridet disciplinam patris sui: qui autem custodit increpationes, astutior fiet.

In abundanti justitia virtus maxima est: cogitationes autem impiorum eradicabuntur.

6. Domus justi plurima fortitudo: & in fructibus impii conturbatio.

7. Labia sapientium disseminabunt scientiam: cor stultorum dissimile erit.

* Infr. 21. 27. 8. * Victimæ impiorum abominabiles Domino: vota justorum placabilia.

Eccli. 34. 21. 9. Abominatio est Domino via impii: qui sequitur justitiam, diligitur ab eo.

10. Doctrina mala (*b*) deserenti viam vitæ: qui increpationes odit, morietur.

11. Infernus & perditio (*c*) coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum?

12. Non amat pestilens eum, qui se corripit: nec ad sapientes graditur.

*Inf. 16. 24. & 17. 22. 13. * Cor gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi dejicitur spiritus.

14. Cor sapientis quærit doctrinam: & os stultorum pascitur imperitia.

15. Omnes dies pauperis (*d*) mali: secura mens quasi juge convivium.

16. Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni & insatiabiles.

17. Melius est vocari ad olera cum charitate (*e*), quam ad vitulum saginatum cum odio.

18. Vir iracundus provocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas.

19. Iter pigrorum quasi sepes spinarum (*f*): via justorum absque offendiculo.

20. Filius sapiens lætificat patrem: & stultus homo despicit matrem suam.

21. Stultitia gaudium stulto: & vir prudens dirigit gressus suos.

22. Dissipantur cogitationes ubi non est consilium (*g*): ubi vero sunt plures consiliarii, confirmantur.

23. Lætatur homo in sententia oris sui: & sermo opportunus est optimus.

24. Semita vitæ super eruditum, ut declinet de inferno (*h*) novissimo.

25. Domum superborum demolietur Dominus: & firmos faciet terminos viduæ.

26. Abominatio Domini cogitationes malæ: & purus sermo (*i*) pulcherrimus firmabitur ab eo.

27. Conturbat domum suam qui sectatur avaritiam: qui autem odit munera, vivet.

* Per misericordiam & fidem purgantur peccata: per timorem autem Domini declinat omnis a malo. * Infr. 16. 6.

28. Mens justi meditatur obedientiam (*k*): os impiorum redundat malis.

29. Longe est Dominus ab impiis: & orationes justorum exaudiet.

30. Lux oculorum lætificat (*l*) animam: fama bona impinguat ossa.

31. Auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientium commorabitur.

32. Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est (*m*) cordis.

33. Timor Domini, disciplina sapientiæ: & gloriam præcedit humilitas.

CAPUT XVI.

Homo animam praeparat; Deus spirituum ponderator, linguam viasque hominum dirigit, omnia propter seipsum operatur, cui abominatio est omnis arrogans.

1. HOminis * est animam præparare (*a*): & Domini gubernare linguam. *Infr. 19. 9.

2. * Omnes viæ hominis patent oculis ejus (*b*): spirituum ponderator est Dominus. *Inf. 20. 23. & 21. 2.

3. Revela (*c*) Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.

4. Universa propter semetipsum operatus est Dominus (*d*): impium quoque ad diem malum.

5. Abo-

CAP. XV. 4. (*a*) Placida: *Lignum vitæ*, Res salutaris, ut immoderata est supplicium animæ.

10. (*b*) Hebr. *Correptio gravis est, & ingrata deserenti viam vitæ.*

11. (*c*) Quæ videntur esse in inferno, quia oculis nostris non apparent, ea patent oculis Domini. Quanto magis corda filiorum hominum nota sunt Deo?

15. (*d*) Hebr. *Afflicti*. Convivium, Læta mens & bene sibi conscia.

17. (*e*) Satius est vivere frugaliter cum amicis, quam cum inimicis opipare, quam ad vitulum saginatum cum odio.

19. (*f*) Pigris omnia videntur spinis impedita.

22. (*g*) Hebr. *Secretum*. Plures consulendi, sed clam, & quisque ea in re quam novit.

24. (*h*) Seu infimo & damnatorum loco, de quo vers. 11. Hebr. *Semita vitæ ipsi intelligenti est ad superna, ut declinet ab inferno deorsum*. Semita vitæ perducit prudentem sursum & ad superna, ut declinet ab inferno; homo sapiens in omnibus suis actionibus Deum respicit, ut a periculo liberetur.

26. & 27. (*i*) Non indiget eloquentiæ ornamentis. *Munera*, Qui munera ad pervertendum judicium oblata aversatur.

28. (*k*) Hebr. *Ad respondendum*: Ut sapienter, nec temere respondentes a loquacibus secernantur.

30. (*l*) Ut lux oculis, sic bona fama grata est animo. *Quid hoc præclarius, cum laetus nuntius rigat aures, & mentem bonorum?* Symmachus, Lib. 4. epist. 45.

32. & 33. (*m*) Cordatus est. *Disciplina*. Salutaris quædam castigatio, quam sequitur sapientia. *Humilitas*. Qui monitiones admittimus, hinc sequitur decus ex emendatis moribus; humilitas hoc loco modestiam significat; gloria fugientem sequitur.

CAP. XVI. 1. (*a*) In Hebr. *Hominis sunt dispositiones cordis, & a Domino est responsio linguæ*. Nempe ut homo disponat quæ sit locuturus, eget Dei auxilio, eoque peculiari, ut bene eloquatur: sæpe enim aliud longe diversum homines eloquuntur, quam voluerant.

2. (*b*) Hebr. *Omnes viæ viri mundæ in oculis suis*. Etsi homines putant omnes actiones suas esse puras, frequenter tamen Deus aliud judicat, qui solus pretium earum facit. Thales interrogatus an facta hominum Deum fugiant, respondit, Ne cogitata quidem.

3. (*c*) In Hebr. *Volve ad Dominum*. Omnia in laudem Dei refer. *Dirigentur*, Cuncta tibi succedent.

4. (*d*) Seneca in Oedipo: *Quidquid patimur mortale genus, quidquid facimus, venit ex alto*. LXX. Omnia opera Dei cum justitia. *Impium*, Non sic, sed ordinatur.

5. Abominatio Domini est omnis arrogans: etiamsi manus ad manum fuerit (*e*), non est innocens.

Initium viæ bonæ, facere Justitiam: accepta est autem apud Deum magis, quam immolare hostias.

* Sup. 15. 27. 6. * Misericordia & veritate redimitur iniquitas: & in timore Domini declinatur a malo.

7. Cum placuerint Domino viæ hominis: inimicos quoque ejus convertet ad pacem.

8. Melius est parum cum justitia, quam multi fructus (*f*) cum iniquitate.

* Sup. 9. 12. Inf. 20. 24. 9. Cor hominis disponit viam suam: * sed Domini est dirigere (*g*) gressus ejus.

10. Divinatio in labiis regis (*h*), in judicio non errabit os ejus.

11. Pondus & statera judicia Domini sunt: & opera ejus omnes lapides (*i*) sacculi.

12. Abominabiles regi qui agunt impie: quoniam justitia firmatur solium.

13. Voluntas regum labia justa: qui recta loquitur, diligetur.

14. Indignatio regis, nuntii (*k*) mortis: & vir sapiens placabit eam.

15. In hilaritate vultus regis, vita: & clementia ejus quasi imber serotinus.

16. Posside sapientiam, quia auro melior est: & acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.

17. Semita justorum declinat mala: custos animæ suæ servat viam suam.

18. Contritionem præcedit superbia: & ante ruinam exaltatur spiritus.

19. Melius est humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis.

20. Eruditus in verbo reperiet bona: & qui sperat in Domino, beatus est.

21. Qui sapiens est corde, appellabitur prudens (*l*): & qui dulcis eloquio, majora percipiet.

22. Fons vitæ, eruditio possidentis (*m*): doctrina stultorum, fatuitas.

23. Cor sapientis erudiet (*n*) os ejus: & labiis ejus addet gratiam.

* Sup. 15. 11. Infr. 27. 22. 24. * Favus mellis, composita verba: dulcedo animæ, sanitas ossium.

25. Est via quæ videtur homini recta: & novissima ejus ducunt ad mortem.

26. Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum (*o*) os suum.

27. Vir impius fodit malum: & in labiis ejus ignis ardescit.

28. Homo perversus suscitat lites: & verbosus separat principes.

29. Vir iniquus lactat (*p*) amicum suum: & ducit eum per viam non bonam.

30. Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua perficit malum.

31. Corona (*q*) dignitatis senectus, quæ in viis justitiæ reperietur.

32. Melior est patiens viro (*r*) forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.

33. Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino (*s*) temperantur.

CAPUT XVII.

Servus sapiens; Dominus corda probat; corona senum; stulto inutiles divitiæ; omni tempore diligit amicos.

1. MElior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio.

2. * Servus sapiens dominabitur filiis stultis, & inter fratres hæreditatem dividet. * Eccli. 10. 28.

3. Sicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat Dominus.

4. Malus obedit (*a*) linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labiis mendacibus.

5. * Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus: & qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. * Sup. 14. 31.

6. Corona senum filii filiorum: & gloria filiorum patres eorum.

7. Non decent stultum verba (*b*) composita: nec principem labium mentiens.

8. Gemma gratissima, expectatio (*c*) præstolantis: quocumque se vertit, prudenter intelligit.

9. Qui celat delictum, quærit amicitias: qui altero sermone repetit, separat fœderatos.

10. Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum.

11. Semper jurgia quærit malus: angelus (*d*) autem crudelis mittetur contra eum.

12. Expe-

5. & 6. (*e*) Etiam si multos habeat simul conspirantes. *Innocens*, Impunitus; vel, etiamsi nihil agat, & cesset arrogans, justus non erit coram Deo. *Initium*, Græce ἀρχὴ, initium, summa est. *A malo*, Sapientia prima, stultitia caruisse.

8. (*f*) Nam opes quas peperit iniquitas, ut partæ sunt, sic pereunt; justæ opes se tuentur.

9. (*g*) Is solus ad exitum perducit cogitationes, quæ vanæ sunt illius auxilio destitutæ.

10. (*h*) Justa principum ut divina oracula accipi debent, cum vicem Dei gerant. *Os ejus*, Quod verum experimentis sit edoctus. Deus piis regibus insignem largitur solertiam, ut in judiciis non facile aberrent.

11. (*i*) Alludit ad ritum veterum, qui lapillis utebantur ad examinanda pondera, eosque in sacculis reponebant.

14. (*k*) Fulmen est ubi cum potestate juncta est iracundia. Pene Seneca: *Pereunt funditus omnia, ubi quantum ira suadet, fortuna permittit.*

21. (*l*) Sed multo pluris erit, qui eloquentiam addiderit. *Percipiet*, Hebr. *Dulcedo labiorum addet doctrinam.*

22. (*m*) Caussa vitæ, seu multorum bonorum eruditio possidentis; Gr. *Possidentibus*; Eruditio, seu sapientia est ipsis habentibus fons vitæ numquam deficiens: sed stulta sunt quæcumque stultus ex suo corde efficiunt.

23. (*n*) Ex interiori sapientia prodeunt verba cordata; quo quisque doctior, eo habetur doctior.

26. & 27. (*o*) Indigentia animi industria; labor est peccati pœna & remedium; atque ipsa hominis occupatio a vitiis, quæ cum otio sunt conjuncta, nos tuetur. *Fodit*, Multo labore quærit; Hebr. *Emit.*

29. (*p*) Aliter, *Os blandum facit impulsionem*; Trahit quo velit; vel eum qui aures accommodat assentationi, in perniciem impellit.

31. (*q*) Hebr. *Diadema gloriæ canities, quæ in via justitiæ reperietur*: Non quælibet, sed quæ sapiens est & sancta.

32. (*r*) Duæ sunt partes fortis animi, ipsa fortitudo, & sapientia; illa hostes repellit externos, hæc domesticos, affectus nimirum & perturbationes animi.

33. (*s*) Hebr. *Et a Domino omne judicium ejus*: In rebus humanis nihil fit sine providentia, & nutu Dei.

CAPUT XVII. 4. (*a*) Malus autem a malo [illegible], fallax fallaciam invenit; vel, improbos efficiunt exitiosa consilia.

7. (*b*) Non decet imperitum de rebus gravibus disputare. Mentiens, Qui promissa non servat, hujus verba publicæ censuræ sunt exposita.

8. (*c*) Cum illud quis consequitur, quod diu expectavit. Caute & circumspecte agit, ne spe sua excidat.

11. (*d*) In aliquem incurret, a quo male accipietur; vel mortis nuntius mali angeli nomine intelligitur.

12. Expedit (*e*) magis ursæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in stultitia sua.

* Rom. 12. 17. 1. Thess. 5. 15. 1. Pet. 3. 9. — 13. * Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus.

14. Qui dimittit aquam, caput (*f*) est jurgiorum: & antequam patiatur contumeliam, judicium deserit.

* Isai. 5. 23. — 15. * Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.

16. Quid prodest stulto habere divitias, cum sapientiam emere non possit?

Qui altam facit domum suam, quærit (*g*) ruinam: & qui evitat discere, incidet in mala.

17. Omni tempore diligit qui amicus est: & frater in angustiis comprobatur.

18. Stultus homo plaudet manibus, cum spoponderit pro amico suo.

19. Qui meditatur discordias, diligit rixas: & qui exaltat ostium, quærit (*h*) ruinam.

20. Qui perversi cordis est, non inveniet bonum: & qui vertit (*i*) linguam, incidet in malum.

21. Natus est stultus in ignominiam suam: sed nec pater in fatuo lætabitur:

* Sup. 15. 13. & 16. 24. — 22. * Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis (*k*) exsiccat ossa.

23. Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii.

* Eccli. 2. 14 & 8. 1. — 24. * In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum (*l*) in finibus terræ.

25. Ira patris, filius stultus: & dolor matris, quæ genuit eum.

26. Non est bonum, damnum inferre justo: nec percutere principem, qui recta (*m*) judicat.

* Jacobi 1. 19. — 27. * Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est: & pretiosi spiritus vir eruditus.

28. Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur: & si compresserit labia sua, intelligens.

CAPUT XVIII.

Non deviandum a veritate; frater juvans fratrem; mulier bona & mala; locutio divitis & pauperis.

1. Occasiones quærit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis.

2. Non recipit stultus verba prudentiæ: nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus.

3. Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium.

4. * Aqua profunda verba ex ore (*a*) viri: & torrens redundans fons sapientiæ. — * Infr. 20. 5.

5. Accipere personam impii non est bonum, ut declines a veritate judicii.

6. Labia stulti miscent se rixis: & os ejus jurgia provocat.

7. Os stulti contritio ejus: & labia ipsius, ruina animæ ejus.

8. Verba bilinguis (*b*), quasi simplicia: & ipsa perveniunt usque ad interiora ventris.

Pigrum dejicit timor: animæ autem effeminatorum esurient.

9. Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera (*c*) dissipantis.

10. Turris fortissima, nomen (*d*) Domini: ad ipsum currit justus, & exaltabitur.

11. Substantia divitis urbs roboris ejus, & quasi murus validus circumdans eum.

12. Antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur.

13. * Qui prius respondet quam audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum. — * Eccli. 11. 8.

14. Spiritus viri sustentat imbecillitatem (*e*) suam: spiritum vero ad irascendum facilem quis poterit sustinere?

15. Cor prudens possidebit (*f*) scientiam: & auris sapientium quærit doctrinam.

16. Donum hominis dilatat viam ejus, & ante principes spatium ei facit.

17. Justus, prior est accusator sui (*g*): veniet amicus ejus, & investigabit eum.

18. Contradictiones comprimit sors (*h*), & inter potentes quoque dijudicat.

19. Fra-

---

11. (*e*) Stultus, qui in sua confidit stultitia, nulla arte, nullis viribus domari potest.

14. (*f*) Qui dat initium jurgiis, est sicut qui dimittit aquam; ut si quis rumpit aggerem, cui magna vis aquæ incumbit. *Deserit*, Si sapit, cœptam caussam deserit coram judice. Vel etiam qui aquas in agrum suum derivat, sibi lites & jurgia conciliat: priusquam incalescant jurgia, ea sunt præcidenda.

16. (*g*) Deest in Hebræo; sed apud LXX. habetur. Facultates suas exhaurit. Variat lectio; nam legunt quidam. *Qui exaltat os suum*. Qui aliis videri vult illustrior, is fortunæ ictis magis exponitur.

19. (*h*) Ex Hebræo sic vertit Grotius: Diligit iniquitatem, qui diligit jurgium; & ampliat januam ejus, seu iniquitatis, qui quærit fracturam, seu dissidia.

20. (*i*) Chald. *Pervertit linguam*, qui perverse loquitur detrahendo, adulando, malum suadendo.

22. & 23. (*k*) Ad tabem deduci. *Accipit*, Secreto accipit a litigantibus.

24. (*l*) Huc illuc vagantur oculi stulti; vel cupiditas eorum expleri nequit.

26. & 27. (*m*) Huic detrahere malum est. *Eruditur*, Parce loquitur, quæ tacenda sunt, non temere effudit. Ex Hebræo: *Qui est pretiosi spiritus, idem est eruditus*: Quia sit vir eruditus, non quid sit, ostendit.

CAPUT XVIII.

4. (*a*) Sapientis: Doctrina ejus non exhauritur, & instar torrentis animi vitia secum abripit.

8. (*b*) Bilingues sincere loqui videntur, & audientis animum graviter sauciant.

9. (*c*) Eumdem exitum habent piger & prodigus, egestatem nimirum.

10. (*d*) Potentia divina, & protectio; non enim solum vocabulum intelligi solet.

14. (*e*) Animi alacritas sustentat corporis imbecillitatem, Oportet quidem hominem alacri esse animo, non dejecto, nec tamen iracundo. *Sustinere*, Corpori deficienti: animus vires addit, animo fracto nihil est subsidii.

15. & 16. (*f*) Meditatione scilicet & auditu. *Dilatat*, Munera facilem præbent aditum ad principes, & ad magistratus quosdam.

17. (*g*) Aperte caussam suam exponit, nihil dissimulat. *Amicus*, Investigabit conscientiam amici, & libere eum corripiet: Hebr. *Proximus ejus investigabit eum*. Inquiret in mores ejus. Ex Hebræo aliter hunc locum Interpretatur Grotius: Qui prior caussam dicit, is justus est: primus videtur justus in caussa sua, sed mox venit alter, & inquirit in illum; expendit illius dicta, & refellit. Hæc enim sententia ut sequens videtur ad lites pertinere.

18. (*h*) Lites plerumque accenduntur, quod alter alteri nolit cedere: ad eam rem sors optimum est remedium.

19. Frater, qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma: & judicia quasi (*i*) vectes urbium.

20. De fructu oris viri (*k*) replebitur venter ejus: & genimina labiorum ipsius saturabunt eum.

21. Mors, & vita in manu linguæ (*l*): qui diligunt eam, comedent fructus ejus.

22. Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum: & hauriet jucunditatem a Domino.

Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est & impius.

23. Cum obsecrationibus loquetur pauper: & dives effabitur (*m*) rigide.

24. Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit, quam frater (*n*).

CAPUT XIX.

Pauper ambulans in simplicitate; falsus testis; non decent stultum deliciæ; uxor prudens datur a Deo; eruditio filii; timor Domini; derisores.

1. MElior est pauper, qui ambulat in simplicitate sua, quam dives (*a*) torquens labia sua, & insipiens.

2. Ubi non est scientia (*b*) animæ, non est bonum: & qui festinus est pedibus, offendet.

3. Stultitia hominis supplantat (*c*) gressus ejus: & contra Deum fervet animo suo.

4. Divitiæ addunt amicos plurimos: a paupere autem & hi, quos habuit, separantur.

5. * Testis falsus non erit impunitus: & qui mendacia loquitur, non effugiet. * Dan. 13. 61.

6. Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis.

7. Fratres hominis pauperis (*d*) oderunt eum: insuper & amici procul recesserunt ab eo.

Qui tantum verba sectatur, nihil habebit:

8. Qui autem possessor est mentis (*e*), diligit animam suam, & custos prudentiæ inveniet bona.

9. Falsus testis non erit impunitus: & qui loquitur mendacia, peribit.

10. Non decent stultum deliciæ, nec servum dominari principibus.

11. Doctrina viri per patientiam noscitur: & gloria ejus est iniqua prætergredi.

12. Sicut fremitus leonis (*f*), ita & regis ira: & sicut ros super herbam, ita & hilaritas ejus.

13. Dolor patris, filius stultus: & tecta jugiter perstillantia (*g*) litigiosa mulier.

14. Domus, & divitiæ dantur a parentibus: a Domino autem proprie (*h*) uxor prudens.

15. Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet.

16. Qui custodit mandatum, custodit animam suam: qui autem negligit viam suam, mortificabitur.

17. Fœneratur Domino qui miseretur pauperis: & vicissitudinem suam reddet ei.

18. Erudi filium tuum, ne (*i*) desperes: ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam.

19. Qui (*k*) impatiens est, sustinebit damnum: & cum rapuerit, aliud apponet.

20. Audi consilium, & suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis.

21. Multæ cogitationes in corde (*l*) viri, voluntas autem Domini permanebit.

22. Homo indigens misericors est: & melior est pauper, quam vir mendax.

23. Timor (*m*) Domini ad vitam: & in plenitudine commorabitur, absque visitatione pessima.

24. * Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam. * Inf. 26. 15.

25. * Pestilente flagellato stultus (*n*) sapientior erit: si autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam. * Inf. 21. 11.

26. Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est & infelix.

27. Non cesses fili audire doctrinam, nec ignores sermones scientiæ.

28. Testis iniquus deridet judicium: & os impiorum devorat iniquitatem.

29. Parata sunt derisoribus judicia (*o*): & mallei percutientes stultorum corporibus.

CA-

19. (*i*) Ut privatorum domus stant concordia, sic justitia securam efficit civitatem, magis quam seræ & vectes: Hebr. *Frater offensus superat fortem urbem. & contentiones sunt velut repagula palatii.* Cujus hæc est sententia ex Jans. Grand. Frater a fratre læsus fortius resistit, & durius se gerit quam civitas munita: contentiones inter fratres & amicos ortæ, ægre dirimuntur. LXX. *Frater a fratre adjutus: quasi civitas munita.*

20. (*k*) Metaphora repletionis corporis ad animum transferenda; vel de eloquentia hæc intelligi possunt, quæ opes parat.

21. (*l*) Ut quia lingua sua utitur, sic ei bona & mala contingunt.

23. (*m*) Pauper loqui non audet, dives ferox est in sermone suo: nam divitiæ ferociam pariunt.

24. (*n*) Qui humanus & benignus est, amico laboranti magis est utilis quam frater. Vir amicorum studiosus debet se amabilem præstare. Seneca Hecato ait, *Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine: si vis amari, ama.*

CAP. XIX. 1. (*a*) Hebr. *Quam perversus labiis*, Quam qui dolis & fraudibus ditescit; *Et insipiens*, Hebr. *Et ipse desipit*.

2. (*b*) Chald. *Qui nescit animam suam*, Qui seipsum ignorat, qui temere negotia suscipit; quod frequens est in iis, qui non satis seipsos norunt. Hebr. & Græce, Etiam sine scientia anima non est bona; idest, bene instituta.

3. (*c*) Est illi caussa ruinæ. *Fervet*, Irascetur Deo, illi tribuens, quod res male successerint, cum is stultitiam suam & peccatum accusare debeat, non providentiam.

7. (*d*) Contrarium illud est Menandri, omnes esse propinquos eorum, qui benigna utuntur fortuna. *Sectatur*, Qui verborum tantum elegantiæ studet. *Nihil habebit*, Nullum inde solidum fructum feret.

8. (*e*) Qui est sui compos, verbis dolosis fidem non habet.

11. (*f*) Quam bene sit institutus, ex patientia & moderatione animi cognoscitur: *Prætergredi*, Injurias illatas dissimulare, vel ignoscere.

13. (*g*) Tecta plana erant: Extra domum pellit maritum litigiosa mulier.

14. (*h*) Divitiæ etiam dantur a Deo, sed præcipue uxor bona; non a parentibus, qui sæpe falluntur, & magis solliciti sunt de dote, quam de moribus; *Sed a Deo*, qui solus dat prudentiam.

18. (*i*) Nam diligenti institutione multum proficitur: *Ne desperes*, LXX. *Ad contumeliam ne efferaris animo tuo*: Spes est, dum animus flecti potest.

19. (*k*) Qui de emendatione filii desperat, & deserit, *Damnum*, Dedecus familiæ suæ infamiæ notam. *Apponet*, Cum furatus fuerit, alia adjiciet furta.

21. (*l*) Adeo inconstans est homo, ut cogitationes suas & consilia quotidie mutet; multa homines tentant, & movent; id fit tamen quod Deus voluerit.

23. (*m*) Tria bona timori Domini tribuuntur, vita, plenitudo & satietas omnium bonorum, & securitas ab omni malo. Quæ perfecte implentur post hanc vitam, & in hac vita inchoantur;

25. (*n*) Ideo puniendi scelerati, ut ceteri meliores fiant.

29. (*o*) Pœnæ judicii sententia inflictæ: *Mallei*, Chald. *Verbera*.

CAPUT XX.

Luxuriosa res vinum ; de peccante in regem ; nemo potest dicere mundum se habere cor ; pondus & pondus.

1. **L**Uxuriosa res , vinum , & tumultuosa ebrietas : quicumque his delectatur , non erit sapiens.

2. Sicut rugitus leonis , ita & terror regis : qui provocat eum , peccat in animam suam.

3. Honor est homini , qui separat se a contentionibus : omnes autem stulti miscentur contumeliis.

4. Propter frigus piger arare noluit : mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.

* Sup. 18. 4. 5. * Sicut aqua profunda , sic consilium in corde viri : sed homo sapiens exhauriet illud.

6. Multi homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inveniet?

7. Justus , qui ambulat in simplicitate sua , beatos post se filios derelinquet.

8. Rex, qui sedet in solio (*a*) judicii , dissipat omne malum intuitu suo.

* 3. Reg. 8. 46. 2 Par. 6. 36. Eccles. 7. 21. 1. Joann 1. 8. 9. * Quis potest dicere : Mundum est cor meum, purus sum a peccato?

* Sup. 11. 1. & infr. 23. 10. * Pondus & pondus , mensura & mensura : utrumque (*b*) abominabile est apud Deum.

11. Ex studiis suis intelligitur (*c*) puer , si munda & recta sint opera ejus.

12. Aurem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit (*d*) utrumque.

13. Noli diligere somnum , ne te egestas opprimat : aperi oculos tuos , & saturare panibus.

14. Malum est, malum est, dicit (*e*) omnis emptor: & cum recesserit, tunc gloriabitur.

15. Est aurum , & multitudo gemmarum: & vas pretiosum labia (*f*) scientiæ.

* Inf. 27. 13. 16. * Tolle vestimentum ejus, qui fidejussor extitit alieni (*g*) , & pro extraneis aufer pignus ab eo.

17. Suavis est homini panis mendacii (*h*) : & postea implebitur os ejus calculo.

18. Cogitationes consiliis (*i*) roborantur: & gubernaculis tractanda sunt bella.

19. Ei, qui revelat (*k*) mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.

20. * Qui maledicit patri suo , & matri , extinguetur (*l*) lucerna ejus in mediis tenebris. * Exod. 21. 17. Lev. 20. 9. Matth. 15. 4.

21. Hæreditas , ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit.

22. * Ne dicas : Reddam (*m*) malum : expecta Dominum, & liberabit te. * Rom. 12. 17. 1. Thess. 5. 15. 1. Pet. 3. 9.

23. * Abominatio est apud Dominum pondus & pondus: statera dolosa non est bona. * Sup. 11. 10. Sup. 16. 2.

24. A Domino diriguntur gressus viri : quis autem hominum intelligere potest viam suam?

25. Ruina est homini devorare (*n*) sanctos , & post vota retractare.

26. Dissipat impios rex sapiens , & incurvat super eos (*o*) fornicem.

27. Lucerna (*p*) Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris.

28. Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus ejus.

29. Exultatio juvenum , fortitudo eorum: & dignitas (*q*) senum, canities.

30. Livor vulneris absterget mala (*r*) : & plagæ in secretioribus ventris.

CAPUT XXI.

Cordium appensor Deus; misericordiæ, justitiæ & aliis virtutibus incumbendum.

1. **S**Icut divisiones aquarum (*a*), ita cor regis in manu Domini : quocumque voluerit, inclinabit illud.

2. * Omnis via viri recta sibi videtur : appendit autem corda Dominus. * Sup. 16. 2. & 20. 24.

3. Facere misericordiam & judicium , magis placet Domino, quam victimæ.

4. Exaltatio oculorum est (*b*) dilatatio cordis: lucerna impiorum peccatum.

5. Cogi-

CAP. XX. 8. (*a*) Facilius Reges inveniunt remedia malis sibi cognitis, cum ipsi jus dicunt, non per alios ; cum dant operam ; ut cives æquitate regantur, eos meliores faciunt. Seneca in Thyeste: *Rex velit honesta, nemo non eadem volet.*

10. (*b*) Contra eos loquitur, qui majori mensura emunt, minori vendunt. Idipsum August. ad eos transfert , qui pro arbitrio, & non ex scripturis aut traditione gravia & levia peccata decernunt; quique appendunt in stateris dolosis quod volunt , dicentes hoc grave , & illud leve. Lib. de baptis. contra Donat. cap. 6.

11. (*c*) Ex iis rebus , quibus maxime delectatur. Hebr. Etiam in *studiis suis agnoscitur puer ; Si mundum & rectum opus ejus*, suppleri potest, futurum sit : ex iis quibus deditus est puer, utram viam insistat, bonam , an malam , cum adoleverit, licet augurari.

12. (*d*) Iis ergo bene utendum, & ob eum finem ad quem hi sensus nostri sunt instituti. Quamobrem a prima ætate pueri videant, & audiant honesta; non turpia: *Panibus*. Ut habeas unde vitam sustentes.

14. (*e*) Humanum ingenium insinuat , promptum ad sua laudanda, & aliena vituperanda.

15. (*f*) Perita & cum sapientia conjuncta : quæ præferri debent auro & gemmis.

16. (*g*) Qui fidejubet pro extraneo , vestimento suo exuatur.

17. (*h*) Bonus in speciem , sed non satis purgatus a calculis : multa sunt in speciem bona , quæ non bene noscuntur nisi experimentis : sic fructus mendacii reipsa amarus est.

18. (*i*) Quæ facienda cogitamus , non ante suscipienda, quam prius deliberata fuerint. *Gubernaculis* , Non solis viribus fidendum: Hebr. *Per industriam*.

19. (*k*) Amicus sit arcani tenax, non fictus, non verbosus.

20. & 21. (*l*) Vita ejus , aut temporalis felicitas . *Hæreditas* . Opes citius quæsitæ , admodum suspectæ . *Carebit* , Hæreditatem vocat jus omne quod a parentibus ad liberos transmitti potest ; possessio etiam hæreditas vocatur.

22. (*m*) Ultio ad Deum pertinet, patientia ad hominem ; exigui est animi ultio : unde vindicta nemo magis gaudet quam femina.

25. (*n*) In Hebr. *Ruina est homini devorare sanctificatum*, In suos usus Deo dedicata vertere.

26. (*o*) Hebr. & Græce . *Et immittet eis rotam* : genus quoddam supplicii indicat , quo ossa frangebantur.

27. (*p*) Anima humana , seu vis intelligendi sic accensa est in homine, ut investiget & cognoscat quæ latent; vel potius Deum occulta hominis intuetur.

29. (*q*) Utrique & juvenes & senes sua habent dona reipublicæ necessaria ; illi fortitudinem , hi canitiem , usum rerum & sapientiam.

30. (*r*) Nam mali plagis emendantur . *Ventris*, Graviores punitiones, aut morbi, qui a peccatis nos evocant: dolor est medicina doloris. *Livor*, Ejectio puris, quo vulnus livescit, mali est abstersio : aliud est cum ulcus alte penetrat , tum enim incisione opus est.

CAP. XXI. 1. (*a*) Ut in potestate est hortulani quocumque voluerit aquas irriguas deducere ; ita cor regis a Deo inclinatur ad quodcumque voluerit opus bonum.

4. (*b*) Tumor cordis . *Peccatum* , In suis sceleribus gloriantes . Exaltatio oculorum , & dilatatio cordis , qua omnia se posse putant , utaque impiorum lucerna , in qua felicitatem suam & gloriam reponunt , grande est peccatum.

5. Cogitationes robusti semper in abundantia: omnis autem piger (c) semper in egestate est.

6. Qui congregat thesauros lingua mendacii (d), vanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis.

7. Rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere judicium.

8. Perversa via viri, aliena est: qui autem mundus est, rectum opus ejus.

* Inf. 25. 24. 9. * Melius est sedere in angulo (e) domatis, quam cum muliere litigiosa, & in domo communi.

10. Anima impii desiderat malum, non miserebitur proximo suo.

* Sup. 19. 25. 11. * Mulctato pestilente sapientior erit parvulus: & si sectetur sapientem, sumet scientiam.

12. Excogitat justus de domo impii, ut detrahat impios (f) a malo.

13. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.

14. Munus absconditum (g) extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam.

15. Gaudium justo est facere judicium, & pavor operantibus iniquitatem.

16. Vir, qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur.

17. Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.

18. Pro justo datur (h) impius: & pro rectis iniquus.

* Sup. 9. 9. Eccli. 25. 21. 19. * Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa & iracunda.

20. Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo justi: & imprudens homo dissipabit illud.

21. Qui sequitur justitiam & misericordiam, inveniet vitam, justitiam, & gloriam.

22. Civitatem fortium ascendit (i) sapiens, & destruxit robur fiduciæ ejus.

23. Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam.

24. Superbus & arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam.

25. Desideria occidunt (k) pigrum: noluerunt enim quidquam manus ejus operari.

26. Tota die concupiscit & desiderat: qui autem justus est, tribuet, & non cessabit.

27. * Hostiæ impiorum abominabiles, quia offerunt (l) ex scelere. * Sup. 15. 8. Eccli. 34. 22.

28. Testis mendax peribit: vir obediens loquetur victoriam.

29. Vir impius procaciter obfirmat vultum suum: qui autem rectus est, corrigit viam suam.

30. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.

31. Equus paratur ad diem belli: Dominus autem salutem (m) tribuit.

CAPUT XXII.

Cura habenda est bonæ famæ; dives & pauper coram Deo sunt æquo jure; cordis munditia, diligentia, benignitas in pauperes, bona institutio commendatur.

1. MElius est nomen bonum, quam divitiæ multæ: super argentum & aurum, gratia (a) bona. Eccl. 7. 2.

2. Dives & pauper (b) obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus.

3. Callidus vidit malum (c), & abscondit se: innocens pertransiit, & afflictus est damno.

4. Finis (d) modestiæ timor Domini, divitiæ & gloria & vita.

5. Arma & gladii in via perversi: custos autem animæ suæ longe recedit ab eis (e).

6. Proverbium est: Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.

7. Dives pauperibus imperat: & qui accipit mutuum, servus est fœnerantis.

8. Qui seminat iniquitatem, metet mala, & virga iræ suæ (f) consummabitur.

9. * Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi. * Eccli. 31. 28.

Victoriam & honorem acquiret qui dat munera; animam autem aufert (g) accipientium.

10. Ejice

---

5. (c) Hebr. *Procerte semper in egestate est*. Diligentia copiam [illegible] parit; qui tamen cito ditescunt, [illegible] ; unde hi plerumque ad egestatem rediguntur.

6. (d) Divitiæ mendacio & fraude quæsitæ sunt instabiles, & mortem afferunt, sæpe temporalem, semper æternam.

9. (e) Sub dio. *Commun.*, Sæpe hactenus homines se induunt temere [illegible] quæ magno labore feruntur, magno gravant [illegible] una eas disrumpit.

12. (f) De salute impii est sollicitus: Hebr. *Intelligit*, Prospicit impii [illegible].

14. 15. & 16. (g) Placat eum, qui vehementer in nos excanduerunt. *Pavor*, nam reluctante conscientia peccant; *Gigantum*: Alii vertunt *dæmonum*, alii *mortuorum*.

18. & 19. (h) Hebr. *Redemptio pro justo est impius*. Puniuntur impii [illegible] & reipublicæ expiatio. *In Iracunda*, Tolerari aliquo modo posset rixosa mulier, nisi etiam esset iracunda: quod si ad insaniam viros adigit iracundia, quid non faciet in muliere?

22. (i) Munitæ civitates in eodem consilio magis expugnantur, quam vi: vel sapiens civitatem pugnacem & præsidentem ad sana consilia perducit.

25. & 26. (k) Piger ab opere refugit, & torquetur rei consequendæ desiderio. *Concupiscit*. Piger: Nam superiorem prosequitur sententiam. Pigrum occidunt desideria rerum alienarum.

27. & 28. (l) Ex Hebr. *Sacrificium impiorum abominatio, quanto magis si in scelere offerant illud?* Si per scelus & ex rapina. *Obediens*, Probus: aut qui paret legi. Loquitur, Victoriam consequetur de adversario, cum quo litigat.

31. (m) Nulla potestas sine Deo valet, hinc omnis expectanda salus, sic tamen ut non omittantur humana subsidia.

CAPUT XXII. 1. (a) Nitoræ dona, gratia, seu gratiositas; qua quia gratus est apud Deum & homines, melior est auro & argento.

2. (b) In eadem civitate pauperes sunt & divites. *Dominus*. Naturali conditione pares, neque adeo contemnendi pauperes; alter alteri utilis est.

3. (c) Prudens vidit imminens periculum. *Damno*, Insipiens pergit in eo quod cœperat itinere, aut periculum non advertit.

4. (d) Perfectio, seu fructus est humilitatis: hæc enim linguam & actiones, incessum moderatur: cum virtus est, non exterior tantum, ex timore Dei proficiscitur.

5. & 6. (e) Hebr. *Spinæ & laquei*: *Longe recedit*. Ab ea vivendi ratione, a puerili ætate ea sunt spargenda semina, quæ postea metere volumus. *Juxta viam suam*, sic exponit Drusius. Juxta vitæ institutum, ad quod natura propensus est: ut innuat quemque instituendum esse juxta naturam & indolem suam.

8. (f) Quod in alios sævierit, & abusus fuerit potestate sua, auctoritatem perdet suam præ ira & sævitia. Ex Hebræo vertunt, *Qui seminat pravitatem; metet iniquitatem, seu pœnam iniquitatis*, prave facta exitio sunt auctori suo; sæpius ea virga, qua alios percussit, ferietur.

9. (g) Benevolentiam eorum sibi conciliat. Ea ratione justitia venditur cum aliqua honestatis specie.

10. Ejice (*h*) derisorem, & exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ & contumeliæ.

11. Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.

12. Oculi Domini custodiunt scientiam (*i*): & supplantantur verba iniqui.

13. Dicit piger: Leo est foris, in medio platearum occidendus sum.

14. Fovea profunda os alienæ: cui iratus est Dominus, incidet in eam.

15. Stultitia colligata est in corde (*k*) pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.

16. Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit.

17. Inclina aurem tuam, & audi verba sapientium: appone autem cor ad doctrinam meam,

18. Quæ pulcra erit tibi, cum servaveris eam in ventre tuo, & redundabit in labiis tuis:

19. Ut sit in Domino fiducia tua, unde & ostendi eam tibi hodie.

20. Ecce descripsi eam tibi (*l*) tripliciter, in cogitationibus & scientia:

21. Ut ostenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis, respondere ex his illis, qui miserunt te (*m*).

22. Non facias violentiam pauperi, quia pauper est: neque conteras egenum in porta:

23. Quia judicabit Dominus causam ejus, & configet eos, qui confixerunt animam ejus.

24. Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso:

25. Ne forte discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ.

26. Noli esse cum his, qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis:

27. Si enim non habes unde restituas, quid causæ est ut tollat operimentum de cubili tuo?

28. Ne transgrediaris terminos (*n*) antiquos, quos posuerunt patres tui.

29. Vidisti virum velocem in opere suo? coram regibus stabit, nec erit ante ignobiles.

CAPUT XXIII.

Linguæ moderatio in conviviis habenda: nimia divitiarum cupiditas, invidorum consortia, crapula & luxuria vitanda.

1. Quando sederis ut comedas cum principe, diligenter attende quæ apposita (*a*) sunt ante faciem tuam:

2. Et statue cultrum (*b*) in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam,

3. Ne desideres de cibis ejus, in quo est (*c*) panis mendacii.

4. Noli laborare ut diteris (*d*): sed prudentiæ tuæ pone modum.

5. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum.

6. Ne comedas cum homine invido (*e*), & ne desideres cibos ejus:

7. Quoniam in similitudinem arioli, & conjectoris (*f*), æstimat quod ignorat.

Comede & bibe, dicet tibi: & mens ejus non est tecum.

8. Cibos, quos comederas (*g*), evomes: & perdes pulcros sermones tuos.

9. In auribus insipientium ne loquaris: quia despicient doctrinam eloquii tui.

10. Ne attingas (*h*) parvulorum terminos: & agrum pupillorum ne introeas:

11. Propinquus enim illorum (*i*) fortis est: & ipse judicabit contra te causam illorum.

12. Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba scientiæ.

13. * Noli subtrahere a puero disciplinam: * Sup. 13. 24. & 19. 18.
si enim percusseris eum virga, non morietur.
14. Tu virga percuties eum, & animam ejus Eccli 30.1.
de inferno liberabis. Inf. 29. 15.

15. Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meum:

16. Et exultabunt renes mei, cum locuta fuerint rectum labia tua.

17. * Non æmuletur cor tuum peccatores: *Infr. 24. 1.
sed in timore Domini esto tota die:

18. Quia habebis spem in novissimo (*k*), & præstolatio tua non auferetur.

19. Audi fili mi, & esto sapiens: & dirige in via animum tuum.

20. Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt:

21. Quia

10. (*h*) Tales ingeniosi magna quandoque jurgia excitant.

12. (*i*) Sent. Interpr. *Sensum*: Deus singulari favore prosequitur consilia sapientium. *Iniqui*. Frustrantur successu.

15. (*k*) Tenacius adhæret: *Fugabit*. Castigatio qua ad disciplinam conformentur, non enim perfecte in ratione ducuntur: per virgam disciplinæ moderatam castigationem significat, non virgam iræ & sævitiæ.

20. (*l*) Multiplici modo. *Scientia*; Cum magna rerum moderatione; sapientia apud Hebræos triplex, ethica, naturalis, & theologica: de his omnibus scripsit Salomon.

21. (*m*) Solidam doctrinam. *Miserunt te*. Ut iis respondere possis, qui te ad tractandum negotium miserunt. Hebr. *Mittentibus ad te*: LXX. *Qui proponunt tibi*, Qui te consulunt: Et tendant præcepta mea, ut affectus animi, verba, & actiones tuas regas.

28. (*n*) Fines agrorum: atque hunc locum Sancti Patres aptant Hæreticis: non temere sunt immutanda, quæ legibus & consuetudine majorum recepta sunt.

CAPUT XXIII. 1. (*a*) Circumspecte utere iis quæ opposita sunt, ne voluptate cibi captus indecenter comedas.

2. (*b*) Cohibe teipsum ab intemperantia: si tamen vales teipsum cohibere.

3. (*c*) Cibi ejus fallaces sunt, inescabunt te: panis mendacii sunt alimenta falsa voluptate blandientia.

4. (*d*) Hebr. *Noli fatigari*. *Modum*. Quid præ aliis consequeris præter solicitudinem, luxum, vestitum, majores domi tumultus?

6. (*e*) Hebr. N. *comedas panem mali oculi*, vel invidi, vel sordidi.

7. (*f*) Male de te judicabit; arcana tua & cogitationes vult penetrare; tua omnia in pravum sensum detorquebit; te ut gulæ deditum, fictum, avarum interpretabitur.

8. (*g*) Dolebis te degustasse de cibis ejus.

10. (*h*) Hoc est, ne transgrediaris terminos & agros pupillorum. *Ne introeas*, Occupaturus: Hebr. *Ne moveas terminum sæculi*, veteres terminos.

11. (*i*) Qui redimet quod venditum erat. Simul innuit Deum ipsum esse redemptorem pupillorum, & injurias iis illatas ulturum. Propinquus in textu Hebræo, *redemptorem*, & vindicem significat.

18. (*k*) Hebr. *Quia tibi erit posteritas*. Non *auferetur*. Spes certa est mercedis in futurum repositæ perseveranti in timore Dei.

21. Quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur, & vestietur pannis dormitatio.

22. Audi patrem tuum, qui genuit te: & ne contemnas cum senuerit mater tua.

23. Veritatem eme (*l*), & noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam.

24. Exultat gaudio pater justi: qui sapientem genuit, lætabitur in eo.

25. Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet quæ genuit te.

26. Præbe fili mi cor tuum mihi: & oculi tui vias meas custodiant.

27. Fovea (*m*) enim profunda est meretrix: & puteus angustus, aliena.

28. Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos viderit, interficiet.

29. Cui væ (*n*)? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum?

30. Nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?

31. Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blande,

32. Sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.

33. Oculi tui videbunt extraneas (*o*), & cor tuum loquetur perversa.

34. Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator, amisso clavo:

35. Et dices: Verberaverunt me, sed non dolui: traxerunt me, & ego non sensi: quando evigilabo, & rursus vina reperiam?

CAPUT XXIV.

Consuetudo malorum fugienda; sapientia studendum; tuendus est proximus: Deum & Regem timere, juste judicare debemus, non gaudere de inimici casu, nec otio indulgere.

Sup.23.17. 1. NE æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis:

2. Quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur.

3. Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur.

4. In doctrina replebuntur cellaria, universa substantia pretiosa & pulcherrima.

5. Vir sapiens, fortis est (*a*): & vir doctus, robustus & validus.

6. Quia cum dispositione (*b*) initur bellum; & erit salus ubi multa consilia sunt.

7. Excelsa (*c*) stulto sapientia, in porta non aperiet os suum.

8. Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur.

9. Cogitatio stulti peccatum est: & abominatio hominum detractor.

10. Si desperaveris lassus in die angustiæ (*d*): imminuetur fortitudo tua.

11. * Erue (*e*) eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. *Psal.81.4.

12. Si dixeris: Vires non suppetunt: qui inspector est cordis, ipse intelligit, & servatorem animæ tuæ nihil fallit, redditque homini juxta opera sua.

13. * Comede (*f*), fili mi, mel, quia bonum est, & favum dulcissimum gutturi tuo. *Inf.25.16. 27.

14. Sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ: quam cum inveneris, habebis in novissimis spem, & spes tua non peribit.

15. Ne insidieris, & quæras impietatem in domo justi, neque vastes requiem ejus.

16. Septies (*g*) enim cadet justus, & resurget: impii autem corruent in malum.

17. Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum:

18. Ne forte videat Dominus, & displiceat ei, & auferat (*h*) ab eo iram suam.

19. Ne contendas cum pessimis, nec æmuleris impios:

20. Quoniam non habent futurorum spem mali, & lucerna impiorum (*i*) extinguetur.

21. Time Dominum, fili mi, & regem: & cum detractoribus non commiscearis:

22. Quoniam repente consurget perditio eorum: & ruinam utriusque quis novit?

23. Hæc quoque (*k*) sapientibus: * Cognoscere personam in judicio non est bonum. * Lev. 19. 15. Deut.1.17. & 16. 17. Eccli.42.1.

24. Qui dicunt impio: Justus es: maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus.

25. Qui arguunt eum, laudabuntur: & super ipsos veniet benedictio.

26. Labia deosculabitur, qui recta verba respondet.

27. Præ-

---

23. (*l*) Veros & solidos thesauros tibi compara. *Vendere*, Sept. Interpr. *Alienare*. Videntur hæc conjungenda, *sapientiam & doctrinam, & intelligentiam*, supple, *eme*, & non vendas. Veritatem eme, ne fallas teipsum, ne alios decipias; sapienter cogita, sincere loquere.

27. (*m*) Quæ pecunia expleri nequit: *Aliena*, Adultera: Ex eo non præteris emergere, difficiles habet exitus.

29. (*n*) Cuinam impendet calamitas? *Suffusio*, Morbus oculorum, rubor.

33. & 34. (*o*) Grotius vertit *Extraneæ*. Res miras videre tibi videberis. *Mari*, Fluctibus undique agitatus.

CAPUT XXIV. 5. (*a*) Prudentia supplet fortitudinis defectum. Etiam si corporis desint vires, plura tamen & fortiora aliis præstat, & in bello maxime.

6. (*b*) Multum in bello possunt militum ordo & disciplina, consilia; initur bellum consilio & industria. In rebus publicis, aut etiam cum aliquid præter consuetum vitæ ordinem est suscipiendum, multi sunt consulendi; in privatis rebus unius prudentis consilium exquirendum: *Consilium semper a sapiente perquire*. Tob. 4.

7. & 9. (*c*) Ad quam pervenire posse desperat. *Peccatum*, Stultus, vel scelestus, de peccato perpetrando assidue cogitat.

10. (*d*) Hebr. *Remissus fuisti in die angustiæ*: Angusta est fortitudo tua, si ad quælibet adversa concidis animo: calamitas est virtutis occasio.

11. (*e*) His impende opem, qui sunt in magno mortis per injuriam inferendæ periculo.

13. (*f*) Vel *comedes*. Sed multo gratiora sunt præcepta sapientiæ.

16. (*g*) Addi solet, *septies in die*, sed nusquam id reperitur: ac duplex est sensus 1. ne quæras justo calumniandi occasionem, neque vastes, seu turbes requiem ejus; ne scruteris ejus intima. Nam si sepius ceciderit venialiter peccando, resurget, Deo erigente. Alii de afflictionibus id intelligunt; ut Psalm. 33. vers. 20. *Multæ tribulationes justorum; & de omnibus his liberabit eos Dominus*. *Impii*, Sic cadit impius ut non resurgat: atque ex hoc ipso est impius. Justus sæpius in calamitates incurrit, & ex iis emergit. Vox Hebræa nusquam significat *peccare*, sed *cadere*.

18. & 19. (*h*) Et in te transferat. *Cum pessimis*, idem verbum est in altero hemistichio, *nec æmuleris impios*: & Psalm. 36. *Noli æmulari in malignantibus*.

20. & 21. (*i*) Splendor ille dignitatis, & potentiæ. *Detractoribus*, Qui Dei, & Regis mandatis detrahunt. Alii legunt, *Cum mutantibus*, cum iis qui res novas quærunt.

23. (*k*) Nam insipientibus nihil prodest hæc dicere: vertunt alii, *Hæc quoque sapientum*.

27. Præpara (*l*) foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum: ut postea ædifices domum tuam.

28. Ne sis testis frustra contra proximum tuum: nec lactes quemquam labiis tuis.

* Sup. 20. 22. 29. * Nec dicas: Quomodo fecit mihi, sic faciam ei (*m*): reddam unicuique secundum opus suum.

30. Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti:

31. Et ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat.

32. Quod cum vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam.

33. Parum, inquam, dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres, ut quiescas:

34. Et veniet tibi quasi cursor egestas, & mendicitas quasi vir (*n*) armatus.

CAPUT XXV.

Gloria Dei, & Regum; pietas, mansuetudo, & alia virtutes laudantur, & variis metaphoris adumbrantur.

1. HÆ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt (*a*) viri Ezechiæ regis Juda.

2. Gloria Dei est celare (*b*) verbum, & gloria regum investigare sermonem.

3. Cælum sursum, & terra deorsum, & (*c*) cor regum inscrutabile.

4. Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum:

5. Aufer impietatem de vultu regis, & firmabitur justitia thronus ejus.

6. Ne gloriosus appareas coram rege, & in loco magnorum ne steteris.

7. Melius est enim ut dicatur tibi: Ascende huc: quam ut humilieris coram principe.

8. Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio cito: ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum.

9. Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reveles:

10. Ne forte insultet tibi cum audierit, & exprobrare non cesset.

Gratia & amicitia (*d*) liberant: quas tibi serva, ne exprobrabilis fias.

11. Mala aurea (*e*) in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.

12. Inauris aurea, & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem (*f*) obedientem.

13. Sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit eum, animam ipsius requiescere facit.

14. Nubes, & ventus, & pluviæ non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens.

15. Patientia lenietur princeps, * & lingua mollis confringet (*g*) duritiam. *Sup. 15. 1.

16. Mel invenisti, comede quod sufficit tibi, ne forte satiatus (*h*) evomas illud.

17. Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus (*i*) oderit te.

18. Jaculum, & gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur (*k*) contra proximum suum falsum testimonium.

19. Deus putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die (*l*) angustiæ,

20. Et amittit (*m*) pallium in die frigoris. Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo.

Sicut tinea vestimento, & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi.

21. * Si esurierit (*n*) inimicus tuus, ciba illum, si sitierit, da ei aquam bibere: *Rom. 12. 20.

22. Prunas enim congregabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi.

23. Ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem.

24. * Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa, & in domo communi. *Sup. 21. 9.

25. Aqua frigida animæ sitienti, & nuntius bonus de terra longinqua.

26. Fons turbatus pede, & vena corrupta, justus cadens coram impio.

27. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: * sic qui (*o*) scrutator est majestatis, opprimetur a gloria. * Eccli. 3. 22.

28. Sicut

---

27 (*l*) De providendis sumptibus agriculturæ ope, antequam ædificare aggrediaris, consilium dat.

29. (*m*) Ultionem prohibet. Lex illa fuit Judæis, *oculum pro oculo*, sed ut pulcre Augustinus in Psalm. 108. *Hæc si dici potest, injustorum justitia est*. Ultioni fines erant præscripti, justum erat ut homo idem perferret supplicium; sed lex ipsa id præscribere debebat, non homo læsus expetere.

34 (*n*) Cui non poteris resistere.

CAPUT XXV. 1. (*a*) E variis libris in unum contulerunt.

2. (*b*) Quod consilia Dei sint inscrutabilia, hoc ad ejus gloriam pertinet: Regum consilia eo laudabiliora, quo eorum æquitas sapientibus magis est conspicua. Reges probabilia consilia sectantur, inaccessa, & inscrutabilia Deo relinquant: ita Episcop. Meldensis. *Verbi* etiam nomine decreta multa Dei possunt intelligi: *Sermonem*, Res subditorum suorum, opes, actiones, consilia, ita Grotius.

3. (*c*) Propter artem regnandi, & arcanorum vim, quæ venerari debemus, non scrutari: ut cæli altitudo, aut terræ profunditas comprehendi a nobis non potest: ita nec principum arcana.

10. (*d*) Hic vers. deest in Hebræo: sed habetur in LXX. Gratia Dei & hominum benevolentia liberum reddunt hominem & ingenuum: ac proinde utraque custodienda, ne sis amissis fiis exprobrabilis.

11. (*e*) Ut mala aurea lectis argenteis imposita, illos exornant: ita verbum opportune dictum, multum afficit audientes.

12. (*f*) Hebr. *Inauris aurea, & ornamentum; vel monile auri obryzi sapiens corripiens ad aurem obedientem*: uterque enim plurimum decoris addit alteri.

15. (*g*) Longanimitate principis ira lenietur, & sermone blando.

16 (*h*) Non simus nimium curiosi in rerum divinarum indagatione, ne inde nobis contingat, atque iis qui de melle plus satis comederunt, idque evomere coguntur.

17. (*i*) Dignus est enim odio importunus amicus. LXX. *Raro infer pedem tuum ad amicum tuum*.

18. (*k*) Qui contra proximum dicit falsum testimonium, idem facit illi, qui caput hominis malleo, ex Hebræo, aut clava contunderet, aut gladio jugularet, aut sagitta cor ejus transfigeret.

19. (*l*) Qui in hoc sæculo spes omnes suas collocant, cum dies afflictionis venerit, tum demum agnoscent quantum eos spes sua fefellerit. Ii similes sunt homini, qui edere non potest, quod dentes ejus putridi sint.

20. (*m*) Sicut qui demittit in frigore pallium, aut acetum infundit nitro, quo dissolvitur: sic homo intempestivus qui cantat carmina cordi afflicto. Nitrum abstergit sordes vestium, si aqua diluatur; non item si aceto dissolvatur, ut videtur Cajetano: *Tristitia*. Est enim tristitia instar veneni lenti, quod magnum dolorem non parit, sed mortem sensim accelerat; ut tinea vestem, putredo lignum, sic tristitia mali speciem auget, & quæ videntur mala, in vera commutat.

21. (*n*) Alludit ad hunc locum Apostolus Rom. 12. Præceptum est generale, omnibus bonum, nulli malum velle: deinde data occasione affectum erga inimicum ostendere, ea c. 5. Matth. & Lucæ, cap. 6.

27. (*o*) Non ille est scrutator majestatis, qui scrutatur Scripturas cum humilitate, sed qui vult penetrare mysteria: nam id evenit, ut fulgore majestatis divinæ perstrictus in varios incidat errores.

28. Sicut urbs patens & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo (*p*) cohibere spiritum suum.

CAPUT XXVI.

Alieno loco posita dedecent; calumnia contemnenda; unde jurgia, falsa simplicitas, verba fallacia.

1. QUomodo nix in æstate, & pluviæ in messe: sic indecens est stulto gloria.

2. Sicut avis ad alia transvolans (*a*), & passer quo libet vadens: sic maledictum frustra prolatum in quempiam superveniet.

* Sup. 13. 15. 3. Flagellum equo, & (*b*) camus asino, * & virga in dorso imprudentium.

4. Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris (*c*) ei similis.

5. Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi (*d*) sapiens esse videatur.

6. Claudus (*e*) pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum.

7. Quomodo pulcras frustra habet claudus tibias: sic (*f*) indecens est in ore stultorum parabola.

8. Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii (*g*): ita qui tribuit insipienti honorem.

9. Quomodo si spina nascatur in manu temulenti: sic parabola in ore stultorum.

10. Judicium (*h*) determinat caussas: & qui imponit stulto silentium, iras mitigat.

* 2. Petr. 2. 22. 11. * Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam.

12. Vidisti hominem sapientem (*i*) sibi videri? magis illo spem habebit insipiens.

13. Dicit piger (*k*): Leo est in via, & leæna in itineribus:

14. Sicut ostium (*l*) vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.

* Sup. 19. 24. 15. * Abscondit piger manum sub ascella sua, & laborat si ad os suum eam converterit.

16. Sapientior (*m*) sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.

17. Sicut qui apprehendit auribus (*n*) canem, sic qui transit impatiens, & commiscetur rixæ alterius.

18. Sicut noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem:

19. Ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo: & cum fuerit deprehensus, dicit: Ludens feci.

20. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: & susurrone subtracto, jurgia conquiescent.

21. Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, * sic homo iracundus suscitat rixas. * Sup. 15. 11.

22. Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perveniunt ad intima ventris.

23. Quomodo si argento sordido (*o*) ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata.

24. Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tractaverit dolos.

25. Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius.

26. Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio.

27. Qui fodit foveam, incidet in eam: & qui volvit lapidem, revertetur ad eum.

28. Lingua fallax non amat veritatem: & os lubricum (*p*) operatur ruinas.

CAPUT XXVII.

Incertum crastinum: ne laudes teipsum, amicitiam fove, adulationem devita, iram compesce, curam tuorum gere.

1. NE glorieris in (*a*) crastinum, ignorans quid superventura pariat dies:

2. Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua.

3. * Grave est saxum, & onerosa arena: * Eccli. 22. 18. sed ira stulti (*b*) utroque gravior.

4. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitati ferre quis poterit?

5. Me-

28. (*p*) Loquendi intemperantiam designat: nam verba temere erumpunt, sicut ex patenti urbe & absque muro quilibet exire potest. In consiliis secretum est munimentum validissimum.

CAPUT XXVI. 2. (*a*) Alii sic vertunt: sicut avis est vagari, & hirundinis volare, sic execratio sine caussa facta eventum non habebit: ut avis, sic in ventos abit.

3. (*b*) Est phrasis Hebraica, divisim tribuens duobus quod utrique convenit. Videtur quædam hoc loco esse vocum inversio: nam flagellum asino, frænum equo convenit: id vero insinuat eos tractandos esse duriter, qui servili sunt ingenio: contra generosa indoles lenitate potius quam imperio ducitur.

4. (*c*) Stulte & insipienter respondens, & convitiando.

5. (*d*) Solidis rationibus revincendo, & gravibus verbis arguendo. Interdum stulto respondendum, ne sibi sapiens videatur; sunt quædam sententiæ in speciem pugnantes, sed adhibita temporum discretione facile conciliantur.

6. (*e*) Nemo utatur stulto nuntio, nisi qui ita claudus est, ut ire non possit. *Bibens*. Hebr. *Bibent damnum*, qui damno afficitur; ut qui claudum mittit in longinquam regionem, ita qui imperito homine utatur in re magni momenti tractanda.

7. (*f*) Ut claudus licet tibias habeat, non potest tamen iis bene uti; ita sententia sapientiæ plena stulto non convenit, qui inepte ea utitur, & facta a verbis dissentiunt.

8. (*g*) Qui in acervum communium lapidum, quales in triviis ad statuas Mercurii cernebantur, pretiosum lapidem conjicit: ejusmodi acervi, in quos viatores quique mittebant ex superstitione lapides, dicuntur cumuli mercuriales. Mercurius erat Deus itinerum cum incedere non posset, ita evenit, cum auctoritas ei tribuitur, cui ferendæ par non est.

10. (*h*) Decidit caussas & lites, ita qui imponit stulto silentium, iras mitigat, cujus sermones semper rixas provocant.

12. (*i*) Qui sibi placet: magis est deploratus quam stultus qui minus alte sapit, & minora de se præsumit, cum ille sibi persuadeat se falli non posse.

13. (*k*) Homines ignavi semper caussam afferunt, cur ferientur; pericula quæ nulla sunt, fingunt.

14. (*l*) Nam piger voluratur in lecto, & præ somnolentia illi quasi affixus manet; varia cogitat, incipit, mox ab incepto desistit, in lecto semper volvitur, rerum suarum negligens.

16. (*m*) Sapientiorem se putat, dum otiosæ vitæ indulget, iis omnibus qui actuosam vitam agunt.

17. (*n*) Efferatum, ad mordendum eum incitat; sic qui transiens alienæ rixæ se immiscet, cum nihil opus est: hoc in eos cadit qui lacessunt homines mordaces.

23. (*o*) Scoria nempe argenti. *Sociata*, Lingua arrogans, & cor malignum: ambo æque indecora & mala sunt; vel qui sub specie virtutis malam mentem tegunt, foris splendent, intus sordidi.

28. (*p*) Quod facile loquitur, vel lene & blandum, sed fraudulentum & fallax cor inficit.

1. (*a*) LXX Os *futura*: In crastinum, quod non est in tua potestate; utere prudenter præsenti tempore. CAPUT XXVII.

3. (*b*) Non enim stultus facile placatur, nullam admittit satisfactionem; ira ejus est sine modo: sapientis ira justa est, temperata, & facile sedatur.

5. Melior est manifesta correptio (c), quam amor absconditus.

6. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.

* Job 6. 7. 7. * Anima saturata calcabit favum, & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.

8. Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir, qui derelinquit (d) locum suum.

9. Unguento & variis odoribus delectatur cor: & bonis amici consiliis anima dulcoratur.

10. Amicum tuum, & amicum patris tui ne (e) dimiseris: & domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ.

Melior est vicinus juxta, quam frater procul.

11. Stude sapientiæ fili mi, & lætifica cor meum, ut possis exprobranti respondere sermonem.

12. Astutus videns malum, absconditus est: parvuli transeuntes sustinuerunt dispendia.

* Sup. 20. 16. 13. * Tolle vestimentum ejus, qui spopondit pro extraneo: & pro alienis, aufer ei pignus.

14. Qui benedicit proximo suo voce (f) grandi, de nocte consurgens maledicenti similis erit.

* Sup. 19. 13. 15. * Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur.

16. Qui retinet (g) eam, quasi qui ventum teneat, & oleum dexteræ suæ vocabit.

17. Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit (h) faciem amici sui.

18. Qui servat ficum, comedet (i) fructus ejus: & qui custos est domini sui, glorificabitur.

19. Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt (k) prudentibus.

* Eccli. 14. 9 20. Infernus & perditio numquam (l) implentur: similiter & * oculi hominum insatiabiles.

* Sup. 17. 3. 21. * Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: sic probatur homo ore laudantis:

Cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum inquirit scientiam.

22. Si contuderis stultum in pila quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.

23. Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges (m) considera:

24. Non enim habebis jugiter potestatem: sed corona tribuetur in generationem & generationem.

25. Aperta sunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta sunt fœna de (n) montibus.

26. * Agni ad vestimentum tuum: & hædi ad agri pretium. * 1. Tim. 6. 8.

27. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tuæ: & ad victum ancillis tuis.

CAPUT XXVIII.

Impius pavet citra rationem, pauper opprimit pauperem; pauperem dives; usuris & malis artibus ne ditescas.

1. Fugit impius, nemine (a) persequente: justus autem quasi leo confidens, absque terrore erit.

2. Propter peccata terræ multi principes ejus (b): & propter hominis sapientiam, & horum scientiam quæ dicuntur, vita ducis longior erit.

3. Vir pauper calumnians (c) pauperes, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames.

4. Qui derelinquunt legem, laudant impium: qui custodiunt, succenduntur contra eum.

5. Viri mali non cogitant judicium: qui autem inquirunt Dominum, animadvertunt omnia.

6. * Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam dives in pravis itineribus. * Sup 19. 1.

7. Qui custodit legem, filius sapiens est: qui autem comessatores pascit, confundit patrem suum.

8. Qui coacervat divitias usuris & fœnore, liberali in pauperes congregat eas.

9. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.

10. Qui decipit justos in via mala, in interitu suo corruet: & simplices possidebunt bona ejus.

11. Sa-

5. (c) Inimicus adulatur, ut perdat; amicus vulnerat, ut sanet.

8. (d) Statum & vocationem suam: multis enim se exponit periculis, uti avis quæ nido relicto huc illuc vagatur. Id quoque evenit homini, qui relicta domo longe peregrinatur.

10. (e) Amicus magis te consolabitur quam frater, qui bona paterna tecum dividet, non ærumnas; aut frater ponitur pro amico: nam si vere amicus est, in calamitate tua statim ad te advolabit.

14. (f) Qui multum laudat. Consurgens, intempestive. Maledicenti, Vituperanti. affectatæ laudes & intempestivæ sunt odiosæ.

16. (g) Qui cohibere eam conatur, ne rixetur. Retinet. Quod fieri non potest. Vocabit: aut elapsum oleum retinere conabitur, Hebr. Et unguentum ejus clamabit: ut ventus murmure, & unguentum odore, ita mulier ubicumque fuerit, se prodit.

17. (h) Mutuam amicorum collationem commendat: ingenium acuitur ex familiari consuetudine, & defectus emendantur.

18. (i) Qui fidelem operam dominis suis præstant, digni sunt qui ob eam fidem aliquod emolumentum percipiant.

19. (k) Hebr. Sicut in aqua una facies ad faciem, ita cor hominis ad hominem. Sicut aqua vultum vultui, ita mens hominem homini exhibet: vel ut in aquis relucent vultus hominum prospicientium, ita corda hominum prudentes agnoscunt ex vultu & actionibus.

20. & 21. (l) Mors, sepulcrum. Insatiabiles, Cupidi, avari, curiosi. In conflatorio; nam ut argentum purum igni resistit, æs distillatur, sic vere humilis laudibus resistit: infirmus sibi complacens, palam ostendit se antea splendorem, non soliditatem habuisse. Hinc Tacitus, Pessimum inimicorum genus laudantes.

23. (m) Commendat ad litteram vitam pastoralem, quæ olim divitias parebat solidas: sed ad pastores animarum hæc sententia potissimum pertinet.

25. (n) Vitæ pastoralis commoda prosequitur; ex ea victum & vestitum parari: vellera ad vestes, lac & carnes pro cibis, agrum comparari posse ex agnorum pretio, ut Gen. 33. vers. 19.

CAPUT XXVIII. 1. (a) Timent impii quos mala terret conscientia.

2. (b) Cum alii aliis succedunt; vel ubi multi principes simul dominantur, & vexant populos. Tunc feruntur imperia de familia in familiam per seditiones & cædes, ut sæpe evenit in decem tribubus. Ducatus. Orta a uno principe statuuntur. Longior erit, uno illum producente ob principis bonam moderationem & temperantiam.

3. (c) In jus trahens vel tamquam ius inferens. Imbri, Qui sternit fruges nam pauperes qui se mutuo rodunt, cito ad extremam miseriam perducuntur.

11. Sapiens sibi videtur vir dives: pauper autem prudens (*d*) scrutabitur eum.

12. In exultatione justorum multa gloria est: regnantibus impiis ruinæ hominum.

13. Qui abscondit scelera sua, non (*e*) dirigetur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.

14. Beatus homo, qui semper est (*f*) pavidus: qui vero mentis est duræ, corruet in malum.

15. Leo rugiens, & ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.

16. Dux indigens prudentia, multos opprimet per calumniam: qui autem odit avaritiam, longi fient dies ejus.

17. Hominem, qui calumniatur animæ (*g*) sanguinem, si usque ad lacum fugerit, nemo sustinet.

18. Qui ambulat simpliciter, salvus erit: qui perversis graditur viis, concidet semel.

* Sup. 12. 11. Eccli. 20. 30. 19. * Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, replebitur egestate.

* Sup. 13. 11. & 20. 21. & infr. v. 22. 20. Vir fidelis multum laudabitur: * qui autem festinat ditari, non erit (*h*) innocens.

21. Qui cognoscit in judicio faciem, non bene facit: iste & pro buccella panis deserit (*i*) veritatem.

22. Vir, qui festinat ditari, & aliis invidet, ignorat quod egestas superveniet ei.

23. Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit.

24. Qui subtrahit aliquid a patre suo, & a matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps (*k*) homicidæ est.

25. Qui se jactat (*l*) & dilatat, jurgia concitat: qui vero sperat in domino, sanabitur.

26. Qui confidit in corde suo, stultus est: qui autem graditur sapienter, ipse salvabitur.

27. Qui dat pauperi, non (*m*) indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam.

28. Cum surrexerint impii, abscondentur (*n*) homines: cum illi perierint, multiplicabuntur justi.

CAPUT XXIX.

Correptio non est fugienda; justitia colenda: cavenda ira, & adulatio: cum stulto ne contendas; institutio puerorum & servorum.

1. Viro, qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus: & eum (*a*) sanitas non sequetur.

2. In multiplicatione justorum lætabitur vulgus: cum impii sumpserint principatum, gemet populus.

3. Vir, qui amat sapientiam, lætificat patrem suum: * qui autem nutrit scorta, perdet substantiam. * Luc. 15. 13.

4. Rex justus erigit terram, vir avarus destruet eam.

5. Homo, qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus.

6. Peccantem virum iniquum involvet laqueus: & justus laudabit, atque gaudebit.

7. Novit (*b*) justus causam pauperum: impius ignorat scientiam.

8. Homines pestilentes dissipant civitatem: sapientes vero avertunt furorem.

9. Vir sapiens, si cum stulto contenderit, sive irascatur, sive rideat, non inveniet (*c*) requiem.

10. Viri sanguinum oderunt simplicem: justi autem (*d*) quærunt animam ejus.

11. Totum spiritum suum (*e*) profert stultus: sapiens differt, & reservat in posterum.

12. Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros (*f*) habet impios.

13. * Pauper & creditor (*g*) obviaverunt sibi: utriusque illuminator est Dominus. * Sup. 22. 2.

14. Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.

15. * Virga atque correptio tribuit sapientiam: puer autem, qui dimittitur voluntati suæ (*h*), confundit matrem suam. * Sup. 13. 24. & inf. v. 17.

16. In

11. (*d*) Explorabit an sapientiam possideat, quam solam in pretio habet.

13. (*e*) Non prospere aget. Qui admonitus agnoscit se peccasse, & peccare cessat, misericordiam consequitur semper apud Deum, sæpe apud homines.

14. (*f*) Pro delicto suo, beatus propter spem æternæ securitatis; beatus qui in omnibus consiliis est circumspectus, & metuit ne Deum offendat. *Duræ*, Temerarius, nihil metuens. *In malum*. In eo non est sita constantia, ut constanter velimus quæ sunt judicata, sed ut semper velimus quæ justitia & ratio postulant. Nam quæ hodie bona sunt, fecus aliquando fuere futura: mens humana immortalis quidem est, non item ejus decretum, aut propositum.

17. (*g*) Hebr. *Qui per calumniam alium opprimit*, & sanguinem injuste profundit; qui vitæ hominum insidiatur, huic in præceps ruenti nemo succurret. Quod si desperatione aut furiis agitatus, usque ad lacum præcipitur fugerit, nemo sustinebit, nemo eum impediet. LXX. *Profugus erit, & non in securitate*.

20. (*h*) Impunitus, phrasi Hebraica: & ita habent LXX.

21. (*i*) Conscientia semel pretio prostituta, pro nihilo venundatur: qui magno pretio inductus jura violavit, consuetudine inductus vel minima occasione lucrandi data idem faciet.

24. (*k*) Officio fungitur prædonum: parentibus detrahit propria bona, quibus debebat sua: LXX. *Particeps est impii*. In Hebræo vox perditor, aut *dissipatoris*, non *homicidæ* occurrit; quamquam vox illa *homicidæ* in eos cadit, qui ita spoliant parentes, ut ad egestatem eos redigant.

25. (*l*) Hebr. *Latus animo*, avarus. LXX. *Inexplebilis*, vel superbus. *Concitat*, quia non patitur aliquem sibi æquari, aut præferri: *Sanabitur*. Abundantia perfruetur.

27. (*m*) Quidquid in eorum usus impenditur, id lucro deputandum.

28. (*n*) Justi se subtrahent, eorum violentiam timentes, qui ad honores & dignitates evehuntur.

1. (*a*) Nunquam is curabitur. Hebr. *Vir correptionum*, qui correctiones meretur, *indurans cervicem*, subito *frangetur insanabiliter*: Quia cervicem suam obduravit, in malo obstinatus, huic repentinus superveniet interitus. CAPUT XXIX.

7. (*b*) Controversiam in judicio. *Impius*, Non ei curæ est quomodo se habeat caussa pauperum.

9. (*c*) Nam si irascatur, stultus magis excandescet; si rideat, stultus se contemptum putabit: ideirco enim stultus est, quia rationem non audit.

10. (*d*) Student vitæ ejus conservandæ: Psalm. 141. *Non est qui requirat animam meam*.

11. (*e*) LXX. & Chald. de ira illud exponunt: *Subito ira & furore excandescit*. *Reservat*. Ulciscendi libidinem refrænat, cum dilatio sit optimum sedandæ iræ remedium. Aut potius stultus profert quidquid in animo habet, sapiens abscondit cogitata, donec ea res ipsa promat.

12. (*f*) Qui adulationibus & calumniis aures accommodat, ministros suos & aulicos adulatores facit, & calumniatores; nam qualis princeps, tales fere subditi.

13. (*g*) Diversæ fortunæ homines ubique reperiuntur. *Dominus*, Utrisque vitam impertit Deus; neque adeo pauper est contemnendus. *Creditor*, Hebr. *Oppressor*; Utrumque videt & observat Dominus, unius patientiam, alterius inclementiam remuneraturus.

15. (*h*) Vitiosa erga filios indulgentia, magis est propria matrum, quam patrum.

16. In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera: & justi ruinas eorum videbunt.

17. Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ.

18. Cum (*i*) prophetia defecerit, dissipabitur populus: qui vero custodit legem, beatus est.

19. Servus verbis non potest erudiri: quia quod dicis intelligit, & respondere (*k*) contemnit.

20. Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correptio.

21. Qui delicate a pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.

22. Vir iracundus provocat rixas: & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.

*Job 22, 29. 23. * Superbum sequitur (*l*) humilitas: & humilem spiritu suscipiet gloria.

24. Qui cum fure participat, odit animam suam: adjurantem audit, & non indicat.

25. Qui timet (*m*) hominem, cito corruet: qui sperat in Domino, sublevabitur.

26. Multi requirunt faciem (*n*) principis: & judicium a Domino egreditur singulorum.

27. Abominantur justi virum impium: & abominantur impii eos, qui in recta sunt via.

Verbum custodiens filius, extra perditionem erit.

CAPUT XXX.

Scientia Sanctorum; Dei Majestas inscrutabilis. Quæ sint vitia pessima, quæ insatiabilia, quæ cito transeant, quæ orbem conturbent, quæ maxime cavenda.

1. Verba Congregantis filii (*a*) Vomentis. Visio, quam locutus est vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus, ait:

2. Stultissimus (*b*) sum virorum, & sapientia hominum non est mecum.

3. Non didici (*c*) sapientiam, & non novi scientiam sanctorum.

4. Quis ascendit in cælum, atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligavit aquas quasi in (*d*) vestimento? quis suscitavit omnes terminos terræ? quod nomen est ejus, & quod nomen filii ejus, si nosti?

5. * Omnis sermo Dei ignitus (*e*), clypeus est sperantibus in se: * Ps. 11. 7.

6. * Ne addas (*f*) quidquam verbis illius, & arguaris, inveniarisque mendax. * Deut. 4. 2. & 12. 32.

7. Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar.

8. Vanitatem, & verba mendacia longe fac a me.

Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria:

9. Ne forte satiatus (*g*) illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei.

10. Ne accuses servum ad dominum suum, ne forte maledicat tibi, & corruas.

11. Generatio, quæ patri suo (*h*) maledicit, & quæ matri suæ non benedicit.

12. Ge-

18. (*i*) Hoc intelligi potest de prophetia proprie dicta, & de populo Judaico: sed cum moralis sit & generalis sententia, melius de scripturæ explicatione & prædicatione exponitur; tum enim perit populus, cum desunt qui illum instituant in lege Domini; atque hoc sensu accipitur 1. Cor. 14. & Rom. 12.

19. & 20. (*k*) Non præstat quod ab eo expectatur. *Loquendum*, nam levitas linguæ levitatem animi prodit.

23. & 24. (*l*) Hoc est, *Qui se exaltat, humiliabitur*, & quod fugit, inveniet: nam in opprobrium incidet. Quod fœtor est in cadavere, hoc ipsum est superbia in homine; ferri ea nullo modo potest. *Adjurantem*. Similis est locus Lev. 5. ubi est vox *jurantis*, id est, *adjurantis*; utrobique enim eadem est vox Hebræa; *Et non indicat*. Qui adjurantem audit & non indicat, is furti est particeps: nec solum peccat in proximum, sed etiam in Deum, in cujus nomine adjuratur a judice, ut auctorem furti sibi notum prodat, parere non vult.

25. (*m*) Magis quam Deum. *Corruet*, In malum aliquod.

26. (*n*) Aut magistratus, cujus gratiam aucupantur, ne in ferendis sententiis eos severos experiantur, nec curant Deum sibi demereri, a quo tamen omne judicium pendet.

CAPUT XXX. 1. (*a*) Hebr. *Verba Aghur filii Jache*: Propria nomina verbis appellativis hoc loco exprimuntur, ut dictum est alibi. *Visio*, Vox Hebræa *Massa*, משא, interdum significat *collectionem*, quod ex Agburis scriptis hæc sint excerpta.

2. (*b*) Dicuntur hæc modestiæ caussa; ceterum verum est unumquemque ex se stultissimum esse, nisi illustretur a Deo. *Mecum*, Sapientia studio comparata. Videtur hoc caput non esse Salomonis, sed sapientis cujusdam nomine Aghur, filii Jache, qui Prophetiam dixit ad Ithiel & Ucal duos ex suis discipulis: ille significat *mecum Deus*, hic *posse*. Vix enim quæ dicuntur hoc & sequenti versu, Salomoni sapientissimo regi aptari possunt; nisi forte quis existimet hæc scripta esse postquam resipuit ab idololatria, quod admodum est incertum. Unde probabilius aliis videtur hæc scripta fuisse ab Aghur, qui rogatus a duobus discipulis suis, ut eos doceret, quæ ad sapientiam spectant, profitetur inscitiam suam & infirmitatem.

3. (*c*) Rerum humanarum cognitionem. *Sanctorum*, Qualis fuit in sanctis prophetis.

4. (*d*) Quis audeat mutare Dei leges? Grotius: *Quis continuit spiritum, seu ventum? quis nisi Deus? Si nosti*, nota distinctionem Patris & Filii: LXX. habent: *Et quod nomen filiis ejus?* sed in Hebræo recte legitur ma sem beno, מה שם בנו, *Quod est nomen Filii ejus?* & ita Syrus, Chaldæus, Aquila, Symmachus, Theodotion singularem habent numerum. Eo tendit ut homo suam fateatur ignorantiam: An quisquam est qui in cælum ascenderit, ut ibi omnia lustraret, &c. *Quod nomen ejus, & quod nomen Filii ejus, si nosti?* An nosti nomen ejus, & nomen Filii ejus, qui hoc solus potest? Quo quidem illustri contra Judæos loco ostendit in divinitate personarum distinctionem; ac soli Christo hæc tribui possunt. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis qui est in cælo*, Joann. 3. ut in creatione solus Deus hæc potuit efficere, ita in redemptione, solus Christus, *qui suscitavit omnes terminos terræ*, qui collapsum per peccatum mundum restituit.

5. (*e*) Deus scilicet: hoc in versiculo sapientiam homini communicatam per verbum ipsius insinuat.

6. (*f*) Iis, addit, qui sententiam pervertit, aut aliter quam Deus imperat, facit.

9. (*g*) Divitias deprecatur, propter vanitatem in quam incideret; mendicitatem, propter verba mendacii: *Ne perjurem nomen Dei mei*.

11. (*h*) Quædam vitia in suam quæque classem redigit, seu in progeniem, aut gentem, quam generationis nomine designat. Quatuor præcipua vitia, quæ mundum pene universum inficiunt, hoc loco insinuat: primum est ingrati animi vitium: est quoddam genus hominum, qui patri suo male precantur. 2. Est eorum, qui falso sibi tribuunt sanctimoniam, qui se mundos putant, tametsi sordes suas non abluerint. 3. Est superbia. 4 Crudelis pauperum oppressio, qua sæviunt in alios ut immanes feræ.

12. Generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota a sordibus suis.

13. Generatio, cujus excelsi sunt oculi, & palpebræ ejus in alta surrectæ.

14. Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus.

15. Sanguisugæ (*i*) duæ sunt filiæ, dicentes: Affer, Affer.

Tria sunt insaturabilia, & quartum, quod nunquam dicit: Sufficit.

16. Infernus, & os vulvæ (*k*), & terra, quæ non satiatur aqua: ignis vero numquam dicit: Sufficit.

17. Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.

18. Tria sunt difficilia mihi, & (*l*) quartum penitus ignoro.

19. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari, & viam viri (*m*) in adolescentia.

20. Talis & est via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit: Non sum operata malum.

21. Per tria movetur terra, & quartum non potest sustinere:

22. Per servum cum (*n*) regnaverit: per stultum cum saturatus fuerit cibo:

23. Per odiosam mulierem cum matrimonio fuerit assumpta: & per ancillam cum fuerit hæres dominæ suæ:

24. Quatuor sunt minima terræ: & ipsa sunt sapientiora sapientibus.

25. Formicæ, populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi:

26. Lepusculus, plebs invalida (*o*), qui collocat in petra cubile suum.

27. Regem locusta non (*p*) habet, & egreditur universa per turmas suas:

28. Stellio (*q*) manibus nititur, & moratur in ædibus regis.

29. Tria sunt, quæ bene gradiuntur, & quartum, quod incedit feliciter.

30. Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum:

31. Gallus (*r*) succinctus lumbos, & aries: nec est rex, qui resistat ei.

32. Est qui stultus apparuit postquam elevatus est in sublime: si enim intellexisset (*s*), ori suo imposuisset manum.

33. Qui autem fortiter premit ubera (*t*) ad eliciendum lac, exprimit butyrum: & qui vehementer emungit, elicit sanguinem: & qui provocat iras, producit discordias.

CAPUT XXXI.

Libido & crapula vitandæ; justitia omnibus reddenda, maxime pauperibus & peregrinis; mulier fortis, & ejus laudes.

1. Verba Lamuelis (*a*) regis. Visio, qua erudivit eum mater sua.

2. Quid dilecte (*b*) mi, quid dilecte uteri mei, quid dilecte votorum meorum?

3. Ne dederis mulieribus (*c*) substantiam tuam, & divitias tuas ad delendos reges.

4. Noli regibus, o Lamuel, noli regibus (*d*) dare vinum: quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas.

5. Et ne forte bibant, & obliviscantur judiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.

6. Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo.

7. Bibant, & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.

8. Aperi os tuum (*e*) muto, & causis omnium filiorum qui pertranseunt:

9. Aperi os tuum, decerne quod justum est, & judica inopem & pauperem.

10. Mulierem fortem (*f*) quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus.

11. Con-

15. (*i*) Avaritia & libido; *Affer*. Substantiam totam exhauriunt, fenera ot & meretrix; vel habendi cupiditatem describit sub hirundinis similitudine, quæ duobus linguæ ramis sugit sanguinem.

16. (*k*) Hebr. *Constrictio vulvæ*: Sterilis prolis amans, vitiosas cupiditates indicat, crudelitatem, libidinem, avaritiam, prodigalitatem, quæ instar ignis omnia depascuntur.

18 (*l*) Hebr. *Quatuor*. Tria, immo quatuor sunt mihi admirabilia.

19 (*m*) Hebr. *In adolescentula*, seu in *puella*. Probabile est interpretem scripsisse. In *adolescentula*; ac subinde innuit incerta esse virginis integræ, aut corruptæ indicia, ac tenebrosa esse eorum consilia, qui ambitioni serviunt; adeo ut perdifficile sit eorum fraudes & scelera detegere.

22. & 23. (*n*) Nam propriet ate efferuntur. Cibo enim petulantes loquuntur & agit: *Per ancillam*, cum ejecta domina in conjugem assumitur.

26. (*o*) Vox Hebræa communis est animalibus fugacibus, & in latebris degentibus, ut erinacei, hystrices, &c.

27. (*p*) Agros tamen turmatim, & ex ordine instar exercitus vastat.

28. (*q*) Alii vertunt *araneam*, cui manus videntur convenire ob egregiam texendi industriam. *Regis*. Et *nulla ex pelle potest*. Sic minimis rebus sua est vis a Deo data, & solertia. Ex minimis terræ animantibus quatuor seligit, in quibus magna sapientiæ opera elucent; atque ex iis quatuor sapientiæ partes eruit. 1. Eorum quæ necessaria sunt ad vitam vel corporis, vel animæ curam exemplo formicarum commendat. 2. Ab commoda habitatio exemplum lepusculi, aut cuniculi, aut chirogrylli frequentis in Palæstina, erinacei, qui in petris habitat, nobis proponit. 3. De concordia & mutuæ amicitiæ vinculo exemplo locustarum nos admonet. Hæ quippe gregatim se conveniunt, quasi ducem haberent, cum incedendum est, aut quiescendum. 4. Denique industriam stellionis, aut araneæ, aut simiæ exemplo extollit.

31 (*r*) Alii canem venaticum vertunt. Nec *est rex*: Alii legendum putant. Et *est rex*; quartum scilicet, rex invictus, adeo ut vitiatum textum plerique existiment. Ex tribus animantibus conditione regis eruuntur, leonis invicta fortitudo, qua abuti non debet, galli vigilantia, instar arietis subjectos tueri.

32 (*s*) Hebr. *Si prave cogitasti*, *manum ad os*: id est, obmutesce.

33 (*t*) Significat homines non ultra modum urgendos, & irritandos, maxime cum ii sunt tractandi: item qui nimium premit subditos, alienos a se facit.

1. (*a*) Hebræi intelligunt Salomonem (*Lamuel*, id est, *Cum ipso Deus*) quo regnante prospera fuerunt omnia. *Matre*, Salomon solet inducere matrem loquentem. CAPUT XXXI.

2 (*b*) In Hebr. pro *dilecto* nomen est *filius*, idque ter repertum. *Quid dilecte mi?* Oratio imperfecta, ita ut supplendum videatur, quid dicam tibi?

3 (*c*) Hebr. *Divitias tuas*, Mentem tuam & vitam, ne consilia tua mulieribus subdas, ne mulierum amore perdas corporis & animi vires.

4 (*d*) Sic legi potest ex Hebræo: *Non est Regum Lamuel, non est Regum bibere vinum*; *nec principum quæ ere siceram*: sic dicitur id omne quod inebriare potest, &c.

8. (*e*) Qui pro se dicere non potest. *Pertranseunt*, Hebr. *Filiorum transitus*, seu de vita sua periclitantium.

10. 11. 12. 13. 14. & 15. (*f*) Forte dicitur quod excellit. *Spolits*. Muneribus, satis ditatus, uxoris laboribus; ita dives erit suppellectile, ut miles spoliis. *Et*, Marito. Ista & sequentia Ambrosius de Ecclesia per totum orbem diffusa exponit. *Consilio*. Arte & peritia. Hebr. *Operata est in suo ornatu*, seu libenter in manu sua. *Institoris*. Onusta cibis & opibus; quasi navis mercatoris, ut vendat potius, quam emat. *Prædam*. Dimensum cibum.

11. Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit.

12. Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ suæ.

13. Quæsivit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum.

14. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum.

15. Et de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.

16. Consideravit agrum, & emit eum: de fructu manuum suarum plantavit vineam.

17. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum.

18. Gustavit, & vidit quia bona est negotiatio ejus: non extinguetur in nocte (*g*) lucerna ejus.

19. Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum.

20. Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.

21. Non timebit domui suæ a frigoribus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt (*h*) duplicibus.

22. Stragulatam vestem fecit sibi: byssus & purpura indumentum ejus.

23. Nobilis in portis (*i*) vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ.

24. Sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit (*k*) Chananæo.

25. Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo.

26. Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus (*l*).

27. Consideravit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit.

28. Surrexerunt filii ejus, & beatissimam prædicaverunt: vir ejus, & laudavit eam.

29. Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas.

30. Fallax gratia, & vana est (*m*) pulcritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur.

31. Date ei de fructu manuum suarum: & laudent eam in portis opera ejus.

18. & 19. (*g*) Per aliquot noctis horas ipsa cum ancillis suis operi insistet. *Ad fortia*: Hebr. *Ad vertibulum*, filo evolvendo: *Fusum*. Alii vertunt *Colum*.

21. & 22. (*h*) Interioribus & exterioribus vestibus muniti. *Stragulatam*, Tapetes, aulæa: *Fecit*, Non pretio comparavit.

23. (*i*) Hæc mulier describitur ut uxor viri nobilis, & senatoris, quæque pauperum curam habet: hæc tamen sese exercet in manuum operibus.

24. & 25. (*k*) Hebr. *Mercatori*. *Novissimo*, In senectute gaudebit, & mortem timebit. Hæc quidem in sensu allegorico Ecclesiæ aptat Ambrosius: *Quæ jam inventa est, ut neminem latrat . . . . mulierem ergo fortem jam inventam, jam conspicuam, jam supra montem positam æqualem ipsi quis invenisset? quasi dicat, nullus*.

26. 28. & 29. (*l*) Non est litigiosa. *Filii*, In funere laudantes dixerunt *multæ filiæ*, *&c*. Salomon studiosæ mulieris imaginem exhibet, non otiosæ aut delicatæ, sed domi laboribus intentæ, quæ viri & liberorum decus tuetur. Non gemmas, & lapillos, vel aurum commemorat, sed utilia: benefica est in egenos, nec familiæ gravis; clara in primis timore Dei, & ejus cultu; non vanis tamen addicta religionibus, sed quæ in exequendis familiæ officiis maximam pietatis partem reponit; intenta familiæ, atque operi, cujus laudes hac fere sententia complectitur: *Consideravit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit*: ita fere Episcopus Meldensis.

30. (*m*) Hebr. *Vanitas pulcritudo*: nam cito perit, & quandoque magna tegit vitia; cum animus respondet pulcritudini, res est magnopere captanda.



ECCLE-

ECCLESIASTES,

QUI HEBRAICE COHELETH

appellatur.

P*RÆCIPUUM hujus Libri argumentum in rerum humanarum vanitate demonstranda consistit. Ex quo id concludit Ecclesiastes, id unum hominis bonum esse, si Deum timeat & colat.*

Ecclesiastes, *seu concionator inscribitur, & a Salomone ipso conscriptus est.* Verba Ecclesiastæ filii David Regis Jerusalem. *Quæ tamen postrema verba nonnulli in contrariæ sententiæ probationem afferunt, ut hunc Librum Salomoni adimant, & in Ezechielem, aut in Zorobabelem conferant: quod ante decem tribuum schisma Reges Israelis, non Jerusalem, aut Juda soleant appellari. Verum hæc ratio nulla est, cum ex Regni ipsius capite, seu ex Regia urbe apud sacros & profanos scriptores plerumque Rex designetur, ut* Rex Babylonis, Samariæ, Damasci, &c.

Idipsum ex v. 16. ejusdem capitis aperte colligitur: Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem. *Item cap. 12.* Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarravit quæ fecerat, & investigans composuit parabolas multas. *Quæ quidem ut alia multa uni Salomoni aptari possunt. Is enim solus Reges omnes, qui ante illum & postea Jerosolymæ extitere, sapientia vicit, uti ex testimonio Dei ipsius 3. Reg. 3. discimus. Is unus in Scriptura sacra ut auctor Parabolarum laudatur.*

Nec audiendi sunt Thalmudistæ, cum Ezechiæ Regi hunc librum tribuunt: nec Grotius ipse qui Zorobabeli. Nam, ut optime Huetius, verba ipsa quibus hic Liber inchoatur, nec Ezechiæ, nec Zorobabeli conveniunt: Verba Ecclesiastæ filii David Regis Jerusalem; *multo minus ea quæ sequuntur:* Locutus sum in corde meo dicens: Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapienria, qui fuerunt ante me in Jerusalem. *Neuter enim præcessit Salomonem aut sapientia, aut magnificentia; ut alia omittam plurima, quæ cap. 7. & 8. leguntur, & in unum Salomonem quadrant.*

Quæ occurrunt hoc in Libro sententiæ sibi in speciem repugnantes id probant, varias de finibus bonorum & malorum opiniones proponere voluisse, ac Salomonem pleraque ex aliorum sententia scripsisse: quid vero ipse censeret, cap. 11. disertissime declarat: Scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium: *Et cap. 12.* Antequam revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad eum qui dedit illum.

Hoc illi est propositum, ut vitæ ad Legem Dei exigendæ & vitiorum fugiendorum rationem præscribat, ac Providentiam Dei in primis commendet. Vanitas vanitatum, *id est, res vanissima, ut* Canticum Canticorum *dictum est, quod sit præstantissimum. Non quod creaturæ malæ sint, sed quia fluxæ sunt & instabiles, neque nos beare possunt, idcirco vanissimæ dicuntur. Itaque illud est velut thema propositum.* Vanitas vanitatum: *quod probat ex rerum omnium circulatione quadam, & instabilitate. Quod igitur cap. 3. v. 19 concludendo ait:* Idcirco unus interitus est hominis & jumentorum; & æqua est utriusque conditio, *& ea quæ sequuntur; non ex propria sententia ita differit, sed varias hoc capite, uti & cap. 9. v. 5. & 10. quæ animum subire possunt, cogitationes proponit, nimirum habita ratione corporis hominis & jumentorum consimilem esse interitum, si externam rerum speciem intueamur. Sic ubi cap. 3. v. 21. hanc dubitationem adfert:* Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum? *Rem ita esse non inficiatur, sed hoc ipsum a multis nesciri, aut in dubium revocari insinuat, ac dubitationem, quæ ultro occurrit animo, non reticet, idque maxime, cum hæc veritas iis temporibus non tam aperte esset revelata, ac fuit deinceps post adventum Christi Domini:*

Domini: tametsi qui postea extiterunt philosophi ratione duce incorruptam esse animam docuerumt. Et Ecclesiastes ipse propriam & veram ea de re sententiam, cap. 12. v. 7. aperte declarat: Revertatur, *inquit* pulvis in terram suam, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

Itaque hoc Ecclesiastæ fuit propositum, ut varias hominum opiniones, & varias quibus animus agitari solet cogitationes circa fines bonorum & malorum colligeret, ac tandem quid sentiendum esset in calce Libri proponeret. Finem, *inquit*, loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo; *hoc est omne hominis bonum, hæc ejus felicitas. Ea est summa Libri, reliqua instar dissertationis, aut disquisitionis, ac plerumque juxta vulgi sententiam proferuntur. Interdum aliorum opinionibus videtur assentiri, sed statim eas refellit, id unum omnino persuasus, felicitatem in Deo uno quæri oportere, res creatas beare nos non posse, vanas esse & inconstantiæ plenas.*

CAPUT PRIMUM.

In universum, omnia vanitas; singillatim rerum sublunarium generationes & corruptiones, siderum conversiones.

1. VERBA Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem.

2. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum: & omnia vanitas.

3. Quid habet (*a*) amplius homo de universo labore suo, quo laborat sub sole?

4. Generatio præterit, & generatio advenit: terra autem in æternum (*b*) stat.

5. Oritur sol (*c*), & occidit, & ad locum suum revertitur: ibique renascens,

6. Gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem: lustrans universa in circuitu pergit (*d*) spiritus, & in circulos suos revertitur.

7. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat (*e*): ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur ut iterum fluant.

8. Cunctæ res difficiles (*f*): non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.

9. Quid est quod fuit (*g*)? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.

10. Nihil sub sole novum (*h*), nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est: jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.

11. Non est priorum memoria: sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in novissimo:

12. Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Jerusalem,

13. Et proposui in animo meo quærere & investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole.

Hanc occupationem (*i*) pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea.

14. Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas (*k*), & afflictio spiritus.

15. Perversi (*l*) difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus.

16. Locutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Jerusalem: & mens mea contemplata est multa sapienter, & didici.

17. Dedique cor meum ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque & stultitiam; & agnovi quod in his quoque esset labor, & afflictio spiritus,

18. Eo quod in multa sapientia, multa sit (*m*) indignatio: & qui addit scientiam, addit & laborem.

CA-

CAPUT I. 3. (*a*) In priori versione ad Paulam Hieronym. sic habet: *Quid superest homini ex omni labore suo?* Nihil enim est stabile. Græc. *Quid magnum & eximium habet homo?*

4. (*b*) Alia versio: *Terra in sæculum stat:* Immota est tot mutationum sedes: alii nascuntur; moriuntur alii. Seneca, *In orbem nexa sunt omnia, fugiunt & sequuntur.* Negat Grotius hic de terræ statu, aut motu agi, sed de duratione ejus, apposita singularum hominum durationi.

5. (*c*) Non homines tantum, sed sol ipse mutationi est obnoxius.

6. (*d*) Ventus, aura, forte ætherea substantia, aut sol ipse, qui vitam rebus creatis impertit.

7. (*e*) Quod tantumdem in vapores & pluvias e mari prodeat, quantum in illud fluminum aquæ ingreditur: nempe, inquit Grotius, cum maris aquæ intrant meatus subterraneos, & ibi collatæ in fontes erumpunt.

8. (*f*) Vel eæ ipsæ quæ sunt magis obviæ. Antiqua versio Hieron. *Omnes sermones graves*; sermones pro rebus. *Oculus*, Libido sciendi est infinita, cum omnia sint menti inaccessa.

9. (*g*) Cuncta humana eodem impetu in orbem volvuntur; & silentio sepelimus. Tacitus, Lib. 3. Annalium: *Rebus cunctis inest velut quidam orbis.*

10. (*h*) Non quod eadem redeant, nisi in specie, aut in similibus.

13. (*i*) Curis gravem: Vanitatem probat esse in disciplinis, labor est in iis studiis, non quies: vox Hebræa rem laboriosam & molestam significat.

14. (*k*) Fallaces sunt & fluxæ hujus sæculi voluptates, ut aquæ præterfluunt, nec retineri possunt: Vanæ sunt hominum cogitationes, vana desideria, vanæ spes. Quidquid molitur homo, quærit quietem: quodcumque agit, in ægritudinem animi, seu in afflictionem spiritus desinit.

15. (*l*) Hebr. *Perversus non poterit corrigi. Numerus*, Hebr. *Defectus mentis non poterit numerari.*

18. (*m*) Quod in profundo lateat sapientia; quod clarius videat, quam magna sit hominum miseria, & quam parum profecerit.

CAPUT II.

Vana voluptates, fallax gaudium, vana inquisitio de bonis & malis, frustra sapientiam cum voluptate conciliandam putavit; nullus humanæ sapientiæ fructus; partis uti optimum judicavit; sed & hoc ipsum vanitas.

1. DIxi ego in corde meo: Vadam, & affluam deliciis (*a*), & fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas.

2. Risum reputavi errorem: & gaudio dixi: Quid frustra deciperis?

3. Cogitavi in corde meo abstrahere (*b*) a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum: quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ.

4. Magnificavi opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas,

5. Feci hortos, & pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus,

6. Et extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium,

7. Possedi servos & ancillas, multamque familiam habui: armenta quoque, & magnos ovium greges ultra omnes qui fuerunt ante me in Jerusalem:

8. Coacervavi mihi argentum, & aurum, & substantias regum, ac provinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, scyphos, & (*c*) urceos in ministerio ad vina fundenda:

9. Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem (*d*): sapientia quoque perseveravit mecum.

10. Et omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaveram: & hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo.

11. Cumque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.

12. Transivi ad contemplandam sapientiam, erroresque & stultitiam (quid est, inquam, homo, ut sequi (*e*) possit regem Factorem suum?)

13. Et vidi quod tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris.

14. * Sapientis oculi (*f*) in capite ejus: stultus in tenebris ambulat: & didici quod unus utriusque esset interitus. *Prov. 17. 24. Infr. 8. 1.

15. Et dixi in corde meo: Si unus & stulti & meus occasus erit, quid mihi prodest quod majorem sapientiæ dedi operam? Locutusque cum mente mea, animadverti quod hoc quoque esset vanitas.

16. Non enim erit (*g*) memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum, & futura tempora oblivione cuncta pariter operient: moritur doctus similiter ut indoctus.

17. Et idcirco tæduit me vitæ meæ videntem mala universa esse sub sole, & cuncta vanitatem & afflictionem spiritus.

18. Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboravi, habiturus hæredem post me,

19. Quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi & sollicitus fui, & est quidquam tam vanum?

20. Unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole.

21. Nam cum alius laboret in sapientia, & doctrina, & sollicitudine, homini otioso quæsita dimittit; & hoc ergo vanitas, & magnum malum.

22. Quid enim proderit homini de universo labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est?

23. Cuncti dies ejus doloribus, & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit: & hoc nonne vanitas est?

24. Nonne melius est (*h*) comedere & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? & hoc de manu Dei est.

25. Quis ita devorabit (*i*), & deliciis affluet ut ego?

26. Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, ut addat, & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo: sed & hoc vanitas est, & cassa sollicitudo mentis.

CAPUT III.

Nulla in rebus creatis felicitas, cum cuncta sint mutationi obnoxia: vita tranquille agenda, & præpostera cura abjicienda.

1. OMnia tempus habent, & suis spatiis transeunt universa sub (*a*) cælo.

2. Tem-

CAP. II. 1. (*a*) Scientia pertæsus, ad voluptates se convertit pari vanitate.

3. (*b*) Hebr. *Ut traherem in vino carnem meam*; dubitare cœpi an vitam in deliciis agerem, & omnem libertatem ab omnibus cœpi. Antiqua versio; *Donec viderem quid esset bonum.*

8. (*c*) Voces usurpat Chaldaicas, ut innuat non solum deliciis in Palæstina usitatis, sed etiam iis quæ apud Assyrios erant in usu, indulsisse.

9. (*d*) Non vera, sed agendi solertia, & regnandi ars, aut contemplatio ipsa, non usus moralis.

12. (*e*) Dubitantis vox, an homo possit Creatorem suum sequi, & veram sapientiam assequi. Hebr. *Quis est homo, qui possit ire post Regem*, seu qui possit Regem sequi; in iis, quæ facta sunt, cognoscendis?

14. & 15. (*f*) *Ubi est cum corpus regant*. *Interitus*, Eventus unus eveniet omnibus eis. Amnobus omnia æque conveniunt. *Vanitas*, Nimia sciendi libido.

16. (*g*) Omnis tandem eorum memoria peribit; secutura ætas sui sæculi sapientes demirabitur, antiquos sperner.

24. (*h*) Quam fraudare animam suam bonis, quæ stulto hæredi relicturus est. *Dei est*, Non est in hominis potestate positum, ut sapientem habeat hæredem. De usu moderato divitiarum, & de honestis voluptatibus loquitur, quæ superiori capite velut contraria & secum pugnantia posuerat, hoc in capite conciliat: nam risum & vinum rejecerat initio capitis, sub finem hæc suadere visus est; hoc in loco docet cunctis tempus adesse opportunum.

25. (*i*) Hebr. *Quis ita comedet?* Quis justius partis fruetur, quam qui labore suo comparavit? *Ut ego*, Hebr. *Et quis plus festinavit quam ego?* Quis plus laboravit?

CAP. III. 1. (*a*) De hominum actionibus, non de rebus loquitur; nihil boni fit, nisi suo quodque tempore.

2. Tempus nascendi (*b*), & tempus moriendi. Tempus plantandi, & tempus evellendi quod plantatum est.

3. Tempus occidendi, & tempus sanandi. Tempus destruendi, & tempus ædificandi.

4. Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus saltandi.

5. Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi. Tempus (*c*) amplexandi; & tempus longe fieri ab amplexibus.

6. Tempus acquirendi, & tempus perdendi. Tempus custodiendi, & tempus abjiciendi.

7. Tempus scindendi, & tempus consuendi. Tempus tacendi, & tempus loquendi.

8. Tempus dilectionis (*d*), & tempus odii. Tempus belli, & tempus pacis.

9. Quid habet amplius homo (*e*) de labore suo?

10. Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in ea.

11. Cuncta fecit bona in tempore (*f*) suo, & mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.

12. Et cognovi quod non esset melius nisi (*g*) lætari, & facere bene in vita sua.

13. Omnis enim homo, qui comedit & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.

14. Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum: non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus ut timeatur.

15. Quod factum est, ipsum permanet: quæ futura sunt jam fuerunt: & Deus (*h*) instaurat quod abiit.

16. Vidi sub sole in loco judicii impietatem, & in loco justitiæ iniquitatem.

17. Et dixi in corde meo: Justum & impium (*i*) judicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.

18. Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & ostenderet similes esse (*k*) bestiis.

19. Idcirco unus (*l*) interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia; & nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent vanitati.

20. Et omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt, & in terram pariter revertuntur.

21. Quis novit si spiritus filiorum Adam (*m*) ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum?

22. Et deprehendi nihil esse melius quam lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim eum (*n*) adducet, ut post se futura cognoscat?

CAPUT IV.

Vita tadio plena; industria & labores hominum invidiæ patent; tranquillitatem animi calumnia conturbant. His & aliis religiosus Dei cultus medetur.

1. VErti me ad (*a*) alia, & vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos.

2. Et laudavi magis mortuos, quam viventes:

3. Et feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.

4. Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animadverti patere invidiæ (*b*) proximi: & in hoc ergo vanitas, & cura superflua est.

5. Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas (*c*), dicens:

6. Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore, & afflictione animi.

7. Considerans reperi & aliam vanitatem sub sole:

8. Unus

2. (*b*) Primum illud est, unde alia pendent cetera. Quod tempus dedit, vitam ipsam id aufert.

5. (*c*) Dandi operam rei uxoriæ, aut conciliandi amicos.

8. (*d*) Exhibendi externa dilectionis officia; *Tempus odii*, suppliciis afficiendi scelerator.

9. (*e*) Cum nihil sit stabile, & continuis motibus vita agitetur, quis ex tanto labore, cui incubuimus, nobis superest fructus?

11. (*f*) Cuncta suis temporibus disposuit Deus. *Disputationi*. Hebr. & LXX. *Mundum dedit in cor eorum*: Mundum disputationi & cogitationi eorum reliquit, non cognitioni; sic tamen ut non inveniant occulta Dei consilia, & universi operis rationem non capiant. *Ad finem*, Nec perfectam earum rerum notitiam asse uuntur. Ex Hebræo vertit Grotius: *Sic tamen ut non norit homo a capite ad calcem operationem Dei: multa videt, quæ nescit quo proposito aut fine a Deo facta sint*

12. (*g*) Non ut illud fiat, quod est apud Isaiam: *Manducemus & bibamus*; sed ut habentes victum & vestitum, his contenti simus; tamquam hospites brevi vitæ tempore bene utamur; non quæramus aliam oblectationem, præter eam quæ cum virtute bene convenit

15. (*h*) Hebr. *Revocat quod confectum est*, seu præteritum; ex iis quæ effluxerunt alia reducit, & instaurat similia producendo quasi advocat id quod rem quamque sequi debet, ut hiemem autumno exacto.

17. (*i*) Cum in hac vita multa sint perturbata, expectandum est illud tempus, quo suum cuique tribuatur. Quod viderim cum indignatione impietatem in justitiæ tribunali regnare, hinc conclusum a me fuit fore ut Deus justum & impium aliquando judicet. Non enim aliter potui conciliare naturæ ipsi impressam de æquitate Dei notionem, cum ea quæ videtur in utroque statu bonorum & impiorum injustitia.

18. (*k*) Contra illam cogitationem de futuro Dei judicio, alia subiit animum cogitatio, permittere Deum homines inter se ferino more vivere, *ut probaret eos Deus*; ut secerneret probos ad improbis, vel, *ut probaret eos Deus*; ut hominis superbiam infringeret; hunc bestiis pene similem fecit, si corpus solum spectes: cum inter homines & bestias non satis discriminis inesse videatur, simili modo nascantur, & in pulverem redeant.

19. & 20. (*l*) Habita corporis ratione. *De terra*, Corpora nimirum

21. (*m*) Hanc quæstionem cap. 12. solvet: Interim ut hominum ignorantiam demonstrat in suspenso eam relinquit: *Quis novit?* Quotus quisque novit? Pronomen, *quis*, in Scripturis pro re difficili accipitur: *Quis enarrabit*. Isaiæ 53. *Deorsum*, An pereat, ut corpora in terra defossa.

22. (*n*) Quis in hanc vitam eum reducet? *Cognoscat*, Cum mors venerit, nesciet quali sit hærede moriturus. Versio Arabica: *Quis eum adducet, ut videat quid faciendum sit post se de iis, quæ relinquit bonis?*

CAP. IV.

1. (*a*) Alia mihi cogitatio incidit, scilicet mortem esse vita meliorem.

4. (*b*) Qui industrius est & laborat, aliorum patet invidiæ; qui iners & egestate conficitur, seipsum curis & tædio enecat

5. (*c*) Marcescit inedia præ nimia fame. Deinde non tam damnatur hæc sententia, *Melior est pugillus*, &c. quam stultus qui ea abutitur, ut suam excuset ignaviam, & odium inutile; ut servus Evangelii, qui talentum defodit in terra.

8. Unus est, & secundum non habet; non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus (*d*) divitiis: nec recogitat, dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.

9. Melius est ergo duos esse simul, quam unum: habent enim emolumentum societatis suæ:

10. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli: quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.

11. Et si dormierint duo, fovebuntur (*e*) mutuo: unus quomodo calefiet?

12. Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei: funiculus triplex difficile rumpitur.

13. Melior est puer pauper & sapiens, rege sene & stulto, qui nescit prævidere in posterum.

14. Quod de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum: & alius natus in regno, inopia consumatur.

15. Vidi cunctos viventes, qui ambulant sub sole cum adolescente (*f*) secundo, qui consurget pro eo.

16. Infinitus numerus est populi omnium, qui fuerunt (*g*) ante eum: & qui postea futuri sunt, non lætabuntur in eo: sed & hoc vanitas & afflictio spiritus.

17. Custodi pedem tuum ingrediens domum
*1.Reg.15. 22. Osee 6. 6. Dei, & appropinqua (*h*) ut audias. * Multo enim melior est obedientia, quam stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciunt mali.

CAPUT V.

Multiloquium fugiendum; vota solvenda; divina providentia in primis colenda; partis utendum cum moderatione & frugalitate.

1. Ne temere quid (*a*) loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cælo, & tu super terram: idcirco sint pauci sermones tui.

2. Multas curas sequuntur somnia (*b*), & in multis sermonibus invenietur stultitia.

3. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio: sed quodcumque voveris, redde:

4. Multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.

5. Ne dederis os tuum ut (*c*) peccare facias carnem tuam: neque dicas coram Angelo: Non est providentia; ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.

6. Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri: tu vero Deum (*d*) time.

7. Si videris calumnias egenorum, & violenta judicia, & subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alii,

8. Et insuper (*e*) universæ terræ rex imperat servienti.

9. Avarus non implebitur pecunia: & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas.

10. Ubi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis?

11. Dulcis est somnus (*f*) operanti, sive parum, sive multum comedat: saturitas autem divitis non sinit eum dormire.

12. * Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: divitiæ conservatæ in malum domini sui. *Job 20.20.

13. Pereunt enim in afflictione pessima: generavit filium, qui in summa egestate erit.

14. * Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur, & nihil auferet secum de labore suo. *Job 1. 21. 1.Tim.6.7.

15. Miserabilis prorsus infirmitas: quomodo venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei quod laboravit in ventum?

16. Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris & in curis multis, & in ærumna atque tristitia.

17. Hoc itaque visum est mihi bonum (*g*), ut comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole, numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus: & hæc est pars illius.

18. Et omni homini, cui dedit Deus divitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit ut comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo: hoc est (*h*) donum Dei.

19. Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quod Deus occupet deliciis cor ejus.

CA-

8 & 9. (*d*) Soli enim oculi fruuntur divitiis: *Melius*; non propterea damnatur vita monastica, aut anachoretica antea probata per vitam cœnobiticam, quæ est plurium communis.

11 (*e*) Ut duo simul dormientes se invicem calefaciunt: sic duo simul habitantes sese mutuo juvant.

15. (*f*) Regni hærede, ad obsequia prompto. In regia non desunt anxietates animi, & metus.

16. (*g*) Qui hujus dominationis pertæsi, priorem lætitiam & amorem præ levitate animi in tristitiam & odium vertunt.

17. (*h*) Ex Hebr. *Accede ad audiendum*: Ad obediendum potius, quam ad immolandas victimas. *Malt*. Qui omnem Dei cultum in rebus exterioribus ponunt. *Multo enim melior est obedientia*, ubi unum cum altero comparatur.

CAP. V. 1. (*a*) Illud ad pietatem in primis pertinet, moderate loqui de Deo, & de rebus divinis cum magna reverentia verba facere. *Super terram*. Quantum distat cælum a terra, tantum abest intelligentia nostra a conceptu divinæ majestatis.

2. (*b*) Quæ solicitum hominem indicant, ut multa verba stultum.

5. (*c*) Ne sermone abutaris, ut *peccare faciat carnem* tuam, per illicitas voluptates, ut qui dicunt, non est Providentia; res humanas Deus non curat. Ne dicas *coram Angelo*. Providentiæ executore & inspectore actionum tuarum, quem latere non potest malitia tua.

6. & 7. (*d*) Non mala somniorum omnia. *Non mireris*, Ne indigneris, tu res tuas cura: alii sunt judicibus superiores, quibus hæc curæ esse debent. Hebr. *Et excelsus excelsorum superior*, Deus super omnes principes.

8. (*e*) Toti regioni: *Servienti*. Potestates sunt aliæ aliis certo ordine subjectæ.

11. (*f*) Neque adeo torpescens in otio. *Comedat*, non enim in copia, sed in sufficientia somnus placidus, & vitæ tranquillitas quærenda est: *Saturitas*, Ciborum varietas somnum interpellat, & naturæ oneri est.

17. (*g*) Si comparetur cum eo, qui cum tanto tædio & anxietate opes quærit, melior est qui partis moderate fruitur.

18. & 19. (*h*) Non illud excellens, de quo cap. 12. sed qualecumque. *Vitæ*, Quam hæc brevis est felici, longa misera.

CAPUT VI.

Avarus sibi pessimus; sapientia hominum vana & verbosa; solus Deus vere sapiens est.

1. Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines:

2. Vir, cui dedit Deus divitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ, ex omnibus quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas, & miseria magna est.

3. Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non utatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat: de hoc ego pronuntio quod melior illo sit abortivus.

4. Frustra enim venit, & pergit ad tenebras, & oblivione delebitur nomen ejus.

5. Non vidit solem, neque cognovit distantiam boni & mali:

6. Etiam si duobus millibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis: nonne ad unum locum (*a*) properant omnia?

7. Omnis labor hominis in (*b*) ore ejus: sed anima ejus non implebitur.

8. Quid habet amplius sapiens (*c*) a stulto? & quid pauper, nisi ut pergat illuc, ubi est vita?

9. Melius est videre quod cupias, quam desiderare quod nescias (*d*): sed & hoc vanitas est, & præsumptio spiritus.

10. Qui futurus est (*e*), jam vocatum est nomen ejus: & scitur quod homo sit, & non possit contra fortiorem se in judicio contendere.

11. Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem.

CAPUT VII.

Vanum est majora se quærere; quæ sint bona præ aliis seligenda; sapiendum ad sobrietatem; quis ut sapiens?

1. Quid necesse est homini majora se quærere, cum ignoret quid conducat sibi in vita sua, numerum dierum peregrinationis suæ, & tempore, quod velut umbra præterit? Aut quis ei poterit indicare quid post eum futurum sub sole sit?

2. * Melius est nomen bonum, quam unguenta pretiosa: & dies mortis (*a*) die nativitatis. * Prov. 22. 1.

3. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum sit.

4. Melior (*b*) est ira risu: quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis.

5. Cor sapientium (*c*) ubi tristitia est, & cor stultorum ubi lætitia.

6. Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi.

7. Quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla (*d*), sic risus stulti: sed & hoc vanitas.

8. Calumnia (*e*) conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.

9. Melior (*f*) est finis orationis, quam principium. Melior est patiens arrogante.

10. Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit.

11. Ne dicas: Quid putas causæ est quod (*g*) priora tempora meliora fuere quam nunc sunt? stulta enim est hujuscemodi interrogatio.

12. Utilior est sapientia cum (*h*) divitiis, & magis prodest videntibus solem.

13. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia: hoc autem plus habet eruditio & sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo.

14. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille (*i*) despexerit.

15. In die bona fruere bonis, & malam diem præcave (*k*): sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum justas querimonias.

16. Hæc

CAP. VI. 6. (*a*) Qui bona concessi; non utuntur, miseri sunt; nec qui utuntur, beati. Nam mors cunctis imminet; nullum discrimen est inter avarum & abortivum. *Ad unum locum*; LXX. *Ad locum inconspicuum*.

7. (*b*) Ventri servit: Id prætexunt avari, ut victum habeant. *Non implebitur*, Animus ad majora natus his expleri non potest; vel sibi subtrahunt avari, quo fames expleatur. Usus omnis divitiarum in victu est; sed cupiditas inexplebilis.

8. (*c*) Pauperi, ut sapienti victus communis. *Vita*, Nisi ut ea adipiscatur, quibus vivat. At pauper melioris est conditionis quam dives avarus; nam hilariter fruitur iis, quæ labore suo quæsivit.

9. (*d*) Frui rebus quæ non permanent. *Præsumptio*, Hebr. *Afflictio spiritus*: Hoc enim mortem magis timet, quo sibi felicior videtur.

10. & 11. (*e*) Hebr. *Quod est*: *Vocatum est nomen ejus*: Quod existit, notum jam est; quod speratur, ignotum. *Contendere*, Contra Deum nihil; vel superare tot difficultates, & rerum humanarum vices. *Plurima*, Multa dicuntur ab iis, qui se sapientes dicunt.

CAP. VII. 2. (*a*) Mittitur laus in tuto posita; bona fama est instar unguenti pretiosi, cujus odor e virtute ipsa prodit.

4. (*b*) Melior corrigentis indignatio risu adulantis: cum ira e zelo justitiæ & odio vitii dimanat.

5. (*c*) Nam lætitia solvit mentem, tristitia elatum animum compescit.

7. (*d*) Tam cito evanescit stulti lætitia, quam flamma spinarum, quæ sunt exsiccatæ.

8. (*e*) De statu mentis suæ sapientem movet calumnia.

9. (*f*) Hebr. *Finis verbi*. Verbum sæpe pro re, aut negotio sumitur. Itaque monet Sapiens, ut bene cœpta perducamus ad exitum; aut juxta Vulgatam, sæpe oratio incipit cum animo tristi & demisso, qui tandem se erigit sub finem.

11. (*g*) Nam corrupti mores infelix, & bene compositi beatum efficiunt seculum.

12. (*h*) Sapientia potior aut utilior dicitur, non melior: nisi cum bene utitur divitiis, ut suadet sapientia, ac multa prodest.

14. (*i*) Quod proverbialiter intelligendum dicit Hieronymus de vitiis corporis: unde in Hebræo habemus, *Quem ille curvaverit*. Quos autem Deus inemendabiles esse permiserit, hos æquo animo feramus. Cum malis enim vivendum est, neque eos ad votum fingere possumus.

15. (*k*) Hebr. *In die mala quære exitum*. *Querimonias*. Ut non possit Deo obloqui.

16. Hæc quoque vidi in (l) diebus vanitatis meæ: Justus perit in justitia sua, & impius multo vivit tempore in malitia sua.

17. Noli esse justus (m) multum: neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas.

18. Ne impie agas (n) multum: & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.

19. Bonum est te sustentare justum, sed & ab illo ne subtrahas manum tuam: quia qui timet Deum, nihil negligit.

20. Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis.

*3. Reg. 8. 46. 2 Par. 6. 36. Prov. 20. 9. 1 Joan. 1. 8.

21. * Non est enim homo justus (o) in terra, qui faciat bonum, & non peccet.

22. Sed & cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes (p) cor tuum: ne forte audias servum tuum maledicentem tibi.

23. Scit enim conscientia tua, quia & tu crebro maledixisti aliis.

24. Cuncta tentavi in sapientia. Dixi: Sapiens efficiar: & ipsa longius recessit a me

25. Multo magis quam erat: & alta profunditas, quis inveniet eam?

26. Lustravi universa animo meo, ut scirem, & considerarem, & quærerem sapientiam (q), & rationem: & ut cognoscerem impietatem stulti, & errorem imprudentium:

27. Et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius: qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa.

28. Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes (r), unum & alterum, ut invenirem rationem,

29. Quam adhuc quærit anima mea, & non inveni (ſ). Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.

30. Solummodo hoc inveni (t), quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Quis talis ut sapiens est? & quis cognovit solutionem verbi?

CAPUT VIII.

In vultu se prodit sapientia; Regum majestas; bonorum res adversæ, malorum prospera; sed bonum erit timentibus Deum; opera Dei investigari nequeunt.

1. SApientia hominis lucet in vultu ejus, & potentissimus faciem illius commutabit. *Sap. 8. 14.*

2. Ego os regis observo, & præcepta juramenti (a) Dei.

3. Ne festines recedere a facie ejus, neque (b) permaneas in opere malo: quia omne, quod voluerit, faciet:

4. Et sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quisquam potest: Quare ita facis?

5. Qui custodit præceptum, non (c) experietur quidquam mali. Tempus & responsionem cor sapientis intelligit.

6. Omni negotio (d) tempus est, & opportunitas, & multa hominis afflictio:

7. Quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuntio.

8. Non est in hominis potestate prohibere (e) spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque salvabit impietas impium.

9. Omnia hæc consideravi, & dedi cor meum in cunctis operibus, quæ fiunt sub sole. Interdum dominatur homo homini in malum suum.

10. Vidi impios (f) sepultos: qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant, & laudabantur in civitate quasi justorum operum: sed & hoc vanitas est.

11. Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.

12. Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, & per patientiam sustentatur (g), ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus.

13. Non

16. (l) Cum prosperitas oculos mentis perstringeret, tum mirabar cur justus tam cito moreretur, impius tandiu viveret. Sed viri boni sæpe eripiuntur malis futuris, e contra improbi vita ad graviorem pœnam producitur.

17. (m) Aut superstitiosus, aut rigidior, quam par sit, & semper stricto jure agens. *Ne obstupescas*, Ne acriora studia mentem obtundant. Augustin. Tract. 95. in Joann. *Quoniam & illud quod legimus divinitus dictum: Noli effici justus nimium, non est notata justitia sapientis, sed superbia præsumentis; qui ergo fit multum justus, ipse nimio fit injustus.*

18. (n) Ne peccata peccatis addas; nec quasi desperans te vitiis trade: sed statim erige te post ruinam; ne permittas impietati habenas, ne divinæ Providentiæ obliviscaris.

21. (o) Emmanuel Sà putat enim enim abundare; forte sumitur pro *quamvis, etenim*; vel *attamen*; adeo ut videatur emendatio quædam sententiæ superioris, aut restrictio: Nemo semper sapit.

22. (p) Noli curiose nimis scrutari, quid quisque dicat.

26. (q) Vox Hebræa summam numerorum etiam significat. Et LXX. vertunt, *calculum*: Caussas & proprietates rerum scire volui, & quasi summam earum facere.

28. (r) Versans animo unum post alterum, perpendens omnia; vel diligenter perpendi mulierum ingenia & studia. *Rationem*. Caussam cur pleræque mulieres sint viris pejores.

29 (ſ) Nec possum muliebris nequitiæ caussam assequi. *Reperi*, hyperbolica locutio: Pauci sunt viri perfecti, paucissimæ mulieres.

30. (t) Quærens caussam hujus corruptionis, id tandem inveni, quod *fecerit Deus hominem rectum*: Is autem se perdiderit ab initio. *Quæstionibus*, LXX. *Et ipsi quæsierunt cogitationes multas*: in varia studia & curas distracti, de præcepto ipso, seu de lege divina quæsierint. Inde aliæ ex aliis ortæ quæstiones, ac fluctuationes, quibus se homo pervertit. Multa homines excogitarunt, quibus caruissent, si a pristina simplicitate non recessissent. *Quis talis?* Quis cum sapiente comparandus? *Solutionem*. Qui cujusque rei propositæ intelligit solutionem.

CAP. VIII.

2. (a) Hebr. *Propter juramentum Dei*, Regi præstitum, ob fidem Regi sacramento obligatam, ut Salomoni, 1. Paralipom. 29. ubi principes dant manum Salomoni. *Os Regis custodi*: mandatis Regis obtempera.

3. (b) Noli quidquam temere agere, quod illi displiceat.

5. (c) Non punietur, cum præceptum a Rege constitutum custodierit. *Tempus*, Opportunitatem & rationem Regis alloquendi cor sapientis intelligit.

6. (d) Difficile est invenire opportunitatem, & rerum nexus.

8. (e) Non est in hominis potestate retinere animam fugientem. *Impium*, Quamvis ad servandum se scelera addat sceleribus. Hunc locum alii aliter exponunt. Grotius de rebellione adversus suum Regem interpretatur, quæ impunita non erit.

10. (f) Honorifice. Et *laudabantur*, in Hebræo: Non *laudabuntur*, seu oblivioni tradentur, ut quidam legunt.

12. (g) Si tanta est Dei erga impios indulgentia, ut supplicia eorum differat, quo ipsi corrigantur: quæ erit ejus benignitas erga justos, ut mercedem bonorum operum iis præstet? Epist. Meldensis. *Sustentatur*, id est, Toleratur.

13. Non sit (*h*) bonum impio, nec prolongentur dies ejus, sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Domini.

14. Est & alia vanitas, quæ fit super terram: sunt justi, quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant: sed & hoc (*i*) vanissimum judico.

15. Laudavi igitur (*k*) lætitiam, quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet, & biberet, atque gauderet: & hoc solum secum auferret de labore suo, in diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub sole.

16. Et appofui cor meum ut scirem sapientiam, & intelligerem (*l*) distentionem quæ versatur in terra: est homo, qui diebus & noctibus somnum non capit oculis.

17. Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo (*m*) invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole: & quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat: etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.

CAPUT IX.

Varii rerum humanarum eventus, qui ad Dei providentiam sunt referendi; sapientia est contemptui, divitiæ in pretio; piis operibus incumbendum.

1. Omnia hæc tractavi (*a*) in corde meo, ut curiose intelligerem: Sunt justi atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit:

2. Sed omnia in futurum servantur (*b*) incerta, eo quod universa æque eveniant justo & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic & peccator: ut perjurus, ita & ille qui verum dejerat.

3. Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt: unde & corda filiorum hominum implentur malitia & contemptu in vita sua, & post hæc ad inferos deducentur.

4. Nemo est qui semper vivat, & qui hujus rei habeat fiduciam: melior est canis vivus (*c*) leone mortuo.

5. Viventes enim sciunt se esse morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem: quia oblivioni tradita est memoria eorum.

6. Amor quoque, & odium, & invidiæ simul perierunt, nec habent partem in hoc sæculo, & in opere quod sub sole geritur.

7. Vade ergo & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua.

8. Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.

9. Perfruere vita cum uxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ: hoc est enim pars in vita, & in labore tuo, quo laboras sub sole.

10. Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas.

11. Verti me ad aliud, & vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam: sed tempus (*d*), casumque in omnibus.

12. Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit.

13. Hanc quoque sub sole vidi (*e*) sapientiam, & probavi maximam:

14. Civitas parva, & pauci in ea viri: venit contra eam rex magnus, & vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio.

15. Inventusque est in ea vir pauper & sapiens, & liberavit urbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.

16. Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine: quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba ejus non sunt audita?

17. Verba sapientium audiuntur (*f*) in silentio, plus quam clamor principis inter stultos.

18. * Melior est sapientia, quam arma bellica: & qui in uno peccaverit, multa bona (*g*) perdet. *Sup. 9. 16.

CA-

13. (*h*) Hebr. *Bonum non erit impio*. Prædicit quid futurum sit, non imprecatur.

14. (*i*) Quam vana sint hujus mundi bona, neque virtutis justa merces esse possint, hinc licet judicare.

15. (*k*) Ex persona impiorum loquitur, qui quod omnia in futurum serventur, se voluptatibus tradant; vel revocat homines ab inutili curiositate, & superflua mole ia in arcana divinæ Providentiæ inquirendo. *Labore*, Non alium e rebus temporalibus fructum percipere, quam earum usum: sola igitur animi lætitia cum morum innocentia conjuncta bonum est, quo fruimur in terra.

16. (*l*) Gr. *Occupationem*, seu curam sapientiam, quam postea describit. Vel *Distentionem*: Hebr. *Negotium quod sit super terram*: Artem politicam. Non capit, In quærendis rerum caussis occultis.

17. (*m*) Perspicuam & accuratam, nisi divina luce illustratam. Nam quo magis Dei arcana nosse volumus, hoc majoribus nos difficultatibus involvimus; & sapientia humana non aliud fere est, quam vana ostentatio.

CAP. IX. 1. (*a*) Sententia apertus est contra Novatores hujus temporis, qui asserunt hominem certum esse, & credere debere se esse amicum Dei. Docet enim Sapiens, licet opera justorum sint Deo cognita & probata, eos tamen in hac vita scire non posse, utrum amore, vel odio sint digni, nisi probabili conjectura.

2. (*b*) Quæ sequuntur, in persona impii videntur dicta. *Impio*. Tam bona, quam mala utrisque eveniunt. *Perjurus*, Hebr. *Jurans*, temere scilicet. *Dejerat*, Hebr. *Qui juramentum timet*. Mors omnibus evenit.

4. (*c*) Quantum ad hujus vitæ actiones. Quamvis hæc sententia cum superiori pugnet, nihil propterea mutandum est. Quæ enim hominibus solent in mentem venire, huc congeruntur.

11. (*d*) Hæc dicuntur ex persona impii: contrarium concludit Paulus Rom. 9. Dei esse optatos dare exitus: *Non est volentis, neque currentis*, &c. Multa hominibus videntur fortuito evenire, quæ divina Providentia reguntur. *Nec velocium esse cursum*; accidit aliquando ut præmium velocitatis non eo sequantur. Neque optimi & præstantissimi in omnium hominum genere præmia honoris aut gloriæ semper referunt. *Nec fortium bellum*, Victoriam.

13. (*e*) Humanam sapientiam hactenus visus est vituperare, nunc eam commendat; tametsi illam nihili faciunt homines, nisi ea sit cum divinis conjuncta. Sapientiæ nomine videtur politicam artem intelligere, de qua in sequentibus differit.

17. (*f*) Declamatores, qui plausus captant, insipientiam suam produnt magis, quam sapientiam; ex Hieron. cum verba sapientium in quiete & silentio audiuntur: Hebr. *Verba submissa sapientium audienda potius, quam clamor dominantis inter stultos*.

18. (*g*) Hebr. Græc. *Peccator unus perdet bonum multum*. Ut unius sapientia servatur civitas, sic persæpe unius imperitia Respublica perit; cum ab homine præ peccato recedit sapientia multa bona perdit.

CAPUT X.

Ex parvis delictis magna interdum oritur jactura; stultus alios omnes stultos putat; principum errores: Rex puer, Rex temperans; non detrahendum Regi vel occulte.

1. Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Pretiosior est sapientia & (*a*) gloria, parva & ad tempus stultitia.

2. Cor sapientis (*b*) in dextera ejus, & cor stulti in sinistra illius.

3. Sed & in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.

4. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum (*c*) ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima.

5. Est malum quod vidi sub sole, quasi (*d*) per errorem egrediens a facie principis.

6. Positum stultum in dignitate sublimi, & divites sedere (*e*) deorsum.

7. Vidi servos in equis, & principes ambulantes super terram quasi servos.

* Prov. 26. 27. Eccli. 27. 29. 8. * Qui fodit (*f*) foveam, incidet in eam: & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.

9. Qui transfert (*g*) lapides, affligetur in eis: & qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.

10. Si retusum fuerit (*h*) ferrum, & hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia.

11. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit.

12. Verba oris sapientis gratia: & labia insipientis præcipitabunt eum:

13. Initium verborum ejus stultitia, & novissimum oris illius error pessimus.

14. Stultus verba multiplicat. Ignorat homo quid ante se fuerit: & quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare?

15. Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem (*i*) pergere.

16. Væ tibi terra, cujus rex puer est, & cujus principes mane comedunt.

17. Beata terra, cujus rex nobilis est, & cujus principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam.

18. In pigritiis humiliabitur (*k*) contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus.

19. In risum faciunt panem & vinum, ut epulentur viventes: & pecuniæ obediunt omnia.

20. In cogitatione tua regi (*l*) ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diviti: quia & aves cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas annuntiabit sententiam.

CAPUT XI.

Eleemosynam & bona opera commendat; & fiduciam in Dei providentia.

1. Mitte panem (*a*) tuum super transeuntes aquas: quia post tempora multa invenies illum.

2. Da partem (*b*) septem, necnon & octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram.

3. Si repletæ fuerint (*c*) nubes, imbrem super terram effundent. Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.

4. Qui (*d*) observat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, numquam metet.

5. Quomodo ignoras quæ sit via (*e*) spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis: sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.

6. Mane (*f*) semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud: & si utrumque simul, melius erit.

7. Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem.

8. Si

CAP. X. 1. (*a*) Cavendi leves defectus, qui multitudine sua premunt. Alii sic exponunt: Prudentia simplex non callida, quæ pro stultitia vulgo habetur, pretiosior est ambitiosa & gloriosa prudentia. Vox illa, parva, cum stultitia jungi debet. Cavendum est iis, quibus fama sua chara est, ne vel minimum peccent per imprudentiam.

2. (*b*) Dextera est virtutis via: sapientis dicta & facta in verum tendunt bonum: cor stulti speciem tantum boni, non rem ipsam sequitur.

4. (*c*) Si apud principem in magna fueris gratia. Ne dimiseris. Serva pristinam modestiam; noli efferri, aut pristina opera deserere. Curatio. lenitas a nonnullis, aut sanitas, seu animi integritas exponitur; immo & otium, seu vita privata, quæ peccandi occasionibus minus est obnoxia, intelligi commode potest.

5. (*d*) Hebr. *Per ignorantiam:* Magistratus a principe per ignorantiam sæpe constituuntur.

6. (*e*) Interdum evenit ut principibus suspecti sint, qui excellunt, vel sapientia, vel nobilitate, vel opibus. Tacitus: *Sinistra illis erga eminentes interpretatio.* Nec minus periculum ex magna fama, quam ex nulla.

8. (*f*) Qui prisca instituta subvertit, vel prava consilia in caput consulentis sæpe recidunt. *Sepem*. Vicini. *Coluber*. Qui in eam se recipiebat, & in sentibus latebat. Hebræi hanc aptant allegoriam iis qui sapientum traditiones contemnunt.

9. (*g*) Qui terminos agrorum movet, vel qui alteri nocere vult. *In eis*, Qui alieni est cupidus, & terminos revellit, pœnas dabit. Aptari solet iis qui semel definita commovent. *Ab eis*, Qui alienas arbores cædit, qui factiones & seditiones facit.

10. (*h*) Sapientia est perpolitio animorum, ut terendo politur ferrum; atque ut ferrum neglecta rubiginem contrahit, sic animus hebescit, dum studium intermittit suum. *Sapientia*, Tum vires suas exacuabit, ut vitiorum rubiginem auferat.

15. (*i*) Qui rem notissimam non inveniunt. Proverbium est, Multi quæstionibus arduis se fatigant, cum ea non inveniunt, quæ sunt magis obvia.

18. & 19. (*k*) Desidia luxuriæ comes. *In risum*, Cibos ad voluptatem, non ad vitæ sustentationem sumunt.

20. (*l*) Majestati honos habendus. *Diviti*, Potenti: Maledicta, quamvis, ut putas, tutis auribus commiseris. *Vocem*, Aves illæ in aula frequentes sunt, quæ colligunt ea, quæ incautis exciderint. Hyperbolica locutio; delatores sunt illæ aves intactæ.

CAP. XI. 1. (*a*) Petenti omni sine discrimine: nam quæ dantur egenis, non pereunt. *Aquas*, Hebr. *Super faciem aquarum*, Liberaliter, ac si opes profunderes, nihil inde tibi peribit.

2. (*b*) *Septem & octo pro multis*, immo omnibus. Sic apud Michæam *Septem pastores, & octo primates*, pro multis sumuntur. Da septem & octo pauperibus. *Terram*, Per eleemosynam liberaberis a malis imminentibus, vel in hoc sæculo, vel in futuro.

3. (*c*) Similis esto nubi, quæ pluviam copiosam effundit in terram sine discrimine. *Lignum*, Vide quo te inclines, seu in bonum, seu in malum; nam quo acciderit in die mortis, ibi perpetuo permanebis, inter electos, aut reprobos. In charitate, vel sine charitate.

4. (*d*) Cunctanti benefaciendi occasio elabitur. Avares persimilis, qui ne largiantur eleemosynam, metum egestatis obtendunt.

5. (*e*) Aut venti, de quo Dominus Joann. 3. *Nescis unde veniat, aut quo vadat*: aut forte propter ea quæ sequuntur, via spiritus ea est, qua anima corpori infunditur; qua ratione compingantur ossa, hæc ignoramus.

6. (*f*) Bona opera assidue facienda, nec parcendum labori, etsi bene interdum non succedat.

8. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum (*g*): qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.

9. Lætare ergo juvenis in adolescentia tua (*h*), & in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.

10. Aufer (*i*) iram a corde tuo, & amove malitiam a carne tua. Adolescentia enim & voluptas vana sunt.

CAPUT XII.

Non differenda est in senectutem vitæ emendatio; corpus ad terram, spiritus ad Deum revertetur; scientiæ & vitæ summa; cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium. Hæc est operis conclusio.

1. MEmento Creatoris tui (*a*) in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent:

2. Antequam tenebrescat sol (*b*), & lumen, & luna, & stellæ, & revertantur nubes post pluviam:

3. Quando commovebuntur custodes (*c*) domus, & nutabunt viri fortissimi, & otiosæ erunt molentes in minuto numero, & tenebrescent videntes per foramina:

4. Et claudent (*d*) ostia in platea, in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volucris, & obsurdescent omnes filiæ carminis.

5. Excelsa quoque timebunt (*e*), & formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in platea plangentes.

6. Antequam rumpatur (*f*) funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam.

7. Et revertatur pulvis in terram suam (*g*) unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

8. Vanitas (*h*) vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas.

9. Cumque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarravit quæ fecerat: & investigans composuit parabolas multas.

10. Quæsivit verba utilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.

11. Verba sapientium sicut (*i*) stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno.

12. His amplius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis (*k*): frequensque meditatio, carnis afflictio est.

13. Finem loquendi pariter omnes audiamus (*l*). Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo:

14. Et cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.

---

8 (*g*) Æternæ noctis. *Præterita*. Voluptates nimirum, quibus homo, dum viveret, indulsit. Jam quæstiones & fluctuationes ex persona impiorum propositas solvere incipit.

9. (*h*) Ironice dicta: Jam lætare, si potes, in conspectu mortis. *Cor tuum*, Recto sit corde. *In viis*, Actionibus tuis invigila. *In judicium*, Post mortem.

10. (*i*) Per *iram*, omnes animi perturbationes: per *carnis malitiam*, corporis voluptates intelligit. *Vana sunt*, quo uno ictu omnes imp..rum argumenta concidunt; vel *aufer iram a corde tuo*, querelas de sorte quæ tibi obtigit.

CAP. XII. 1. (*a*) Qui te judicaturus est. *Anni*, Seniles nimitum figuratam senectutis descriptionem subjicit; varias interserit metaphoras, quibus exprimit senectutis incommoda.

2. (*b*) Priusquam grata esse desinant, quæ erant gratissima. *Post pluviam*, Cum oculi caligent, & quasi nubibus obducuntur in senectute: *Nubes post pluviam*, perpetua incommodorum series.

3. (*c*) Cum manus trement, & brachia tuendo corpori destinata. *Fortissimi*, Crura & femora, quibus corporis moles innititur. *Molentes*, Dentes ad paucitatem redacti. *Per foramina*, Oculi, quibus intervalla palpebrarum sunt quasi fenestræ.

4. (*d*) Claudentur labia extrinsecus. *In platea*, In facie. *Molentis*. Sublatis dentibus e mpressa adeo est vox, ut non exeat, nisi tracta. *Volucris*, Ad vocem galli; aut ad minimum strepitum somnus abrumpendus. *Carminis*, Aures: cum musicæ delectatio omnis concidet.

5. (*e*) Vix per clivum conscendent, omnia ruinæ proxima videbuntur. *In via*, Etiam per non impedita timide incedent. *Amygdalus*, Caput canescet. *Locusta*, Infirmo jam minima quæque gravia apparebunt; vox Hebræa etiam *talum* significat: pedes intumescent, aut densiore cute, & relucente, speciem *locustæ* præbebunt. *Capparis*, Ex Hebræo *peribit libido*, vel cibi appetentia, ac vigor omnis. *Æternitatis*, In sepulcrum pergent. *Plangentes*, Funus ambiunt lamentatrices, seu præficæ, ut tum moris erat.

6. (*f*) Antequam medulla spinalis incurvetur, & nervi ex ea prodeuntes solvantur. *Vitta*, Hebr. *Lenticula aurea*: Folliculus vesiculæ fellis, qua labescente alvus aut solvi, aut adstringi solet, in senibus maxime. Alii per vittam auream, duram meningem, quæ cerebrum involvit, interpretantur: imminuto cerebro hæc contrahitur. In Hebræo est, *Frangatur phiala aurea*, cystis biliaria, cum in senibus bilis minus vasis suis contineatur. *Hydria*, Vesica urinaria. *Rota*, Caput, aut cranium; vox Hebræa, *Galgal*, Exod. 16. sumitur pro capite. *Cisternam*, Super cavum pectoris. Chald. Et accurrat corpus suum in medium sepulcri.

7 (*g*) Hæc est plena solutio quæstionum, illius præsertim cap. 3. propositæ; *Quis novit si spiritus filiorum Adam; &c.* *Et spiritus redeat ad Deum, qui fecit illum*. Ex ipsa utriusque corporis & animæ origine quæstio dirimitur; testa in terram, spiritus ad Deum redit judicandus.

8 (*h*) Probatione confecta ad caput redit, unde initium fecerat: evolutis omnibus opinionibus, quæ in mentem venire possunt, docuit ceteris rebus nos uti posse cum modo, summam sapientiæ in eo positam esse, ut Deo placeremus.

11. (*i*) Ad veram sapientiam adhortatur: sicut stimuli hærere debent, & infigi animis: Hieron. *Nihil tibi vendices, majorum sequere vestigia, ab eorum auctoritate ne discrepes*. *Pastore*. Omnia a Deo, & ab ejus spiritu profecta; *unus enim est magister noster*; vel *a pastore uno*, Salomone, ex vers. 9 & 10.

12 (*k*) Innumerabiles libri, sed Lex una, unum Evangelium; veritas certo fine, & certis terminis concluditur, mendacium nullis. Omnes libri, qui ad veritatem, & morum informationem spectant, ex eodem fonte profluunt. Si diversa & discrepantia disputaveris, & curiositate nimia hac atque illuc animum deduxeris, etiam in uno libro multi libri sunt.

13. (*l*) Hæc summa est omnium, quæ a sapientibus scripta sunt. *Omnis homo*, In id unum convertamus animum, quod est æternum: cum omnia vana sint sub sole, In timore & amore Dei totum est hominis bonum. Alii de extremo Dei judicio hoc caput interpretantur, cum sol tenebrescet; cum Angeli Custodes, & hæc universo præpositi recedent; cum excelsa quæque corruent; solus justus ut amygdalus florebit; peccatores ut locustæ insatiabiles, quæque æstate saginantur, at autumno pereunt, de terra delebuntur; in domum tenebrosæ hæreditatis præcipites ibunt; tum funiculo vitæ disrupto, corpus ex argilla compactum instar hydriæ confringetur, tamquam rota cisternæ in testa discerpendum; quod in terram unde ortum est revertetur, & anima ad Deum creatorem suum redibit. Hic desinit mundi gloria, atque ab ortu hominis ad mortem usque omnia sunt vanitas.

CANTICUM CANTICORUM SALOMONIS,

QUOD HEBRAICE DICITUR

SIR HASIRIM.

EXTITERUNT Haeretici, qui negarent, hoc Canticum inter divinas Scripturas referri oportere, quod nomen Dei nusquam in eo positum occurrat, atque subjecta huic materies omnino profana, non sacra, nec demum Salomon prophetico spiritu afflatus videatur. Iis merito antiquam Ecclesiae traditionem opponit Theodoretus Praefatione in Canticum, quod in Judaeorum canonem ab omni aevo receptum fuerit, & ab universa Ecclesia inter Canonicas Scripturas semper habitum. Illud quoque palam est sub sponsi nomine Christum ubique intelligi, quo anima sancta casto & puro amore frui desiderat: is enim praecipuus ejus affectus, qui ubique in hoc Cantico se prodit, ut dilecto suo indivulse adhaereat, eoque fruatur, atque hic est puri amoris status, qui ubique dominatur. Eo quippe spectant prima hujus Cantici verba: Osculetur me osculo oris sui. *Hi sunt piae animae & perfecti amoris sensus. Hinc dilecti laudes toties repetitae, quae sublimi animae, aut ipsi Ecclesiae, quatenus pias & devotas animas complectitur, non iis quae in peccatis sordescunt omnino conveniunt:* Ecce tu pulcra es amica mea, ecce tu pulcra es. *Voces autem sororis, aut fratris, spiritali, non impuro amori tribuendae.*

Titulus ipse Auctorem suum prodit: Canticum Canticorum Salomonis. *Sic dictum fuit, quod Canticorum sit praestantissimum, cum in eo canatur Verbi incarnati, & Ecclesiae ejus sponsae sacramentum. Canticum Salomonis, seu pacifici inscribitur, quod utique nomen ipsius Libri exordio convenit: nam a signo pacis incipit, quod est osculum, ut Bernardus admonet, qui & argumentum libri scite explicat.* In Cantico, *inquit*, Rex Salomon sapientia singularis, sublimis gloria, rebus affluens, pace securus, divinitus inspiratus, Christi & Ecclesiae laudes, & aeterni connubii cecinit sacramenta, & epithalamii carmen exultans in spiritu, jucundo elogio, figurato tamen, velans & ipse instar Moysi faciem suam, quod rari erant eo tempore, qui revelata facie gloriam istam speculari sufficerent. *Nam ut pulcre Episcopus Meldensis, Salomon se castosque suos erga filiam Pharaonis affectus in exemplum profert, dumque in vera historia ea fingit, quae flagrantissimo amori congruunt, describit aptissime sub elegantis fabulae involucris caelestes amores, Christi & Ecclesiae conjunctionem. Sed ne parum congrue regio nomini in amatorios sensus ac verba deflueret, majestate tantisper deposita pastorem induit, & in idem vitae genus Pharaonis traduxit filiam.*

Et quidem si Cantici verba, quibus sponsus exornat sponsam, exponeretur ad litteram, quod caput illius sit instar montis Carmeli, oculi piscinis consimiles, nasus instar turris, dentes sicut greges ovium, nihil deformius fingi posset. Quamobrem verba illa a carnali ad spiritalem intelligentiam, ad sensum videlicet tropologicum, aut allegoricum transferri debent. Neque id vacat mysterio, quod Salomon filiam Pharaonis sponsam suam tot laudibus exornet; ea quippe est imago Ecclesiae, quam Christus e gentibus congregavit. Plura vide apud Illustrissimum Praesulem, ex quo pleraque in his brevioribus notis mutuabimur. Is enim sensum litteralem cum spiritali pulcre conjunxit, pastoralem hanc eclogam in septem dies partitus.

CAPUT PRIMUM.

Sponsa seu Ecclesia, aut fidelis anima petit a sponso quæ ad salutem & perfectionem suam pertinent; mutuis se laudibus excitant ad amorem spiritalem.

1\. OSCULETUR me osculo oris sui (*a*): quia meliora sunt ubera tua vino,

2\. Fragrantia (*b*) unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te.

3\. Trahe me (*c*): post te curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua: exultabimus & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te.

4\. Nigra sum (*d*), sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

5\. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol (*e*): filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi.

6\. Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie (*f*), ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

7\. Si ignoras te (*g*), o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum.

8\. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica (*h*) mea.

9\. Pulcræ sunt genæ (*i*) tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia.

10\. Murenulas aureas faciemus (*k*) tibi, vermiculatas argento.

11\. Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.

12\. Fasciculus myrrhæ dilectus (*l*) meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

13\. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi (*m*).

14\. Ecce tu pulcra es amica mea, ecce tu pulcra es, oculi tui (*n*) columbarum.

15\. Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noster (*o*) floridus:

16\. Tigna domorum nostrarum (*p*) cedrina, laquearia nostra cypressina.

CAPUT II.

Sponsi & sponsæ dotes eximiæ; divini amoris gradus supremus. Dei præsentia, & illius signa, persecutores Ecclesiæ.

1\. EGo flos campi (*a*), & lilium convallium.

2\. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter (*b*) filias.

3\. Sicut (*c*) malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.

4\. In-

CAPUT I. 1. (*a*) Utinam osculetur, & me amet: sacrum desidero osculum dilecti mei, non pedum, quod est pœnitentis, sed oris, quod est sponsæ: aliorum omnium oscula respuo, sponsi tantummodo castum flagito osculum. *Vino.* Hæc ubera Patres intelligunt duo Testamenta, quæ amorem cælestem spirant, Christi promissi in Veteri, dati in Novo. Amor divinus quasvis alias vincit delicias.

2\. (*b*) Apud Hebræos ipsius comparari, & unguentis perfusi incedebant. Amori Christi inest sapor vini suavissimi, quo inebriantur animæ, fragrantia qua trahimur ad eum. *Nomen.* Tamquam oleum effusum est nomen tui fama, non pyxide conclusum, sed longe lateque sparsum; odore suo per Evangelii prædicationem totum orbem implevit. *Adolescentulæ.* Seu animæ fideles, tum incipientes, tum in cælo illo sponsi amore proficientes.

3\. (*c*) Per gratiam tuam. *Tuorum*, Jam more Scripturæ mutantur personæ; mecum accurrant adolescentulæ comites meæ, doctrinæ & gratiæ salutaris odore illectæ. *In cellaria.* In penetralia: in arcanos Scripturarum sensus; per Mosem Deus in templi sui vestibulum, per Christum in Sancta Sanctorum, Ecclesiam introducit.

4\. (*d*) Extrinsecus. *Formosa.* Intrinsecus, quod de Ecclesia variis modis exponi solet. *Cedar.* Arabum tentoria soli exposita, sic nigra sum. *sed formosa, sicut pelles Salomonis*, quæ intus aulæis splendidis nitent.

5\. (*e*) Externo aeri & soli exposita sum; vehementes Ecclesiæ persecutiones insinuat. *Idcirco pugnaverunt contra me*, per multas persecutiones.

6\. (*f*) Flagrante æstu diei, ubi umbram sectas! Meridies ille est plenitudo diei æternitatis. Hanc diem sponsa quærit, ut fruatur dilecto suo. *Sodalium*, Anima Christum quærens ab eo postulat, ut indicet ubi requiescat, ne apud sapientes hujus seculi, vel apud Hereticos aberret.

7\. (*g*) Quæ sponsæ eventura sint mala, si seipsam ignoraverit, huic prædicit.

8\. (*h*) Nihil est quod metuas ab hostibus: nam fortis es, ut equitatus meus, & currus armati quos adduxi ex Ægypto; *Adversus Ecclesiam portæ inferi non prævalebunt.*

9\. (*i*) Hebr. *Maxillæ. Turturis*, Vox Hebræa, & turtu-ret, & monilia significat: Pagninus. *Decora sunt maxillæ tuæ in murenulis, collum tuum in torquibus.* Allegorice castitas Ecclesiæ, pudor & candor commendantur. Jam reciproci sermones incipiunt a vers. 8. & variis similitudinibus ornati.

10\. & 11. (*k*) Sponsus sponsam variis donis ornat. Torques auris argenteis maculas faciemus tibi in modum vermium terrenorum, quos lumbricos dicunt, distinctas, & inter se conjunctas. *Sua.* In convivio. *Nardus*, Herba est odorata: Ecclesiæ virtutes sunt bonus odor Christi.

12\. (*l*) Christum geram in pectore, & ejus passionem meditabor jugiter.

13\. (*m*) Vicus est prope mare mortuum. Cyprus est arbuscula odoratissima, ex qua opobalsamum stillat, frequens in Syria & in Judæa: hujus meminit Plinius, Lib. 12. cap. 24. Vites juxta hanc arborem consitæ in botris odorem Cypri referebant. Christus est botrus ille odoratus in cruce tanquam in torculari expressus, ex quo in Eucharistia Calicem salutarem bibimus.

14\. (*n*) Simplices, casti, perspicaces, quales sunt oculi columbarum in Palæstina; ii sunt amoris & modestiæ pleni.

15\. (*o*) Præceptis, consiliis, sententiis Scripturæ, in qua ut in lectulo sponsus & sponsa conquiescunt: sic floret ut sponsus verbi semina infundat, sponsa concipiat & pariat: ita Theodoretus.

16\. (*p*) Doctores & Pastores qui vita & doctrina domum Dei fulciunt. *Cypressina*, Justi & pii, qui cariem & vetustatem non sentiunt.

CAP. II. 1. (*a*) Hebr. *Rosa Saron*, Terra est admodum fertilis: Christus est flos de radice Jesse, qui ex terra Virgine natus est.

2\. (*b*) Id Augustinus de Ecclesia interpretatur, Lib. de Unit. Ecclesiæ. cap. 14. *Et in Canticis Canticorum, quod de Ecclesia dictum omnis Christianus agnoscit.*

3\. (*c*) Sicut arbor fructifera, & culta inter silvestres & steriles. *Inter filios*, Hominum. Malus arbor est quæ umbra sua delectat & fructu; umbra est Dei protectio & favor, fructus vita beata.

4. Introduxit me in cellam (*d*) vinariam, ordinavit in me charitatem.

5. Fulcite me floribus (*e*), stipate me malis: quia amore langueo.

6. Læva ejus sub capite (*f*) meo, & dextera illius amplexabitur me.

7. Adjuro vos, filiæ Jerusalem per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam (*g*), quoadusque ipsa velit.

8. Vox dilecti mei (*h*), ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.

9. Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum (*i*): en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

10. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.

11. Jam enim hiems (*k*) transiit, imber abiit, & recessit.

12. Flores apparuerunt (*l*) in terra nostra, tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra:

13. Ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea, & veni:

14. Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

15. Capite nobis vulpes parvulas (*m*), quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.

16. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia

17. Donec aspiret dies, & inclinentur umbræ. Revertere (*n*): similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bether.

CAPUT III.

Quæ primo & secundo capite breviter attigit, hoc capite & sequentibus fusius persequitur; quomodo Deus quærendus sit, & inveniendus.

1. IN lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima (*a*) mea: quæsivi illum, & non inveni.

2. Surgam, & circuibo (*b*) civitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni.

3. Invenerunt me (*c*) vigiles, qui custodiunt civitatem: Num quem diligit anima mea, vidistis?

4. Paullulum cum (*d*) pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum: nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

5. Adjuro (*e*) vos, filiæ Jerusalem per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, nec evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

6. Quæ est ista, quæ ascendit per (*f*) desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?

7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel:

8. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum propter timores (*g*) nocturnos.

9. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani:

10. Columnas (*h*) ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constravit propter filias Jerusalem.

11. Egre-

4. (*d*) In deliciarum sedem, ad altare Dei, ut ibi sumentem Calicem salutaris. *Charitatem*. Hebr. *Vexillum ejus super me dilectio*. Jussit me in hoc ordine militare, non in timore legis, sed in amore prisline, in vinculis Adam, & in funiculis charitatis, ut militio sub ejus vexillo cui inscriptus est amor.

5. (*e*) Hebr. *Lagenis* vini optimi, ut vini odore, & malorum fragrantia vires recreentur. Sept. Interpr. *Unguentis odoratis*: sponsa vim amoris ferre non valet, deficit & collabitur; adeo ut florum & vini odore sit fulcienda. *Malis*, Punicis, aut similibus.

6. (*f*) Amplexus sponsi, & illius auxilium insinuantur. Hactenus prima dies ex septem, justa Episcopi Meldensis divisionem.

7. (*g*) Sponsæ comitibus silentium indicit sponsus, & more pastorali loquens vetat ne dulcis sponsæ somnus interrumpatur.

8 (*h*) Sponsa in dilectum intenta vocem ejus inter somniandum sibi videtur agnoscere: unde abrupto utitur sermone, ut somniantes solent. *In montibus*, More transilientis montes & colles, idque citissime.

9 (*i*) Ejus agilitatem describit, præ amore ad sponsam accurrentis. *Parietem*, Amantes cum maxime volunt, tamen simulant se nolle videri.

11 (*k*) Vernum tempus describit. Jam tempus captivitatis satanæ, & persecutionum transiit; vel hiems est tempus Passionis Christi, ver nascens Ecclesia.

12. (*l*) Primitiæ credentium. *Nostra*; Quæ in montium jugis, & in celsis arboribus commoratur. Vox inquam turturis ingementis potius, ac velut suspirantis, quam aliquid resonantis.

15. (*m*) Sponsus invitat pastores, ut insidiantes vineæ vulpeculas capiant; ut hæreticos, priusquam adoleverint, & pravis doctrinis Ecclesiam vastaverint, intercipiant. Tum enim major est & periculosior cum iis contentio, postquam turbas ad se pertraxerint; per insidias sese insinuant, mox sponte grassantur, dolosum animal quod ægre mansuescit.

17. (*n*) Adventum sponsi desiderat. *Bether*: Eos montes esse in tribu Benjamin, eosque nemorosos, & plantis aromaticis refertos, docet Adricomius, in vero delectantur cervi & capreæ. Atque hic finis est secundæ diei, in quo amor multum increvit. In primo sponsa non satis noverat ubi sponsus cubaret, ac suæ formæ diffidebat. In secundo die sponsus citato cursu, etiam non vocatus redit, vocat eam ad loca solitaria, invitat ut capiat vulpeculas, & posius beatæ contemplationis initiis ad vitæ perfectioris gradum eam perducit. Ita fere Episcopus Meldensis.

CAP. III.

1. (*a*) Sponsa ex somno jam expergefacta sodales suas alloquens, se sponsum frustra quæsisse in lectulo suo conqueritur, in otio nempe, & quiete rerum terrenarum.

2. (*b*) Sed post custodias nocturnas, & post discussam ignorantiæ caliginem, & laboriosam inquisitionem, invenitur Christus Ecclesiæ sponsus.

3. (*c*) Hebr. *Custodes*, Synagogæ principes, qui ne responso quidem ullo me dignati sunt, vel ut stultam me derisferunt.

4. (*d*) Hos vigiles. *Anima*, cælesti vocatione instructa: Tum inveni, quo uno fui desiderio: ultro sese mihi ostendit. *Nec dimittam*: Nec sinam me ab eo divelli. *Matris meæ*. In domum meam, quam præ honestate & modestia vocat domum matris suæ: in cordis sui intima eum inducit.

5. (*e*) Sunt verba sponsi, postquam sponsa labore defessa in suavem incidit somnum: vel in extasin contemplationis, & amoris; quem somnum interpellari vetat sponsus.

6. (*f*) Verba sunt sodalium sponsæ: postquam paullulum somno indulsisset, sponsum ad greges abeuntem est comitata: novam sponsæ formam demirantur, quod inter tot spinas mundanas, & vepres incedens, derelictis rebus omnibus terrenis sursum ascendat. *Aromatibus*, Instar thymiamatis ex aromatibus fragrantissimis confecti sursum contendat.

8. (*g*) Ob pericula quæ majora sunt nocturno tempore. Lectulum mox vocat ferculum, seu lecticam, ut vertunt LXX. seu domum portatilem, quæ est ipsa Ecclesia, in qua Christus requiescit, velut in tabernaculo suo.

10. (*h*) Columellas lecti quæ cortinas sustinent. *Reclinatorium*, locus est in quo corpus reclinatum quiescit. *Ascensum*. Sedile: Hebr. *Stratum*, vel stragulam auream. *Constravit media*, in accusativo casu; rebus pretiosis ornavit: Hebr. *Medium*, Intimum illius ferculi, aut tabernaculi Christi totum est charitate constratum: Deus vero charitas est. *Propter filias*. Quæ ejus aspectu satiari cupiunt.

11. Egredimini & videte, filiæ Sion, regem Salomonem in (i) diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.

CAPUT IV.

Sponsam sic laudat sponsus, ut eam ad sublimiora provehat, & ad labores pro Christo suscipiendos.

1. Quam pulcra es amica (a) mea, quam pulcra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.

2. Dentes tui sicut greges (b) tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.

3. Sicut vitta (c) coccinea, labia tua: & eloquium tuum, dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.

4. Sicut turris David (d) collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

5. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur (e) in liliis.

6. Donec aspiret dies, & inclinentur umbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

7. Tota pulcra es amica mea (f) & macula non est in te.

8. Veni de Libano (g) sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

9. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno (h) crine colli tui.

10. Quam pulcræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa! pulcriora sunt ubera tua vino, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

11. Favus (i) distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

12. Hortus conclusus soror mea (k) sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

13. Emissiones tuæ paradisus (l) malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo,

14. Nardus (m) & crocus, fistula & cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis unguentis.

15. Fons (n) hortorum: puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

16. Surge (o) Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.

CAPUT V.

Sponsa invitat sponsum ut in hortum suum descendat; ibi fit messio mystica, & dulce convivium. Quibus notis dignoscatur sponsus, & ab aliis secernatur.

1. Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum (a) suorum. Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.

2. Ego dormio, & cor meum (b) vigilat: vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.

3. Expo-

11. (i) Invitantur filiæ Sion, ut potius Salomonem ipsum, quam ejus ferculum intueantur. *In diademate*. Sponsus & sponsa in nuptiis coronari solebant: diadema illud vel est Humanitas Christi, quæ ex B. Virgine sumpta est, vel etiam spinea corona, qua synagoga caput ejus cinxit. *Desponsationis*, Incarnationis, vel passionis. *Lætitiæ:* In die resurrectionis corona gloriæ fuit decoratus.

CAP. IV. 1. (a) Perfectam animam sponsus alloquitur, quæ nihil magis, quam sponso suo desiderat. *Oculi tui*. Pastores Ecclesiæ. *Latet* LXX. *Extra silentium*; pace tua id quod tacetur; ut exterioris tantum pulcritudinis mentionem faciam, cum interiora gratiæ dona longe majorem mereantur laudem. Vel præter venustum illud ac decens, quod verbis exprimi nequit. *Caprarum:* More bucolico & pastorali ex vivendi ratione similitudines ducuntur. Caput sponsæ monti eminus viso assimilat, capillos subsultantes in capite, gregi caprarum, quæ ascenderant de monte Galaad. Capreæ fideles, mons Galaad Christum qui est caput Ecclesiæ, significat. Hebr. *Quæ mane surgunt de Monte Galaad*, quæ erat pulcherrimus.

2. (b) Ovium quæ lotæ sunt, & candidæ: dentes Ecclesiæ sunt doctores, aut prædicatores, qui verbo Dei pascunt fideles, & bonis abundant operibus: *gemellis* sunt fœtibus; charitatem Dei & proximi in animis fidelium fovent.

3. (c) Vittæ purpureæ similia. *Mali punici*. Quod rubentium granorum splendore & ordine decoratur. Labia coccinea prædicationem Verbi Dei charitate inflammatam, ut genarum rubor verecundiam & gravitatem significat, quam Ecclesia ubique, & in sinibus suis maxime exhibet.

4. (d) Totius corporis habitus excelsus & erectus colli nomine insinuatur; *Sicut Turris David*, cujus fit mentio Esdræ, Lib. 2. cap. 3. Hæc quoque referri possunt ad antiquum morem, quo Deo dicata spolia hostibus detracta, eaque e turribus suspendi solebant. Unde hæc variis Ecclesiæ de hostibus reportatas victorias significant; ut monilia Spiritus Sancti dona designant. Clypeis e turre pendentibus comparat uniones pendentes de collo.

5. (e) Vetus & Novum Testamentum, quæ ambo sunt pura & candida sanctioris vitæ exemplis, & doctrinæ veritate.

7. (f) Quod proprie Ecclesiæ triumphanti convenit, & militanti quoad professionem sanctitatis & fidei, cui nihil inest falsi, uti nec quidquam in moribus pravum; sed omnia pura & sancta præscribit.

8. (g) Undecumque veneris, aut de Libano, aut de monte Hermon, locis amœnitate claris, tibi coronas nectemus. Forte loquitur de quibusdam colliculis, quibus hæc nomina sponsus indiderat in rure suo.

9. (h) Sept. Interpr. *Cor abstulisti*. Voces sunt intimæ familiaritatis. *In uno*, Uno aspectu. *Crine*, Aquila vertit, in uno serto, (une tresse) quod per collum defluit.

11. (i) Sermonis gratiam & puritatem describit.

12. (k) Ecclesia est velut ortus omni virtutum genere tamquam floribus ornatus, & Dei protectione vallatus. Fons est ipse Christus, qui patens est *domui David*, Zachar. 13. 1. Non fidelibus, sed infidelibus clausus est.

13. (l) Instar paradisi, seu horti, in quo sunt omnia pomorum genera. Ecclesiæ particulares sunt universalis propagines.

14. (m) Nardus ex cypro & croco conficitur. *Fistula*, seu juncus odoratus, de quo Plinius, Lib. 12. cap. 22.

15. (n) Ut fons hortorum, sic fluenta Scripturarum irrigant fidelium mentes.

16. (o) Fuge, cum sis noxius. *Auster*, Ut benigno calore stillare facias succos odoratos ex arboribus, fructus virtutum, Spiritus Sancti afflatu.

CAP. V. 1. (a) Veniat in Ecclesiam, vel in animam sanctam, & comedat fructus arborum suarum. Pascitur enim bonis operibus Sanctorum, ut cibo suavissimo. *Veni*, Feci quod petiisti. *Inebriamini:* Vox illa in Scripturis hilare, nec immodestum actuale convivium significat. Sponsa hoc melle & lacte pasta, discedit, & ad somnum se comparat.

2. (b) Sponsa sodalibus suis somnium suum narrat. Ego dormiebam; sed sopitis sensibus erecto eram ad sponsum animo; ipse vero cum amicis nocte intempesta venit. *Soror mea*. Soror facta per baptismum, amica per charitatem. Exponi satis commode hæc sponsæ verba solent. Ego dormiebam expectatione sponsi fatigata, de cujus absentia mens sollicita cogitationes felices volverat: ita factum est ut pulsanti non statim aperuerim. *Rore*, Nocturno. Verba sunt sponsi, ut illa intelligat diu dilectum in via, & ante fores pulsantem perseverasse. *Pedes meos*, Affectus ipsos lacrymis, & cordis compunctione, lavi. Vereor ne rerum secularium pulvere iterum inquinentur. *Expoliavi me tunica mea:* videntur verba esse ficte recusantis.

3. Expoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?

4. Dilectus meus misit manum suam per (c) foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus.

5. Surrexi, ut aperirem dilecto meo: manus meæ stillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.

6. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo: at illa declinaverat, atque (d) transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est: quæsivi, & non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi.

7. Invenerunt me (e) custodes qui circumeunt civitatem: percusserunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

8. Adjuro vos filiæ (f) Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei quia amore langueo.

9. Qualis est dilectus tuus ex (g) dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos?

10. Dilectus meus candidus & (h) rubicundus, electus ex millibus.

11. Caput ejus (i) aurum optimum: Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.

12. Oculi ejus sicut (k) columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident juxta fluenta plenissima.

13. Genæ illius sicut areolæ (l) aromatum consitæ a pigmentariis. Labia ejus lilia distillantia myrrham primam.

14. Manus illius tornatiles (m) aureæ, plenæ hyacinthis. Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris.

15. Crura illius columnæ (n) marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species ejus ut Libani, electus ut cedri.

16. Guttur illius (o) suavissimum, & totus desiderabilis: talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.

17. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.

CAPUT VI.

Nova sponsæ encomia cum a sponso ipso, tum a sodalibus; decora est simul & terribilis.

1. Dilectus meus descendit in hortum suum ad (a) areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat.

2. Ego dilecto meo, & dilectus meus (b) mihi, qui pascitur inter lilia.

3. Pulcra es amica mea, suavis & (c) decora sicut Jerusalem: terribilis ut castrorum acies ordinata.

4. Averte oculos tuos (d) a me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.

5. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.

6. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis.

7. Sexaginta sunt (e) reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.

8. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ: Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicaverunt: reginæ & concubinæ, & laudaverunt eam.

9. Quæ

4. (c) Digitum inseruit seræ foramini, ut pessulum amoveret: interiora mea commota sunt ad ejus præsentiam. *Ad tactum.* Sponsus pessulum cum sera liquore myrrhæ electæ ipso contactu sic imbuerat, ut sponsæ manus dum pessulum recluderet, eodem unguento fuerint delibutæ: myrrha dicitur probatissima. Hebr. *transiens*, quæ in mercatorum commerciis probata est.

6 (d) Sponsus: Fingit interdum se longius ire, ut amorem sponsæ provocet interim abesse ab Ecclesia, aut ab anima videtur, cum permittit illi tribulationes; exercetur anima, & castigatur tardius aperiens, ac ipsa sui vult, ut sibi aperiatur statim ac pulsat, cum ipse in x aliis transiens sit. Arrectam vult esse animam, non somnolentam, quæ vere dicat: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Sin autem velut in lecto languescat, illud evenit: *Quæsivi, & non inveni.*

7 (e) Non iidem qui antea, nec eadem in die quo priores, cap. 3. Illi quippe ruentem agnitum dimiserunt sine molestia, hi vero illam vulnerant. Hi custodes potissimi sunt Ecclesiæ persecutores. *Pallium*, LXX. *Theristrum*, seu vestem æstivam, ut velum capitis: hæc est amissio temporalium.

8. (f) Ad clamorem sponsæ plures evigilant viri & mulieres, hos rogat ut sponsum indicare velint: cæsa & spoliata, non plagas, sed vim amoris sentit.

9. (g) Hebr. *Præ dilecto*, seu dilectissimus: non ignorantes interrogant.

10 (h) Christus est absque ulla peccati macula candidus, & sanguine suo quem effudit rubicundus: sponsa castigata sponsum laudat impensius. Candidus est propter divinitatem: *Est enim candor lucis æternæ*: rubicundus propter incarnationis, passionisque mysteria; nam rubrum est vestimentum ejus.

11. (i) Caput Christi Deus: *Elatæ*, Vox Græca σπάθαι, germen *palmæ* significat, quod simenta sua diffundit. Sumitur etiam pro *arbore*, quæ in altum assurgit.

12. (k) In nominativo plurali ex voce Græca apud LXX. Oculi sponsi sunt pulcri, casti, puri. *Aquarum.* In quibus se abluunt columbæ. *Lacte*, Tam candidæ, ac si lacte nitentes viderentur.

13. (l) Similes sunt floribus in areola pulcre dispositis: sic majestatem lenitate temperatam exprimunt. *Labia*, Lilia purpurea, quæ iis in locis sunt pulcherrima.

14. (m) Digiti anulis aureis ornati, quibus inserti erant chrysolithi: horum nitore manus instar auri rutilant. Vocem Hebræam LXX. alibi, ut in Exodo, vertunt chrysolithum, alibi carbunculum. Manus Christi opere charitate rubra & pura significant. *Eburneus*, Interiora ejus, mens ipsa candida, & incorrupta.

15 (n) Ob firmitatem martyrium: virtutum fortitudo & constantia insinuantur. *Species ejus*, Totius corporis habitus est instar Libani peramœnus: per cedros statutæ proceritatem, & dignitatem designat. Crura ejus firma, quod stans stabili gradu hostes debellet.

16 (o) Vox illius, aut sermo est gratiæ plenus. *Desiderabilis.* LXX. *Totus desiderium.*

1. (a) Quo matutinis horis ire solebat. Hortus est Ecclesia, vel anima sancta. CAP. VI.

2. (b) Utrumque fit, ego illum, ille me cogitat: ille meus est, & ego illius. *Qui pascitur inter lilia*, LXX. *Qui pascit.* Cujus deliciæ sunt loca amœna, & liliceta.

3. (c) Omni virtutum genere ornata: Hebr. *Pulcra es amica sicut Thirsa, & decora sicut Jerusalem.* Thirsa urbs antiqua & nobilis in tribu Ephraim. *Ordinata*, Terribilis dæmonibus, & hæreticis, quæ in Ecclesiam apprime conveniunt. Formæ venustati & dignitati robur addit, & invictam fortitudinem. Jam superiori capite quæsierant comites, qualis esset dilectus tuus: nemini quippe notus est sponsus, nisi monstrante Ecclesia, quæ facile dignoscitur ex insigni sua pulcritudine, decore, & robore: urbs est super montem posita: exercitus bene dispositus, optimis ducibus instructus, adversus hostes visibiles & invisibiles.

4 & 6. (d) Deus fugit curiosos, amat simplices. *Punici*, ubi mira est granorum connexio & ordo.

7. (e) Numerus finitus pro infinito ponitur. Reginæ sunt uxores primariæ; concubinæ sunt uxores sine solemni ritu ductæ; adolescentulæ in gynecæo asservantur, ut in conjuges idoneis temporibus assumantur, vel ex ministrant in regia. Cum tot sint reginæ ad magnificentiam, una tamen est, quam præ ceteris sponsus diligit. Varii sunt ordines animarum, sunt incipientes, proficientes, & perfectæ. Variæ sunt sectæ; sed una est & singularis columba, quam aliæ sectæ laudare coguntur, quæque est Ecclesia Catholica. Id quoque aptari B. Virgini commode potest; quamvis tot sint uxores legitime ductæ, tot concubinæ, una tamen est dilecta mea.

9. Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi (*f*) aurora conſurgens, pulcra ut luna, electa ut ſol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata?

10. Deſcendi in hortum (*g*) nucum, ut viderem poma convallium, & inſpicerem ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica.

11. Neſcivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas (*h*) Aminadab.

12. Revertere, revertere (*i*) Sulamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.

CAPUT VII.

Laudatur ſponſa ob reportatas de hoſtibus externis & domeſticis victorias, ob prolis fœcunditatem, & præclaram educationem.

1. QUid videbis in Sulamite, niſi choros (*a*) caſtrorum? Quam pulcri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis! Juncturæ femorum tuorum, ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis.

2. Umbilicus tuus crater (*b*) tornatilis, numquam indigens poculis. Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis.

3. Duo ubera tua, ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.

4. Collum tuum ſicut (*c*) turris eburnea. Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.

5. Caput tuum ut Carmelus (*d*): & comæ capitis tui, ſicut purpura regis vincta canalibus.

6. Quam pulcra es, & quam decora chariſſima, in deliciis (*e*)!

7. Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & ubera tua botris.

8. Dixi: Aſcendam in (*f*) palmam, & apprehendam fructus ejus: & erunt ubera tua ſicut botri vineæ: & odor oris tui ſicut malorum.

9. Guttur tuum ſicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus illius ad (*g*) ruminandum.

10. Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus.

11. Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.

12. Mane ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica: ibi dabo tibi ubera mea.

13. Mandragoræ (*h*) dederunt odorem. In portis noſtris omnia poma: nova & vetera, dilecte mi, ſervavi tibi.

CAPUT VIII.

Ardet ſponſa deſiderio ſponſi; gloria & deliciæ ſponſæ, & perfectæ dilectionis leges.

1. QUis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera (*a*) matris meæ, ut inveniam te foris, & deoſculer te, & jam me nemo deſpiciat?

2. Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum.

3. Læva ejus ſub capite (*b*) meo, & dextera illius amplexabitur me.

4. Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.

5. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto (*c*), deliciis affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Sub arbore malo ſuſcitavi te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.

6. Pone

9 (*f*) Quintum diem hinc incipere exiſtimat Epiſcopus Meldenſis: ſponſam mane domo egredientem ſalutant ſodales: Eccleſia auroræ illucescenti comparatur. *Ut Luna*: quæ a Chriſto lumen omne ſuum, ut a Sole accipit. *Ut Sol*, in Capite ſuo Chriſto; vel inſtar ſolis unica eſt & [illegible]: aut certe, ut aliis placet, Eccleſia ante legem fuit tam tum inſtar auroræ; ſub lege, inſtar lunæ; ſub Evangelii luce, inſtar ſolis.

10. (*g*) Deſcenderam ad animas multis injuriis expoſitas, inſtar nucum, quæ lapidibus decutiuntur. Vel deſcendi in hortum culturus arbores: ſed coactus ſum ad ſponſam reverti.

11. (*h*) Utrum ſit nomen proprium, an appellativum, incertum eſt: *Neſcivi*. Nihil videbam animo conturbatus. Ex Hebr. *Anima mea poſuit me quaſi quadrigas Aminadab*. Statim reverſus ſum quaſi curſitantis quadrigis invectus, cujuſmodi ſunt quadrigæ Aminadab: nomen videtur fuiſſe ducis bene noti.

12. (*i*) Pacifica veri Salomonis; unde ea vox ducitur ſponſæ. Hæc ſunt chori mulierum: voces ſequentem revocant.

CAP. VII. 1 (*a*) Septuag. Interpr. *Quid videbitis?* Sponſus ad comites ſponſæ. Quid videbitis niſi læta omnia, ut in choris; cuncta bene ordinata, ut in caſtris militantium? *In calceamentis*; Sponſo accinere videntur puellæ: Quam ſatus eſt inceſſus tuus, & pedes calceamento ornati; vel ſi verba illæ ad ſponſam, ſeu ad Eccleſiam referantur, greſſus Eccleſiæ ſunt illius celeritas & robur in propaganda fide. *Filia*, Ornata quaſi filia principis.

2 (*b*) Gemma, quæ e collo ſuſpenſa ad umbilicum uſque deſcendit, ſimilis videtur crateri ſcite elaborato, qui ſemper mundus eſt, nec indiget poculis, ſeu potione, aut ablutione. *Tritici*. Congeſti tritici acervi olim vallabantur liliis. Eccleſia fidelium mater eos ut grana tritici in horreum damnatorum inferendos parit, hos candore & puritate fidei, atque aliarum virtutum nitore vallat.

4 (*c*) Fides Eccleſiæ candida & incorrupta. *In Heſebon*, Civitas eſt in tribu Ruben: ſplendidi ſunt & nitentes ut piſcinæ, quas ventus non exagitat: ſereni, non turbidi. *Multitudinis*, In porta urbis magnæ. *Naſus*. Prudentia, ut turris quæ in Libano e regione Damaſci eminet inter arbores, iiſque decorem addit.

5. (*d*) Caput Eccleſiæ Chriſtus: Et comæ capitis tui, ſancti omnium. *Canalibus*, Velut cæſaries pulcherrima pendens a capite, cujus filamenta veſti deſtinata ſimiliter colligata ſunt in purpurariorum canalibus, ut tota Eccleſia ſinguntur a Chriſto, e capite totum corpus *compactum & connexum eſt per omnem juncturam ſubminiſtrationis*.

6 & 7. (*e*) Hebr. *Amor in deliciis*: Amor meus, & deliciæ meæ. *Botris*: palmis vites adjungi ſolebant, & ex earum ramis pendebant botri.

8 (*f*) Verba ſunt unius ex adoleſcentulis: utinam in ramos ſuos conſcendam, ut carpam fructus ex iis pendentes.

9. 10 & 11. (*g*) Per meditationem. *Ego*, Per amorem, & deſiderium. *In agrum*; Hic ſit ſexta dies: ſponſa quaſi urbis pertæſa, & ſolitudinis amans, invitat ſponſum, ut ſe in agrum comitetur.

13. (*h*) Dubitatur an noſtræ ſint mandragoræ, vox Hebræa; *Doudaim*, דודאים, *amorem*, ut *Dod*, דוד, *amorem*, vel *amicum*, ſignificat: ad conceptum utilis mandragora habetur.

CAP. VIII. 1. (*a*) Ex eadem matre genitum, & lactatum, eoque chariorem: amantes omni neceſſitudinis genere delectantur. *Foris*: Quaſi præ pudore ſponſi amplexus ſecreto optat, non palam. *Deſpiciat*, Tanto honore a te dignatam, & *translatam in admirabile ſuum lumen*; vel nemo me deſpiciat, ut amore nimis indulgentem.

3 (*b*) Videtur hic ſexti diei finis; & verba ſunt ſponſæ, ſeu Eccleſiæ de ſponſo ſuo: *Læva* temporalia, ut *dextera* æterna bona ſignificat: illa utitur Eccleſia ad utilitatem ſuorum membrorum, ſed ea ſuo capiti ſubjicit, nec propter illa ſervit Deo; vim omnem ſuam ad æterna convertit.

5. (*c*) Sublimis anima divino amore occupata ſeceſſum quærit; non jam deſpicitur, ut cum dicebat, *Nigra ſum, ſed formoſa*; ſed innixa dilecto ſuo, & deliciis affluens. *Suſcitavi te*. Ea eſt vox ſponſi, illius arboris, ſeu crucis, in qua Chriſtus mortuus eſt, & Eccleſiam ſibi ſponſam conjunxit, mentionem facit; ut & alteram in paradiſo voluptatis poſitam, quæ mortem attulit, in memoriam revocat.

6. Pone me ut signaculum super (*d*) cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.

7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

8. Soror nostra parva, & ubera (*e*) non habet: quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?

9. Si murus est, ædificemus super eum propugnacula (*f*) argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

10. Ego (*g*) murus: & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

11. Vinea fuit (*h*) pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

12. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui custodiunt fructus ejus.

13. Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam.

14. Fuge (*i*) dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum.

6. (*d*) Numquam te tanti beneficii capiat oblivio. *Dilectio*, Gloriæ divinæ zelus, nec morti, nec supplicus cedit. *Fortis est ut mors dilectio*, qua scilicet Deus dilexit Ecclesiam. *Æmulatio*, Dura & valida, ut infernus quidquid hauserit, non refundit, atque omnino est implacabilis.

8. (*e*) Sponsa sollicita est de Synagoga ad Christum convertenda, quæ adhuc sponsi nuptiis non satis habilis est. *Alloquenda*, Cum nuptui tradenda est.

9. (*f*) Verba sunt sponsi: Non illi desero, si firma sit & constans. *Ostium*, Ac mihi uni pateat. *Cedrinis*, Nova illi addam ornamenta, & munimenta.

10. (*g*) Verba sunt synagogæ recens conversæ: Ego sum murus firmus super petram fundatus. *Reperiens*, Ex quo pacem a sponso accepi, & gratia ejus sum id quod sum.

11. (*h*) Salomoni. *Populos*, Hebr. & in LXX. Baalhamon, cujus vocis interpres reddidit significationem. *Custodibus*, Colendam. *Mille*, Unusquisque ex iis affert vineæ domino mille siclos.

14. (*i*) Non est quod diutius hic moremur, more fugientium cito propera; me tecum trahe super montes aromatum. Quo magis sponsus comprehendi existimatur, eo sublimior videtur, & quasi fugere a nobis. Ecclesia & sancti Patres, Ambrosius in primis, multa ex hoc Cantico transferunt in sanctam Dei Genitricem; cujusmodi sunt illa, *Vox turturis audita est*: nempe vox illa his verbis exprimitur, *Ecce ancilla Domini &c.* Item, *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea &c.* Omni suavi odore fragrantior dedit odorem suum, & summa Virginum Castitas invitavit eum; sic illa verba: *Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora?* Et illud, *Tota pulcra es, &c.* Item, *Videte Filiæ Sion*, & alia permulta.



LIBER SAPIENTIÆ.

HIC *Liber apud Græcos hunc præ se fert titulum*, Sapientia Salomonis; *propter verba*, *cap.* 9. *v.* 7. Tu elegisti me regem populo tuo &c. *apud Latinos eodem titulo fuit insignitus*, *usque ad Gelasium Papam in Concilio Romano*. *Eatenus enim Salomonis esse creditus est*, *quod ejus sententias*, *non verba & compositionem contineat*. Nam, *ut ait Hieronymus*. Grecam eloquentiam redolet, & eruditam sapientiam sub Macedonum Imperio, quæ toto Oriente viguit, *Deo enim visum est hunc stylum divinis oraculis consecrare*, *ut cælestem sapientiam omnium hominum & temporum sensibus & gustui accommodaret*.

Tres in partes tribui potest. *In prima usque ad cap.* 7. *sapientiæ amorem & studium commendat*. *In secunda usque ad cap.* 10. *illius originem pertexit*. *In tertia parte fructus & effectus sapientiæ commemorat*.

Auctor hujus Libri Propheta fuit & Doctor; *etsi ex professo Prophetias non scripsit*, *sed pietatis & sapientiæ præcepta*, *quibus nonnulla de Christo vaticinia inserit*. *Sic in* 2. *cap. Prophetia celebris de Christi Passione continetur*. *Cap.* 1. 7. *&* 8. *increatæ sapientiæ dotes pulcre describuntur*. *De futuræ vitæ bonis*, *cap.* 3. *multa & egregia habemus documenta*, *quæ Evangelicæ veritati quasi viam sternere videntur*. *Ut Salomon in Proverbiis privatos*, *sic Auctor hujus Libri Reges & Optimates potissimum instituit*. *Plura ex hoc Libro Testimonia SS. Patres proferunt*, *& iisdem prorsus verbis*, *adeo ut nostra versio eadem videatur*, *quæ antiqua vulgo appellatur*. *Nam Hieronymus hunc Librum*, *uti & Ecclesiasticum inter Canonicos non habuit*.

CAPUT PRIMUM.

Reges & Magistratus ad studium sapientiæ invitat. Cor simplex & sincerum, non duplex & fictum, Deus postulat.



* 3. Reg. 3. 1. Isa. 56. 1. DILIGITE * justitiam, qui judicatis (a) terram. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.

* 1 Par. 28. 9. 2. * Quoniam invenitur ab his, qui non (b) tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum:

3. Perversæ enim cogitationes separant a Deo: probata autem virtus corripit insipientes.

4. Quoniam in malevolam (c) animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

5. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet (d) fictum, & auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur a superveniente iniquitate.

* Gal. 5. 22. 6. * Benignus est enim spiritus (e) sapientiæ, & non liberabit maledicum a labiis suis: * quoniam renum illius testis est Deus, * Jer. 17. 10 & cordis illius scrutator est verus, & linguæ ejus auditor.

* Isai. 6. 3. 7. * Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum: & hoc (f), quod continet omnia, scientiam habet vocis.

8. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præteriet illum corripiens (g) judicium.

9. In cogitationibus enim impii (h) interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius.

10. Quoniam auris (i) zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur.

11. Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, & a detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem, quod mentitur (k), occidit animam.

12. Nolite zelare (l) mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum.

13. * Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. * Ezech. 18. 32. & 33. 11.

14. Creavit enim, ut essent (m) omnia: & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra.

15. Justitia enim (n) perpetua est, & immortalis.

16. Impii autem manibus & verbis accersierunt illam: & æstimantes illam amicam, defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam: quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.

CAPUT II.

Falsa impiorum ratiocinia, qui animam una cum corpore interire opinantur, quique uni voluptati indulgent. Insignis de Christo prophetia.

1. DIxerunt enim cogitantes apud se non recte: * Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine (a) hominis, & non est qui agnitus sit reversus ab inferis: * Job 7. 1. & 14. 1.

2. Quia ex nihilo (b) nati sumus, & post hoc erimus tamquam non fuerimus: quoniam fumus flatus est in naribus nostris: & sermo scintilla ad commovendum cor nostrum:

3. Qua extincta, cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tamquam mollis aer, & transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est a radiis solis, & a calore illius (c) aggravata:

4. Et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum.

5. * Um-

CAPUT I. 1. (a) Unde hic liber Regibus & Judicibus videtur inscriptus. Sapientiam docturus, a justitia, quæ est fons sapientiæ, orditur. *In bonitate*, De Deo cogitantes bona omnia sentite. Hunc unum quærite in simplicitate cordis, & pura mentis intentione.

2. & 3. (b) Tentare Deum est de Deo diffidere, & potentiæ ejus aut bonitatis ostensionem petere. *Virtus*, Græce *Fortitudo*. *Corripit*, Arguit. Potentia Dei tot experimentis comprobata ostendit eos esse insipientes, qui de Providentia male sentiunt.

4. (c) Gr. *Maleficam*, fraudulentam: *Sapientia*, ex Aug. Ench. cap. 2. *Ipsa est pietas*, seu cultus Dei: colitur autem Deus fide, spe & charitate: ubi est charitas, ibi fraudulentia esse nequit.

5. (d) Ut spiritus sapientiæ dicitur, qui disciplinam aspirat. *Corripietur*, Gr. *Arguitur*: Tractabitur indigne ab illa iniquitate dolosa: Sic Apostolus, Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum*.

6. (e) Sensus est, Spiritus sapientiæ benignus est, Gr. *Humanus*; ac proinde impunitum non sinet hominem *maledicum*, Græc. *Blasphemum* & contumeliosum in Deum. *Renum*; Cupiditates renum nomine Hebræi interdum significant.

7. (f) Referri potest ad spiritum: nam Græce πνεῦμα, est neutrius generis. Spiritus qui continet, seu regit omnia: quo loco Aug. utitur Epist. 57. ut probet divinitatem Spiritus sancti.

8. (g) Vindicta redarguens; *Judicium* in nominativo casu, cujus epitheton est corripiens.

9. (h) Græc. *Inquisitio*, ut frequenter in hoc libro: Cogitationes impii ad examen vocabuntur. *Auditio*, Fama.

10. (i) Dei zelantis audit cogitationes hominum. *Tumultus*, Susurri quamvis occulti non abscondetur.

11. (k) Præsertim cum mendacium est perniciosum, & illud in primis, quod ad veritatem Religionis, & cultus divini pertinet.

12. (l) Nolite sectari ea quæ mortem afferunt. *Acquiratis*, Exponit quod ante dixit, *Nolite zelare mortem*.

14. (m) Omnes homines, non ut interirent. *Sanabiles*. Græc. *Salutares*. *Nationes*, Generationes mundi, plantas, fruges. *Et non est*, Virus mortiferum: hæc enim aberant ab horto voluptatis, aut certe non nocuissent. *In terra*, Non dedit Deus jus illud morti in homines.

15. & 16. (n) In qua conditus est homo: *Immortalis*, ex se immortalitatem afferebat. *Et verbis*, Omni conatu, verbis & factis iniquis. *Defluxerunt*, Contabuerunt. *Ad illam*, Fœdus interunt cum morte. *Illius*, Digni sunt, qui sint partis illius, ex Græco textu.

CAP. II. 1. (a) Græc. *Remedium*, aut curatio; vel in morte nulla nobis est expectanda consolatio, cum nemo reversus sit ab inferis. Hic est usitatus impiorum sermo, quem Christi resurrectio omni luce clarior omnino refellit.

2. (b) Casu & temere. *Scintilla*, Quæ vitalem cordi calorem impertit, & statim extinguitur. *Cor nostrum*, Quæ motum vitalem illi tribuit.

3. (c) Cum frigore densatur aer, in pluviam decidit.

*1. Par. 2. 9. 15. 5. * Umbræ enim transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis (*d*) nostri: quoniam consignata est, & nemo revertitur.

*Isai. 22. 13. & 56. 12. 1. Cor. 15. 32. 6. * Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter.

7. Vino pretioso, & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos (*e*) temporis.

8. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.

9. Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.

10. Opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis.

11. Sit autem fortitudo nostra lex (*f*) justitiæ: quod enim infirmum est, inutile invenitur.

12. Circumveniamus ergo (*g*) justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.

*Matth. 27. 43. 13. * Promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se (*h*) nominat.

*Joann. 7. 7. 14. * Factus est nobis in traductionem (*i*) cogitationum nostrarum.

15. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt (*k*) viæ ejus.

16. Tamquam nugaces (*l*) æstimati sumus ab illo, & abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis, & præfert novissima justorum, & gloriatur patrem se habere Deum.

17. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt novissima illius.

*Ps. 21. 9. 18. * Si enim est verus filius Dei, suscipiet (*m*) illum, & liberabit eum de manibus contrariorum.

19. Contumelia & tormento interrogemus eum, ut sciamus (*n*) reverentiam ejus, & probemus patientiam illius.

*Jer. 11. 19. 20. * Morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus (*o*) ex sermonibus illius.

21. Hæc cogitaverunt, & erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum.

22. Et nescierunt (*p*) sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum.

23. * Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ (*q*) fecit illum. *Gen. 1. 27. & 2. 7. & 5. 1. Eccli. 17. 1.

24. * Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum. *Gen. 3. 1.

25. Imitantur (*r*) autem illum qui sunt ex parte illius.

CAPUT III.

Justorum felicitas, & gloria sempiterna; impii maledicti.

1. Justorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum (*a*) mortis. *Deut 33. 3. Infr. 5. 5.

2. Visi sunt oculis insipientium mori: & æstimata est afflictio exitus illorum:

3. Et quod a nobis est iter (*b*), exterminium: illi autem sunt in pace.

4. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.

5. In paucis (*c*) vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos se.

6. Tamquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam (*d*) accepit illos, & in tempore erit respectus illorum.

7. * Fulgebunt justi, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent. *Matth. 13. 43.

8. * Judicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. *1. Cor. 6. 2.

9. Qui confidunt in illo, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent (*e*) illi: quoniam donum & pax est electis ejus.

10. Impii autem secundum quæ cogitaverunt, correptionem habebunt: qui neglexerunt justum, & a Domino recesserunt.

11. Sapientiam enim, & disciplinam qui abjicit, infelix est: & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum.

12. Mulieres eorum insensatæ sunt, & nequissimi filii eorum.

13. Male-

5. (*d*) A fine, seu post mortem. *Consignata*, Sigillo clausa, ut mutari non possit occlusa: Occlusa est reditus.

7. (*e*) Græc. *Aeris*, Odoratus vapor: vel temporis florum.

11. (*f*) Sit nobis fortitudo pro lege justitiæ; id sit, ut habeamus & licitum, quod viribus nostris prælate possumus.

12. (*g*) Hæc & quæ sequuntur, Christo omnino conveniunt. *Inutilis*, Græc. *Molestus*, difficilis. *Diffamat*, Evulgat contra nos.

13. (*h*) Quæ sequuntur, apertam de Christi Passione continent Prophetiam.

14. (*i*) Græc. *In reprehensionem*, Doctrinam nostram & mores condemnat.

15. (*k*) A communi hominum consuetudine abhorret. Gr. *Diversæ sunt viæ ejus.*

16. (*l*) Græc. Velut *adulterini*. *Novissima*, Quod futura expectens spretis præsentibus: Græc. *Beata prædicat extrema justorum*. *Deum*, Græc. *Gloriatur patrem Deum*.

18. (*m*) Succurret ei: hæc prophetice dicuntur de Passione Christi, ut liquet ex cap. 27. Matthæi.

19. (*n*) Tolerantiam, obedientiam: Græc. *Æquitatem*, mansuetudinem.

20. (*o*) Videbimus inter cruciatus quid dicturus sit: Græc. *Erit enim inspectio ex verbis ejus*. Vel, *erit enim visitatio*, id est, *divina protectio pro verbis ejus*, si vera sunt quæ dixit.

22. (*p*) Arcana Dei judicia, & mysteria. *Judicaverunt*, Non intellexerunt splendorem gloriæ, quæ sanctitatis pretium facta est; *Neque mercedem speraverunt justitiæ*, post resurrectionem.

23. (*q*) Græc. *Proprietatis*. Illud enim Dei proprium est, ut sit per se immortalis. Alii codices Græci habent, *æternitatis*, prima littera vocis Græcæ immutata, ἀιδιότητος, pro ἰδιότητος.

25. (*r*) Græc. *Experiuntur eam*; Mortem, vel diabolum imitantur in supplicio, ut in criminibus eum secuti sunt.

CAP. III.

1. (*a*) Vox, *mortis*, deest in Græco; in Latino supplendum, *æternæ*.

3. (*b*) Græc. *Contritio*: Instar vasis testacei, quod comminutum resarciri nequit.

5. (*c*) In hac vita. *In multis*, In paucis afflictionibus vexatos Deus, ad majores ferendas bene dispositos agnovit; vel multis cumulabuntur bonis. *Dignos se*, Justos, quia tales fecerat. Coloss. 1.

6. & 7. (*d*) *Holocaustum hostiæ*, seu immolationis. *Respectus*, Idoneo tempore respiciet Deus eorum labores; Græc. *Omnibus erant in honore*, *& in tempore visitationis suæ refulgebunt*, scilicet in die judicii; nova sententia in Græco non incipit a verbo *fulgebunt*, & vox, *justi*, deest. *Scintillæ*, In materia, quæ facile ignem concipit. *Discurrent*, Immortalem lucem circumferent: claritatem & agilitatem in Beatorum corporibus futuram insinuat.

9. (*e*) Cum voluptate obedient illi; ex charitate pax orta est, quam soli electi perfecte norunt. *Donum*, Gratuita largitio. *Electis*, Gratia Dei vita æterna: Græc. *Gratia & misericordia*.

13. Maledicta creatura (*f*) eorum, quoniam felix est sterilis: & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum:

* Isa. 56. 3. 4. 14. * Et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima (*g*): dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima.

15. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat (*h*) radix sapientiæ.

16. Filii autem adulterorum in (*i*) consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur.

17. Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit novissima senectus illorum.

18. Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis (*k*) allocutionem.

19. Nationis enim iniquæ (*l*) diræ sunt consummationes.

CAPUT IV.

Piorum soboles benedicta, impiorum maledicta: justorum mors beata, etiamsi brevis fuerit; eaque senectute melior; vita pericula & tentationes.

1. O Quam pulcra est (*a*) casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius: quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.

2. Cum præsens est, imitantur (*b*) illam: & desiderant eam cum se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens.

3. Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, & spuria (*c*) vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.

* Jer. 17. 6. Matth. 7. 27. 4. * Et si in ramis in tempore (*d*) germinaverint, infirmiter posita, a vento commovebuntur, & a nimietate ventorum eradicabuntur.

5. Confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.

6. Ex iniquis enim somniis (*e*) filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes in interrogatione sua.

7. Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.

8. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt (*f*) sensus hominis,

9. Et ætas senectutis vita immaculata.

10. * Placens Deo factus est dilectus (*g*), * Heb. 11. 5.
& vivens inter peccatores translatus est.

11. Raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.

12. Fascinatio enim nugacitatis obscurat (*h*) bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitia.

13. Consummatus in brevi explevit tempora multa:

14. Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum, Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis (*i*) talia:

15. Quoniam gratia Dei, & misericordia est in sanctos ejus, & respectus in electos illius.

16. Condemnat autem justus mortuus vivos (*k*) impios, & juventus celerius consummata, longam vitam injusti.

17. Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent quid cogitaverit de illo Deus, & quare munierit (*l*) illum Dominus.

18. Videbunt & contemnent eum: illos autem Dominus irridebit.

19. Et erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam disrumpet illos inflatos (*m*) sine voce, & commovebit illos a fundamentis, & usque ad supremum desolabuntur: & erunt gementes, & memoria illorum peribit.

20. Ve-

13. (*f*) Improborum pessima soboles. *Incoinquinata*, Felix virgo præ illis. *Fructum*, Bonam mercedem. *Sanctarum*; In retributione animarum sanctarum. Gr. *In visitatione*. Vix ullus in Veteri Testamento locus est illustrior ad commendationem perpetuæ castitatis. Non enim eas quæ natura sunt steriles, sed electione, ut præco Novi Testamenti intelligit.

14. (*g*) Felices erunt pii spadones, qui & factis & cogitatis a malis abstinuerunt. *Electum*, Excellens, pro bonis operibus immortalitas. *In templo*, Isaiæ, cap. 56. Cælibes in domo Dei honoratiore loco sessuros, & sacrorum administros futuros videtur prædicere: non excludentur a Templo Dei.

15. (*h*) Gr. *Et non concidit*: Stabilis est, & firma radix sapientiæ.

16. (*i*) Gr *Inconsummati*, Impuri, vel Immaturi, qui pereunt sæpe ante tempus, aut jacent sine honore. *Consummatio* videtur sumi pro *consumptione*.

18 (*k*) Nec solatium in die, quo benefacta & scelera recognoscuntur.

19. (*l*) Sobolis iniquæ ex adulterio natæ. *Sunt*, Infausti exitus: Vel, *nationis iniquæ*: Græc. *Generationis*; certum hominum genus designatur, ut Matth. 16. & alibi.

CAP. IV. 1. (*a*) Græc. *Melius est esse sine liberis, & cum virtute, quam liberos habere ex adulterio*. *Illius*, Castæ generationis.

2. (*b*) Præsentem mirantur. *Cum se*, Cum abierit, cum se subduxerit. *Certaminum*, Ex Græco, Incruenta illa sunt certamina, quibus voluptas castitate & virtute debellatur: Incoinquinata sunt, illa certamina contra vitia: Gr *Certamen præmiorum*: Certamen cui deputata sunt præmia incoinquinata.

3. (*c*) Verendum videtur, spuriæ, seu adulterinæ propagines, aut plantationes, ut habet Augustin. Lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 12. Vox Græca *propagines*, aut *stolones* significat.

4. & 5. (*d*) Ad tempus. *Ramis*, Gr. *Qui non perveniunt ad finem*, seu ad perfectionem

6. (*e*) Ex illicitis amplexibus. *Interrogatione*, In probatione sua: data occasione parentum se similes exhibebunt; vel in examine & inquisitione, si quis roget unde sint orti, quod eorum nomen.

8. (*f*) Canities ipsa prudentia est hominibus, ne quis eam annis æstimet: qui enim sapiens est, satis senex est

10. (*g*) Gr. Vox, *factus*, jungenda cum voce, *placens*, non cum dilectus; factus placens Deo, factus est dilectus, & hoc beneficio affectus, ut translatus fuerit cum viveret inter peccatores; de Enoch loqui videtur.

12. (*h*) Bonam mentem in transversum agunt, ne honesta, qualia sunt, ita conspiciantur. Duas hujus mirabilitatis affert rationes; concupiscentiam & volubilitatem liberi arbitrii; falsa boni specie hujus sæculi res teguntur, & quasi fascinatione quadam nobis illudunt: adeo ut difficile sit, verum a falso secernere.

14. (*i*) Supple, deplorabunt immaturam eorum mortem. *Propter quod properavit educere illum*: Voces illæ, *educere illum*, desunt in Græco: *Properavit de medio iniquitatis*, scilicet, cujus anima placita est Deo

16. (*k*) Condemnat sui comparatione; ut de Ninivitis docet Christus, Matth. 12. *Injusti*, Longævam senectutem.

17. (*l*) Firmaverit tot præsidiis, & in locum tutum eduxerit.

19. (*m*) Mutos; Gr. *Præcipites*. *Commovebit*. Dejectos omni spe.

20. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent (*n*) illos ex adverso iniquitates ipsorum.

CAPUT V.

Impiorum sera in inferno pœnitentia; justorum æterna felicitas.

1. TUnc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum.

2. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione (*a*) insperatæ salutis,

3. Dicentes intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii.

* Sap. 3. 2. 4. * Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore:

5. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.

6. Ergo erravimus a via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.

7. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles (*b*), viam autem Domini ignoravimus.

8. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia (*c*) quid contulit nobis?

* 1. Par. 29. 15. Job. 8. 9. 9. * Transierunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuntius percurrens,

* Prov. 30. 19. 10. * Et tamquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam: cujus, cum præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus:

11. Aut tamquam avis, quæ transvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum, & scindens per vim itineris aerem: commotis alis transvolavit, & post hoc nullum signum invenitur itineris illius:

12. Aut tamquam (*d*) sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius:

13. Sic & nos nati continuo desivimus esse: & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus.

14. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.

* Ps. 1. 4. Prov. 10. 28. & 11. 7. 15. * Quoniam spes impii tamquam lanugo est, quæ a vento tollitur: & tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur: & tamquam fumus, qui a vento diffusus est: & tamquam memoria hospitis unius diei prætereuntis,

16. Justi autem in perpetuum vivent; & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio illorum apud Altissimum.

17. Ideo accipient regnum (*e*) decoris, & diadema speciei de manu Domini: quoniam dextera sua teget eos: & brachio sancto suo defendet illos.

18. * Accipiet armaturam (*f*) zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum. * Ps. 17. 40. Ephes. 6. 13.

19. Induet pro thorace justitiam, & accipiet pro galea judicium certum (*g*).

20. Sumet scutum inexpugnabile æquitatem:

21. Acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

22. Ibunt directe emissiones fulgurum, & tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient.

23. Et a petrosa ira (*h*) plenæ mittentur grandines, excandescet in illos aqua Maris, & flumina concurrent duriter.

24. Contra illos stabit spiritus virtutis, & tamquam turbo venti dividet illos: & ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, & malignitas evertet sedes potentium.

CAPUT VI.

Pergit adhortari principes ad studium veræ sapientiæ, ut munere suo quisque rite defungatur; secus Deum severum judicem experientur.

1. MElior est sapientia quam vires: & vir prudens quam fortis. Eccl. 9. 18.

2. Audite ergo reges, & intelligite, discite judices finium terræ.

3. Præbete aures vos, qui (*a*) continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum:

4. * Quoniam data est a Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. * Rom. 13. 1.

5. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis.

6. Horrende & cito apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet.

7. Exiguo (*b*) enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur:

8. * Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. * Deut. 10. 17. 2. Par. 19. 7. Eccli. 35. 16. Act. 10. 34. Rom. 2. 11.

9. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.

10. Ad

20. (*n*) Græc. *Convincent*: Palam declarabunt ex adverso: conscientia illorum erit instar mille testium.

CAP. V. 2. & 3 (*a*) Propter inopinatam justorum salutem. *Improperii*, Gr. *In dicterium*, in parabolam

7 (*b*) Gr. *Impleti sumus viis iniquitatis, & perditionis, & perambulavimus deserta impervia.*

8. (*c*) Gr. *Divitiæ cum jactantia*. *Nuntius*, Gr. *Nuntium*, vel fama præcurrens.

12. (*d*) Adeo instabiles fuerunt voluptates, ut defecerint, cum inciperent.

17 (*e*) *Regnum decorum*. *Speciei*, Speciosum.

18. (*f*) Gr. *Universam armaturam*. *zelum suum*: Æmulationem, aut indignationem in contemnentes: armabit se zelo suo.

19. & 22. (*g*) Gr. *Judicium sincerum*, non fictum. *Directe*, Gr. *Directæ*, bene collimatæ. *Arcu*, Emittentur. *Insilient*, In scopum.

23 & 24 (*h*) Petris jaciente, vel lapidante ira Dei: venturi judicii signa, Luc. 21. *Spiritus*, Ventus vehemens. *Ad eremum*, Ad solitudinem, aut vastitatem.

1. & 4. (*a*) Græc. *Qui regitis*: Qui dominamini multis. *Opera*: Probabit, examinabit, ad normam exiget. CAP. VI.

7 & 8. (*b*) Pauperi, Plebejo. *Misericordia*, Minor pœna. *Personam*, In judicio non respiciet personam. *Æqualiter*, Gr. *Similiter*: providentia ejus ad omnes pertinet, neque apud Deum est acceptio personarum.

Gal. 2. 6. Eph. 6. 9. Col. 3. 25. 1. Petr. 1. 17. 10. Ad vos ergo reges ſunt hi ſermones mei, ut diſcatis ſapientiam, & non (c) excidatis.

11. Qui enim cuſtodierint juſta juſte, juſtificabuntur: & qui didicerint iſta, invenient quid reſpondeant.

12. Concupiſcite ergo ſermones meos, diligite illos, & habebitis diſciplinam.

13. Clara eſt, & quæ numquam marceſcit ſapientia, & facile videtur ab his qui diligunt eam, & invenitur ab his qui quærunt illam.

14. Præoccupat qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat.

15. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit; aſſidentem enim illam foribus ſuis inveniet.

16. Cogitare ergo de illa, ſenſus eſt conſummatus: & qui vigilaverit propter illam, cito ſecurus erit.

17. Quoniam dignos ſe ipſa circuit quærens, & in viis oſtendit ſe illis hilariter, & in omni providentia (d) occurrit illis.

18. Initium enim illius, veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia.

19. Cura ergo diſciplinæ (e), dilectio eſt: & dilectio, cuſtodia legum illius eſt: cuſtoditio autem legum, conſummatio incorruptionis eſt.

20. Incorruptio autem facit eſſe proximum Deo.

21. Concupiſcentia itaque ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum.

22. Si ergo delectamini ſedibus, & ſceptris, o reges populi, diligite ſapientiam, ut in perpetuum regnetis.

23. Diligite lumen ſapientiæ omnes qui præeſtis populis.

24. Quid eſt autem ſapientia, & quemadmodum facta ſit referam: & non abſcondam a vobis ſacramenta Dei, ſed ab initio nativitatis inveſtigabo, & ponam in lucem ſcientiam illius, & non præteribo veritatem:

25. Neque cum invidia tabeſcente iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps ſapientiæ.

26. Multitudo autem ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum: & rex ſapiens ſtabilimentum populi eſt.

27. Ergo accipite diſciplinam per ſermones meos, & proderit vobis.

CAPUT VII.

Qua ratione inveniatur ſapientia, exemplo ſuo docet; æternæ ſapientiæ dotes, ortum, vim, pulcritudinem exponit.

1. SUm quidem & ego mortalis (a) homo, ſimilis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus eſt, & in ventre matris figuratus ſum caro,

2. Decem menſium tempore (b) * coagulatus ſum in ſanguine, ex ſemine hominis, & delectamento ſomni conveniente. *Job 10. 10.

3. Et ego natus accepi communem aerem, & in ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans.

4. In involumentis nutritus ſum, & curis magnis.

5. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium.

6. * Unus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus. *Job 1. 21. 1. Tim 6. 7.

7. Propter hoc optavi, & datus eſt mihi ſenſus: & invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ:

8. Et præpoſui illam regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.

9. * Nec comparavi illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tamquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. *Job 28. 15. Prov. 8. 11.

10. Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam: quoniam inextinguibile eſt lumen illius.

11. * Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius. *3. Reg. 3. 13. Matth. 6. 33.

12. Et lætatus ſum in omnibus: quoniam antecedebat me iſta ſapientia (c), & ignorabam quoniam horum omnium mater eſt.

13. Quam ſine fictione didici, & ſine invidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo.

14. Infinitus enim theſaurus eſt hominibus: quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati.

15. Mihi autem dedit Deus (d) dicere ex ſententia, & præſumere digna horum, quæ mihi dantur: quoniam ipſe ſapientiæ dux eſt, & ſapientium emendator:

16. In manu enim illius & nos, & ſermones noſtri, & omnis ſapientia, & operum ſcientia, & diſciplina.

17. Ipſe enim dedit mihi horum, quæ ſunt, ſcientiam veram: ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum,

18. Initium, & conſummationem, & medietatem (e) temporum, viciſſitudinum permutationem, & commutationes temporum,

19. Anni

10. & 11. (c) Gr. Ne delinquatis. Juste, Juſti pronuntiabuntur qui recta & recte fecerint.

17. & 18. (d) Sapientia in omni conſilio noſtro nobis occurrit, ut nos juvet. *Diſciplinæ*. Initium ſapientiæ certiſſimum eſt diſciplinæ amor.

19. (e) Pulcra eſt gradatio. Ex concupiſcentia diſciplinæ oritur cura, ſeu adipiſcendi ſtudium, ex quo dilectio ſapientiæ; amor autem illius efficit cuſtodiam legis divinæ: tunc conſummatio incorruptionis, ſeu integritas: Gr. *Firmamentum immortalitatis*.

CAP. VII. 1. (a) Ex perſona Salomonis loquitur in hoc capite, & in duobus quæ proxime ſequuntur. *Factus eſt*, Protoplaſti.

2. (b) Hæc jungi debent cum voce *figuratus*, non item cum voce *coagulatus*. Quod plerifque accidit, ut decimo menſe incepto naſcantur, vel lunares menſes more Judæorum intelligit nondum abſolutos.

12. (c) Gr. *Hæc præit*, ut viæ dux. *Ignorabam*, Antequam me ſtudio ſapientiæ addicerem: animi dotes ex ea manare mihi certum erat: ſed nondum ſciebam exteriora bona ab ea profluere: ſic divitiæ præter opinionem mihi in ſapientiæ ſtudium intento obvenerunt.

15. (d) Ut opto. *Præſumere*, Gr. *Cogitare*, animo percipere.

18. & 20. (e) Forum nexum. *Naturas*, quæ ſunt egregia divinæ ſapientiæ documenta. *Cogitationes*, Opiniones. *Radicum*, Herbarum vim medicam.

19. Anni cursus, & stellarum dispositiones,

20. Naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum,

21. Et quæcumque sunt absconsa (*f*) & improvisa, didici: omnium enim artifex docuit me sapientia.

22. Est enim illa spiritus (*g*) intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens.

23. Humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus: intelligibilis (*h*), mundus, subtilis.

24. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam,

25. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideo nihil inquinatum in eam (*i*) incurrit.

* Heb. 1. 3. 26. * Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius.

27. Et cum sit una, omnia potest: & in se permanens omnia innovat, & per nationes in animas sanctas se transfert: amicos Dei & prophetas constituit.

28. Neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat.

29. Est enim hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior.

30. Illi enim succedit nox, sapientiam autem non vincit (*k*) malitia.

CAPUT VIII.

Quæ expeti solent bona, ea sunt sapientiæ conjuncta; fortis est, locuples, suavis, virtutes omnes docet, uti & gubernandi artem, & scientiam omnem.

1. Attingit (*a*) ergo a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.

2. Hanc amavi, & exquisivi a juventute mea, & quæsivi sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.

3. Generositatem illius glorificat (*b*), contubernium habens Dei: sed & omnium Dominus dilexit illam.

4. Doctrix (*c*) enim est disciplinæ Dei, & electrix operum illius.

5. Et si divitiæ appetuntur in vita, quid sapientia locupletius, quæ operatur omnia?

6. Si autem (*d*) sensus operatur: quis horum quæ sunt, magis quam illa est artifex?

7. Et si justitiam quis diligit: labores hujus magnas (*e*) habent virtutes: sobrietatem enim, & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.

8. Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, & de futuris (*f*) æstimat: scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum: signa & monstra scit antequam fiant, & eventus temporum & sæculorum.

9. Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum: sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit (*g*) allocutio cogitationis & tædii mei.

10. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores juvenis:

11. Et acutus inveniar in (*h*) judicio, & in conspectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me:

12. Tacentem me sustinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent.

13. Præterea (*i*) habebo per hanc, immortalitatem: & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam.

14. Disponam populos: & nationes mihi erunt subditæ.

15. Timebunt me audientes reges horrendi: in multitudine videbor bonus, & in bello fortis.

16. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium.

17. Hæc cogitans (*k*) apud me, & commemorans in corde meo: quoniam immortalitas est in cognatione sapientiæ.

18. Et

21. (*f*) Græc. *Perspicua*: Quæ sunt occulta & manifesta.

22. (*g*) De creatrice sapientia verba facit. *Unicus*, In se. *Multiplex*, In operatione. *Subtilis*, Cuncta penetrans, & consilio simplici cuncta evolvens. *Disertus*, Gr. *Splendidus*, luculentus: disertus in exponendis mysteriis reconditis. *Certus*, Gr. *Manifestus*. *Suavis*, Gr. *Innoxius*. *Acutus*, Cui nihil impervium. *Vetat*, Nihil arcet; in consiliis perspicax, in exequendo constans, & efficax.

23. & 24. (*h*) Permeans omnes spiritus intelligentes. *Mobilior*, Actuosior propter suam munditiam, & puritatem: per omnia se diffundit, cunctis motum & actionem impertit.

25. 26. & 27. (*i*) Hæc est Verbi divini æterna generatio. *Imago*, 2. Corinth. 4. Coloss. 1. *Transfert*. Gr. *Per ætates diversas*.

30. (*k*) Vox Græca sæpe res adversas significat.

CAP. VIII. 1. (*a*) Gr. *Extendit se*. *Suaviter*, Gr. *Utiliter*.

3. (*b*) Splendorem generis commendat. *Contubernium*, Huic nos conciliat: quam nobilis sit, is solus novit, qui Dei amicus est, & cum eo conjunctus. E Græco sic vertit Gandavensis sublata voce, *illius*, quæ e Græco textu abest; *Ipsa sapientia habens contubernium Dei*, seu conversationem cum Deo, *celebrat eam rem tamquam veram nobilitatem*. *Participium enim*, *habens*, In Græco est femnini generis. ἔχουσα.

4. (*c*) Initiatrix; nam homines ad sacra disciplinæ mysteria initiat. *Electrix*, Gr. *Inventrix*, ordinis hujus Universi.

6. (*d*) Si humani ingenii industriam in variis operibus demiramur; quis inter artifices illa major; cum ab illa artes omnes profluant.

7. (*e*) Opera ab ipsa sapientia elaborata virtutes sunt, vel eas pariunt. Quatuor virtutes cardinales recenset, *quibus nihil est utilius in vita hominibus*, cum ad homines referantur. Præcipue autem sunt, Sobrietas, seu Temperantia circa voluptates, Fortitudo circa pericula. Prudentia in consiliis capiendis. Justitia in humana societate. *Virtutem*, Fortitudinem.

8. (*f*) Futura ex præteritis colligit. *Versutias*. Gr. *Strophas*: Artem oratoriam. *Argumentorum*, Gr. *Ænigmatum*.

9. (*g*) *Curarum solatium*, aut lenimentum.

11. & 12. (*h*) Penetrans & perspicax in judicando. *Sustinebunt*, Expectabant ii quoque, donec ea promperim, quæ sentio.

13. & 15. (*i*) Gr. *Propterea*. *Horrendi*, Quorum potentia terrori est. *Bonus*, In publicis conventibus.

17. (*k*) Cum hæc mecum reputassem, sollicite cogitassem. *Immortalitas*, Iis immortalitatem tribuit, qui cognationem habent cum illa.

18. Et in amicitia illius delectatio bona, & in operibus manuum illius (*l*) honestas sine defectione, & in certamine loquelæ illius sapientia, & præclaritas in communicatione sermonum ipsius: circuibam quærens, ut mihi illam assumerem.

19. Puer autem eram (*m*) ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.

20. Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.

21. Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens (*n*), nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum: adii Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordiis meis.

CAPUT IX.

Orationem incipit non absimilem Orationi Salomonis. 3. Reg. 3.

1.Reg.3.9. 1. DEus patrum meorum, & Domine misericordiæ, qui fecisti omnia verbo tuo.

2. Et sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ a te facta est,

3. Ut disponat orbem terrarum in æquitate & justitia, & (*a*) in directione cordis judicium judicet:

4. Da mihi sedium tuarum (*b*) assistricem sapientiam, & noli me reprobare a pueris tuis:

*Ps.115.16. 5. * Quoniam servus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum judicii (*c*) & legum.

6. Nam & si quis erit (*d*) consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.

*1.Par.28.4. & 5. 7. * Tu elegisti me regem populo tuo, & judicem filiorum tuorum, & filiarum:

2.Par.1.9. 8. Et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti (*e*) ab initio:

*Prov.8.22. & 23. Joann.1.1. 9. * Et tecum sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ & affuit tunc cum orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset (*f*) placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis.

10. Mitte illam de cælis sanctis tuis, & a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te:

11. Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis (*g*) sobrie, & custodiet me in sua potentia.

12. Et erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum juste, & ero dignus sedium patris mei.

13. * Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? *Isa.40.13. Rom. 11.34. 1.Cor.2.16.

14. Cogitationes (*h*) enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ.

15. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & (*i*) terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.

16. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cælis sunt quis investigabit?

17. Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum sanctum tuum de altissimis:

18. Et sic correctæ sint semitæ eorum, qui sunt in terris, & quæ tibi placent didicerint homines?

19. Nam per sapientiam sanati sunt quicumque placuerunt tibi Domine a principio.

CAPUT X.

Patriarcharum exemplis ostendit sapientiam in tuendis hominibus elucere; ab Adamo incipit, ad Mosen usque & gentem Hebraicam sermone continuato.

1. HÆc illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit. Gen. 1. 27.

2. * Et eduxit (*a*) illum a delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia. *Gen.2.7.

3. * Ab hac ut recessit injustus in ira sua, per iram homicidii fraterni deperiit. *Gen.4.8.

4. * Propter quem (*b*), cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum justum gubernans. *Gen.7.21.

5. * Hæc

18 (*l*) Gr. *Oper inexhausta*, vel actiones ab ea profectæ omni vitio carent, ut & sermones. *In certamine*, Gr. *In exercitatione sermonis cum illa*. *Præclaritas*, Nominis claritudo.

19. & 20. (*m*) Gr. *Bona indole*. *Sortitus*. Ingenii acumine & aliis dotibus præditam. *Bonus*, Gr. *Magis autem*, *cum essem bonus*. *Corpus*, Pulcrum, sanum, & robustum, videtur enim loqui de naturali animæ bonitate, seu dispositione ad virtutes morales. Cum essem bonæ indolis, eo facile deveni, ut servarem corpus incorruptum a pravis libidinibus: quod non absolute, sed comparate dixi; simul innuit bonitatem animæ caussam fuisse munditiei corporis.

21. (*n*) Ne quis sibi persuadeat bonam indolem ad continentiam assequendam sufficere, docet nos eam Dei dono habere. Tametsi vox Græca, ut diximus, compotem sæpe significat. Vox Græca ἐγκρατής, utrumque significat, abstinentem a voluptatibus, & compotem alicujus rei, ut Eccli. 15. Vir (?) precator continens erit illorum, ita & intoris. Cum igitur scirem me non alia ratione fieri posse sapientiæ compotem, de qua hic loco agitur.

CAP. IX. 1. (*a*) Gr. *In rectitudine animæ*. *Judicet*, recte judicet.

4. (*b*) Per quam judicia tua pronuntias. *Reprobare*, Ne me reprobes ut gentes quæ te non noverunt: noli me excludere ex eorum numero, quos instituis.

5. (*c*) Idem fere Salomon 3. Reg. cap. 3. *Exigui temporis*, cujus vita brevis est. Mentem tuo lumine illustra, ut legum tuarum mandata penetret.

6 (*d*) Etiam si aliquis omnibus humanis disciplinis sit instructus. Tum loquitur in persona Salomonis.

8. (*e*) In deserto. Exod. 25. Ad cujus formam templum extructum est.

9. (*f*) Hæc quæ tecum affuit sapientia in conditione mundi, sola noverat quid placeret oculis tuis. Gr. *In præsens*, *& scit*: Unde precatur eam sibi dari, ut sciat quid acceptum sit Deo. *Præceptis*, Qua ratione præcepta tua optime implerentur.

11 (*g*) Gr. *In gloria sua*, Per suam majestatem.

14 (*h*) Propter eventus incertos. *Providentiæ*, Gr. *Consilia*, adinventiones.

15 (*i*) Gr. *Terrenum tabernaculum*, cum mens nostra tibi uni deberet adhærere, in varia objecta distrahitur. *Sensum*, Mentem de multis sollicitam. Quia misisti spiritum tuum de cælis, didicerunt homines quæ tibi placita sunt, & per sapientiam sunt salvati. Aliis videtur interrogatio, *Sensum autem tuum quis sciet*; Producta est usque ad finem capitis legendum est, correcta sint, didicerint.

CAP. X. 2. (*a*) Per pœnitentiam. *Continendi*, Regendi & dominandi omnibus: tametsi per peccatum imminutum sit hoc imperium.

4 (*b*) Gr. *Propter quod*. *Contemptibile*, Vel quod contemneretur, cum arca ædificaretur: vel quia ad arcendum aquarum diluvium sufficere non videbatur.

* Gen. 11. 2. 5. * Hæc & in consensu (c) nequitiæ cum se nationes contulissent, scivit justum, & conservavit sine querela Deo, & in filii misericordia fortem custodivit.

* Gen. 19. 17. 22. 6. * Hæc justum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim:

7. Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes (d) arbores, & incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.

8. Sapientiam enim (e) prætereuntes, non tantum in hoc lapsi sunt ut ignorarent bona, sed & insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his, quæ peccaverunt, nec latere potuissent.

9. Sapientia autem hos, qui se observant, a laboribus liberavit.

* Gen. 28. 5. 10. 10. * Hæc profugum iræ fratris (f) justum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius.

11. In fraude circumvenientium illum affuit illi, & honestum fecit illum.

12. Custodivit illum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum, & certamen (g) forte dedit illi ut vinceret, & sciret quoniam omnium potentior est sapientia.

* Gen. 37. 28. 13. * Hæc venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum: descenditque cum illo in foveam,

* Gen. 41. 40. Act. 7. 9. 14. * Et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum (h) regni, & potentiam adversus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, & dedit illi claritatem æternam.

* Exod. 1. 11. 15. * Hæc populum justum (i), & semen sine querela liberavit a nationibus, quæ illum deprimebant.

16. Intravit in animam servi Dei, & stetit contra reges horrendos in portentis & signis.

17. Et reddidit justis mercedem laborum suorum, & deduxit illos in via mirabili: & fuit illis in (k) velamento diei, & in luce stellarum per noctem:

* Exod. 14. 22. Ps. 77. 13. 18. * Transtulit illos per Mare rubrum, & transvexit illos per aquam nimiam.

19. Inimicos autem illorum demersit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos. * * Exod. 12. 35.
ideo justi tulerunt spolia impiorum,

20. * Et decantaverunt Domine nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudaverunt pariter: * Exod. 15. 1.

21. Quoniam sapientia aperuit os (l) mutorum, & linguas infantium fecit disertas.

CAPUT XI.

Quæ facta sunt in exitu populi Israelitici ex Ægypto miracula, & Ægyptiorum plagas prosequitur.

1. DIrexit (a) opera eorum in manibus Prophetæ sancti. Exod. 16. 1.

2. Iter fecerunt per deserta, quæ non habitabantur: & in locis desertis fixerunt casas.

3. * Steterunt contra hostes, & de inimicis se vindicaverunt. * Exod. 17. 12.

4. * Sitierunt, & invocaverunt te, & data est illis aqua de petra altissima, & requies sitis de (b) lapide duro. * Num. 20. 11.

5. Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorum, a defectione potus sui, & in eis, cum abundarent filii Israel, lætati sunt;

6. Per hæc, cum illis deessent, bene cum illis actum est.

7. Nam pro fonte quidem (c) sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti injustis.

8. Qui cum minuerentur in traductione infantium (d) occisorum, dedisti illis abundantem aquam insperate,

9. Ostendens per sitim, quæ tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, & adversarios illorum necares.

10. Cum enim (e) tentati sunt, & quidem cum misericordia disciplinam accipientes, sciebant quemadmodum cum ira judicati impii tormenta paterentur.

11. Hos quidem tamquam pater monens probasti: illos autem tamquam durus rex (f) interrogans condemnasti.

12. Absentes enim & præsentes similiter torquebantur.

13. Duplex enim illos acceperat tædium, & gemitus cum memoria præteritorum.

14. Cum enim audirent per sua (g) tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus.

15. Quem

5. (c) Viciniis nationibus in Idololatriam consentientibus. Scivit, agnovit & separavit ab aliis Abrahamum. Filii, Isaac, quem immolaturus erat. Custodivit, Et fecit sapientia ne filii amorem Dei mandato anteferret.
7. (d) Gr. Inasi specie fructuum præferentes arbores. Animæ, Incredulæ uxoris Lot. Salis, Græc. Columna salis.
8. (e) Qui sapientiam contempserunt. Potuissent, Possent.
10. (f) Fratrem Jacob ob iram Fratris. Vias rectas, Motum; vel quæ ducebant in Mesopotamiam, quo ibat. Regnum Dei, Angelos ascendentes, & descendentes, in figura scalæ mysticæ regnum & providentiam Dei ostendit. Sanctorum, Quæ sanctos efficit. In laboribus, Locupletavit per ductos labores.
12. & 13. (g) Cum Angelo. Sapientia, Græc. Pietas. Peccatoribus, Græc. A peccato, nempe adulterii Josephum liberavit.
14 (h) Hebræi magnam potestatem regni nomine sæpe insigniunt.
15. & 16. (i) Non deditum Idololatriæ. Et nationibus, Gr. A natione. Servi, Mosis.
17. & 19. (k) Gr. In velamentum. Diei, Per diem. Inferorum, Gr. De profundo abyssi, seu maris.
21. (l) Qui ante præ metu loqui non audebant.

CAP. XI.
1. & 2. (a) Prospere eos duxit per Mosem. Casas, Gr. Tabernacula.
4. & 5. (b) Gr. Ceratio sitis. Potus. Ægyptii siti vexati sunt aquis in cruorem versis. Lætati, Israelitæ aquis in deserto sunt refecti.
7 (c) Perennis. Sanguinem, Gr. Nam cum pro jugi flumine, immundo sanguine conturbati essent.
8. (d) Qui Ægyptii cum per hanc plagam & alias necarentur, & pauciores fierent. Propter congestionem, ut sæpe in hoc Libro, suos tamen siti perire noluit.
10. (e) Quasi virga castigati, ad breve tempus sitim pati, didicerunt sitim ipsis probationi, impiis supplicio fuisse. Accipientes, Quæ quidem sitis in bonum Hebræorum cessit.
11. 12. & 13. (f) Gr. Condemnans. Damnatos sitis crudeli torqueri voluisti. Torquebantur, Ægyptii sive cum Hebræis misceretur, sive ab iisdem recederent, ut vexabantur. Tædium, Gr. Molestia, ex memoria nempe horrendæ sitis, quam perpessi fuerant, & quod fama accepissent Israelitas divina benignitate ab iis incommodis liberatos.
14 (g) Ægyptii. Tormenta, Per sitim. Secum, Bene cum illis agi, nempe cum Hebræis. Dominum, Gr. Senserunt Dominum, Alios probantem, alios punientem. Admirantes, Quem exitum habuissent res Hebræorum.

15. Quem enim in expoſitione prava projectum deriſerunt, in finem eventus (*h*) mirati ſunt: non ſimiliter juſtis ſitientes.

16. Pro cogitationibus autem inſenſatis ini-
*Inf. 12. 24. quitatis illorum, * quod quidam errantes colebant mutos ſerpentes, & beſtias (*i*) ſupervacuas, immiſiſti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam:

17. Ut ſcirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.

18. Non enim (*k*) impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum
* Lev. 26. 22. ex materia inviſa, * immittere illis multitudinem urſorum, aut audaces leones,

Infr. 16. 1. Jer. 8. 17. 19. Aut novi generis ira (*l*) plenas ignotas beſtias, aut vaporem ignium ſpirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis ſcintillas emittentes:

20. Quarum non ſolum læſura poterat illos exterminare, ſed & aſpectus per timorem occidere.

21. Sed & ſine his uno ſpiritu poterant occidi perſecutionem paſſi ab ipſis factis ſuis, & diſperſi per ſpiritum virtutis tuæ: ſed omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti.

22. Multum enim valere, tibi ſoli ſupererat (*m*) ſemper: & virtuti brachii tui quis reſiſtet?

23. Quoniam tamquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram.

24. Sed miſereris omnium, quia omnia (*n*) potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.

25. Diligis enim omnia (*o*) quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: nec enim odiens aliquid conſtituiſti, aut feciſti.

26. Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod a te vocatum non eſſet (*p*), conſervaretur?

27. Parcis autem omnibus: quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.

CAPUT XII.

Beneficia Dei in Hebræos collata in ejiciendis Chananæis extollit; qua ratione malos puniat non ſtatim, & uno velut ictu, ſed lente & paullatim eos ad pœnitentiam expectans.

1. O Quam bonus (*a*), & ſuavis eſt Domine ſpiritus tuus in omnibus!

2. Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis (*b*): & de quibus peccant, admones & alloqueris: ut relicta malitia, credant in te Domine.

3. * Illos enim antiquos inhabitatores terræ ſanctæ tuæ, quos exhorruiſti, *Deut. 9. 10. & 12. 29. & 18. 12.

4. Quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina, & ſacrificia injuſta,

5. Et filiorum ſuorum necatores ſine miſericordia, & (*c*) comeſſores viſcerum hominum, & devoratores ſanguinis a medio ſacramento tuo,

6. Et (*d*) auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluiſti per manus parentum noſtrorum,

7. Ut dignam perciperent (*e*) peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior eſt terra.

8. Sed & his tamquam hominibus peperciſti, & miſiſti anteceſſores exercitus tui (*f*) veſpas, ut illos paullatim exterminarent.

9. Non quia impotens eras in bello ſubjicere impios juſtis, aut beſtiis ſævis, aut verbo duro ſimul exterminare:

10. * Sed partibus (*g*) judicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. * Exod. 23. 30. Deut. 7. 22.

11. Semen enim erat maledictum ab initio: nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum.

12. Quis enim dicet tibi: Quid feciſti? aut quis ſtabit contra judicium tuum? aut quis in conſpectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit, ſi perierint nationes, quas tu feciſti?

13. Non enim eſt alius Deus quam tu, * cui cura eſt de omnibus, ut oſtendas quoniam non injuſte judicas judicium. *1. Pet. 5. 7.

14. Neque rex, neque tyrannus in conſpectu tuo inquirent de his, quos perdidiſti.

15. Cum

15. (*h*) Gr. *Quem enim in expoſitione olim repudiaverant*, Deum ſcilicet, *ſubſannantes*, *in fine eventum admirati ſunt*. *Juſtis*, Gr. *Siti affecti*, uſque ad mortem, non ut Iſraelitæ.

16. (*i*) Non tantum arietes & boves, ſed etiam inutiles colerent beſtias: unde & a Deo congruis ſuppliciis punitos eſſe pergis oſtendere.

18. (*k*) Impotens. *Inviſa*, Gr. *Informi & incompoſita* quæ tamen ante creata fuerat.

19 & 21. (*l*) Recens creatas feroces beſtias. *Spiritu*, Uno flatu. *Factis*, Gr. *Ab ipſo judicio*: Ab ipſa ultrice ſcelerum divina juſtitia. *Diſpoſuiſti*, Non agis cæco impetu; nec vires immoderatas effundis: unde & minuta animalia immiſiſti, ne ſtatim uno ictu conficeres impios, ſed locum dares pœnitentiæ.

22. (*m*) Quidquid egeris, tibi ſemper ſupereſt inexhauſta potentia.

24. (*n*) Cum ulciſci facile poſſis, differs pœnam.

25. (*o*) Auguſt. de verbis Apoſt. ſerm. 11. Non enim *fecit*, & *deſerit*; non enim curavit *facere*, & non curat cuſtodire.

26. (*p*) Jugi Dei influxu a nihilo revocatum, ne momento quidem temporis ſtaret, quod a te deſereretur.

CAP. XII.

1. (*a*) Gr. *Incorruptibilis eſt enim ſpiritus tuus*. *In omnibus*, Etiam in impiis.

2. (*b*) Gr. *Paullatim*, & ſenſim delinquentes corripis.

5. (*c*) De victimis enim edere ſolebant. *Sacramento*, Quod maxime abhorret a ſacris tuis. Locus eſt difficilis, quem e Græco nonnulli ſic interpretantur, ut ſacerdotes abominandi convivii deſignet, & vox *μυσὸς*, abominandum, aut ſceleſtum ſignificat.

6. (*d*) Vox Græca eum ſignificat, qui ſe, aut alios propria manu interficit.

7. (*e*) In coloniam ſervorum Dei dignam ſe. Ex Græco, Ut terra tibi omnium chariſſima acciperet dignam ſe coloniam ſervorum tuorum.

8 & 9 (*f*) Quod Deus Exod. 23. & Deuter. 7. promiſit. *Verbo*, juſſu divino.

10. (*g*) Paullatim, ut ſupra, per partes. *Naturalis*, Ex pravis majorum inſtitutis. *Mutari*. Gr. *Quoniam non immutaretur*, vel difficillimum erat eos in melius mutare.

15. Cum ergo sis justus, juste omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum (h) æstimas a tua virtute.

16. Virtus enim tua justitiæ initium est: & ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis.

17. Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus, & horum, qui te nesciunt, audaciam traducis.

18. Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate (i) judicas, & cum magna reverentia disponis nos: subest enim tibi, cum volueris, posse.

19. Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet justum esse & (k) humanum, & bonæ spei fecisti filios tuos: quoniam judicans dâs locum in peccatis pœnitentiæ.

20. Si enim inimicos servorum tuorum, & debitos morti, cum tanta (l) cruciasti attentione, dans tempus & locum, per quæ possent mutari a malitia:

21. Cum quanta diligentia (m) judicasti filios tuos, quorum parentibus juramenta & conventiones dedisti bonarum promissionum?

22. Cum ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus judicantes: & cum de nobis judicatur, speremus misericordiam tuam.

23. Unde & illis, qui in vita sua insensate & injuste vixerunt, per hæc, quæ (n) coluerunt, dedisti summa tormenta.

* Sap. 11. 16. Rom. 1. 23. 24. * Etenim in erroris via diutius (o) erraverunt, deos æstimantes hæc, quæ in animalibus sunt supervacua, infantium insensatorum more viventes.

25. Propter hoc tamquam pueris insensatis judicium in derisum dedisti.

26. Qui autem ludibriis & (p) increpationibus non sunt correpti, dignum Dei judicium experti sunt.

27. In quibus enim patientes indignabantur, per hæc quos putabant deos, in ipsis cum exterminarentur videntes, illum, quem olim negabant se nosse, verum Deum (q) agnoverunt: propter quod & finis condemnationis eorum venit super illos.

CAPUT XIII.

Quam vani sint creaturarum & idolorum cultores, demonstrat ex occasione Chananæorum idololatriâ.

1. Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his, qui videntur (a) bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex: Rom. 1. 18.

2. * Sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt. * Deut. 4. 19 & 17 3.

3. Quorum si specie delectati, deos putaverunt: sciant quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit.

4. Aut si (b) virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis:

5. A magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter (c) poterit creator horum videri.

6. Sed tamen adhuc in his minor est (d) querela. Et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, & volentes invenire.

7. * Etenim cum in operibus illius conversentur, inquirunt: & persuasum habent quoniam bona sunt quæ videntur. * Rom. 1. 21.

8. Iterum autem nec his debet ignosci (e).

9. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo hujus Dominum non facilius invenerunt?

10. Infelices autem sunt, & inter mortuos (f) spes illorum est, qui appellaverunt deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inventionem, & similitudines animalium, aut lapidem inutilem opus manus antiquæ.

11. * Aut si quis artifex faber de silva lignum rectum (g) secuerit, & hujus docte eradat omnem corticem, & arte sua usus, diligenter fabricet vas utile in conversationem vitæ, *Isa. 44. 12. Jer. 10. 3.

12. Reliquiis autem ejus operis, ad præparationem escæ abutatur:

13. Et

15. 16. & 17. (h) Alienum putas a tua justitia. *Virtus*, Græc. *Potentiæ*. quæ tum se exerit, cum id justitia exigit. *Facis*, Ex Græco. *Et hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facit*: *Virtutem*. Cum vincit te putent, exurgis victor. *Traducis*, Contundis, punis. Sic legendum putat Grotius ex Græco, Is qui non credit sua robur posse ostendere, summis viribus convincit audaciam, & ignorantiam.

18. (i) Græc. *Æquitate*. *Reverentia*. Græc. *Moderatione*, indulgentia. *Dominator virtutis*, Qui dominaris fortitudini.

19. (k) Græc. Deest conjunctio, Et oportet justum virum etiam humanum esse. Id enim docuit Deus per clementiam, qua usus est etiam erga Chananæos.

20. (l) Gr. *Punivisti*. *Attentione*, Gr. *Provida ratione* a cautione aut circumspectione.

21. & 22. (m) Cum ergo nos castigas, eo modo quo pater filios, non ut judex maleficos. *Judicantes*, Tuum sequamur exemplum, modum puniendi ponentes.

23. (n) Per proprias abominationes. Per vilia animalcula, quæ colebant ut deos.

24. (o) Gr. *Longius erraverunt*, quam videbatur fieri posse ut homines aberrent, viæ erroris excessi sunt, quæ est hyperbolica locutio. *Supervacua*, Vilia & inhonesta animalia, viliora, ut muscas. *Viventes*, Gr. *Decepti*, ludificati.

25. (p) Non mutos, ranæ, &c. nihil aliud videbantur esse, quam ludicria. *Increpationibus*, Gr. *Ludibriis increpationis*, pœnas ridiculas, quibus Deus Ægyptios increpare & punire voluit, tanquam pueros.

27. (q) Tandem verum Deum cognoverunt, quem negabant; inviti autem cognoverunt. *Illos*; Loquitur de submersione Ægyptiorum.

CAP. XIII. 1. & 2. (a) Gr. *De bonis quæ videntur*. *Gyrum*, Firmamentum. *Aquam*, Mare.

4. (b) Si quam creaturam, aut specie sua, aut virtute excellentem videmus, statim id cogitandum nobis est, quantum ejus conditor sit pulcrior & præstantior.

5. (c) Græc. ἀναλόγως, per proportionem, comparatis rerum rationibus: præclarum est opus, longe præstantior opifex.

6. (d) Tolerabilius errant, qui solem & infirmes creaturas pro diis habent, quod defecti viribus in rebus hæreant pulcherrimis: tamen ii sunt inexcusabiles, vers. 8. Sed longe infelicius errant, qui ea fabricant idola, quæ ut deos colunt.

8. & 9. (e) Ne hi quidem veniam merentur. *Æstimare*, Gr. *Conjecturam capere*; quod de rebus naturalibus vix ulla haberi scientia possit.

10. (f) In mortuis. *Spes*. Fiduciam habent in simulacris vitæ & actionum expertibus. *Opera*, Paulus, Actor. 17. *Sculpturam artis* vocat.

11. 12. & 13. (g) Tractabile. *Vas utile*, In usum. *Escæ*. Ad ignem excitandum cibis præparandis. *Plenum*, Nodosum. *Vacuitatem*, Græc. *Per otium*; cum tempus vacuum habet.

13. Et reliquum horum, quod ad nullos usus facit, lignum curvum, & vorticibus plenum, sculpat diligenter per vacuitatem suam, & per scientiam suæ artis figuret illud, & assimilet illud imagini hominis,

14. Aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniens rubrica, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam, quæ in illo est, perliniens:

15. Et faciat ei dignam habitationem, & in pariete ponens illud, & confirmans ferro,

16. Ne forte cadat, prospiciens illi, sciens quoniam non potest adjuvare se: imago enim est, & opus est illi adjutorium.

17. Et de substantia sua, & de filiis suis, & de nuptiis votum faciens inquirit. Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est.

18. Et pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vita rogat mortuum, & in adjutorium inutilem invocat:

19. Et pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest: & de acquirendo, & de operando, & de omnium rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus est inutilis.

CAPUT XIV.

Quam vanus sit idolorum cultus, exemplo navigantium demonstrat. Sculpturæ quoque describit originem, quam homines in adulationem, & idololatriam converterunt.

1. ITerum alius navigare cogitans, & per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante se, fragilius lignum (*a*) invocat.

2. Illud enim cupiditas acquirendi excogitavit, & artifex sapientia fabricavit sua.

3. Tua autem, Pater, providentia gubernat: * quoniam dedisti & in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam, [* Exod. 14. 22.]

4. Ostendens quoniam potens es ex omnibus salvare, etiam si sine arte aliquis (*b*) adeat mare.

5. Sed ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera: propter hoc etiam & exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt:

6. * Sed & ab initio cum perirent superbi gigantes (*c*), spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit sæculo semen nativitatis, quæ manu tua erat gubernata. [* Gen. 6. 4. & 7. 7.]

7. Benedictum (*d*) est enim lignum, per quod fit justitia.

8. * Per manus autem quod fit idolum, maledictum est & ipsum, & qui fecit illud: quia ille quidem operatus est: illud autem cum esset fragile, Deus cognominatus est. [* Ps. 113. 4. Baruch 6. 3.]

9. Similiter autem odio sunt Deo, impius & impietas ejus.

10. Etenim quod factum est, cum illo, qui fecit, tormenta patietur.

11. Propter hoc & in idolis nationum non erit (*e*) respectus: quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.

12. Initium (*f*) enim fornicationis est exquisitio idolorum: & adinventio illorum corruptio vitæ est.

13. Neque enim erant (*g*) ab initio, neque erunt in perpetuum.

14. Supervacuitas (*h*) enim hominum hæc advenit in orbem terrarum: & ideo brevis illorum finis est inventus.

15. Acerbo enim luctu dolens pater, cito sibi rapti filii fecit imaginem: & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra & sacrificia.

16. Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.

17. Et hos, quos in palam homines honorare non poterant, propter hoc quod longe essent, e longinquo figura eorum allata, evidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt: ut illum, qui aberat, tanquam præsentem colerent sua sollicitudine.

18. Provexit autem ad horum culturam & hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia.

19. Ille enim volens placere illi, qui se assumpsit, elaboravit arte sua, ut similitudinem in melius figuraret.

20. Multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum, qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc deum æstimaverunt.

21. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut (*i*) affectui, aut regibus deservientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis composuerunt.

22. Et non suffecerat errasse eos circa Dei scientiam, sed in magno viventes inscientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.

23. * Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas vigilias habentes, [* Deut. 18. 10. Jer. 7. 6.]

24. Ne-

CAP. XIV. 1. & 3. (*a*) Neptunum ex ligno factum. *Gubernat*, Ars navigandi non sufficit: sed divina Providentia requiritur, quæ cuncta gubernat.

4. & 5. (*b*) Sine arte nandi. *Mare*, Ne maris tam vasti moles inusitata haberetur, id quoque hominibus frequentandum dedisti. *Per ratem*, Gr. σχεδίᾳ, est navis tumultuaria.

6. (*c*) Noe & ejus familia. *Gubernata*, De Arca loquitur.

7. (*d*) Arca scilicet, quæ fit Deo jubente, quæ ne est figura ligni, per quod liberati sumus. Per Arcam facta est justitia impiis pereuntibus, justis servatis. Mystice crux sancta adumbratur, ad quam justi confugiunt, & per eam justificamur.

11. (*e*) Gr. *Erit respectus in idola*, erit inquisitio; nam conterentur. *In odium*, Gr. *In abominationem conversa sunt ab impiis*, non per se, sed quia homines sua culpa iis abutuntur. *Et tentationem*, Gr. *In scandalum*. *Non erit respectus*; Deus vindictam de iis sumet.

12. (*f*) Idololatriæ ea sculpturæ arte reperendæ. Quin & fœdissima quæque in idolorum lucis fieri tolebant.

13. (*g*) Idola, ut aliæ creaturæ, nec erant ante diluvium ob recentem memoriam creationis. *Neque erunt*, Destruentur a Christo.

14. 15. & 19. (*h*) Græc. *Vanitas*, Propter inanem gloriam. *Finis*, De certis loquitur idolis, & eorum cultu, qui jam obsoleverat. *Sacrificia*, illa in arcanis quibusdam verbis, hæc in victimis. *Assumpsit*, Conduxit ad opus faciendum.

21. (*i*) Gr. *Calamitati*. *Imposuerunt*; Quod in sensu proprio nemini communicari debet.

24. Neque (*k*) vitam, neque nuptias mundas jam custodiunt, sed alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contristat:

25. Et omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio & infidelitas, turbatio & perjurium, tumultus bonorum.

26. Dei immemoratio (*l*), animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ & impudicitiæ.

27. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, & initium & finis.

28. Aut enim dum lætantur, insaniunt: aut certe vaticinantur falsa, aut vivunt injuste, aut pejerant cito.

29. Dum enim confidunt in idolis, quæ sine anima sunt, male jurantes noceri se (*m*) non sperant.

30. Utraque ergo illis evenient digne, quoniam male senserunt de Deo, attendentes idolis, & juraverunt injuste, in dolo contemnentes justitiam.

31. Non enim juratorum virtus, sed peccantium pœna perambulat semper injustorum prævaricationem.

CAPUT XV.

Idem argumentum prosequitur, & piis gratulatur, quod ab idolis puri sint: de cultu animalium agit.

1. TU autem Deus noster, suavis & verus es, patiens, & in misericordia disponens omnia.

2. Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam: & si non peccaverimus (*a*), scimus quoniam apud te sumus computati.

3. Nosse enim te, consummata (*b*) justitia est: & scire justitiam, & virtutem tuam, radix est immortalitatis.

4. Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis (*c*) excogitatio, nec umbra picturæ labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores,

5. Cujus aspectus insensato dat (*d*) concupiscentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem sine anima.

6. Malorum amatores, digni sunt qui spem habeant in talibus, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt.

7. * Sed & figulus mollem terram premens, * Rom. 9.
laboriose fingit ad usus nostros unumquodque 21.
vas, & de eodem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, & similiter quæ his sunt contraria: horum autem vasorum quis sit usus, judex est figulus.

8. Et cum labore vano deum fingit de eodem luto, ille qui paullo ante de terra (*e*) factus fuerat, & post pusillum reducit se unde acceptus est, repetitus animæ debitum, quam habebat.

9. Sed cura est illi (*f*), non quia laboraturus est, nec quoniam brevis illi vita est, sed concertatur artificibus & argentariis: sed & ærarios imitatur, & gloriam præfert, quoniam res supervacuas fingit.

10. Cinis est enim cor (*g*) ejus, & terra supervacua spes illius, & luto vilior vita ejus:

11. Quoniam ignoravit qui se finxit, & qui inspiravit illi animam, quæ operatur, & qui insufflavit ei spiritum vitalem.

12. Sed & æstimaverunt (*h*) lusum esse vitam nostram, & conversationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere undecumque etiam ex malo acquirere.

13. Hic enim scit se super omnes delinquere, qui ex terræ materia fragilia vasa, & sculptilia fingit.

14. Omnes enim insipientes, & infelices (*i*) supra modum animæ superbi, sunt inimici populi tui, & imperantes illi:

15. Quoniam omnia idola nationum deos
æstimaverunt, * quibus neque oculorum usus * Ps. 113. 5.
est ad videndum, neque nares ad percipien- & 134. 16.
dum spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum, sed & pedes eorum pigri ad ambulandum.

16. Homo enim fecit illos: & qui spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit deum fingere.

17. Cum enim sit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior enim est ipse his quos colit, quia ipse quidem vixit, cum esset mortalis, illi autem numquam.

18. Sed & animalia (*k*) miserrima colunt: insensata enim comparata his, illis sunt deteriora.

19. Sed

24. & 25. (*k*) Vitæ honestatem. *Per invidiam*, Gr. *Per insidias*. *Turbatio*, Seditiones. *Bonorum*, Fruitatio.

26. (*l*) Oblivio. *Immutatio*. Mutata progenies, suppositi aut suppositi partus. Aut id ipsum est, quod ait Paulus, Rom. 1. *Immutaverunt naturalem usum, in eum qui est contra naturam*.

29. & 31. (*m*) Non putant se lædendos. *Juratorum*, Eorum per quos jurant. *Virtus*, Potentia. *Pœna*. Gr. *Judicium*. *Perambulat*, Gr. *Insurgit*. *Injustorum*. Pejerant enim non idolorum virtute, sed suo judicio prævaricationis convicti; nec pœna, quam subeunt perjuri, adscribi debet falso diis, sed fraudi & sceleri pejerantium. Itaque ex Græco contextu hunc sensum eruit Gandavensis.

CAP. XV. 2. (*a*) Gr. *Non autem peccabimus*. Ut qui sciamus nos esse tuos. In priori parte versiculi, *Scientes magnitudinem tuam*, Gr. *Potentiam*: adeo ut hic sit sensus: si peccaverimus, *tui sumus*, sub potestate tua sumus, quam evadere non possumus. In posteriori parte, *non peccabimus*; confidimus nos non peccaturos peccato idololatriæ; scientes quia tibi curæ sumus. *Computati*, In numero tuorum sumus.

3. (*b*) Notitia Dei cum pio affectu conjuncta, qua te colimus fide, spe, & charitate, non nuda & sine operibus fide. *Radix est*, Ad vitam immortalem nos ducit.

4. (*c*) Sculpturæ per abusum malæ: inventricis idolorum.

5. (*d*) Illicit ad nefarios cultus: excitat ad turpem amorem.

8. (*e*) Cum in lutum resolvatur. *Debitum*, Repetente morte vitam sibi debitam.

9. (*f*) Hæc gloriæ ducit. *Non quia*, Non detrectat laborem spe gloriæ, quod ut artifices res *supervacuas*. Gr. *adulterinas*, fingit, idola scilicet, atque æmulatur artifices magis celebratos.

10. (*g*) Luteus totus est; In luto se occupat. *Illius*, Spes illius vilior est viliori terra.

12. (*h*) Fictores idolorum. *Lusum*, Per ludibria vitam esse transigendam; Gr. *Vitam esse quasi nundinas ad quæstum factas*.

14. (*i*) Gr. *Miseri plus quam animæ infantium*: Supra quam ferat animæ quantumvis infirmæ; vel plus quam valeant super 1.

18. (*k*) Gr. *Vilissima*. *Insensata*, Quidam legunt *insensate*, hæc enim animalia, quæ colunt, ut crocodili, insipienter comparantur cum aliis animantibus: sunt enim aliis peiora, & homini minus intelligentia. *Deteriora*, Idola sunt adhuc illis animalibus deteriora, cum vitæ & sensus sint expertia.

19. Sed nec aspectu aliquis ex his animalibus bona potest (*l*) conspicere. Effugerunt autem Dei laudem, & benedictionem ejus.

CAPUT XVI.

Ægyptios ob cultum bestiarum per bestias punitos; Hebræos obmurmurantes & rebelles leviori pœna castigatos; resipiscentes novis auctos beneficiis.

1. Propter hæc, & per his similia passi sunt digne tormenta (*a*), & per multitudinem bestiarum exterminati sunt.

2. Pro quibus tormentis bene (*b*) disposuisti populum tuum, * quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui, novum saporem, escam parans eis ortygometram: (* Num. 11. 31.)

3. Ut illi quidem concupiscentes (*c*) escam propter ea, quæ illis ostensa & missa sunt, etiam a necessaria concupiscentia averterentur. Hi autem in brevi inopes facti, novam gustaverunt escam.

4. Oportebat enim illis sine (*d*) excusatione quidem supervenire interitum exercentibus tyrannidem: his autem tantum ostendere quemadmodum inimici eorum exterminabantur.

5. * Etenim cum illis supervenit sæva bestiarum ira, morsibus perversorum colubrorum exterminabantur. (* Num. 21. 6.)

6. Sed non in perpetuum ira tua permansit, sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum (*e*) habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ.

7. Qui enim conversus est, non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium salvatorem:

8. In hoc autem ostendisti inimicis nostris, quia tu es, qui liberas ab omni malo.

9. * Illos enim locustarum, & muscarum occiderunt morsus, & non est inventa sanitas animæ illorum: quia digni erant ab hujusmodi (*f*) exterminari. (* Exod. 8. 24. & 10. 4. Apoc. 9. 7.)

10. Filios autem tuos, nec draconum venenatorum vicerunt dentes: misericordia enim tua adveniens sanabat illos.

11. In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, & velociter salvabantur: ne in altam incidentes oblivionem, non possent tuo uti adjutorio.

12. Etenim neque herba, neque (*g*) malagma sanavit eos, sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.

13. * Tu es enim, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis: (* Deut. 32. 39. 1. Reg. 2. 6. Tob. 13. 2.)

14. Homo autem occidit quidem per malitiam, & cum exierit spiritus, non revertetur, nec revocabit animam quæ recepta est:

15. Sed tuam manum effugere impossibile est.

16. * Negantes enim te nosse impii, per fortitudinem brachii tui flagellati sunt: novis aquis, & grandinibus, & pluviis persecutionem passi, & per ignem consumpti. (* Exod. 9. 23.)

17. Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat: vindex est enim orbis justorum.

18. Quodam enim tempore, (*h*) mansuetabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia: sed ut ipsi videntes scirent, quoniam Dei judicio patiuntur persecutionem.

19. Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis, exardescebat undique, ut iniquæ terræ nationem (*i*) exterminaret.

20. * Pro quibus Angelorum (*k*) esca nutrivisti populum tuum: & paratum panem de cælo præstitisti illi sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem. (* Exod. 16. 14. Num. 11. 7. Ps. 77. 25. Joann. 6. 31.)

21. Substantia (*l*) enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: & deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.

22. * Nix autem & glacies (*m*) sustinebant vim ignis, & non tabescebant: ut scirent quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine & pluvia coruscans. (* Exod. 9. 24.)

23. Hic autem iterum ut nutrirentur justi, etiam suæ virtutis oblitus est.

24. Creatura enim tibi Factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos: & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.

25. Propter hoc & tunc in omnia transfigurata (*n*), omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat, ad voluntatem eorum, qui a te desiderabant:

26. Ut

19. (*l*) Non sunt bona ut desiderentur, nedum ut colantur. *Benedictionem*, Gr. *Aliena sunt a Dei benedictione*, serpentes nimirum, quibus Deus maledixit.

CAP. XVI. 1. (*a*) Gr. *Propter hæc etiam passi sunt tormenta his similia*. *Exterminati*, Gr. *Cruciati*.

2. (*b*) Gr. *Cujus tormenti loco populum tuum beneficio affecisti, cum in illius fame animalia immisisti, quibus eam expleret*. *Saporem*, Gr. *Quibus in concupiscentiam appetitus peregrinum saporem in cibum dedisti*, coturnicem aliarum ducem, & quasi moderatricem. Plinius lib. 10. Cap. 23. *Hac duce, migratione nempe & mutare, coturnices volant, & loca mutant*. *Ortygometram*, tamquam matricem & genetricem coturnicum, Num. 11.

3. (*c*) Idololatræ Ægyptii ranis & aliis animantibus inter cibos ebullientibus, fastidio haberent omnem escam. *Hi autem*, Hebræi. *In brevi*, Ad breve tempus. *Inopes*, ad extremam redacti erant inopiam.

4. & 5. (*d*) Gr. *Inevitabilem supervenire indigentiam*. *Ira*, Immissis serpentibus in Hebræos, statim datum est illis serpentis ænei remedium.

6. (*e*) Non sic serpentem æneum fuisse salutem Hebræorum, sed signum, aut symbolum salutis. *Legis tuæ*, Ut postea essent memores mandatorum legis, quibus Deo fidere jubebantur. Ut esset Dei monumentum, quo Deo obedirent sine murmuratione; atque ut discerent Hebræi legibus divinis obsequi oportere, etiam cum nulla apparet ratio.

9. & 11. (*f*) *Animalibus, quæ colebant*. *In memoria*, Ut recordarentur præceptorum tuorum probabantur: Gr. *Ad recordationem mandatorum tuorum pungebantur*, a serpentibus.

12. (*g*) Fomentum, non emollientia medicamina eos sanaverunt. *Recepta est*. In loco unde non exivit.

18. (*h*) Mansuescebat. *Animalia*, Ranæ & locustæ suo tempore e terra erupturæ.

19. (*i*) Gr. *Fructus*, Nationem passim ponit Interpres pro nativitate, hic pro natis frugibus.

20. (*k*) Quorum loco pro consumptis frugibus dedisti populo tuo manna. *Habentem*, id est, perfectam suavitatem: ut Jacobi 1. *Omne gaudium existimate*.

21. (*l*) Gr. *Hypostasis*: Perfœcunda substantia, ex quacumque re, quod vult, elicit. Alii per *substantiam*, Manna intelligunt, quod Deus novo miraculo procreabat. *Voluntati*, Substantia tua, panis scilicet ille, quem Deus novo miraculo formavit.

22. & 23. (*m*) Manna, quod pruinæ simile erat. Exod. 16. Aut redit ad ea, quæ contigerant Ægyptiis. Forte grandinem vocat nivem cum glacie, quæ igne non est liquefacta. *Hic*, Ignis, cui Deus vim comburendi detraxerat.

25. & 16. (*n*) Varios habens sapores, mutatio naturæ: ordo tuæ voluntati serviebat in gratiam suorum fidelium. *Sermo*, Vis tua, potentia, imperium.

26. Ut scirent filii tui, quos dilexisti Domine, * quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat.

* Deut 8. 3. Matth. 4. 4

27. Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat:

28. Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad (o) benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.

29. Ingrati enim spes tamquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tamquam aqua supervacua.

C A P U T   XVII.

Densas Ægypti tenebras describit, pavorem Ægyptiorum, & spectra, cum interim Hebræi clara luce fruerentur.

1. MAgna sunt enim judicia tua Domine, & inenarrabilia (a) verba tua: propter hoc indisciplinatæ animæ erraverunt.

2. * Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ: vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt.

* Exod. 10. 23.

3. Et dum putant se latere in obscuris peccatis, tenebroso oblivionis velamento (b) dispersi sunt, paventes horrende, & cum admiratione nimia perturbati.

4. Neque enim quæ continebat illos spelunca (c), sine timore custodiebat: quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes illis apparentes pavorem illis præstabant.

5. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.

6. Apparebat autem illis subitaneus (d) ignis, timore plenus: & timore perculsi illius, quæ non videbatur, faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur:

7. Et * magicæ (e) artis appositi erant derisus: & sapientiæ gloriæ correptio cum contumelia.

* Exod. 7. 11. & 8. 7.

8. Illi enim qui promittebant (f) timores & perturbationes expellere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant.

9. Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat, transitu animalium & serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant: & aerem, quem nulla ratione quis effugere posset, negantes se videre.

10. Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit (g) sæva, perturbata conscientia.

11. Nihil enim est timor nisi proditio cogitationis (h) auxiliorum.

12. Et dum ab intus minor est (i) expectatio, majorem computat inscientiam ejus causæ, de qua tormentum præstat.

13. Illi autem qui impotentem (k) vere noctem, & ab infimis, & ab altissimis inferis supervenientem, eumdem somnum dormientes,

14. Aliquando monstrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant (l) traductione: subitaneus enim illis & insperatus timor supervenerat.

15. Deinde si quisquam ex illis (m) decidisset, custodiebatur in carcere sine ferro reclusus.

16. Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri laborum operarius præoccupatus esset, ineffugibilem sustinebat necessitatem.

17. Una enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, aut vis aquæ decurrentis nimium,

18. Aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus Echo; deficientes faciebant illos præ timore.

19. Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur.

20. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis (n) erat. Ipsi ergo sibi erant graviores tenebris.

C A-

28. (o) Gr. *Ad agendas tibi gratias*; vel ad gratiam tuam percipiendam. Benedictio Dei, qua benefacitur.

CAPUT XVII.

1. (a) Hæ duæ voces desunt in Græco. *Erraverunt*, Quod cum Dei consilia nosse non possent, superbia elati, quæ sequuntur, egerunt.

3. (b) Huc illuc, in sitas qui fuere domos. *Horrende*, Gr. *Spectris conterriti*: De Ægyptiis loquitur, qui densissimis tenebris erant involuti.

4. (c) Domus propria, quæ illis erat instar carceris, Exod. 10. *Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco ubi erat.*

6 (d) Credibile est accensos ingentes rogos discutiendis tenebris: sed hi terrori erant, cum obscuræ facies eos terrerent. *Faciei*, Gr. *Cum valde terrerentur ista specie inconspicua*: Tam crassa tenebris. *Videbantur*, *Spectra* ista magis eos terrebant.

7. (e) Gr. *Magicæ artis jacebant ludibria*. In Magis enim nullum erat præsidium. *Correptio*, Erat. *Cum contumelia*. Qui sapientia illa magica gloriabantur, contumeliose habebantur.

8. & 9. (f) Magi illud vel maxime promittebant, se purgare mentes. *Perturbabat*, Perturbasset. *Se videre*, Ne viderent spectra, oculos claudebant.

10. (g) In Græco, malitia propria judicio condemnata testificum quid testificatur sibi. *Sæva*, Legendum in plurali; Præsumit animas anticipata opinione, & perturbata conscientia res sævas.

11. (h) Inde oritur timor, quod mens velut prodita, & destituta, de auxilio desperat. Timorem vehementem describit, qui est omnis auxilii desperatio quædam.

12. (i) Quo quisque minus sentit in se præsidii, eo magis latere putat præsentem tormentorum caussam. Quod magis est calamitosum, nescire calamitatis suæ originem: malis suis addit, quæ vis imaginatrix perculsa fingit.

13. (k) Gr. *ἀδύνατον*, supple, *κατὰ* tempore noctis, quod vitari non poterat, aut Ægyptios ad agendum impotentes efficiebat. Alii *intolerabilem* vertunt, nisi in Græco fuerit *ἄδυτον*, *impenetrabilem*. *Altissimis*. A profundis inferis velut immissa videbantur. *Dormientes*, Nihilo plus agebant tum temporis, quam si dormissent.

14. (l) Gr. *Traditione*, sive deliquio præ metu, aut proditione.

15. (m) Erigere se non audebat, ne gravius offenderet. Gr. *Hoc modo quicumque illuc inciderat*: Quicumque illia in locis tum fuit deprehensus.

20. (n) Scripsit forte Interpres, *Quæ superventura erant in inferno*. *Tenebris*, Ob cæcitatem mentis major erat nox in animo, quam in cœlo.

CAPUT XVIII.

Confert Hebræorum fidelium sortem cum infelice Ægyptiorum statu.

* Exod. 10. 23. 1. * Sanctis autem tuis maxima erat lux, & horum quidem vocem audiebant, sed figuram non videbant. Et quia non & ipsi eadem passi erant, magnificabant te:

2. Et qui ante læsi erant, quia non lædebantur, gratias agebant: & ut esset differentia, donum (*a*) petebant.

* Exod. 14. 24. Ps. 77. 14. & 104. 39. 3. * Propter (*b*) quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, & solem sine læsura boni hospitii præstitisti.

4. Digni quidem illi carere luce, & pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant (*c*) filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen sæculo dari.

* Exod. 1. 16. & 2. 3. * Exod. 14. 27. 5. * Cum cogitarent justorum occidere infantes: & * uno exposito filio, & (*d*) liberato, in traductionem illorum multitudinem filiorum abstulisti, & pariter illos perdidisti in aqua valida.

6. Illa enim nox ante cognita est a patribus nostris, ut vere scientes quibus juramentis (*e*) crediderunt, animæquiores essent.

7. Suscepta est autem a populo tuo sanitas quidem justorum, injustorum autem exterminatio.

8. Sicut enim læsisti adversarios: sic & nos provocans (*f*) magnificasti.

9. Absconse enim sacrificabant justi pueri bonorum, & justitiæ legem in concordia disposuerunt: similiter & bona & mala recepturos justos, patrum jam decantantes laudes.

10. Resonabat autem inconveniens (*g*) inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium.

* Exod. 12. 29. 30. 11. * Simili autem pœna servus cum domino afflictus est, & popularis homo regi similia passus.

12. Similiter ergo omnes, uno nomine mortis, mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum vivi sufficiebant: quoniam uno momento, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est.

13. De omnibus enim non (*h*) credentes propter veneficia, tunc vero primum cum fuit exterminium primogenitorum, spoponderunt populum Dei esse.

14. Cum enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet,

15. Omnipotens (*i*) sermo tuus de cælo a regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit,

16. Gladius acutus insimulatum (*k*) imperium tuum portans, & stans replevit omnia morte, & usque ad cælum attingebat stans in terra.

17. Tunc continuo visus (*l*) somniorum malorum turbaverunt illos, & timores supervenerunt insperati.

18. Et alius alibi projectus semivivus, propter quam moriebatur, caussam demonstrabat mortis.

19. Visiones enim, quæ illos turbaverunt, hæc præmonebant, ne inscii, quare mala patiebantur, perirent.

20. Tetigit autem tunc & justos (*m*) tentatio mortis, & commotio in eremo facta est multitudinis: sed non diu permansit ira tua.

21. * Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ * Num. 16. 46.
scutum, orationem & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus.

22. Vicit autem turbas (*n*), non in virtute corporis, nec armaturæ potentia, sed verbo illum, qui se vexabat, subjecit, juramenta parentum, & testamentum commemorans.

23. Cum enim jam acervatim cecidissent super alterutrum mortui (*o*), interstitit, & amputavit impetum, & divisit illam quæ ad vivos ducebat viam.

24. * In veste enim (*p*) poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum: & parentum * Exod. 28. 6.
magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, & magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat.

25. His autem cessit qui exterminabat, & hæc extimuit (*q*): erat enim sola tentatio iræ sufficiens.

C A-

CAPUT XVIII.

2. (*a*) Ut liberarentur a captivitate, ab Ægyptiis separati, orabant ut esset differentia semper inter Ægyptios & populum tuum. Vox enim Græca χάριν videtur esse adverbium, ἕνεκα significans.

3. (*b*) Gr. *Pro quibus*: Harum tenebrarum loco. *Hospitii*: Desertum intelligit. *Præstitisti*. Lucidam columnam. *Solem* vocat innoxium, quod eos non combureret.

4. (*c*) Custodierant. *Incorruptum*, Jam fœdere constituto, tradita unius Dei fide, sabbati observantia, Phase apud Ægyptios celebrata.

5. (*d*) Mose. *In traductionem*, Gr. *In illorum convictionem*, seu redargutionem. *Abstulisti*, Primogenitos Ægypti. *In aqua*, In mari rubro.

6. (*e*) Quam certa essent Dei promissa.

8. & 9. (*f*) Advocans: Nos tibi electos manifestasti. *Sacrificabant*, Pascha celebrabant. *Legem*, Gr. *Divinitatis legem*, Unius Dei colendi ritum: statuerunt legem, quam illis daturus erat Dominus servare. *Justos*, Participes se fore bonorum & periculorum. *Patrum*, Abrahami, Isaaci & Jacobi, qui mos erat Hebræorum, laudes celebrare majorum virorum, ut in Ecclesiastico legimus.

10. & 12. (*g*) Gr. *Dissonans*, Inconcinna. *Nomine*, Uno genere. *Natio*, Gr. *Nativitas*, Soboles. Primogeniti interfecti.

13. (*h*) Priora signa a Deo facta non credentes. *Veneficia*, Magorum. *Spoponderunt*, Confessi sunt, cum prius essent increduli *propter veneficia*.

15. (*i*) Voluntas & jussio divina, quam Angelus repræsentans personam Filii Dei, ut in Monte Sina, executioni mandavit. *Terram*, Gr. *Exitialis terræ*.

16. (*k*) Gr. *Minime fictum*, sed efficax. *Stans*; loquitur de Angelo poetico more.

17. & 18. (*l*) Inexpectati timores supervenerunt. *Caussam*, Quam divinitus in somnis erant edocti.

20. & 21. (*m*) A morte quoque tentati Israelitæ, & probati potius, quam dejecti. *Commotio*, Gr. *Clades*. *Sine querela*, Inculpatus nempe Aaron. *Scutum*, Orationem: Gr. *Sui ministerii arma*. *Necessitati*, Gr. *calamitati*.

22. (*n*) Gr. *Vicit turbam*. Turbationem, seu plagam devastantem. *Qui se*, Populum scilicet.

23. (*o*) Stetit inter mortuos & viventes, Num. 16. Ignis ad viventes & superstites transitum impedivit. *Viam*, Intercludit interfectori viam ad superstite.

24. (*p*) Veste talari ad pedes demissa & sacra. Duplex erat, linteum unum commune aliis sacerdotibus, & hyacinthinum. *Orbis*, Vestis textura & magnificentia designatus, ut docent Hebræi. *Magnalia*, Gr. *Patrum gloriæ*; Nomina progenitorum nostris gloriosa erant pectorali insculpta. *In diademate*. In lamina aurea, cui inscriptum erat nomen Dei: majestas Dei in cidari erat inscripta.

25. (*q*) Reveritus est. *Tentatio*: Vox Græca experientiam etiam significat: satis erat ad correctionem, quod iram tuam experti essent. *Sufficiens*, Deo sufficiens ad pœnam & admonitionem in posterum.

CAPUT XIX.

Idem prosequitur argumentum, & populum cum sapientia hostibus comparat: ac pro his omnibus Deo gratias agit.

1. IMpiis autem usque in novissimum sine misericordia ira supervenit. Præsciebat enim & futura illorum:

2. Quoniam cum ipsi permisissent ut se educerent, & cum magna sollicitudine præmisissent (*a*) illos, consequebantur illos pœnitentia acti.

3. * Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ: & quos rogantes projecerant, hos tamquam fugitivos persequebantur: *Exod. 14. 5.

4. Ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas: & horum, quæ acciderant, commemorationem amittebant, ut quæ deerant tormentis, repleret punitio:

5. Et populus quidem tuus mirabiliter transiret, illi autem novam mortem invenirent.

6. Omnis enim creatura ad suum (*b*) genus ab initio refigurabatur, deserviens tuis præceptis ut pueri tui custodirentur illæsi.

7. Nam nubes castra eorum (*c*) obumbrabat, & ex aqua, quæ ante erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio:

8. Per quem omnis natio transivit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia (*d*) & monstra.

9. Tamquam enim equi depaverunt escam, & tamquam agni exultaverunt, magnificantes te Domine, qui liberasti illos.

10. Memores enim erant adhuc eorum, quæ in incolatu illorum facta fuerant, quemadmodum pro natione (*e*) animalium eduxit terra muscas, & pro piscibus eructavit fluvius multitudinem ranarum.

11. * Novissime autem viderunt novam creaturam avium, cum adducti concupiscentia postulaverunt escas epulationis. *Exod. 16. 13. Num. 11. 31. Sup. 16. 2.

12. In allocutione (*f*) enim desiderii, ascendit illis de mari ortygometra; & vexationes peccatoribus supervenerunt, non sine illis, quæ ante facta erant, argumentis per vim fulminum: juste enim patiebantur secundum suas nequitias.

13. Etenim detestabiliorem (*g*) inhospitalitatem instituerunt: alii quidem ignotos non recipiebant advenas, alii autem bonos hospites in servitutem redigebant.

14. Et non solum hæc, sed & alius quidam respectus (*h*) illorum erat: quoniam inviti recipiebant extraneos.

15. Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eisdem usi erant justitiis, sævissimis afflixerunt doloribus (*i*).

16. Percussi sunt autem cæcitate (*k*): sicut * illi in foribus justi, cum subitaneis cooperti essent tenebris, unusquisque transitum ostii sui quærebat. *Gen. 19. 11.

17. In se enim elementa dum convertuntur (*l*), sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt: unde æstimari ex ipso visu certo potest.

18. Agrestia (*m*) enim in aquatica convertebantur: & quæcumque erant natantia, in terram transibant.

19. Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliviscebatur.

20. Flammæ contrario (*n*), corruptibilium animalium non vexaverunt carnes coambulantium, nec dissolvebant illam, quæ facile dissolvebatur sicut glacies, bonam escam. In omnibus enim magnificasti populum tuum Domine, & honorasti, & non despexisti, in omni tempore, & in omni loco assistens eis.

CAP. XIX. 3. & 4. (*a*) Cum Ægyptii permisissent, ut Hebræi abirent, aut *præmisissent*, eosque abeuntes honorifice deduxissent. *Necessitas*, Pœna scelerum inevitabilis. Gr. *Oblivionem injiciebat*, excæcabat animos, & præteritarum plagarum auferebat memoriam. *Punitio*. Gr. *Ut eam quæ tormentis (adhuc) deerat, adimplerent pœnam*. Necessitas illa erat tantum consequentiæ, id enim erat a Deo prævisum & prædictum, Exod. 9.

6. (*b*) Gr. *In suo genere*. *Refigurabatur*, Reformabatur: Omnis creatura ignis, aquæ, nubes, velut instauratæ & refectæ novas velut naturas induebant. Stabat aquarum moles, &c.

7. (*c*) Totis se castris diffundebat, ex Psalm. 104. *Germinans*, Gr. *Algosus*, Viridis herbæ ferax.

8. & 9. (*d*) Gr. *Admiranda prodigia*, sine conjunctione. *Equi*, Exultantes in pinguibus pascuis. *Depaverunt*, Gr. *Pascebant*.

10. (*e*) Nativitate, ortu, loco perfectorum animalium.

12. (*f*) In solatium: deest vox *desiderii* in Græco. *Vexationes*. Gr. *Supplicia*. Nova incipit sententia de Ægyptiorum ultione, quam fulminum & tonitruum fragor pervertit. *Argumentis*: Non sine prævijs signis.

13. (*g*) Gr. *Odium hospitalitatis*. Videtur comparare ultionem de Ægyptiis cum ultione sumpta de Sodomitis, qui per ignem, ut Ægyptii per aquam periverunt, ac fulmina illa, quorum meminit, quæque Ægyptios divinæ ultionis admonere debuissent, ad Sodomitas videntur pertinere. *Instituerunt*, Ægyptii. Quædam deesse videntur ad rerum seriem. Ægyptios comparat cum Sodomitis, atque illis deteriores fuisse Ægyptios, quod in notos & bene de se meritos desævirent.

14. (*h*) Alia ulciscendi caussa. Quod si Sodomorum cives pœnam gravem meruerunt ob duritiam in hospites ignotos, quanto Ægyptii majorem ob duritiam in notos & receptos meruerunt.

15. (*i*) Cum autem cum ingenti lætitia excepissent Hebræos, quos earumdem legum participes effecerant, gravibus postea oneribus eosdem oppresserunt.

16. (*k*) Mentis, ad exemplum Sodomitarum: vel densissimis tenebris. *Justi*, Ut Cives Sodomæ, Genes. 19.

17. (*l*) Ut aer dum fit obscurus e sereno. Quædam hoc loco exciderunt. *In organo*, est aliqua in textu labes. Sensus hic videtur: Quam facile in organo musico intentis remissisve fidibus, permanente sono, modulus soni inflectitur & mutatur; tam facile Deo varie velut digitis elementa pulsante, ab iisdem tam diversi effectus eliciuntur. *Potest*, Gr. *Quod quidem æstimari potest ex rebus gestis*: ex inspectu eorum, quæ facta sunt. Ita fere Meldensis Episcopus. Vel cum Gandav. Ut in musico instrumento sonus ex variatione modulationis aliud atque aliud nomen sortitur, ita etiam elementa ad Dei voluntatem aliam & aliam habent naturam & conditionem ex diversa ipsorum inter se conjunctione. Cum enim oratio sit imperfecta (supplenda videtur pars altera similitudinis) quod æstimari potest ex rerum actarum consideratione.

18. (*m*) Gr. *Terrestria*: Loquitur de jumentis Hebræorum per mare transeuntibus. *Natantia*. Gr. *Nare solita*: Ranæ fluvium egressæ Ægyptiorum domos intrabant.

20. (*n*) Non dissolvebant nivem, aut glaciem cognatæ naturæ cum manna, quod exiguo solis radio tabescerent.

ECCLESIASTICUS

JESU FILII SIRACH.

ECCLESIASTICI *Liber a Græcis* Sapientia Jesu filii Sirach *inscribitur*; Ecclesiasticus *a Latinis*, *voce a concione ducta*. *Auctoris nepos hunc Librum ex Hebræo in Græcum transtulit: nomen ejus cap.* 50. *v.* 29. *his verbis exprimitur*: Doctrinam sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Sirach Jerosolymita.

Quo tempore scriptus fuerit hic Liber, hinc conjicere possumus, quod in eodem capite Simonem suo avo propiorem inter Illustres Viros laudibus concelebret. Is erat Oniæ II. filius, & Pontifex maximus; multis quoque in locis gravem Judæorum vexationem a gentibus & regibus illatam commemorat. Duo autem extiterunt Pontifices Simonis nomine, unus qui Oniæ I. filius, & Oniæ II. Pater fuit, alter Oniæ II. filius, & Oniæ III. Pater Machabæorum temporibus illustris. Prioris Oniæ temporibus res Judæorum tranquillæ fuerunt, neque in eam ætatem referri possunt, quæ cap. 36. *hujus Libri continentur; quæque Auctor de se commemorat cap.* 34. *Oniæ III. ætati hæc conveniunt sub Antiocho Epiphane, circa initium persecutionis. Nondum enim interemptum fuisse Oniam Tertium cum hæc scriberet, hinc suspicari licet, quod ejus memoriam inter illustres Viros silentio non præteriisset.*

Interpretatio Libri in Ægypto facta est, seu anno 38. *Ptolemæi Evergetis, seu anno* 38. *ætatis ejus qui hunc Librum est interpretatus. Duo fuerunt hujus cognominis Ptolemæi, posterior qui & Physcon, quique sibi addidit Evergetæ cognomen, quod ex inscriptione numismatum colligitur.*

Auctor hujus Libri persecutionis temporibus varias in Provincias se recepit, ac tandem in Ægypto consedit, ubi mitioribus principibus Judæi utebantur; atque hunc Librum Hebraico sermone conscripsit, quem non satis notum, quod Lingua Græca apud Judæos tum vigeret, nepos ejus Græce reddidit: Textus Hebraicus paullatim obsolevit. Eum tamen a se visum testatur Hieron. Epist. 115. *Quis eum Latine reddiderit ignotum est. Latina versio, qualis apud nos est, a Græco hodierno non parum discrepat. In multis simplicior est textus Græcus. Flaminii Nobilii versio a Sixto V. commendatur, & alia quævis prohibetur. Universæ morum disciplinæ præcepta ad certa capita revocat; atque id agit Auctor, ut gentis suæ calamitatem deprecetur; legitimos ritus & sacerdotii jura commendat. Origenes lib.* 6. *contra Celsum, Aug. passim, Cassianus coll.* 12. *hoc Libro in asserendis fidei dogmatibus utuntur. Quin & ipse Siracides ut prophetico spiritu afflatus cap.* 39. *passim ita loquitur, ut ii qui in se Deum sentiunt.*



PROLOGUS.

MUltorum nobis (*a*), & magnorum, per legem & prophetas, aliosque qui secuti sunt illos, sapientia demonstrata est: in quibus oportet laudare Israel doctrinæ & sapientiæ caussa: quia non solum ipsos loquentes necesse est esse peritos, sed etiam extraneos posse & dicentes & scribentes doctissimos fieri. Avus meus Jesus, postquam se amplius dedit ad diligentiam lectionis legis & prophetarum, & aliorum librorum, qui nobis a parentibus nostris traditi sunt, voluit & ipse scribere aliquid horum, quæ ad doctrinam & sapientiam pertinent; ut desiderantes discere, & illorum periti facti, magis magisque attendant animo, & confirmentur ad legitimam vitam. Hortor itaque venire vos cum benevolentia, & atten-

(*a*) Textus Græcus planior est: *Cum multa nobis & magna per Legem, & Prophetas, & alios qui illos secuti sunt, data sint. Ipsos loquentes*: Gr. *Legentes*. *Et veniam habere*, veniam dare. *Compositione*, Sententiis inhærentes, in verborum compositione nonnunquam defecisse. *Hebraica*, Non eamdem vim habent. *Prophetæ*, Ergo facti Libri jam in Græcam Linguam erant conversi, saltem magna ex parte. *Evergetis*, Secundi hujus nominis, qui posterior fuit Epiphane. *Relictos*, Gr. *Inveni non modicæ eruditionis exemplar*. *Vitam agere*, Gr. *Iis qui peregre agentes discere aliquid volunt*: id est, Quibus non est interna Librorum copia, hoc velut magnorum Librorum compendio utantur, ait Grotius.

& attentiori ſtudio lectionem facere, & veniam habere in illis, in quibus videmur, ſequentes imaginem ſapientiæ, deficere in verborum compoſitione. Nam deficiunt verba Hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam. Non autem ſolum hæc, ſed & ipſa lex, & prophetæ, ceteraque aliorum librorum, non parvam habent differentiam, quando inter ſe dicuntur. Nam in octavo & trigeſimo anno temporibus Ptolemæi Evergetis regis, poſtquam perveni in Ægyptum, & cum multum temporis ibi fuiſſem, inveni ibi libros relictos, non parvæ, neque contemnendæ doctrinæ. Itaque bonum & neceſſarium putavi & ipſe aliquam addere diligentiam & laborem interpretandi librum iſtum: & multa vigilia attuli doctrinam in ſpatio temporis, ad illa quæ ad finem ducunt, librum iſtum dare, & illis qui volunt animum intendere, & diſcere quemadmodum oporteat inſtituere mores, qui ſecundum legem Domini propoſuerint vitam agere.

CAPUT PRIMUM.

Origo ſapientiæ, dignitas ejus; cum Dei timore & amore conjuncta eſt.

1 Reg. 3. 9. & 4. 29. 1. OMNIS ſapientia a Domino Deo eſt (a), & cum illo fuit ſemper, & eſt ante ævum.

2. Arenam maris, & pluviæ guttas, & dies ſæculi quis dinumeravit? Altitudinem cæli, & latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt?

3. Sapientiam Dei præcedentem omnia quis inveſtigavit?

4. Prior omnium (b) creata eſt ſapientia, & intellectus prudentiæ ab ævo.

5. Fons ſapientiæ (c) verbum Dei in excelſis, & ingreſſus illius mandata æterna.

6. Radix ſapientiæ cui revelata eſt, & aſtutias illius quis (d) agnovit?

7. Diſciplina ſapientiæ cui revelata eſt, & manifeſtata? & multiplicationem ingreſſus illius quis intellexit?

8. Unus eſt altiſſimus Creator omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis ſedens ſuper thronum (e) illius, & dominans Deus.

9. Ipſe creavit illam in (f) Spiritu ſancto, & vidit, & dinumeravit, & menſus eſt.

10. Et effudit illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem (g) ſecundum datum ſuum, & præbuit illam diligentibus ſe.

11. Timor Domini gloria, & gloriatio, & (h) lætitia, & corona exultationis.

12. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum.

13. Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ (i) benedicetur.

14. Dilectio Dei honorabilis ſapientia.

15. Quibus autem apparuerit in viſu, diligunt eam in viſione, & in agnitione magnalium ſuorum.

16. * Initium ſapientiæ, timor Domini, & * Pſal. 110. 10.
cum fidelibus in vulva concreatus eſt, cum Prov. 1. 7.
electis feminis (k) graditur, & cum juſtis, & 9. 10.
& fidelibus agnoſcitur.

17. Timor Domini, ſcientiæ (l) religioſitas.

18. Religioſitas cuſtodiet & juſtificabit cor, jucunditatem atque gaudium dabit.

19. Timenti Dominum bene erit, & in diebus conſummationis illius benedicetur.

20. Plenitudo ſapientiæ eſt timere Deum, & plenitudo a fructibus illius.

21. Omnem domum illius implebit a generationibus, & receptacula a theſauris illius (m).

22. Corona ſapientiæ, timor Domini (n), replens pacem, & ſalutis fructum:

23. Et vidit, & dinumeravit (o) eam: utraque autem ſunt dona Dei.

24. Scien-

CAPUT I. 1. (a) Quæ huic ſapientiæ tribuuntur, partim increatæ, ut quod fuerit ab omni ævo, fuit ab æterno partim creatæ conveniunt, ut quod timor Domini ſit initium ſapientiæ. Itaque ſapientia hoc loco, ubi in Libro Sapientiæ, ſumitur generatim, ut Deo conveniat infinite, hominibus pro modo cujuſque.

4. (b) Genita, conſtituta, ordinata, quæ tria voce Græca ſignificat. Deinde ſapientia creata eſt in cordibus hominum, & ſuper omnia Dei opera effuſa eſt. *Prudentiæ*, Prudens intelligentia. *Ab ævo*, Ab æterno; vel ab ævo ſe operum prodidit. Non aliud auctori eſt propoſitum, quam ſapientiam ab æterno per ſe extitiſſe, & per eam cuncta fuiſſe condita, non temere & fortuito, ſed juxta rationes in mente divina conceptas.

5. (c) Sapientiæ Dei fons eſt illius quæ in nos effuſa eſt. *Ingreſſus*, Via ad ſapientiam ſunt mandata in æternum duratura; obſervatio mandatorum aditum præbet ad ſapientiam.

6. (d) Arcana ejus conſilia. Nemo ſapientiæ originem, & rationes perfecte cognoſcit, quia radix ſapientiæ eſt Deus ipſe: Ac primæva illa ſapientia eſt imperſcrutabilis.

8. (e) Super thronum ſuum. Interpres ſæpe utitur pronomine non reciproco, pro reciproco, & viciſſim.

9. (f) Per Spiritum Sanctum, quo vera ſapientia in nobis creatur. *Creavit*, Poſſedit, ut Proverb. 8. Verba illa *In Spiritu Sancto*, non ſunt in Græco, ſed tantum, *Ipſe creavit eam, & vidit, & dinumeravit eam*. Loquitur de ſapientia Dei, qua omnia creata ſunt, tamquam de idea architecti, quam in mente gerit, & in qua perſpicit eorum quæ facienda ſunt, rationes omnes, numerum & menſuram.

10. (g) Prout cuique eam Deus communicare voluit, *effudit*: Nam in rebus omnibus elucet.

11. (h) Non triſtitiam, ſed lætitiam creat ex teſtimonio bonæ conſcientiæ.

13. & 14. (i) *Benedicetur*, Pax illum ſequetur. Hic & ſequens verſiculus deſunt in Græco. Senius eſt, in dilectione Dei poſitam eſſe ſapientiam, eamque mox diligi, cum cognoſcitur, & ſe videndam exhibet.

16. (k) Græce, *Et cum hominibus fundamentum ſæculi*: Vitæ humanæ ſuſtentaculum.

17. (l) Efficit ſcientiam ſanctam & religioſam, non ſterilem & profanam.

21. (m) A fructibus, quos ſapientia procreat. *Et receptacula*, Cellas, horrea, Gr. *Omnem domum implet rebus pretioſis ſuis, & omnes apothecas ſuis fructibus*.

22. (n) Gr. *Germinans pacem*. *Et ſalutis*, Incolumitatis.

23. (o) Pacem & incolumitatem ſuo numero & menſura tribuit: opera & rationes ſapientiæ dinumerat ex parte illius qui timet Deum.

24. Scientiam & intellectum prudentiæ sapientia (*p*) compartietur, & gloriam tenentium se, exaltat.

25. Radix sapientiæ est timere Dominum: & rami illius (*q*) longævi.

26. In thesauris sapientiæ intellectus, & scientiæ religiositas: exsecratio autem peccatoribus sapientia.

27. Timor Domini expellit peccatum:

28. Nam qui sine timore est, non poterit justificari: iracundia (*r*) enim animositatis illius, subversio illius est.

29. Usque in tempus sustinebit (*s*) patiens, & postea redditio jucunditatis.

30. Bonus sensus usque in tempus abscondet verba (*t*) illius, & labia multorum enarrabunt sensum illius.

31. In thesauris sapientiæ (*u*) significatio disciplinæ:

32. Exsecratio autem peccatori, cultura Dei:

33. Fili concupiscens sapientiam, conserva justitiam, & Deus præbebit illam tibi.

34. Sapientia enim & disciplina timor Domini: & quod beneplacitum est illi,

35. Fides, & mansuetudo, & adimplebit thesauros (*x*) illius.

36. Ne sis incredibilis (*y*) timori Domini: & ne accesseris ad illum duplici corde.

37. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non (*z*) scandalizeris in labiis tuis.

38. Attende in illis, ne forte (*aa*) cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem,

39. Et revelet Deus absconsa tua, & in medio synagogæ elidat te:

40. Quoniam accessisti (*bb*) maligne ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo & fallacia.

CAPUT II.

Ad patientiam nos adhortatur, & constantiam in tentationibus & probationibus; timorem Dei & fiduciam in eum cum humilitate conjunctam commendat.

Matth. 4. 1. 2. Tim. 3. 12. 1. FIli accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & (*a*) præpara animam tuam ad tentationem.

2. Deprime (*b*) cor tuum, & sustine: inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus: & ne festines in tempore obductionis.

3. Sustine sustentationes (*c*) Dei: conjungere Deo, & sustine, ut crescat in novissimo vita tua.

4. Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe: & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe:

5. * Quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines vero (*d*) receptibiles in camino humiliationis. * Sap. 3. 6.

6. Crede Deo, & recuperabit te: & dirige viam tuam, & spera in illum.

Serva timorem illius, & in illo veterasce.

7. Metuentes Dominum sustinete misericordiam ejus: & non deflectatis ab illo ne cadatis.

8. Qui timetis Dominum, credite illi: & non evacuabitur merces vestra:

9. Qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia.

10. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.

11. Respicite filii nationes hominum: & scitote quia nullus speravit in Domino, & confusus est.

12. * Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est? aut quis invocavit eum, & despexit illum? * Ps. 30. 2.

13. Quoniam pius & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata: & protector est omnibus exquirentibus se in veritate.

14. Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori * terram ingredienti (*e*) duabus viis. * 3. Reg. 18. 21.

15. Væ dissolutis corde, qui (*f*) non credunt Deo: & ideo non protegentur ab eo.

16. Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas.

17. Et quid facient, cum inspicere cœperit Dominus.

18. Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius: * & qui diligunt illum, conservabunt viam illius. * Joann. 14. 23.

19. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei: & qui diligunt eum (*g*), replebuntur lege ipsius.

20. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.

21. Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, & patientiam habebunt usque ad inspectionem (*h*) illius,

22. Di-

24 (*p*) Gr. *Effudit in imbris morem*. *Tenentium se*, Gr. *Ipsam possidentium*: Scientia est cognitio credendorum, intellectus prudentiæ cognitio agendorum.

25 (*q*) Gr. *Longævitas*: Dat enim longitudinem dierum. *Rel·.iolitas*, Religiosa scientia.

28 (*r*) Juste vivere: Nam proclivitas ejus ad iram est in caussa cur in multa incidat peccata.

29 (*s*) Vir lenis ad tempus perferet injurias, sed postea gaudebit.

30. (*t*) *Verba sua*: Unde multi hominis tacirl sensa ultro laudabunt, nec excusatione egebit.

31. (*u*) Ex eo thesauro erumpit scientia: Gr. *Parabolæ eruditæ*; Multa scite dicta.

35 (*x*) Per fidem Deo, per mansuetudinem nos hominibus subjicimus. Quæ sequuntur: *Adimplebit*, &c. desunt in Græco: fides, seu fidelitas ad justitiam exhibendam pertinet, mansuetudo ad misericordiam miseris præstandam.

36 (*y*) Incredulus: Gr. *Ne timori Dei sis inobsequens*.

37. (*z*) Mentiendo, & sanctitatem simulando. Gr. *Et in labia tua intende*.

38. & 39 (*aa*) Gr. Noli *attollere te ne cadas*. *Et revelet*. Occulta tua flagitia.

40. (*bb*) Per occultam, sed tibi notam hypocrisim; cum speciem exteriorem Deo, interiora tibi, & mundo dederis.

CAP. II.

1. (*a*) Fam præsertim quæ in doloribus & calumniis perferendis posita est.

2 (*b*) Ne impatienti & præcipiti sis animo, in tempore oppressionis, seu illatæ calamitatis.

3. (*c*) Tribulationes a Deo immissas: vel expectationes Dei, seu auxilium ejus. *Connanzere*, Ne discedas a Deo.

5. & 6. (*d*) Alii legunt *acceptabiles*, Deo grati. *Recuperabit te*, Gr. *Suscipiet te*, Curam tui geret. *Et veterasce*, Senescas in timore ejus.

14. (*e*) Secundum Deum in speciem, secundum sæculum reipsa: Vox *terram*: in Græco deest.

15. (*f*) Fides generosos facit, diffidentia timidos. Væ remissis & tepidis, qui Deo plane non confidunt. Pater injuriam sibi a filio fieri putat, cum ipsi non credit.

19. & 20 (*g*) Cognitione, & amore legis. *Sanctificabunt*, Gr. *Et coram illo demittent animas suas*.

21. & 22. (*h*) Donec ipse a malis eos liberet. *Secundum*, Gr. *Sicut enim magnitudo ejus, sic & misericordia ejus*. Non minor est misericordia ejus, ut in eum speremus, quam majestas ejus, ob quam metuendus est & colendus.

22. Dicentes: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.

23. Secundum enim magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius cum ipso est.

CAPUT III.

Honor parentibus debetur, & reverentia. Curiositas reprimenda; cavenda sunt pericula.

1. FIlii sapientiæ (*a*), ecclesia justorum: & natio illorum, obedientia & dilectio.

2. Judicium patris audite filii, & sic facite ut salvi sitis.

3. Deus enim honoravit patrem in filiis: & judicium matris exquirens, firmavit in filios.

4. Qui diligit Deum (*b*), exorabit pro peccatis: & continebit se ab illis, & in oratione dierum exaudietur.

5. Et sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam.

6. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur.

7. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore: & qui obedit patri, refrigerabit matrem.

8. Qui timet Dominum honorat parentes, & quasi dominis serviet his, qui se genuerunt.

* Exod. 20. 12. Deut. 5. 16. Matth. 15. 4. Marc. 7. 10. Ephes. 6. 2. 9. * In opere & sermone, & omni patientia honora patrem tuum,

10. Ut superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in novissimo maneat.

* Gen. 27. 27 & 49. 2. 11. * Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.

12. Ne glorieris in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria, ejus confusio.

13. Gloria enim hominis ex honore patris sui, & dedecus filii pater sine honore.

14. Filii suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius:

15. Et si defecerit sensu, veniam da, & ne (*c*) spernas eum in virtute tua: eleemosyna enim patris non erit in oblivione.

16. Nam pro peccato (*d*) matris restituetur tibi bonum,

17. Et in justitia ædificabitur (*e*) tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui: & sicut in sereno glacies, solventur peccata tua.

18. Quam malæ famæ est, qui derelinquit patrem: & est maledictus a Deo, qui exasperat matrem.

19. Fili in mansuetudine opera tua perfice (*f*), & super hominum gloriam diligeris.

20. * Quanto magnus es, humilia te (*g*) in omnibus, & coram Deo invenies gratiam: * Philip. 3.

21. Quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.

22. * Altiora te (*h*) ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. * Prov. 25. 27.

23. Non est enim tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.

24. In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in plutibus operibus ejus non eris curiosus.

25. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi.

26. Multos quoque (*i*) supplantavit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum.

27. Cor durum habebit male (*k*) in novissimo: & qui amat periculum, in illo peribit.

28. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus, & pravus corde in illis scandalizabitur.

29. Cor (*l*) nequam gravabitur in doloribus, & peccator adjiciet ad peccandum.

30. Synagogæ superborum non erit sanitas: frutex enim peccati radicabitur in illis, & non intelligetur.

31. Cor sapientis intelligitur (*m*) in sapientia, & auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam.

32. Sapiens cor, & intelligibile abstinebit se a peccatis, & in operibus justitiæ successus habebit.

33. * Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis: * Dan. 4. 24.

34. Et Deus prospector est ejus qui reddit gratiam: meminit ejus in posterum, & in tempore casus sui inveniet firmamentum.

CA-

CAP. III. 1. (*a*) Qui sapientiæ student. *Ecclesia*, Cœtus est justorum. Natio, Generatio & fructus quasi proseminati videntur ea obedientia & dilectione. Hæc sententia deest in Græco, ac forte addita est tamquam proœmium his quæ mox subjiciuntur: ad honorem parentibus exhibendum accommodatur.

4. (*b*) Gr. *Qui patrem honorat, expiat peccata*: sæpe uni virtuti tribuuntur effectus, qui ei non soli, sed omnia conveniunt.

15. (*c*) Quantum potes da operam ne eum inhonestes. *Eleemosyna*, Pietas & misericordia patri exhibita: *Eleemosyna* dicitur pro beneficentia.

16. (*d*) Tolerato; morositate, jurgiis; Pro injuria quam a matre patienter tuleris, *restituetur tibi bonum*: Pro peccatis tuis restituetur tibi beneficium, quod in matrem contulisti.

17. (*e*) Domus tua stabilietur. *Commemorabitur tui*, Gr. *Memoria tui erit*, nimirum apud Deum.

19. (*f*) Explicatis erga Deum & parentes officiis, nunc quæ ad modestiam pertinent prosequitur.

20. (*g*) Non te serviliter subjiciendo, sed infirmitatem propriam agnoscendo.

22. (*h*) Quæ providentia tegere voluit, ne curiose scruteris. Non prohibet indagationem operum Dei; nam Propheta in iis sese exercebat, ut Psalm. 76. *Meditabor in omnibus operibus tuis*: sed curiositatem in iis quæ captum nostrum superant, aut quæ nullius sunt usus, nec sunt professionis nostræ, vetat omnino.

26. (*i*) Gr. *Implanavit*, Decepit. *Illorum*, Conjecturæ de rebus maximis. Gr. *Vana de semetipso præsumptio*. *Detinuit*, Gr. *Conjectura prava eorum mentem corrupit*.

27. & 28. (*k*) Illud est, quod nulla re, quæ ad salutem suam confert, nec timore Dei, nec conscientiæ stimulis movetur. *Peribit*, Qui de rebus sibi ignotis audacter pronuntiat. *Scandalizabitur*, Offendet, corruet.

29. & 30. (*l*) Gr. *Durum*, Obstinatum in malo. *Sanitas*, Cætus superborum difficile sanatur: Gr. *Sanatio*. *Radicabitur*, Altas aget radices. *Non intelligetur*, Non advertitur, postquam pravum habitum contraximus. Græce vox *synagoga* non occurrit, sed ἐπαγωγή, quæ punitionem in hoc libro sæpe significat. Sensus erit, In punitione superborum non erit sanitas, superbi nolunt audire salutaria monita; vitæ eorum eradicabuntur, ita ut restitui vix possint.

31. (*m*) Gr. *Cogitabit parabolam*, seu similitudines, quibus obvelata veritas fit suavior. *Audiet*, Gr. *Et auris auditoris desiderium sapientis*, Qui dociles & attentos cupit auditores.

CAPUT IV.

Subveniendum pauperibus; certandum pro justitia; lingua praeceps, & oppressio subditorum.

Tob. 4. 7. 1. FIli eleemosynam pauperis ne (*a*) defraudes, & oculos tuos ne transvertas a paupere.

2. Animam esurientem ne (*b*) despexeris: & non exasperes pauperem in inopia sua.

3. Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum (*c*) angustianti.

4. Rogationem contribulati ne abjicias: & non avertas faciem tuam ab egeno.

5. Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram: & non relinquas quaerentibus tibi retro maledicere:

6. Maledicentis enim tibi in amaritudine animae, exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum, qui fecit illum:

7. Congregationi pauperum affabilem te facito, & presbytero humilia animam tuam, & magnato humilia caput tuum.

8. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum, & responde illi pacifica in mansuetudine.

9. Libera eum, qui injuriam patitur (*d*) de manu superbi: & non acide feras in anima tua.

10. In judicando esto pupillis misericors ut pater, & pro viro matri illorum:

11. Et eris tu velut filius (*e*) Altissimi obediens, & miserebitur tui magis quam mater.

12. Sapientia filiis suis vitam inspirat, & suscipit inquirentes se, & praeibit in via justitiae.

13. Et qui illam diligit, diligit vitam: & qui vigilaverint ad illam (*f*), complectentur placorem ejus.

14. Qui tenuerint illam, vitam (*g*) haereditabunt: & quo introibit, benedicet Deus.

15. Qui serviunt ei, obsequentes erunt sancto: & eos, qui diligunt illam, diligit Deus.

16. Qui audit illam, judicabit Gentes: & qui intuetur illam, permanebit confidens (*h*).

17. Si crediderit ei, haereditabit illam, & erunt in confirmatione creaturae illius.

18. Quoniam in tentatione ambulat (*i*) cum eo, & in primis eligit eum.

19. Timorem & metum, & probationem inducet super illum: & cruciabit illum in tribulatione doctrinae suae, donec tentet eum in cogitationibus suis, & credat animae illius.

20. Et firmabit (*k*) illum, & iter adducet directum ad illum, & laetificabit illum.

21. Et denudabit absconsa sua illi, & thesaurizabit super illum scientiam & intellectum justitiae.

22. Si autem (*l*) aberraverit, derelinquet eum, & tradet eum in manus inimici sui.

23. Fili conserva (*m*) tempus, & devita a malo.

24. Pro anima tua (*n*) ne confundaris dicere verum.

25. Est enim confusio (*o*) adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.

26. Ne accipias faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium.

27. Ne reverearis proximum tuum in (*p*) casu suo:

28. Nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore suo.

29. In lingua enim sapientia dignoscitur: & sensus, & scientia, & doctrina in verbo sensati, & firmamentum in operibus (*q*) justitiae.

30. Non contradicas verbo veritatis ullo modo, & de mendacio ineruditionis tuae confundere.

31. Non confundaris confiteri peccata tua, & ne subjicias te omni homini (*r*) pro peccato.

32. Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii.

33. Pro justitia (*s*) agonizare pro anima tua & usque ad mortem certa pro justitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.

34. Noli citatus esse (*t*) in lingua tua: & inutilis & remissus in operibus tuis.

35. Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos (*u*), & opprimens subjectos tibi.

36. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.

CA-

CAP. IV. 1. (*a*) Sequuntur admonitiones de operibus misericordiae. *A paupere*, Gr. *Et ne protrahas oculos egenos*: Ne in longum ducas, ne egentes expectare facias.

2. (*b*) Si minus pauperem sublevas, saltem ne contemnas in miseria constitutum.

3. (*c*) Dicitur datum angustianti, quod ei debeatur lege charitatis.

9. (*d*) De manu superbi injuriam inferentis. *Acide*, Acerbe. Non aegre feras, ob molestiam.

11. & 12. (*e*) Vera pietas, nobilitas, & fortitudo hoc charactere dignoscuntur, benefaciendi voluntate. *Praeibit*, Sapientia quasi facem praeferens.

13. (*f*) Assequentur. *Placorem*, Tranquillitatem ejus, suavitatem: Graec. *Implebuntur gaudio*.

14. & 15. (*g*) Quocumque introierit, Deus illi benedicet. *Serviunt*, Graec. *Qui sapientiam colunt*, erunt velut sacrorum ministri. *Obsequentes*, Aut Deo, aut Sanctuario.

16. & 17. (*h*) Securus habitabit. *Illius*, Ipsa ejus soboles consistet firmius: Graec. *Et in possessione*, sapientiae nimirum, *erunt generationes ipsorum*: Quasi jure haereditario eam possidebunt.

18. (*i*) Graec. *Oblique*, Dure: Sapientia in ipso initio. *In primis*. Velut incerto pede ambulat cum amatore suo; illius fidem probat, non statim illi se credit: deinde eum per confragosa ducit, per varias tribulationes probat, tum arcana sua ei credit. Charitas semper incerta est, dum patientiae sigillo firmetur.

20. (*k*) Probatum variis tentationibus sapientia firmabit; recta ad illum veniet, quae prius in tentatione ambulavit cum eo, aperiet illi abscondita sua & mysteria. *Directum*, Gr. *Et rursus redibit recta ad illum*: Sapientiae arcanis denudatis, viam magis expeditam reddet sublatis difficultatibus.

22. (*l*) Si deflexerit ab ipsa. *Inimici*, Graec. *Ruinae suae*, Hebraismus, Omni ope destituet: deseret desertorem.

23. (*m*) Observa temporis opportunitatem, ut alios doceas, ne a recto devient.

24. (*n*) Ne veritatem erubescas: vel propter conscientiam tuam, ne veritatem laedas: ne confundaris dicere veritatem, praesertim in negotio fidei & religionis.

25. & 26. (*o*) Graec. *Pudor*; alius est noxius, alius utilis. *Faciem*, Personam: Vox Graeca utrumque significat: vel noli judicare secundum speciem exteriorem.

27. (*p*) Graec. *In casum tuum*; Ne timor, aut pudor impediat, quominus eum arguas, ubi ceciderit; aut demum noli imitari eum in cadendo.

29. (*q*) Persuasio sapientiae per opera justitiae fit a docente: aut opera justitiae sunt sapientiae firmae probationes.

31. (*r*) Ita confitearis peccata tua, ut non cuivis homini, sed sapienti medicanda committas.

33. (*s*) Velut in agone certa: Graec. *Pro veritate decerta ad mortem usque*

34. (*t*) Praeceps in lingua, in operibus tuis cessator; quod saepe evenit. Sapientis est minus promittere; quam petat aliquis: & plus efficere, quam speret.

35. & 36. (*u*) Graec. *Et suspicax adversus famulos suos*: Arreptitius, seu furens in domesticos tuos. *Collecta*, Graec. Contracta.

CAPUT V.

Divitiis non fidendum; metus justus & prudens; peccatum statim expiandum; susurrones & bilingues fugiendi.

1. NOli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris: est mihi sufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vindictæ & obductionis.

2. Ne sequaris in fortitudine tua (*a*) concupiscentiam cordis tui:

3. Et ne dixeris: Quomodo potui? aut quis me subjiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit.

4. Ne dixeris: Peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.

5. De propitiato peccato (*b*) noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum.

6. Et ne dicas: Miseratio Domini (*c*) magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.

* Prov. 10. 6. 7. * Misericordia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius.

8. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.

9. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.

* Prov. 11. 4. 28. 10. * Noli (*d*) anxius esse in divitiis injustis: non enim proderunt tibi in die obductionis & vindictæ.

11. Non ventiles (*e*) te in omnem ventum, & non eas in omnem viam: sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua.

12. Esto firmus (*f*) in via Domini, & in veritate sensus tui & scientia, & prosequatur te verbum pacis & justitiæ.

13. Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas: & cum sapientia proferas responsum (*g*) verum.

14. Si est tibi intellectus, responde proximo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris.

15. Honor & gloria in sermone sensati, lingua vero imprudentis subversio est ipsius.

16. Non appelleris susurro, & lingua tua ne capiaris, & confundaris.

17. Super furem enim est confusio & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.

18. Justifica pusillum, & magnum (*h*) similiter.

CAPUT VI.

Veræ amicitiæ leges; magno studio prosequenda sapientia; audiendi senes & colendi.

1. NOli fieri pro amico inimicus (*a*) proximo: improperium enim & contumeliam malus hæreditabit, & omnis peccator invidus & bilinguis.

2. * Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus: ne forte elidatur (*b*) virtus tua per stultitiam, * Rom. 12. 16.

3. Et folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum (*c*) aridum in eremo.

4. Anima enim nequam disperdet qui se habet, & in gaudium inimicis dat illum, & deducet (*d*) in sortem impiorum.

5. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos: & lingua eucharis in bono homine abundat.

6. Multi pacifici (*e*) sint tibi, & consiliarius sit tibi unus de mille.

7. Si possides amicum, in tentatione (*f*) posside eum, & ne facile credas ei.

8. Est enim amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.

9. Et est amicus qui convertitur ad inimicitiam: & est amicus qui odium & rixam & convicia denudabit.

10. Est autem amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.

11. Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi (*g*) coæqualis, & in domesticis tuis fiducialiter aget:

12. Si humiliaverit (*h*) se contra te, & à facie tua absconderit se, unanimem habebis amicitiam bonam.

13. Ab inimicis tuis (*i*) separare, & ab amicis tuis attende.

14. Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum.

15. Ami-

CAP. V. 2. (*a*) Ne viribus tuis confisus sequaris concupiscentiam; noli putare tantum tibi licere, quantum potes.

5. (*b*) Hoc enim vulnus est, quod sequitur infirmitas; vel noli esse securus de obtenta peccatorum remissione, sed metuas adhuc.

6. (*c*) Hoc loco in peccatis perseverantes, & de misericordia Dei confidentes terret, ut justitiam Dei considerent: non prohibet ominus id dicamus, sed ne ex securitate & præsumptione peccati remissi id dicamus, aut sentiamus.

10. (*d*) Noli confidere in divitiis, ex Græco.

11. (*e*) Noli omnium sic captare gratiam, ut ad eos dicta factaque tua accommodes.

12. (*f*) Quæ est recta fides & justa operatio. *Sensus tui*, in vera sententia animi, & scientia, & judicii firmitate: Sint verba tua pacifica, vera, justa.

13. (*g*) Gr. *Esto velox ad audiendum, tardus ad respondendum.*

18. (*h*) Æquo utrumque judicio: Græc. *In magno & parvo ne te ignores*: Ne te in negotiis minima quæque fugiant: vel fama cujusque, sive magni, sive parvi, tibi sit inviolabilis; ne potentem laudes, pauperem carpas.

CAP. VI. 1. (*a*) Occulte detrahendo: ex amico noli fieri inimicus. *Bilinguis*, supple, possidebit malum: Græc. *Infamiam feret*.

2. (*b*) Ne forte animus tuus præfractus & contumax elidatur & frangatur.

3. (*c*) Præ stulta superbia, ne decorem simul & rem amittas; ex similitudine formosæ arboris idem docet, cujus folia, fructus, & corticem hoc pecoris genus abradit.

4. & 5. (*d*) Hæc verba desunt in Græco, sed sententiam ipsam exponunt. Est sors impiorum æterna miseria, in quam anima nequam possessorem suum deducit. *Eucharis*, Comiter loquens: *Abundat* Bonus abundat verbis mitibus: Græc. *Multiplicabit bonas salutationes*, fausta apprecantes.

6. (*e*) Græc. *In pace viventes*, *De mille*, Cui tua secreta & animæ intima credas. Hanc sententiam Hebræi tribuunt Ben-Siræ, qui forte ipse est Jesus filius Sirach.

7. (*f*) Nonnisi probatum: Est enim amicus ob rem suam; est itidem iracundus & perfidus, qui ex amico fit inimicus. *Credas ei*, Nisi explorato.

11. (*g*) Græc. *Et in bonis tuis erit quasi tu*. *Fiducialiter*, Et in domesticos tuos libertate utetur.

12. (*h*) Græc. *Si humiliatus fuerit*, Dejectus. *Contra te*. Recedet à te, aut nocebit tibi, aut fugiet conspectum tuum. *Unanimem*, alia est & separata sententia; Vera amicitia est unanimis, idem velle & nolle.

13. (*i*) Non affectu, sed convictu, ne te prodant. *Attende*, Ne amittas eos, aut in fine cautione ne credas.

15. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.

16. Amicus fidelis, medicamentum vitæ (*k*) & immortalitatis: & qui metuunt Dominum, invenient illum.

17. Qui timet Deum, æque habebit amicitiam bonam: quoniam secundum illum erit amicus illius.

18. Fili a juventute tua excipe doctrinam, & usque ad canos invenies sapientiam.

19. Quasi is qui arat, & seminat, accede ad eam, & sustine bonos fructus illius.

20. In opere enim ipsius exiguum laborabis, & cito edes de (*l*) generationibus illius.

21. Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus, & non permanebit in illa (*m*) excors.

22. Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, & non demorabuntur projicere illam.

23. Sapientia enim doctrinæ (*n*) secundum nomen est ejus, & non est multis manifesta: quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei.

24. Audi fili, & accipe consilium (*o*) intellectus, & ne abjicias consilium meum.

25. Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum:

26. Subjice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis ejus.

27. In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tua conserva vias ejus.

28. Investiga illam, & manifestabitur tibi, & continens (*p*) factus ne derelinquas eam:

29. In novissimis enim invenies requiem in ea, & convertetur tibi in oblectationem.

30. Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ:

31. Decor (*q*) enim vitæ est in illa, & vincula illius alligatura salutaris.

32. Stolam gloriæ indues eam, & (*r*) coronam gratulationis superpones tibi.

33. Fili, si attenderis mihi, disces: & si accommodaveris animum tuum, sapiens eris.

34. Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam: & si dilexeris audire, sapiens eris.

35. * In multitudine presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, & proverbia laudis non effugiant a te. * Infr. 8.9.

36. Et si videris sensatum, evigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.

37. * Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maxime assiduus esto: & ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi. * Ps. 1. 2.

CAPUT VII.

Qua ratione nos gerere erga Deum, sacerdotes, parentes, filios, amicos, potentes, infirmos, oporteat.

1. NOli facere mala, & non te apprehendent.

2. Discede (*a*) ab iniquo, & deficient mala abs te.

3. Fili, non semines mala in sulcis injustitiæ, & non metes ea in septuplum.

4. Noli quærere a Domino (*b*) ducatum, neque a rege cathedram honoris.

5. * Non te justifices ante Deum, quoniam agnitor cordis ipse est: & penes regem noli (*c*) velle videri sapiens. * Job 9. 2. 20. Ps 142. 2. Eccles. 7. 17. Luc. 18. 11.

6. Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.

7. Non pecces (*d*) in multitudinem civitatis, nec te immittas in populum,

8. * Neque alliges duplicia (*e*) peccata: nec enim in uno eris immunis. * Inf. 12. 7.

9. Noli esse (*f*) pusillanimis in animo tuo:

10. Exorare, & facere eleemosynam ne despicias.

11. Ne dicas: In multitudine munerum meorum respiciet Deus, & offerente me Deo altissimo, munera mea suscipiet.

12. Non irrideas hominem in amaritudine animæ: * est enim qui humiliat & exaltat, circumspector Deus. * 1. Reg. 2. 7.

13. Noli (*g*) arare mendacium adversus fratrem tuum: neque in amicum similiter facias.

14. Noli

16. (*k*) Per pia monita & exempla.

20. (*l*) Vox Græca proventum significat, ut pro opere, operationem, seu culturam liceat interpretari, nam cœptam a colentibus terram similitudinem prosequitur.

21. & 22. (*m*) Cui honesta non sapiunt. *Virtus*, Græc. *Quasi lapis probationis fortis erit in illo*. *Projicere*. Erit insensato sapientia, quasi lapis gravis ei traditus ad explorandas vires, quem victus pondere statim projiciet; Zachar. 12. *Ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis*.

23. (*n*) Secundum famam suam talis est, qualis memoratur. Vox Hebræa, unde sapientiæ nomen ductum est, *occultare* significat. Nomen etiam pro genere interdum sumitur; sapientia est quid unicum in suo genere, ab aliis omnibus diversum, & inventu rarum.

24. 25. & 26. (*o*) Consilium prudens. *Torques*, Numella, qua servi fugitivi illigantur. *Ne acedieris*, Ne te vinculorum ejus tædeat.

28. & 30. (*p*) Græc. *Possessor factus*, & compos illius. Initia sapientiæ aspera in adomandis cupiditatibus, sed edomitis, omnia libertati & honori vertunt. *Et bases*, Robustos firmabunt pedes, ut basis columnam.

31. (*q*) Græc. *Decus enim aureum mundum*, seu ornatus. *Alligatura*, qualia infirmis sanandis adhiberi solet, non vinctis: Gr. *Vincula ejus vittæ hyacinthinæ*, cujusmodi nexum Israelitæ induere jubentur ad decorem. Num. 16. Ex illis enim dignoscebantur a gentibus; sic vocabatur id quod claudebat fimbrias.

32. & 35. (*r*) Corona quæ sumi solet in nuptiis. *Narrationem Dei*, Miraculorum historiam. *Proverbia*, Docta & scita, sententiæ prudentes.

CAP. VII.

2. & 3. (*a*) Discede ab iniquorum consortio. *Non semines*. Nec prava desideria, nec pravos habitus in corde ut in agro seras. Hebræi opera sementem vocant, messem præmia, aut pœnas.

4. (*b*) Principatum, ob pericula quibus subjacent in dignitate constituti, præsertim cum ad eam perveniunt, non alienæ, sed suæ utilitatis caussa.

5. & 6. (*c*) Quod ambitiosi faciunt sæpe cum suo dedecore, ubi dignitates ambiunt, quæ suscipi debent cum imponuntur, non ambiri. *Extimescas*, Gr. *Ne verearis faciem potentis*; Ne contra justitiam accedas ad sententiam ejus qui plus habet auctoritatis.

7. (*d*) Extrema devita, odium plebis pro arrogantia, & deforme obsequium.

8. (*e*) Tua scilicet, & aliena: Gr. Ne *alliges bis peccatum*. Iterando & assuescendo; vel privata peccata publicis cumulando.

9. & 10. (*f*) Gr. *In oratione tua*, parva a magno Deo poscendo; vel si peccasti, de venia desperando; saltem fortis esto, non temissus in amoliendis peccatis. Si peccaveris, noli ob id omnino esse pusillanimis, quasi desperans de venia, sed ora Deum cum fiducia, & ne negliga dare etiam eleemosynam.

13. (*g*) Ne calumnieris: arare mendacium hoc loco est machinari.

14. Noli velle mentiri omne (*h*) mendacium: assiduitas enim illius non est bona.

15. Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum, & non iteres verbum (*i*) in oratione tua.

16. Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo.

17. Non te (*k*) reputes in multitudine indisciplinatorum.

18. Memento iræ, quoniam non tardabit.

19. Humilia valde spiritum tuum: quoniam vindicta carnis impii (*l*), ignis & vermis.

20. Noli prævaricari in amicum pecuniam (*m*) differentem, neque fratrem charissimum auro spreveris.

21. Noli discedere a muliere sensata & bona, quam sortitus es in (*n*) timore Domini: gratia enim verecundiæ illius super aurum.

* Lev. 19. 13. 22. * Non lædas servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam.

23. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.

24. Pecora tibi sunt? attende illis: & si sunt utilia, perseverent apud te.

25. Filii tibi sunt? erudi illos, & curva illos a pueritia illorum.

26. Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.

27. Trade filiam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam.

28. Mulier si est tibi secundum animam tuam: non projicias illam: & odibili non credas te, In toto corde tuo

* Tob. 4. 3. 29. * Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris:

30. Memento quoniam nisi per illos natus non fuisses: & retribue illis, quomodo & illi tibi.

31. In tota anima tua time Dominum, & sacerdotes illius sanctifica.

32. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit: & ministros ejus ne derelinquas.

33. Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica sacerdotes, & propurga te cum (*o*) brachiis.

* Deut. 12. 18. Lev. 2. 3. Num. 18. 15. 34. Da illis partem, * sicut mandatum est tibi, primitiarum & purgationis (*p*): & de negligentia tua purga te cum paucis.

35. Datum brachiorum tuorum & (*q*) sacrificium sanctificationis offeres Domino, & initia sanctorum:

36. Et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio & benedictio tua.

37. Gratia dati in (*r*) conspectu omnis viventis, & mortuo non prohibeas gratiam.

38. * Non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. * Rom. 12. 15.

39. * Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis. * Matth. 25. 36.

40. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.

CAPUT VIII.

Quomodo nobis agendum sit cum divitibus, indoctis, violentis, iracundis: audiendi senes.

1. NOn litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius.

2. * Non contendas cum viro locuplete, ne forte contra te constituat (*a*) litem tibi. * Matth. 5. 25.

3. * Multos enim perdidit aurum & argentum, & usque ad cor regum extendit & convertit. * Infr. 31. 6.

4. Non litiges cum homine linguato, & non strues in ignem illius ligna.

5. Non communices homini (*b*) indocto, ne male de progenie tua loquatur.

6. Ne despicias hominem avertentem se a peccato, * neque improperes ei: memento quoniam omnes in (*c*) correptione sumus. * 1 Cor. 5. 6. Gal. 6. 1.

7. * Ne spernas hominem in sua senectute: etenim ex nobis senescunt. * Lev. 19. 32.

8. Noli de mortuo inimico tuo gaudere (*d*): sciens quoniam omnes morimur, & in gaudium nolumus venire.

9. * Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in proverbiis eorum conversare. * Sup. 6. 35.

10. Ab ipsis enim disces sapientiam, & doctrinam intellectus, & servire magnatis sine querela.

11. Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt a patribus suis:

12. Quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.

13. Non incendas (*e*) carbones peccatorum arguens eos, & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum.

14. Ne

14. (*h*) Quodcumque illud sit vel levissimum. *Assiduitas*. Facile in consuetudinem trahitur: vel noli affectare ullum mendacium: noli ex proposito mentiri.

15. (*i*) In precatione non sis multiloquus. Cavenda fuisis battologia, quasi Deus postulata nostra non perciperet: tametsi ex devotione eædem preces sæpe repetuntur, ut iis magis excitetur animus; sed clamandum magis affectu, quam voce.

17. & 18. (*k*) Gr. *Non te annumeres*. *Iræ*, Vindicta peccatorum, *Non tardabit*, Sæpe proxima est.

19. (*l*) Vindex ira Dei sæviet in peccatores per ignem & vermes. Pœna exterior per *ignem*, interior per *vermes* seu conscientiam accusantem & torquentem exprimitur.

20. (*m*) Qui tardat reddere: Neque fratrem amicum præ auro spreveris; Gr. *auro Sophir*, seu *ophir*; ac forte ita legit interpres.

21. (*n*) Hæc desunt in Græco. *Quam sortitus es in timore Domini* ambulantem. Sic ab ejusmodi muliere minime discedendum esse docet propter aliquod incommodum; id enim est magnæ inhumanitatis.

33. (*o*) Purga te sacerdoti, armum dextrum juxta legem offerendo: nam de subventione debita sacerdotibus videtur loqui.

34. (*p*) Gr. *Pro delicto*. *Cum paucis*, Paucis præsentibus: vel cum parcis victimis, si pauper es. Gr. *Da illi*, nempe sacerdoti, *partem sicut mandatum est tibi*.

35. (*q*) Libatio e simila. *Sanctorum*, Pars sacerdotalis de decimis.

37. (*r*) Donum gratum est omni viventi. *Gratiam*. Sive oblationes, sive munera sepulturæ, & alia in memoriam mortuorum.

CAP. VIII. 2. & 3. (*a*) Gr. *Ne forte tibi præponderet*. Convertit. Gr. *Perdidit aurum*, *& corda Regum fecit declinare*; aut mutare, ut justitiam differrent.

5. (*b*) Gr. *Ne jocare cum homine rudi*, Ne in majoribus tuis quærat aliquid quod exprobret.

6. (*c*) Obnoxii correptioni: quare multi in eo peccant, quod peccata ab aliis commissa, & per pœnitentiam deleta, objiciant semper.

8. (*d*) Privato in primis: nam de publici hostis morte gaudere nos posse probat Estius, ex variis Scripturæ locis, ut de Pharaone, Goliath, Holopherne, &c. *Lætabitur justus cum viderit vindictam*. De justitia Dei lætatur, sed de hominis perditione luget. Postrema verba non habet textus Græcus. Nolumus alios de morte nostra gaudere.

13. & 14. (*e*) Peccatorem qui a peccato non vult recedere, non arguas; ne correptio sit instar flatus carbonis candentis. *Ori suo*; Ne captet verba tua malitiose.

14. Ne contra faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo.

Inf.29.4. 15. * Noli (*f*) fœnerari homini fortiori te: quod si fœneraveris, quasi perditum habe.

16. Non spondeas super virtutem tuam: quod si spoponderis, quasi restituens cogita.

17. Non judices contra (*g*) judicem: quoniam secundum quod justum est judicat.

Gen. 4. 8. 18. * Cum audace non eas in via, ne forte gravet mala sua in te: ipse enim secundum voluntatem suam vadit, & simul cum stultitia illius peries.

Prov.22. 24. 19. * Cum iracundo non facies rixam, & cum audace non eas in desertum: quoniam quasi nihil est ante illum sanguis, & ubi non est adjutorium, elidet te.

20. Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere nisi quæ eis placent.

21. Coram extraneo ne facias (*h*) consilium: nescis enim quid pariet.

22. Non omni homini cor tuum (*i*) manifestes: ne forte inferat tibi gratiam falsam, & convicietur tibi.

CAPUT IX.

De zelotypia; de mulierum consortio; amici veteres; parce cum principibus agendum.

1. NOn zeles mulierem (*a*) sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam.

2. Non des mulieri potestatem (*b*) animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris.

3. Ne respicias mulierem (*c*) multivolam: ne forte incidas in laqueos illius.

4. Cum saltatrice ne assiduus sis: nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.

Gen. 6. 2. 5. * Virginem ne conspicias, ne forte (*d*) scandalizeris in decore illius.

Prov.5.3. 6. * Ne des fornicariis animam tuam in ullo: ne perdas te, & hæreditatem tuam.

7. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius.

Gen.34.2. 2.Reg.11.4. & 11. 1. Matth. 5. 28. 8. * Averte faciem tuam a muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam.

9. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.

10. Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur.

11. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit.

12. Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum:

13. Et non alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem.

14. Ne derelinquas amicum antiquum: novus enim non erit (*e*) similis illi.

15. Vinum novum, amicus novus: veterascet, & cum suavitate bibes illud.

16. * Non zeles gloriam, & opes peccatoris: non enim scis quæ futura sit illius subversio. *Jud 9 4. 2. Reg.15. 12.*

17. Non placeat tibi injuria injustorum, sciens quoniam usque ad inferos non (*f*) placebit impius.

18. Longe abesto ab homine potestatem habente occidendi, & non suspicaberis timorem mortis.

19. Et si accesseris ad illum, noli aliquid committere, ne forte auferat vitam tuam.

20. Communionem mortis scito: quoniam in medio laqueorum ingredieris, & super dolentium arma (*g*) ambulabis.

21. Secundum virtutem tuam cave te a proximo tuo, & cum sapientibus & prudentibus tracta.

22. Viri justi sint tibi convivæ, & in timore Dei sit tibi gloriatio.

23. Et in sensu sit tibi (*h*) cogitatus Dei, & omnis enarratio tua in præceptis Altissimi.

24. In manu artificum opera laudabuntur, & princeps populi in sapientia (*i*) sermonis sui, in sensu vero seniorum verbum.

25. Terribilis est in civitate sua homo linguosus: & temerarius in verbo suo odibilis erit.

CAPUT X.

Quæ virtutes deceant Principes, Magistratus, Judices; quæ vitia eos magis dedeceant.

1. JUdex sapiens judicabit populum suum, & principatus sensati stabilis erit.

2. * Secundum judicem populi, sic & ministri ejus: & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea. *Prov. 29. 12.*

3. * Rex insipiens perdet populum suum: & civitates inhabitabuntur per sensum potentium. *3.Reg.12. 13.*

4. In

15. & 16. (*f*) Vox Græca & *mutuum* & *fœnus* significat. *Virtutem tuam*, Ultra vires tuas.

17. (*g*) Cum latæ sententiæ caussam ignores. Vox Græca significat etiam *caussam agere*. Ne caussam agas contra judicem, quoniam secundum opinionem ipsius judicabunt eum; illi enim placere volent.

21. (*h*) Gr. *Occultum*: *Pariet*, Nescis quid ex auditis a te machinabitur in tuam perniciem.

22. (*i*) Verba præcipitata negotii exitum saltem retardant: tempus destruit quod factum est, lingua quod faciendum. Cum amici secreta detegis, simul amicitia, honor, justitia ex ore tuo prodeunt; atque in hoc uno a bellua differs, quod ea loqui non possit, tu tacere: ita consilia sapientiæ. *Falsam*, Fictam benevolentiam.

CAP. IX. 1. (*a*) Ne sis plus satis suspicax. *Doctrinæ*. Gr. *Neque doceas super te doctrinam nequam*, zelando, suspicando, metuendo, ad prava quæque consilia eam adiges. Ex Græco sensus est: Ne ei proponas historias peccare docentes; inquit Grotius.

2. (*b*) Gr. *Non des mulieri*, seu uxori, *animam tuam*, ut ascendat ipsa super fortitudinem tuam; monet maritum, ne sinat uxorem sibi dominari, ita ut potestatem illius excedat.

3. (*c*) Libidinosam. *Laqueos*, Ne amore ejus capiaris.

5. & 7. (*d*) Ne occasio sit peccandi. *Civitatis*, Cujusmodi sunt venatores formarum. *In plateis*; cum notat qui undecumque quærit quo pereat modo.

14. (*e*) Novæ amicitiæ animum offendunt, ut novæ vestes corpus.

17. & 18. (*f*) Ante mortem dabit pœnas. *Habente*, Parce utendum potentiorum consuetudine. Id nos monet, ne quis ambitione ductus principum familiaritatem nimium affectet. Res enim est plena periculi: nam facile offendunt homines honoribus inhiantes.

20. (*g*) Gr. *Per pinnas murorum urbis obsessæ ab hostibus*. *Cave*, Explora proximum, Gr. *Fac conjecturam de proximo*, ne plus satis illi fidas.

23. (*h*) Ne cogitatio tua sit erronea, & absurda! Gr. *Cum sapientibus sit collocutio tua*.

24. (*i*) Laudantur artifices ex manuum industria, principes ex sapientia sermonum. *In sensu*, Verba seniorum ex prudentia & gravitate sententiarum: quæ postrema verba desunt in Græco.

4. In manu Dei potestas terræ : & utilem rectorem suscitabit in tempus super illam.

5. In manu Dei prosperitas hominis, & super (a) faciem scribæ imponet honorem suum.

6. Omnis (b) injuriæ proximi ne memineris, * & nihil agas in operibus injuriæ. * Lev. 19. 16.

7. Odibilis coram Deo est & hominibus superbia: & execrabilis omnis iniquitas gentium.

8. * Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos. *Dan. 4. 14.

9. Avaro autem nihil est scelestius. Quid superbit terra & cinis?

10. Nihil est iniquius quam amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet: quoniam in vita sua (c) projecit intima sua.

11. Omnis potentatus brevis vita. Languor prolixior gravat medicum.

12. Brevem languorem (d) præcidit medicus: sic & rex hodie est, & cras morietur.

13. Cum enim morietur homo, hæreditabit serpentes, & bestias, & vermes.

14. Initium superbiæ hominis (e), apostatare a Deo:

15. Quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus: * quoniam initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem. * Prov. 18. 12.

16. Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, & destruxit eos usque in finem.

17. Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.

18. Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantavit humiles ex ipsis gentibus.

19. Terras gentium evertit Dominus, & perdidit eas usque ad fundamentum.

20. Arefecit ex ipsis, & disperdidit eos, & cessare fecit memoriam eorum a terra.

21. Memoriam superborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium sensu.

22. Non est creata hominibus (f) superbia: neque iracundia nationi mulierum.

23. Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum: semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini.

24. In medio fratrum rector illorum in honore: & qui timent Dominum, erunt in oculis illius.

25. Gloria divitum, honoratorum, & pauperum, timor (g) Dei est:

26. Noli despicere hominem justum pauperem, & noli magnificare virum peccatorem divitem.

27. Magnus (h), & judex, & potens est in honore: & non est major illo, qui timet Deum.

28. * Servo sensato liberi servient: * & vir prudens & disciplinatus non murmurabit correptus, & inscius non honorabitur. * Prov. 27. 2. *1. Reg. 12. 13.

29. Noli extollere te in faciendo (i) opere tuo, & noli cunctari in tempore angustiæ.

30. * Melior est qui operatur, & abundat in omnibus, quam qui gloriatur, & eget pane. * Prov. 12. 9.

31. Fili in mansuetudine (k) serva animam tuam, & da illi honorem secundum meritum suum.

32. Peccantem in animam suam quis (l) justificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam suam?

33. Pauper gloriatur (m) per disciplinam & timorem suum: & est homo qui honorificatur propter substantiam suam.

34. Qui autem (n) gloriatur in paupertate, quanto magis in substantia? & qui gloriatur in substantia, paupertatem vereatur.

CAPUT XI.

Divitiæ & paupertas, prospera vel adversa a Deo sunt.

1. Sapientia humiliati (a) exaltabit caput illius, & in medio magnatorum consedere illum faciet.

2. * Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo. * Gen. 49. 40. Dan. 6. 3. Joan. 7. 18.

3. Brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius.

4. * In vestitu ne glorieris umquam, nec in die honoris tui extollaris: quoniam mirabilia opera Altissimi solius, & gloriosa, & absconsa, & invisa opera illius. *Act. 12. 21.

5. Multi

CAP. X. 5. (a) Vox Græca etiam personam significat. Honorem, Gloriam ipsius docti, & sapientis, viro sapienti honorem gubernationis imponet. Sic vocantur qui magistratibus consilio adsunt.

6. 7. & 8. (b) Gr. *Non omnis injuriæ memor esto*, Leviores culpas condones. *Injuriæ*, Nihil agas factis insolentibus. *Execrabilis*, Gr. *Ex utrisque delictum injustitiæ*. Utrumque nempe Deo & hominibus injustitia est execrabilis. *Dolos*, Gr. *Opes dolo partas*.

10. (c) Viscera sua, cum aliquid alargiri cogitat, quasi extrahi putat viscera; vel prostituet salutem animæ suæ ut ditescat.

12. (d) Gr. *Longum*, Cum prolixum morbum præcidit medicus secando. *Morietur*, Sic rex malus a Deo ut a præstantissimo medico confestim tollitur avitandis Reipublicæ malis.

14. 15. 16. & 17. (e) Superbia fuit primum peccatum hominis: *Quoniam initium omnis peccati est superbia*. Neque id adversatur Apost. 1. Timoth. 6. *Radix omnium malorum est cupiditas*: Gr. *Pecuniæ amor*: quod omne peccatorum genus ex avaritia prodire soleat. Vel caput superbiæ est a Deo deficere. Summa omnium peccatorum. *Conventus*, Gr. *Obductiones*, Horrenda immittit mala. *Sedes*, Thronos principum detraxit Dominus.

22. (f) Non ut animantes, ita homines nati sunt ad superbiam, vel ad crudelitatem. *Iracundia*, Gr. *Ira furoris*. Quæ est superbiæ comes, ut mansuetudo humilitatis: unde Christus eas conjunxit. *Discite a me*, &c. *Mulierum*, Quæ ad iram sunt proclives: tametsi hæc verba ex Græco textu omnibus hominibus aptari possint, qui sunt nati ex mulieribus: Filiis mulierum, qui ad modestiam, & mansuetudinem sunt a natura comparati, non ad iracundiam.

25. (g) Gr. *Dives, & honoratus, & pauper, gloriatio eorum timor Domini*. Nec dives gloriari debet in suis divitiis, neque honoratus in suis honoribus, nec pauper se dejiciat ob fortunæ suæ tenuitatem; sed in hoc uno gloriari debent, si habeant timorem Dei: qui si desit, nihil prodesunt divitiæ, vel honores; si adsit, nihil officit paupertas.

27. (h) Vox Græca purpuratum in hoc libro designat. *Judex*, Senator, *Potens*, Præfectus Provinciæ.

29. (i) Gr. *Ne causseris nolens, quominus agas opus tuum*. *Angustiæ*, Gr. *Ne glorieris*, seu de honore non sis sollicitus, cum urget necessitas.

31. (k) Gr. *In mansuetudine honora animam tuam*: Nec plus satis te extollas, nec dejicias; modum serva.

32. (l) Si tu plus æquo te dejicis, quis pro honore tuo sollicitus erit? Quod pars altera versiculi exponit. *Animam*, Contemptui semet exponentem.

33. (m) Græc. *Honoratur*. *Disciplinam*, Ob scientiam suam.

34. (n) Qui cum pauper sit, superbit tamen, *quanto magis in substantia*: quanto magis gloriaretur si dives esset, vel potius qui cum pauper sit, honoratur, quanto honori esset, si valeret opibus? & qui inglorius est etiam dives, quanto ille magis, si pauper esset!

CAP. XI. 1. & 2. (a) Græc. *Infimæ conditionis*. *Illius*, Sic enim a Deo est constitutum, ut quos magnis rebus destinat, in statu humili diu detineat, quo dignitatis pondus fundamento humilitatis firmetur. *In specie*, Ob pulcram formam. Exigua est, & exemplum rei minimæ quæ virtute præstat. *Initium*, Principatum dulcedinis: vox enim Græca principatum sæpe significat.

5. Multi tyranni federunt in (*b*) throno, & insuspicabilis portavit diadema.

* 1 Reg. 15. 28. Esth. 6. 7. 6. * Multi potentes oppressi sunt valide, & gloriosi traditi sunt in manus alterorum.

7. Priusquam (*c*) interroges, ne vituperes quemquam: & cum interrogaveris, corripe juste.

* Prov. 18. 13. 8. * Priusquam audias, ne respondeas verbum: & in medio sermonum ne adjicias loqui.

9. De ea re, quæ te non molestat, ne (*d*) certeris: & in judicio peccantium ne consistas.

10. Fili ne in multis sint actus tui (*e*): &
* 1. Tim. 6. 9. * si dives fueris, non eris immunis a delicto: si enim secutus fueris, non apprehendes: & non effugies, si præcucurreris.

* Eccli. 4. 8. 11. * Est homo laborans, & festinans, & dolens impius (*f*), & tanto magis non abundabit.

12. Est homo (*g*) marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate:

* Job 42. 10. 13. * Et oculus Dei (*h*) respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltavit caput ejus: & mirati sunt in illo multi, & honoraverunt Deum.

* Job 1. 21. 14. * Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas a Deo sunt.

15. Sapientia & disciplina, & scientia legis apud Deum. Dilectio, & viæ bonorum apud ipsum.

16. Error & tenebræ peccatoribus (*i*) concreata sunt: qui autem exultant in malis, consenescunt in malo.

17. Datio Dei permanet (*k*) justis, & profectus illius successus habebit in æternum.

18. Est qui locupletatur (*l*) parce agendo, & hæc est pars mercedis illius

* Luc. 12. 19. 19. In eo quod dicit: * Inveni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis solus.

20. Et nescit quod tempus præteriet, & mors appropinquet, & relinquet omnia aliis, & morietur.

21. Sta in testamento tuo (*m*), & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veterasce.

22. Ne manseris in operibus peccatorum. Confide autem in Deo, & mane in loco tuo.

23. Facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem.

24. Benedictio Dei in mercedem justi (*n*) festinat, & in hora veloci processus illius fructificat.

25. Ne dicas: Quid est mihi (*o*) opus, & quæ erunt mihi ex hoc bona?

26. Ne dicas (*p*): Sufficiens mihi sum: & quid ex hoc pessimabor?

27. * In die bonorum (*q*) ne immemor sis malorum: & in die malorum ne immemor sis bonorum: * Inf. 18. 25.

28. Quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.

29. Malitia (*r*) horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ, & in fine hominis denudatio operum illius.

30. Ante mortem ne laudes (*s*) hominem quemquam, quoniam in filiis suis agnoscitur vir.

31. Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi.

32. Sicut enim eructant (*t*) præcordia fœtentium, & sicut perdix inducitur in caveam, & ut caprea in laqueum: sic & cor superborum, & sicut prospector videns casum proximi sui.

33. Bona enim in mala convertens (*u*) insidiatur, & in electis imponet maculam.

34. A scintilla una augetur ignis, & ab uno doloso augetur sanguis; homo vero peccator sanguini insidiatur.

35. Attende tibi a pestifero, fabricat enim mala: ne forte inducat super te subsannationem in perpetuum.

36. Admitte ad te alienigenam (*x*), & subvertet te in turbine, & abalienabit te a tuis propriis.

CA-

5. (*b*) Græc. *In solo*, seu humi: unde factum *in folio*, & postea *in throno*. Multi Reges in solum dejecti. *Insuspicabilis*, De quo nihil magni suspicaretur.

7. (*c*) Exquisieris: Priusquam veritatem diligenter examinaveris, ne vituperes: tum vero *corripe juste*, juxta qualitatem facti.

9. (*d*) Ne certaveris: Noli contendere de ea re, quæ ad te non pertinet.

10. (*e*) Notat eos, qui se cuique negotio immiscent. *Si enim secutus fueris* (multa) *non apprehendes*, non assequeris. *Et non effugies, si præcucurreris*. præcurrentem difficultates te comprehendent. Multis implicitus negotiis multa peccat, multa conatur, nec se expedire potest. Eos præterea arguit, qui divites fieri cupiunt, cum eorum conatus persæpe sint inutiles. Cum anima præ nimia sollicitudine foras exit, seipsam negligit, vitam tumultuatiam amat.

11. (*f*) Se excruciant. *Non abundabit*, Gr. *Et tanto magis ipsi deest*; Quo mobilior, hoc infirmior.

12. (*g*) Aliud extremum inertia. *Recuperatione*, Gr. *Egens auxilio*.

13. & 14. (*h*) Eos memorat, quibus velut dormientibus Deus bona confert, cum alii magnis conatibus nihil agant. Ex quo infert vers. 14. rebus humanis intervenire vim quamdam, quæ industriam nostram superat. *Bona & mala*, Ea mala quæ pœnæ dicuntur, & ex quibus miseri dicimur; a *Deo sunt*, vel agente, vel permittente.

16. (*i*) Omnes enim peccatores nascimur, nobis congenita sunt error & tenebræ; vel eo hoc ipso quod quis peccator est, in tenebris & errore versatur. Hic versiculus in plerisque exemplaribus olim deerat: ac verisimile est a quodam sciolo erasum fuisse, quod ipsi videretur hæresi Manichæorum favere. *In malo*, Gr. *Consenescunt cum malis*.: In iis veterascit vitiosa consuetudo.

17. (*k*) Nam justi sunt ex Domo Dei. *In æternum*, Bona Dei voluntas ad æternitatem usque eos perducet, dummodo progressus hujus doni iis curæ sit: Gr. *Et benevolentia ejus*. Dei. *semper prosperabit eos*.

18. (*l*) Parsimonia. *Illius*, Ut sit tibi pauper, dives hæredibus.

21 & 22. (*m*) In fœdere per legem sancito. *Colloquere*, In eo versare. *Peccatorum*, Gr. *Ne admireris opera peccatorum*. *Et mane in loco tuo*, Contentus esto sorte tua.

24 (*n*) Deus efficit, ut maneant quæ justus labore suo quæsivit. *Fructificat*, Itque facit ut brevi parta in majus crescant.

25. (*o*) Sic agunt qui bonorum copia elati rem privatam & publicam negligendo perdunt.

26. (*p*) Qui progredi non vult, in via filiis currentibus merces promittitur, non hærentibus in via Dei. *Pessimabor*, Ne dicas: Sufficiens sum mihi, quid deinceps mali patiar?

27. (*q*) Ne superbias. *Bonorum*, Ne despondeas animum.

29 (*r*) Græc *Afflictio*. *Luxuriæ*, Gr. *Voluptatis*, deliciarum *Denudatio*, Revelatio operum ejus: tum homo agnoscit quid fecerit, & quo animo fecerit.

30. (*s*) Græc. *Ne beatifices*; Ne felicem & beatum prædices: probitas viri ut plurimum cognoscitur ex filiis, si bene instituti fuerint. *Agnoscitur*: Duo notat, quibus hominis prudentia cognoscitur, vitæ finis, & liberi post mortem.

32. (*t*) Sicut e fœtido pectore gravis odor; ita ex corde doloso fraudes erumpunt. *Prospector*, Gr. *Speculator*; ita vir dolosus domum tuam ingressus, de quo vers. 30. casum tuum providet, & ruiturum impellit.

33. (*u*) Per calumniam. *Maculam*, Viris optimis scelera imputabit, res bonas prava interpretatione detorquens.

36. (*x*) Si admittis alienum spretis propinquis, & amicis. *Turbine*, In rebus turbidis.

CAPUT XII.

Cui sit benefaciendum; vera & ficta amicitia nota.

1. SI benefeceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa.

2. Benefac justo, & invenies retributionem magnam: & si non ab ipso, certe a Domino.

3. Non est enim ei bene qui assiduus est in malis, & eleemosynas non danti: quoniam & Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus.

*Gal.7.10. 4. * Da misericordi, & ne suscipias peccatorem: & impiis & peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos in diem vindictæ.

5. Da bono, & non receperis peccatorem.

6. Benefac humili, & non dederis impio (*a*): prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit:

7. Nam duplicia mala invenies (*b*) in omnibus bonis, quæcumque feceris illi: quoniam & Altissimus odio habet peccatores, & impiis reddet vindictam.

8. Non agnoscetur in bonis amicus, & non abscondetur in malis inimicus.

9. In bonis viri, inimici illius in tristitia: & in malitia illius amicus agnitus est.

10. Non credas inimico tuo in æternum: sicut enim æramentum (*c*), æruginat nequitia illius:

11. Et si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, & custodi te ab illo.

12. Non statuas illum penes te, ne sedeat ad dexteram tuam, ne forte conversus in locum tuum, inquirat cathedram tuam (*d*): & in novissimo agnoscas verba mea, & in sermonibus meis stimuleris.

13. Quis miserebitur incantatori a serpente percusso, & omnibus qui appropiant (*e*) bestiis? & sic qui comitatur cum viro iniquo, & obvolutus est in peccatis ejus.

14. Una hora tecum permanebit: si autem declinaveris (*f*), non supportabit.

*Jer.41.6. 15. * In labiis suis indulcat inimicus: & in corde suo insidiatur ut subvertat te in foveam.

16. In oculis suis lacrymatur inimicus: & si invenerit tempus, non satiabitur sanguine.

17. Et si incurrerint tibi mala, invenies eum illic (*g*) priorem.

18. In oculis suis lacrymatur inimicus, & quasi adjuvans suffodiet plantas tuas.

19. Caput suum movebit, & plaudet manu, & multa susurrans commutabit vultum suum.

CAPUT XIII.

Cum quibus ineunda sit societas & familiaritas; amicitia cum paribus, non item cum potentioribus, & malis.

1. QUi tetigerit picem, inquinabitur (*a*) ab ea: * & qui communicaverit superbo, induet superbiam. *Deut.7.1.

2. Pondus super se tollet qui honestiori se communicat. Et ditiori te ne socius (*b*) fueris.

3. Quid communicabit cacabus (*c*) ad ollam? quando enim se colliserint, confringetur.

4. Dives injuste egit, & fremet (*d*): pauper autem læsus tacebit:

5. Si largitus fueris, assumet te: & si non habueris, derelinquet te.

6. Si habes, convivet tecum, & evacuabit (*e*) te, & ipse non dolebit super te.

7. Si necessarius illi fueris, supplantabit te, & subridens spem dabit, narrans tibi bona, & dicet: Quid opus est tibi?

8. Et confundet te in cibis suis, donec te exinaniat bis, & ter: & in novissimo deridebit te: & postea videns derelinquet te, & caput suum movebit ad te.

9. Humiliare (*f*) Deo, & expecta manus ejus.

10. Attende ne seductus in stultitiam humilieris.

11. Noli esse humilis in sapientia (*g*) tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.

12. Advocatus a potentiore discede: ex hoc enim magis te advocabit.

13. Ne improbus (*h*) sis, ne impingaris: & ne longe sis ab eo, ne eas in oblivionem.

14. Ne retineas ex æquo loqui cum illo: nec credas multis verbis illius: ex multa enim loquela tentabit te, & subridens interrogabit te de absconditis tuis.

15. Im-

CAP. XII. 6. (*a*) Hoc non pugnat cum Domini præcepto, qui Matth. 5. jubet bonis & malis benefacere exemplo Patris Cælestis. Non enim loquitur sapiens de eleemosyna quæ datur propter egestatem, sed de beneficentia quæ ad amicitiam pertinet. In eleemosyna primum habenda est ratio egestatis, deinde probitatis. Pauperi improbo id tantum dare oportet, quod præsens necessitas exigit: bono pauperi large tribuendum: beneficiis fovendi sunt boni, non mali. Sunt beneficia, quæ cæca manu spargenda sunt, quæ dantur humanitati, non homini.

7. & 8. (*b*) Pro omnibus bonis. *Amicus*, Nam in prosperis omnes videntur æque favere. Quæ de inimicis subjicit, eo spectant, ut ab iis caveamus, qui odia sua dissimulant, ut nos perdant. *Inimicus*, Nam statim maledicit infelici.

10. & 11. (*c*) Nam ut ærugo, sic odia veterascendo crescunt. Si reconcilieris inimico pravi ingenii, iterum nocebit; ut in ære iterum purgato redit ærugo.

12. (*d*) Locum & dignitatem tuam. *Stimuleris*, Et ob sermones meos a te neglectos doleas.

13. (*e*) Ut qui viperas tractant: nam θηρία, seu feræ in hoc genere dicuntur viperæ per excellentiam: unde & theriaca. *Obvolutus*, Seu approbet, seu dissimulet. Comparat virum iniquum cum serpente & bestiis, & cum maxime qui amicitiam falso simulat: nec miseratione dignus est qui periculo se ultro exponit, qui cum viro iniquo & vafro init societatem, quique ejus peccatis se implicat & obvolvit.

14. (*f*) Si res tuæ inclinent, non durabit.

17. 18. & 19. (*g*) Gr. *Te tamquam adjuturum*, sed revera nociturum. *Oculis*, deest in Græco, & sine necessitate repetitur. *Plantas*, Gr. *Pedes subibebit*. Ut cadas. *Movebit*, Insultando. *Vultum suum*, Varie & artificiose componet se ad decipiendum.

CAP. XIII. 1. (*a*) Malorum consuetudine fit homo deterior. *Et qui*, Copula, *&*, hoc loco nota est comparationis, ut sæpe alias.

2. (*b*) Nam illa societas imbecilliori iniqua & gravis futura est. Id quoque admonet, ne quis potentiori nimium se adjungat, quod in conjugiis in primis valet.

3. (*c*) Olla fictilis facile confringitur, cum propius cacabo æreo admovetur. Inter impares vix ulla est fida societas; sed tamen extrema potentium fuga expers est dignitatis: unde hac in re cautio est adhibenda.

4. (*d*) Quasi læsus. *Tacebit*, Gr. *Supplicabit* quasi ipse læserit.

6. & 7. (*e*) Per munera quæ ei dabis. *Supplantabit te*, Gr. *Decipiet te*, Vicem non reddet.

9. (*f*) Coram Deo, non stulte nimis coram hominibus, ne te ut vile quiddam conculcent.

11. (*g*) Falsa, qua divitum captas gratiam.

13. (*h*) Importunus. *Ne impingaris*, Gr. *Ne expellaris*, Ne sis nimis infrequens.

15. Immitis animus illius conservabit verba tua: & non parcet de malitia, & de vinculis.

16. Cave tibi, & attende diligenter auditui tuo: quoniam cum subversione tua (*i*) ambulas.

17. Audiens vero illa quasi in somnis vide, & vigilabis.

18. Omni vita tua dilige Deum, & invoca illum in salute tua.

19. Omne animal diligit (*k*) simile sibi: sic & omnis homo proximum sibi.

20. Omnis caro ad similem sibi conjungetur, & omnis homo simili sui sociabitur.

21. Si communicabit lupus agno aliquando, sic peccator justo.

* 2. Cor. 6. 14. 22. * Quæ communicatio sancto homini ad (*l*) canem? aut quæ pars diviti ad pauperem?

23. Venatio leonis, onager in eremo: sic & pascua divitum, sunt pauperes.

24. Et sicut abominatio est superbo humilitas: sic & execratio divitis pauper.

25. Dives commotus (*m*) confirmatur ab amicis suis: humilis autem cum ceciderit, expelletur & a notis.

26. Diviti decepto multi (*n*) recuperatores: locutus est superba, & justificaverunt illum.

27. Humilis deceptus est, insuper & arguitur: locutus est sensate, & non est datus ei locus.

28. Dives locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius usque ad nubes perducent.

29. Pauper locutus est, & dicunt: Quis est hic? & si offenderit, subvertent illum.

30. Bona est (*o*) substantia: cui non est peccatum in conscientia: & nequissima paupertas in ore impii.

31. Cor hominis immutat (*p*) faciem illius, sive in bona, sive in mala.

32. Vestigium cordis boni, & faciem bonam difficile invenies (*q*), & cum labore.

CAPUT XIV.

Lapsus linguæ; avari characteres; beneficentia; sapientiæ studium.

1. BEatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, & non est stimulatus in tristitia (*a*) delicti. Inf. 19. 17.

2. Felix, qui non habuit animi sui (*b*) tristitiam, & non excidit a spe sua.

3. Viro cupido (*c*) & tenaci sine ratione est substantia, & homini livido ad quid aurum?

4. Qui acervat ex animo suo (*d*) injuste, aliis congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur.

5. Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? & non jucundabitur in bonis suis.

6. Qui sibi invidet, nihil est illo nequius, & hæc redditio est malitiæ (*e*) illius:

7. Et si bene fecerit, ignoranter, & non volens facit: & in novissimo manifestat malitiam suam.

8. Nequam est oculus lividi: & avertens faciem (*f*) suam, & despiciens animam suam.

9. Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam.

10. Oculus (*g*) malus ad mala: & non satiabitur pane, sed indigens & in tristitia erit super mensam suam.

11. Fili, si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer.

12. Memor esto quoniam mors non tardat, & testamentum (*h*) inferorum quia demonstratum est tibi: testamentum enim hujus mundi morte morietur.

13. * Ante mortem benefac (*i*) amico tuo, & secundum vires tuas exporrigens da pauperi. * Tob. 4. 7. Sup. 4. 1. Luc. 14. 9.

14. Non defrauderis a die bono, & particula boni doni non te prætereat.

15. Nonne aliis relinques dolores & labores tuos in divisione sortis?

16. Da, & (*k*) accipe, & justifica animam tuam.

17. Ante

16. 17. & 18. (*i*) In ruinæ periculo versaris. *Vigilabis*, Vigilem te volo, sed instar somnolenti, ne te nimis e proximo putet, ut technas meditantem. *In salute tua*, Gr. *ad salutem tuam*.

19. (*k*) Iis familiaribus utamur, qui nobis sunt vitæ genere & fortunæ conditione similiores. Hinc Cicero. *Dispares mores disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias*.

22. (*l*) Ad hominem impurum: vitio ex scriptoris positum esse, *homini*, pro *hyænæ*, uti est in Græco, censet Grotius. Tantam esse naturæ pugnam inter hyænam & canem, ut conspectu hyænæ umbra canes obmutescant. Plinius scribit Lib. 8. cap. 30. *Quæ pars*. Gr. *Pax*.

25. (*m*) Gr. *Labefactatus*, *Confirmatur*, Sustentatur ne ruat. *Ceciderit*, Gr. *Pauper*, *expellitur*.

26. (*n*) Adjutores, cum dives delinquit aut facto, aut verbo, præsto sunt, qui eum defendant, aut excusent: contra evenit in paupere.

30. (*o*) Opes bene partæ. *Paupertas*, Impio judice est nequissima; vel potius impius obmurmurat in paupertate: nam impii infelices Deum accusant.

31. (*p*) Vultus hominis plerumque est index affecti animi.

32. (*q*) In quo sit indicium cordis boni, non facile invenitur. Cor bonum, in sapientia nimium investiganda occupatum, cum facie bona & hilari raro conjunctum est: nam meditatio frequens est carnis afflictio.

CAP. XIV. 1. (*a*) Compunctus peccati conscientia, & ejus maxime quo Dei honor læditur, verbis impatientiæ prolatis: nam de divitiis & paupertate egit. Quis ille sit in quo invenire liceat vestigium boni cordis? In hac sententia nos docet eum esse beatum qui est vitæ integræ, nec in corde suo stimulatur ob admissum peccatum aliquod gravius, quique etiam si pauper sit, non lapsus est verbo, neque obmurmuravit contra Deum; aut si dives sit, non sibi conscius est ob iniquas possessiones, aut pravum earum usum.

2. (*b*) Quem sua non culpat conscientia: Gr. *Qui non despondit animum in malis*. De immoderata animi tristitia ob damnum temporale videtur loqui, ita ut desperet & excidat a spe in Deum; vel in Græco textu de tristitia mentis sibi consciæ animi verba facit, quam qui non habet tristitiam, non excidet a spe sua in Deum.

3. (*c*) Avaro sibi omnia invidenti: in hoc uno justus est quod seipsum puniat, & indignum vita judicet. Duplici voce exprimitur, quod in Græco μικρολόγος, seu *sordidus* significat. *Sine ratione est substantia*, inde ens est.

4. (*d*) Gr. *Anima*, seu victu: Vox, *injuste*, deest in Græco. Alius congregat, nempe suis hæredibus.

6. & 7. (*e*) Non habere quæ habeat. *Benefecerit*, Casu ut damnum aliquod vitaret, id fecit. *In novissimo*, Etiam in fine vitæ vitium suum prodit.

8. & 9. (*f*) A pauperibus. *Iniquitatis*, In portione opum, quam inique acquisivit, numquam sua sorte contentus. Græce deest, *Arefaciens animam*, Curis conficiens.

10. (*g*) Addit Gr. *Invidus*. *Pane*, Sibi ipsi invidet panem quem edit.

12. (*h*) Lex sepulcri. *Tibi*, Quod nemo potest effugere: Ignoras tempus mortis. *Testamentum*, Lex est sempiterna, ut omne quod nascitur, intereat.

13. & 14. (*i*) Tua postulat, ut ante mortem, amicis benefaciamus, non parce, sed voluntarie. *Bono*, Dies festos lætus celebra.

16. (*k*) Da eleemosynam, & accipe veniam peccatorum. *Justifica*, A peccatis. Gr. *Falle animam tuam*. Curas compesce; vel da & accipe in usum tuum. *Et justifica animam tuam*, dum opes sancte expendis.

17. Ante obitum tuum operare justitiam (*l*): quoniam non est apud inferos invenire cibum.

Isa. 40. 6. Jacobi 1. 10. 1. Pet. 1. 24. 18. * Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi.

19. Alia generantur, & alia dejiciuntur: sic generatio carnis & sanguinis, alia finitur, & alia nascitur.

20. Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui illud operatur, ibit cum illo.

21. Et omne opus electum justificabitur: & qui operatur illud, honorabitur in illo.

Ps. 1. 2. 22. * Beatus vir, qui in sapientia (*m*) morabitur, & qui in justitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei.

23. Qui excogitat (*n*) vias illius in corde suo, & in absconditis suis intelligens, vadens post illam quasi investigator, & in viis illius consistens:

24. Qui respicit per (*o*) fenestras illius, & in januis illius audiens:

25. Qui requiescit (*p*) juxta domum illius, & in parietibus illius figens palum statuet casulam suam ad manus illius, & requiescent in casula illius bona per ævum:

26. Statuet filios suos sub tegmine illius, & sub ramis ejus morabitur.

27. Protegetur sub tegmine illius a fervore, & in gloria ejus requiescet.

CAPUT XV.

Timoris Dei & veræ sapientiæ fructus; liberum arbitrium asseritur.

1. QUi timet Deum, faciet (*a*) bona: & qui continens est justitiæ, apprehendet illam,

2. Et obviabit illi quasi mater honorificata, & quasi mulier a virginitate suscipiet illum.

3. Cibabit illum (*b*) pane vitæ & intellectus, * & aqua sapientiæ salutaris potabit illum: & firmabitur in illo, & non flectetur: *Joann. 4. 10.*

4. Et continebit illum, & non confundetur: & exaltabit illum apud proximos suos,

5. Et in medio Ecclesiæ aperiet os ejus, & adimplebit illum spiritu sapientiæ & intellectus, & stola gloriæ vestiet illum.

6. Jucunditatem & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine æterno (*c*) hæreditabit illum.

7. Homines stulti non apprehendent illam, & homines sensati obviabunt illi, homines stulti non videbunt eam: longe enim abest a superbia (*d*) & dolo.

8. Viri mendaces non erunt illius memores: & viri veraces invenientur in illa, & successum habebunt usque ad (*e*) inspectionem Dei.

9. Non est speciosa laus in ore peccatoris:

10. Quoniam a Deo profecta est sapientia: sapientiæ enim Dei astabit laus, & in ore fideli abundabit, & Dominator dabit eam illi.

11. Non dixeris: Per Deum (*f*) abest: quæ enim odit ne feceris.

12. Non dicas: Ille me (*g*) implanavit: non enim necessarii sunt ei homines impii.

13. Omne execramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum.

14. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui.

15. Adjecit mandata & præcepta sua:

16. * Si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. *Matth. 19. 17.*

17. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam.

18. * Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi: *Jer. 21. 8.*

19. Quoniam (*h*) multa sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermissione.

20. * Oculi Domini ad timentes eum, & ipse * agnoscit omnem operam hominis. *Ps. 33. 16. *Heb. 4. 13.*

21. Nemini mandavit impie agere, & nemini dedit spatium peccandi.

22. Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium & inutilium.

CAPUT XVI.

Vindicta Dei in impios; ejus providentia adstruitur, & sapientia in dispositione hujus Universi.

1. NE jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur: nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis.

2. Non credas (*a*) vitæ illorum, & ne respexeris in labores eorum.

3. Melior (*b*) est enim unus timens Deum, quam mille filii impii.

4. Et utile est mori sine filiis, quam relinquere filios impios.

5. Ab

17. (*l*) Postea his tibi non licebit: quare bona a Deo accepta communica, & his utere.

22. (*m*) Meditatur. Gr. *Beatus vir qui sapienter meditabitur.*

23. (*n*) Gr. *Vias suas.* Qui ad actiones suas attendit. Consistens, Gr. *Vias ejus insidias pone:* Ea utere diligentia, qua venatores solent.

24. (*o*) Curiosus explorator per quasvis rimulas inspicit: ita nos ad sapientiam attendamus. Domus sapientiæ cælum est, fenestræ sunt Scripturæ, & secretæ inspirationes, Ecclesia est janua, qua admas.

25. & 26. (*p*) Græc. *Qui diversatur. Palum,* Ad erigendum sibi tabernaculum: spe illi inhærens. *Illius,* Ejus tutelæ filios suos commendabit. *Tegmine:* Jam comparat sapientiam cum arbore, quæ suos ramos longe lateque spargit.

CAP. XV. 1. (*a*) Græc. *Illa,* de quibus antea cœperat. *Continens,* Compos justitiæ. *Illam,* Sapientiam, de qua superiori capite.

3. (*b*) Pane intelligentiæ, & aqua sapientiæ. Panis illæ vitæ est Verbum incarnatum, cujus corpus eos firmat & nutrit, qui illud cum fide & intelligentia sumunt: aqua sapientiæ est Spiritus Sanctus. *In illo,* In vero bono radices aget sapientia: Gr. *In illa:* Vir bonus in sapientia, ut cibo illo & potu confirmatus, non flectetur ad malum.

6. (*c*) Gr. *Et nomen æternum hæreditabit,* Sortietur.

7. (*d*) Cum sapientia in primis doceat humilitatem Deo exhibendam, Fidelitatem proximo; & impius per superbiam recedat a Deo, per fraudem lædat proximum.

8 & 9. (*e*) Veraces in se ipsis proficient, & alios utiliter erudient, quousque Deus venerit ad inspiciendum & remunerandum eorum opera. *Speciosa,* Non est grata Deo.

11. (*f*) Gr. *Quia propter Deum recessit,* seu defecit: quod peccator in Deum refundat peccatum suum, cum sapientiæ præcludat aditum.

12. (*g*) Decepit: Induxit in malum, quod mox refellit. Vox Græca non tam *decepit,* quam *fluxit,* significat; Ille me finxit ineptum ad bene vivendum.

19. & 21. (*h*) Hanc dedit homini libertatem cum multa sapientia, ut remuneret, aut puniat, idque juste *Spatium,* Gr. *Licentiam,* impunitatem

CAP. XVI. 2. (*a*) Non victuros credas, Hebraismus. *Labores,* Gr. *Dignitates,* aut splendorem, aut industriam: Non tibi placeat, quod eos habeas liberos.

3. & 5. (*b*) Gr. *Melius:* vel pluris est faciendus. *Tribus,* Gr. *A tribu,* seu natione impiorum desolabitur.

5. Ab uno sensato inhabitabitur patria, tribus impiorum deseretur.

6. Multa talia vidit (c) oculus meus, & fortiora horum audivit auris mea.

*Inf. 21. 10. 7. * In synagoga peccantium exardebit ignis, & in gente incredibili exardescet ira.

*Gen. 6. 4. 8. * Non exoraverunt pro (d) peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt confidentes suæ virtuti.

9. Et non pepercit (e) peregrinationi Lot, & execratus est eos præ superbia verbi illorum.

10. Non misertus est illis, gentem totam perdens, & extollentem se in peccatis suis.

*Num. 16. 31. 11. * Et sicut sexcenta millia peditum, qui congregati sunt in duritia cordis sui: & si unus fuisset cervicatus, mirum si fuisset immunis.

12. Misericordia enim & ira est cum illo. Potens exoratio (f), & effundens iram:

13. Secundum misericordiam suam, sic correptio illius hominem secundum opera sua (g) judicat.

14. Non effugiet in rapina peccator, & non retardabit sufferentia misericordiam facientis.

*Rom. 2. 6. 15. Omnis misericordia faciet locum * unicuique secundum meritum operum suorum, & secundum intellectum peregrinationis ipsius.

16. Non dicas: A Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur?

17. In populo magno non agnoscar: quæ est enim anima mea in tam immensa creatura?

18. Ecce cælum, & cæli cælorum, abyssus, & universa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur,

19. Montes simul, & colles, & fundamenta terræ: cum conspexerit illa Deus, tremore concutientur.

20. Et in omnibus his insensatum (h) est cor: & omne cor intelligitur ab illo:

21. Et vias illius quis intelligit, & (i) procellam, quam nec oculus videbit hominis?

22. Nam plurima illius opera sunt in absconsis: sed opera justitiæ ejus quis (k) enuntiabit? aut quis sustinebit? Longe enim est testamentum a quibusdam, & interrogatio omnium in consummatione est.

23. Qui minoratur (l) corde, cogitat inania: & vir imprudens, & errans, cogitat stulta.

24. Audi me fili, & disce disciplinam sensus, & in verbis meis attende in corde tuo.

25. Et dicam in æquitate disciplinam, & scrutabor enarrare sapientiam: & in verbis meis attende in corde tuo, & dico in æquitate (m) spiritus virtutes, quas posuit Deus in opera sua ab initio, & in veritate enuntio scientiam ejus.

26. In judicio (n) Dei opera ejus ab initio, & ab institutione ipsorum distinxit partes illorum, & initia eorum in gentibus suis.

27. Ornavit (o) in æternum opera illorum, nec esurierunt, nec laboraverunt, & non destiterunt ab operibus suis.

28. Unusquisque proximum sibi non (p) angustiabit usque in æternum.

29. Non sis incredibilis (q) verbo illius.

30. Post hæc Deus in terram respexit, & implevit illam bonis suis.

31. Anima omnis vitalis (r) denuntiavit ante faciem ipsius, & in ipsam iterum reversio illorum.

CAPUT XVII.

De hominis creatione: exhortatio ad pietatem, & ad laudem Dei, cui nota sunt hominum opera.

1. DEus creavit de terra hominem, & secundum * imaginem suam fecit illum. *Gen. 1. 27. & 5. 1.

2. Et iterum convertit illum in (a) ipsam, & secundum se vestivit illum virtute.

3. Numerum dierum, & tempus dedit illi, & dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram:

4. Posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum, & volatilium.

5. * Creavit ex ipso adjutorium simile sibi: *Gen. 2. 18.
consilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi: & disciplina intellectus replevit illos.

6. Creavit illis scientiam (b) spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala & bona ostendit illis:

7. Po-

6 & 7. (c) Nempe ex uno pio amplam sobolem excrevisse, & impiorum familias ad nihilum redactas. *Synagoga*. Ubi populus est flagitiosus. *Ignis*, Ultionis divinæ.

8. (d) Gr. Non est *placatus*, Deus scilicet, etiam si multi essent numero, & fortes viribus.

9 & 11. (e) Sodomitis, ubi Lot peregrinus agebat. *Peditum*, Israelitarum qui ex Ægypto profecti rebelles & increduli prostrati sunt in deserto, & miseratus non est: quid non metuere debent singuli contumaces?

12. (f) Gr. *Princeps propitiationum*, in parcendo primus, valde placabilis, & cito effundens iram.

13. & 14. (g) Ut multa est misericordia ejus, qua ignoscit pœnitentibus; ita & correptio, aut punitio. *Sufferentia*. Non diu expectabit mercedem bonarum actionum: Gr. Non *fraudabit* (Deus) *expectationem pii*.

20 (h) Gr. *De illis*, nempe operibus Dei supra memoratis. Cor *hominis cogitare nescit*.

21. (i) Ventos procellosos, quorum caussæ latent; effectus videntur, ut arbores eversæ, dejecta tecta: sic Deus per se nobis incognitus, per opera cognoscitur.

22 (k) Quomodo Deus animadversurus est in impios. *Sustinebit*. Expectabit: Non statim Deus ulciscitur, quod homines non attendunt. *Quibusdam*: Testamenti nomen in Vulgata sæpe pro cujusque sententia accipitur. Longe remotus est a cognitione nostra ordo judiciarius, quo utitur: lex illa occulta, qua Deus in acta hominum inquirit, multos fugit. *Interrogatio*, Inquisitio. *In consummatione*, In extremo judicio, Gr. *Tandem tamen malefacta puniuntur*.

23. (l) Qui intellectu deficit. *Cogitat*, Vanitates sæculi.

25 (m) Gr. *Quasi in bilance*, In pondere, *Spiritus*, Justo mentis examine.

26. (n) Ordinem & nexum operum Dei incipit enarrare, quod facta sint, & disposita summo judicio. *Distinxit*, Gr. *Ex quo ea fecit*. Distinxit partes eorum. *Gentibus*, Ad sua principia & genera revocata, spatiis quoque disposita libere expediunt suos motus.

27. (o) Gr *Ordinavit in perpetuum opera sua, & imperia eorum in potestate Dei sunt*, Astra quæ rebus inferioribus præsunt. *Laboraverunt*. Non sunt defatigata sidera eundo & redeundo.

28. (p) Gr. *Alterum non extrusit alterum*. Astra de locis suis non extruduntur ab aliis, ut in turba fieri solet: ea quibus ita concludit.

29 (q) Non sis incredulus: addit Gr. *Et usque in æternum non repugnabunt verbo illius*, Elementa, sidera, & partes queque Universi.

31. (r) Anima vivens judicat Deum implevisse terram bonis suis. *Reversio*. Animantes rediture sunt in terram.

CAPUT XVII. 2. (a) In terram secundum corpus. *Et secundum se*, juxta ejus naturam. *Virtute*, Fortitudine, aut mentis acumine.

6. (b) Ut per lumen naturale non solum temporalia disponerent, sed etiam bonum, a malo discernerent.

7. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum,

8. Ut nomen (c) sanctificationis collaudent: & gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus.

9. Addidit illis disciplinam, & legem (d) vitæ hæreditavit illos.

10. Testamentum æternum constituit cum illis, & justitiam & judicia sua ostendit illis.

11. Et magnalia honoris ejus vidit oculus illorum, & honorem vocis audierunt aures illorum, & dixit illis: Attendite (e) ab omni iniquo.

12. Et mandavit illis unicuique de proximo suo.

13. Viæ illorum coram ipso sunt semper, non sunt absconsæ ab oculis ipsius.

* Rom. 13. 1. 14. * In unamquamque gentem præposuit rectorem:

15. Et pars Dei, Israel facta est (f) manifesta.

16. Et omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei: & oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum.

17. Non sunt absconsa (g) testamenta per iniquitatem illorum, & omnes iniquitates eorum in conspectu Dei.

* Infr. 29. 16. 18. * Eleemosyna viri quasi signaculum (h) cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conservabit.

* Matth. 25. 35. 19. * Et postea resurget (i), & retribuet illis retributionem, unicuique in caput ipsorum, & convertet in interiores partes terræ.

20. Pœnitentibus autem dedit viam justitiæ, & confirmavit deficientes sustinere, & destinavit illis sortem veritatis.

21. Convertere ad Dominum, & relinque peccata tua:

22. Precare ante faciem Domini, & minue offendicula.

23. Revertere ad Dominum, & avertere ab injustitia tua, & nimis odito execrationem:

24. Et cognosce justitias & judicia Dei, & sta in sorte (k) propositionis, & orationis altissimi Dei.

* Tob. 6. 6 Isa. 38. 19. 25. In partes vade sæculi (l) sancti, * cum vivis & dantibus confessionem Deo.

26. Non demoreris in errorem impiorum, ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil, perit (m) confessio.

27. Confiteberis vivens, vivus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius.

28. Quam magna misericordia Domini, & propitiatio illius, convertentibus ad se!

29. Nec enim omnia possunt esse in hominibus, quoniam non est immortalis (n) filius hominis, & in vanitate malitiæ placuerunt.

30. Quid lucidius sole? & hic deficiet. Aut quid nequius quam quod excogitavit caro & sanguis? & hoc arguetur.

31. Virtutem altitudinis cæli ipse conspicit: & omnes homines terra & cinis.

C A P U T XVIII.

Beneficentiam & miserationem commendat; considerate loquendum; orationi instandum; pravæ cupiditates resecandæ.

1. QUi vivit in æternum, creavit omnia simul (a). Deus solus justificabitur, & manet invictus rex in æternum. * Gen. 1. 1.

2. Quis sufficit enarrare opera illius?

3. Quis enim investigabit magnalia ejus?

4. Virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit? aut quis adjiciet enarrare misericordiam ejus?

5. Non est minuere, neque (b) adjicere, nec est invenire magnalia Dei.

6. Cum consummaverit homo, tunc incipiet: & cum quieverit, aporiabitur.

7. Quid est homo, & quæ est (c) gratia illius? & quid est bonum, aut quid nequam illius?

8. * Numerus dierum hominum ut multum centum anni: quasi gutta aquæ maris deputati sunt: & sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die ævi. * Psal. 89. 10.

9. Propter hoc patiens est Deus in illis, & effundit super eos misericordiam suam.

10. Vidit (d) præsumptionem cordis eorum quoniam mala est, & cognovit subversionem illorum quoniam nequam est.

11. Ideo adimplevit propitiationem suam in illis, & ostendit eis viam æquitatis.

12. Mise-

8. (c) Spiritu suo & gratiæ fulgens cor eorum illustravit, ut nomen Dei sanctum collaudent.

9. (d) Veteris Testamenti, quam addidit legi naturali.

11. & 12. (e) Hæc summa est secundæ Tabulæ Decalogi. Mandavit. Mandata dilectionis, & beneficentiæ spiritualis in primis, qualis est fraterna correctio.

15. (f) Gr. Unicuique genti dedit præsidem, at Israel portio Dei est: ut ceteræ gentes a suis regibus, ita populus Hebræus a Deo ipso regebatur.

17. (g) Gr. Non sunt absconsæ injustitiæ illorum. Non latebunt eum injustitiæ illorum.

18. (h) Nec bona opera, ut eleemosynæ, Deum latent: sed sunt quasi res sigillo clausæ; inviolabile divinæ misericordiæ pignus.

19. & 20. (i) Tandem consurget in impios. Terræ. Necabit impios: vel aliter, educet bonos & malos e penetralibus terræ, in ipsa resurrectione. Viam justitiæ. Gr. Reditum in viam. Deficientes. Sub plagis fatiscentes. Qua ratione in viam redeat homo, subinde docet, 1. Ut peccandi affectum exuas, 2. Ut precibus ad Deum fusis peccandi habitum deleat, 3. Occasiones pravas fugiat, 4. Ad Deum per amorem justitiæ se convertat, 5. Timorem judiciorum Dei cum spe salutari conjungat.

24. (k) In sorte tibi proposita observando legis, vel in eo statu, in quem Deo miserante perductus es, permanens. In Græco additur: Altissimo quis laudem canet in inferno?

25. (l) Eorum qui pie vivunt, & Deum laudant, in Ecclesia ipsa, in terra viventium, vita gestæ.

26. (m) Gr. Quasi nullo, perit confessio; Laus Dei. Non enim homo est, licet anima superstit.

29 & 30 (n) Non est perfectus, ut Angeli, malitia ipsa delectatur. Deficiet. Quanto magis homo? Gr. Delinquium patitur.

CAPUT XVIII. 1. (a) Gr. Communiter, Pariter, nulla re excepta. Justificabitur, Irreprehensus est in operibus suis; per se solus est justus. Pergit Dei magnitudinem, & hominis infirmitatem describere.

5. (b) Gr. Tunc dubitabit. Cum se ad perfectam divini operis intelligentiam putabit devenisse, tunc incipiet: Cumque re velut confecta quieverit, & a quærendo destiterit, tum in pristinam ignorantiam se devolui sentiet: anceps erit, & incertus obstupescet, quod tam multa omiserit.

7. (c) Gr. Utilitas, aut quid nequam illius? Malum: Nemo scit quid sit sibi bonum & malum, Deus ipse docet; vel potius in quo utilis Deo esse possit, aut ei nocere? Quod bonum ab homine ad Deum redit?

10. (d) Gr. Vidit exitum eorum fore malum; si peccare pergerent.

12. Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem (e) carnem.

13. Qui misericordiam habet, docet & erudit quasi pastor gregem suum.

14. Miseretur excipientis doctrinam miserationis, & qui festinat in judiciis (f) ejus.

15. Fili in bonis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali.

16. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum melius (g) quam datum.

17. Nonne ecce verbum super datum bonum? sed utraque cum homine (h) justificato.

18. Stultus acriter (i) improperabit, & datus indisciplinati tabescere facit oculos.

19. Ante judicium para justitiam (k) tibi, & antequam loquaris disce.

* 1 Cor. 11. 13. 20. Ante languorem adhibe medicinam, * & ante judicium interroga teipsum, & in conspectu (l) Dei invenies propitiationem.

21. Ante languorem humilia te, & in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam.

* Luc. 18. 1. 1 Thess. 5. 17. 22. * Non impediaris orare semper, & ne verearis usque ad mortem justificari: quoniam merces Dei manet in æternum.

23. Ante orationem præpara (m) animam tuam: & noli esse quasi homo qui tentat Deum.

* Sup. 7. 18. 24. * Memento iræ in die consummationis, & tempus retributionis in conversatione (n) faciei.

* Sup. 11. 27. 25. * Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatum paupertatis in die divitiarum.

26. A mane usque ad vesperam immutabitur tempus (o), & hæc omnia citata in oculis Dei.

27. Homo sapiens in omnibus metuet, & in diebus delictorum (p) attendet ab inertia.

28. Omnis astutus agnoscit sapientiam, & invenienti eam dabit (q) confessionem.

29. Sensati in verbis & ipsi sapienter egerunt: & intellexerunt veritatem & justitiam, & impleverunt proverbia (r) & judicia.

30. * Post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua avertere. * Rom. 6. 12. 13. & 13. 14.

31. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.

32. Ne oblecteris in turbis (s) nec in modicis: assidua enim est commissio illorum.

33. Ne fueris mediocris in contentione (t) ex fœnore, & est tibi nihil in sacculo: eris enim invidus vitæ tuæ.

CAPUT XIX.

De continentia, sobrietate, parsimonia, & vitiis oppositis; loquacitas & detractio fugienda.

1. Operarius ebriosus non locupletabitur: & qui spernit modica, paullatim (a) decidet.

2. * Vinum & mulieres apostatare (b) faciunt sapientes, & arguent sensatos: * Gen. 19. 33. 3. Reg. 11. 1.

3. Et qui se jungit fornicariis (c), erit nequam: putredo & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum majus, & tolletur de numero anima ejus.

4. * Qui credit cito, levis (d) corde est, & minorabitur: & qui delinquit in animam suam, insuper habebitur. * Jos. 9. 15. & 22. 11.

5. Qui gaudet iniquitate (e), denotabitur: & qui odit correptionem, minuetur vita: & qui odit loquacitatem, extinguit malitiam.

6. Qui peccat in animam suam, pœnitebit: & qui jucundatur in malitia, denotabitur.

7. Ne iteres verbum nequam & durum, & non minoraberis (f).

8. Amico & inimico noli narrare (g) sensum tuum: & si est tibi delictum, noli denudare.

9. Audiet enim te, & (h) custodiet te, & quasi defendens peccatum odiet te, & sic aderit tibi semper.

10. Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te (i) disrumpet.

11. A fa-

12. & 13. (e) Græc. *Misericordia autem Domini ad omnem carnem*, ad omnem hominem pertinet. Corripiens, & erudiens, docens, & revocans, ut pastor gregem suum.

14. & 15. (f) Qui festinat ad præcepta ejus. *In bonis*, Largiendis. *Querelam*, Ne gratiam beneficiorum corrum; at verbis asperis.

16. (g) Ut ros temperat æstivum calorem, ita dulcis sermo cum benignitate conjunctus inopiam lenit. Nam verba fiunt benevolentiæ argumenta, ubi sunt apposite dicta: dono gratiam addit oratio.

17. (h) Gr. *Apud hominem gratiosum* (mitem) Utrumque & verbum lene & donum præsto sunt homini justo. Utrumque præstat homo justus & bonus.

18. (i) Ipsa beneficia. *Datus*. Gr. datio. *Oculos*. Qui ita dat, ut accipienti donum invideat; qui lædit magis quam bene meretur de homine, dominari vult per liberalitatem. Avarus dat exigua cum magno fastu, quæ accipi sine mœrore non possunt.

19. (k) De judicio hominum & Dei recte hæc sententia intelligitur; antequam ad magistratus judicium te sistas, caussam habeas justam & bene instructam. Sic ante judicium Dei subeundum justitia paranda est per bona opera.

20. & 21. (l) Gr. *In hora visitationis & judicii*. Imitare medicos qui morbos præveniunt.

23. (m) Cum anima tota in variis suis occupationibus dissipetur, via se in oratione colligit.

24. (n) Gr. *Conversione*, Cum Deus vultum averterit in die ultionis.

26. (o) Occasio. Rerum status: *Et hæc omnia sunt citata*, velocia; *in oculis Dei*, qui uno ictu rem peragit.

27. (p) Quamdiu vivimus; vel cum mala ubique exempla instant.

28. (q) Eamdem; Prudens cum audit quæ sapienter ab aliis dicuntur, hæc statim amplectitur, & probat.

29. (r) Gr. *Et instillarunt quasi imbrem proverbia*, exquisitas sententias.

32. (s) Gr. *In multa epulatione*. *Illorum*. Symbola comessationi dicata. Noli indulgere deliciis.

33. (t) Gr. *Non fias pauper de symbolis comessans ex fœnore*, *Invidus*, Gr. *Male consulens vitæ tuæ*. Cum pauper sis, noli convivari mutuo sumptis in id pecuniis.

CAP XIX. 1. (a) Neglecta enim leviora peccata crescunt, & paullatim opprimunt. Dum consuescimus minoribus culpis, majorum horror minuitur.

2. (b) Aberrare. *Arguent*, Imbecillis animi, vel iis ignominiam afferunt: vel denique reprehensione dignos efficiunt.

3. (c) Meretricibus. *Nequam*, Gr. *Audacior*, contumacior, præceps in flagitia. *Putredo*, Mire, ut ait Grotius, hoc convenit in illum morbum, qui nostro sæculo vagas libidines sequitur. *Majus*, Audax & rebellis *erit in exemplum majus*: in aliorum insigne exemplum.

4. (d) Charitas omnia credit, sed Deo loquenti: qui facile se committit scortis, de quibus agere cœperat. *Insuper*, Contemnetur.

5. (e) Condemnabitur, Ignominia afficietur. *Vita*, Peccata peccatis addet, inde exitium.

7. (f) Nihil ob id tibi peribit. Ne referas aliis quod audisti de vitiis proximi.

8. (g) Ex æquo & indifferenter, vel amico e vulgo.

9. (h) Observabit; *Et sic aderit tibi semper*, ut noceat occasione data.

10. (i) Illud silentio pressum non te disrumpet instar veneni.

12. A facie verbi (*k*) parturit fatuus, tamquam gemitus partus infantis.

13. Sagitta infixa (*l*) femori carnis, sic verbum in corde ftulti.

*Lev. 19. 17. Matth. 18. 15. Luc. 17. 3. 13. * Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat: Non feci: aut si fecerit, ne iterum addat facere.

14. Corripe proximum, ne forte non dixerit; & si dixerit, ne forte iteret.

15. Corripe amicum; sæpe enim fit commissio (*m*).

16. Et non omni verbo credas: est qui labitur lingua, sed non ex animo.

**Jac. 3. 8. 17. * Quis est enim qui non deliquerit in lingua sua? Corripe proximum antequam (*n*) commineris.

18. Et da locum (*o*) timori Altissimi: quia omnis sapientia timor Dei, & in illa timere Deum, & in omni sapientia dispositio legis.

19. Et non est sapientia nequitiæ (*p*) disciplina: & non est cogitatus peccatorum prudentia.

20. Est nequitia, & in ipsa execratio: & est insipiens (*q*) qui minuitur sapientia.

21. Melior est homo, qui minuitur sapientia, & deficiens sensu in timore, quam qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi.

22. Est solertia certa, & ipsa iniqua.

23. Et est qui emittit verbum certum enarrans veritatem. Est qui nequiter humiliat se, & interiora ejus plena sunt dolo.

24. Et est qui se nimium submittit a multa humilitate: & est qui inclinat faciem suam, & fingit se non videre quod ignoratum est:

25. Et si ab imbecillitate virium vetetur peccare, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet.

26. Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur (*r*) sensatus.

27. Amictus corporis, & risus (*f*) dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.

28. Est correptio (*s*) mendax in ira contumeliosi: & est judicium, quod non probatur esse bonum: & est tacens, & ipse est prudens.

C A P U T XX.

Pergit de increpatione & loquacitate disserere, necnon de muneribus & mendaciis.

1. Quam bonum est arguere (*a*), quam irasci, & confitentem in oratione non prohibere!

2. * Concupiscentia (*b*) spadonis devirginabit juvenculam: *Inf. 30. 21.

3. Sic qui facit per vim judicium iniquum.

4. Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam! sic enim effugies voluntarium peccatum.

5. Est tacens, qui invenitur sapiens: & est odibilis, qui procax est ad loquendum.

6. Est tacens non habens sensum loquelæ: & est tacens sciens tempus aptum.

7. Homo sapiens tacebit usque ad tempus: lascivus autem & imprudens non servabunt tempus.

8. Qui multis utitur verbis, lædet animam suam: & qui potestatem sibi sumit injuste, odietur.

9. Est processio in malis (*c*) viro indisciplinato, & est inventio in detrimentum.

10. Est datum, quod non est utile: & est datum, cujus retributio duplex.

11. Est propter gloriam minoratio (*d*): & est qui ab humilitate levabit caput.

12. Est qui multa redimat (*e*) modico pretio, & restituens ea in septuplum.

13. Sapiens in verbis seipsum amabilem facit: gratiæ autem fatuorum (*f*) effundentur.

14. Datus insipientis non erit utilis tibi: oculi enim illius septemplices sunt.

15. Exigua dabit, & multa (*g*) improperabit: & apertio oris illius inflammatio est.

16. Hodie fœneratur quis, & cras expetit: odibilis est homo hujusmodi.

17. Fatuo

12. (*k*) Verbum stulto erumpit, ut gemitus parienti; idque maxime cum quod audivit statim profert, eoque pondere quam premitur, quo sublevari conatur. *A facie verbi*: Ex verbo commisso, Hebraismus.

13. (*l*) Verbo vulneratur: vel stulto, quod audivit, est velut sagitta, quam statim vult extrahere.

15. & 16. (*m*) Gr. *Calumnia*. *Ex animo*. Pleraque rumores falsi sunt, aut incerti, qui turbare nos non debent. Ita personis potius verba interpretari debemus, quam vicissim.

17. (*n*) Ne ira magis quam admonendi studio corripi se putet; *Instruite hujusmodi in spiritu lenitatis*, Gal. 6. Præstat blande admonere amicum, quam verbis asperis uti.

18. (*o*) Gr. *Legi Altissimi*, quia jubetis proximum diligere, ut te ipsum. *Dispositio*, Gr. *Executio*; non enim verbis, sed factis sapientem esse oportet.

19. (*p*) Hanc tenebrosam prudentiam mundus extollit, quæ nec timoris Dei, nec conscientiæ ratione habita, ad finem suum per iniquas vias nititur, virtutis specie, aut fictæ probitatis velo pessima quæque consilia tegit. *Peccatorum*: Gr. Hominum peccatorum. *Prudentia*, Calliditas perversa imitatur prudentiam.

20. (*q*) Aperta est, & exesa. *Insipiens*, Non modo qui aperte desipit, sed qui minuitur sapientia, cujus conditio melior est quam callidi.

26. (*r*) Ex vultu qui incurrit in oculos, cognoscitur sensatus. Vultus est sermo quidam tacitus mentis. Cicero in Pisonem.

27. (*f*) Qui modicum sapienti, stulto effusum. *Enuntiant*. Tribus his maxime homines innotescunt. Amictus insolens, vel incompositus, vel affectata munditia, aut squalor; risus immodestus & petulans; incessus superbus, status, sessio, accubitus, vultus, oculi, manuum motus, aut desultorius in stulto se produnt. Contra in sapientis fronte elucet prudentia, candor, & puritas cordis in oculis, gravitas in vultu. Neutique in iis quæ foris sunt, posita est religio; sed quidquid boni est aut mali in exteriori hominis habitu, ex interiori animi dispositione proficiscitur; ex vanitate cordis luxus in vestibus, cirra ex levitate animi, indecorus gestus ex mobilitate proficiscitur.

28. (*s*) Quæ ex ira & commotione animi oritur. Est judicium quod non probatur esse bonum, cum temere & re non satis cognita judicamus.

CAP. XX. 1. (*a*) Quanto est melius. Gr. *Et qui vicissim confitetur, redarguitur, prohibetur a damno*. Hinc bona est correptio, quia per eam qui peccavit, agnoscens culpam, ab imminente sibi malo eximitur.

2. (*b*) Ut qui impotenti ardore aggreditur virginem, eam quantum in ipso est, violat, ita qui per iniqua judicia legi vim infert, quantum in ipso est, legis castitatem perrumpit. Judicis enim fidei justitia ipsa, ut virgines olim eunuchis, custodienda committitur, atque ex hac comparatione quantum iniqui judices adversus Deum, qui est ipsa justitia, peccent, Sapiens insinuat.

9. (*c*) Felix successus qui male vertit, ut interdum adversa prosperum habent exitum.

11. (*d*) Ut de Galba Tacitus Hist. Lib. 1. *Omnium consensu capax imperii, nisi imperasset*.

12. (*e*) Vili pretio merces emunt pessimas. *Septuplum*, Gr. *Rependit*.

13. & 14. (*f*) Stultorum beneficia fructu carent, quia fiunt sine delectu. *Septemplices*. Res objectas multiplicant: dant enim, ut multo plus accipiant.

15. (*g*) Parum dat, & multa expectat; quasi multum dederit, sic exprobrat, & beneficia sua commemorat. *Apertio*, Gr. *Et aperiet os suum tamquam præco*.

17. Fatuo non erit (*h*) amicus, & non erit gratia bonis illius.

18. Qui enim edunt panem illius, falsæ (*i*) linguæ sunt. Quoties, & quanti irridebunt eum?

19. Neque enim quod habendum erat, directo sensu distribuit: similiter & quod non erat habendum.

20. Lapsus falsæ (*k*) linguæ, quasi qui in pavimento cadens: sic casus malorum festinanter veniet.

21. Homo acharis quasi fabula vana, in ore indisciplinatorum assidua erit.

22. Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore suo.

23. Est qui vetatur peccare pro inopia, & in requie sua (*l*) stimulabitur.

24. Est qui perdet animam suam præ confusione, & ab imprudenti persona (*m*) perdet eam: personæ autem acceptione perdet se.

25. Est qui præ confusione promittit amico, & lucratus est eum inimicum gratis.

26. Opprobrium nequam in homine (*n*) mendacium, & in ore indisciplinatorum assidue erit.

27. Potior fur quam assiduitas (*o*) viri mendacis: perditionem autem ambo hæreditabunt.

28. Mores hominum mendacium sine honore: & confusio illorum cum ipsis sine intermissione.

29. Sapiens in verbis producet seipsum, & homo prudens placebit magnatis.

30. Qui operatur terram suam, inaltabit acervum frugum: & qui operatur justitiam, ipse exaltabitur: qui vero placet (*p*) magnatis, effugiet iniquitatem.

* Exod. 23. 8. Deut. 16. 19. 31. * Xenia & dona excæcant oculos judicum, & quasi mutus in ore avertit (*q*) correptiones eorum.

* Infr. 41. 17. 32. * Sapientia absconsa & thesaurus invisus: quæ utilitas in utrisque?

33. Melior est qui celat (*r*) insipientiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.

CAPUT XXI.

Cavendum a peccandi consuetudine, ab omni procacitate in verbis, gestu, moribus.

1. Fili peccasti? non adjicias iterum: sed & de pristinis deprecare ut tibi dimittantur.

2. Quasi a facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te.

3. Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum.

4. Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas.

5. Objurgatio (*a*) & injuriæ annullabunt substantiam: & domus quæ nimis locuples est, annullabitur superbia: sic substantia superbi eradicabitur.

6. Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus perveniet, & judicium festinato adveniet illi.

7. Qui odit correptionem, vestigium (*b*) est peccatoris: & qui timet Deum, convertetur ad cor suum.

8. Notus a longe potens lingua (*c*) audaci: & sensatus scit labi se ab ipso.

9. Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos (*d*) in hieme.

10. * Stuppa collecta synagoga peccantium, * Sup. 16. 7.
& consummatio illorum flamma ignis.

11. Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.

12. Qui custodit justitiam, continebit (*e*) sensum ejus.

13. Consummatio timoris Dei, sapientia & sensus.

14. Non erudietur qui non est sapiens in bono.

15. Est autem sapientia, quæ abundat in malo: & non est sensus ubi est (*f*) amaritudo.

16. Scientia sapientis tamquam inundatio abundabit, & consilium illius sicut fons vitæ permanet.

17. Cor fatui quasi vas (*g*) confractum, & omnem sapientiam non tenebit.

18. Verbum sapiens quodcumque audierit scius, laudabit, & ad se adjiciet: audivit luxuriosus, & displicebit illi, & projiciet illud post dorsum suum.

19. Narra-

17. (*h*) Gr. *Fatuus dicet*, Non est mihi *amicus*. *Gratias*, Seu memor animus. *Bonis*, Beneficiis. Ita de se sentit.

18. (*i*) Gr. *Mali sunt linguæ*, Sapores non discernunt. Prodigorum beneficia veram non habere gratiam ostendit, quia pascunt adulatores, & mendaces.

20. & 25. (*k*) Gr. *Lapsus ex pavimento magis optandus, quam lapsus ex lingua*: adeo subito ruina malorum advenit. *Acharis*, Insulsus, sine gratia. *Fabula*, Gr. *Intempestiva*.

23. (*l*) Eam quietem moleste ferunt. Sunt qui præ inopia peccare prohibentur, sed peccandi affectum & voluntatem non iis aufert inopia.

24. (*m*) Gratificatus imprudenti personæ: pudor utilis est cum nos a malo, non autem ubi a præceptis Dei nos deterret. *Persona*, Nam perversus ille pudor ex alterius reverentia nascitur.

26. (*n*) Vox Græca vitium grave significat. *Assidue*, Perquam frequens est.

27. (*o*) Fur raro furatur, mendax nihil ferme aliud agit: sed utrique male perire solent.

30. (*p*) Per bonas artes. *Effugiet*, Gr. *Expiabit iniquitatem*: Si quid peccaverit, effugiet pœnam.

31. (*q*) Gr. Et *quasi frænum in ore avertunt increpationes*. Cum aliquis obmutescit, punitionem vitat.

33. (*r*) Est enim pars sapientiæ. *Suam*, Qui veritatem premit loco & tempore, & reipsa recta consilia denegat. Est enim turpe aut adulationis aut invidiæ vitium.

CAP. XXI. 5. (*a*) Pronomen *ejus*, videtur ad Deum referri. Non in vanum abibit, sed audietur pauperis oppressi deprecatio.

7. (*b*) Gr. *Vestigia premit maligni*, seu diaboli vel infidelis vestigia hominis peccare consueti.

8. (*c*) Vultu ipso se indicat: vox *audaci*, deest in Græco. *Ab ipso*, Vitat illum ob lubricitatem linguæ.

9. (*d*) Gr. *In hiemem*, Alieno tempore: alii legunt, *Lapides congerit ad tumulum sepulturæ suæ*, qui scilicet domum ædificat ex ære alieno, vel ex injuste acquisitis.

12. (*e*) Quo justior quisque, hoc est oculatior.

15. (*f*) Insanum est ea concupiscere, quorum est tristis exitus. Gr. *Est astutia multiplicans amaritudinem* invidiæ & libidinum, quæ cor ipsum corrumpunt. *Fons vitæ*, Fons perennis.

17. & 18. (*g*) Sanctas instructiones non retinet, sed sapiens *ad se adjiciet*: sibi applicat verbum quod audit, eoque nutritur.

19. Narratio fatui quasi sarcina in via: nam in labiis sensati invenietur gratia.

20. Os prudentis quæritur in (*h*) Ecclesia, & verba illius cogitabunt in cordibus suis.

21. Tamquam domus exterminata, sic fatuo (*i*) sapientia: & scientia insensati inenarrabilia verba.

22. Compedes (*k*) in pedibus, stulto doctrina, & quasi vincula manuum super manum dextram.

23. Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacite ridebit.

24. Ornamentum aureum prudenti doctrina, & quasi brachiale in brachio dextro.

25. Pes fatui facilis in domum proximi: & homo peritus confundetur a persona potentis.

26. Stultus a fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foris stabit.

27. Stultitia hominis auscultare per ostium: & prudens gravabitur (*l*) contumelia.

28. Labia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium statera ponderabuntur.

29. In ore fatuorum (*m*) cor illorum: & in corde sapientium os illorum.

30. Dum maledicit impius diabolum (*n*), maledicit ipse animam suam.

31. Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur: & qui cum eo manserit, odiosus erit: tacitus & sensatus honorabitur.

CAPUT XXII.

Piger ab omnibus spernitur; liberi male instituti; quæ vitia violent amicitiam: de lingua.

1. IN lapide luteo (*a*) lapidatus est piger, & omnes loquentur super aspernationem illius.

2. De stercore boum lapidatus est piger: & omnis, qui tetigerit eum (*b*), excutiet manus.

3. Confusio patris est de filio indisciplinato: filia autem in deminoratione fiet.

4. Filia prudens (*c*) hæreditas viro suo: nam quæ confundit, in contumeliam fit genitoris.

5. Patrem & virum confundit audax, & ab impiis non minorabitur: ab utrisque autem inhonorabitur.

6. Musica in luctu importuna narratio (*d*): flagella & doctrina in omni tempore sapientia.

7. Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat (*e*) testam.

8. Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de (*f*) gravi somno.

9. Cum dormiente loquitur (*g*) qui enarrat stulto sapientiam: & in fine narrationis dicit: Quis est hic?

10. * Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus: & supra fatuum plora, defecit enim sensus. *Inf. 18.16.

11. Modicum plora (*h*) supra mortuum, quoniam requievit.

12. Nequissimi enim nequissima vita super mortem fatui.

13. * Luctus mortui septem dies: fatui autem & impii, omnes dies vitæ illorum. * Gen. 50. 10.

14. Cum stulto ne multum loquaris, & cum insensato ne abieris.

15. Serva te ab illo, ut non molestiam habeas, & non coinquinaberis peccato illius.

16. Deflecte ab illo, & invenies requiem, & non acediaberis (*i*) in stultitia illius.

17. Super plumbum quid gravabitur? & quod illi aliud nomen quam fatuus.

18. * Arenam, & salem, & massam ferri facilius est ferre quam hominem imprudentem, & fatuum, & impium. * Prov. 27. 3.

19. Loramentum ligneum colligatum in fundamento (*k*) ædificii non dissolvetur: sic & cor confirmatum in cogitatione consilii.

20. Cogitatus sensati in omni tempore, metu non depravabitur.

21. Sicut pali in excelsis, & cæmenta sine (*l*) impensa posita contra faciem venti non permanebunt:

22. Sic & cor (*m*) timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet.

23. Sicut cor trepidum in cogitatione fatui, omni tempore non (*n*) metuet, sic & qui in præceptis Dei permanet semper.

24. Pungens oculum deducit lacrymas: & qui pungit cor, profert sensum (*o*).

25. Mit-

20. (*h*) Vox illa significat cœtum legitimum. *Cordibus*, Digna judicantur quæ memoriæ infigantur.

21. (*i*) Quod charitatis fundamento sit destituta, vel quod incondite loquatur: Lapides sunt, non domus.

22. (*k*) Stultis molesta est doctrina instar compedum.

27. (*l*) Respicere per ostium, contumeliosum & grave ducet.

29. (*m*) Dicendo incalescunt, & tacenda proferunt. *Illorum*. Os suum continent, & in potestate habent; stultus inconsiderate loquitur. Sapiens prius cogitat quid dicturus sit. Stultorum mens in lingua natat; sapiens linguam mente comprimit.

30. (*n*) Sive satanam, aut potius calumniatorem adversarium. *Animam*; Cum impius execratur calumniatorem, seipsum execratur, cum ipse sit calumniator.

CAPUT XXII. 1. (*a*) Gr. *Lapidi conspurcato comparatus est piger*. Ab omnibus exsibilatur, & odio habetur.

2. & 3. (*b*) Qui eum expertus est, uti eo amplius nolet. *Fiet*, Detrimentum patris est, aut filia indisciplinata spernitur.

4. & 5. (*c*) Virum suum locupletabit. *Audax*, Impudens mulier ab utroque contemnetur, a patre & a marito.

6. (*d*) Correptio. *In sapientia*, Castigationes & doctrina tempestive adhibitæ, Gr. *In tempore*, A sapientia dimanant, Sapientiæ congruunt, non item musica.

7. (*e*) Stultus non est magis aptus ad discendum, quam testa fracta ad cohæsionem.

8. (*f*) E lethargo, aut caro. Frustra enim loquimur homini qui gravi oppressus somno non audit.

9. (*g*) Gr. *Dormitante*. *Quis est?* Gr. *Quid est?* Quod dicitur, quasi nihil audisset.

11. & 12. (*h*) Gr. *Jucundius*. Lacrymis placabilioribus. *Vita*, Miserrima, & vita ejus morte pejor. Gr. *Et stulti vita super mortem flebilis*.

16. & 17. (*i*) Gr. *Ne tædio efficiaris*, ob vecordiam ejus. *Nomen*, Quid gravius, nisi fatuus, qui ad quamcumque rem non se commovet? Vel potius, stultus neque alios, neque hunc alii ferre possunt.

19. (*k*) Ligna apte conserta in fulcimentum: Hieron. *Lignum quod ad continendos parietes in media structura ponitur*, *non dissolvetur*. *Confirmatum*. Viri graves exquisitis consiliis sunt firmi; contra leves & improvidi, de quibus vers. 21. & 22.

21. (*l*) Comparat cæmento, cui non satis calcis est admistum, ut sumptibus parceretur.

22. (*m*) Trepidum, nec firmis consiliis stabilitum. Gr. *Vasi posita in loco sublimi durare contra ventum nequeunt: Sic & cor timidum in stulta cogitatione contra ventum nullum subsistet*. Vasi, inquit Grotius, poni in summis montibus solent a venatoribus: hos vehemens ventus dejicit: pari modo homo levis, quovis metu ingruente de sententia dejicitur.

23. (*n*) Non sic metuet sapiens omni tempore, ut stultus. *Sic & qui in præceptis permanet*, quia per observationem mandatorum Dei firmatur contra malorum omnium metum.

24. (*o*) Intellectum elicit, & salutarem timorem exprimit, qui a Spiritu Sancto exprimitur.

25. Mittens lapidem in volatilia, dejiciet illa: sic & qui conviciatur amico, dissolvit amicitiam (*p*).

26. Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes: est enim regressus. Ad amicum

27. Si aperueris os triste (*q*), non timeas: est enim concordatio; excepto convicio, & improperio, & superbia, & mysterii revelatione, & plaga dolosa: in his omnibus effugiet amicus.

28. Fidem posside cum amico in paupertate illius, ut & in bonis illius læteris.

29. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut & in hæreditate illius cohæres sis.

30. Ante ignem camini vapor, & fumus ignis inaltatur: sic & ante sanguinem maledicta, & contumeliæ, & minæ.

31. Amicum salutare non confundar, a facie illius non me abscondam: & si mala mihi evenerint per illum, sustinebo.

32. Omnis qui audiet (*r*), cavebit se ab eo.

* Ps. 140. 3. 33. * Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me?

CAPUT XXIII.

Oratio ad Deum pro vera sapientia obtinenda; linguæ vitia cavenda, libidines fugienda.

1. Domine Pater, & dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in consilio eorum (*a*): nec sinas me cadere in illis.

2. Quis superponet in cogitatu meo (*b*) flagella, & in corde meo doctrinam sapientiæ, ut ignorationibus eorum non parcant mihi, & non appareant delicta eorum:

3. Et ne adincrescant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent, & incidam in conspectu adversariorum meorum, & gaudeat super me inimicus meus?

4. Domine pater, & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum.

5. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne desiderium averte a me.

6. Aufer a me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, & animæ (*c*) irreverenti & infrunitæ ne tradas me.

7. Doctrinam oris audite filii: & qui custodierit illam, non periet labiis, nec scandalizabitur in operibus nequissimis.

8. In vanitate (*d*) sua apprehenditur peccator, & superbus & maledicus scandalizabitur in illis.

9. * Jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. * Exod. 20. 7. Matth. 5.

10. Nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis: quoniam non eris immunis ab eis. 33.

11. Sicut enim servus interrogatus (*e*) assidue, a livore non minuitur: sic omnis jurans, & nominans, in toto a peccato non purgabitur.

12. Vir multum jurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga.

13. Et si (*f*) frustraverit, delictum illius super ipsum erit: & si dissimulaverit, delinquit dupliciter:

14. Et si in vacuum (*g*) juraverit, non justificabitur: replebitur enim retributione domus illius:

15. Est & alia loquela (*h*) contraria morti, non inveniatur in hæreditate Jacob.

16. Etenim a misericordibus omnia hæc auferentur, & in delictis non (*i*) volutabuntur.

17. Indisciplinatæ (*k*) loquelæ non assuescat os tuum: est enim in illa verbum peccati.

18. Memento (*l*) patris & matris tuæ; in medio enim magnatorum consistis:

19. Ne forte obliviscatur te Deus (*m*) in conspectu illorum, & assiduitate tua infatuatus, improperium patiaris, & maluisses non nasci, & diem nativitatis tuæ maledicas.

20. * Homo assuetus in verbis improperii, in omnibus diebus suis non (*n*) erudietur. * 2. Reg. 16. 7.

21. Duo genera (*o*) abundant in peccatis, & tertium adducit iram & perditionem.

22. Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur donec aliquid glutiat.

23. Et

25. & 26. (*p*) Gr. *Abegit*. *Gladium*, Strinxeris contra eum gladium. Non *desperes*, Quæ amicitiam lædunt, ab iis quæ illam disrumpunt, plane secernit.

27. (*q*) Vox, *triste*, non est in Græco: Si ousum aliquid dixeris, non *timeas*. *Concordatio*, In talibus est reconciliationi locus. *Improperio*, Gr. Excepta beneficii exprobratione. Et *superbia*, Amici contemptu. *Plaga*, Græce, quidquid nocet, *plaga* dicitur.

32. (*r*) A me agnosci amicum in adversa fortuna vel cum mihi dedisse damnum. *Ab eo*, Cum officio meo me non deesse alii viderint, ab eo cavebunt, ut ab homine, qui non meretur amici nomen.

CAPUT XXIII. 1. (*a*) Labiorum, & linguæ, de quibus vers. superiori. *In illis*, Verbis, aut consiliis, & per ea labi, aut corruere.

2. & 3. (*b*) Correptionis. *Sapientiæ*, Quis me admonendo in viam rectam deducat? *Eorum*, Gr. *Mei*, *Ignorationibus*, Optat sibi dari a Deo doctrinam sapientiæ, quæ mentem illuminet, ne multiplicatis ignorantiis & delictis cadat.

6. (*c*) Inverecundæ, *Infrunitæ*, Indocili, stolidæ.

8. & 10. (*d*) In imprudentia oris. *In illis*, In labiis superbus offendit. *Tuo*, Jurando. *Sanctorum*, Gr. Et nominationem *Sancti*, Id est, Dei, vel res sanctæ ne in vanum assumas.

11. (*e*) In examen adductus, & purgationis indigens. *A livore*, A plagis non erit immunis. *In toto*, In totum, omnino. *Non purgabitur*, Nulla fide eris dignus.

13. (*f*) Fidem jurejurando datam fefellerit. *Dissimulaverit*, Mala fide, & ficto animo promiserit, *Dupliciter*, Tanto est nequior.

14. (*g*) Nulla necessitate: triplex jurandi genus insinuat; juratam fidem fallere, ficto animo jurare, in vanum jurare. Non *justificabitur*, Non admittetur ejus excusatio.

15. (*h*) Conviciandi. *Contraria*, Ex adverso posita, & par morti. In Græcis quibusdam codicibus, *Ex æquo respondens morti*. In aliis. *Induta morte*: quæ mortem affert. Quidam de blasphemia intelligunt, quam qui protulisset, lapidibus obruebatur. Huic interpretationi favent quæ sequuntur, *Non inveniatur in hæreditate Jacob*: Absit tam grave peccatum a populo Dei.

16. (*i*) In talibus delictis non volutentur.

17. (*k*) Temerariæ loquacitati. *Peccati*, verbum pro re. Vox Græca id omne quod non decet, & præsertim obscœnam licentiam significat.

18. (*l*) Ne sis maledicus. *Consistis*, Alioquin vocaberis in judicium: vel cum sederis inter proceres, ne dissimules te nosse patrem & matrem.

19. (*m*) Ne te deserat. *Illorum*, Judicum, qui turpi nota te inurant. *Infatuatus*. Consuetudine hac mala *infatueris*, dissipiat, quasi parentum te pudeat.

20. (*n*) Maledicentiam omnem, & convicia insinuat: loquacitas illa imperita, & rustica ægre divellitur; nam iis assuetus, etiam in monitorem insurgit, & pro salubri correptione convicia regerit.

21. 22. & 23. (*o*) Hominum. *In peccatis*, Jurans, & maledictis assuetus. *Et tertium*, Libido. *Ignis ardens*, Æstu libidinum, vel homo iracundus. *Glutiat*, Græc. *Deglutiatur*, sui ipsius igne absumptus. *Nequam*, Gr. Fornicarius. *In ore*, Gr. *Corpore*. *Ignem*. Quo ipse tabescat in explenda libidine.

23. Et homo nequam in ore carnis suæ, non definet donec incendat ignem.

24. Homini fornicario omnis panis (p) dulcis, non fatigabitur transgrediens usque ad finem.

25. Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, & di-
*Isa.29.15. cens: * Quis me videt?

26. Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus.

27. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit (q) a se timorem Dei hujusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum:

28. Et non cognovit quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.

29. Domino enim Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum (r) respicit omnia.

30. Hic in plateis civitatis vindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur: & ubi non speravit, apprehendetur.

31. Et erit dedecus omnibus, eo quod non intellexerit timorem Domini.

* Lev. 20. 10. Deut. 22. 22. 32. * Sic & mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio:

33. Primo enim in lege Altissimi (f) incredibilis fuit: secundo in virum suum deliquit: tertio in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi.

34. Hæc in ecclesiam adducetur, & in filios ejus respicietur (t).

35. Non tradent filii ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum.

36. Derelinquet in maledictum memoriam ejus, & dedecus illius non delebitur.

37. Et agnoscent qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est quam timor Dei: & nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini.

38. Gloria magna est sequi Dominum: longitudo enim dierum assumetur ab eo.

CAPUT XXIV.

Laus sapientiæ, origo illius, & fructus.

1. SApientia laudabit animam (a) suam, & in Deo honorabitur, & in medio populi sui gloriabitur,

2. Et in ecclesiis Altissimi aperiet os suum, & in conspectu virtutis (b) illius gloriabitur.

3. Et in medio populi sui exaltabitur, & in plenitudine sancta admirabitur,

4. Et in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur, dicens:

5. Ego ex ore Altissimi (c) prodivi primogenita ante omnem creaturam:

6. Ego feci in cælis ut oriretur lumen (d) indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram:

7. Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis.

8. Gyrum cæli circuivi sola, & profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi,

9. Et in omni terra steti: & in omni populo,

10. Et in omni gente primatum (e) habui:

11. Et omnium excellentium & humilium corda virtute calcavi: & in his (f) omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor.

12. Tunc præcepit (g), & dixit mihi Creator omnium: & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo,

13. Et dixit mihi: In Jacob (h) inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices.

14. * Ab initio (i), & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministravi. * Prov. 8. 22.

15. Et sic in Sion firmata (k) sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerusalem potestas mea.

16. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea.

17. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte (l) Sion:

18. Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Jericho:

19. Quasi

24. (p) Libidine actus mulieres amat, & pulchras, & deformes. *Ad finem*, Non cessabit a peccato usque ad finem vitæ: hoc peccatum quo frequentius, eo difficilius exuitur.

27. (q) Deum in Græco. *Illum*, Græcus textus sic habet: *Et oculi hominum timor ejus*: Non Dei, sed hominum oculos timet.

29. & 30. (r) Postquam facta sunt omnia. *Vindicabitur*, De adulteris videtur loqui, qui a publicis judiciis puniuntur.

33. (f) Incredula. *Deliquit*. Cui fidem fefellit. *Statuit*, Hæc tria in Deum, maritum, & sobolem peccavit.

34. 35. 36 & 38. (t) Inquisitio fiet, an sint legitimi, necne. *Radices*, Non habebunt firmas sedes, posteritas ejus intercidet. *Maledictum*, Relinquet post se memoriam detestabilem. *Ab eo*, Caussa vitæ longæ amatur ab eo.

CAPUT XXIV. 1. (a) Hebraismus, *seipsum*: Dei sapientia est Deus; sic solos Israelitas populum suum appellat.

2. & 3. (b) In templo, ubi est arca. Vox Græca *δύναμις*, sæpe in Scriptura exercitum Dei, seu Angelos significat. *Plenitudine*. Uno consensu ers. admirationi.

5. (c) Deus ex Deo. *Primogenita*, Sic Paulus vocat Christum primogenitum omnis creaturæ, hoc est, genitum antequam quicquam crearetur. Hæc laudibus B. Virginis ab Ecclesia commodari solent, quod ab æterno prædestinata sit mater falu Dei.

6. (d) Sol, vel lux ipsa, quæ illuminat omnem hominem. *Terram*, Instar nebulæ quaquaversus diffusæ: vel terram obtexi herbis, & virgultis, & sicut a rore, vel nebula obtegi solet.

10. (e) Gr. *Possedi*: Vis autem illa, quæ omnes gentes imperio tenet, non alia est, quam Filius Dei.

11. (f) Gr. *Cum his omnibus*: Cum hæc omnia heberem, quæsivi mihi aliquem locum, aut gentem in qua quiescerem. *Morabor*. Gr. *Alicujus quæsivi requiem*, ut in *hæreditate Domini morarer*.

12. (g) Per prosopopœiam, & poetice loquitur sapientia, quasi alia esset a Deo persona. *Requievit*, Sive requiescere fecit, ex Græco.

13 (h) In populo Israelitico, ubi præ cæteris gentibus sapientia Dei habitavit.

14. (i) Ante tempora. *Ministravi*. Per Levitas & Sacerdotes sacra obii ministeria, sacrificia obtuli, ex Græco.

15. & 16. (k) Ibi sedem fixi. *In populo*. De loco dixit, quem elegit sapientia, nunc de populo Israelitico, & altiori sensu de populo Christiano. *Illius*, Sapientiæ, vel Dei. *Detentio*, Domicilium.

17 & 18. (l) Gr. *In montanis Hermon*. *In Cades*, Gr. *In littoribus*, alii *In Engaddi* legunt, aut *In deserto Sin*, ubi palmæ plurimæ.

19. Quasi oliva speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum juxta aquam in (*m*) plateis.

20. Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris:

21. Et quasi storax, & galbanus, & (*n*) ungula, & gutta, & quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, & quasi balsamum non mistum odor meus.

22. Ego quasi terebintus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ.

23. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honestatis.

24. Ego mater pulcræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.

25. In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis.

26. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & a generationibus meis implemini:

27. Spiritus enim meus super mel (*o*) dulcis, & hæreditas mea super mel & favum.

28. Memoria mea in generationes sæculorum.

* Joan. 6. 35. 29. * Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.

30. Qui audit me, non confundetur: & qui (*p*) operantur in me, non peccabunt.

31. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

32. Hæc omnia liber (*q*) vitæ, & testamentum Altissimi, & agnitio veritatis.

33. Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum, & (*r*) hæreditatem domui Jacob, & Israel promissiones.

34. Posuit David puero suo excitare regem ex ipso fortissimum, & in throno honoris sedentem (*s*) in sempiternum.

* Gen. 2. 11. 35. * Qui implet quasi Phison sapientiam, & sicut Tigris in diebus (*t*) novorum.

36. Qui adimplet quasi Euphrates (*u*) sensum: * qui multiplicat quasi Jordanis in tempore messis. * Jos. 3. 15.

37. Qui mittit disciplinam sicut lucem, & (*x*) assistens quasi Gehon in die vindemiæ.

38. Qui perficit primus scire ipsam, & infirmior non investigabit eam.

39. A mari (*y*) enim abundavit cogitatio ejus, & consilium illius ab abysso magna.

40. Ego sapientia effudi flumina.

41. Ego quasi (*z*) trames aquæ immensæ de fluvio ego quasi fluvii Dioryx, & sicut aquæductus exivi de paradiso.

42. Dixi: Rigabo (*aa*) hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.

43. Et ecce factus est mihi trames abundans, & fluvius meus (*bb*) appropinquavit ad mare:

44. Quoniam doctrinam quasi (*cc*) antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam usque ad longinquum.

45. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.

46. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus sapientiam, & non desinam in progenies illorum usque in ævum sanctum.

47. * Videte quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem. * Infr. 33. 18.

C A P U T XXV.

Tria sunt, quæ Domino placent, tria exosa; novem jucunda sensibus: mulier nequam.

1. IN tribus placitum est (*a*) spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus.

2. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes.

3. Tres species odivit anima mea, & (*b*) aggravor valde animæ illorum:

4. Pauperem superbum (*c*): divitem mendacem: senem fatuum & insensatum.

5. Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo in senectute tua invenies?

6. Quam speciosum canitiei (*d*) judicium, & presbyteris cognoscere consilium!

7. Quam speciosa veteranis sapientia, & (*e*) gloriosis intellectus, & consilium!

8. Coro-

19. (*m*) Urbium decurrentem, vel in locis spatiosis.

21 22 & 24. (*n*) Onyx, continens pro contento: onyx pro pyxide quæ nardum continet. *Gutta*. Gr. *Stacte*, *Libanus*. Gr. *Ut thuris vapor*. *Gratiæ*, Pulcri, & utiles. *Dilectionis*, Qua diligitur Deus: vel honestæ. *Et agnitionis*, Notitiæ de Deo.

27. (*o*) Dulcedo illa cum fastidio creaturarum conjuncta est.

30 (*p*) Qui mihi operam dant. *Non peccabunt*, Nihil se indignum admittent.

32 (*q*) Gr. *Testamenti altissimi continet*: Hæc promissa habes in lege federis.

33. (*r*) Quæ lex est possessio filiorum Jacob.

34 (*s*) Græce deest; Salomonem intelligit, aut potius Christum Dominum. Non enim convenit Salomoni sedere in throno in sempiternum, sed uni Christo Domino, juxta illud Isaiæ 9. *Super solium David, & super regnum ejus sedebit; ut confirmet illud & corroboret amodo & usque in sempiternum*.

35. (*t*) Fructuum, cum exundat solutis nivibus. *Qui implet*, ad Deum refertur ex Græco.

36. (*u*) Deum instar Euphratis multam aquam profundentis, copiosam intelligentiam effundit in homines.

37 (*x*) Affluens & vel adest hominibus, & implet homines qui inde haurire volunt. Nec primi, nec postremi sapientes eam capere potuerunt, aut intelligentia comprehendere.

39. (*y*) Supra mare, vel tanquam a mari cogitationes ejus deductæ; solus Filius Dei eam perfecte cognovit.

41. (*z*) Vox Græca *fossa* dicitur. Ab ubertate Dei manat humana sapientia, & paullatim excrescit. Fossa dicitur, ubi aperte fluit aqua: aquæductus, ubi per tubos. Græce una est tantum sententia bimembris: Ego sapientia velut fossa de fluvio, & velut aquæductus exivi in paradisum; neque vox Dioryx occurrit, uti nec fluvius ejus nominis; sed est nomen appellativum quod fossam significat.

42. (*aa*) Hortum vocat, vel justi animam, vel cœtum fidelium.

43. (*bb*) Adeo excrevit, ut maris cujusdam speciem præ se ferat.

44 45. 46. & 47. (*cc*) Proloquitur ad ea quæ sequuntur. *Dormientes*, Penetrabo usque ad mortuorum sedes. *In Ævum*, Vitam æternam. Sanctis reservatam. Gr. *Et relinquam eam sæculorum posteris*. *Videte*, Auctor loquitur, non sapientiam jam a vers. 44.

1. & 2. (*a*) Loquitur sapientia. *Concordia*. Certis numeris quædam bona, & mala complectitur; sic enim facilius memoria retinentur. Tria ponit quæ ad amicitiam spectant, quæque in primis servanda sunt, præcipue in triplici hominum conjunctione, quarum primam parit consanguinitas, secundam habitatio, *amor proximorum*, seu vicinorum, tertiam efficit conjugium. CAPUT XXV.

3. (*b*) Ex Gr. *Indignor vitæ*; Indigne fero vitam illorum.

4. (*c*) Qui instar egenorum non cogitur mentiri, ut victum comparet.

6. (*d*) Quam decet senes judicandi officium! *Consilium*, Quod Deus exquirentibus largitur.

7. & 8. (*e*) Optimatibus, honoratis, qui sunt in pretio. *Peritis*. Gr. *Rerum multarum experientia*.

Vu 2

8. Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei.

9. Novem insuspicabilia cordis (*f*) magnificavi, & decimum dicam in lingua hominibus:

10. Homo, qui jucundatur in filiis, vivens & videns subversionem inimicorum suorum.

* Inf. 26. 1. * Sap. 14. 2. & 19. 16. Jac. 3. 2. 11. * Beatus, qui habitat cum muliere sensata, * & qui lingua sua non est lapsus, & qui non servivit indignis se.

12. Beatus, qui invenit amicum verum, & qui enarrat justitiam auri audienti.

13. Quam magnus, qui invenit sapientiam & scientiam! sed non est super timentem Dominum.

14. Timor Dei super omnia se (*g*) superposuit:

15. Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei: qui tenet illum, cui assimilabitur?

16. Timor Dei, initium dilectionis ejus: fidei autem initium agglutinandum est ei.

17. Omnis plaga, tristitia cordis est: & omnis malitia, nequitia mulieris.

18. Et omnem plagam, & non plagam videbit cordis:

19. Et omnem nequitiam, & non nequitiam mulieris:

20. Et omnem obductum (*h*), & non obductum odientium:

21. Et omnem vindictam, & non vindictam inimicorum.

22. Non est caput nequius super caput (*i*) colubri:

* Prov. 21. 19. 23. Et non est ira super iram mulieris. * Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.

24. Nequitia mulieris immutat (*k*) faciem ejus: & obcæcat vultum suum tamquam ursus: & quasi saccum ostendit. In medio proximorum ejus

25. Ingemuit (*l*) vir ejus, & audiens suspiravit modicum.

26. Brevis omnis malitia super malitiam mulieris, sors peccatorum cadat (*m*) super illam.

27. Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto.

28. * Ne (*n*) respicias in mulieris speciem, & non concupiscas mulierem in specie. * Inf. 42. 6.

29. Mulieris (*o*) ira, & irreverentia, & confusio magna.

30. Mulier si (*p*) primatum habeat, contraria est viro suo.

31. Cor (*q*) humile, & facies tristis, & plaga cordis, mulier nequam.

32. Manus debiles, & genua dissoluta, mulier quæ non beatificat virum suum.

33. * A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur. * Gen. 3. 6.

34. Non des aquæ tuæ (*r*) exitum, nec modicum: nec mulieri nequam veniam prodeundi.

35. Si non ambulaverit ad manum tuam, confundet te in conspectu inimicorum.

36. A carnibus tuis abscinde illam, ne semper te abutatur.

CAPUT XXVI.

Mulieris prudentis laudes, vituperatio mulieris pravæ: de zelotypa, fornicaria; de filia custodienda.

1. MUlieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex.

2. Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit.

3. Pars bona, mulier bona, in parte (*a*) timentium Deum dabitur viro pro factis bonis:

4. Divitis autem & pauperis cor bonum: in omni tempore vultus illorum hilaris.

5. A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea (*b*) metuit:

6. Delaturam (*c*) civitatis, & collectionem populi,

7. Calumniam mendacem, super mortem omnia gravia:

8. Dolor cordis & luctus, mulier zelotypa (*d*).

9. In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans.

10. Sicut boum jugum, quod movetur, ita & mulier nequam: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem.

11. Mulier

9. (*f*) Gr. *Novem cogitationes*, seu suspiciones, *beatas existimavi in corde meo*. & decimum omnia supergressum: timorem Domini.

14. (*g*) De amico & prudentia duæ sunt sententiæ, ut decima sit de timore Domini, seu de pietate. Sine timore Domini tel qua non prosunt ad vitam & beatitudinem.

20. (*h*) Impetum adversæ fortunæ. *Odientium*, Malim quamvis adversitatem pertius, quam illatam ab iis qui nos oderunt.

22. (*i*) Prius dictum caponie. Nullum caput serpentis capite nocentius, nec ulla ira nocentior ira inimici, quæ ex odio alte infixo procedit.

24. (*k*) Cum mulier quid mali meditatur, id solet in vultu apparere. *Ursus*. Græc. *Obscurat atque instar nigri facit vultum suum infuscat*. *Saccum*, Rugosum, & squallidum facit.

25. (*l*) Improbarum mulierum vitia notat, ut ostendat qua prudentia agendum sit cum mulieribus, ne temere irritentur. Cum proximi ejus de tetro vultu uxoris conqueruntur, audiens querelas eorum [illegible].

26. & 27. (*m*) Talis homini flagitioso contingat. *Ascensus*. Ut valde molestus est ascensus arenosus senis pedibus, ita mulier garrula molesta est homini pacis amanti.

28. (*n*) Non ea sit causa præcipua cur eam expetas, neque desideres uxorem deliciarum causa. Non enim sola voluptas in uxore spectanda est; sed quæri debet, quæ demum reperit liberos educare noverit, quæ digna sit in societatem assumi divini & humani juris: uxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis.

29. (*o*) Gr. addit: *Si subministret viro suo*; unde vivat. Impotentia mulieris, affectus violenti, infirma ratio in causa sunt, cur totam se iræ permittat, nec resistat. Hinc caput serpentis, ursi rabiem, leonis furorem ipsi tribuit. Græc. *Res est plena iræ atque iracundiæ, ac res pudenda mulier, quæ viro præbet*, suppeditat, *unde vivat*.

30. (*p*) Aut viri inertia, vel ampliori dote, aut paulo nobiliori conditione superbiens. *Viro*, Gravis est & molesta.

31. & 32. (*q*) Dejectum mœrore. *Virum*, Gr. *Quæ maritum in adversis suis rebus non consolatur*.

34. 35. & 36. (*r*) Cave ne e cisterna effluat. *Ad manum*, Si tibi morigera non est. *Abscinde*, A thoro. *Abutatur*, Moderatione tua & patientia.

3. & 4. (*a*) Ut sors debita timentibus Deum. *Bonum*, Sive dives sit, sive pauper. *Cor bonum*, Mens hilaris, cum omnia sibi est bene conscia. CAPUT XXVI.

5. (*b*) In Græco textu gravius verbum tribuitur quarto, nempe reformidate, priori autem revereri.

6. (*c*) [illegible], Crimen illatum civitati per calumniam, vel a tota civitate. *Collectionem*, Gr. *Turbæ*, seu inconditæ multitudinis. Per delaturam civitatis sinistrum rumorem, aut criminationem, qua quis male audit in civitate; per collectionem populi, inconditæ multitudinis coitionem adversus aliquem; per calumniam mendacem, falsam criminationem qua quis opprimitur, recte intelligimus.

8. (*d*) Gr. *Æmula mulier*, sæpe affert luctus graves: nam mulieres zelotypæ de suis suspicionibus passim cum omnibus loquuntur.

11. Mulier ebriosa, ira magna (*e*): & contumelia, & turpitudo illius non tegetur.

12. Fornicatio mulieris in (*f*) extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoscetur.

*Sup. 42. 11. 13. * In filia non avertente se, firma (*g*) custodiam: ne inventa occasione utatur se.

14. Ab omni irreverentia oculorum ejus cave, & ne mireris si te neglexerit.

15. Sicut viator sitiens, ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet, & contra omnem palum (*h*) sedebit, & contra omnem sagittam aperiet pharetram donec deficiat.

16. Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit.

17. Disciplina illius, datum Dei est.

18. Mulier sensata (*i*) & tacita, non est immutatio eruditæ animæ.

19. Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata.

20. Omnis autem ponderatio (*k*) non est digna continentis animæ.

21. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus.

22. Lucerna splendens super candelabrum (*l*) sanctum, & species faciei super ætatem stabilem.

23. Columnæ aureæ super bases (*m*) argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris.

24. Fundamenta æterna supra petram solidam, & mandata Dei in corde mulieris sanctæ.

25. In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi advenit:

26. Vir bellator deficiens per inopiam: & vir sensatus contemptus:

27. Et qui transgreditur a justitia ad peccatum: Deus paravit eum ad (*n*) rhomphæam.

28. Duæ species difficiles & periculosæ mihi apparuerunt, difficile exuitur negotians a negligentia: & non justificabitur caupo a peccatis labiorum.

CAPUT XXVII.

De egestate & avaritia; de emptione & venditione; de linguæ moderamine; de colendis amicis.

1. PRopter inopiam multi deliquerunt: & qui quærit locupletari (*a*), avertit oculum suum.

2. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter medium venditionis & emptionis angustiabitur (*b*) peccatum.

3. Conteretur cum delinquente delictum.

4. Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua.

5. Sicut in (*c*) percussura cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius.

6. Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.

7. Sicut rusticatio de ligno ostendit (*d*) fructum illius, sic verbum ex cogitatu cordis hominis.

8. Ante sermonem non laudes virum: hæc enim (*e*) tentatio est hominum.

9. Si sequaris justitiam, apprehendes illam: & indues quasi poderem honoris, & inhabitabis cum ea, & proteget te in sempiternum, & in die agnitionis invenies firmamentum.

10. Volatilia ad sibi similia conveniunt: & veritas ad eos, qui operantur (*f*) illam, revertetur.

11. Leo venationi insidiatur semper: sic peccata operantibus iniquitates.

12. Homo sanctus in sapientia manet sicut (*g*) sol: nam stultus sicut luna mutatur.

13. In medio insensatorum serva verbum (*h*) tempori: in medio autem cogitantium assiduus esto.

14. Narratio peccantium odiosa, & risus illorum in deliciis peccati.

15. Loquela multum jurans (*i*), horripilationem capiti statuet: & irreverentia ipsius obturatio aurium.

16. Effusio sanguinis in rixa superborum: & maledictio illorum auditus gravis.

17. Qui

11. (*e*) Iram magnam, & contumeliam affert marito. *Non tegetur*, Ubi regnat ebrietas, ibi nullum est secretum, nulla verecundia, quæ est custos & signum pudicitiæ.

12. (*f*) In protervia, & inverecundia. *Agnoscetur*, Molles sunt oculi, quos adulterii plenos vocat Petrus Apostol. 2. Epist. 2.

13. (*g*) Filiæ, quæ pudore non deterretur. *Utatur*, Græc. *Ne quam sibi occasionem invenerit ad peccandum, ea utatur*.

15. (*h*) Palum vocat, ad quem viatores figebant tentoria. De re turpi loquitur honeste per allegorias more Hebræorum, ut scortationis opprobrium describat.

18. (*i*) Supple, donum quoque Dei est. *Non est*, Commutatio, pretium: Græc. *Nullum est pretium quod æquari possit animæ mulieris* bene institutæ.

20. (*k*) Nullum auri pondus comparandum cum anima continenti, quæ in rebus omnibus modum servat.

22. (*l*) In templo. *Et species*, Formæ pulchritudo. *Stabilem*, Maturam: species mulieris pudicæ est sanctum quid.

23. (*m*) Pulchras & firmas columnas, pulchris & firmis fultæ basibus comparat mulieri, *super plantas*, firmis vestigiis consistenti, non vagæ & incompositæ; quod ad animam est referendum. Columnas cum tibiis, bases columnarum cum plantis pedum confert.

27. & 28. (*n*) Ad malam mortem destinavit. *A negligentia*, Legis Divinæ, præ magna lucri cupiditate. Vox Græca *peccatum* significat: mercatura est opus sollicitum. *Labiorum*; nam ars cauponaria scatet mendaciis, & perjuriis: Vox Græca proprie ejus est qui minutatim vendit res esculentas, aut poculentas.

CAPUT XXVII.

1. (*a*) A lege, vel a malis imminentibus, vel a recto & æquo.

2. (*b*) Vox Græca significat *constringetur*, firmabitur, dum alter alterum fallere nititur.

5. (*c*) Concussione. *Pulvis*, Lapilli, arena. *Aporia*, Dubitatio hominis. *In cogitatu*, In ratiocinatione, qua bona & mala consilia secernuntur. Vox Græca σκύβαλα, *quisquilias*, aut *sordes* significat: inter differendum sæpe se produnt animi vitia.

7. (*d*) Cultus arboris. *Ostendit*; Ex Gr. *Sicut fructus arboris culturam ejus ostendit, sic dissertatio cogitationes quæ sunt in corde hominis*.

8. & 9. (*e*) Exploratio. *Agnitionis*, Judicii *Firmamentum*, Firmus manebis.

10. & 11. (*f*) Justitia ad illos accedit, & manet cum iis qui operantur eam: cum iis qui bona fide agunt, bona quoque fide agetur. *Sic peccata*, Veritas longe aliter se habet erga suos, quam peccatum: illa ut volatilia ad ea quæ sunt similis generis congregantur, ita ad suos sectatores revertitur; sed peccatum ut leo aliis feris, ita suis insidiatur.

12. (*g*) Sibi similis; & in eodem sermone eumdem servat sapientiæ tenorem; non item stultus.

13. (*h*) Hebraismus, serva opportunitatem. *Cogitantium*, Intelligentium. *Assiduus*, Ibi peregrinare, hic habita.

15. (*i*) Ferri non potest a piis. *Ipsius*, Propter crebra juramenta.

17. Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inveniet amicum ad animum suum.

18. Dilige proximum, & conjungere fide cum illo.

19. Quod si denudaveris absconsa illius, non persequeris (*k*) post eum.

20. Sicut enim homo, qui perdit amicum suum, sic & qui perdit amicitiam proximi sui.

21. Et sicut qui dimittit avem de manu sua, sic dereliquisti proximum tuum, & non eum capies.

22. Non illum sequaris quoniam longe abest: effugit enim quasi caprea de laqueo: quoniam vulnerata est anima ejus.

23. Ultra eum non poteris (*l*) colligare. Et maledicti est concordatio:

24. Denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis.

25. Annuens (*m*) oculo fabricat iniqua, & nemo eum abjiciet:

26. In conspectu oculorum tuorum condulcabit os suum, & super sermones tuos admirabitur: novissime autem perverter os suum, & in verbis tuis dabit scandalum.

27. Multa odivi, & non (*n*) coæquavi ei, & Dominus odiet illum.

28. Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet: & plaga dolosa, dolosi dividet (*o*) vulnera.

29. Et qui foveam fodit, incidet in eam: & qui statuit lapidem proximo, offendet in eo: & qui laqueum alii ponit, peribit in illo.

30. Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, & non agnoscet unde adveniat illi.

31. Illusio, & improperium (*p*) superborum, & vindicta sicut leo insidiabitur illi.

32. Laqueo peribunt qui oblectantur casu justorum: dolor autem consumet illos antequam moriantur.

33. Ira & furor, utraque execrabilia sunt, & vir peccator continens (*q*) erit illorum.

CAPUT XXVIII.

Non expetenda ultio; fugienda contentio; lingua refrænanda.

1. QUi vindicari (*a*) vult, a Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit. Deut. 32. 35. Matth. 6. 14. Marc. 11. 19.

2. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata solventur.

3. Homo homini reservat iram, & a Deo quærit medelam?

4. In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?

5. Ipse cum caro sit, reservat iram, & propitiationem petit a Deo? quis exorabit pro delictis illius?

6. Memento novissimorum, & desine inimicari:

7. Tabitudo enim & mors (*b*) imminent in mandatis ejus.

8. Memorare timorem Dei, & non irascaris proximo.

9. Memorare testamentum Altissimi, & despice (*c*) ignorantiam proximi.

10. Abstine te a lite, & minues peccata:

11. Homo enim iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.

12. Secundum enim ligna silvæ sic ignis exardescit: & secundum (*d*) virtutem hominis, sic iracundia illius erit, & secundum substantiam suam exaltabit iram suam.

13. Certamen festinatum (*e*) incendit ignem: & lis festinans effundit sanguinem: & lingua testificans adducit mortem.

14. Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit: & si expueris super illam, extinguetur: utraque ex ore (*f*) proficiscuntur.

15. Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.

16. Lingua tertia multos (*g*) commovit, & dispersit illos de gente in gentem.

17. Civitates muratas divitum destruxit, & domos magnatorum effodit.

18. Virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissolvit.

19. Lingua tertia mulieres (*h*) viratas ejecit, & privavit illas laboribus suis.

20. Qui

19. & 20. (*k*) Fugiet a te. *Amicum*. Gr. *Inimicum*; Qui perfide amici sui arcana prodit, non sentiet illum magis sibi benevolum, quam inimicum suum.

23. (*l*) Vulnus obligare: in Gr. hic est sensus, maledictum resarciri posse, ut obligatum vulnus, non item arcani proditionem.

25. (*m*) Rei dissimulator, qui plura nutu quam verbis conficit. *Abjiciet*; Nemo declinat illius dolos. Mel in lingua adulatoris, venenum in corde. Verbis tuis insidiabitur; in Græco alii legunt, *Qui eum novit, ab eo recedet*.

27. (*n*) Multum odi, sed non quantum talem hominem.

28. (*o*) Qui cæco ictu ferit per tenebras, sæpe seipsum, aut amicum vulnerat.

31. (*p*) Hebraismus, pro, illusioni & opprobrio superborum vindicta imminet, velut leo insidians.

33. (*q*) Obnoxius iræ & furori, possidebit eas, aut potius ira & furor eum possidebunt.

CAPUT XXVIII. 1. 2. & 3. (*a*) Vindicta ne a Deo quidem petenda, sed illi relinquenda. Qui vindictam cupit. Deus ejus peccata ulciscetur. *Nocenti te*, Græc. *Condona injuriam*. *Homini*, Servus servo. *Reservat*, Gr. *Curationem*, peccatorum veniam.

7. (*b*) Supple, adversus ulciscentes se. *In mandatis*, Gr. addit, *Permane*, persevera.

9. (*c*) Remitte illius errorem, parvipende. *Testamentum Altissimi*, Legem Dei, Levit. 19. *Non quæras ultionem, nec memoreris injuriæ civium tuorum*.

12. (*d*) Vires potentium. *Substantiam*, Divitiæ magis iracundum & superbum faciunt. Potentia enim & divitiæ fomenta sunt iracundiæ, ut ligna sunt ignis alimenta. *Secundum ligna silvæ*. Pro qualitate & multitudine lignorum quæ igni admoventur, is magis exardescit.

13. (*e*) Lis suscepta levi animo. *Testificans*; Hæc verba desunt in Græco, & intelligi possunt de verbis minacibus: nam vox *testificor*, pro *denuntio*, interdum sumitur, ut Galat. 5. *Testificor omni homini circumcidenti se*. Vocat litem & certamen festinatum contentionem, quæ citra judicium & moderationem oritur.

14. (*f*) Rixæ accenduntur, vel extinguuntur adstantium sermonibus; Gr. *Si flaveris in scintillam, exardebit*. Ira hominis una eademque lingua accendi potest & extingui instar scintillæ; accenditur contentione, & adulantium instigatione; extinguitur verbis lenioribus.

16. (*g*) Quæ inter amicos serit jurgia: quidam Codices Græci habent, *Lingua duplex*.

19. (*h*) Gr. *Viriles*, Viragines. *Laboribus*, Rebus labore partis.

20. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat (*i*).

21. Flagelli plaga livorem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa.

22. Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic quasi qui interierunt (*k*) per linguam suam.

23. Beatus qui tectus est a lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, & qui non attraxit (*l*) jugum illius, & in vinculis ejus non est ligatus:

24. Jugum enim illius, jugum ferreum est: & vinculum illius, vinculum æreum est.

25. Mors illius, mors nequissima: & utilis potius infernus quam illa.

26. Perseverantia illius non permanebit, sed obtinebit vias injustorum: & in flamma sua non comburet justos.

27. Qui relinquunt Deum, incident in illam, & exardebit in illis, & non extinguetur, & immittetur in illos quasi leo, & quasi pardus lædet illos.

28. Sepi (*m*) aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras.

29. Aurum tuum & argentum tuum confla (*n*), & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos:

30. Et attende ne forte labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.

CAPUT XXIX.

De mutuo & fidejussione; de eleemosyna; de peregrinis & hospitibus.

1. QUi facit misericordiam, fœneratur (*a*) proximo suo: & qui prævalet manu, mandata servat.

2. Fœnerare proximo tuo (*b*) in tempore necessitatis illius, & iterum redde proximo in tempore suo.

3. Confirma verbum (*c*), & fideliter age cum illo: & in omni tempore invenies quod tibi necessarium est.

4. Multi quasi inventionem æstimaverunt fœnus, & præstiterunt molestiam his, qui se adjuverunt.

5. Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam:

6. Et in tempore redditionis postulabit tempus, & loquetur verba (*d*) tædii & murmurationum, & tempus causabitur:

7. Si autem potuerit reddere, adversabitur, solidi vix reddet dimidium, & computabit illud quasi (*e*) inventionem:

8. Sin autem, fraudabit illum pecunia sua, & possidebit illum inimicum gratis:

9. Et convicia & maledicta reddet illi, & pro honore & beneficio reddet illi contumeliam.

10. Multi non causa nequitiæ non (*f*) fœnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt.

11. Verumtamen super humilem animo fortior esto (*g*), & pro eleemosyna non trahas illum.

12. Propter mandatum (*h*) assume pauperem: & propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum.

13. Perde pecuniam propter (*i*) fratrem & amicum tuum: & non abscondas illam sub lapide in perditionem.

14. Pone thesaurum tuum (*k*) in præceptis Altissimi, & proderit tibi magis quam aurum.

15. * Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. *Tob.4.11. Sup.17.18.

16. 17. 18. Super scutum potentis, & super lanceam, adversus inimicum tuum pugnabit.

19. Vir bonus fidem (*l*) facit pro proximo suo: & qui perdiderit confusionem, derelinquet sibi.

20. Gratiam fidejussoris ne obliviscaris: dedit enim pro te animam suam.

21. Repromissorem fugit peccator & immundus.

22. Bona repromissoris sibi ascribit peccator: & ingratus sensu derelinquet liberantem se.

23. Vir repromittit de proximo suo: & cum perdiderit reverentiam, derelinquetur ab eo.

24. Repromissio nequissima multos (*m*) perdidit dirigentes, & commovit illos quasi fluctus maris.

25. Vi-

20. (*i*) Qui aures illi accommodat. *Requiescat*, Gr. Non *habitabit tranquillus*.

22. (*k*) In Græco: *Et non ut ii qui ceciderunt per linguam*, nempe maledicam. Nam pronomen, *suam*, abest a Græco textu. De iis loquitur, qui pereunt per linguam alienam.

23. 25. & 26. (*l*) Qui ab ea non est superatus, aut constrictus. *Infernus*, Mors naturalis melior. Non tamen valebit semper, nec diu lingua calumniatris permanebit. *Injustorum*, Male peribit.

28. (*m*) Gr. *Sepi possessionem tuam spinis*. Sic moderate sermone tuo, ut non plus, minusve loquaris, quam æquum est.

29. (*n*) Purga. Gr. *Collige*, vel alliga: inexaminatum potius in sacculo defer, quam inexaminata relinquas verba tua. *Stateram*, Gr. *Libram & pondus*.

CAPUT XXIX. 1. (*a*) Homini benefico non deest unde juvet alios, pecuniam dando mutuam. Vox enim Græca *danείζειν*, sæpe dare mutuum significat, & apud Hebræos aliter sumi vix potest. *Prævalet*, Qui manu est liberali: vel inversa est locutio, Qui mandata servat, is præstabit opibus.

2. (*b*) Mutuum da. Sed cur a sponsione deterret sapiens, non item a mutuo? Respondet Estius, e sponsione multa & gravia oriri mala propter obligationem, qua spondens se & suos adstringit: sed qui mutuo dat, id tantum quod habet, alteri præbet sine obligatione. Unde pro sponsione potest aliquid accipere, non item pro mutuo.

3. & 4. (*c*) Gr. *Tuam* Fidem serva. Fœnus, Quasi modum acquirendæ rei: vel potius mutuo acceptam, ut lucrum inexpectatum æstimaverunt, & quasi rem humi repertam, non reddendam putant; & modum acquirendi putant mutuum sumere, nec solvere.

6. (*d*) Cunctationis: Existimaverunt procrastinationem quasi præclarum inventum. *Tempus*, Quod dies sint mali, annus sterilis.

7. (*e*) Partem reddunt; quod reliquum est, id computant quasi lucrum.

10. (*f*) Græc. *Multi propter nequitiam averterunt se a mutuo dando petentibus*; vel mutuo non dant, non ex avaritia, sed quia sæpe decepti sunt.

11. (*g*) Non adeo meticulosus ac durus. *Non trahas*, Gr. Non *protrahas*.

12. (*h*) Legem naturalem & divinam: Deuter. 15. *Assume pauperem*: Gr. *Opitulare*.

13. (*i*) Da mutuum quasi perditurus. *In perditionem*, Tuo malo.

14. & 15. (*k*) Gr. *Secundum mandata Altissimi*. *Exorabit*. Gr. *Liberabit ab omni malo*: quod huic virtuti maxime convenit, sed non sine ceteris.

19. (*l*) Fidejubet: qua quidem sententia explicari possunt quæ passim in Proverbiis de non fidejubendo dicta sunt.

24. (*m*) Multos viros bonos, Græc. *Qui sua negotia bene agebant*, a recto tramite avertit, coegit illos foro cedere, & eorum fortunas evertit. *Dirigere*, sensu, non sono, est passivum, Qui prospere & feliciter vivunt. Vox *nequissima* addita ab interprete, sic accipienda est, ut nocumentum significet, non culpam.

25. Viros potentes gyrans migrare fecit, & vagati sunt in gentibus alienis.

26. Peccator transgrediens mandatum Domini, incidet in promissionem (n) nequam: & qui conatur multa agere, incidet in judicium.

27. Recupera (o) proximum secundum virtutem tuam, & attende tibi ne incidas.

*Inf. 39. 31. 28. * Initium (p) vitæ hominis, aqua & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.

29. Melior est victus pauperis super tegmine asserum, quam epulæ splendidæ in peregre sine domicilio.

30. Minimum pro magno placeat tibi, & (q) improperium peregrinationis non audies.

31. Vita nequam hospitandi de domo in domum: & ubi hospitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os.

32. Hospitabitur, & pascet, & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet.

33. Transi hospes, & orna mensam: & quæ in manu habes, ciba ceteros.

34. Exi (r) a facie honoris amicorum meorum: necessitudine domus meæ hospitio mihi factus est frater.

35. Gravia hæc homini habenti (s) sensum: Correptio domus, & improperium fœneratoris.

CAPUT XXX.

De liberorum institutione; de tuenda valetudine; de tristitia; de continentia & ciborum delectu.

Prov. 13. 24. & 23. 13. 1. Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo, & non palpet proximorum (a) ostia.

2. Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur.

*Deut. 6. 7. 3. * Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo.

4. Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se.

5. In vita sua vidit, & lætatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis.

6. Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.

7. Pro animabus filiorum (b) colligabit vulnera sua, & super omnem vocem turbabuntur viscera ejus.

8. Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadet (c) præceps.

9. Lacta filium, & paventem te faciet: lude cum eo, & contristabit te.

10. Non corrideas illi (d): ne doleas, & in novissimo obstupescent dentes tui.

11. Non des illi potestatem in juventute: & ne despicias cogitatus illius.

12. * Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus dum (e) infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. *Sup. 7. 25.

13. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.

14. Melior est pauper sanus, & fortis viribus, quam dives imbecillis, & (f) flagellatus malitia.

15. Salus animæ in sanctitate (g) justitiæ melior est omni auro & argento: & corpus validum quam census immensus.

16. Non est census super censum salutis corporis: & non est oblectamentum super cordis gaudium.

17. Melior est mors quam vita amara: & requies æterna quam languor perseverans.

18. Bona abscondita (h) in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulcro.

19. * Quid proderit libatio idolo: nec enim manducabit, nec odorabit: *Dan. 14. 6.

20. Sic qui effugatur (i) a Domino, portans mercedes iniquitatis:

21. * Videns oculis, & ingemiscens, sicut spado complectens virginem, & suspirans. *Sup. 20. 2.

22. * Tristitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipsum in consilio tuo. * Prov. 17. 25. & 15. 13. & 17. 22.

23. Jucunditas cordis hæc est vita hominis, & thesaurus sine defectione (k) sanctitatis: & exultatio viri est longævitas.

24. Miserere animæ tuæ (l) placens Deo, & contine: congrega cor tuum in sanctitate ejus, & tristitiam longe repelle a te.

25. * Multos enim occidit (m) tristitia, & non est utilitas in illa. * 2. Cor. 7. 10.

26. Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus.

27. Splendidum cor (n), & bonum in epulis est: epulæ enim illius diligenter fiunt.

CA-

26. (n) In lites inextricabiles; vel qui multa agenda suscipit, & sectatur redemptiones, aut alienas emit lites redemptorem & conductorem agens, incidet in judicium, causa cadet.
27. (o) Gr. Opitulare alteri. Incidas, Sed attende ne ipse in æs alienum incidas.
28. (p) Vita paucis eget, Gr. ἀρχή, summum & caput.
30. (q) Nullus exprobrabit, quod peregrinus sis, si paucis contentus vivas.
34. (r) Oratio excusantis se ab hospite suscipiendo. Frater, Gr. Advenit mihi hospitio suscipiendus frater, mihi opus est domo.
35. (s) Homini generoso. Domus, Cum hospes audit dura a domino domus. Fœneratoris, Qui sollicite debitum repetit; rerum vagus nullo potest loco consistere, & creditoris exprobrationes perferre cogitur. Vel copula, &, abundat.

CAPUT XXX.

1. (a) Non sit inops & vagus: Non ostiatim mendicet.
7. (b) Gr. Refrigerans filium, vel corripiens filium, colligabit vulnera illius, vitiis ejus medebitur. Vocem, Ad omnem tumorem malum de filio. Viscera, Culparum metu, & emendandi studio.
8. (c) Dissolutus; remissis habenis. Præceps, In vitia & intractabiles homines secundis rebus fiunt ferociores: Copula, & filius, est vice comparationis.
10. (d) Gr. Dolere tibi dentes faciet: Dolorem dentium pro dolore acerrimo posuit.
12. & 13. (e) Dum puer est. Offendas, Ne turpes ejus mores tibi probro vertant; Operare in illo, operibus illum exerce, vel da illi operam, bene instituendo.
14. (f) Malo corporis habitu, aut valetudine: malitiam posuit pro miseria. Gr. Quam dives flagellatus in suo corpore: Morbis flagellatur Hellenistæ.
15. (g) Gr. Sanitas & bona habitudo melior est omni auro.
18. (h) Græce Bona effusa Sepulcro, alludit ad veterum morem, cujus vestigium superest ad nostram usque ætatem in Regum funeribus. Bona abscondita in ore clauso, Bona multa in divitiis thesauris reposita, sunt velut homini habenti os clausum, iis scilicet qui bonis suis non audent uti; aut tamquam fercula ciborum sepulcris mortuorum apposita, qui mos vetus fuit Phœnicum, a quibus ad Afros transiit.
20. (i) Gr. Qui persecutionem patitur a Domino. Immisso exitiali morbo ob scelera admissa.
23. (k) Forte sanitatis, vel thesaurus indeficiens sanctitatis: quia & lætitia sanctitatem fovet.
24. (l) Gr. Dilige animam tuam. Legitimum & necessarium bonorum usum ne tibi deneges. Congrega, Gr. Consolare cor tuum: animum serenum & tranquillum laudat.
25. (m) Seculi & inquieti animi, quæ est ejicienda per jucunditatem cordis ex amore Dei profectam.
27. (n) Ex Græco, Qui tranquillo est animo, is in mensa de cibis, non de aliis rebus cogitat.

CAPUT XXXI.

De contemptu divitiarum; de conviviis; de sobrietate.

1. Vigilia honestatis (*a*) tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet somnum.

2. Cogitatus (*b*) præscientiæ avertit sensum, & infirmitas gravis sobriam facit animam.

3. Laboravit dives in congregatione substantiæ, & in requie sua replebitur (*c*) bonis suis.

4. Laboravit pauper in diminutione victus, & in fine inops fit.

5. Qui aurum diligit, non (*d*) justificabitur: & qui insequitur consumptionem, replebitur ex ea.

* Sup. 8, 3. 6. * Multi dati sunt in auri (*e*) casus, & facta est in specie ipsius perditio illorum.

7. Lignum (*f*) offensionis est aurum sacrificantium: væ illis qui sectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo.

8. Beatus dives, qui inventus est sine macula: & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris.

9. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.

10. Qui probatus est (*g*) in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit:

11. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.

12. Supra mensam magnam sedisti? non aperias super illam faucem tuam prior.

13. Non dicas sic: Multa sunt, quæ super illam sunt.

14. Memento quoniam malus est oculus (*h*) nequam.

15. Nequius oculo quid creatum est? ideo ab omni facie (*i*) sua lacrymabitur: cum viderit,

16. Ne extendas manum tuam (*k*) prior: & invidia contaminatus erubescas.

17. Ne comprimaris in convivio.

18. Intellige (*l*) quæ sunt proximi tui ex te ipso:

19. Utere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur: ne, cum manducas multum, odio habeatis:

20. Cessa prior causa (*m*) disciplinæ: & noli nimius esse, ne forte offendas.

21. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere.

22. Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem.

23. Vigilia, cholera (*n*), & tortura viro infrunito:

24. Somnus sanitatis in homine parco: dormiet usque mane, & anima illius cum ipso delectabitur.

25. Et si coactus fueris in edendo (*o*) multum, surge e medio, evome: & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.

26. Audi me, fili, & ne spernas me: & in novissimo invenies verba mea.

27. In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.

28. Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & testimonium veritatis illius (*p*) fidele.

29. Nequissimo in pane (*q*) murmurabit civitas, & testimonium nequitiæ illius verum est.

30. Diligentes in vino noli provocare: * multos enim exterminavit vinum. * Judith 13. 4.

31. Ignis probat ferrum (*r*) durum: sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum.

32. Æqua vita hominibus, vinum (*s*) in sobrietate: si bibas illud moderate, eris sobrius.

33. Quæ vita est ei, qui (*t*) minuitur vino?

34. Quid defraudat vitam? Mors.

35. * Vinum in jucunditatem creatum est, & non in ebrietatem, ab initio. * Psal. 103. 15. Prov. 31. 4.

36. Exul-

CAPUT XXXI.

1. (*a*) Græc. *Divitiarum*, hoc est, sollicitudo divitiarum, & honorabilis vitæ. *Carnes*. Sæpe Interpres honestatem pro divitiis ponit, quod honoratos faciant homines, sic cap. 11. *Honestas & paupertas a Deo sunt*.

2. (*b*) Vox Græca curam & sollicitudinem significat. Cura pervigil, & infirmitas corporis somnum interrumpunt, aut excutiunt. Prosequitur ea, quæ in fine superioris capitis docuit de cura & anxietate, quæ senectam ante tempus affert. Ut gravis morbus, ita cogitatus, seu rerum futurarum sollicitudo somnum arcet; tametsi in Græco textu vox *præscientiæ* non occurrit. *Præscientiæ*. Prævisionis futurorum malorum. *Sensum*, Græc. *Interpellabit dormitionem*. *Gravis*, Græc. *Infirmitatem gravem eluet somnus*: vel sobriam facit animam & vigilem.

3. & 4. (*c*) Cum voluerit, bonis partis suis potetit. *Victus*. Alius in aggregando, alius in dispergendo laborat; ille in fine vitæ fructum, hic egestatem reperiet.

5. (*d*) Innocens non erit. *Consumptionem*, Gr. *Corruptionem*, Exitium patietur: Grotius suspicatur Græce ita scriptum olim fuisse, *Et qui pecuniam quærit, et labetur*, seu multa peccabit. Vel corruptionis voce res caducas & corruptibiles intelligit.

6. (*e*) Græc. *In exitium propter aurum*. *Ipsius*, Auri; Multi inciderunt in magna incommoda, quorum aurum caussa fuit.

7. (*f*) Lignum offensionis, sive Idolum est aurum. Gr. *Sacrificantibus ei*. *Deperiet*. Gr. *Capietur in illo*. Servus erit ejus rei, cui imperare debuerat.

10. (*g*) Auro, Qui non succubuit tentationi: magnum est sanctitatis experimentum, auri splendore non capi.

14. (*h*) Qui appositum a se cibum non fert libere a conviviis attingi aut comedi.

15. (*i*) Facies pro re conspectui oblata sumitur, lacrymæ totam faciem irrigabunt avari, quæ est hyperbole. Avarus contristatur cum videt convivas multum comedentes.

16. (*k*) Gr. *Ne immittas manum in eam rem quam ille respexerit*. Vide quæ sunt ante te, non quæ sunt longe posita. *Contamina*, Gr. *Ne collidere cum eo in patina*. Cum ceteris, quam pie sit, cibos in lance quis avide arripit, nec socii vices expectat.

18. (*l*) Si quid concupiscis, intellige ab alio posse appeti. Gr. addit: *Et in omni re quamvis exigua cogita*, Te prudentem præbe.

20. (*m*) Temperantiæ, Primus desine edere honestatis caussa.

23. (*n*) Bilis concitata. *Tortura*, Ventris tormina. *Infrunito*, Intemperante.

25. (*o*) Gr. *Pomorum*, secundæ mensæ. *Evome*, *Ex præceptis antiquæ medicinæ*. *Si coactus fueris*, aliis conviviis urgentibus. Veteres vomitoriis levi de caussa utebantur.

28. (*p*) Græc. *Liberalitatis & munificentiæ*. Testimonium fide dignum redditur splendori ipsius a multis scilicet & idoneis.

29. (*q*) Qui panem pessimum apponit: vel de sordidis conviviis male loquitur populus.

31. (*r*) Ignis facit temperaturam ferri cum aquæ immergitur: sic potatorum animus, vino æstuans & madidus, qualis sit, apparet: Græc. *Fornax probat aciem ferri*: In tinctura. *Potatum*, legendum tamen videtur Grotio in ebrietate. Ferrum aqua tingitur, mens vino; superbia accedit ut ignis, & prodit eum qui latuerat fastum cum aliorum contemptu conjunctum.

32. (*s*) Gr. *Vinum est res æqualis vitæ*; hoc est vinum hominis vitam conservat si moderate sumatur.

33. (*t*) Qui vino destituitur: vel qui vino plus satis indulgens, ab eo vincitur, & mortem accelerat.

36. Exultatio animæ & cordis, vinum moderate potatum.

37. Sanitas eſt animæ & corporis ſobrius potus.

* Prov. 31. 4. 38. * Vinum multum potatum (*u*) irritationem, & iram, & ruinas multas facit.

39. Amaritudo animæ vinum multum potatum.

40. Ebrietatis animoſitas, imprudentis offenſio, minorans virtutem, & faciens vulnera.

41. In convivio vini non (*x*) arguas proximum: & non deſpicias eum in jucunditate illius:

42. Verba improperii non dicas illi: & non premas illum in repetendo.

C A P U T XXXII.

De rectoribus; major natu loquatur, juniores audiant; caute agendum in omnibus.

1. Rectorem te poſuerunt (*a*)? noli extolli: eſto in illis quaſi unus ex ipſis.

2. Curam illorum habe, & ſic conſide, & omni cura tua explicita recumbe:

3. Ut læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignationem conſequaris corrogationis (*b*).

4. Loquere major natu: decet enim te

5. Primum verbum diligenti ſcientia, & non impedias (*c*) muſicam.

6. Ubi auditus non eſt, non effundas ſermonem (*d*), & importune noli extolli in ſapientia tua.

7. Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio (*e*) muſicorum in convivio vini.

8. Sicut in fabricatione auri ſignum eſt ſmaragdi, ſic numerus muſicorum in jucundo & moderato vino.

9. Audi tacens, & pro reverentia accedet tibi bona gratia.

10. Adoleſcens loquere in tua cauſa (*f*) vix.

11. Si bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum.

12. In multis eſto quaſi inſcius, & audi tacens ſimul & quærens.

13. In medio magnatorum non præſumas: & ubi ſunt ſenes, non multum loquaris.

14. Ante grandinem præibit coruſcatio: & ante verecundiam præibit gratia, & pro reverentia accedet tibi bona gratia.

15. Et hora ſurgendi non te (*g*) trices: præcurre autem prior in domum tuam, & illic avocare, & illic lude,

16. Et age conceptiones tuas, & non in delictis & verbo ſuperbo.

17. Et ſuper his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis ſuis.

18. Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus: & qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem.

19. Qui quærit legem, replebitur ab ea: & qui inſidioſe agit (*h*), ſcandalizabitur in ea.

20. Qui timent Dominum, invenient judicium juſtum (*i*), & juſtitias quaſi lumen accendent.

21. Peccator homo vitabit correptionem, & ſecundum voluntatem ſuam inveniet (*k*) comparationem.

22. Vir conſilii non diſperdet (*l*) intelligentiam, alienus & ſuperbus non pertimeſcet timorem:

23. Etiam poſtquam fecit (*m*) cum eo ſine conſilio, & ſuis inſectationibus arguetur.

24. Fili ſine conſilio nihil (*n*) facias, & poſt factum non pœnitebis.

25. In via (*o*) ruinæ non eas, & non offendes in lapides: nec credas te viæ laborioſæ, ne ponas animæ tuæ ſcandalum:

26. Et a filiis tuis (*p*) cave, & a domeſticis tuis attende.

27. In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ: hoc eſt enim conſervatio mandatorum.

28. Qui credit Deo, attendit mandatis: & qui confidit in illo, non minorabitur.

C A-

38. (*u*) Gr. *Vinum ubi multum bibitur*, eſt amarities animi propter irritationes & ruinas.

41. & 42. (*x*) Non enim eſt locus caſtigandi. *In reprehenda*, Debito, vel Promiſſo: alii legunt Gr. *In accurſu tremulentum ampellica inhumanum eſt*. vel potius ſi obvius illi ſis, noli ei exprobrare quæ in vino facta ſunt.

CAPUT XXXII. 1. (*a*) Sympoſiarcham conviviis præſidentem, qui olim ſolebat ſuffragio, vel ſorte eligi, ut ordini in conviviis ſervando præeſſet. *Quaſi unus*, Age ut ſocius; pergit dare conſilia convivalia.

3. (*b*) Deeſt in Græco, forte *coronationis*: Coronas adhibitas ſolitas in convivia ex cap. 11. colligitur. Coronemus nos roſis. Multo magis ſactor convivii coronari ſolebat. De hoc enim videtur loqui. Vel *corrogationis*, Collectionis ſymbolorum.

5. (*c*) Sed gravem, & temperatis ſermonibus congruentem. Gr. *Muſica* in plurali, Inſtrumenta muſica.

6. (*d*) Græc. *Ubi eſt acroama*, ſeu cantus, ſeu cantor. *Sermonem*, Qui obſtrepat muſicæ. *Tua*, Noli extra tempus ſapientem agere.

7. (*e*) Convivium bene inſtructum ornatur muſico concentu.

10. & 11. (*f*) Græc. *Si tui uſus eſt*: Si tuo ſermone ſit opus. *Caput*, Gr. *Conclude in caput*, ſeu in ſummam; primum excuſa te, ut adoleſcentior, idque verecunde; tum paucis reſponde.

15. (*g*) Ne vanas excuſationes nectas. *Lude*, Gr. *Ibi lude*, & fac quod viſum fuerit, ſic tamen, ut ne quid verbis ſuperbi pecces: cave a verbis inſolentibus, quæ ſæpe cibum ſequuntur.

19. (*h*) Gr. *Simulator vero in eam offendet*, & pœnas legi dabit.

20. (*i*) Videbunt facile quid in re quaque ſit judicandum. *Lumen*, Eorum fulgebunt benefacta.

21. (*k*) Gr. *Conſenſionem*, fœda adulatione: vel *Interpretationem legis*, varios prætextus & excuſationes.

22. (*l*) Gr. *Conſiderationem*: Omnia circumſpiciet. *Alienus*, Impius, infidelis. *Timorem*, Male ſecurus erit ex levitate; alienus a conſilio non timebit ubi timendum eſt.

23. (*m*) Gr. *Secum*, ex propria ſententia, ſine conſilio? Etiamſi res ſuas fortunæ permittat. *Arguetur*, deeſt in Græco: Suis ipſe conſiliis capietur. Qui ſibi uni credit, non eget dæmone, qui tentet; nam ſibi ipſi dæmon eſt.

24. (*n*) Nihil grave, ut Cap. proximo docet. *Non pœnitebis*, Si quid inconſulto feceris, ejus te pœnitet: ita legendum in Græco exiſtimat Grotius,

25. (*o*) Gr. *Præcipitii*. *In lapides*, Gr. *In lapideſis*, difficilibus itineribus. *Laborioſæ*, Gr. *Inexploratæ*: Vitandæ ſunt viæ exitioſæ, & præcipites, difficiles, & periculoſæ, ſeu inexploratæ.

26. (*p*) Vide ne res tuas profundant. *Credo*, Ipſe tibi prout recta ratio ſuaſerit tibi; ſequere conſcientiæ tuæ dictamen: legit Grotius, Quidquid aggrederis, Deo crede, intra animum tuum.

CAPUT XXXIII.

Divina sapientia alios erigit, alios deprimit; idque justo judicio. Vir sapiens non filio, non uxori, non cuivis homini se imprudenter subdat.

1. Timenti Dominum non occurrent (*a*) mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, & liberabit a malis.

2. Sapiens non odit mandata & justitias, & non illidetur quasi in procella (*b*) navis.

3. Homo sensatus (*c*) credit legi Dei, & lex illi fidelis.

4. Qui interrogationem manifestat (*d*), parabit verbum, & sic deprecatus exaudietur, & conservabit disciplinam, & tunc respondebit.

* Sup. 21. 17. 5. * Præcordia fatui quasi rota (*e*) carri: & quasi axis versatilis cogitatus illius.

6. Equus emissarius, sic & amicus subsannator, sub omni supræsedente (*f*) hinnit.

7. Quare dies diem superat, & iterum lux lucem, & annus annum a sole?

8. A Domini scientia (*g*) separati sunt, facto sole, & præceptum custodiente.

9. Et immutavit tempora, & dies festos ipsorum, & in illis dies festos celebraverunt (*h*) ad horam.

10. Ex ipsis exaltavit & magnificavit Deus, & ex ipsis posuit in numerum dierum. Et omnes homines de solo, * & ex terra, unde creatus est Adam. * Gen. 2. 7.

11. In multitudine disciplinæ Dominus separavit eos (*i*), & immutavit vias eorum.

12. Ex ipsis benedixit, & exaltavit: & ex ipsis sanctificavit, & ad se applicavit: & ex ipsis maledixit, & humiliavit, & convertit illos a separatione ipsorum.

* Rom. 9. 21. 13. * Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud & disponere.

14. Omnes viæ ejus secundum dispositionem ejus: sic homo in manu illius, qui se fecit, & reddet illi secundum judicium suum.

15. Contra malum (*k*) bonum est, & contra mortem vita: sic & contra virum justum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi. Duo & duo, & unum contra unum.

16. Et ego novissimus evigilavi (*l*), & quasi qui colligit acinos post vindemiatores.

17. In benedictione Dei & ipse speravi: & quasi qui vindemiat, replevi torcular.

18. * Respicite quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam. * Sup. 24. 7.

19. Audite me magnates, & omnes populi, & rectores Ecclesiæ auribus percipite.

20. Filio & mulieri (*m*), fratri & amico non des potestatem super te in vita tua: & non dederis alii possessionem tuam: ne forte pœniteat te, & depreceris pro illis.

21. Dum adhuc superes & aspiras, non (*n*) immutabit te omnis caro.

22. Melius est enim ut filii tui te rogent, quam te respicere in manus filiorum tuorum.

23. In omnibus operibus tuis (*o*) præcellens esto.

24. Ne dederis maculam in gloria tua. In die consummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui distribue hæreditatem tuam.

25. Cibaria, & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus servo.

26. Operatur in disciplina, & quærit (*p*) requiescere: laxa manus illi, & quærit libertatem.

27. Jugum & lorum curvant collum durum, & servum inclinant operationes assiduæ.

28. Servo malevolo tortura & compedes: mitte illum in operationem, ne vacet:

29. Multam enim malitiam docuit otiositas.

30. In opera constitue eum: sic enim condecet illum. Quod si non obaudierit, curva illum compedibus, & non amplifices (*q*) super omnem carnem: verum sine judicio nil facias grave.

31. * Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta: quoniam in sanguine animæ (*r*) comparasti illum. * Sup. 7. 23.

32. Si læseris eum injuste, in fugam convertetur:

33. Et si extollens discesserit, quem quæras, & in qua via quæras illum, nescis.

CA-

CAPUT XXXIII.

1. (*a*) Solum enim peccatum & ejus effectus vera sunt mala.

2. (*b*) Non confringetur, sed illi erit Deus velut anchora.

3. (*c*) Gr. *Fidelis est legi*, se totum Legi Dei regendum permittit.

4. (*d*) Gr. Lex ei *fida*, & *interrogatio manifestationis*, ut responsum Urim & Thummim, quod in magnis rebus principes populi consulebant: Ita Grotius. *Parabit*, Gr. *Para verbum*, Meditare quæ dicat, & sic audieris. Sit Dei discipulus per orationem, tam enim *exaudietur*: conservet disciplinam, nec traditionem deserat.

5. (*e*) Importuna, versatilis; nihil in eo stabile.

6. (*f*) Vel arridendo, vel illudendo omnibus: omni vento humanarum opinionum circumvehitur, nulla certa regula: sed consulentium dispositioni & propensioni sese accommodat.

8. (*g*) Non casu sunt distincti. *Facto*: Hæc & quæ sequuntur in hoc versiculo, in Græco non leguntur. Si distinctio dierum a lege instituta intelligatur, palam est eam non a sole, sed a Dei sapientia esse inductam.

9. (*h*) Constituto tempore; Græcus textus id tantum habet, Et immutavit tempora & festivitates: varias disposuit festivitates. *Exaltavit*, Quosdam dies consecravit.

11. & 12. (*i*) Deus sic disposuit, ut inter eos magna sint discrimina. *Immutavit*, Fecit, ut vivendi rationes valde essent diversæ. *Exaltavit*, Ut Reges & Principes. *Sanctificavit*, Ut Sacerdotes & Levitas. Et *convertit*, Dejecit illos, Sacerdotes a statione ipsorum, ut filios Heli & Cham.

15. (*k*) Humana contrariis constant. *Duo & duo*, Res quæque habet sibi contrariam, sed Deus eas temperat.

16. (*l*) Præparat lectorem ad majora. Postquam Israelitæ cessarunt a colligendis majorum sententiis, in sua persona jam loquitur Jesus filius Sirach; venisse se ait post omnes Prophetas. *Vindemiatores*, Post vindemiam. Vox Græca stipulam & racemos significat.

20. (*m*) Uxori. *Pro illis*, Rebus tuis in tua egestate repetendis.

21. & 22. (*n*) Græc. *Non aliénes teipsum omni carni*, Ne te cuiquam addixeris. *Respicere*, Tamquam dona eorum expectantem.

23. & 24. (*o*) Vir senex ab uxore, aut liberis sine dedecore non regitur. *Distribue*. Testamento, non contractu.

26. (*p*) Servus in opere exercitatus quærit requiem tantummodo. *Libertatem*, Otiosus quærit licentiam. Gr. *Operare in puero, servum admove operi*, & invenies requiem. Si sedulo servum in opere exerces, nihil aliud quam somnum quæret; & si indulgenter eum habeas, de fuga cogitabit.

30. (*q*) Ne sis nimius, & immisericors. *Grave*, Ne plus æquo sævias.

31. & 33. (*r*) Periculo vitæ tuæ: loquitur de bello captis. *Discesserit*, Si aufugiat, postquam aliquid corraserit, *quem quæras?*

CAPUT XXXIV.

De vanitate somniorum & divinationum; spes in Deum firmanda; merces pauperum non fraudanda.

1. VAna spes, & mendacium viro insensato: & somnia extollunt (*a*) imprudentes.

2. Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum: sic & qui attendit ad visa mendacia.

3. Hoc secundum hoc visio (*b*) somniorum: ante faciem hominis similitudo hominis.

4. Ab immundo quid (*c*) mundabitur? & a mendace quid verum dicetur?

5. Divinatio (*d*) erroris & auguria mendacia, & somnia malefacientium, vanitas est.

6. Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur: nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum:

7. Multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.

8. Sine mendacio consummabitur (*e*) verbum legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur.

9. Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus (*f*), cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum.

10. Qui non est expertus, pauca recognoscit: qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam.

11. Qui tentatus non est, qualia scit? qui implanatus est (*g*), abundabit nequitia.

12. Multa vidi errando, & plurimas verborum consuetudines.

13. Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum horum causam, & liberatus sum gratia Dei.

14. Spiritus timentium Deum (*h*) quæritur, & in respectu illius benedicetur.

15. Spes enim illorum in salvantem illos, & oculi Dei in diligentes se.

16. Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit: quoniam ipse est spes ejus.

17. Timentis Dominum beata est anima ejus.

18. Ad quem respicit (*i*), & quis est fortitudo ejus?

19. * Oculi Domini super timentes eum, [* Ps. 33. 16.]
protector potentiæ, firmamentum virtutis (*k*), tegimen ardoris, & umbraculum meridiani.

20. Deprecatio (*l*) offensionis, & adjutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem.

21. * Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, & non sunt beneplacitæ subsannationes injustorum. [* Prov. 21. 27.]

22. Dominus solus sustinentibus (*m*) se in via veritatis & justitiæ.

23. * Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum: nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. [* Prov. 15. 8.]

24. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.

25. Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.

26. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.

27. Qui effundit sanguinem, * & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. [* Deut. 24. 14. Sup. 7. 22.]

28. Unus ædificans, & unus (*n*) destruens: quid prodest illis nisi labor?

29. Unus orans, & unus maledicens: cujus vocem exaudiet Deus?

30. Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio (*o*) illius?

31. * Sic homo qui jejunat in peccatis suis: & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet? [* 2. Pet. 2. 22.]

CAPUT XXXV.

De oblationibus & sacrificiis; de precibus humilium: de viduis, pupillis, pauperibus tuendis, non opprimendis.

1. QUi conservat legem, multiplicat oblationem.

2. * Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate. [* 1. Reg 15. 22.]

3. Et propitiationem (*a*) litare sacrificii super injustitias, & deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitia.

4. Retri-

CAPUT XXXIV.

1. & 5. (*a*) Vana spe erigunt. *Visa*, Græc. *Insomnia*, visa substantive accipiuntur.

3. (*b*) Sic se habet somnium, non est aliud quam homini exhibita sui ipsius similitudo mendax. *Ante faciem*, in speculo.

4. (*c*) Qua parte immundus est, nihil mundari potest. *Dicetur*. Qua parte mendax est. Nam diabolus ipse aliquando verum dicit, sed vel coactus, vel ut fallat: unde ejusmodi verum ex fine ipso mendacium est. Gr. Non est a mendace, sed a mendacio; a falso frustra veritas expectatur, ut ab immundo frustra quæritur munditties.

5. (*d*) Erronea, cum petuntur a dæmonibus responsa. *Malefacientium*, impiorum. Ibi omnes graves patiuntur cruciatus, & conscientiæ tormina.

8. (*e*) Recurre potius ad Legem Divinam, ubi est incorrupta veritas. *Complanabitur*, Plena & aperta fiet: vel etiam quæ sapientes fideliter monent, non sunt spernenda.

9. & 10. (*f*) Gr. *Vir eruditus novit multa*: Unde observari possunt viri sapientis proverba consilia. *Qui non est tentatus*, Qui nullis est casibus jactatus, rerum experientiam non habet. *Factus est*. Gr. *Qui autem peregrinatus est*, per multas regiones, *multiplicabit astutiam*: vel qui in multis versatus est negotiis.

11. (*g*) Vox Græca πεπλανημένος, ambigua est: nam significare potest eum qui errore deceptus fuit, & eum qui per varia vagatus est loca; sic vox Græca πανουργία, bonam & malam versutiam potest designare. Opponit ei qui non est expertus, illum qui in variis regionibus est peregrinatus: sic tentatum dicit expertum, & multis laboribus, ac periculis probatum.

14. (*h*) Gr. *Vivet dm*. *Benedicetur*, Cum cœperit Deus benigno oculo eum respicere, bonis abundabit.

18. (*i*) Quantus ille est quem respicit, & cui innititur.

19. (*k*) Protector potens, sine quo nulla est vis nostra. *Virtutis*, Validum. *Tegimen*, A meridie & a quavis tentatione gravi; vel *firmamentum virtutis*, In virtute nos firmat; *tegimen ardoris*, Adversus concupiscentiæ ardores nos tuetur; *umbraculum meridiani*, Adversus persecutiones.

20. & 21. (*l*) Gr. *Custodia adversus offensam*, evitatio offensionis. *Casus*, Contra lapsum. *Maculata*, Reprehensibilis; quæ sacrificia Deus respuit, neque ad ea attendit.

22. (*m*) Hæc sententia abest a Græcis. Hos solos Deus ut veros sui cultores agnoscit, qui patienter illum expectant.

28. & 29. (*n*) In eadem familia. *Maledicens*, Orat pro se dives, pauper ab eo spoliatus ei mala imprecatur; si ore Deum colimus, & actionibus nostris adversus Deum clamus.

30. (*o*) Lavatur rediens a mortuo: Qui mundatus est a peccatis per pœnitentiam, & in ea revolvitur, nihil ei prodest.

CAPUT XXXV.

1. (*a*) Deest in Græco: *Recedere ab injustitia*, est velut litare per sacrificia.

4. Retribuet gratiam (b), qui offert fimila-
ginem: & qui facit misericordiam, offert sa-
crificium.
* Jer. 7. 3. & 26. 13. 5. * Beneplacitum est Domino recedere ab
iniquitate: & deprecatio pro peccatis recedere
ab injustitia.
* Exod. 23. 15. & 34. 20. 6. * Non apparebis ante conspectum Domini
vacuus.
Deut. 16. 16. 7. Hæc enim omnia propter mandatum Dei
fiunt,
8. Oblatio justi impinguat altare (c), &
odor suavitatis est in conspectu Altissimi.
9. Sacrificium justi acceptum est, & memo-
riam (d) ejus non obliviscetur Dominus.
10. Bono animo gloriam redde Deo: & non
minuas primitias manuum tuarum.
* 2. Cor. 9. 7. 11. * In omni dato hilarem fac vultum
tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas.
* Tob. 4. 9. 12. * Da Altissimo secundum datum ejus,
& in bono oculo adinventionem facito (e)
manuum tuarum.
13. Quoniam Dominus retribuens est, &
septies tantum reddet tibi.
* Lev. 22. 21. 14. * Noli offerre munera prava: non enim
suscipiet illa.
Deut. 10. 17. 2 Par. 19. 7. 15. Et noli inspicere sacrificium injustum,
* Job 34. 19. quoniam Dominus judex est, & * non est apud
Sap. 6. 8. Act. 10. 34. illum gloria personæ.
Rom. 2. 11. 16. Non accipiet Dominus personam in pau-
Gal. 2. 6. perem, & deprecationem læsi exaudiet.
Col. 3. 25. 1. Pet. 1. 17. 17. Non despiciet preces pupilli: nec vi-
duam, si effundat loquelam gemitus.
18. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descen-
dunt, & exclamatio ejus super deducentem eas?
19. A maxilla enim ascendunt usque ad cæ-
lum, & Dominus exauditor non delectabitur in
illis.
20. Qui adorat Deum in oblectatione, su-
scipietur, & deprecatio illius usque ad nubes
propinquabit.
21. Oratio humiliantis (f) se, nubes pene-
trabit: & donec propinquet non consolabitur:
& non discedet donec Altissimus aspiciat.
22. Et Dominus non elongabit, sed judica-
bit justos, & faciet judicium: & Fortissimus
non habebit in illis patientiam, ut contribulet
dorsum ipsorum:
23. Et Gentibus reddet vindictam, donec
tollat plenitudinem superborum, & sceptra ini-
quorum (g) contribulet:
24. Donec reddat hominibus secundum actus
suos: & secundum opera Adæ, & secundum
præsumptionem illius:
25. Donec judicet judicium plebis suæ, &
oblectabit justos misericordia sua.
26. Speciosa misericordia Dei, in tempore
tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore
siccitatis.

CAPUT XXXVI.

Orat pro Judæis & sancta civitate a principibus vexata, pro Gentibus ut ad Deum convertantur, laudes bonæ & prudentis uxoris.

1. MIserere nostri Deus omnium, & respice
nos, & ostende nobis lucem miseratio-
num tuarum:
2. Et immitte timorem tuum super Gentes,
quæ non exquisierunt te, ut cognoscant quia
non est Deus, nisi tu, & enarrent magnalia
tua.
3. Alleva (a) manum tuam super Gentes
alienas, ut videant potentiam tuam.
4. Sicut enim in conspectu eorum sanctifica-
tus es in nobis, sic in conspectu nostro ma-
gnificaberis in eis.
5. Ut cognoscant te, sicut & nos cognovi-
mus, quoniam non est Deus præter te Do-
mine.
6. Innova signa, & immuta mirabilia.
7. Glorifica manum, & brachium dextrum.
8. Excita furorem, & effunde iram.
9. Tolle adversarium, & afflige inimicum.
10. Festina tempus, & memento (b) finis,
ut enarrent mirabilia tua.
11. In ira flammæ devoretur (c) qui salva-
tur: & qui pessimant plebem tuam, inveniant
perditionem.
12. Contere caput principum inimicorum,
dicentium: Non est alius præter nos.
13. Congrega omnes tribus Jacob: ut cogno-
scant quia non est Deus nisi tu, & enarrent
magnalia tua: & hæreditabis eos, sicut ab
initio.
14. Miserere plebi tuæ, super quam invo-
catum est nomen tuum: & Israel, * quem * Exod. 4. 22.
(d) coæquasti primogenito tuo.
15. Miserere civitati sanctificationis tuæ Je-
rusalem, civitati requiei tuæ.
16. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis,
& gloria tua populum tuum.
17. Da testimonium his, qui ab initio (e)
creaturæ tuæ sunt, & suscita prædicationes,
quas locuti sunt in nomine tuo prophetæ prio-
res.

18. Da

4. (b) Gr. *Qui retribuit gratiam*, benefactori suo, nempe Deo: ita qui in proximum est misericors, quoddam genus sacrificii offert Deo gratum.
8. (c) Cum vir justus victimas pingues offert Deo, Deus eas ut sibi gratas habet.
9. & 10. (d) Gr. *Memoriale*, seu sacrificium. *Animo*, Gr. *In bono oculo*, non parco, animo alacri & liberali. *Non minuas*, Gr. *Ne decurtes*, Ne minuas munera tua per avaritiam.
12. 14. 15. & 16. (e) Dona ex eis quæ acquisieris, quæ sub tua inveneris manu. *Prava*, Vitio aliquo laborantia: Gr. *Ne dones eum corrumpe*, id est, ne speres eum corrumpere, ut peccata tua dissimulet. *Injustum*, Ex injuste partis. *Personæ*, Gr. *Acceptio personæ*, Ex actionibus personas æstimat, non vicissim. *In pauperem*, Adversus pauperem.
21. & 22. (f) Gr. *Afflicti*. *Non consolabitur*, Non revocabitur, Non desistet a cursu donec coram Deo steterit. *Elongabit*, Gr. *Non tardabit*. *Patientiam*, Gr. *Quousque contribulet dorsum immisericordium*, patientiam habebit in illis, donec, &c. Vel lisceat oppressores suorum puniet.
23. & 24. (g) Potentiam conteret. *Adæ*, Hominum: videtur id vertisse ex Hebræo. *Illius*, Gr. *Cogitationes eorum*.

3. 4. 5. & 6. (a) Frige brachium tuum. *In nobis*. Cum nos e tantis malis eripuisti. *In eis*, Tuam potentiam contra illos ostendendo. *Ut cognoscant te*; spem ostendit de vocatione Gentium. *Immuta*, Gr. *Itera mirabilia*, Vetera innova. CAPUT XXXVI.
10. (b) Rem deduc ad exitum. Gr. *Memento juramenti*, seu pacti cum Patribus initi; hæc ad tempora Antiochi Epiphanis videntur pertinere: nam antea magna pace fruebantur Judæi.
11. & 12. (c) Ira tuæ flamma eum corripiat, qui ex his malis abiit incolumis. Gr. *Qui salvatus est*. Qui gladium evaserit, incendio pereat. *Plebem*, Qui male tractant. *Principum*, Syriæ. *Non est alius*. Cui Judæi servient.
14. (d) Gr. *Assimilasti*. *Tuo*, Quem primogeniti honore donasti. *Jerusalem*, In qua est templum tuum. Hinc liquet hæc mala incubuisse potissimum in Jerusalem & templum, idque sub Seleuco & Antioco Epiphane.
17. (e) Priscis temporibus. *Prædicationes*, Gr. *Prophetias*, & Machabæorum victorias: quæ omnia plane impleta sunt in Ecclesiæ initiis.

18. Da mercedem sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur: & exaudi orationes servorum tuorum

* Num. 6. 24. 19. * Secundum benedictionem (*f*) Aaron de populo tuo, & dirige nos in viam justitiæ, & sciant omnes qui habitant terram, quia tu es Deus conspector sæculorum.

20. Omnem escam manducabit venter, & est cibus cibo (*g*) melior.

21. Fauces contingunt cibum feræ, & cor sensatum verba mendacia.

22. Cor pravum (*h*) dabit tristitiam, & homo peritus resistet illi.

23. Omnem masculum excipiet (*i*) mulier: & est filia melior filia.

24. Species mulieris exhilarat faciem viri sui, & super omnem concupiscentiam hominis superducit (*k*) desiderium.

25. Si est lingua curationis, est & mitigationis & misericordiæ: non est vir illius secundum filios hominum.

26. Qui possidet mulierem bonam, inchoat (*l*) possessionem: adjutorium secundum illum est, & columna ut requies.

27. Ubi non est sepes, diripietur possessio: & ubi non est mulier, ingemiscit (*m*) egens.

28. Quis credit ei, qui non habet nidum, & deflectens ubicumque obscuraverit, quasi succinctus latro exiliens de civitate in civitatem?

CAPUT XXXVII.

Veri amici a fictis, consiliarii sinceri ab hypocritis discernendi; de temperantia in cibis.

1. OMnis amicus dicet: Et ego amicitiam copulavi: sed est amicus solo nomine amicus. Nonne tristitia inest usque ad mortem?

2. Sodalis autem (*a*) & amicus ad inimicitiam convertentur.

3. O præsumptio nequissima, unde creata es cooperire aridam malitia (*b*) & dolositate illius?

4. Sodalis amico conjucundatur in oblectationibus, & in tempore tribulationis, adversarius erit.

5. Sodalis amico condolet causa ventris, & contra hostem accipiet scutum.

6. Non obliviscaris amici tui in animo tuo, & non immemor sis illius in opibus tuis.

7. Noli consiliari cum eo, qui tibi insidiatur, & a zelantibus te absconde consilium.

8. Omnis consiliarius prodit (*c*) consilium, sed est consiliarius in semetipso.

9. A consiliario serva animam tuam: prius scito quæ sit illius necessitas: & ipse enim animo suo cogitabit:

10. Ne forte mittat sudem (*d*) in terram, & dicat tibi:

11. Bona est via tua; & stet e contrario (*e*) videre quid tibi eveniat.

12. Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum injusto de justitia, & cum muliere de ea, quæ æmulatur: cum timido de bello, cum negotiatore de trajectione, cum emptore de venditione, cum viro livido de gratiis agendis,

13. Cum impio de pietate (*f*), cum inhonesto de honestate: cum operario agrario de omni opere,

14. Cum operario annuali de consummatione anni, cum servo pigro de multa operatione: non attendas his in omni consilio.

15. Sed cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei.

16. Cujus anima est secundum animam tuam: & qui, cum titubaveris in tenebris, condolebit tibi.

17. Cor boni consilii (*g*) statue tecum: non est enim tibi aliud pluris illo.

18. Anima viri sancti (*h*) enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.

19. Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam.

20. Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.

21. Ver-

19. (*f*) Ut maneat legitimum Sacerdotium, non venale, quale erat sub Antiocho: secundum preces quas jussu tuo fudit Aaron.

20. (*g*) Finita precatione, agit de rebus subtili judicio discernendis, & de cogitationibus maxime, quæ ut cibi a cibis gustu quodam secernuntur, ita & cor sensatum mendacia secernit.

22. (*h*) Multis tristitiæ occasiones dabit. *Illi*, Gr. *Expertus facile occurret ejus fallaciis.*

23. (*i*) Filiæ nubilea cum fere maritum accipiunt, quem pater dederit.

24. & 25. (*k*) Hic videtur sensus e Græco. Mulieris formæ cupiditas vincit omnem aliam cupiditatem hominis, cui si accesserit verborum lenitas, vir ejus conditionem communem hominum superegreditur.

26. (*l*) [illegible] omnis bonæ possessionis est bonum habere uxorem. *Adjutorium*, [illegible], si eam animo consentaneam. *Requies*, Gr. *Columna requietis*, Cui incumbit domus.

27. (*m*) [illegible] 14 Significat, in veteris Testamenti conditione [illegible] lectulum, & fidam conjugem, neque [illegible]

CAPUT XXXVII. 2. (*a*) [illegible] est usque *ad mortem*, *sodalis & amicus* [illegible]

3. (*b*) [illegible] unde devoluta es ad terram obtegendam dolo [illegible]

8. (*c*) [illegible] O[illegible], aut jactat consilium: *Sed est qui consulit sibi ipsi*: in rem suam: Vulgata, *In semetipso*: de consiliariis intelligit, quales ante descripsit, vel *omnis consiliarius*, magna pars hominum.

10. (*d*) Ne offendiculum aliquod paret tibi. Explorandus est ante consiliarius, ne forte consilium tibi det periculum facturus de tuo eventu, & ex eo commodum suum quæsiturus: sicut fossibus & palis fundus terræ exploratur. Græce tamen est, *Ne forte mittas super te fortem*, & in periculum te conjiciat.

11. & 12. (*e*) Perge ut cœpisti. *E contrario*, Ex adverso. *Tracta*, Excidit negatio quæ habetur in Græco, cujus hic est sensus: Ne tractaveris cum eo qui te suspectum habet, cum uxore de æmula ejus, cum timido de bello. Quisque enim consulet secundum ingenium & rationes suas; aut forte hæc usque ad vers. 24 est perpetua ironia.

13. & 14. (*f*) Gr. *Cum immisericorde de beneficentia*, &c. Abhorrebit enim, & dissuadebit, aut laborem pluris est [illegible]bit, *Agrario*, Gr. *Cum mercenario domestico*. *Annuali*, sive de operis fine: is enim in longum extrahet opus, ex quo lucrum patiar, aut contemnandum præbebit.

17. (*g*) Bonum consilium cordis, est hypallage: Non solum cum aliis, sed etiam tecum ipso consulta. Optimus sibi quisque consiliarius est, si modo affectibus non abripitur.

18. (*h*) Sua cuique animus enuntiat aliquando vera: Vulgata addit, *Sancti*: nam optimus eris tibi consiliarius, si sanctus sis.

21. Verbum nequam (*i*) immutabit cor : ex quo partes quatuor oriuntur, bonum & malum, vita & mors : & dominatrix illorum eſt aſſidua lingua. Eſt vir aſtutus multorum eruditor, & animæ ſuæ inutilis eſt.

22. Vir peritus multos erudivit, & animæ ſuæ ſuavis (*k*) eſt.

23. Qui ſophiſtice (*l*) loquitur, odibilis eſt: in omni re defraudabitur.

24. Non eſt illi data a Domino gratia (*m*): omni enim ſapientia defraudatus eſt.

25. Eſt ſapiens animæ ſuæ (*n*) ſapiens : & fructus ſenſus illius laudabilis.

26. Vir ſapiens plebem ſuam erudit, & fructus ſenſus illius fideles ſunt.

27. Vir ſapiens implebitur benedictionibus, & videntes illum laudabunt.

28. Vita viri in numero (*o*) dierum : dies autem Iſrael innumerabiles ſunt.

29. Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen illius erit vivens in æternum.

30. Fili in vita tua tenta (*p*) animam tuam: & ſi fuerit nequam, non des illi poteſtatem:

31. Non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet.

32. Noli avidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam:

33. In multis enim eſcis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit uſque ad (*q*) choleram.

34. Propter crapulam multi obierunt : qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.

CAPUT XXXVIII.

Commendat medicos & medicinam ; quomodo mortuos lugere oporteat ; quid cogitandum in funeribus ; de artibus & agricultura.

1. HOnora medicum propter neceſſitatem (*a*) : etenim illum creavit Altiſſimus.

2. A Deo eſt enim omnis medela, & a rege accipiet donationem.

3. Diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatorum collaudabitur.

4. Altiſſimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.

5. * Nonne a ligno indulcata eſt aqua amara? * Exod. c. 15.

6. Ad agnitionem hominum virtus (*b*) illorum, & dedit hominibus ſcientiam Altiſſimus, honorari in mirabilibus ſuis.

7. In his curans mitigabit dolorem, & unguentarius faciet pigmenta ſuavitatis, & unctiones conficiet ſanitatis, & non (*c*) conſummabuntur opera ejus.

8. Pax enim Dei ſuper (*d*) faciem terræ.

9. * Fili in tua infirmitate ne deſpicias te ipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te. * Iſai. 38. 3.

10. Averte a delicto (*e*), & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.

11. Da ſuavitatem & memoriam (*f*) ſimilaginis, & impingua oblationem, & da locum medico:

12. Etenim illum Dominus creavit : & non diſcedat a te, quia opera ejus ſunt neceſſaria.

13. Eſt enim tempus quando in manus illorum incurras (*g*):

14. Ipſi vero Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum, & ſanitatem, propter converſationem illorum.

15. Qui delinquit in conſpectu ejus (*h*), qui fecit eum, incidet in manus medici.

16. Fili in mortuum produc lacrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & ſecundum judicium contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius:

17. Propter delaturam autem amare (*i*) fer luctum illius uno die, & conſolare propter triſtitiam:

18. Et fac luctum ſecundum meritum ejus uno die, vel duobus propter detractionem.

19. * A triſtitia enim feſtinat (*k*) mors, & cooperit virtutem, & triſtitia cordis flectit cervicem. * Prov. 15. 13. & 17. 22.

20. In

21. (*i*) Ab aliis prolatum. *Cor*, hinc enim ſuſpiciones. *Partes quatuor*. Gr. Quatuor ſunt res quæ in corde veſtigium relinquunt, quo immutatur: nam incipit dubitare de quovis negotio an ſit bonum & malum, commodum, aut noxium. *Vita & mors*, Recte factum an peccatum, uſitata phraſi, his enim quatuor vita hominis vertitur, bonum, ut ſpes honoris, opum; malum, contrariorum metus: vita, longa & ſana; mors, matura mortis. *Lingua*. His enim imperat ſermo aſſiduus. Si attenderis quibuſcum aſſidue colloquatur, facile conjicies, quo ſe inclinabit ejus animus: vel his omnibus prævalet lingua; nam aliorum ſermones animum maxime commovent.

22. (*k*) Huic ſapiunt quæ docet; Græca aliter habent: Eſt vir aſtutus, multorum doctor, & propriæ animæ inutilis eſt. Sæpe evenit, ut homo alios bene doceat, & bene illis conſulat, ſibi non item; aliis ſapit, non ſibi.

23. (*l*) Argute, non candide; Gr. *Sapientem ſe facit*; vel qui utitur ſermone nimium luxuriante, qui verbis ſolis ſapientem agit.

24. (*m*) Seu hominibus illudat, & in errorem inducat; ſeu ſpeciem tantummodo ſermonis, non veritatem ipſam; illam per contentionem, & invidiam, aut vanam oſtentationem prædicet: quantumvis ſenſatus ex ſermone videatur, intus & in corde inſipiens eſt.

25. (*n*) Animæ ſuæ utilis, qui ſe primum, tum alios inſtruit.

28. (*o*) Brevis ævi. *Innumerabiles*, Ne ergo te ipſum, ſed temp. immortalem reſpicias.

30. (*p*) Noſce teipſum. *Nequam*, Si in malum propendeat, non permitte eam ſibi: nec conſilia univerſim data, licet veritate ſubnixa ſufficiunt: nam unicuique habita ratione tum naturæ tum gratiæ applicari debent, nec omnia omnibus conveniunt.

33. (*q*) Majorem ex bile: Ut a nimiis epulis, ſic a nimiis voluptatibus abſtinendum.

CAPUT XXXVIII. 1. (*a*) Quod utique complectitur honorem huic arti debitum: ſic dicitur, Honora Dominum de tua ſubſtantia. In Græco, *Honora ob utilitatem ejus*: honoris nomine merces honoraria, & alimenta præcipue intelliguntur. *Creavit*, Ordinavit. *Medela*, Vis medendi in herbis a Deo dimanat. Morbi omnes e peccato profluunt: ſed curatio ex Dei benignitate. *Donationem*, vel largam remunerationem.

6. (*b*) Medicaminum: Deus illa creavit, ut homines eorum virtutes agnoſcerent, & Deo grates agerent.

7. (*c*) Unguentarius non ad perfectum ea deducet: vel innumera modis opera ſua, & unguentorum compoſitiones pharmacopæus, ſeu aromatarius variabit.

8. & 9. (*d*) Benignitas Dei, qua ſtirpes creavit in uſum medicinæ. *Teipſum*. Ne parvi facias valetudinem tuam.

10. (*e*) Sanitatis recuperatio ſimul expectanda a Deo, & a medico; ſed a Deo principaliter, qui etiam ſine medico curare poteſt: a medico, cujus arte Deus ſanitatem ſolet reſtituere; tentari non debet Deus, cum medici adeſt copia. *Dirige*, Opera tua fac recta.

11. (*f*) Monimentum ſimilæ, quæ Deo offerebatur, thure impoſito & incenſo. *Medico*. Cum hæc præſtiteris, admitte medicum in gravi tua infirmitate

13. & 14. (*g*) Ideo medici non contemnendi a ſanis. Gr. Cum reſtituens tibi ſanitatem. *Ipſi*; An ſacerdotes, an medici, an junctim de utriſque loquitur? ita ut medici arti ſuæ non plus ſatis fidant, & Deum deprecentur, quo remedia fortunet, & ſacerdotes ſacrificia in eumdem finem offerant.

15. & 16. (*h*) Peccata ſunt perſæpe morborum cauſſæ. *Judicium*. Ut decet: Gr. *Secundum ejus dignitatem*, alii, pro more, vel ut ipſe ante conſtituit.

17. (*i*) Gr. *Amarum fac luctum, & accende planctum*. *Propter*; Ne quis dicat, parce nimis a te celebratum ſolemnem luctum.

19. (*k*) Cave, ne nimis lugeas. *Cooperit*, Velut ſuffuſu quodam obruit omnem animi vim, & fit negotiis impar; vel ſi ab aliorum convicia te abduxeris.

20. In abductione (*l*) permanet tristitia: & substantia inopis secundum cor ejus.

21. Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam a te: & memento (*m*) novissimorum,

22. Noli oblivisci: neque enim est conversio, & huic nihil proderis, & te ipsum pessimabis.

23. Memor esto judicii (*n*) mei: sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.

*3.Reg.21.21. 24. * In requie mortui requiescere fac memoriam ejus, & consolare illum in exitu (*o*) spiritus sui.

25. Sapientia scribæ in tempore vacuitatis: & qui minoratur actu (*p*), sapientiam percipiet: qua sapientia replebitur

26. Qui tenet aratrum (*q*), & qui gloriatur in jaculo, stimulo boves agitat, & conversatur in operibus eorum, & enarratio ejus in filiis taurorum.

27. Cor suum dabit ad versandos sulcos, & vigilia ejus in sagina vaccarum.

28. Sic omnis faber & architectus, qui noctem tamquam diem transigit, qui sculpit signacula (*r*) sculptilia, & assiduitas ejus variat picturam: cor suum dabit in similitudinem picturæ, & vigilia sua perficiet opus.

29. Sic faber ferrarius sedens juxta incudem, & considerans opus ferri. Vapor ignis uret carnes ejus, & in calore fornacis concertatur:

30. Vox mallei innovat aurem ejus, & contra similitudinem vasis oculus ejus:

31. Cor suum dabit in consummationem operum, & vigilia sua ornabit in perfectionem.

32. Sic figulus sedens ad opus suum, convertens pedibus suis rotam, qui in solicitudine positus est semper propter opus suum, & in numero (*ſ*) est omnis operatio ejus.

33. In brachio suo formabit lutum, & ante pedes suos (*t*) curvabit virtutem suam.

34. Cor suum dabit ut consummet linitionem (*u*), & vigilia sua mundabit fornacem.

35. Omnes hi in manibus suis speraverunt, & unusquisque in arte sua sapiens est.

36. Sine his omnibus non ædificatur civitas.

37. Et non inhabitabunt, nec inambulabunt, & in ecclesiam non transilient.

38. Super sellam judicis non sedebunt, & testamentum judicii (*x*) non intelligent, neque palam facient disciplinam & judicium, & in parabolis non invenientur:

39. Sed creaturam ævi (*y*) confirmabunt, & deprecatio illorum in operatione artis, accommodantes animam suam, & conquirentes in lege Altissimi.

CAPUT XXXIX.

Sapiens veterum dicta factaque inquirit; ejus officia commemorat: Deus laudandus in omnibus; opera ejus perfecta.

1. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis vacabit.

2. Narrationem virorum (*a*) nominatorum conservabit, & in versutias parabolarum simul introibit.

3. Occulta proverbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conversabitur.

4. In medio magnatorum ministrabit, & in conspectu præsidis apparebit.

5. In terram alienigenarum gentium pertransiet: bona enim & mala in hominibus tentabit.

6. Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur.

7. Aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur.

8. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum:

9. Et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino:

10. Et ipse diriget consilium (*b*) ejus, & disciplinam, & in absconditis suis consiliabitur.

11. Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ, & in lege testamenti Domini gloriabitur.

12. Collaudabunt multi sapientiam ejus, & usque in sæculum non delebitur.

13. Non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur a generatione in generationem.

14. Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enuntiabit ecclesia.

15. Si permanserit (*c*), nomen derelinquet plus quam mille: & si requieverit, proderit illi.

16. Adhuc consiliabor (*d*), ut enarrem: ut furore enim repletus sum.

17. In

20. (*l*) Vel abducto cadavere, Gr. *Transit & tristitia*. *Cor ejus*, Gr. *Vita pauperis fit lenior luctu*; ex corde ostendet qualis sit vita hominis afflicti: misera enim est & brevis, si in afflictione ejus cor torqueatur; felix, si sapienter ferat. Tristitia magnum est malum: nam divitem efficit egenum & pauperem his infelicem.

21. & 22. (*m*) In aliorum funere mortem tuam cogita: amici mors nostram ob oculos ponat, ac de mortuo sic cogitandum, ut mortis nostræ cogitatio subeat animum. *Conversio*, Reditus mortui, quantumvis lugeas nullus est.

23. (*n*) Sortis meæ: mortui nomine loquitur, *Mihi heri, & tibi hodie*.

25. (*o*) Adhibe solatia, quamdiu vivit. Porro initium sententiæ varie exponitur. Vox Græca significat, *Seda*; fac quiescere memoriam ejus, quæ est cum acerbo dolore, non eam quæ cum Pietate conjuncta est.

25. (*p*) Qui ab actione & negotiis cessat. *Percipiet*, Negat doctrinam scribæ comparari nisi in multo otio.

26. (*q*) Cum v. superiori videtur connecti: Qua sapientia replebitur qui tenet aratrum? *Taurorum*, De tauris narrat arator.

28. (*r*) Annulorum sculpit sigilla. *Picturæ*. Studebit idem efficere in sculptura, quod pictor in pictura.

32. (*ſ*) Sollicitus est an numerus conveniat omni labori suo, an ignis multa vasa fregerit.

33. (*t*) Ubi lutum jacet. *Virtutem*. Corpus suum.

34. (*u*) Sine his artibus urbes desertæ erunt. *Transilient*, Nulli parti Reip. præerunt.

38. (*x*) Leges judiciorum. *Ævi*, Res brevi tempore duraturas stabilient. *Artis*, Nec aliud quiddam optabant, quam ut artis suæ opera præclare exequantur. Artes describit, in quibus homines sic vitam exigunt, ut hujus mundi transeuntis statum constituant.

39. (*y*) Enumeravit aliquot opificum genera: talea puta esse homines omnes extra eos, qui animum intenderunt Legis Divinæ studio, quos capite sequenti describit. In Græco textu legitur, *Accommodantis animam suam, & conquirentis in lege*: sunt ea quæ mox dicit non esse artificum, sed ea quæ sequuntur.

CAPUT XXXIX.

2. (*a*) Gr. *Enarrationem*, Expositionem. *In versutias*, Acutas, subtilesque sententias, quæ ad morum informationem spectant.

10. (*b*) Ad legis normam. *Consiliabitur*, Inde rerum agendarum consilia sumet; de absconditis Dei cogitabit.

15. (*c*) Diu in hac vita. *Proderit*, sibi ipsi laboraverit; vel in sepulcro. *Illi*. Si alios erudire non potuerit propter festinatam mortem, bona illius voluntas remunerabitur.

16. (*d*) Gr. *Adhuc quæ cogitavi edisseram*. *Repletus sum*, Furore Domini, instinctu prophetico; Gr. *Tamquam plenilunium*, vel implena, ut Luna corniculata.

17. In voce (e) dicit: Obaudite me divini fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.

18. Quasi Libanus (f) odorem suavitatis habete.

19. Florete flores quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus suis.

20. Date nomini ejus magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum, & in canticis labiorum, & citharis, & sic dicetis in confessione:

* Gen. 1. 31. Marc. 7. 37. 21. * Opera Domini universa bona valde.

* Gen. 8. 3. 22. * In verbo ejus stetit aqua sicut congeries: & in sermone oris illius sicut exceptoria aquarum:

23. Quoniam in præcepto ipsius (g) placor fit, & non est minoratio in salute ipsius.

24. Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus.

25. A sæculo usque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu ejus.

26. Non est dicere: Quid est hoc, aut quid est istud? omnia enim in tempore suo quærentur.

27. Benedictio illius quasi fluvius inundavit.

* Gen. 7. 21. 28. * Quomodo cataclysmus aridam inebriavit, sic ira ipsius gentes, quæ non exquisierunt eum (h), hæreditabit.

* Exod. 14. 22. 29. * Quomodo convertit aquas in siccitatem, & siccata est terra: & viæ illius viis illorum directæ sunt: sic peccatoribus offensiones in ira ejus.

30. Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona & mala.

* Sup. 29. 28. 31. * Initium (i) necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, & panis similagineus, & mel, & botrus uvæ, & oleum, & vestimentum.

32. Hæc omnia sanctis in bona, sic & impiis & peccatoribus in mala convertentur.

33. Sunt spiritus, qui ad vindictam (k) creati sunt, & in furore suo confirmaverunt tormenta sua:

34. In tempore consummationis effundent virtutem (l): & furorem ejus, qui fecit illos, placabunt.

35. Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt:

36. Bestiarum dentes, & scorpii, & serpentes, & rhomphæa vindicans in exterminium impios.

37. In mandatis ejus (m) epulabuntur, & super terram in necessitatem præparabuntur, & in temporibus suis non præterient verbum.

38. Propterea ab initio confirmatus sum, & consiliatus sum, & cogitavi, & scripta dimisi.

39. * Omnia opera Domini bona, & omne opus hora sua subministrabit. * Gen. 1. 31. Marc. 7. 37.

40. Non est dicere: Hoc illo nequius (n) est: omnia enim in tempore suo comprobabuntur.

41. Et nunc in omni corde & ore collaudate, & benedicite nomen Domini.

CAPUT XL.

Jugum grave super filios Adam, quæ peccatum sunt consecuta, mors & vita calamitates; vita sibi sufficiens.

1. OCcupatio magna (a) creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium.

2. Cogitationes eorum, & timores cordis, adinventio expectationis, & dies finitionis:

3. A residente super sedem gloriosam, usque ad humiliatum in terra & cinere:

4. Ab eo qui utitur hyacintho, & portat coronam, usque ad eum qui operitur lino crudo: furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis iracundia perseverans, & contentio,

5. Et in tempore refectionis in cubili somnus noctis immutat (b) scientiam ejus.

6. Modicum tamquam nihil in requie, & ab eo in somnis, quasi in die respectus.

7. Conturbatus est (c) in visu cordis sui, tamquam qui evaserit in die belli. In tempore salutis suæ exurrexit, & admirans ad nullum timorem:

8. Cum omni carne, ab homine usque ad pecus, & super peccatores (d) septuplum.

9. * Ad hæc mors, sanguis, contentio, & rhomphæa, oppressiones, fames, & contritio, & flagella: * Sup. 39. 35. 36.

10. Su-

17. (e) Arcana illa voce, qua Deus loquitur. *Fructus*, Gr. *Filii sancti*, Dei germina: nam iis spiritus Dei radix est bonorum omnium: fructus charitatis & patientiæ ferunt, ut rosæ super rivos aquarum plantatæ, divina gratia irrigatæ. Oratio eorum igne charitatis accensa gratissimum thuris odorem spirat, & ad Deum usque ascendit; florent ut lilia, corporis & animæ puritate candidi, & in ramos effundunt se, de virtute in virtutem crescentes, *& benedicentes Deum in operibus suis*.

18. (f) *Quasi thus*. *Frondete*, Fundite flores. *Canticum* Laudis canite.

23. & 25. (g) Gr. *Omne beneplacitum*. Omnis caussa lætandi. *In salute*. Vim ejus salutarem nihil imminuit, ut jubet, statim omnia læta sunt, & salus quam tribuit est inviolabilis. *Ejus*. Nihil novi intuetur, nihil est quod majestate ejus non sit inferius.

28. 29. & 30. (h) Hæreditare faciet iram suam. *Directæ*, Gr. *Viæ illius piis directæ*. Faciles, complanatæ. *Offensiones*, Difficultates iis objicit. *Initio*, In paradiso voluptatis. *Bona & mala*, Gr. *Sic peccatoribus mala*; vel bona & mala, prospera & adversa.

31. (i) Gr. *Summa*, nempe rerum necessariarum vitæ humanæ.

33. (k) Multi intelligunt spiritus procellarum, seu tempestates, quibus Deus utitur ad sumendam vindictam de peccatis hominum: nam mox addit.

34. (l) Exerent vim suam. *Placabunt*, Cum vindicta de peccatis sumetur. Personam fictam inducit.

37. & 38. (m) Græc. *Lætabuntur*, Creaturæ illæ ultrices. *Præparabuntur*, In necessariam ultionem: Gr. *Parabuntur in usus*, Ad quos sunt destinatæ. *Confirmatus*, In hac sententia. *Consiliatus sum*, Statui.

40. (n) Cum Deus nihil fecerit nequam, aut reprehensibile.

1. & 2. (a) Afflictio. Ex quo dictum est, in sudore vultus tui vesceris. *Cogitationes*: Quatuor enumerat quæ homines maxime exagitant, curas, metus, spem fallacem, & mortem. CAP. XL.

5. & 6. (b) Græc. Cogitationes ejus. Nova visa animum in diversa trahunt. *In requie*, Somnus initio tranquillus. *Respectus*, Gr. *Quasi in die speculæ*. Quasi vigil in specula collocatus, omnis generis visa percipit. Græc. *Deinde in somno non minus quam per diem speculatur*.

7. (c) Somnia nocturna eum conturbant. *Salutis suæ*, Cum omnia tuta sunt. *Timorem*, Cum nulla sit timendi caussa, pavescit.

8. & 9. (d) Qui hos pravos affectus alunt, non iis resistunt. Quæ jam recitabo mala, non hominibus tantum, sed & mutis animantibus solent evenire.

10. Super iniquos creata sunt (*e*) hæc om-
*Gen 7.10. nia, * & propter illos factus est cataclysmus.
*Inf 41.13. 11. * Omnia quæ de terra sunt, in terram
*Eccli.1.7. convertentur, * & omnes aquæ in mare revertentur.

12. Omne munus & iniquitas (*f*) delebitur, & fides in sæculum stabit.

13. Substantiæ injustorum sicut fluvius siccabuntur, & sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt.

14. In aperiendo manus (*g*) suas lætabitur: sic prævaricatores in consummatione tabescent.

15. Nepotes impiorum non multiplicabunt (*h*) ramos, & radices immundæ super cacumen petræ sonant.

16. Super omnem aquam viriditas, & ad oram fluminis ante omne fœnum evelletur.

17. Gratia sicut paradisus (*i*) in benedictionibus, & misericordia in sæculum permanet.

18. Vita sibi sufficientis operarii condulcabitur, & in ea invenies thesaurum.

19. Filii, & ædificatio civitatis confirmabit nomen, & super hæc mulier immaculata computabitur.

20. Vinum & musica lætificant cor: & super utraque dilectio sapientiæ.

21. Tibiæ & psalterium suavem faciunt melodiam, & super utraque lingua (*k*) suavis.

22. Gratiam & speciem desiderabit oculus tuus, & super hæc virides sationes.

23. Amicus & sodalis in tempore convenientes, & super utrosque mulier cum viro.

24. Fratres in adjutorium in tempore tribulationis, & super eos misericordia (*l*) liberabit.

25. Aurum & argentum est constitutio pedum: & super utrumque consilium beneplacitum.

26. Facultates & virtutes exaltant cor, & super hæc timor Domini.

27. Non est in timore Domini (*m*) minoratio: & non est in eo inquirere adjutorium.

28. Timor Domini sicut paradisus benedictionis, & super omnem gloriam operuerunt (*n*) illum.

29. Fili in tempore vitæ tuæ ne indigeas: melius est enim mori, quam (*o*) indigere.

30. Vir respiciens in mensam alienam, non est vita ejus in cogitatione (*p*) victus: alit animam suam cibis alienis.

31. Vir autem disciplinatus & eruditus (*q*) custodiet se.

32. In ore imprudentis condulcabitur inopia, & in ventre ejus ignis ardebit.

C A P U T XLI.

Quibus grata sit aut amara mors; fama consulendum; de quibus sit erubescendum.

1. O Mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!

2. Viro quieto, & cujus viæ directæ (*a*) sunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum!

3. O mors, bonum est judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus,

4. Defecto ætate, & cui de omnibus cura (*b*) est, & incredibili, qui perdit patientiam!

5. Noli metuere judicium mortis (*c*). Memento quæ ante te fuerunt, & quæ superventura sunt tibi, hoc judicium a Domino omni carni.

6. Et quid superveniet tibi in beneplacito Altissimi? sive decem, sive centum, sive mille anni.

7. Non est enim in inferno accusatio (*d*) vitæ.

8. Filii abominationum fiunt filii peccatorum, & qui conversantur secus domos impiorum.

9. Filiorum peccatorum periet hæreditas: & cum semine illorum assiduitas opprobrii.

10. De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio.

11. Væ vobis viri impii, qui dereliquistis legem Domini altissimi.

12. Et

10. & 11. (*e*) Quæ ante non erant, ordinata sunt præcipuo quodam modo. *In mare*, Sicut omnes aquæ in mare revertuntur.

12. (*f*) Omnis judicum corruptela, res quæsita ex corruptis judiciis. *Stabit*, Quidquid malis artibus & exactione quæsitum est, peribit: sed integritas, aut res honeste parta in sæculum stabit.

14. (*g*) Inopi. *Lætabitur*, Et prospere aget vir bonus; ita e contrario *prævaricatores tabescent*: vel injusti lætantur cum accipiunt munera, sed in extremo die peribunt.

15. (*h*) Sicut nec *radices immundæ*, plantæ steriles, *super cacumen petræ sonant*, vento agitatæ inanem sonum reddunt, quibus opponit vers. 16. virides herbas; vel potius impios comparat cum gramine, quod juxta aquas citius adolescit, & citius falce demetitur, & exarescit.

17. & 18. (*i*) Collatum beneficium sicut hortus irriguus, vel gratiæ opera in sæculum permanent. *Thesaurum*, Inexhaustam bonorum copiam, qui parvo contentus vivit, aut ex labore suo vitam suam agit.

21. & 22. (*k*) Sermo hominis diserti. *Gratiam*, Venustatem formæ oculus hominis desiderat; sed herbæ virides gratæ sunt & utiles.

24. & 25. (*l*) Eleemosyna, præcipue apud Deum. *Pedum*, Gr. *Statuunt pedem*, Faciunt ut firmo consistant gradu; sed prudens consilium est argento & auro præstantius. Pedes statum, seu conditionem per metaphoram designant, quem statum tuentur divitiæ.

27. (*m*) Damnum: Bona animæ corporis bonis anteponenda, & præ omnibus timor Domini. *Adjutorium*, Sibi sufficiens est timor Dei, nec alieno indiget auxilio, quod non deerit.

28. (*n*) Operitur ille qui timet Deum, aut gloriam omnem vincit timor sanctus, ut Deus paradisum omni genere florum & fructuum ornans.

29. (*o*) Mendicare propter inertiam, atque inde orta flagitia. Neque id adversatur eorum proposito, qui diligenter laborant in Ecclesia Dei, & ministrant spiritualia, quique jure suo exigere possunt carnalia ex præcepto Domini a Matth. 10. *Dignus est operarius mercede sua*: sed ut nullam præbeant Evangelio offensionem, mendicare malunt, quam debitum poscere.

30. (*p*) Gr. *In computatione vitæ*. Hæc vivendi ratio non est reputanda vita: computari non debet in vita.

31. & 32. (*q*) Ab ejusmodi vita cavebit sibi. *Imprudentis*, Gr. *Impudentis*. *Inopia*, Gr. Mendicatio, inverecundia. *Ardebit*, Sæpe laborabit fame.

2. & 3. (*a*) Cui prospere omnia succedunt. *Judicium*; CAP. XLI.
Sententia decretoria de morte, & illius executio.

4. (*b*) Qui non habet qui eum sublevent. *Incredibili*, Qui non credit se posse sanari. Vox Græca significat, *Diffidenti*, qui non habet cui confidat.

5. & 6. (*c*) Divinæ sententiæ patienter acquiesce. *Tibi*, Gr. *Et quid renuis? Anni*, Quid est quod declinare possis? quid aliud, quam idipsum quod placuit Deo, superveniet? Hæc cum iis quæ sequuntur jungi debent.

7. (*d*) Nec ante mortem evadere poteris, neque post mortem anteacta emendare, non enumerantur anni vitæ in inferno; post mortem non punitur brevitas vitæ, nec refert quamdiu quis vixerit, dummodo bene: sed apud Inferos maxima est deploratio vitæ prioris, si mala fuerit, ex cap. 5. Sapientiæ.

12. Et si nati fueritis, in maledictione (e) nascemini: & si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra.

13. * Omnia quæ de terra sunt, in terram convertentur: sic impii a maledicto in perditionem. (* Sup. 40. 11.)

14. Luctus hominum in corpore ipsorum, nomen autem impiorum delebitur.

15. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni.

16. Bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in ævum.

17. Disciplinam in pace conservate filii: * sapientia enim abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? (* Sup. 20. 32.)

18. Melior est homo, qui abscondit stultitiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.

19. Verumtamen (f) reveremini in his, quæ procedunt de ore meo.

20. Non est enim bonum omnem reverentiam observare: & non omnia omnibus bene placent in fide.

21. Erubescite a patre & a matre de (g) fornicatione: & a præsidente & a potente de mendacio:

22. A principe & a judice de (h) delicto: a synagoga & plebe de iniquitate:

23. A socio & amico de injustitia: & de loco, in quo habitas,

24. De furto (i), de veritate Dei, & testamento: de discubitu in panibus, & ab obfuscatione dati & accepti:

25. A salutantibus de silentio (k): a respectu mulieris fornicariæ: & ab aversione vultus cognati.

26. Ne avertas faciem a proximo tuo, & ab auferendo partem & non restituendo.

27. * Ne respicias mulierem alieni viri, & ne scruteris ancillam ejus, neque steteris ad lectum ejus. (* Matth. 5. 28.)

28. Ab amicis de sermonibus (l) improperii: & cum dederis, ne improperes.

CAPUT XLII.

Non sunt revelanda aliena secreta; res familiaris curanda; virgines custodiendæ; cavenda mulierum consortia; Dei opera sunt inenarrabilia.

1. NOn duplices sermonem auditus de revelatione sermonis absconditi, & eris vere sine confusione, & invenies gratiam in conspectu omnium hominum: ne pro his omnibus confundaris, * & ne accipias personam ut delinquas. (* Lev. 19. 15. Deut. 1. 17. & 16. 19. Prov. 24. 23. Jacobi 2. 1.)

2. De lege Altissimi (a), & testamento, & de judicio justificare impium,

3. De verbo sociorum & viatorum, & de datione hæreditatis amicorum,

4. De æqualitate stateræ & ponderum, de acquisitione multorum & paucorum,

5. De corruptione (b) emptionis & negotiatorum, & de multa disciplina filiorum, & servo pessimo latus sanguinare.

6. Super mulierem nequam bonum est signum.

7. Ubi manus multæ sunt, claude, & quodcumque trades, numera, & appende: datum vero & acceptum omne describe.

8. De disciplina insensati (c) & fatui, & de senioribus, qui judicantur ab adolescentibus: & eris eruditus in omnibus, & probabilis in conspectu omnium vivorum.

9. Filia patris abscondita est vigilia, & sollicitudo ejus aufert somnum, ne forte in adolescentia sua adulta efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat:

10. Nequando polluatur in virginitate sua, & in paternis suis gravida inveniatur: ne forte cum viro commorata transgrediatur, aut certe sterilis efficiatur.

11. Super filiam luxuriosam confirma custodiam: ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis, a detractione in civitate, & objectione plebis, & confundat te in multitudine populi.

12. Omni homini noli intendere in specie: & in medio mulierum noli commorari:

13. De vestimentis enim procedit tinea, & a muliere iniquitas (d) viri.

14. Me-

12. & 13. (e) Gr. Si sobolem fuerit multa, in exitium genueritis. Perditionem. Propter peccata maledicti, tum addictis supplicio: Gr. Ab exsecratione in exitium. A perditione in vero hominum, ad ipsam perditionem ibunt.

19. & 20. (f) Itaque. In his, Pudeat vos ea patrare, quæ mox dicam. In fide, Non omnis omnibus æque fide sunt excipienda: est pudor vitiosus, est aliquis probabilis & laudandus. Ac subinde docet non illud esse bonum, in omnibus esse verecundum. Tum commemorat res, in quibus pudor habendus est.

21. (g) Quod reverentia paterni nominis lædatur per obscœnitates & intemperantiam, ubi modestiam & temperantiam commendat. De mendacio, Cum magistratui nihil magis debeatur, quam veritas, mendacia tum cavenda maxime, ubi cum magistratu res est.

22. & 23. (h) Turpe est coram principe, aut judice delinquere ea quæ puniri solent. De injustitia, Pudeat amicitiam injustitia violare.

24. (i) Probro vertitur domus parens latrociniis. De loco in quo habitas. De veritate, Si a domo tua lex exulat. De discubitu, Gr. A fixione cubiti in panibus, inter cibos. Accepti, Quod eorum, quæ tibi credita sunt, non reddideris rationem; a fraude in contractibus.

25. (k) Fastuosum enim est salutantes non dignari alloquio. Respectu, Gr. Ab aspectu. Mulieris, In eam oculos defigere turpe est & periculosum.

28. (l) Turpe est & odiosum collata in amicum beneficia commemorare & exprobrare.

CAPUT XLII. 2. 3. & 4. (a) Ne respectu cujusquam personæ justifices impium: repetendum in iis quæ sequuntur. Ne pro his omnibus confundaris; Ne te des pudori, ut delinquas, vel non te pudeat eorum, quæ mox dicturus sum, nec te pudeat profiteri Legem Domini, quam pacto cum Deo inito a majoribus accepisti. Justificare, Nec te pudeat iis obsistere, qui nocentes absolvunt. Viatorum, De tuendis sociis & peregrinis, de servandis pactis. Amicorum, De partienda hæreditate inter amicos: De omnibus his non confundaris. Ne respicias personam cujusquam, ut delinquas in Lege Dei, & testamento, seu pacto ejus, ne illud transgrediaris propter personam potentis, ne in judicio impium absolvas. De verbo sociorum, & viatorum, Cave ne justitiam violes in gratiam socii advectus peregrinum; in divisione hæreditatis noli ea pudore uni favere potius, quam alteri. Non te pudeat, quod æquali tera omnes statera ac mensura usaris citra ullum personarum respectum; nec erubescas, quod alii multa acquirant, tu parum lucreris.

5. & 6. (b) Alii legunt, De correptione. Nam corruptio mala est, adeo ut non sit numeranda inter ea, quæ non sunt omittenda præ pudore: sed omittenda non est ob personarum intuitum correptio iniquitatis in venditione, & emptione. Signum, Res obsignandæ adversus uxorem rapacem.

8. (c) Non te pudeat erudire & castigare insensatum. Senioribus, Non te pudeat eorum suscipere patrocinium.

13. (d) Gr. Iniquitas mulieris: Ut sponte vestis innascitur tinea, sic facile nequitia mulieris obrepit ab oculis in mentem & cor ipsum: ut vestes diligenter custodiuntur, ne iis innascatur tinea, sic mens hominis vigili custodia munienda est, ne a mulierum familiaritate corrumpatur.

14. Melior est enim iniquitas viri, quam mulier (e) benefaciens, & mulier confundens in opprobrium.

15. Memor ero igitur operum Domini, & quæ vidi annuntiabo. In sermonibus (f) Domini opera ejus.

16. Sol (g) illuminans per omnia respexit, & gloria Domini plenum est opus ejus.

17. Nonne Dominus fecit Sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabiliri in gloria sua?

18. Abyssum, & cor hominum investigavit: & in astutia eorum excogitavit.

19. Cognovit enim Dominus omnem scientiam, & inspexit in signum (h) ævi, annuntians quæ præterierunt, & quæ superventura sunt, revelans vestigia occultorum.

20. Non præterit illum omnis cogitatus, & non abscondit se ab eo ullus sermo.

21. Magnalia sapientiæ suæ decoravit: qui est ante sæculum, & usque in sæculum, neque adjectum est,

22. Neque minuitur (i), & non eget alicujus consilio.

23. Quam desiderabilia omnia opera ejus, & tamquam scintilla (k), quæ est considerare!

24. Omnia hæc vivunt (l) & manent in sæculum, & in omni necessitate omnia obaudiunt ei.

25. Omnia duplicia (m), unum contra unum, & non fecit quidquam deesse.

26. Uniuscujusque confirmavit bona. Et quis satiabitur videns gloriam ejus?

CAPUT XLIII.

Laudatur Deus ab operibus; omni laude major est.

1. Altitudinis firmamentum (a) pulcritudo ejus est, species cæli in visione gloriæ.

2. Sol in aspectu (b) annuntians in exitu, vas admirabile opus Excelsi.

3. In meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? Fornacem (c) custodiens in operibus ardoris:

4. Tripliciter sol exurens (d) montes, radios igneos exsufflans, & refulgens radiis suis obcæcat oculos.

5. Magnus Dominus qui fecit illum, & in sermonibus ejus festinavit iter.

6. Et luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis, & signum ævi.

7. A luna signum diei festi, luminare quod minuitur in consummatione:

8. Mensis secundum nomen ejus est, crescens mirabiliter in consummatione.

9. Vas castrorum in excelsis (e), in firmamento cæli resplendens gloriose.

10. Species cæli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus.

11. In verbis Sancti stabunt ad (f) judicium, & non deficient in vigiliis suis.

12. Vide arcum, & benedic eum, * qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo. * Gen. 9. 14.

13. Gyravit cælum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi aperuerunt illum.

14. Imperio suo acceleravit nivem, & accelerat coruscationes emittere judicii sui.

15. Propterea aperti sunt thesauri, & evolaverunt nebulæ sicut aves.

16. In magnitudine sua posuit nubes, & confracti sunt lapides grandinis.

17. In conspectu ejus commovebuntur montes, & in voluntate ejus aspirabit Notus.

18. Vox tonitrui ejus verberabit terram, tempestas Aquilonis, & congregatio (g) spiritus:

19. Et sicut avis deponens ad sedendum, aspergit nivem, & sicut locusta demergens descensus ejus.

20. Pulcritudinem candoris ejus admirabitur oculus, & super imbrem ejus expavescet cor.

21. Gelu sicut salem effundet super terram: & dum gelaverit, fiet tamquam cacumina tribuli.

22. Frigidus ventus aquilo flavit, & gelavit crystallus ab aqua, super omnem congregationem aquarum requiescet, & sicut lorica induet se (h) aquis.

23. Et devorabit montes, & exuret desertum, & extinguet viride, sicut igne.

24. Medi-

14. (e) Præstat a viro accipere injuriam, quam beneficia a muliere, quæ est prona & facilis ministra voluptatis: nam mox subjicit. *Opprobrium*, Præstat a viro damnum aliquod pati: mulier est occasio scandali; minus mali est ab ira viri, quam a comitate mulieris, quæ erit caussa probri.

15. (f) In Scripturis sanctis: nam Deus ipse suam nobis gloriam enarravit. Quæ sequuntur, formam habent Cantici in laudem Dei prolati.

16. (g) Sol omnia lumine suo perfundens, hominibus facit conspicua, & efficit ut opus Domini plenum ejus majestate cunctis appareat.

19. (h) Vidit Deus signa a se instituta temporum, & omne decurrens ævum. *Occultorum*, Non modo manifestissima signa, sed & munitissima quæque, vel quorum vestigia occulta homines persequuntur.

22. (i) Opus ejus: Statim ad perfectum adduxit opera sua, manet eadem materiæ moles.

23. (k) Vel operum scintillas pulcrum est considerare: Nam eorum magnitudinem non capimus.

24. (l) Vim suam exerunt. *Necessitate*, Quotiescumque opus est, cuncta parent Dei legibus.

25. (m) Dies & nox, æstus & frigus. *Deesse*. Hinc non deficit quidquam, nihil deest ad hujus universi perfectionem.

CAPUT XLIII. 1. (a) *Gr. Gloriatio altitudinis*; In firmamento maxime elucescit pulcritudo operum Dei, quod sit excelsum, purum, incorruptum, fons lucis. *Species cæli*; Ordo verborum hic est, Visio gloriæ Dei est in specie cæli: Est id in quo videtur tum cæli, tum Creatoris gloria.

2. (b) Sol oriens, ut primum aspicitur, annuntiat gloriam Dei, & lætitiam hominibus. *In exitu*, Post noctis tenebras.

3. (c) *Gr. Sufflans operibus ardoris*, Quæ igneo ardore perficiuntur. Sensus hic videtur esse: Ut faber ferrarius ignem excitat, ita sol ingentem ardorem producit, *in meridiano*, in meridie.

4. (d) Multo magis sol exurit montes. *Exsufflans*, Ejaculans. *Ejus*, Dei, ipso jubente. *Festinavit*. Ad occasum. *In tempore*, Luna quoque in sua statione est suo tempore, scilicet nocturno. *Festi*. Neomeniæ. *Minuitur*, Postquam ad perfectum venit, statim deficere incipit.

9. (e) Præclarum Dei instrumentum inter astra, quæ phrasi Scripturæ sacræ *Castra Dei* vocitantur.

11. 12. & 13. (f) Ad imperium Dei consistent ordine suo, ea ratione & loco, qui unicuique est designatus. *In vigiliis*, In statione sua, in excubiis, non obrepet iis somnus. *Aperuerunt*, *Gr. Expanderunt*, *Judicii*, Quas sapienti judicio emittit.

18. & 19. (g) *Gr. Vortex*. Turbo in orbem rotatus, quique omnia circumagit: Spargit; Flante Aquilone Deus spargit nivem in terram, ut devolans ex alto avis. *Locusta*, Vocibus avium & locustarum agmen designat: *Gr. Sicut aves devolantes*; sic copiam nivis ex aere cadentis exprimit.

22. (h) Aquas induet sicut loricam. *Montes*, Omnia gramina corrumpit, virorem aufert.

24. Medicina (*i*) omnium in festinatione nebulæ: & ros obvians ab ardore venienti humilem efficiet eum.

25. In fermone ejus filuit (*k*) ventus, & cogitatione fua placavit abyffum, & plantavit in illa Dominus infulas.

26. Qui navigant mare, enarrent pericula ejus: & audientes auribus noftris admirabimur.

27. Illic præclara opera, & mirabilia: varia beftiarum genera, & omnium pecorum, & creatura belluarum:

28. Propter ipfum confirmatus eft itineris (*l*) finis, & in fermone ejus compofita funt omnia.

29. Multa (*m*) dicemus, & deficiemus in verbis: confummatio autem fermonum, ipfe eft in omnibus.

30. Gloriantes ad quid valebimus? ipfe enim omnipotens fuper omnia opera fua.

31. Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipfius.

32. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, fupervalebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia ejus.

33. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum poteftis: major enim eft omni laude.

34. Exaltantes eum replemini virtute, ne (*n*) laboretis: non enim comprehendetis.

* Pf. 105. 2. 35. Quis videbit eum, & enarrabit? & * quis magnificabit eum ficut eft ab initio?

36. Multa abfcondita funt majora (*o*) his: pauca enim vidimus operum ejus.

37. Omnia autem Dominus fecit, & pie agentibus dedit (*p*) fapientiam.

CAPUT XLIV.

Viros illuftres laudare incipit, fanctos Patriarchas Henoch, Noe, Abraham, Ifaac & Jacob.

1. Laudemus viros (*a*) gloriofos, & parentes noftros in generatione fua.

2. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia fua a fæculo.

3. Dominantes in poteftatibus fuis, homines magni virtute, & prudentia fua præditi, nuntiantes in prophetis (*b*) dignitatem prophetarum,

4. Et imperantes in præfenti (*c*) populo, & virtute prudentiæ populis fanctiffima verba.

5. In peritia fua requirentes modos (*d*) muficos, & narrantes carmina fcripturarum.

6. Homines divites in virtute, pulcritudinis ftudium (*e*) habentes: pacificantes in domibus fuis.

7. Omnes ifti in generationibus gentis fuæ gloriam adepti funt, & in diebus fuis habentur in laudibus.

8. Qui de illis nati funt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum:

9. Et funt quorum non eft memoria: perierunt quafi qui non fuerint: & nati funt quafi non nati, & filii ipforum cum ipfis.

10. Sed illi viri mifericordiæ funt, quorum pietates non (*f*) defuerunt:

11. Cum femine eorum permanent bona,

12. Hæreditas (*g*) fancta nepotes eorum, & in teftamentis ftetit femen eorum:

13. Et filii eorum propter illos ufque in æternum manent: femen eorum & gloria eorum non derelinquetur.

14. Corpora ipforum in pace fepulta funt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem.

15. Sapientiam ipforum narrent populi, & laudem eorum nuntiet ecclefia.

16. * Henoch placuit Deo, & translatus eft in paradifum, ut det gentibus (*h*) pœnitentiam. * Gen. 5. 24. Heb. 11. 5.

17. * Noe inventus eft perfectus, juftus, & in tempore iracundiæ factus eft (*i*) reconciliatio. * Gen. 9. 9.

18. Ideo dimiffum eft reliquum (*k*) terræ, cum factum eft diluvium.

19. * Teftamenta fæculi pofita funt apud illum, ne deleri poffit diluvio omnis caro. * Gen. 6. 14. & 7. 2. Heb. 11. 7.

20. * Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non eft inventus fimilis illi in gloria: qui confervavit legem Excelfi, & fuit in teftamento cum illo. * Gen. 12. 2. & 15. 5. & 17. 4.

21. * In carne ejus ftare fecit teftamentum (*l*), & * in tentatione inventus eft fidelis. * Gen. 17. 10. Gal. 3. 6. * Gen. 22. 1.

22. Ideo

24. (*i*) Æftus omnia exficcantis refrigerium *eft nebula*, feu nubes flante Auftro excitata. *Efficiet*, Minuet nivem, aut glaciem, vel potius hominem.

25. (*k*) Iuffu caloris verni, de quo præceffit fermo. *Abyffum*; legendum putat Grotius ex Græco *Abyffus*: Ad ejus imperium filet mare, & fi quæ fit in mari infula, plantas profert, & virefcit.

28. (*l*) Græc. *Per ipfum, mare, profperum iter fecit nuntius ejus*, nempe navis. *In fermone*, Ad ejus imperium. *Compofita*. Gr. *Omnia confunduntur*, navis, merces, nautæ merguntur.

29. (*m*) Gr. *Summa ipfe eft*, Deus in omnibus, ipfius eft hoc Univerfum.

34. (*n*) Nolite defatigari in laudando Deo; vel ne laboretis comprehendere magnitudinem ejus.

36. (*o*) Quæ diximus: nam de Angelis nihil egit.

37. (*p*) Non iis, qui magna cogitant, fed qui bene agunt: non enim hic eft luminis & cognitionis locus, fed actionis, & mundo corde Deus videbitur.

CAPUT XLIV. 1. (*a*) In his laudibus proprio quemque defignat charactere. *Sua*, In ætate, & vita. Laudat Prophetas, & Duces populi: cæteræ funt velut quædam veftigia, fed fancti funt vivæ Dei imagines. Laudemus viros illuftres, & eos maxime e quibus prognati fumus. Gr. *Generatione*, pronomen, *fua*, abeft a textu Græco: multam enim gloriam Deus fibi per eos acquifivit.

3. (*b*) Gr. *Annuntiantes* (futura) *in prophetiis*, Nuntiantes prophetias, & oracula divina proferentes.

4. (*c*) Laudandos docet eos, qui populo erudito (in lege Domini) prudentia fua profuerunt: Græc. *Rectores populi in confiliis, & intellectu litteraturæ populi*. *Verba*, In quorum doctrina erant fermones fapientes.

5. (*d*) Sacra Cantica & Pfalmos; ftructura verborum, ut in poefi mirabili quadam ratione elucet, & concentus non tam verborum, quam rerum.

6. (*e*) Non in deliciis & voluptatibus, fed in fortitudine habentes, & pacifice viventes in domibus fuis. *Pacificantes*, Domi fuæ profpere agentes.

10. (*f*) Horum pia facta permanent in hominum memoria, ex Græco textu: ea non delevit oblivio.

12. (*g*) Promiffionum Dei, in quarum jus filii Patriarcharum fuccefferunt velut jure hæreditario *Semen eorum*, In fœdere cum Abraham fancito.

16. (*h*) Ex antiqua populi Hebraici & Chriftiani traditione. *In paradifum*, In locum felicem nobis incognitum. Non ab Abel, fed ab Henoch incipit, quod eos maxime qui aliorum duces fuerunt, confideret. Henoch vero homines docuit invocare nomen Domini: in Græco deeft vox *Paradifi*. Græc. *Tranflatus eft*, Exemplum pœnitentiæ generationibus: qui cum viveret, omnibus erat exemplum pœnitentiæ.

17. (*i*) Non ut mundus non periret, fed ut reliquiæ fervarentur.

18. & 19. (*k*) Relictæ orbi terrarum reliquiæ; de Noemo loquitur.

21. & 22. (*l*) Pactum fempiternum. *In carne*, Circumcifionem. *Cumulum*, Arenam innumerabilem.

22. Ideo jurejurando dedit illi gloriam in gente sua, crescere illum quasi terræ cumulum,

23. Et ut stellas exaltare semen ejus, & hæreditare illos a mari usque ad mare, & flumine usque ad terminos terræ.

24. Et in Isaac eodem modo fecit propter Abraham patrem ejus.

25. Benedictionem omnium Gentium dedit illi Dominus, & testamentum confirmavit super caput Jacob.

26. Agnovit eum in benedictionibus suis, & dedit illi hæreditatem, & divisit illi partem in tribubus duodecim.

27. Et conservavit illi homines misericordiæ (*m*), invenientes gratiam in oculis omnis carnis.

CAPUT XLV.

Moses, Aaron, Phinees.

Exod. 11. 3. 1. Dilectus Deo & hominibus Moyses: cujus memoria in benedictione est.

2. Similem illum fecit in gloria (*a*) sanctorum, & magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placavit.

* Exod. 6. 7. & 8. 3. * Glorificavit illum in conspectu regum, & jussit illi coram populo (*b*) suo, & ostendit illi gloriam suam.

* Num. 12. 7. Heb. 3. 2. 5. 4. * In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne.

5. Audivit enim eum, & vocem ipsius, & induxit illum in nubem.

6. Et dedit illi coram (*c*) præcepta, & legem vitæ & disciplinæ, docere Jacob testamentum suum, & judicia sua Israel.

7. Excelsum fecit Aaron fratrem ejus, & similem sibi de tribu Levi:

8. Statuit ei testamentum æternum, & dedit illi sacerdotium gentis: & beatificavit illum in (*d*) gloria,

9. Et circumcinxit eum zona gloriæ, & induit eum stolam gloriæ, & coronavit eum in vasis virtutis.

10. Circumpedes, & femoralia, & humerale posuit ei (*e*), & cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro,

11. * Dare sonitum in incessu suo, auditum facere sonitum in templo, in memoriam filiis gentis suæ. * Exod. 28. 35.

12. Stolam sanctam (*f*), auro, & hyacintho, & purpura, opus textile, viri sapientis, judicio & veritate præditi:

13. Torto cocco (*g*) opus artificis, gemmis pretiosis figuratis in ligatura auri, & opere lapidarii sculptis, in memoriam secundum numerum tribuum Israel.

14. Corona (*h*) aurea supra mitram ejus expressa signo sanctitatis, & gloria honoris: opus virtutis, & desideria oculorum ornata.

15. Sic pulcra ante ipsum non fuerunt talia usque ad originem.

16. Non est indutus illa alienigena aliquis, sed tantum filii ipsius soli, & nepotes ejus per omne tempus.

17. Sacrificia ipsius consumpta sunt igne quotidie.

18. * Complevit Moyses manus (*i*) ejus, & unxit illum oleo sancto. * Levit 8. 12.

19. Factum est illi in testamentum (*k*) æternum, & semini ejus sicut dies cæli, fungi sacerdotio, & habere laudem, & glorificare populum suum in nomine ejus.

20. Ipsum elegit ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum & bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo:

21. Et dedit illi in præceptis suis potestatem, in testamentis (*l*) judiciorum, docere Jacob testimonia, & in lege sua lucem dare Israel.

22. * Quia contra illum steterunt alieni, & propter invidiam circumdederunt illum homines in deserto, qui erant cum Dathan & Abiron, & congregatio Core in iracundia. * Num. 16. 1. 2.

23. Vidit Dominus Deus, & non placuit illi, & consumpti sunt in impetu iracundiæ.

24. Fecit illis (*m*) monstra, & consumpsit illos in flamma ignis.

25. Et addidit Aaron gloriam, & dedit illi hæreditatem, & primitias frugum terræ divisit illi.

26. Pa-

27. (*m*) Gr. *Et eduxit ex illo hominem favorabilem*, apud Deum, & qui apud omnes homines fuit gratiosus, Josephum scilicet ex Jacob natum: alii hæc de Mose interpretantur, de quo capite sequenti.

CAPUT XLV. 2. (*a*) *Æquabit gloriam ejus, gloriæ sanctorum priorum*, Abrahæ, Isaac & Jacob, vel Angelorum, quos Daniel cap. 4. sanctos vocat. *In timoribus*, Terroribus inimicis. *Placavit*. Gr. *Et in verbis ejus signa cessare fecit*: Quæ a Magis fiebant, aut quæ faciebat Deus, postquam Ægyptii ad pœnitentiam conversi videbantur.

3. (*b*) Gr. *Mandata illi dedit ad populum suum*. *In fide*, Fecit eum sanctum fide & lenitate.

6. (*c*) Gr. *Secundum faciem*, Dedit illi ipse præsens Decalogi præcepta, & universam legem vitæ. Nam Deum facie ad faciem locutum esse ad Mosen testantur Scripturæ.

8. & 9. (*d*) In omni ornatu pontificio. Ex Græco, Perfectum decorem, *In vasis*, Instrumentis pretiosis.

10. (*e*) Hæc verba desunt in Græco, sed hic, & in sequentibus verbum, *induit*, videtur repeti oportere. *Circumpedes*, Gr. *Poderem*, seu tunicam hyacinthinam ad pedes usque demissam, quæ propria erat Pontificis, & *humerale*, seu ephod.

12. (*f*) Pectorale, seu rationale, quod opus erat textile ex auro, hyacintho & purpura: pannus erat palmi magnitudine in quadrum implens aperturam in pectore relictam. *Viri sapientis*, Græc. *Pectoris oraculi*. *Judicio*, Gr. *Rationale judicii signis veritatis*, juxta illud Exodi 28. *Pones autem in rationali doctrinam*, seu manifestationem & veritatem, Græc. Urim & Thummim. Rationale cui inscriptum erat, doctrina & veritas, quæ manifesta fiebat principibus populi per illud pectorale.

13. (*g*) Ex tortis filis coccineis, cum aureis filis hyacinthinis & purpureis, quæ stamini byssino erant contexta. Et ipsi rationali erant 12. lapides pretiosi in quadrum dispositi, quibus insculpta erant 12. filiorum Jacob nomina, juxta nativitatis ordinem. *Auri*. Gr. *Sculptis annuli*, id est, Sculptis, ut solent annuli. *In memoriam*, Gr. *Quæ memoriam continebant filiorum Israel*.

14. (*h*) Seu lamina aurea fronti summi sacerdotis imposita. *Expressa*, Impressa. Exod. 28. juxta LXX. Sculpes opere cælatoris, sanctum Domino, aut forte nomen Dei quatuor Hebraicis literis expressum, & ineffabile. *Sanctitatis*, Cui inscriptum erat, sanctum Domino. *Honoris*, Magnificentia plena honoris; conjunctio, *&* abest a Græco textu. Ex his tenus, coronam, quæque de ornatu Summi Pontificis dicta sunt, fuisse oculis hominum grata, eique ad cultus divini reverentiam destinata. *Virtutis*, Roboris, vel cælatura difficili in duro lapide. *Ornata*, Res visu pulcræ, & mire ornatæ.

18. (*i*) Sacris imbuit, initiavit. Jus ei dedit, & potestatem offerendi sacrificia: vox Hebræa sic ficit perficere.

19. (*k*) Non enim erat illud sacerdotium a stirpe Aaron auferendum, quamdiu Lex vetus esset duratura. *Glorificare*, Benedicere ritu solemni.

21. (*l*) Potestatem interpretandæ legis, ex Deuteron. cap 17.

24. (*m*) Igne cælesti consumpti sunt, fecit insolita & inaudita.

26. Panem ipsis in primis paravit in societatem (n): nam & sacrificia Domini edent, quæ dedit illi, & semini ejus.

27. Ceterum in terra gentes non hæreditabit, & pars non est illi in gente: ipse est enim pars ejus, & hæreditas.

* Num. 25. 7. 1 Mach. 2. 26. 54. 28. * Phinees filius Eleazari tertius in (o) gloria est, imitando eum in timore Domini:

29. Et stare in reverentia (p) gentis: in bonitate & alacritate animæ suæ placuit Deo pro Israel.

30. Ideo statuit illi testamentum pacis, principem Sanctorum & gentis suæ, ut sit illi & semini ejus sacerdotii dignitas in æternum.

31. Et testamentum David (q) regi filio Jesse de tribu Juda, hæreditas ipsi & semini ejus, ut daret sapientiam in cor nostrum judicare gentem suam in justitia, ne abolerentur bona ipsorum, & gloriam ipsorum in gentem eorum æternam fecit.

CAPUT XLVI.

Josue, Caleb, & pios judices laudibus prosequitur.

1. FOrtis in bello Jesus Nave successor Moysi in prophetis (a), qui fuit magnus secundum nomen suum,

2. Maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israel.

3. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, & jactando contra civitates rhomphæas?

4. Quis ante illum sic restitit? Nam hostes ipse Dominus (b) perduxit.

* Jos. 10. 14. 5. * An non in iracundia ejus impeditus est sol, & una dies facta est quasi duo?

6. Invocavit Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus & sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis.

7. Impetum fecit contra gentem hostilem, & in descensu perdidit contrarios,

8. Ut cognoscant gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non est facile. Et secutus est a tergo potentis (c):

* Num. 14. 6. 9. * Et in diebus Moysi misericordiam (d) fecit ipse, & Caleb filius Jephone, stare contra hostem, & prohibere gentem a peccatis, & perfringere murmur malitiæ.

10. Et ipsi duo constituti (e), a periculo liberati sunt a numero sexcentorum millium peditum, inducere illos in hæreditatem, in terram, quæ manat lac & mel.

11. Et dedit Dominus ipsi Caleb fortitudinem, & usque in senectutem permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terræ locum, & semen ipsius obtinuit hæreditatem:

12. Ut viderent omnes filii Israel, quia bonum est obsequi sancto Deo.

13. Et judices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor: qui non aversi sunt a Domino,

14. Ut sit memoria illorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo (f),

15. Et nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, sanctorum virorum gloria.

16. Dilectus a Domino Deo suo Samuel propheta Domini, renovavit imperium, & unxit principes in gente sua.

17. In legem Domini congregationem judicavit, & vidit Deus (g) Jacob, & in fide sua probatus est propheta.

18. Et cognitus est in verbis suis fidelis, quia vidit Deum lucis:

19. Et invocavit Dominum omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes undique, in oblatione agni (h) inviolati.

20. Et intonuit de cælo Dominus, & in sonitu magno auditam fecit vocem suam.

21. Et contrivit principes Tyriorum, & omnes duces Philisthiim:

22. Et ante tempus finis vitæ suæ & sæculi, testimonium præbuit in conspectu Domini, & Christi: pecunias & usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accusavit illum homo.

23. Et post hoc dormivit, & notum fecit (i) regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis.

CA-

26 & 27. (n) Cibum dedit illi in omnibus primitiis nascentium, idque abunde. *Gentis*, Gr. *Populi*. In terra populi non hæreditabit.

28. (o) Pontificali post Aaron avum & Eleazarum patrem. *Eum*. Aaronem vel Mosen.

29. (p) Gr. *Mutationem*, seu conversionem cum ad libidines verterent. *Placuit*. Gr. *Placavit*, Pro Israel. Et quia stetit in defectione populi animo probo & alacri, populo deficiente constans fuit.

31. (q) Sicut Davidi promisit regnum perpetuum, sic & Phinees sacerdotium. Ex Græco palam est Davidis mentionem fieri anticipatam: nempe ut regnum hæreditarium Davidis familiæ, sic hæreditarium esse Aaronis sacerdotium. In Græco hæc concludit voto facto ut populi res feliciter procedant, sub Aaronitarum regimine: quod cum hæc scriberet, profanato templo & fœdato sacerdotio; plebs non ut solebat, coleret sacerdotes.

CAPUT XLVI. 1. (a) Græc. *In Prophetis*. Nomen. Quod est Jesus, Salvator.

4. & 5. (b) Ipse Dominus adduxit hostes in manus ejus. *Sol*, Græc. *In manu ejus*: Ne progrederetur, obstitit Jesus.

8. (c) Gr. *Secutus est post potentem*: Deum ducem secutus est, quia ejus potentiam considerabat una cum Caleb, non humanam infirmitatem, ut alii exploratores, qui frangebant plebis animos.

9. (d) Recte pieque egit; Hebraismus; Stare contra hostem, Numerorum 14.

10. (e) Gr. *Et ipsi duo existentes salvati sunt*. *Inducere*, Ut illos solos induceret Deus in terram promissionis.

14. (f) Formula apprecandi mortuis: Memoria eorum reflorescat. Sepulcra in hortis, aut in amœnis locis collocabantur, ad commentandam mortuorum semper viventem memoriam, & spem resurrectionis.

17. (g) Græc. In accusativo casu. Providit Israelitis per tantum prophetam & judicem. *Propheta*. Agnitus est verus Propheta, quia Deum vere coluit, & quæ prædixit, evenerunt.

19. (h) Gr. *Lactentis*: Cum hostes undique populum Dei oppugnarent, Samuel Deum invocavit, & lactentem agnum immolavit.

23. (i) Saul, cum apparuit: Gr. *Et postquam obdormivisset, prophetavit*. Quibus verbis non dæmonem, sed animam Samuelis apparuisse ostenditur. Nam si dæmon is fuisset, nunquam hic in laudibus Samuelis poneretur. *Gentis*, Ut tolleret gentis impietatem.

CAPUT XLVII.

Nathan prophetam, Davidem, Salomonis priorem ætatem celebrat, senectutem ejus vituperat; Roboami stultitiam, Jeroboam idololatriam arguit.

* 2.Reg.12.1. 1. POst hæc surrexit Nathan propheta in diebus David.

2. Et quasi adeps separatus (*a*) a carne, sic David a filiis Israel.

* 1.Reg.17.34. 3. * Cum leonibus lusit quasi cum agnis: & in ursis similiter fecit sicut in agnis ovium, in juventute sua,

* 1.Reg.17.49. 4. * Numquid non occidit gigantem, & abstulit opprobrium de gente?

5. In tollendo manum, saxo fundæ dejecit exultationem Goliæ:

6. Nam invocavit Dominum omnipotentem, & dedit in dextera ejus tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ.

* 1.Reg.18.7. 7. * Sic in decem millibus glorificavit eum, & laudavit eum in benedictionibus (*b*) Domini, in offerendo illi coronam gloriæ:

8. Contrivit enim inimicos undique, & extirpavit Philisthiim contrarios usque in hodiernum diem: contrivit cornu ipsorum usque in æternum.

9. In omni opere dedit confessionem Sancto & Excelso in verbo gloriæ.

10. De omni corde suo laudavit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum: & dedit illi contra inimicos potentiam:

11. Et stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos.

12. Et dedit in celebrationibus decus, & ornavit tempora usque ad consummationem vitæ, ut laudarent nomen sanctum Domini, & amplificarent mane Dei sanctitatem.

* 2.Reg.12.13. 13. * Dominus purgavit peccata ipsius, & exaltavit in æternum cornu ejus: & dedit illi testamentum (*c*) regni, & sedem gloriæ in Israel.

14. Post ipsum surrexit filius sensatus, & propter (*d*) illum dejecit omnem potentiam inimicorum.

* 3.Reg.3.2. 15. * Salomon imperavit in diebus pacis, cui subjecit Deus omnes hostes, ut conderet (*e*) domum in nomine suo, & pararet sanctitatem in sempiternum: quemadmodum eruditus es in juventute tua:

* 3.Reg.4.31. 16. * Et impletus es, quasi flumen, sapientia, & terram (*f*) retexit anima tua.

17. Et replesti in comparationibus ænigmata: ad insulas longe divulgatum est nomen tuum, & dilectus es in pace tua.

18. In cantilenis, & proverbiis, & comparationibus, & interpretationibus miratæ sunt terræ,

19. Et in nomine Domini Dei, cui est cognomen, Deus Israel.

20. * Collegisti quasi aurichalcum aurum, & ut plumbum complesti argentum, * 3.Reg.10.27.

21. Et inclinasti femora tua mulieribus: potestatem (*g*) habuisti in corpore tuo,

22. Dedisti maculam in gloria tua, & profanasti semen tuum inducere (*h*) iracundiam ad liberos tuos, & incitari stultitiam tuam,

23. Ut faceres imperium bipartitum, * & ex Ephraim imperare imperium durum. * 3.Reg.12.16.

24. Deus autem non derelinquet misericordiam suam, & non corrumpet (*i*), nec delebit opera sua, neque perdet a stirpe nepotes electi sui: & semen ejus, qui diligit Dominum, non corrumpet.

25. Dedit autem reliquum Jacob, & David de ipsa stirpe.

26. Et finem (*k*) habuit Salomon cum patribus suis.

27. Et dereliquit post se de semine suo, gentis stultitiam,

28. Et imminutum a prudentia, Roboam, qui avertit gentem consilio suo:

29. * Et Jeroboam filium Nabat, qui peccare fecit Israel, & dedit viam peccandi Ephraim, & plurima redundaverunt peccata ipsorum. * 3.Reg.12.28.

30. Valde averterunt (*l*) illos a terra sua.

31. Et quæsivit omnes nequitias, usque dum perveniret ad illos defensio, & ab omnibus peccatis liberavit eos.

CAPUT XLVIII.

Elias, Eliseus, Ezechias, Isaias Propheta magnus, quo duce Judæi fuerunt ab Assyriis liberati.

1. ET surrexit Elias Propheta, quasi ignis (*a*), & verbum ipsius quasi facula ardebat. 3.Reg.17.1.

2. Qui induxit in illos famem, & irritantes illum invidia sua pauci facti sunt: non enim poterant sustinere præcepta Domini.

3. * Verbo Domini continuit cælum, & dejecit de cælo ignem ter: * 3.Reg.17.1. 4.Reg.1.10. & 12.

4. Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriari tibi?

5. * Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei. * 3.Reg.17.22.

6. Qui

CAPUT XLVII. 2. (*a*) Adeps pars optima sacrificii, aa Domino separata. Gr. *Separatus a salutari*, a victima pro salute. Populus Israel fuit Deo consecratus instar sacrificii, ut Deo serviret: sed David singulari quodam modo fuit consecratus instar adipis, qui cremari solebat in honorem Dei.

7. & 9. (*b*) Ornavit eum in benedictionibus suis: qui est Hebraismus, quo nomine reperio utuntur vice pronominis reciproci. *Gloria*, Sermone glorioso, Psalmis nimirum.

13. (*c*) Legem de regno ejus domui dando in hæreditatem.

14. (*d*) Davidem. *Sensatus*, Ut nemo auderet illi adversari, vel propter hoc quod ita esset prudens.

15. (*e*) Ut templum ædificaret, seu domum Dei. *Sanctitatem*, Gr. *Sanctuarium*, quod mansurum esset, non instar tabernaculi loco moveretur.

16. 17. & 18. (*f*) Græc. *Contexis*, Salomonis ad extremas terras vulgato nomine, ut sit continuatio allegoriæ fluminis terram inundantis. *Ænigmata*, Plurima conjecisti ænigmata. *In cantilenis*, In carminibus. *Comparationibus*, Gr. *Parabolis*.

21 (*g*) Gr. *Sub jugum missus es in corpore tuo*. Mulierum illecebris victus, passus es te vinci ab obscœna voluptate.

22. (*h*) Ita ut induceretur, excitaretur ira Dei, *Stultitiam*, Stultum amorem mulierum, ut punirentur liberi tui ob stultitiam tuam.

24. & 25. (*i*) Non perdet. *Et David*, Gr. In dativo casu: Reliquias. *Stirpe*, Salomonis.

26. (*k*) Dormivit, Mortuus est. *Stultitiam*, Stultissimum populi Roboamum.

30. & 31. (*l*) Græc. *Ut averteret eos a terra translatos in Assyriam*. *Defensio*, Græc. clarius, *Et quæsierunt omnem nequitiam donec vindicta veniret super eos*.

CAPUT XLVIII. 1. & 2. (*a*) Ardens zelo honoris divini. *Pauci*, Græc. *Et zelo suo paucos fecit eos*, inducta fame.

6. Qui dejecisti reges ad perniciem, & confregisti facile potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo.

7. Qui audis in Sina (b) judicium, & in Horeb judicia defensionis.

8. Qui ungis reges ad pœnitentiam, & prophetas facis successores post te.

* 4. Reg. 2. 11. 9. * Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum.

10. Qui scriptus es in judiciis temporum le-
* Mal. 4. 6. nire iracundiam (c) Domini: * conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Jacob.

11. Beati sunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt.

12. Nam nos vita vivimus tantum, post mortem autem non erit tale nomen nostrum.

* 4. Reg. 2. 15. 13. * Elias quidem in turbine tectus est, & in Eliseo completus est spiritus ejus: in diebus suis non pertimuit principem, & potentia nemo vicit illum.

14. Nec superavit illum verbum (d) ali-
* 4. Reg. 13. 21. quod, * & mortuum prophetavit corpus ejus.

15. In vita sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est.

16. In omnibus istis non pœnituit populus, & non recesserunt a peccatis suis, usque dum ejecti sunt de terra sua, & dispersi sunt in omnem terram:

17. Et relicta est gens (e) perpauca, & princeps in domo David.

18. Quidam ipsorum fecerunt quod placeret Deo: alii autem multa commiserunt peccata.

19. Ezechias munivit civitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam, & fodit ferro (f) rupem, & ædificavit ad aquam puteum.

* 4. Reg. 18. 13. 20. * In diebus ipsius ascendit Sennacherib, & misit Rabsacen, & sustulit manum suam contra illos, & extulit manum suam in Sion, & superbus factus est potentia sua.

21. Tunc mota sunt corda, & manus ipsorum: & doluerunt quasi parturientes mulieres.

22. Et invocaverunt Dominum misericordem, & expandentes manus suas, extulerunt ad cælum: & sanctus Dominus Deus audivit cito vocem ipsorum.

23. Non est commemoratus peccatorum illorum, neque dedit illos inimicis suis, sed purgavit eos in manu Isaiæ sancti prophetæ.

* 4. Reg. 19. 35. Tob. 1. 21. Isa. 37. 36. 24. * Dejecit castra Assyriorum, & contrivit illos Angelus Domini.

25. Nam fecit Ezechias quod placuit Deo, & fortiter ivit in via David patris sui, quam mandavit illi Isaias propheta magnus & fidelis in conspectu Dei. 1. Mach. 7. 41. 2. Mach. 8. 19.

26. * In diebus ipsius retro rediit sol, & addidit regi (g) vitam. * 4. Reg. 20. 11. Isa. 38. 8.

27. Spiritu magno vidit ultima, & consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum

28. Ostendit futura & abscondita antequam evenirent.

CAPUT XLIX.

Josias, Jeremias, Ezechiel, 12. Prophetæ, Zorobabel, Jesus filius Josedech, Nehemias cum Patriarchis, Seth, Henoch, Sem, Joseph laudibus celebrantur.

1. MEmoria Josiæ in compositionem (a) odoris facta, opus pigmentarii. 4. Reg. 22. 1.

2. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, & ut musica in convivio vini.

3. Ipse est directus (b) divinitus in pœnitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis.

4. Et gubernavit (c) ad Dominum cor ipsius & in diebus peccatorum corroboravit pietatem

5. Præter David, & Ezechiam, & Josiam, omnes peccatum commiserunt (d):

6. Nam reliquerunt legem Altissimi reges Juda, & contempserunt timorem Dei.

7. Dederunt enim regnum suum aliis, & gloriam suam alienigenæ genti.

8. * Incenderunt electam sanctitatis civitatem, & desertas fecerunt vias ipsius in (e) manu Jeremiæ. * 4. Reg. 25. 9.

9. Nam male tractaverunt illum, qui a ventre matris consecratus est propheta, evertere, & eruere, & perdere, & iterum ædificare, & renovare.

10. * Ezechiel, qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit (f) illi in curru Cherubim. * Ezech. 1. 4.

11. Nam commemoratus (g) est inimicorum in imbre, benefacere illis, qui ostenderunt rectas vias.

12. Et duodecim prophetarum ossa (h) pullulent de loco suo, nam corroboraverunt Jacob, & redemerunt se in fide virtutis.

13. * Quomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipse quasi signum in (i) dextera manu: * 1. Esd. 3. 2. Agg. 1. 1. & 14. 1. & 3. 5. & 22. 24.

14. * Sic

7. & 8. (b) Græc *Increpationem*. *Defensionis*, Ultionis. *Ad pœnitentiam*. Gr. *In retributionem*, Ad vic m rependendam improbis, consecratione prophetica, divinitus in reges deputando.

10. (c) De te scriptum est, fore ut lenires iracundiam Domini, per vedaceu iones suas. *Ad filium*, Malach. 4 Corda Judæorum aversa convertit ad rependendas vices peccatis, ut ad pœnitentiam provocentur: alludit ad Prophetiam Malachiæ: qui locus ad litteram de Elia intelligitur. *Restituere*, Ad fidem pristinam; qua de re diximus eo in loco.

14. & 15. (d) Nec res ulla super illum fuit; nullis cessit minis. *Prophetavit*, Gr. *In dormitione prophetavit corpus ejus*; adeo ut potius dormiret corpus Elisei, quam mortuum esset, atque resurrectionem corpus illius exspectaret, & prophetaret non sermone, sed opere & miraculo: tum enim significatum fuit corpus Elisei multo magis resuscitatum iri. *Monstra*, Prodigia.

17. (e) In illis migrationibus perpauci solebant relinqui ad colendos agros.

19. (f) Necesse id fuit ut rupes excavaretur, quo aqua induceretur.

26. (g) Idem Isaias exhibito prodigio.

CAPUT XLIX.

1. (a) Hujus præ ceteris suavis est memoria, ob insignem pietatem.

3. (b) Feliciter egit, in convertendo populo.

4. (c) Gr. *Direxit ad Dominum cor suum*.

5. (d) In eo peccaverunt, quod non sustulerint excelsa, seu fana in collibus: Josaphat vero, quod cum Achab fœdus iniérit.

8. (e) Id vaticinante Jeremia. Tametsi non alieni modo, sed & Reges Juda id meruerunt, ut urbs incenderetur, & traderetur in manum Nabuchodonosor. *Sanctitatis*, vox Græca, sæpe ponitur pro sanctuario.

10. (f) Quam ostendit illi Deus sedens in curru Cherubinorum.

11. (g) Cum minatus est procellam & imbrem inundantem, & lapides grandes ad dissipandos falsorum Prophetarum conatus, Ezech. 13. Pœnitentibus fausta promisit. Sub imbris figura, quæ mala impiis impenderent, significavit

12. (h) Gr. Eor. *Virtutis*, Gr. *In fide spei*. Spe certa, fide nixa; vel immunes se præstiterunt ab omni labe sæculi, ab idololatria.

13. (i) Ut res diligentissime custodita, ex Aggæo repetitur cap 2. *Ponam te quasi signaculum, quia elegi te*; Ponam te quasi annulum signatorium, qui in manu semper gestatur.

* Zach. 3. 5. 14. * Sic & Jesum filium Josedech, qui in diebus suis ædificaverunt domum, & exaltaverunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam.

15. Et Nehemias in memoria multi temporis, quis erexit nobis muros eversos, & stare fecit portas & seras, qui erexit domos nostras.

16. Nemo natus est in terra qualis (*k*) Henoch: nam & ipse receptus est a terra.

* Gen. 41. 40 & 41. & 45. 5. & 50. 10. 17. * Neque ut Joseph, qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi:

18. Et ossa ipsius (*l*) visitata sunt, & post mortem prophetaverunt.

* Gen. 4. 25. * Gen. 5. 32. 19. * Seth & * Sem apud homines gloriam adepti sunt: & super omnem animam in origine Adam.

CAPUT L.

Simonem II. Oniæ III. filium laudibus extollit; Philisthinos, Sichemitas, Samaritanos vituperat.

1. Mach. 12. 7. 2. Mach. 3. 4. 1. Simon Oniæ filius, Sacerdos (*a*) magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum.

2. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex (*b*) ædificatio & excelsi parietes templi.

3. In diebus ipsius emanaverunt (*c*) putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum.

4. Qui curavit gentem suam, & liberavit eam a perditione (*d*).

5. Qui prævaluit amplificare civitatem, qui adeptus est gloriam in conversatione (*e*) gentis: & ingressum domus & atrii amplificavit.

6. Quasi stella (*f*) matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet.

7. Et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.

8. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus redolens in diebus æstatis.

9. Quasi ignis effulgens, & thus (*g*) ardens in igne.

10. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.

11. Quasi oliva pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriæ, & vestiri eum in consummationem (*h*) virtutis.

12. In ascensu altaris (*i*) sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum.

13. In accipiendo autem (*k*) partes de manu sacerdotum, & ipse stans juxta aram. Et circa illum corona fratrum: quasi plantatio cedri in monte Libano,

14. Sic circa illum steterunt quasi rami palmæ, & omnes filii Aaron in gloria sua.

15. Oblatio autem Domini in manibus ipsorum, coram omni synagoga Israel: & (*l*) consummatione fungens in ara, amplificare oblationem excelsi regis.

16. Porrexit manum suam in libatione, & libavit de sanguine uvæ.

17. Effudit in fundamento altaris odorem divinum excelso principi.

18. Tunc exclamaverunt filii Aaron, in tubis productilibus sonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo.

19. Tunc omnis populus simul properaverunt, & ceciderunt in faciem super terram, adorare Dominum Deum suum, & dare preces omnipotenti Deo excelso.

20. Et amplificaverunt psallentes in vocibus suis, & in magna domo auctus est sonus suavitatis plenus.

21. Et rogavit populus Dominum excelsum in prece, usquedum perfectus est honor Domini, & munus suum perfecerunt.

22. Tunc

16 & 17. (*k*) Vitæ & morum innocentia, nemo sic tractatus est a Deo; vox enim Græca sæpe significat ordinare.

18. (*l*) (*Joseph*) *Prophetaverunt*. (Resurrectionem.) Cum translata sunt ex Ægypto ossa Joseph, impleta sunt de iis vaticinia, quæ vivus ediderat. Nam illius mandatum, & cura filiorum Israel de ossibus ejus transferendis, non leve erat argumentum resurrectionis futuræ. Quod enim tam honorifice tractarentur, id propterea factum est quod fuerint & futura sint templa Dei. *Adam*, Græc. *In creatione*, Quia immediate a Deo creatus.

CAP. L. 1. (*a*) De Simone secundo Oniæ itidem secundi filio, & Oniæ tertii patre locuturus, notat eum munimento excelso & duplici muro templum cinxisse. *Suffulsit*, Græc. *Sarcivit quod captum libri* de illo Josephus Lib. 12. cap. 4. Existimat tamen Gandavensis, Simonem illum, cujus Auctor laudes prosequitur, non fuisse Simonem secundum, de quo Josephus nihil peculiare scribit, nisi quod fuerit Oniæ secundi filius: adeo ut potius Simonem primum Oniæ itidem primi filium, qui teste Josepho Justus est cognominatus, commemoret.

2. (*b*) Quia templi substructiones, quibus extrema sustentabatur area, a Chaldæis dirutas, a Zorobabele prætermissas, Simon ædificavit: duplex dicitur ædificatio, quia templum erat altum 120. cubitorum, substructio vero illa a radice montis erat duplo, & amplius altior. *Parietes*. Templum sumitur pro complexu omnium ædificiorum, quæ ad templum pertinebant.

3. (*c*) Gr. *Imminutum est receptaculum putei*; Aquæductus receptacula cum ante essent imminuta, ejus Pontificis temporibus instaurata sunt, ut mare æneum; receptacula erant ad lavandi & potandi usum. Alia lectio indicat receptaculum illud æreum factum esse triplex majus mari, seu lacu.

4. (*d*) Sub Ptolemæo Philopatore, quem extrema minitantem placavit fusis ad Deum precibus: Gr. *Curam gerens populi a casu*, ab excidio liberavit; *Et fortificans*, muniens civitatem, *ad obsidendum*, si obsideretur. Quod si de Simone primo Auctor differat, qui sub Ptolemæo Lagi filio, aut sub Philadelpho vixit, hæc ita sunt intelligenda, eum providentia sua effecisse, ne quid mali populo accideret.

5. (*e*) In conversatione gentis: forte in *conversione*, pro*no* librariorum errore. *Simon adeptus est gloriam in conversione gentis*, cum e statu trepido in tranquillum mutatus est, vel inter suos degendo.

6. (*f*) Seu Lucifero inter nebulas exorienti: tum Lunæ in Plenilunio, Soli denique refulgenti per auxesim eum comparat.

9. (*g*) Arbor thurifera, ex Græco, ut surculus thuris; *Et thus ardens*, hoc loco pro aromate sumitur, quod ignis ardore gratum odorem sparsit.

11. (*h*) Stolam splendidam indutus, in perfectione virtutis, Gr. *Gloriationis decoris*.

12. (*i*) Meminit sacrificii Eucharistici, quod Simon coram Ptolemæo Philopatore exhibuit, cum Ptolemæus Sancta sanctorum intrare vellet, & fusis ad Deum precibus Simon eum prohibuit. *In ascensu altaris*; Cum Simon clivum ascenderet in veste sacra & splendida. Ita hic locus de Simone secundo exponitur. Gandavensis hunc versum aliter exponit. *Amictum*, Cum assumeret ipse gloriosum illum habitum summi sacerdotii, & sic indutus ascenderet ad altare sanctum, amictum reddidit magis gloriosum.

13. (*k*) Nam in pacificis pars una cedebat in usum illius qui offerebat. Circa illum steterunt quasi rami palmæ. Erat velut cedrus, quam circumdant palmæ ramosæ.

15. (*l*) Ministerium suum implens. *Regis*, Gr. *Ad Amplificandam*, seu ornandam oblationem: *Excelsi*, Gr. *Omnipotentis*; Manum suam admovit pateræ libatoriæ de vino. Ordinem in oblatione servatum exponit. Omnes filii Aaron, seu sacerdotes in gloria sua, seu in decoro suo vestitu astabant, & erat in manibus ipsorum oblatio Domini in conspectu populi Israelitici; tum summus sacerdos perfectum ipsum sacrificium ut majori gloria ornaret, ad oblationem Deo factam extendit manum suam, insuper addendo libationem vini. Ita Gandavensis.

22. Tunc descendens (*m*), manus suas extulit in omnem congregationem filiorum Israel dare gloriam Deo a labiis suis, & in nomine ipsius gloriari:

23. Et iteravit (*n*) orationem suam, volens ostendere virtutem Dei.

24. Et nunc orate Deum omnium, qui magna fecit in omni terra, qui auxit dies nostros a ventre matris nostræ, & fecit nobiscum secundum suam misericordiam:

25. Det nobis jucunditatem cordis, & fieri pacem in diebus nostris in Israel per dies sempiternos:

26. Credere Israel nobiscum esse Dei misericordiam, ut liberet nos in diebus suis.

27. Duas gentes odit anima mea: tertia (*o*) autem non est gens, quam oderim:

28. Qui sedent in monte Seir & Philisthiim, & stultus populus, qui habitat in Sichimis.

29. Doctrinam sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto Jesus filius Sirach Jerosolymita, qui renovavit (*p*) sapientiam de corde suo.

30. Beatus, qui in istis versatur (*q*) bonis: qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper.

31. Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit: quia lux Dei, vestigium (*r*) ejus est.

CAPUT LI.

Deo gratias agit, qui a magnis periculis eum eripuit; studium sapientiæ cælestis omnibus commendat.

1. ORatio Jesu filii Sirach: Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum salvatorem meum.

2. Confitebor nomini tuo: quoniam (*a*) adjutor & protector factus es mihi,

3. Et liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ, & a labiis operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es mihi adjutor.

4. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus, præparatis ad escam.

5. De manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum quæ circumdederunt me:

6. A pressura (*b*) flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus.

7. De altitudine ventris inferi (*c*), & a lingua coinquinata, & a verbo mendacii, a rege iniquo, & a lingua injusta:

8. Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum,

9. Et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum.

10. Circumdederunt me undique, & non erat qui adjuvaret. Respiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat.

11. Memoratus sum misericordiæ tuæ Domine, & operationis tuæ, quæ a sæculo sunt:

12. Quoniam eruis sustinentes te Domine, & liberas eos de manibus gentium.

13. Exaltasti super terram habitationem meam (*d*), & pro morte defluente deprecatus sum.

14. Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore superborum sine adjutorio.

15. Laudabo nomen tuum (*e*) assidue, & collaudabo illud in confessione, & exaudita est oratio mea.

16. Et liberasti me de perditione, & eripuisti me de tempore iniquo.

17. Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini.

18. Cum adhuc junior (*f*) essem, priusquam oberrarem, quæsivi sapientiam palam in oratione mea.

19. Ante templum postulabam pro illa, & usque in novissimis (*g*) inquiram eam. Et effloruit tamquam præcox uva,

20. Lætatum est cor meum in ea. Ambulavit pes meus iter rectum, a juventute mea investigabam eam.

21. Inclinavi modice aurem meam, & excepi illam.

22. Multam inveni in meipso sapientiam, & multum (*h*) profeci in ea.

23. Danti mihi sapientiam, dabo gloriam.

24. Consiliatus sum enim ut facerem illam: zelatus sum bonum, & non confundar.

25. Collu-

22. (*m*) Peractis omnibus. *A labiis suis*. Ut simul cum populo Deum laudaret.

23. (*n*) Quam Philopatore jam in templum irruente fuderat Simon. A vers. 12. usque ad hunc locum solius sacrificii pacifici meminit, ob eum eventum qui Lib. 1. Machab. cap. 1. refertur ab auctore non canonico, sed vetustissimo: Rex adeo prostratus & territus ab incepto destitit. Ita vir illustriss. si mentio sit de Simone secundo, ut ipse ex loco citato Lib. 3. Machab. colligit, cui hæc expositio apte convenit. Alii tamen in Græco legerunt, *Et iteraverunt in adoratione, ut susciperent benedictionem*; populus nimirum se iterum in terram prostravit Deum adoraturus, peracto sacrificio, ut susciperet benedictionem a Sacerdote. Id vero notat Gandavensis, consuetudinem quæ nunc observatur in sacrificio Eucharistico cum ea narratione pulcre convenire. Pontifex sacris indutus vestibus ascendit ad altare; a diacono accipit quæ offerenda sunt, adstante sacerdotum corona; tum sacris lectionibus & canticis ad orandum populus excitatur. Peracto sacrificio Corporis & Sanguinis Domini sub speciebus panis & vini, populus ab Episcopo benedictionem accipit.

27. (*o*) Non est gens digna nomine, Samaritani scilicet: est enim multarum gentium colluvies: trea populi sibi exosi sunt, Idumæi, Philisthiim, & Samaritæ.

29. (*p*) Gr. *Qui effudit sapientiam de corde suo*: hæc nepos adjecit ad verba avi sui.

30. (*q*) Gr. *Qui in his versatur virtutum præceptis*, & earum præmiis; sic scriptores divinitus inspirati commendant doctrinam Dei.

31. (*r*) Viam ei monstrat, hæc enim divino lumine signata sunt, quæ sectetur: quia vestigia gressuum suorum & actionum fient in luce divinæ sapientiæ.

2. (*a*) Ad benefaciendum, Protector ad evitanda mala. CAP. LI.

6. (*b*) In gravi involutus periculo, tamquam cingente flamma, Dei beneficio fuit liberatus, adeo ut si minus historica sit narratio, ea tamen sit allegorica locutio.

7. (*c*) De profundo sepulcro, vel carcere. *Coinquinata*, Calumniis.

13. & 14. (*d*) Gr. *Exaltavi in terra*: Supplicem orationem meam. *Patrem*; quod e Psalm. 109. & ex aliis Scripturæ locis, non Ecclesiasticus modo, sed & Judæi Christum futurum Dei Filium acceperant. Nam Judæi Christum Dei Filium, & Regem Israel, pro uno & eodem accipiebant. Unde & cap. 24. primogenitam Dei Sapientiam post Salomonem appellat.

15. (*e*) Hyperbaton, seu ordo verborum inversus: posterior pars versiculi præponenda est hoc modo. Invocavi, &c. *Et exaudita est oratio mea*; ideo, *laudabo*, & *in tempore superborum sine adjutorio*; cum mihi nullum esset auxilium.

18. (*f*) Nam facilius est in prima ætate sapientiam discere, cum nondum imbuti sumus erroribus & vitiis. *Oberrarem*, Peregrinarer.

19. (*g*) Ad extremum usque vitæ. *Uva*, Lætatum est cor meum, ut solet lætari aliquis ob vinum optimum.

22. & 24. (*h*) Ob felices successus. *Ut facerem*, *Ut exercerem*, & ex ejus præceptis vitam instituerem, non solo sermone.

25. Colluctata (*i*) est anima mea in illa, & in faciendo eam confirmatus sum.

26. Manus meas extendi in altum, & insipientiam ejus luxi.

27. Animam meam direxi ad illam, & (*k*) in agnitione inveni eam.

28. Possedi cum ipsa cor ab initio: propter hoc non derelinquar.

29. Venter meus (*l*) conturbatus est quærendo illam: propterea bonam possidebo possessionem.

30. Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam: & in ipsa laudabo eum.

31. Appropriate (*m*) ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ.

32. Quid adhuc retardatis? & quid dicitis in his? animæ vestræ sitiunt (*n*) vehementer.

33. Aperui os meum, & locutus sum: Comparate vobis sine argento,

34. Et collum vestrum subjicite jugo, & suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est enim invenire eam.

35. Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & inveni mihi multam requiem.

36. Assumite (*o*) disciplinam in multo numero argenti, & copiosum aurum possidete in ea.

37. Lætetur anima vestra in misericordia ejus, & non confundemini in laude ipsius.

38. Operemini opus vestrum ante (*p*) tempus, & dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.

25. & 26. (*i*) Nulli peperci labori. *In faciendo*, Gr. In alio codice, *In actione diligens fui*, ad actus meos attentus fui: nihil egi temere.

27. & 28. (*k*) Gr. *Purificatione*. Postquam fui a meis erroribus purgatus per agnitionem mei ipsius, & errorum meorum, tandem inveni eam. *Possedi*, ex quo studere cœpi sapientiæ, factus sum cordatus & prudens.

29. & 30. (*l*) Interiora mea inquirendæ illius studio commota sunt, & variis agitata perturbationibus. *Linguam*, Deus mihi eloquentiam dedit præmium studiorum meorum.

31. (*m*) Tam magnifica sui commendatio non ad sui jactationem spectat, sed ut alios ad studium sapientiæ accendat. *In domum*, In eum locum, ubi docetur doctrina salutaris, qui non alius est ab Ecclesia Catholica.

32. (*n*) Valde sunt aridæ, & cælestis sapientiæ rore omnino egent.

36. (*o*) In ejus possessione multas habebitis divitias, & pro impenso argento magnam auri copiam possidebitis.

38. (*p*) Antequam veniat mercedis tempus, operemini opus vestrum, & officium quisque suum rite obeat.

FINIS PRIMÆ PARTIS.